HISTORIÆ FRANCORVM SCRIPTORES,

A CAR. MARTELLO PIPINI R. PATRE,
VSQVE AD HVGONIS ET ROBERTI REGVM TEMPORA.

TOMVS III.

ARMANDO IOANNI EMINENTISSIMO CARDINALI DVCI DE RICHELIEV PARI FRANCIÆ.

*CVm inchoatum hoc historicum opus à parente meo fuisset, (*EMINENTISSIME CARDINALIS*) & sub Christianissimi Regis auspiciis, & Te fauente, vt cœperas, idem meus parens idem opus perficere sperauisset: Ego qui ad virtutis illius imitationem quoquomodo conor aspirare, quique labores eius & vigilias tam inopino ac præcipitato interitu incassas video, ni-*

ſi memetipſum impellat animus ad fortia: audeo poſt illum & ſecundùm illum, EMINENTIÆ TVÆ tertium hoc offerre volumen, vt ſi poſſit ab ea benignis aſpici oculis, ſequentia in lucem prodere non timeam. Et ſanè generoſorum quorumque hominum vita & ſanguis Tibi debetur conſecrari: nam quem Tibi honorem Gallos omnes habere oporteat, docuit me Regis exemplum, authoritas parentis mei dum viueret, iudicium orbis. Natus es vt in Te experiretur natura, quid à virtute ornamenti, virtus quid à Rege honoris in Gallia, Gallia quid è cœlo præſidii capere poſſet. Et verò ſi quis virtutes Tuas cum Regis fauore componat, dubitabit ſanè pluſne cœlo gratulandum ſit quòd Te dignum hu-

iusce imperii gloria fecerit, an Regi quòd iudicauerit: fatebitur verò nullum ex omnium sæculorum memoria Regibus ministrum pari fide seruiisse, nullum Regem pari fauisse iudicio ac beneuolentia: quid est enim in Te quod inglorium reliquerit? quod ad res maximas non adhibuerit? Nobilitatem Tuam corona Ducum ornauit, Pietatem purpura, Magnitudinem animi armorum suorum terra marique administratione, Consilium authoritate, Fidem amore præcipuo prosecutus est; planè vt appareat nullas à cœlo Tibi dotes, nullam Tuis dotibus gloriam à Rege defuisse: hinc illa scilicet belli pacisque miracula, quorum illum authorem, Te administrum mirantur omnes & obstupescunt, cuius fulmine percussa re-

bellio, cuius gladio hæretica pestis excisa, cuius armis fractæ hostium vires, cuius consiliis doli elusi fuerunt, insidiæque pariter dissipatæ. Vnde ille Gallis tam patens campus apertus ad gloriam? Vnde liliis nostris tanta veneratio, tantus splendor accessit? hæc omnia Tibi Gallia; Tu Regi; Rex cælo debet: si Te Rex pro sua prudentia non nouisset, si cognitum pro sua magnificentia non ornasset, fortasse iam Gallia & metum cum horrore pateretur, & mutum sine admiratione silentium: nunc verò conspirant cum Deo ad LVDOVICI IVSTI felicitatem omnia; famulantúrque obsequio Tuo; Vides Europam, Asiam, & Africam rerum à Te gestarum admiratione suspensam; vides inuidiam famæ triumphantis ac

gloriæ

gloriæ imperioso pede calcatam: Vides silere orbem terrarum, vt Principes de Tuis laudibus loquentes audiat. Audiat verò Christianus orbis, & me ipsa Tuarum laudum testem posteritas habeat; si te non colerem, non veniret in me sanguis iste quem à parente hausi; penè cùm in Regis venis Tui amor cœpisset incalescere; non amor quoque veniret Galliæ, quæ Tuis consiliis exhalantem ab externis regionibus pacem & pietatem in sinum accepit: non veniret denique spes aliquando possedendæ virtutis & sapientiæ, quæ sapientia Tuos sibi vultus induit vt Regis; vt Ecclesia ministra timorem ab hostibus, amorem ab amicis, ab omnibus admirationem extorqueret. Iam verò si scire cupis (EMINENTISSIME CARDINALIS) qua

mente hæc dicam, quo animo hos Tibi primitios meos offeram labores, vide quo te animo Rex diligat, quo parens meus coluit Regem, quo demum ego ipse colo vtrumque; intelliges me ab altero nomen, ab altero pectus, ab vtroque sanguinem EMINENTIÆ TVÆ *addictißimum deriuasse.*

FRANCISCVS DV CHESNE.

ÆMVLO PATRIS FILIO
FRANCISCO DV CHESNE
probatæ fidei amico.

SI tibi tam clarum decus est habuisse parentem,
Maior honos gnato patrios æquasse labores,
Et dignas subiisse vices: iam prisca fatigas
Sæcula, & arcanas annorum pandere sortes
Scripta docent potuisse. vides in flore iuuentæ
Quæ silet exemplis tam sæpè edocta Senectus.
Quid senibus vixisse prodest? si parta triumphis
Fama latet: Vicisse nihil est si prælia Ductor
Nescit: mira fides! diuina mente resoluis
Antiquas rerum series, attrita resurgunt
Marmora; præteritis addis præsentia, per te
Tempus edax nunc iura capit fatale recusans
Imperium: apparent quæ vix meminisse fides est.
Te quoque facta Ducum meritas præcone coronas
Accipiunt victrice manu, sed crede, labori
Mercedem æternam virtus dabit, & tua fama
Authorem te Scripta monent, tibi præbe triumphos,
Atque opus æternum perituris eximat annis,
Æqualémque patri celebret te fama superstes.

IOANNES CAHOVET DE SAINEVILLE, Aurelianensis.

CLARISSIMI VIRI DOMINI DV CHESNE HISTORIÆ FRANCICÆ AVCTORIS

ENCOMIVM.

SACRA *Ioui quercus Druidum non desinat esse*
Ominis indicio prisci, Diuûmque fauoris,
QVERCVS *enim auxilio mortalis vita iuuatur*
Gallorum, queis vera refert exempla parentum.
Hic monet indomitos Gallos huc vsque fuisse,
Et patrum meritis genitos ad prælia cogit.
Hic varios belli euentus & fata renarrat,
Vt Ducibus nostris aliena pericula prosint.
Sed laudata magis sit qua facundia dictis
Tanta nitet: Præstant superi, geniúmque dedêre
Absque pari, non est mirum, quia dicere verum est
Hunc finxisse Deos, vt totus cerneret Orbis;
Conuenêre simul, ferrent vt signa potentum
Terris, Consilio cautum est componere QVERCVM
Iámque lutum HERMES *contribuit, formámque* MINERVÆ
IVPPITER, *efflauitque animos:* HÆC PROSPERA *Gallis.*

GABRIEL LE MAZIER Andegauus, in AVGVSTO Galliarum patronus.

FILII, PATRIS VERE' DIGNISSIMI, AMICI PROBATISSIMI

ENCOMIVM.

PAR *sit honos gnato, qualis patet esse parenti,*
Frustrà etenim Diuorum ars & Suprema potestas,
Si genito quauis patri concessa negassent.
Hic, morte infausta, imtempestiuáque necato
Patre, & cœlesti pulsatus numine, libros
Exitium ante diem passos, caligine traxit,
Insuper & vires addens patrémque secundans
Exarauit eos, non perfectósque peregit;
QVID MIRVM! SI FVLGET OPVS, STVDIVMQVE DVORVM;
SED POTIVS! SI FVLGET OPVS STVDIVMQVE DEORVM.

Idem GABRIEL LE MAZIER Andegauus, in AVGVSTO Galliarum patronus.

SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, & patentibus eius Litteris cautum, ne quis in Regno ipsius, aliisve locis eius ditioni subiectis, intra viginti proximos annos à die impressionis primæ inchoandos & numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione curet Librum, qui inscribitur, *Historiæ Francorum Scriptores coætanei*, &c. *Opera ac studio Filij post Patrem* FRANCISCI DVCHESNE, *in suprema Parisiensium Curia Patroni, & Geographi Regij*, præter Sebastianum Cramoisy Typographum Regium ordinarium, atque Bibliopolam Iuratum, Ciuémque Parisiensem, aut illos quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus eius subditis, eundem Librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere ac instigare, sine consensu dicti Sebastiani Cramoisy, sub pœna confiscationis librorum, aliisve pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum Lutetiæ vltimo die Iulij 1635.

Sic signatum, De mandato Regis, VICTON.

Prima editio Tertij & Quarti Tomi perfecta fuit die 4. Maij 1641.

INDEX EORVM QVÆ IN TOMO III. HISTORIÆ FRANCICÆ CONTINENTVR.

CHRONICA SCRIPTORVM ALIQVOT GERMANORVM, IN QVIBVS DE FRANCORVM ET ALAMANNORVM REBVS PROMISCVE AGITVR.

SCRIPTORES ITALICI, QVI DE REBVS AD FRANCORVM HISTORIAM PERTINENTIBVS TRACTARVNT.

APPENDIX AD TOMVM III.

A

AIMOINI MONACHI AD ABBONEM ABBATEM FLORIACENSEM, IN LIBRVM DE GESTIS FRANCORVM EPISTOLA.

B

DOMINO VENERABILI, ET IN CHRISTI dilectione fundato, ABBONI Abbati, totius gregis illi à Deo commissi minimus AIMOINVS, perpetuæ munus felicitatis.

PRÆCEPTIS beatitudinis tuæ, beatissime Pater parui: quibus præceperas vt ingeniolum exercendo meum, quod tribuente Christo per tuæ sollicitudinis tuorúmque discipulorum laborem ad meliora profecisse arbitrabaris, res gestas Gentis siue Regum Francorum, quæ & per diuersos sparsæ Libros, & inculto erant sermone descriptæ, in vnius redigerem corpus Opusculi, ac ad emendatiorem Latinitatis reuocarem
C *formam. Institi igitur vt potui, atque vtinam, tam efficaciter quàm libenter! Porrò de Opere tua Paternitas viderit, rectène an secus egerim. Ego autem solius obedientiæ (si tamen voluntate, conatúque eam decoraui) testimonio contentus sum. Ammonitionis itaque tuæ non immemor, qua sæpissimè hortatus es, vt situm Germaniæ vel Galliæ, in quibus hæc quæ referentur acta sunt, non prætermitterem: ea quæ in Auctoribus Iulio, Plinio, ac Orosio, inuenire potui colligens, huic Opusculo inserendo, voluntati sublimitatis tuæ satisfacere commodum duxi. His igitur adiunxi quæ Iulius de Germanorum Gallorúmque moribus, ac institutis, in Libro suæ interserit Historiæ. Ab egressu quoque Francorum è Troia vsque ad id temporis, quo* PIPINVS *Magni Caroli pater regnare cœpit, cunctam rerum gestarum seriem in quatuor decreui Libros partiri. Quos ea contexui ratione, vt sequens semper priorem quantitate sui & numero Regum transcenderet. Verbi gratia. Primo continente quinque Regum actus, Secundus continet sex. Tertius septem. Quartus verò octo, & eo ampliùs. Genealogias quoque Regum, quæ propter similitudines nominum valde confusæ erant, quanta potui diligentia distinxi: vnumquemque*

vel patris nomine, vel Senioris Iunioris'ue appellatione ab altero distinguens: quemadmodum diligens lector in suis animaduertere potest locis. Id præcipuè conseruare curaui, vt in omnibus his Libris mentio fieret Benedicti Patris, certis ex causis: cui ego meum scire, meum posse, meúmque viuere post Deum acceptum fero. Nec ignoro multos fore, qui solita libidine omnibus detrahendi huic Volumini genuinum insigant dentem. quod vitare non poterit, nisi qui nihil omninò scribet. Calumniabuntur enim tempora, conuertent ordinem, res arguent, syllabas euentilabunt: & (quod accidere plerumque solet) negligentiam Librariorum ad Auctorem referent. Dicent etiam: En noster Historiographus, nouúsque Auctor, qui aliorum verbis pro suis vtitur. *Hoc quidem me fecisse non nego, neque me id piget: ac deinde facturum autumo. Habeo bonorum exemplum, quo mihi id licere facere, quod illi fecerunt, puto. Nec sententiis detrahentium satis moueor: tua laude vel vituperatione doctus esse sufficiens. Vale, Pater venerande, & prosperis ad vota successibus polle.* A

Explicit Epistola ad Abbonem Abbatem. B

INCIPIT SITVS GERMANIÆ VEL GALLIÆ,

De diuersis Auctoribus ab Historiographo exceptus.

Ac primùm de Germania.

CAP. I. GERMANIA omnis in quinque populorum conuentus diuiditur. E quibus primi sunt Vindelici, deinde Cimbri, post hos Teutones, ac perinde Peucini: vltimis omnium existentibus Basternis, qui confines sunt Dacis. Porrigitur autem Germania in longitudinem DCLXXXVI. millibus passuum. In latitudinem CXLVIII. millibus. Amnes in ea clari, atque in Oceanum decurrentes: Guthalus, Visurgis, & Rhenus. In Rheno autem ipso centum propè habentur in longitudinem insulæ: quarum nobilissima est Batauorum, & aliæ quamplurimæ, quæ sternuntur inter Rhenum ac Fleuum. Ita verò appellantur Ostia, in quæ Rhenus in Septentrione in lacus varios, ab Occidente in amnem Mosam se spargit: medium inter hæc & modicum nomini suo custodiens alueum. Oritur autem ex Lepontiis, qui Alpes incolunt, & longo spatio per fines Heluetiorum, Mediomatricum, atque Treuerorum citatus fertur. Et vbi Oceano appropinquat, in plures defluit partes, multis ingentibúsque insulis (vt præmissum est) effectis: quarum pars magna à feris barbarísque nationibus incolitur: ex quibus sunt qui solis piscibus, atque ouis auium viuere existimantur. multísque capitibus in Oceanum fluit. Intra Germaniam verò nullo inferius nobilitate Hercinium iugum prætenditur. De quo videlicet iugo Iulius Cæsar in Historia belli Gallici, quòd sylua adopertus sit, variisque ferarum generibus abundans, hoc modo scribit. Ea, inquit, quæ fertilissima Germaniæ sunt loca circum Herciniam syluam, quam Eratostheni & quibusdam Græcis fama notam esse video, quam illi Orciniam appellant, Volgæ Tectosages nuncupauerunt, atque ibi consederunt. Quæ gens vsque ad hoc tempus his sedibus sese continet, summámque habet iustitiæ & bellicæ laudis opinionem. Nunc quidem in eadem inopia, egestate, patientia, qua Germani, permanent: eodem victu & cultu corporis vtuntur. Gallis autem prouinciarum propinquitas, & transmarinarum rerum notitia, multa ad copiam atque vsus largitur. Qui paulatim C

A assuefacti superari, multísque victi prœliis, nec se quidem ipsi cum illis virtute comparant. Huius Herciniæ siluæ, quæ suprà demonstrata est, latitudo nouem dierum iter expedito patet. Non enim aliter finiri potest, neque mensuras itinerum nouerunt. Oritur ab Heluetiorum & Nemetum & Rauriacorum finibus, rectáque fluminis Danubij regione: & pertingit ad fines Dacorum & Anartium. Hinc se flectit sinistrorsus diuersis à flumine regionibus, multarúmque gentium fines propter magnitudinem attingit. Neque quisquam est huius Germaniæ, qui se aut audisse, aut adiisse initium huius siluæ dicat, cùm dierum iter sexaginta processerit, aut quo ex loco oriatur acceperit. Multáque in ea genera ferarum nasci constat, quæ reliquis in locis visa non sunt. Ex quibus quæ maximè differant ab aliis, & memoriæ prodenda videntur, hæc sunt.

EST Bos cerui figura, cuius à media fronte inter aures vnum cornu existit excelsius, magísque directum his quæ nobis nota sunt cornibus: & ab eius summo sicut palmæ rami latè diffunduntur. Eadem est feminæ marísque natura, eadem forma magnitudóque cornuum. Sunt item quæ appellantur Alces. Harum est consimilis capris figura, & varietas pellium: sed magnitudine paulò antecedunt; mutilæque sunt cornibus, & crura sine nodis articulísque habent: neque quietis causa procumbunt, neque si quo afflictæ casu conciderint, erigere sese aut subleuare possunt. His sunt arbores pro cubilibus, ad eas se applicant, atque ita paululum modò reclinatæ quietem capiunt. Quarum ex vestigiis cùm est animaduersum à venatoribus quò se recipere cõsueuerint, omnes eo loco aut ab radicibus subruunt, aut abscindunt arbores, tantum vt summa species earum stantium relinquatur. Huc cùm se consuetudine reclinauerint, infirmas arbores pondere affligunt, atque vna ipsæ concidunt. Tertium est genus earum quæ Vri appellantur. Hi sunt magnitudine paulò infra elephantos, specie & colore & figura tauri. Magna vis eorum est, & magna velocitas: neque homini neque feræ quam conspexerint parcunt. Hos studiosè captos foueis, interficiunt. Hoc se labore durant adolescentes, atque hoc genere venationis se exercent. Et qui plurimos ex his interfecerint, relatis in publicum cornibus quæ sint testimonio, magnam ferunt laudem. Sed assuescere ad homines & mansueti fieri, ne paruuli quidem excepti possunt. Amplitudo cornuum & figura & species multum à nostrorũ boum cornibus differt. Hæc studiosè conquisita ab labris argento circumcludunt, atque amplissimis epulis pro poculis vtuntur.

B

De moribus Germanorum.

II. DE moribus quoque hominum ac cultu idem Auctor in eodem libro hæc refert. Germani, ait, multum à consuetudine Gallorum differunt. Nam neque Druides (quos nos Sacerdotes, vel diuinos Vates possumus vocare) habent, vt illi: qui rebus diuinis præsunt, neque sacrificiis student. De Deorum numero eos solos ducunt quos cernunt, & quorum apertè opibus iuuantur: Solem scilicet, & Vulcanum, & Lunam. Reliquos nec fama acceperunt. Vita omnis in venationibus, atque in studiis rei militaris consistit. Ab paruulis labori ac duritiæ student. Qui diutissimè impuberes permanserunt, maximam inter suos laudem ferunt. Hoc alij staturam, alij vires, neruósque confirmari putant. Intra annum verò vicesimum feminæ notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus. Cuius rei nulla est occultatio: quod & promiscuè in fluminibus perluuntur, & pellibus aut paruis rhenonum tegumentis vtuntur, magna corporis parte nuda. Agriculturæ non student. maiórque pars eorum victus in lacte, caseo, carnéque consistit. Neque quisquam agri modum certum, aut fines habet proprios. Sed Magistratus ac Principes in annos singulos gentibus cognationibúsque hominum qui vnà coierunt, quantum & quo loco visum est agri attribuunt: atque post annum aliò transire cogunt. Eius rei multas afferunt causas: ne assidua consuetudine capti, studium belligerandi agricultura commutent: ne latos fines parare studeant, potentiorésque humiliores possessionibus expellant: ne accuratiùs ad frigora atque æstus vitandos ædificent: neque oriatur pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones dissensionésque nascuntur: vt animi æquitate plebem contineant, cùm suas quisque opes cum potentissimis æquari videat. Ciuitatibus maxima laus est, quàm latissimè circum se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis existimant, expulsos

C

agris finitimos cedere, neque quemquam propè audere consistere. Simul hoc se fore tutiores arbitrantur, repentinæ incursionis timore sublato. Cùm bellum ciuitas aut illatum defendit, aut infert, Magistratus qui ei bello præsint, vt vitæ necísque habeant potestatem, deliguntur. In pace nullus est communis Magistratus, sed Principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt, controuersiásq; minuunt. Latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cuiusq; ciuitatis fiunt: atque ea iuuentutis exercendæ ac desidiæ minuendæ causa fieri prædicant. Atque vbi quis ex Principibus in concilio dixerit, *Se ducem fore, qui sequi velint profiteantur:* consurgunt hi qui & causam & hominem probant, suúmque auxilium pollicentur, atque multitudine collaudantur. Qui ex his secuti non sunt, in desertorum ac proditorum numero ducuntur; omniúmque his rerum postea fides derogatur. Hospitem violare fas non putant. Qui quaque de causa ad eos venerint ab iniuria prohibent, sanctos habent, hísque omnium domus patent, victúsque communicatur. Ac fuit antea tempus, cùm Germanos Galli virtute superarent, vltrò bella inferrent, propter hominum multitudinem agríque inopiam trans Rhenum colonias mitterent. Hactenus de Germania, quæ in veteribus reperire potuimus pandere curauimus. Nunc de Gallia dicendum. A

De Gallia.

B

III. GALLIAM omnem in quatuor prouincias Orosius hoc modo diuidit. Gallia, inquiens, Belgica habet ab Oriente limitem fluminis Rheni & Germaniam, ab Euro Alpes Penninas, à Meridie prouinciam Narbonensem, ab Occasu prouinciam Lugdunensem, à Circio Oceanum Britannicum, à Septentrione Britanniam insulam. Gallia Lugdunensis ducta per longum, & per latum inflexa, Aquitaniam prouinciam semicingit. Hæc habet ab Oriente Belgicam, à Meridie partem prouinciæ Narbonensis, qua Arelas ciuitas sita est, & in mari Gallico Rhodani flumine accipitur. Narbonensis prouincia pars Galliarum habet ab Oriente Alpes Cottias, ab Occidente Hispaniam, à Circio Aquitaniam, à Septentrione Lugdunensem, ab Aquilone Belgicam Galliam, à Meridie mare Gallicum, quod est inter Sardiniam & insulas Baleares, habens in fronte, qua Rhodanus fluuius in mare exit, insulas Stichadas. Aquitaniæ prouincia obliquo cursu Ligeris fluminis, qui ex plurima parte terminus eius est, in orbem agitur. Hæc à Circio Oceanum, qui Aquitanicus sinus dicitur, ab Occasu Hispanias habet, à Septentrione & Oriente Lugdunensem, ab Euro & Meridie Narbonensem prouinciam contingit. Iulius verò Cæsar, qui cum eiusdem terræ incolis decennio bellum gessit, concordante secum Plinio, multísque aliis Philosophis, tres tantùm vult esse prouincias. Cuius nos scripta eodem, quo ipse vsus est, hîc inserimus ordine: aliqua tantummodo, quæ ille in aliis suæ Historiæ locis de ciuitatibus siue fluminibus dixit, seu quæ Plinius aliter ac ille sensit, interponentes. C

De Gallia secundum Cæsarem.

IV. GALLIA est omnis diuisa in partes tres, quarum vnam incolunt Belgæ, alteram Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur. Hanc quoque partem Plinius Lugdunensem Galliam esse asserit. Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt. Gallos Lugdunenses ab Aquitanis Garomna flumen, à Belgis Matrona & Sequana diuidit. Horum omnium fortissimi sunt Belgæ, propterea quòd à cultu atque humanitate prouinciæ longissimè absunt, miniméque ad eos mercatores sæpè commeant, atque ea quæ ad effeminandos animos pertinent important. Proximíque sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, cum quibus continenter bellum gerunt. Qua de causa Heluetij quoque reliquos Gallos virtute præcedunt, quòd ferè quotidianis prœliis cum Germanis contendunt, cùm aut à suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. Hi vna ex parte flumine Rheno latissimo atque altissimo continentur, qui agrum Heluetium à Germanis diuidit: altera ex parte monte Iura altissimo, qui est inter Sequanos & Heluetios: tertia lacu Lemanno & flumine Rhodano, qui prouinciam nostram ab Heluetiis diuidit.

A GALLIÆ vna pars, quam eos, qui specialiter GALLI dicuntur, obtinere dictum est, initium capit à flumine Rhodano, continetur Garomna flumine, Oceanum in finibus Belgarum attingit: etiam ab Sequanis & Heluetiis flumen Rhenum vergit à Septentrione. Vrbes in ea multæ ac opulentæ. Sed ex his præcipuæ sunt, nostróque æuo plus cognitæ: Lugdunum, Cabillonis, Hedua quæ & Augustidunus, Senonis, Autissioderus, Meldis, Trecas, Parisius, Carnotum, Gennabus vbi nunc Aurelianis, Rothomagus, Ebroas, Oximus, Cinomannis, Lixouium, Namnetis, Redonis, Venetus, Abrincatina, Andus quæ & Andegauis, Turonis, Bituriges, Niuedunus, quam quidam Niuernis esse putant. Harum Augustidunus & Senonis magnæ antiquitus apud Gallos fuere auctoritatis atque potentiæ: adeò vt vna earum, id est Augustidunus, quam Iulius Heduam nominat, amicitiam populi Romani amplectendo, toti penè Galliæ, eorum nixa fauore principata sit. Porrò Senonis viribus confisa suis, ipsam Romam orbis caput obsidere non pertimuerit, quam & cepit. Vrbs verò Biturica atque Turonica, secundum Orosij diffinitionem, qui Aquitaniam à flumine Ligeris vsque ad Pyrenæos determinat montes, quàmque moderni sequuntur, non in Celtica Gallia, sed magis in Aquitania sunt prouincia. Flumina in Lugdunensi Gallia plurima, sed ex eis præcipua, Rhodanus, qui eius ab Orientali parte terminus est. Quod autem verbis Iulij posuimus, qui prouinciam nostram ab Heluetiis diuidit, terram illam intelligimus quæ B hoc nomine proprio sortita est. Deinde Araris, qui per fines Heduorum & Sequanorum incredibili lenitate in Rhodanum influit, ita vt oculis in vtram partem fluat iudicari vix possit. Quod nos quoque perspeximus, ac admirati sumus tantæ magnitudinis fluuium tam tardo motu profluentem. Post eum extat Liger, qui terram illam, quæ inter illum & Sequanam iacet, penè insulam efficit. Siluæ multæ: sed eminentior ceteris Perticus. Et hoc quidem de Gallia Celtica quæ & Lugdunensis vocatur. Nunc de Belgica prouincia videamus.

BELGÆ ab extremis Galliæ finibus oriuntur. Pertinent autem ad inferiorem partem fluminis Rheni, spectántque in Septentrionem & orientem Solem. Vrbes eius inclytæ ac famosæ, Colonia Agrippinensis, Tungris, Treueris, Mettis quæ & Mediomatricum, Remis, Laudunus, Suessionis, Ambianis, Viromandus, Beluagus, Atrabatum, Lingonis, & pagus Heluetiorum, quem nunc Alamanni incolunt. Eius prouinciæ fluuij, Scaldus, Matrona, atque Mosa profluens ex monte Vosego, qui est in finibus Lingonum, & parte quadam ex Rheno recepta quæ appellatur Vaculus, vulgo autem dicitur Vualis, insulam efficit Batauorum, quæ rustico sermone vocatur *Battua*. Alter fluuius est apud Belgas Axona, vltimos Remorum fines præterfluens. Silua quoque Ardenna, quæ est totius Galliæ maxima, atque à ripis Rheni finibúsque Treuerorum millibus amplius quingentis in longitudinem patet. Hæc de Belgis satis dixisse sit, dummodo de Aquitania quæ digna sunt memoriæ tradantur.

C AQVITANIA, vt Plinio atque Iulio videtur, à Garomna flumine vsque ad Pyrenæos montes, & eam partem quæ ad Hispaniam pertinet, spectat: inter Occasum Solis & Septentrionem. Plus tamen hoc tempore determinatio Orosij superiùs à nobis declarata tenetur. Secundum quam traditionem in Aquitania continentur vrbes egregiæ: Narbona, Aruernus (quæ nunc Clarusmons vocatur) Cadurx, Tolosa, Gaualis, Rotenus, Lemouix, Petragorica, Pictauis, Burdegalis, Sanctona, & Engolisma. Fluuij quoque haud parui nominis in eadem sunt prouincia: Helauer, qui non multò minor Ligeri eius excipitur alueo. Dordonia etiam, qui ex monte qui *Dor* dicitur: & est in finibus Aruernorum, duobus scaturiens fontibus, quorum vni nomen est *Dor*, alteri *Donia*: qui haud procul à monte ipso coniunguntur, in Garomnam influit. Denique Aquitania dicta est, eò quòd præ ceteris prouinciis fontibus fluminibúsque exuberet. Est in ea & silua vocabulo Leccenna, non contemnendæ magnitudinis, Biturigibus atq; Aruernis confinis: in qua vsque hodie ostenditur lapidea domus Brunichildis Reginæ quondam Francorum, amœno satis (vt nos quoque aspeximus) sita loco. Nam fluuiolus eam præterfluens irrigua à latere efficit prata: messésque à fronte oppositæ cinguntur silua venationi congrua. Has omnes prouincias dum Franci occupassent, in duas tantummodo partes diuidentes, eam quæ Septentrionem versus tenditur, & inter Mosam & Rhenum est, AVSTRIAM: illam verò, quæ à Mosa ad Ligerim vsq;

pertingit, NEVSTRIAM vocauerunt. Pars tamen Lugdunensis Galliæ, quam Burgundiones occupauerant, BVRGVNDIÆ nomen retinuit. AQVITANIA quoque auitum non est dignata nomen mutare. A

HIS de situ Germaniæ vel Galliæ, prout in Libris veterum inuestigare potuimus, ostensis; nunc quæ Iulius de antiquorum consuetudine vel moribus senserit Gallorum, ipsius explicemus verbis.

De institutione Gallorum.

V. AIT ergo. In omni, inquiens, Gallia eorum hominum, qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt duo. Nam plebs penè seruorum habetur loco: quæ nihil habet per se, nullo adhibetur consilio. Plerique cùm aut ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut iniuria potentiorum premuntur, sese in seruitutem addicunt. Nobilibus in hos eadem sunt omnia iura, quæ dominis in seruos. Sed de his duobus generibus alterum est Druidum, alterum Equitum. Illi rebus diuinis intersunt, sacrificia publica ac priuata procurant, religiones interpretantur. Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causa concurrit, magnóque hi sunt apud eos honore. Nam ferè de omnibus controuersiis publicis priuatisque constituunt. Et si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controuersia est: iidem discernunt præmia pœnásque constituunt. Si quis B aut priuatus aut populus eorum decreto non steterit, sacrificiis interdicunt. hæc pœna apud eos est grauissima. Quibus ita est interdictum, hi numero impiorum ac sceleratorum habentur. His omnes decedunt, aditum sermonémque diffugiunt, ne quid ex cogitatione incommodi accipiant: neque his petentibus ius redditur, neque vllus honor communicatur. His autem omnibus Druidibus præest vnus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, siquis ex reliquis excellit, dignitati succedit: aut si sunt plures pares, suffragio Druidum, nonnunquam etiam armis de principatu contendunt. Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes vndique qui controuersias habent conueniunt, eorúmque iudiciis decretísque parent. Disciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur. Et nunc qui diligentiùs eam rem cognoscere volunt, plerumque illò discendi causa proficiscuntur. Druides à bello abesse consueuerunt, neque tributa vnà cum reliquis pendunt. Militiæ vacationem, omniúmque rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmiis, & sua sponte multi in disciplinam conueniunt, & à parentibus propinquisque mittuntur. Magnum ibi numerum Versuum ediscere dicuntur. Itaque annos nonnulli xx. in disciplina permanent, neque fas esse existimant ea literis mandare: cùm in reliquis ferè rebus publicis, priuatísque rationibus, Græcis literis vtantur. Id mihi duabus de causis instituisse videntur, quòd neque in vulgum disciplinam efferri velint, neque eos qui discunt C literis confisos, minus memoriæ studere. Quod ferè plerisque accidit, vt præsidio literarum diligentiam in prædiscendo ac memoriam remittant. In primis hoc volunt persuadere, *Non interire animas: sed ab aliis post mortem transire ad alios*, atque hoc maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis extincto. Multa præterea de sideribus ac eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac potestate disputant, & iuuentuti tradunt.

ALTERVM genus est Equitum. Hi, cùm est vsus, atq; aliquod bellum incidit, (quod ferè ante Cæsaris aduentum quotannis accidere solebat, vt aut ipsi iniurias inferrent, aut illatas propulsarent) omnes in bello versantur: atque eorum vt quisque genere copiísque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos clientésque habet. Hanc vnam gratiam potentiámque nouerunt.

De Gallorum religione.

VI. NATIO est omnium Gallorum admodum dedita religionibus: atque ob eam causam, qui sunt affecti grauioribus morbis, quique in præliis periculísque versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vouent. Administrísque ad ea sacrificia Druidibus vtuntur, quòd pro vita hominis non nisi

A vita hominis reddatur, non posse Deorum immortalium numen placari, arbitrantur: publicéque eiusdem generis habent instituta sacrificia. Alij immani magnitudine simulacra habent, quorum contexta viminibus membra viuis hominibus complent. Quibus succensis, circumuenti flammâ exanimantur homines. Supplicia eorum qui in furto, aut in latrocinio, aut aliqua noxa sunt comprehensi, gratiora Diis immortalibus esse arbitrantur. Sed cùm eius generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt. Deum maximè Mercurium colunt. Huius sunt plurima simulacra. Hunc omnium inuentorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem: hunc ad quæstus pecuniæ mercaturásque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc Apollinem, & Martem, & Iouem, & Mineruam. De his eandem ferè quam reliquæ gentes habent opinionem. Apollinem morbos depellere, Mineruam operum atq; artificiorum initia tradere, Iouem imperium cæleste tenere, Martem bella gerere. Huic, cùm prælio dimicare constituerunt, ea quæ bello ceperint plerunq; deuouent: quæ superauerint animalia capta immolant, reliquásq; res in vnum locum conferunt. Multis in ciuitatibus, harum rerum extructos tumulos locis consecratis conspicari licet. Neque sæpè accidit vt neglecta quispiam religione aut capta apud se occultare, aut posita tollere auderet. grauissimúmque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est.

B

De Gallorum origine.

GALLI se omnes ab Dite patre prognatos prædicant, idq; ab Druidibus proditum dicunt. Ob hanc causam spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt. Dies natales, & mensium & annorum initia sic obseruant, vt noctem dies subsequatur. In reliquis vitæ institutis hoc ferè à reliquis differunt, quòd suos liberos nisi cùm adoleuerint, vt munus militiæ sustinere possint, palam ad se adire non patiuntur: filiúmque puerili ætate in publico in conspectu patris assistere turpe ducũt. Viri quantas pecunias ab vxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis æstimatione facta cum dotibus communicant. Huius omnis coniunctim pecuniæ ratio habetur, fructúsque seruantur: & vter eorum vitâ superauerit, ad eum pars vtriusque cum fructibus superiorum temporum peruenit. Viri in vxores, sicuti in liberos, vitæ necísque habent potestatem. Et cùm paterfamilias illustriore loco natus decessit, eius propinqui conueniunt: & de morte, si res in suspicionem venit, de vxoribus in seruilem modum quæstionem habent. Et si compertum est, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica & sumptuosa: & omnia quæ viuis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia: ac, paulò supra hanc memoriam, serui & clientes, quos ab his dilectos esse constabat, iustis funeribus confectis, vna cremabantur. Quæ ciuitates commodiùs suam rempublicam administrare existimantur, habent legibus sanctum, si quis quid de republica à finitimis rumore aut fama acceperit, vti ad Magistratum deferat: néve cum quo alio communicet. quòd sæpè homines temerarios atque impeditos falsis rumoribus terreri, & ad facinus impelli, & de summis rebus consilium capere cognitum est. Magistratus quæ visa sunt occultant, quæque esse ex vsu iudicauerint multitudini produnt. De republica nisi per concilium loqui non conceditur. VII.

C

De aliis Gallorum institutis.

ITEM idem ipse alio in loco inquit. Est hoc, inquam, Gallicæ consuetudinis, vti & viatores etiam inuitos consistere cogant, & quid quisque eorum de quacunque re audierit, aut cognouerit, quærant: & mercatores in oppidis vulgus circumsistat, quibusque ex regionibus veniant, quasque ibi res cognouerint pronunciare cogant. His rebus atque auditionibus permoti, de summis sæpè rebus consilia ineunt, quorum eos è vestigio pœnitere necesse est: cùm incertis motibus seruiant, & plerique ad voluntatem eorum ficta respondeant. His de libro Iulij sententiis antepositis, non videatur lectori onerosum, duorum clarissimorum exempla subnectere virorum, Orosij atque Sallustij, de virtute prolata Gallorum. Quamuis enim id præfatio non spoponderit se acturam, tamen congruum æstimatum est VIII.

duorum aut trium testimonia inserere: vt dum eorum virtus magna fuisse docetur, A maior fortitudo Francorum qui eos vicerunt fore declaretur. Ait deniq; Orosius. » Quotiescunque, inquiens, Galli exarserunt contra Romanos, scilicet totis opibus » suis, ita Roma detrita est, vt sub præsenti nunc concursione Gothorum magis de- » beat meminisse Gallorum. Ideò verò præsentem dicit concursionem Gothorum, quia eius temporibus Gothi primùm Romam ceperunt: quos postea Franci vice- » runt, vt in sequentibus declarabitur. Salustius autem ita scribit: Per idem tem- » pus haud dubium, quin quando bellum contra Iugurtham à Romanis gerebatur, » à ducibus nostris, Quinto Scipione & Memmio Manlio, aduersus Gallos malè » pugnatum est. Quo metu omnis Italia contremuerat. Illíque & vsque ad nostram » memoriam Romani sic habuere. Alia omnia virtuti suæ prona esse: cum Gallis pro » salute, non pro gloria certari.

INCIPIT PROOEMIVM HISTORIÆ FRANCORVM. B

REGNVM Francorum, antiqua Troianæ gentis prosapiâ nobilitatum, cùm virorum ferocis corporis animíque virtute, tum maximè Regum excellentissima semper viguisse potentiâ, luce clarius constat. Quæ pro certo natio, licèt eo quo censetur nomine præferox esse noscatur: mansuetudinis tamen eius insignia adeò elucent, vt rebellium colla hostium non tam vindici ferire mucrone, quàm sibi subiicere maluerit. Verùm, vt diximus, cùm Regnum præcellentissima floruerit auctoritate, virorúmque prævalida animositate, non tam finium ampliare spacia suorum, quam exterarum sibi acquirere studuit dominationem gentium. Viuidam namque bello dextram præferens, & parcere norat subiectis, & debellare superbos. Quæ non immeritò domina multarum euasit nationum, dum non diu passa est semet idololatriæ seruire dæmonum. Nam Creatori potius quàm creaturæ subdi rectius ducens, C ipsa (vt ita dictum sit) sui primordia Regni Christo auspice cœpta, cultui ipsius dedicare maluit. Hinc ad altiora se subrigens, Catholicæ fidei norma, ardenti vsa desiderio, ea cum Regni terminis vt dilataretur, ardenter effecit. Rerum verò secundarum processu excitata, impetum non refrænabat suum, sed adiungere finitimos bello coactos haudquaquam dissimulandum arbitrabatur: donec Alamannorum gens, dominationis iugum ferre detrectans, bellum immane excitauit. Quod quidem Rex inclytus CLODOVEVS, qui quintus Regum ipsius gentis Regnum tenebat, solerter ad victoriam vsque perduxit. Sed hæc proprio digesta referentur in loco. Nunc Historiæ ordo texatur.

EXPLICIT PROOEMIVM.

A

INCIPIT LIBER PRIMVS.

De Gestis Francorum: & primò, de Troianorum dispersione.

POST triumphum victoriæ, quam Græci de excidio egerunt Troiæ, multi ciuium euersæ vrbis, qui effugere cladem potuêre necis, quaquauersum poterant sedes sibi quærere procurabant. Eorum quidam ANTENOR nomine, non infimus genere, adiuncta sibi sociorum numerosa multitudine, nauibus altum petiit mare. Tandem post magnos pelagi variósque labores, Tanais ingressi ostia fluminis, Meotides transmeantes paludes in finibus Pannoniorum castrametati sunt. Adridente autem eis locorum amœnitate, stationem inibi constituerunt suam: ædificata ciuitate, quam SICAMBRIAM vocauerunt. Post multorum verò curricula temporum contra Valentinianum, qui Romani tenebat Imperij principatum, Alanorum gens contumax rebellauit audacia perfidorum. Quos ille prælio superatos, Meotidis coëgit expetere latibula paludis. Illuc quoque eos cum exercitus multitudine insecutus, dum situ B & difficultate locorum, quo minus eis nocere posset impediretur, Troianos Sicambriam habitantes in auxilium euocat. Hos hortatur, monétque vt suis tantummodo viam pandant, per quam securos hostes & nil tale verentes inuadendo opprimant. Illi non id solùm se facturos, verùm se Alanos hinc expulsuros spondent. Imperator decennio eis tributa, si id efficiant, indulget. Troiani fiducia animati, quòd forent gnari locorum, simul & munerum promissione allecti, Alanis locorum firmitate fidentibus ex improuiso superueniunt: cædunt prosternúntque multos mortales, ceterósque in fugam actos à palude perturbant. Imperator virtutem gentis audaciámque miratus, quòd loca, quæ totius orbis victores Romani expauissent, non solùm intrare, verùm & immanissimos hostes expellere non dubitassent, Attica lingua FRANCOS, id est feroces, nuncupauit. CAP. I.

De Francorum appellatione altera opinio.

QVIDAM verò auctores referunt, quòd à FRANCIONE Rege vocati sunt Franci: dicentes quòd digressi à Troia Regem sibi Frigam nomine constituerint. Sub quo, inquiunt, eis Asiam peruagantibus, quædam ex ipsis pars inter Macedones sortem habitationis accepit. Quorum viribus aucti Macedones, quanta sub Philippo & Alexandro Regibus bella gesserunt prospera, perspicuum habetur. Porrò reliqua portio cum præfato Principe Europæ partes adiit, & inter Oceanum & Thraciam super littora Danubij consedit. Quæ duobus à se C electis Regibus, in duarum se diuisit nomina gentium. Et vna quidem natio Torchorum, à Torchoto Rege: alia verò à Francione, Francorum adepta nomen est: quæ Alanos (vt diximus) à Meotidis expulit paludibus. II.

De Francorum antequam in Galliam venerint gestis.

DECENNIO sanè exacto, misit Imperator qui consueta de gente Francorum exigerent tributa. Illi pretio sui sanguinis se eo leuatos fatentur, séque vectigal non soluturos, pro quo remittendo mortis discrimen perpessi forent. His indignatus Cæsar suorum instruit aciem, quæ & viribus foret exercita, & tantæ genti obuiam ire parata. Nec morati, obuiam eunt Franci Romanis. Pugna in manibus, nec comperendinata, quamuis vni genti aduersus plures gentes prælio decertandum foret. Franci sanè robur aliarum nationum Romanis subsidio venisse conspicati, cedendum sibi loco vtilius æstimantes, Sicambriam egressi ripas Rheni fluminis occupauerunt. Duces autem sibi MARCHOMIRVM, SVNNONEM, & GENEBAVDVM, post funus memorati Regis Francionis eligentes, plurima Germanorum oppida peruasere. Quorum quidem numerus, cùm primo digressionis suæ ab Asia tempore vix ad duodecim millia armatorum III.

æstimaretur, in tantam coaluit numerositatem: vt ipsis etiam Germanis, proceritate & virtute corporum præminentibus, formidini esset. Quos tempore Theodosij Nannius & Quintinus Magistri militum, collecto exercitu, Germania pellere molîti sunt. Quos prima quidem acie superasse sibi visi sunt. Postmodum tamen cùm maiores copias, iunctis sibi Heraclio ac Iouiniano Romanæ militiæ Principibus, ad se iuissent: commissa pugna tantam ex Romanis Franci stragem, fugatis Heraclio ac Iouiniano, ediderunt, vt cunctis in circuitu nationibus hæc audientibus terrorem suæ virtutis incuterent. Nec fuit in reliquum gens, quæ Francos iure belli sub iugo redigeret tributi. A

SANE ARBOGASTES eiusdem gentis Comes ad Romanos se contulit, & victus bello à Francis primo congressu aufugit. Postmodum tamen inita denuò pugna non paruam multitudinem manu fudit, cum residuis verò pacem firmauit: vti in vita beati Ambrosij plenius inueniri valet.

TREVERORVM vrbem Franci, factione Lucij Consularis, eodem tempore peruaserunt. Qui videlicet Lucius indignatione commotus, eò quòd cognouisset ab Auito Galliarum Augusto vxorem suam stupro maculatam, atque cauillando sibi audisset eum dicentem, quòd calidas quidem haberet thermas, sed ipse frigido lauaretur, ista perpetrauit.

De FARAMVNDO *primo Francorum Rege.* B

IV. REGEM verò, ceterarum more nationum, Franci sibi eligentes FARAMVNDVM Marchomiri filium, solio sublimant regio. Cui filius successit CHLODIO Crinitus. Illo in tempore Francorum Reges criniti habebantur. Finitimos itaque bello lacessendo, Thoringorum, qui Germaniam incolunt, fines depopulantes, castellum quoddam Disbargum nomine occupant, in quo Rex Chlodio sedem sui constituit Regni.

De Romani Imperij excidio, & Francorum incremento, sub Chlodione Rege.

V. EO in tempore Romano Imperio à ferrea firmitate in testaceam decidente fragilitatem, Burgundiones Lugdunensem, Gothi Aquitanicam peruaserant prouinciam, eáque tantum pars Galliarum Romanæ suberat ditioni, quam Rheni fluenta ac amnis Ligeris determinant. Rex autem CHLODIO angustos Regni fines dilatare cupiens, exploratores à Disbargo trans Rhenum dirigit: & ipse cum exercitu subsecutus Cameracum vrbem obtinuit: quoscumque Romanorum obuios habuit, neci tradidit.

De MEROVEO *Rege.* C

VI. POST hæc Chlodione Rege vita decedente, MEROVEVS eius affinis Regni Francorum gubernacula suscepit. Regnauit autem Chlodio per XX. annorum curricula. Qua tempestate etiam Huni Rhenum transeuntes Metis ciuitatem concremant, Treueris diripiunt, Tungrense deuastant territorium. Ita per totam Galliam sæua bellorum, exardescebant incendia. Vbique luctus, vbique dolor, & plurima mortis imago. Aurelianensem quoque adeuntes vrbem, obsidione claudunt: & ne quis tutè egrediatur, portis custodia vallatis, studioso conamine prouident. Erat tunc temporis eiusdem ciuitatis Præsul, virtute admirabilis, Anianus. Cuius meritis & orationibus immanissimas Hunorum phalanges omnipotentia Christi ita protriuit, vt quibus profugi habitent in terris hucusque sit incognitum.

De CHILDERICO *Rege.*

VII. MEROVEO autem Rege Francorum hac luce casso, CHILDERICVS filius eius solio sublimatur regio. Huius Regni primordia quibusque bonis detestanda fuere. Hic namque contra Francos primùm nequiter agens, cùm filias nobilium incesto contaminare non desisteret, Regno eiicitur. Qui expulsus, Regem Thoringorum Bissinum nomine expetiit, tutam sibi apud eum late-

CHILDERICVS.

A brám fore autumans. Nec spe sua frustratus est. Nam cuncto exilij sui tempore cum Rege conuersatus, honorificóque apud eum loco habitus est. Erat ei quidam è Francorum Proceribus familiaritatis vinculo colligatus, nomine VVinomadus. Cuius ille omnia agebat consilio, dum adhuc Regni potiretur sceptro. Hunc ergo euocans, animositatem Francorum sese Regno pellere minitantium edicit: quid facto opus sit consulit. Ille iræ eorum cedendum suadet, ne si permanendum putaret, augeret potiùs odium quàm diminueret. Humani dicens esse morem ingenij, præsentiæ alicuius inuidere, absentiæ compati. Se interim, dum ille quoquo locorum immoratur, animos gentis pertentaturum pollicetur, persuasurúmque vt cum eo in gratiam redeant. Diuidénsque aureum, sibi medium retinet, mediúmque illi confert, dicens: Suscipe mediam huius aurei partem: & « si quidem Francos tibi conciliare potuero, hoc tibi erit signum, dum hanc tibi « misero partem, & conuenire sibi vtrasque contigerit: animaduertas oportebit « eodem modo conuenientia populi studia tibi congruere. Reditum ergo ad pa- « triam accelerabis tuam, vt Regnum quo nunc priuaris recipias. Post hæc verba, « Childericus Thoringam, vt prælibatum est, petiit. Franci verò immemores iniuriarum quas Romanis intulerant, EGIDIVM Patricium, qui à Romanis tuendæ Galliæ curam susceperat, Regem sibi statuunt. Cæca mens hominum, cum sibi putare consulere, cui ipse mala non desinit irrogare. Nam quo pacto is benè B illis consultum vellet, cuius agros igne, populum gladio, vrbes vastatione protriuerunt? VVinomadus sanè versuta callens astutia, & ad quæ animum intenderat efficere satis promptus, in breui amicitiæ Egidij inhæsit. Cui ille, familiarissimum sibi æstimans amicorum, se suáque omnia credebat consilia. VVinomadus itaque, præsentiscens Francorum ei suspectam fore potentiam, cumulare & ipse verbis quibus poterat inuidiæ simultates non cessabat. Suadet ergo tributi onere eos opprimi oportere. Sed perpendens hac eos iniuria non flecti, quin vt cœperant odio Childericum, honore Egidium dignum acclamarent, Egidio sic locutus est: Ita, inquit, Francorum frangere quibis contumaciam, si aliquos potentium « gladio peremeris. Egidius id illi committit negotij. VVinomadus opportunam « nactus occasionem, quos infestiores fuisse Childerico cognouerat, criminibus insimulatos, Egidio mittit puniendos. Ille, vt reos Imperialis Maiestatis, gladio puniri iussit. Hac Regis immanitate permoti Franci, VVinomadum ab hoc consilio immunem æstimantes, querelam ei suam depromunt. Ille mirari se dicit variam eorum mutabilitatem mentium, vt de eius nunc crudelitate querantur, quem tanto ante præconio dignum iudicauissent. Simúlque hac eos oratione conuenit. Quæ, inquit, dementia vestris vesanis insedit animis, vt expulso ciue, do- « minatui vos superbi subderetis aduenæ? Sed dicturi estis infrænatam eius luxu- « riam vobis pudori fuisse. Vt quid ergo de huius feritate causamini, quem illi præ- « ferendum æstimauistis? Spreuistis Regem vestra de gente creatum, qui benignus « C natura, benignior etiam abolita potuit esse lasciuia: & elegistis tyrannum, ob hoc « vel maximè pertimescendum, quòd genus externa habeat natione deductum. « Animalia sanè ratione carentia sui potiùs quàm externi dominium expetunt ge- « neris. Solis ciconiis alieni duces placent sanguinis, quæ ventri deditæ aliarum se « tuentur periculo auium. Verùm si consiliis decreuistis parere meis, redeundum « in gratiam censeo: & placandum Principis animum expulsione offensum. Durum « certè iudico, vnius non posse perpeti luxuriam, & tantorum perferre nobilium « perditionem ciuium. His illi animati verbis, simul & atrocitate facti permoti, quo « primores Regni pessundari videbant, VVinomado dixerunt: Pœnitet nos iniu- « riarum proprio Regi illatarum: quem sicubi gentium inueniri posse sciremus, « supplices Legatos mitteremus exoratum, vt suum rediret ad Regnum. Ille con- « uenientia Regi Francorum persentiscens studia, fidelem per puerum dimidium ei dirigit aureum, cuius partem mediam abeunti dederat in signum. Legatóque hæc illi dicere iussit: Reuertere iam nunc, vt desideratus Dominus, ac vt felix vtere « Regno tuo. Qua Legatione Childericus accepta, ouans patriam repetit: & è me- « dio itineris mittit, qui VVinomado aduentum nunciet suum, & edicat vt sibi festinatò occurrat. Quod ille iunctis sibi Francorum Proceribus maturatò impleuit: & apud castrum, cui nomen Barrum est, ei occurrit. Præceperat porrò præfatus Dux Barrensibus, vt cum summo honore Regem aduenientem exciperent. Cu-

CHILDERICVS. ius ipsi præcepto parentes, honorificentissimè eum, obuiam progressi, susceperunt. Quod Rex pro omine accepit: gratantérque eorum obsequio vsus, tributum, quod Regni eius dependebant partibus, liberalitate indulsit regia. Iunctis itaque cum VVinomado viribus, Childericus indè progressus, Egidium acie superatum Regno decedere compulit. Qui expulsus Suessionem ciuitatem petiit: reliquóque quoad vixit tempore inibi deguit. Eo autem præsenti lumine casso, SIAGRIVS filius eius eandem vrbem hereditario iure possedit. A

CHILDERICVS verò cùm & manu promptus, & consiliis esset prouidus, cum Adouagrio Saxonum Rege Aurelianis pugnans victor extitit. Quem fugâ lapsum Andegauos vsque persequens, cùm eum non reperisset, ipsam vrbem oppugnans cepit. Paulum Romanarum Comitem partium interemit. Sicque Regni terminos Aurelianensem, ac demum Andegauensem vsque ciuitatem, dilatare haud segniter procurauit.

De Basinæ Thoringorum Regis vxoris ad Childericum transitu.

VIII. BASINA autem Bissini Thoringorum Regis vxor, cognoscens Childericum paternum recepisse Regnum, ad eum, priori abiecto viro, ire contendit. Dicebatur autem idem Princeps consuetudinem stupri cum ea habuisse, dum apud præfatum exularet Regem. Childericus ergo dum ab ea quæreret, qua de causa ad se venire tantoperè curasset, hoc ab ea responsum accepit. Tua, inquit, virtute & modestia cognita, expetere te decreui. Nam si vltimi in finibus orbis te vtiliorem inuenire me sperarem, nulla itineris molestia impedirer, quin eum properanter adirem. Cúmque ab ea Rex hæc accepisset responsa, immemor amicitiæ & beneficiorum ab eius viro sibi collatorum, ipso superstite, vtpote paganus, eam sibi in matrimonium adsciuit. Dum autem secreta iugalis thori superuenissent silentia, mulier virum ammonet à mutua eum debere vacare coniunctione: hortatúrque vt ante fores Palatij exeat, & quæ viderit sibi renunciet. Ille monita mulieris haud aspernanda arbitratus, dicto paret. Et, ecce, præ foribus Aulæ Regiæ videt magnarum formas bestiarum veluti deambulantium, pardorum scilicet, vnicornium, atque leonum. Perterritus itaque ad coniugem properat, rem ordine refert. Illa confidere eum imperat, & vt secundo ac tertio id faciat edicit. Reuertenti itaque Regi apparent iterum vrsorum luporúmque circumcursantium imagines. Tertio quoque egressus aspicit canum figuras, minorúmque animalium se inuicem lacerantium. Stupens igitur, visionis ignarus, stratum repetit: causam prudenti feminæ pandit, & quid ista portendant sollicitus explorator exquirit. Namque non se ab ea frustra ad hæc intuenda missum certò sciebat. Illa castè se agere virum ea nocte præmonet: cuncta se, ventura luce, declaraturam pollicens. Dum ergo aurea polum facies, rutilique iubar Solis diem decorarent, surgit mulier, maritique animum, dubia visione suspensum, hac reddidit oratione lenitum. Has, inquit, mi vir, corde pelle curas, & quæ dicam intenta percipe mente. Etenim non tantùm præsentium acta rerum, quantùm futurorum est ostensum præsagium. Nec te formas animalium, vti ante pedes vidisti positas, dignum est perpendere: sed potiùs in his posterorum mores & actus nostrorum oportet prospicias. Nostro namque qui primus surget à semine, filiique censebitur nomine, insignis erit potentiæ, quem leonis vel vnicornis conspexisti in speciem. In figura sanè lupi ac vrsi signantur ipsius posteri, virtute prævalidi, rapinæque auidi. At canis libidinis impatiens, nulliúsque virtutis, humana sine ope esse non prævalens, eorum præsagit ignauiam qui vltimis in seculis huius Regni potientur sceptris. Porrò minorum turba animalium semet inuicem lacerantium, populus est sine timore Principum: qui dum Regni Primoribus mutuo sese odio impugnantibus obsequitur attentiùs, variis sese implicat causarum tumultibus. Dúmque Proceres alterutris sese moliuntur priuare honoribus, illis ignobile vulgus fauendo patet sine numero cædibus. Hæc mihi, Domine Rex, tuæ visionis est expositio manifesta, & futuri indicatrix certa. Ita Rex postposita visionis propriæ mordaci cura, numerosa venturæ suæ prolis lætatus est se agnouisse auspicia. B C

De

A CHILDERICVS.

De Antemij Imperio, & prodigiis sub eo.

EA tempestate, Antemio Romanum gubernante Imperium, Leone Constantinopolitanum, apud Tolosam Galliæ vrbem è medio eius tota die sanguis largissimo fluxit riuo. Quod prudentes quique Gothorum, qui eadem regnabant in ciuitate, perditionem, Francorúmque dixerunt portendere dominationem. His quoque diebus Odoacer, qui Herulis aliísque nationibus, quæ Danubij ripas incolunt, imperitabat, victoria elatus, quam Feletheo Rugorum Rege bello deuicto adeptus erat, Italiam à parte Pannoniorum inuadere cogitabat. Cúmque fines Noricorum ingrederetur, colloquium cuiusdam serui Dei nomine Seuerini petiit, qui his in locis Monasterium sibi construxerat. A quo petita benedictione & impetrata, dum domum egredi vellet, & se ad limen ostij, ne caput offenderet, inclinasset, (erat enim statura procerus) hæc ab eodem viro Dei audiuit: Vade Odoacer, vilibus nunc animantium pellibus indutus, Italiæ dominus mox futurus. Qua viri Dei prophetia ille audita, Italiam ingressus, non vt debuit, sed vt voluit, cædibus ac rapinis cuncta vastauit. Antemio verò Imperatore fraude Ricimiri generi sui interempto, ipsis etiam Romanæ vrbis summis arcibus infestiùs minitare cœpit. Qua de causa Romani, & maximè Gothi, Legatos ad Leonem B Constantinopolitanum Imperatorem dirigunt: oratum vt sibi aliquis mitteretur Principum, per cuius auxilium impetum propulsarent hostium. IX.

De Theodorici Imperio.

ERAT autem quidam inter primores Imperialis Aulæ, Theodoricus nomine, vir spectatæ prudentiæ. Cuius pater Theodorus Macedoniâ genitus, cuiusdam Idatij Patricij dum esset famulus, quandam conseruam suam nomine Liliam amare cœpit ardentiùs Quod agnoscens Dominus, coniugis Eugeniæ consilio vsus, eam illi tradidit coniugem: sciens eadem de gente esse prognatam. Cuius domina, quæ se fructu ventris dolebat esse priuatam, hæc illi in mandatis dedit: vt quod prima nocte iugalis thori in somnis videret, id sibi nuntiare curaret. Ea igitur nocte, qua primum cum viro secreta petiit cubiculi silentia, videt mulier ab vmbilico sibi procedere arborem, vsque ad tecta domus excrescentem. Terrore visionis expergefacta, narrat viro visionem, simul & dominæ iussionem. Ille mirari visum, dominæque cœpit laudare præceptum. Sed timens pueri interitum, mutare iussit somnium, taléque dedit mandatum: Dum, inquit, ante dominæ veneris conspectum, & iussa fueris pandere somnium, dices vidisse te equum & equam pulcherrimos omnium obambulantes, aliúmque paruulum pone eos sequentem. Parens illa verbis viri, refert dominis ficti verba somnij. Gratulantur illi C pro auspicio nasci turi pueri, famulos libertate donant: natúmque puerum sibi adoptant in filium. Post hæc, Idatio & eius coniuge vita decedentibus, iussu Leonis Imperatoris Theodoricus castris Imperialibus miles est ascitus. Qui cùm ceteris proceritate corporis esset eminentior, fortitudine quoque membrorum, virtutéque animi erat præstantior. Vnde ipsi Imperatori multísque Senatoribus charus habebatur. Venientibus itaque supradictis Romanorum Gothorúmque Legatis, & propter quæ venerant intimantibus, Imperator Theodoricum, Patriciatus honore insignitum, ad partes direxit Italiæ tuendas. Qui euectu nauali Hesperiam ingressus, cum Odoacro ac Herulis variis successibus bella gessit. Quadam autem vice bello deuictus, Rauennam fugiens, petere est coactus. Cui mater Lilia obuiam venit, orat vt in bellum redeat. Cunctanti taliter infit: Mihi crede fili, non est tugurium quo fugiens te recipere possis, nisi alueum vestem, & eam, ex qua primam fusus es in lucem, ingrediaris domum. Quibus verbis irritatus iuuenis, pudoréque inflammatus, collecta suorum, quos ad præsens reperit, parua quidem sed robusta manu, super hostes irruit, qui securi victoriæ latè diffusi iacebant in campo. Hos ergo circumfusos sternit fugátque, ipsúmque Odoacrum capit. Quem non multò pòst occidit: omnémque Italiam à dominatione Herulorum eripuit. Sed hunc eius prosperum successum inuida mutauit fortuna. Nam (sicut fieri assolet, vt bonis virtutis augmentum, apud improbos inuidiæ det locum) X.

CHILDERICVS.

A quidam de Senatoribus apud vrbem regiam commanentes, secundis Theodorici inuidebant actibus. Quapropter derogare apud Imperatorem rebus ab eo optimè gestis conati sunt. Adeuntésque Leonem Imperatorem, eius clementissimum animum, ex sua leuitate alios existimantem, ab amore Theodorici auertere gestiebant: confingentes velle Theodoricum Hesperiæ arripere Regnum. His Imperator credulus verbis, eum ab Italia accersiuit. Cuius Theodoricus parens præceptis, cum nobilibus Gothorum ei Constantinopolim occurrit. Delatorum verò versutia Princeps deceptus, segregatum à suis Theodoricum interficere cogitabat. Sed huius machinationis technis obuiauit Ptolomeus, vir Senatorij ordinis, prouidus consiliis. Qui fidissimus amicorum Theodorici dum esset, & ab adolescentia iure amicitiæ fœderatus, nulla poterat in eius odium calliditate deflecti. Hic ergo, subdola aduersariorum persentiscens consilia, adiit Principem, » talique apud eum oratione vsus est: Romani, inquit, gloria nominis quamuis sit » bellorum sublimata triumphis, plus tamen decoris emeruit insignibus integræ fi» dei, magnificæque pietatis. Maiores quippe nostri plus se alterutrum pietate, » quàm hostes certabant vincere bellico iure. Præstantissimum quidem quòd fer» tur Scipio de Carthagine triumphasse: præstabilius verò quòd dicitur infestissimi » hostis exequiis non solùm interfuisse, verùm & funus ipsum subiectis vexisse hu» meris. Laudabile quoque Pompeium Mitridatis delesse copias, ipsúmque ad mor» tem coëgisse. Laudabilius etiam Tigranem sese dedentem, terræque ante pedes B » prostratum, ac diadema suum super genua eius ponentem, non solùm eleuasse, ve» rumetiam coronam eius capiti imposuisse, sibique consedere fecisse. Quid mira» bilem Reguli Consulis referam fidem, qui maluit inter inimicorum manus inau» ditis perire suppliciis, quàm iurisiurandi frangendo fidem, Romæ amantissimus » viuere ciuis? Non ergo suscipias, clementissime Imperator, eorum verba, qui de» cus Imperij tui perfidiæ volunt inquinare macula. Quid enim toto dicetur in orbe, » si præstantissimum Ducem tam infandissima peremeris morte? Sed placeat tibi » consilium meum: & dum Palatium intrauerit Theodoricus, custodiæ mancipetur » vinctus. Post hæc mittantur ex Senatoribus aliqui, qui hoc à tua pietate respon» sum referant Gothis: Non, inquiant, dimittetur Theodoricus, nisi se purgauerit » obiectis criminibus. Placuit sermo Principi, cunctóque Senatui. Mittitur Ptolomeus cum aliis Legatis, hæc nuntiaturus Gothis. Præmiserat sanè puerum hoc illis intimaturum, vt eum cum ceteris venientem caperent, & hæc Impera» tori mandarent: Non remittentur Senatores, nisi dominum suum receperint » Gothorum nobiles. Illi monitis sibi vtilissimis obsecundant, circumuentos Senatores in vincula coniiciunt. Qua re comperta, Cæsar feritatem gentis veritus, ne quid in suos crudele agerent consultò præcauit, & Theodoricum saluum Gothis reddidit. Ita prouido amici consilio, ad præsens de mortis liberatus est periculo. Dum verò Romam reuersus esset, varios eum contigit bellorum habere successus. Nam & Auares sæpè bello deuicit, victúsque ab eis est. Quodam C autem die, supradictos hostes prælio superatos fugientésque totis cædens viis, haud procul ab amne, cui Hister nomen est, castra constituit: & paucis suorum assumptis, speculatum hostes processit: cùm, ecce, quidam Auar, Xerses nomine, itidem tentoria Theodorici exploraturus singularis adueniebat. Quem Theodoricus solum aduentare conspicatus, tres è suis dirigit qui eum captum ociùs sibi præsentarent. Quos Auar Xerses, fugam fingens, singulatim interemit. Alios quoque tres pari modo neci tradidit. Tunc Theodoricus, sociis reformidantibus, eum aggreditur: cum quo diu multúmque decertans, tandem Xerses brachio vulneratus à Theodorico capitur, atque in castris Gothorum vinctus statuitur. Cuius virtutem supradictus Princeps admiratus, primùm blanditiis, dehinc minis, ad cohabitandum sibi cogere nitebatur. Sed dum eum nec terrore concuti, nec promissis flecti posse conspexisset, multis affectum iniuriis ad patriam redire permisit inuitus. Ille verò natatu flumen Histrum ingressus, retrò » respiciens ad Theodoricum taliter infit: Tua, inquit, exutus dominatione, meæ» que redditus libertati, ad te nunc iam meum reuertar Dominum, pollicens me » tibi fidelem fore famulum. His dictis, ripam quam reliquerat repetiit, & ditioni se Theodorici commisit. His prosperis successibus dum in Italia sæpefatus polleret Patricius, Constantinopoli apud Imperatorem inuidis detrahentium la-

CHILDERICVS.

A cerabatur relationibus. Improborum etenim mentes hominum, aliorum incommodis sua volentes augmentare commoda, bonorum benefacta virorum contrariam moliuntur vertere in partem. Denique Imperator delatorum versutiis in errorem inductus insimulationibus, furénsque animo quòd Theodoricus insidiator Regni esse ferebatur, eum iterum ad se venire mandat: habitóque cum Senatoribus mortis eius tractatu, iurisiurandi fide eos obligat, ne quis arcani sui proditor existat. Theodoricus autem Legatione Principis accepta, è vestigio ad Ptolomeum (cuius suprà meminimus) mittit puerum, vt sibi remandet, vtrum expediat Imperatoris audire præceptum. Ille dum simulat se velle responsum non reddere, pueri qui missus fuerat instantia, veterisque viri deuictus amicitia, tandem Theodorici Legato talia dat præcepta: Hodierna, inquit, die natalitio Imperatoris existente, nobísque Senatoribus cum eo pariter discumbentibus, tu vice obsequentis famuli pone stans meo adhærebis lateri: & inter conuiuandum de qua re mihi fiet sermo, ad Senatores, vel Principem, intenta curabis aure percipere, eique à quo directus es nunciare. Paret ille mandato, ac sedulus Ptolomei auditor fit in conuiuio. Tunc inter epulas & pocula, cùm Procerum mero incaluissent corda, tali eos Ptolomeus est hortatus affamine. Hic, inquiens, dies cùm sit magnificis lætus epulis, iocundus oportet fiat delectabilibus fabulis. Satisfiat ergo eorum voluntati, qui his delectantur perfrui: quandoquidem auxit

B talium auiditatem exuberans opulentia vini. Omnibus ergo hoc sermone suspensis, hæc ille dicere est orsus. Eo, inquit, in tempore, quo humanæ copia eloquentiæ cunctis inerat animantibus terræ, bestiæ saltus in vnum coiere consensum, vt sibi eligerent Regem: & quæ hominum fastidiebant dominium, haberent sui generis Imperatorem electum. His sese mutuo cohortantes verbis, adoriuntur leonem, rogántque vt earum non abnuat voluntatem. Dicunt se velle eum habere Principem, quem scirent esse consilio prudenti. Suscipit ius dominationis leo, & ab vniuersis feris solio sublimatur regio. Conueniunt frequentes ad eum salutandum, & adorant vt Dominum. Inter ceteras igitur aduenit ceruus, forma corporis egregius, ramosísque pollens cornibus. Qui dum submissa ceruice procideret adoraturus, à leone arripitur, epulum ei mox futurus. Sed ipse dolum persentiscens, fortique conamine caput excutiens, amissis cornibus siluam petiit profugus. Indignatus Imperator contemptum sui, & impatiens iræ, multa furibundus ceruo interminatur. Conqueruntur inter se feræ pro Principis iniuria: nec tamen inuenitur vlla quæ ceruum persequi audeat, hanc contumeliam vindicatura. Qui etsi videretur esse inermis, pernici tamen cursu transiliens ardui iuga montis, euaderet sine beneficio noctis. Erat inter eas vulpes, artibus callens ingeniosis. Hanc mittunt, vt ceruum callidè conueniat, & ad leonem redire faciat. Obtemperat illa iussis, ceruum adit: dicítque se eius dolori compati, &, quod sine causa talia passus sit, sibi iniustum videri. Ille è contra multa

C in leonem congerens maledicta, se, dum obsequitur, malè multatum conqueritur. Cui vulpes: Videndum, inquit, est ne quod tu iniuriæ deputas, ille amoris tui causa fecisse comprobetur. Nam dum te (vt æstimo) sibi supplicem ad suum eleuare vult osculum, tu, fortè putans morsum, eius declinasti conspectum. At ipse nunc te absentem esse dolet, de te absente sermonem agitat, in te solo eius intentio moratur. Quid plura? suadet ceruo, vt leonem adeat, ac eius se ditioni committat. Qui dum, vt ante, inclinato capite Regem adoraturus veniret, ceruice tenus vnguibus infixis à leone arripitur, & à circumstantibus feris sine morá discerpitur. Vulpes prope stans, furtim cor eius aufert & deuorat. Cor cerui quærens, & non inueniens leo, fremit graue. Tremefactæ feræ inquirunt sollicitè, quæ earum huic sit obnoxia culpæ. Suspicio erat vulpem huius esse furti ream, quòd vidissent eam ceruo proximiùs adhærentem. Inquisita vulpes, negat se consciam huius criminis. Sed, dum ei non creditur, cruciatibus addicta in hæc prorupit verba: Væ, inquit, mihi miseræ, quæ tantas pœnas patior indignè! Vt quid enim à me exquiritur, quod eum minimè habuisse certa ratione cognoscitur? Etenim si cor habuisset, profectò huc non redisset. Primò, cornibus auulsis inermis aufugit. Secundò, non dubitauit subire periculum mortis. Nullatenus ergo cor habuit, qui sibi consulere nesciuit. Hæc Ptolomeus locutus conticuit. Puer Theodorici hæc intentè auscultans, & sagaci animo dicta

CHILDERICVS. intelligens, ad Dominum suum reuersus cuncta per ordinem pandit: & cautiorem aduersus dolos insidiantium esse præmonuit. Theodoricus itaque Imperatoris iussionibus spretis, quibus Constantinopolim adire iubebatur, in Italia resedit. Denique postmodum Gothorum, qui Italiam inuaserant, Rex est effectus & Dominus. Imperij verò partibus quotannis modium terræ dependebat. Vnde rei veritatem ignorantibus, dum modium Rex Theodoricus ærariis publicis soluere diceretur, non addito cuiusquam rei vocabulo, vt puta vini aut olei, modium nummorum conferre putabatur. A

De duobus Papis, & pœna Antipapæ fautoris.

XI. EO tempore, defuncto Anastasio Papa Romano, pro eius successore fœda in Clero simul & populo erat dissensio. Quædam etenim pars in personam cuiusdam Laurentij consensum præbebat: maior verò, & (vt post patuit) saniori vtens consilio, sanctissimum sibi elegerat Symmachum. Ordinantur ergo vna die ambo; & Symmachus quidem in Basilica Constantiniana, Laurentius verò in Ecclesia sanctæ Mariæ. Sed cùm neutra pars alteri cederet, constituerunt vt lis cœpta iudicio suprà memorati Regis Theodorici finiretur. Qui Rauennæ positus, dum Legatos vtriusque partis audisset, decreuit: » Vt qui prior ordinatus esset, aut quem maior pars Cleri simul ac populi elegisset, in Sede Apostolica resideret. B Vnde Symmachus Pontifex factus, constituit Laurentium in Nucerina ciuitate Episcopum intuitu misericordiæ. Hæc autem pleniùs in gestis Pontificalibus, qui scire voluerit, inueniet. In hac verò dissensione (vt beatus scribit Papa Gregorius) sanctissimus Paschasius Ecclesiæ Romanæ Diaconus partibus fauit Laurentij. Qui dum contemptor sui, atque amator esset pauperum Christi, eleemosynarúmque sedulus dispensator, numquam tamen flecti potuit vt Symmacho communicaret: illum diligens, illum semper præferens, quem Ecclesia iusto Episcoporum iudicio sibi præesse repudiauerat. Hic ergo Paschasius dum tempore Symmachi Pontificis terminum huius esset sortitus vitæ, ad Ecclesiam est delatus mandandus sepulturæ. Cuius Dalmaticam, quæ super feretrum eius posita erat, cùm quidam dæmoniacus tetigisset, statim liberatus est. Germano autem Capuano Episcopo medici dictauerant, vt pro recuperanda salute corporis in Angulanis thermis lauari debuisset. Hic itaque easdem thermas ingressus, eundem Paschasium in eisdem caloribus stantem, & sibi obsequi paratum inuenit. Quem cùm tremefactus inquireret: Quid ibi tantus vir ageret? hoc ab eo responsum accepit: » Pro nulla, inquit, alia re in his sum deputatus caloribus, nisi quia Laurentio fauens, ei contra Symmachum nequiter agenti consensi. Porrò si pro me Domino preces dignaris fundere, in hoc te exauditum scito esse, si huc rediens me non quiueris inuenire. Episcopus sanè ad Ecclesiam regressus hostiam pro eo salutarem Domino obtulit: & ad thermas reuersus eum minimè inuenit. C

De CLODOVEI *Regis ortu & regno.*

XII. PORRO Childericus Rex Francorum ex supra memorata vxore sua habuit filium nomine CLODOVEVM. Qui, vt ætate in dies, sic & morum crescebat probitate. Hoc tempore fame valida totam penè Burgundiam opprimente, quidam ex Senatoribus, Edicius nomine, Deo & hominibus placens, studuit agere rem placitam. Missis namque pueris congregauit ad quatuor millia eorum quos famis inopia coangustabat. Hos toto egestatis tempore propriis aluit ac fouit sumptibus. Quadam itaque die, ei tam pio operi insistenti vox desuper audita est, dicens: » Quia, inquit, ô Edici, mihi in membris meis esurienti alimoniam contulisti, semini tuo panis non deerit in seculum seculi. Fidelis vtique Deus in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, fidelem famulum de præmio iusti laboris voluit esse securum. Interea Rex Childericus, dum per XXIV. annorum curricula Francorum strenuè gubernasset Regnum, ex hac vita decessit. Huic hæreditario iure successit supradictus CLODOVEVS, vir in rebus bellicis strenuus, nullíque priorum virtute secundus. Hic Siagrium Romanorum Patricium, Egidij filium, à Suessionis ciuitate expulit, eámque suæ ditioni subdidit. Exercitus sanè

CLODOVEVS I.

A Francorum multas Galliarum Ecclesias inuadens, thesauros earum diripuit. Vnde, inter cetera spolia, de Ecclesia Remensi vrceum miri ponderis simul & decoris asportauerunt. Pro quo beatus Remigius, ipsius vrbis Pontifex, Legatum ad Clodoueum direxit, multa prece deposcens, vt si non aliud recipere mereretur, saltem vrceus ille sibi redderetur. Tunc Rex Legato præcepit dicens: Sequere, inquit, me vsque Suessionis, ibi quæ capta sunt sorte missa diuidentur. Et si mihi sors iusta vas, pro quo oras, dederit, in recipiendo eo nulla tibi generabitur mora. Parens ille præcepto, iter Regis vsque ad destinatum prosecutus est locum. Quò cum peruenissent, ex Regis edicto supellex cuncta in medium defertur sorte diuidenda. Porrò Rex veritus ne fortè, sorte missa, vrceus ad alterius deueniret dominium, conuocatis Principibus hac eos alloquitur oratione: Cùm rationis ordo exposcat Principem imperare potiùs subditis quid velit, quàm prece deposcere: ego tamen, fortissimi commilitones, malo cum gratia, quàm cum austeritate, quidquam à vobis exigere. Tyrannorum quippe est, leuia quæque cum vi & feritate subiectis præcipere: bonorum verò Principum, ad grauia etiam ac difficilia toleranda, sola lenitate inuitare verborum. Regij itaque dignitas nominis pij patris debet exempla sectari, vt plus reuerentiæ sibi ex benignitate, quàm timoris exigat ex crudelitate. Rectiùs igitur duxi, mansueti animi beneuolentia id vos rogare, quod possem regia vsus auctoritate inconsultis vobis præripere. Vnde oratos vos omnes esse volo, vt vas istud (vrceum demonstrãs) vestra mihi munificentia B extra sortis meæ portionem tribuat: déque remunerationis præmio nullus vestrûm ambigat, cùm me retributorem profitear, si hoc cum bona quiuero impetrare gratia. Ad hæc Franci respondentes, Regi dixerunt. Nos, ô inclite Rex, sacramento olim tibi fidem promisisse recolimus: vtque mortem pro corporis tui salute subire parati essemus, profiteri non erubuimus. Si ergo vitam ipsam, quæ cunctis carior est opibus, tibi vouimus, quid maius erit quod iustè negemus? Sane ex his spoliis non partem, sed totum tuæ potestati cedimus. vt volueris fac. Aut mergi fluminibus, aut flammis iubeas tradi voracibus, nil ad nos attinet: tantum vt tuo satisfiat desiderio. Tam deuotam totius erga se exercitus voluntatem Rege admirante, atque laudante, vnus ex Francis, leuitate animi commotus, gladio vrceum percutiens, ad Regem dixit: Tu, inquiens, Rex hinc nihil accipies, nisi quod tibi vera sors auferre permiserit. Mirantibus ceteris, simúlque audaciam viri incusantibus, Rex molestè id se ferre dissimulans, vas supra memoratum Legato Pontificis reddidit. Emenso labentis anni circulo, idem Princeps exercitum adunari præcepit in campo qui Martius dicebatur: generale proponens edictum, vt sic adessent armati, ac si contra hostes pugnaturi. Procedit eo loco quo iussum fuerat exercitus, gestis militiæ clarus, ac armorum nitore conspicuus. Progreditur & Rex CLODOVEVS, ordinatam suorum aciem inspecturus. Circuitóque agmine, deuenit ad eum qui vrceum suo percusserat mucrone. Quem intuitus taliter alloquitur: Vniuersum, inquit, perlustrans C exercitum, te ignauiorem non reperi, nec inutiliora gerentem arma conspexi. Nam nec hasta aut clypeus, nec galea aut gladius, alicuius sunt vtilitatis. Et extensa manu franciscam eius terræ deiecit, quæ spata dicitur. Ad quam recipiendam cùm se ille inclinasset, Rex suam vagina exemit, eiúsque ceruici valido conamine illisit, dicens: Sic tu Suessionis in vrceo illo mihi fecisti. Eo itaque mortuo, Rex vnumquemque ad propria redire præcepit. Grandis propter hoc factum Francos terror inuasit, & ne quis eius voluntati in posterum contrairet coërcuit. Inerat vultui eius grauitas mixta alacritati: vt & iucunditate aspectus mulceret probos, & seueritate terreret improbos.

De Clodouei Regis procatione.

QVO ergo ordine ad matris Ecclesiæ sinum, ac Catholicæ peruenerit fidei XIII.
vnitatem, paucis edicam. Duxit vxorem ex genere Burgundionum, CHROTILDEM nomine, Christianam ab ipsis cunabulis infantiæ. Hæc tali quadam ex causa ad notitiam ipsius Regis peruenit. Miserat idem Princeps Legatos ad Gundebaldum Regem Burgundionum, serendæ pacis gratia. Qui dum Palatio immorantur, Chrotildem puellam contemplati, inquirunt quæ sit. Dictum eis

CLODOVEVS I.

est, neptem Regis esse, ex fratre progenitam. Quæ, inquiunt, parentibus orbata, stipe nunc alitur regia. Regressi itaque Legati, nuntiant perfecta esse pro quibus ierant. Inter cetera dicunt se vidisse puellam adeo forma venustam, vt cuilibet potentissimo Regi nuptui tradi posset. Quam, inquiunt, regia manantem à stirpe, patre eius hac vita carente, patruus ab ineunte nutrit ætate. Hoc audito, Rex CLODOVEVS amore capitur puellæ: sperans se ex hac occasione Regnum Burgundiæ arripere posse. Dirigit euestigiò quendam sibi familiarissimum, nomine Aurelianum, qui munera puellæ à se missa perferens, speciem eius diligentiùs contemplaretur. Huic imperat vt puellam adeat, de nuptiis voluntatem Regis ediscat: & quid animi illa super hac re habeat agnoscat. Ille præcepto parens, Burgundiæ partes ingreditur. Palatio appropinquans, socios siluis se abdere iussit. Ipse habitu mendici circumamictus, ad Aulam properat, & vt futuræ sibi Dominæ colloqui possit explorat. Tunc fortè illa ad Ecclesiam processerat, Domino vota suarum solutura precum. Erat quippe dies Dominica. Aurelianus inter ceteros pauperes præ foribus stans, egressum eius operiebatur. Expletis Missarum solemniis, egreditur puella, egenis (vt ei mos erat) eleemosynam largitura. Accedit Aurelianus, vt mendicus stipem postulaturus. Cúmque illa aureum ei porrigeret, ipse apprehensam manum eius, pallio super brachium reducto nudam ori suo osculaturus admouit. Illa pudore puellari rubore perfusa, domum repetit. Mittit continuò puellam, quæ inuentum (vt putabat) mendicum ad se deduceret. Quem coram positum taliter alloquitur: Quid tibi, ô homo, visum, vt eleemosynam accepturus, manum meam veste denudans oscula reris? Cui ille, interrogata omittens, tale dedit responsum: Dominus meus Rex Francorum, audita generositatis tuæ excellentia, desiderat te habere coniugem. Ecce anulus eius, & cetera ornamenta sponsalia. Conuersus autem vt sacculum, quem post ostium deposuerat, sumeret, oblaturus ei munera quæ detulerat, furtim ablatum esse persensit. Quæstione habita inuenitur sacculus, recipit eum vt peregrinus: munera puellæ offert, de nuptiis iam securus. Nam illa, vbi de thori copula audiuit, Legato in hæc verba respondit: Non est, inquit, fas Christianæ mulieri paganum sortiri maritum. Sed si hoc cunctorum præordinauit conditor Deus, vt ille, per me, Creatorem agnoscat suum, petita non abnuo: quinimmo omnipotentis fiat Domini iussio. Illo dicente, Regem eius desiderio per omnia assensum præbiturum, rogat illa, vt secretum apud se hoc verbum teneat, ne patruus aliquo illud pacto persentiscat. Qui fidem dans, se id nulla proferre ratione, regreditur ad Regem, quem prospero nuntio reddidit alacrem. Puella sanè eum, quem Clodoueus miserat, anulum in thesauris patrui reposuit custodiendum.

(Margin letters: A beside the first line; B beside "Mittit continuò puellam…")

De Chrotildis desponsatione.

XIV. ITERATO CLODOVEVS eundem Aurelianum ad Regem dirigit Gundebaldum, vt sponsam requirat suam, nuptiali fœdere sibi copulandam. Qui Regem adiens Burgundionum, mandata ei depromit Regis Francorum. Ille se nescire fatetur, quæ eius sit sponsa, nec se vlla posse dare responsa. Sed tibi, inquit, cauendum, ne publica affectus contumelia ex hac pellaris Aula, qui nostra aduenisti exploratum Regna. Cui Legatus: Hæc, inquam, mandat Dominus tuus, Rex noster, Clodoueus: Si vis mihi Chrotildem meam reddere sponsam, locum designa, quo eam recepturus adueniam. At ipse miratus quòd neptem suam peteret Clodoueus, conuocatis Regni Primoribus, consilium cum eis habuit quid esset facturus. Qui Francorum veriti animositatem, ne in Burgundiam pararent expeditionem, si eorum Regi memorata non traderetur puella, talia suo Principi dedêre consilia. Requirat, inquiunt, Dominus noster, quid puellæ desideret animus, & vtrum eidem Regis Francorum delatus fuerit anulus. Quòd si est, vt hæc illa velit, & fortè iam sponsalia munera suscepit, reniti non poteris: quin potius Legatis eam tradere maturabis. Burgundiones namque omnes plus consiliis quàm armis suam tutantur rempublicam. Inquisita puella, fatetur suprà memorata se suscepisse dona, Regísque copulam mente velle cupida. Gundebaldus, licèt inuitus, Clodouei eam tradidit Legatis: nihil ei de suis tribuens thesauris. Postmodum tamen, opere & industria Aureliani, pars maxima ex ipsis cessit

(Margin letter C beside "ITERATO CLODOVEVS…")

A dominio Clodouei. Vnde cùm Clodoueus Regnum suum vsque Sequanam, atque postmodum vsque Ligerim fluuios, ampliasset, Milidunum castrum eidem Aureliano, cum totius Ducatu regionis, iure beneficij concessit. Susceptam ergo sæpedictus Aurelianus Chrotildem deducere festinabat ad Regem. Quæ finibus appropians Regni sui patrui, imperat Francis qui secum erant, vt prædam capiant, incendiáque villarum in Regno Burgundiæ faciant. Nec mora, illi haud secus ac iussi fuerant perficiunt, iniectóque circumiacentibus villis incendio, auersáque præda, Burgundia egrediuntur, Francorum repetentes solum. Hoc illa cernens, dixisse fertur: Gratias tibi, inquit, summe Deus, refero, quòd initium vindictæ paternæ necis conspicio. Nam Gundebaldus Rex patrem eius infandissima peremerat morte: vt pòst in sequentibus demonstrabitur. Porrò Rex Clodoueus in Suessionis ciuitate nuptias cum magna celebrans gloria, sæpedictam Chrotildem duxit vxorem. Hæc fidelis infideli coniuncta viro, eum ad fidem perducere conabatur. At ipse id agere posse negabat, ritúmque & morem Francis assuetum se nolle deserere testabatur.

CLODOVEVS I.

De CLODOVEI *Regis ad Christi fidem conuersione.*

XV.

B CONCIPIT interea Regina puerum, natúmque perducit ad baptismum, quem vocauit INGOMIRVM. Qui in albis positus spiritum exhalans, vitæ transmissus est perpetuæ. Pro qua re Rex nimia repletus indignatione, dixit Reginæ: Quia, inquit, puer in Dei vestri baptizatus est nomine, Dij nostri illum præsenti luce fraudauerunt. Cui Regina: Gratias ago, ait, omnipotenti Deo, qui dignatus est ex meo vtero primogenitum in suum suscipere regnum. Genuit & alium filium, quem baptizatum vocauit CHLODOMIRVM. Quo ægrotante, Rex coniugem cœpit increpare, dicens: Et hic propter superstitionem vestram Deorum incurret offensam. Sed orante Regina, puero salus est restituta. Verùm Rege in infidelitate permanente, tandem (vt suprà dictum est) commouetur exercitus: bellúmque à Francis & Alamannis, totis regnorum viribus, excitur. Tunc Rex Clodoueus, signo suis dato, bellum aggredi imperat. Sed inter præliandum, suos grauiter hostium mucrone sterni conspiciens, in hanc vocem prorupit: Christe, inquit, potentissime Deus, quem Chrotildis coniunx mea colit pura mente, trophæum meæ tibi voueo fidei, tribuas si his ex hostibus triumphum victoriæ. His peroratis, Alamannos inuadit timor, Francos accendit virtutis ardor. Igitur hostes terga vertentes, victoriam Clodoueo relinquunt: ac demum Regem suum gladio cæsum conspicientes, iure tributario Francis se fore seruituros libentissimè spondent.

CLODOVEI *conuersi ad suos concio: & eiusdem baptizatio.*

C

XVI.

VICTOR Clodoueus exinde regrediens, Tullo ciuitatem deuenit: repertúmque inibi beatum Vedastum postea Adartensium * Episcopum, comitem sui asciuit itineris. Ventum dum esset Remis, cunctos suos, suorúmque casus coniugi Rex refert. Gratiæ Deo in commune referuntur: Rex credulitatem suam profitetur. Gratulabunda coniux ad sanctum Remigium Remensis vrbis Episcopum properat, fidem Regis edicit, quid facto opus sit edocet. Hortatur Antistitem ad Aulam quantocius Regis properet: dúmque animus adhuc dubia pendet sub sorte, viam ei veritatis qua ad Deum itur pandat: Vereri se, dicit, ne mens prosperis elata successibus, largitorem horum dum ignorat contemnat. Faciliùs enim pro libitu nobis attributa nostro, temporis interstitio memoriæ eximuntur, quàm si qua aliorsum ac volumus euenerint. Accelerat Pontifex monitis religiosæ parere mulieris: conspectibus sese offert Regis, iamdudum præsentiam eius opperientis. Fides ab Antistite profertur, modus credendi edocetur. Rex quoque, veritate agnita, vni se Deo famulaturum deuotus spondet. Procerum sanè Regni atque exercitus se tentaturum sententiam. Ex hac re quæ sit fatetur: quò tantò magis deuotiùs Christo ceruices subdant suas, quantò plus blanditiis quàm terroribus allici se conspexerint. Placet conditio, & ex Regis edicto fit publica populi euocatio. Conueniunt Regni Primates, nec militaris quoque manus de-

* Attrebatensem

CLODOVEVS I.

fuit. Quibus coram positis, Rex taliter infit. Franci, inquit, Troiugenæ (meminisse etenim vos nominis generísque vestri decet) quibus nunc vsque seruierimus Diis, ad memoriam reducere animos vestros virtutémque deposco. Competens namque ac vtilis visa est ratio ostendendi, primùm quorum cultui mancipati sumus: vt dum inutiles eos fore constiterit, vnius verique agnitio Dei libentiùs accipiatur. Quod tunc rectissimè fiet, si maiorum res gestæ recenseantur. Ac primùm vrbem illam Troianæ quondam gloriam gentis intueamur: quam tot (vt autumabatur) numinum præsidio cinctam, imbellis Græcorum leuitas, illis nil opis ferentibus, fraude magis quàm virtute oppressit. Et certè mœnium illius propugnacula, Deorum esse structa manu audieramus. Arci quoque simulachrorum effigies ipsis consecratæ, vt inexpugnabilis contra aduersantium maneret incursus, impositæ feruntur. Quod verò adiumentum, non dicam hominibus, verùm ipsis maceriarum præberent structuris, qui nec imaginibus opitulati sunt suis? Abiiciamus ergo eos, quos inutiles esse probauimus, cultúmque deseramus inanem. Soli verò Deo Patri, filióque eius Iesu Christo, socia sancti Spiritus virtute, mentes nostras corporáque subdamus, vnum in Trinitate & trinum in vnitate venerantes. Huiusmodi religionis vel disciplinæ patronum nostrum domnum Remigium nobis auctorem esse certum habetote. Sed & collateranea mea Chrotildis huius se esse profitetur fidei, méque huius ab omnipotentia diuinitatis, quod esset infortunium, auxilium sperare suasit. Hic planè Christus Deus in Alamannico, quod nuperrimè confecimus, bello, Alamannorum proteruam strauit contumaciam: vestrorúmque cordium incentiuo notæ virtutis excitauit audaciam. Ad rectas ergo spes animos subleuemus, humiles preces in excelsa porrigamus: eum nobis protectorem quæramus, qui in se sperantibus omnia præstat. Hæc dum Rex fide plenus perorasset, plerosque de populo flexit, vt Christo mitia subderent colla. Gaudet Sacerdos Regem nondum initiatum, iam suæ gentis esse Apostolum factum. Exornatur baptisterium: descendit Rex, veluti alter Constantinus, in sanctificatum fontis alueum. Cui cùm sanctus Pontifex modum Dominicæ Passionis recitasset, Rex ait illi: Si ego cum Francis meis inibi affuissem, eius iniurias vindicassem. Quod verò grata acceptabilisque Deo prædicti Regis fides fuit, ostensum declarauit miraculum. Nam cùm fortè qui chrisma gerebat, interclusus à populo deesset, ecce subitò non alius sine dubio quàm sanctus apparuit Spiritus, in columbæ visibili figuratus specie: qui rutilanti rostro sanctum deferens chrisma, inter manus deposuit Sacerdotis, vndas fontis sanctificantis. Fit gaudium & exultatio: baptizantur multi de populo. Deo laudes, Deo gratiæ acclamantur: & gaudens Rex ab Ecclesia ad propria regreditur. Et vt pleniùs deuotionem suæ propalaret fidei, Basilicam Deo ac principi Apostolorum, in ciuitate Parisiaca, in qua ipsius sedes erat, construi fecit. Permansítque in eo, vsque ad terminum vitæ, custodia religionis, & iustitiæ vigor.

De Clodouei expeditionibus & victoriis reliquis.

XVII. CONTRA hunc Regem ciues Viridunensis vrbis rebellauerunt. Sed dum Rex vrbem obsidione vallasset, & iam admoti arietes alta murorum pulsarent, supplicante sancto viro Euspicio, eiusdem tunc vrbis Archipresbytero, verbum impunitatis à Principe promeruerunt: & Rex ciuitatem recepit. Postea cùm Aurelianensem vrbem CLODOVEVS Rex adire disposuisset, sanctum Euspicium ac eius nepotem beatum aduocans Maximinum, iussit vt suum prosequerentur iter. Quibus & Miciacense contulit prædium: & vt ipsi ac posteri eorum illum possiderent locum, per suum firmauit Pragmaticum.

De Sancto Furseo.

XVIII. CVIVS diebus sanctus quoque Furseus in Gallias venit: & eodem concedente Rege, Monasterium quod Latiniacum dicitur ædificauit. Hic autem beatus Furseus ex Hybernia veniens, prius à Rege Saxonum Sigisberto honorificè susceptus, Cœnobium in eadem construxerat prouincia Saxoniæ. De hoc Rege Sigisberto scilicet nil aliud in antiquis reperire potuimus historiis, quàm quod

A in vita sancti Fursei legitur, excepisse hospitio eundem virum Dei. Verùm in Chronica quæ dicitur Gregorij, & putatur esse Turonensis Episcopi, refertur, quòd quidam Rex Sigisbertus filium suum Chlodericum ad Clodoueum Principem direxerit, Francorum auxilium contra Gothos laturum. Memorat etiam isdem Chronicus, eosdem, patrem videlicet cum filio, fraude Francorum esse interemptos, Regnúmque eorum ac thesauros à Francis occupatos. Sed quia Codex, in quo hæc digesta inuenimus, vitio scriptorum erat deprauatus, ad liquidum inuestigare nequiuimus, cuius gentis Rex fuerit, vel quæ iusta necis huius causa extiterit. Tantummodo narrat, Regnum eius opésque à Clodoueo peruasas.

De bello contra Gundebaldum.

XIX. GESSIT verò bellum CLODOVEVS contra Gundebaldum Regem Burgundionum, exercitúmque eius ad internecionem deleuit. Causa autem huius pugnæ fuit, quia Gundebaldus fratrem suum Chilpericum, patrem videlicet Chrotildis Reginæ, gladio interemerat, vxorémque eius, matrem suprà dictæ Reginæ, lapide ad collum ligato fluuio immergi fecerat. Ob id rogatus à coniuge Rex Clodoueus, Burgundiam cum exercitu Francorum ingressus deuastauit, Regémque ipsum Gundebaldum, longa obsidione fatigatum, tributa dare coëgit. B Godegisilus autem frater Gundebaldi ad Francos defecerat, & coniunctis cum Clodoueo viribus fratrem expugnabat. Sed opere & industria Aredij viri sapientis, qui ab Arelatensi vrbe auxilium Gundebaldo laturus aduenerat, idem Rex auro hostem repulit, quem ferro nequiuerat. Nam Clodoueus acceptis muneribus repedauit ad propria, relinquens Godegisilo in auxilium quinque millia Francorum. Porrò Gundebaldus sui iam securus, fratrem Viennæ obsidione circumdat, atque per aquæductum vrbem ingressus, multorum cæde patrata fratrem vnà interemit. Francos quoque, in quadam turri congregatos ferro trucidauit.

De bello contra Alaricum Gothorum Regem.

XX. CONTRA Alaricum etiam Regem Gothorum pugnans CLODOVEVS victor extitit. Quam pugnam ideò quàm maximè noscitur inchoasse, quia Gothi Arianæ hæresos, sicuti Burgundiones, erant: optimámque Galliarum partem, à fluuio scilicet Ligeris vsque ad Pyrenæorum iuga montium, obtinebant. Extitit & alia iusta huius pugnæ occasio. Miserat idem Clodoueus Legatum suum, nomine Paternum, ad Alaricum Regem Gothorum, vt quæ pacis essent cum eo tractaret: simul etiam vt voluntatẽ eius agnosceret, quo in loco ambos Reges sibi, pro vtriusque Regni vtilitatibus collocuturos, oporteret occurrere: & Alaricus, iuxta morem antiquorum, barbam Clodouei tangens, adoptiuus ei fieret pater. Legato adC uenienti, & propter quæ venerat intimanti, Alaricus designat locum: dicítque se colloquio non defuturum. Inquirit demum Legatus, vtrum cum paucis, an cum multitudine adueniret exercitus. Ille se fatetur, paucis assumptis, eorum expetiturum colloquium. Rursus interrogat Paternus, vtrum armati essent, an inermes. Dicit ille: Suos omnes inermes venturos, & vt itidem Franci faciant, postulaturos. His omnibus consentiens Paternus ad Dominum suum regressus, nunciat ei quæ cognouerat complacuisse Gothis. Progressus itaque Clodoueus, è Francia venit in Aquitaniam: & antequam perueniret ad locum placito destinatum, suprà memoratum dirigit Legatum, quo habitu Gothi vterentur exploraturum. Qui dum Alarico Regi colloqueretur, ferreum ostij obicem eum pro baculo manu gerere persensit, & quòd reliqui idem facerent agnouit. Apprehensáque Regis dextra, dixit ei: Quid, inquit, ô Rex, te læsit Dominus meus Clodoueus & Franci, vt nos fraude machinareris decipere? Quo negante, & causa ad iurgium vsque procedente, definitum est, vt iudicio Theodorici Gothorum Regis, cuius supra meminimus, hæc res terminaretur. Vnde ambo Reges Legatos ad eum in Italiam, vbi & regnabat, dirigunt. Qui vtriusque partis agnita causa, statuit vt Legatus Francorum ascenso equo, ante fores Palatij Regis Alarici stans, eleuatam teneret hastam manu: super quam Alaricus & Gothi eò vsque copiam iacerent nummorum argenti, quousque summitas operiretur conti. Quorum summa solidorum ad do-

CLODOVEVS I. minium deueniret Regis Francorum. Reuersi qui fuerant missi, iudicium referunt Regis Theodorici, quod cuncti laudauerunt Franci. Sed Gothi id se non posse implere dixerunt: insuper & Legatum Clodouei contumeliis affecerunt. Nam quadam nocte, dum ille in solario cuiusdam domus dormitum isset, Gothi tabulatum quod ante lectum eius erat destruxerunt; qui ad requisita dum surgeret naturæ, pede lapso corruit, brachióque contrito vix viuus euasit. Festinus itaque natale solum repetit, rei gestæ ordinem ei à quo missus fuerat pandit, flebilémque suæ querelam ærumnæ miserabiliter depromit. Rex ergo Clodoueus in talibus non esse procrastinandum ratus, simul pro iniuria Legati iræ impatiens, congregat exercitum, quem tali hortatur oratione ad pugnam: Virtutis, inquit, vestræ, ô fortissimi commilitones, securus, animositatem vestram nullius exhortationis indigam iudico: quam adeò hostes extimuerunt, vt Legatum nostrum infanda cæde perimere vellent. Ostendunt profectò, se totius iram gentis non posse perpeti, qui vnius expauerunt constantiam Legati. Hoc solum vos nosse cupio, vobis aduersum immanissimos hostes, non pro coniugibus aut liberis, non etiam pro acquirendis certamen esse diuitiis: sed potius pro inseparabili sanctæ Trinitatis vnitate, quam illi nefandissimo diuidunt errore. Ad extremum, pro diuinis simul humanísque legibus, quæ iniuriarum immunes sanciunt debere esse eos, qui mediatores hostilium efficiuntur armorum. Inter arma namque hostilia, sola legatio pacis sequestra est. Exuit hostem qui legatione fungitur. Festinemus igitur ad prælium, & de diuina profectione confisi, hostiles phalanges aggrediamur intrepidi. Hac allocutione ducis animati viri virtutis contra hostes proficiscuntur corde constanti, aut vincere aut mori parati.

De omine victoriæ, & ceruæ apparitione.

XXI. IN hoc bello diuinum illi affuisse auxilium, signa à Deo ostensa docuerunt. Nam dum Legatos munera ferentes ad sepulchrum sancti mitteret Martini, dixit eis: Ite, & à Basilica sancti Martini mihi signum victoriæ referte. Abeuntes illi dum Ecclesiam oraturi intrant, vox cantoris eorum insonuit auribus, dicens: *Præcinxisti me, Domine, virtute ad bellum, & inimicorum meorum dedisti mihi dorsa.* (Psal. 17.) Lætantes illi, oratione completa, muneribúsque oblatis, Regi signum victoriæ à Deo sibi concessum depromunt, & alacrem efficiunt. Cùm autem flumen, cui Vigenna nomen est, transire deliberaret, dum vadum non inueniret, eò quòd fluuius pluuiis auctus exundauisset, his Dominum verbis exorare cœpit: Trinitas, inquit, in personis Deus, & in maiestate vnus, mihi contra aduersarios fidei Catholicæ victoriam tribuens, facilem huius aluei concede transitum. Annuit his precibus clemens auris Omnipotentis. Cúmque illucescente die castra mouissent, ecce, cerua quædam se subitò conspectibus eorum ingessit. Illi (vt moris est Francorum, venatui scilicet insistere) prædam putantes, eam auidè insequuntur. At ipsa transito flumine vadum ostendit, ac deinceps nulli comparuit. Ita Rex cum omni exercitu transmeans, Pictauis peruenit: & haud procul à Basilica sancti Hilarij tentoria fixit. Edictóque compescuit populum qui secum aderat, ne quid in ea prouincia raperent, nec cibi quidem necessaria: cùm, ecce, medio noctis silentio, pharus ignea visa est egredi ab Ecclesia sancti Hilarij, ac super tabernaculum in quo Rex quiescebat protendit. Conserto ergo prælio, victi Gothi terga verterunt. Inter ipsas verò confertissimas acies, Clodoueus cum Alarico certamen iniit. Cúmque eum terræ prostrauisset, & qua letale vulnus infligeret rimaretur, duo Gothi eum à latere contis feriunt: sed propter loricam eum vulnerare nequiuerunt.

De THEODORICI *expeditionibus.*

XXII. REGE itaque Alarico, qui Gothos per XII. annos rexerat, hoc modo interfecto, Clodoueus filium suum THEODORICVM, cum valido exercitus supplemento, ad superiores eius dirigit Regni partes. Qui peruagata omni prouincia, Ruthenos, Cadurcósque, atque Aruernos subegit: & ad patrem victor rediit, qui tunc in Burdegalensi vrbe hiemabat. Brumali autem recedente rigo-

A re, vernalique succedente temperie, CLODOVEVS Tolosam petit. Indè thesauros Alarici auferens, ad Engolismam properat. In cuius aduentu murus vrbis diuino nutu sponte ruens, aduenienti Regi apertum præbuit iter. Qui vniuersos Gothos, quos ibi repperit, gladio interemit. Pari etiam modo per vicinas vrbes aduersarios interficiens, suósque constituens, eas sibi parere compulit. Rebus ergo cunctis ex sententia compositis, Turonis iter dirigit. Vbi dum statiuarum gratia aliquantisper moratur, Legationem suscepit Anastasij Constantinopolitani Principis, munera Epistolásque ei mittentis. In quibus videlicet Literis hoc continebatur: Quòd complacuerit sibi & Senatoribus, eum esse amicum Imperatorum, Patriciúmque Romanorum. His ille perlectis, Consulari trabea insignitus, ascenso equo, in atrio, quod inter Basilicam Sancti Martini & ciuitatem situm erat, largissima populo contulit munera. Ab illa die, CONSVL simul & AVGVSTVS meruit nuncupari. Cùm autem equum, quem inter cetera donaria sancto miserat Martino, redimere centum datis solidis decreuisset, nec ille vllo modo eum de loco mouere posset: alios centum dari præcipiens, taliter infit: Sanctus Martinus bonus in auxilio, sed carus noscitur fore in precio. Rex itaque recepto equo, pacéque per circuitum facta, Parisius regreditur.

CLODOVEVS I.

De Chararici Regis morte, & pugna Clodouei contra Ragnecharium.

XXIII.

B CHARARICVM verò Regem, qui ei quondam contra SIAGRIVM pugnaturo auxilio esse debuerat, & fide fracta se subtrahens, spectator certaminis magis esse voluerat, quàm pugnator: vt scilicet postmodum victoris sequeretur partes, Clodoueus cum filio dolo cepit: & tonderi eos faciens, patrem quidem Presbyterum, filium autem Diaconum ordinari iussit. Cúmque Chararicus causaretur pro sui humiliatione, filius ad eum: Hæ, inquit, frondes (barbam demonstrans) à summo vertice in viridi ligno decisæ citò succrescent. Vtinam & auctor huius facti tam velociter pereat! Quod verbum vbi nunciatum est Clodoueo, statim eos gladio puniri præcepit, Regnúmque eorum cum thesauris peruasit. Post hæc parauit expeditionem contra quendam Ducem, nomine RAGNECHARIVM, apud Camaracum vrbem commorantem. Quem quidem ei sanguinis affinitas coniunxerat, sed morum improbitas infestum reddebat. Nam obscœnitati & luxuriæ deditus, suis etiam omnibus erat odiosus. Adsciuerat quoque sibi quendam spectatæ (vt putabat) prudentiæ familiarem, vocabulo Faronem. Qui fallendi artifex, ita eum mente abalienauerat, vt si quid muneris quilibet ei offerret, in sumendo eo ipsum participem asciscerer: Sint, dicens, ista mihi & Consiliario meo Faroni. Hac Ducis ignauia permoti qui in eius militabant Aula, conferre secum cœperunt, qua ratione hanc à se remouerent iniuriam. Desidia enim imperantis opprobrio est subditis. Quapropter Clodoueum per internuntios sollicitant, vt gerendi aduersus eum causam belli exquirat. Mandant se, priusquàm ad manus veniatur, prælio cessuros, vinctúmque Dominum, si eis præmia conferantur, tradituros. Qui nil moratus, cum valida suorum manu contra eum proficiscitur: mittens prius proditoribus armillas æreas deauratas, cum gladiis simili modo deauratis, loco muneris. Ventum itaque est ad locum certaminis, & conscij proditionis fugâ se fingunt quærere subsidium salutis. Ragnecharius verò dum fugere nititur, à suis captus Clodoueo præsentatur vinctus. Quem ille, vt degeneris animi virum, gladio puniri iussit. Fratrem quoque eius similiter præcepit occidi: improperans ei, quòd non ferendo auxilium fratri, permisisset se & illum turpiter teneri. Pari etiam modo multos parentum suorum neci tradidit, thesaurósque eorum abstulit: ne quis remaneret, qui insidiari Regno eius vel vitæ posset. Nam fratrem Ragnecharij, RIGNEMIRVM* nomine, quem aduerterat Regni cupidiorem, missis satellitibus apud Cenomannorum vrbem vita priuari fecit. Vnde vna dierum, astantibus Regni Primoribus, dixisse fertur: Parentibus, inquit, orbatus cunctis, periculum mei pertimesco capitis: dum neminem habeam propinquum meæ custodem salutis. Quod quidam calumniæ causâ dictum æstimauerunt, si fortè quisquam prodiret, qui se Regi sanguine proximum assereret. Proditores verò Ragnecharij cognito deprauata fuisse dona, quæ acceperant proditionis gratiâ, Clodoueo querelam detulerunt. Quibus inquit Clodoueus: In-

C

* al. Ricimirum

CLODOVEVS I. grati estis beneficiis vobis collatis. Nam quantis putatis debere interire supplicijs, qui Domino suo auctores sunt mortis? Abite potiùs ad propria: sufficiátque vobis ipsa indigna, qua fruimini, vita. Illi indignationem Principis veriti, ad sua sunt habitacula reuersi. A

De sancto Seuerino, & aliis.

XXIV. HVNC Regem ferè per annum continuum febre laborantem, vir domini Seuerinus (qui in Cœnobio Agaunensium Martyrum tunc erat Abbas egregius) ab eo accersitus, saluti restituit: ac postmodum in loco, qui Castrum-Nantonis dicitur, laudabilem vitæ cursum complens migrauit ad Dominum.

AGEBAT eo in tempore curam Imperialis Maiestatis, Anastasio defuncto, Iustinus senior. In cuius Imperij partibus, in Nursia scilicet prouincia, exortus toto orbe venerandus vita & nomine BENEDICTVS: iam tunc pueriles attingens annos, à parentibus scholis liberalium deputatus artium. Romanam quoque Ecclesiam post Symmachum Hormisda suscepit regendam. Cuius temporibus, sæpè dictus Rex gloriosus Clodoueus direxit ad beati Petri limina, hortatu summi Præsulis Remigij, regiæ dignitatis auream Coronam gemmis preciosissimis insignitam. Quo facto patenter ostendit, se Deo non fore ingratum, dum ad ipsius Apostoli Sepulchrum insigne mitteret regium: sciens se à Christo solio Regni esse donatum. B Nam & Sosius Consul Romanus, capta Hierosolymorum vrbe, in Domini Templo Coronam obtulit. Sed hic munere gratior, quia fide potior. Ille etenim idolorum cultor, ast iste Catholicæ Ecclesiæ pro posse sedulus venerator. Ille quòd esset præsens, quamuis ipsi vrbi templóque infestus: verùm hic absens, Romuleæque amator domus, nec minus Basilicæ Apostoli Petri deuotus.

De terræmotu, & Clodouei transitu.

XXV. HIS etiam diebus apud Viennam Galliæ vrbem, multorum domus simul & Ecclesiæ terræmotu concussæ ceciderunt. In Paschali verò festiuitate, beatissimo Mamerto eiusdem vrbis Episcopo Missarum solemnia celebrante, Palatium Regale, quod in eadem erat ciuitate, cœlesti concrematum est igne. Lupi quoque vel vrsi siluis profugi, eidem ciuitati innumeri cœperunt esse infesti: adeò vt multorum lacerantes corpora, propria eos cogerent deserere habitacula. Vnde memoratus Sacerdos, adueniente Dominicæ Ascensionis die festo, conuocato populo præmonuit agere triduanum ieiunium, ac omnipotentis Dei exposcere suffragium. Appropinquante autem die statuto, conuenit omnis populus ad Ecclesiam cum gaudio Letanias peragens, cum triduano ieiunio. Exindè pulcherrimus in sancta vniuersali Ecclesia mos inoleuit, vt, quoquo terrarum Christi fides diffunditur, à cunctis fidelibus hæ Letaniæ cum exultatione peragantur. C

PORRO inclytus Clodoueus Rex Francorum, metas sibi attributi attingens æui, defunctus est, anno quinto postquàm Alaricum Regem Gothorum interfecerat: & in Basilica sancti Petri, quam ipse rogatu suæ coniugis fabricauerat, sepultus est. Regnauit autem annis XXX. relinquens quatuor filios Regni heredes. A transitu verò sancti Martini vsque ad transitum ipsius Clodouei Regis, computantur anni CXII.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

HIST.

A

THEODORICVS, CHLODOMIRVS, CHILDEBERTVS, CHLOTARIVS.

HISTORIÆ FRANCORVM LIBER SECVNDVS.

DE REGNI FRANCORVM INTER FILIOS CLODOVEI *partitione.*

IGITVR quatuor filij Clodouei, THEODORICVS, CHLODOMIRVS, CHILDEBERTVS, atque CHLOTARIVS, Regnum inter se æqua lance diuidunt. Et Theodoricus quidem sedem Regni sortitus est Metis, Chlodomirus Aurelianis, Chlotarius Suessionis, Childebertus Parisius, quo & pater eorum. Quo tempore sanctissimus Papa Ioannes, qui Hormisdæ successerat, Constantinopolim ad Imperatorem Iustinum est profectus, à Theodorico Gothorum Rege missus. Iustinus namque Augustus, cùm esset vir fide Catholicus, hæreticos impugnans, Ecclesias eorum Orthodoxis condonauerat, consilio memorati Papæ vsus. Quapropter Theodoricus Arrianæ existens hæreseos, eum cum aliis Catholicis viris ad Imperatorem direxit, mandans quòd nisi Arrianis Ecclesiæ redderentur, cunctum Italiæ populum gladio percutiens extingueret. Sanctus autem Antistes, vt erat languidus, iter arripiens nauigio Constantinopolim est euectus. Occurrit autem ei Augustus, & omnis ciuitatis Clerus: gaudente Principe, suscepisse se in regia ciuitate Pontificem Sedis Apostolicæ. Peroratis ergo pro quibus ierat, & impetratis, ipsi Iustino Augusto, vt Vicarius beati Petri, Imperialem imposuit coronam. Et accepta remeandi licentia, reuersus est Rauennam. Quem Theodoricus, eò quòd audierat eum ab Augusto honorificè susceptum, diutina custodia maceratum, ieiuniis, ac squalore carceris afflictum, vltimum coëgit exhalare spiritum. Qui deficiens, animam Christo martyr reddidit. Alios quoque, qui cum eo fuerant, partim igne cremauit, partim variis pœnis interfecit. Inter quos Symmachum Patricium, & Boëtium eius generum, post carceris custodiam, gladio puniri iussit. Qui videlicet Boëtius quàm disertus fuerit in literis secularibus, quamque fuerit Catholicus, ex eius comprobatur codicibus. Testatur hoc Arithmetica, necnon Dialectica, ipsa etiam omnium animis gratissima Musica ab eo translata, & Latinorum iamdudum eam desiderantium auribus delectabiliter infusa. Porrò eiusdem de sanctæ Trinitatis consubstantialitate Liber liquidò ostendit, quàm eximius suo, si licuisset, tempore sanctæ Ecclesiæ colonus extitisset. Theodoricus autem tam immanis sceleris statim pretium luit. Namque nonagesimo octauo post hoc facinus die subita morte defunctus, indignam vitam digno exitu finiuit. Cuius animam quidam solitarius, apud Liparam manens insulam, vidit inter sanctissimum Papam Ioannem & Symmachum ex consule deductam, in Vulcani demergi ollam, eo loco vicinam. Quæ ideò sic dicitur, quòd inibi mare, tanquam æneum vas, feruescat ab igne. Hoc modo periit Theodoricus, homo in suis initiis honestis pollens moribus. Romanis etenim primitus quotannis ad subsidium conferebat tritici centum viginti millia modiorum. Qui veniens ad extrema, vt ex superioribus patet, polluit omnia. Huic fuit in coniugio iuncta soror Clodouei Francorum Regis, nomine AVDEFLEDA. Suas quoque sorores aut filias Theodoricus Principibus circumpositarum sociauerat nationum. Nec erat vlla gens vicina Italiæ, cuius Rex eius esset affinitatis expers. Nunc cœptæ ordinem prosequamur Historiæ.

CAP. I.

B

C

THEODORICVS, CHLODOMIRVS, CHILDEBERTVS, CHLOTARIVS.

A

De bello inter fratres ob diuisionem Regni orto.

II. DIVISO quadrifariam, vt suprà prælibatum est, Regno, aliquantisper sæua bellorum quieuère incēdia. Dani verò, gens inquietissima, conscensis quampluribus nauibus, fines Regni THEODORICI Regis ingressi depopulantur. Contra quos supradictus Rex filium suum THEODEBERTVM cum exercitu illas ad partes direxit. Qui fugatis hostibus, captiuísque ereptis, victor reuersus est.

De Chrotildis ad Reges oratione.

III. THEODORICO itaque Rege hostilem incursum propulsante, Chrotildis Regina reliquos filios, Chlodomirum, atque Childebertum, necnon Chlotarium, aduocans, hac eos oratione alloquitur. Omnipotens, inquit, totius conditor ac rector orbis Deus paterni vos ideò voluit esse hæredes Regni, vt maternæ vos constitueret vindices iniuriæ. Quapropter, dilectissimi filij, feliciter nati, feliciùs educati, si benè quid de vobis promerui, vlciscimini (quæso) iniustam patris matrísque meæ infandissimam necem. Gaudeam, inquam, hos me enutrisse materni executores doloris, quorum ingemisco perisse auos, magni si aduiuerent auctores honoris. Neque etenim parui pendenda est vobis causa mearum querelarum, quibus contigit tantorum carere patrociniis propinquorum: quos vobis abstulit inimici atrox inuidia, priusquam huius vitæ perciperetis oblectamina. Quid verò spei sit reliquum animaduertite. Numquid parcituros putatis nepotibus, qui non pepercerunt fratribus? Et certè illos parua pro parte Regni è medio sustulerunt hominum. Vobis autem mitiores fore censetis, quibus ablatis magnorum inerit spes Regnorum. Namque si vos iustam non exegeritis vltionem, ipsi vobis infaustam inferent necem. Quòd si miseratione non moueminì mortuorum, anxios saltem meorum contemplamini affectus viscerum, qui fuerint, dum patrem gladio, matrem fluminis submersione, sororem exilij relegatione, damnari conspexi. His filij piis maternæ querelæ commoti affectibus, exercitum Francorum perualidum congregantes, Burgundiam contra Sigismundum & Godmarum, filios Gundebaldi Regis, pugnaturi ingrediuntur. B

De Sigismundi in ædificanda æde sanctorum Martyrum sancta magnificentia, & victoria.

IV. TVNC temporis Sigismundus Basilicam sanctorum Mauricij sociorúmque eius magnis extruebat impensis, in loco nuncupato Agauno.*Circa eundem quippe locum magnanimitatem suæ ostendit deuotionis, dum esset vir optimæ mentis, & sanctarum locupletator Ecclesiarum. Nam & prædiorum illi loco contulit copiam, & Clericorum ordinem psallentium constituens, sanctæ religionis Martyres propitios sibi adsciuit. Meminerat etenim se, coniugis persuasionibus deceptum, vnicum amisisse filium. Quem dum illa odio persequitur nouercali, in tantum exosum fecerat patri, vt felle commotus iuberet eum puniri gladio. Nec multò post facti pœnitentiâ ductus, secum ipse reputans quid sceleris admiserit, ad sepulchra Sanctorum recurrens sæpè, humíque prostratus, eos erga se clementissimos fore efflagitans, rogabat, vt si quid minus perfectum, diuinæque maiestati aduersum, in suis reperiretur actibus, id, eorum interuentu iustus iudex in hoc seculo potiùs quàm in futuro puniret examine. Quam petitionem ad effectum iuxta votum peruenisse constat. Audiens quippe exercitum aduenire Francorum, instruit & ipse copiosam suorum manum, atque aduersus eos pugnaturus aciem dirigit. Congressione itaque facta, Francis acriter prælliantibus, victi Burgundiones fugæ præsidio se committunt. Sigismundus verò cùm tutelam sanctorum Agaunensium Martyrum citatò expeteret cursu, à CHLODOMIRO Francorum Rege, qui eum persequebatur, captus, atque Aurelianis perductus, carceri est mancipatus. Tunc beatus Auitus, qui in territorio eiusdem vrbis Abbatis fungebatur officio, rogare Chlodomirum cœpit, ne tam excellentis nobilitatis insignísque bonitatis virum neci traderet. Quod ille audire detrectans, C

A eum in villa cui Calumpnia nomen est, perduci, ac ibidem cum filiis capite cæsum in puteum proiici iussit. De quo postmodum sublatus, atque ad Basilicam sanctorum Agaunensium deuectus Martyrum, cum digno est honore sepultus. Quem sanctorum collegio Christum Dominum annumerasse, ideò non ambiguum habetur, quòd febricitantes quique, si pro remedio animæ ipsius salutare fideliter offerre fecerunt sacrificium, continuò ab infirmitatis suæ liberantur incommodo. Auctor verò necis eius non diu lætatus est in hoc facto. Nam sequenti anno idem Chlodomirus, commoto exercitu, partes Burgundiæ deuastaturus aggreditur. Cui occurrit frater Regis defuncti: ac fraternæ necis auidus vindex, pugnam cum eo non dubitauit conferre. Sed Burgundiones, more sibi solito, animositatem Francorum non perferentes, hostibus terga nudarunt. Rex verò Chlodomirus iuuenta alacrior, armis munitus, & ipso præsentis certaminis prospero successu animatus, dum audaciùs quàm debuit hostes insequitur, pernicitate equi cui insederat vectus, agmen inimicum, sui nimium negligens, antecessit. Quem illi à suis desertum, à se verò circumuentum conspicati, telis eminus vrgere cœperunt. Sola etenim species viri, & nimis notæ atque alacris fortitudinis gloria, perturbabat hostem, ne quis propiùs feriturus auderet accedere. Qui vbi hostilibus se circumdatum cuneis vidit, nullúmque adesse suorum, in virtute sola remedium ponens salutis, conuertit equum, seséque collegit in arma. Æstuare tamen magnanimus B cœpit iuuenis, atque incertus animi ingentia pectore versare consilia. Obuiam ne eundum, an hostibus cedendum foret, aliquandiu deliberauit. Tandem aliquando inuenit ratione viam, vicitque mentem pudor: intérque confertissimos aduersi agminis viros proruens, ferro iter aperire conatus, quem primum obuiam habuit equo deiecit. Circumuentus autem, confossis lateribus vitæ terminum sortitus est. Impiger sanè iuuenis & manu prõptus, sed consilio parum prouidus: qui in secundis amorem posuerat vitæ. Fuit tamen maternæ pro posse vltor iniuriæ. Porrò Franci, Regis interitu comperto, non (vt nationes ceteræ) subsidium quæsierunt fugæ, sed ira feruente Burgundiones insecuti, cædunt, prosternúntque grauiter. Deuastatáque omni Prouincia, natiuum repetunt solum. Regnum Regis interfecti cum eius vxore, GVNDEVCA nomine, frater Chlotarius accepit. Filios verò eius, THEODOALDVM, GVNTARIVM, atque CHLODOALDVM, auia eorum Chrotildis materno suscepit nutriendos affectu.

THEODORICVS. CHLODOMIRVS. CHILDEBERTVS. CHLOTARIVS.

De Iustiniano & Belisario.

HIs ipsis apud Constantinopolim diebus, Iustino humanis rebus exempto, Iustinianus ei successit in Regno. Is autem Iustinianus, dum esset temporibus memorati Iustini sacri Scrinij Præpositus, & Belisarius Equitum Præfectus, mutuæ sibi adinuicem dextras dederant amicitiæ. Hi iurisiurandi se obligauerant C fide: Vt si quilibet eorum altioris gradus potiretur honore, socium sibi æquaret dignitate. Quadam itaque die, cum coæquæuis sibi lupanar ingressi, conspiciunt duas mulierculas ex gente Amazonum sorte captiuitatis abductas, inibi esse prostitutas. Eas illi rapiunt, atque ad proprias domos deducunt. Vni earum nomen Antonia, alia vocabatur Antonina. Et Antoniam quidem Iustinianus, Antoninam verò accepit Belisarius. Erántque ambæ sorores. Vna ergo dierum, Iustiniano meridianis horis sub dio quiescente, cùm caput in sinum suæ reclinasset amatæ, adueniens aquila alis expansis ab ardore Solis eum conabatur defendere. Intellexit mulier auspicium, quod Iustiniano portendebat Imperium: & experrectum tali voce compellat virum. Oro, inquit, amantissime iuuenis, vt dum Regni potitus fueris sceptris, non me indignam iudices gratissimæ amplexibus coniugis. Illo dicente, impossibile hoc esse, vt ipse ad culmen proueheretur Imperiale: rogat mulier, vt quod illa pro certo sciebat, ne se inexoratum ei præberet. Quo tribuente assensum, factáque commutatione anulorum, vtrinque est discessum. Sanè Belisarius, eique copulata Antonina, eadem inierunt connubij fœdera: vt, quia non dubitabat Belisarius adepturum se potioris honoris gradum, si Imperio potiretur Iustinianus, sociam sui eam adsciseeret stratis. Nec multum fluxerat temporis, cùm Imperator Iustinus expeditionem parauit aduersus Regem Persidis. Sed in ipso belli apparatu morbo præuentus, anno assumpti Imperij octauo est defunctus.

V.

THEODORICUS, CHILDEBERTUS, CHLOTARIUS.

Consensu Senatus, totiúsque simul exercitus, Augustus efficitur Iustinianus. Qui, A nihil moratus, collecto exercitu contra Barbaros est profectus. Et commissa pugna, fugatísque hostibus, Regem se eorum cepisse gauisus est. Quem in solio Regni iuxta se sedere fecit: & vt prouincias, quas Romanis eripuerat, sibi restitueret imperauit. Cui ille: Non, inquam, dabo. Ad hæc Iustinianus respondit: Daras. Pro cuius nouitate sermonis, ciuitas eo loci constructa est, cui Daras nomen est. Rex autem Persidis, licèt non voluntarius, omnia ei restituit quæ Romani fuerant iuris. Sícque in Regnum suum est redire permissus. Iustinianus quoque Augustus cum magno triumpho Constantinopolim est regressus. Tunc Antonia, eius quondam amata, sui nequaquam oblita, sumptis quinque aureis Palatium est ingressa. E quibus duos dedit ianitoribus, vt sibi pateret introitus, tres verò tenentibus cortinam, vt suam permitteretur enarrare causam. Et stans ante Principem, hunc

Psal. 98. Prou. 20. » apud eum habuit sermonem. Cùm Scriptura dicat: *Honor Regis iudicium diligit.* » Et item, *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo:* ego, clemen- » tissime Imperator, hæc dicta esse de te intelligens, fiduciam sumpsi te adeundi, ti- » bique propriæ necessitudinis causam exponendi. Est denique in hac ciuitate iuue- » nis, qui mecum permutatis anulis fidem pepigit alterni amoris, professus quòd me » sibi iungeret sub nomine legitimæ coniugis. Ob id Serenitatis tuæ præsentiam » adij, tui super hac re exposcens sententiam iudicij. Cui Imperator: Si, inquit, fi- » des est pacta, non debet fieri irrita. Quo illa audito, anulum suo detrahens digito B » ostendit Augusto: Videat, ait, Dominus meus, cuius iste fuerit anulus. Agnoscit Princeps eum quem dederat anulum, iubet eam introduci in cubiculum: ornamentísque regalibus indutam, de cetero vocari & esse Augustam. Quod factum vehementer abhorruit populus, cunctúsque Senatus: adeò vt palam clamarent, Nefariam rem fecisse Augustum, vt publicæ abiectionis scortum sibi copularet in matrimonium. Hac Cæsar exagitatus iniuria, plerosque Senatorum pertrahi iubet ad necem. Quæ res in tantum perterruit plebem, vt sibi quisque metuens, conatibus eius in posterum minimè obuiare auderet.

De Belisarij successu.

VI. POSTHÆC commilitonem suum Belisarium in Africæ promouit partes, Patricium eum constituens. Quique supradictam Antoninam, Augustæ sororem, duxit vxorem. Hunc dum Iustinianus summo complecteretur amore, magnis locupletare studebat opibus diuitiarum. Erat assiduus Imperatoris consilio, particeps quoque assumebatur in conuiuio. Sed quia semper inuidetur felicioribus, paupertatísque nullus inuenitur æmulus, immoderatéque detrahentium lacerantur morsibus affluentes opibus, multi Belisarij prosperis offendebantur successibus. Huic calumniam acerbo componunt felle, & acerbiori parant exitu. Denique Regem adeunt improbissimi homines, & inuidiam excitant, asserentes, C necem Regis ac vsurpandi Imperij potentiam à Belisario affectatam. Haud difficile Princeps impulsus est, vt credibile duceret, quod pro vero affirmabatur. Itaque priusquam sibi probaretur tentamentum aliquod flagitij parricidalis, vel mendacij suspicionem excluderet examen veritatis: suggerentibus calumniatoribus, iubet eum expugnare VVandalos. Hi sæpissimè maximas Romani exercitus vires, clarissimæque nobilitatis pessundederant Duces. Accepta hac iussione Principis, Belisarius domum repetit mœrens ac tristis. Quem vxor sua graui cernens affectum mœrore, inquirit ab eo causam offuscantis faciem eius mœstitiæ. Rogat sibi manifestari secretum, si fortè aliquid consilij valeat conferre subsidium. Cui ille. Prælij rem fore dixit, non lanificij: ideóque viros magis quàm feminas oportere » consuli. Ad hæc illa: Confido, ait, in Christo, me virilem prolaturam senten- » tiam, si huius arcani attingere quiuero scientiam. Veridicus namque est sermo

1. Cor. 7. » Apostoli dicentis: Quod saluetur vir infidelis per mulierem fidelem. Erat enim ipsa Catholica, quamuis Belisarius hæresi inuolueretur nefanda. Tunc sæpefatus Patricius paululum quid inter semetipsum deliberans, consideránsque quia & in feminis inuenitur sapientia, nec priuatur infirmior sexus rerum profundarum intelligentiâ, coniugi refert, vt VVandalos expugnaret sibi imperatum esse. Illa, muliebri abiecta imbecillitate, hac virum exhortatione ad fidem orsa est inuitare:

A Nullus, inquit, protestante sacra Scriptura, sperauit in Domino, & derelictus est ab eo: Quapropter, mi vir, suadeo tibi, relictis Hæreticorum blasphemiis, trinum & vnum Deum agnoscere, qui regnat in cœlis. Fac ergo votum Deo cœli, & eris victor melius quàm fuisti. Per ipsum namque Belisarium Imperator Iustinianus multarum sibi subiugauerat feritatem Gentium. Spondente itaque illo fidem Christi, iterum dicit ei: Nullatenus immutetur decor vultus tui, sollicitatus difficultate prælij, & pallor, qui tuam obtinuit faciem, discedat à te. Nunquid non sunt nobis duodecim millia puerorum, quos propriis alimus stipendiis: & decem & octo millia militum, quos cum Patriciatus dignitate adquisisti? Quò respondente, Etiam sunt: adiecit illa: Assumpta igitur parte militum, ad duodecim scilicet millia, puerorúmque ad quatuor millia, terrestri itinere partes aggredere Africæ. Ego verò cum reliquo exercitu, videlicet sex millibus militum, & octo millibus puerorum, nauali euectione fines petam Libyæ. Hócque nobis adinuicem erit signum, vt tui in castris copiosum accendant ignem, & nos in nauibus lumen ostendamus facibus. Quid plura? factis dicta compensantes, Africam partito petunt agmine. VVandali terrena expeditione comperta, naualis ignari agminis, ad pugnam se præparant, coniugibus ac liberis ad belli spectaculum in castris constitutis. Conserto prælio, cùm neuter exercitus alteri loco cederet, nuntius ad VVandalos venit, asserens vxores eorum & natos gladio trucidatos.

Theodoricus, Childebertus, Chlotarius.

B Antonina enim cum suis de naui in littus egressa, castra hostium peruaserat, nullúmque viuentem reliquerat, nec pueros quidem ac puellas. At VVandali pugnantes comperta suorum nece, rupta acie, dum suis timent propria neglecta salute, ad castra reuerti festinant. Quos confusè ruentes, qui castra inuaserant, obuiam facti excipiunt sternúntque, ac toto palantes persequuntur campo. Rex autem Childemerus cum duodecim tantum VVandalis fuga periculo exemptus, castellum quoddam munitissimum est ingressus. In quo à Belisario obsessus, dum nullus ei pateret exitus, rogabat memoratum Patricium, vt liber vinculis ante conspectum duceretur Imperatoris. Cui cùm spopondisset Belisarius, quòd non resti aut funibus, non etiam ferreis constringeretur nexibus, aut ligaretur mastigia: vbi se dedidit, catena vincitur argentea, Constantinopolimque in triumpho perducitur. Sed in Palatio constitutus, cùm ab Aulicis multis afficeretur iniuriis, postulauit Principem, vt concesso sibi quem primum habuerat equo, duodecim ex his qui eum colaphis sputísque incessebant, singulare cum eo inirent certamen. Ibi, inquit, & meæ probrum ignauiæ, & illorum spectare habes fortitudinem audaciæ. Imperator petita non abnuens, cum eo, pro spectaculo, duodecim iuuenibus congredi imperat. Quos ille, simulata fuga, post tergum iaciens spicula, omnes interfecit. Post hæc, ex præcepto Principis Childemerus eunuchus factus, Patricius Romanorum finium, qui Persidis prouinciæ adiacent, ordinatur. Cum Persis maxima ac prospera bella gessit, ibíque vitam

C finiuit. Sed ad ordinem reuertamur Historiæ.

De Chlotario & Childeberto.

VII. INTERFECTO, eo quo supra diximus modo, Chlodomiro natorum Chrotildis primo, reliqui eius duo filij, id est CHLOTARIVS atque CHILDEBERTVS, iterum cum exercitu Burgundiam petunt: fugatóque Rege eius Godmaro, Regnum Burgundiæ Francorum subiugauere ditioni. In hac pugna Theodoricus, quem Clodoueus ex concubina susceperat, fratribus auxilium præbere detrectauit: eò quòd filia Regis Sigismundi esset nupta illi, neptis videlicet Regis Godmari.

De Amalrico Gotho.

VIII. AMALRICVS autem, filius Alarici Regis Gothorum, cùm partem Regni paterni, quæ à Francis non fuerat peruasa, suscepisset regendam, Legatos ad Childebertum & Chlotarium direxit: rogans vt inito fœdere sororem eorum mereretur coniugem accipere. Quam illi non negantes (vt Regibus tantæ Gentis dignum erat) summo cum honore miserunt. At ille, vt erat gente & animo ferus, habere eam cœpit remissiùs, nec diligere vt Reginam, sed contumeliis dehonesta-

THEODORICVS, CHILDEBERTVS, CHLOTARIVS.

re quasi pretio emptam ancillam. Nam dum esset ipse nefanda, qua & pater suus, Arrianæ hæreseos maculatus perfidiâ, despectui eam habens quòd esset fide Catholica, eunti ad Orthodoxorum Ecclesiam multa ingerebat probra. Stercora namque in eam, vel in eius proiiciens viam, fœtoris commouebat violentiam, vt deuotam à puræ orationis studio auerteret mentem. Quibus præstricta contumeliis filia Clodouei, ad fratres cum lachrymis scribit, Epistolam mittens per quendam sibi fidelem: & causam suarum exponens iniuriarum, ad extremum intulit: » Miseremini, inquit, mei, fratres amantissimi, & mearum necessitudines indigna- » mini causarum. Vrbs Aruerna CHILDEBERTVM in finitimis suis, de fratris THEODORICI regimine ab eo vi prærepta, tenebat: cùm memorata sororis scripta ad eum peruenerunt. Indè vir militiæ peritus, non expectato fratris Chlotarij solatio, compositis ordinibus castra mouit: atque improuisus armatas acies Hispaniis infudit. Nec defuit congressioni Amalricus, terrestri naualíque pugna certare paratus. Vbi vtrique exercitui placuit in campo prælio decernere, Childebertus validior equitatu auertit hostem. Nec diutius potuerunt resistere Gothi: cùm virorum contis, & fremitu equorum conturbarentur. Conuersi igitur in diuersa alij sunt, plerique ad classem refugiebant. Ex ea quoque parte occurrêre Franci, ac vniuersos, præoccupato itinere, repellunt à mari. Ipse Amalricus fugere conatus, Ecclesiam Catholicorum cursu petebat. Tunc vnus è turma Francorum citato equo eum insecutus, hastâ cominus percussum terræ deiecit exanimatum. Cuius comperto interitu, CHILDEBERTVS post tergum iter dirigens Gothorum, Toletum vrbem, ipso terrore belli ciuibus consternatis, sine mora oppugnauit & cepit: multísque ablatis thesauris, & sorore assumpta, repedare festinabat ad propria. Sed antequam cupitas peruenirent ad sedes, soror Regis, nescio quo depressa incommodo, vita decessit. Cuius corpus in loculo positum, Parisius est delatum, ac in Basilica sancti Petri iuxta patrem humatum. Sanè in thesauris, quos Childebertus auexit ab Hispaniis, reperta sunt Ecclesiastici vtensilia ministerij, ex vasis quos dicunt fuisse Salomonis, nouem preciosissimi calices, quindecim patenæ, viginti capsæ Euangeliorum. Quæ omnia cùm solido fabricata forent auro, gemmísque ornata opere inclusorio, Rex tamen integer ab eorum cupiditate cuncta, (vt erat largissimus) diuersis tribuit Ecclesiis. Sed dum incursare studet aliena, perdidit quæ putabat sua. Nam THEODORICVS frater ipsius dolens Aruernorum vrbem ab eo sibi fuisse sublatam, eam ipse iterato inuadit: cæsísque vel fugatis, quos Childebertus ad tuendam reliquerat vrbem, MVNDERICVM, qui se propinquum Regis iactitabat, Regnúmque sibi deberi, perimi iussit, & quæ eius erant sub fiscum redigi. Hic etenim Mundericus persuasis Aruernicis ciuibus, collecta etiam rusticorum non parua manu, castrum Victuriacum contra Theodoricum peruasit. Vbi dum Rex eum obsidione cinxisset, & superare nequiret, cuidam suorum Aregisilo nomine imperat, vt dato sacramento securitatis, Mundericum à castello exire suadeat, quatenus à circumsedentibus perimi posset. Ille præcepto obtemperat, ac circumuentum hominem castro » educit: datóque in hunc modum suis signo, Quid, ait, ô populi hunc virum aspi- » citis, ac si nunquam ampliùs eum vidissetis? His illi auditis impetu in Munderi- » cum proruunt. Quod ille cernens, Aregisilum sic alloquitur: Quia, inquit, ô Are- » gisile periuriis me decepisti tuis, ex hoc tempore te viuentem nullus cernet oculis carnis. Et hæc dicens, vti pone eum stabat, lanceâ inter scapulas adacta eum terræ defixit: euaginatóque gladio hortatus socios, super hostes irruit, ac quousque spiritus vitæ in eo fuit, cædere non cessauit. Archadius quoque, qui vrbem Aruerniam Childeberto tradiderat, Bituricas aufugit. Ea vrbs tunc Childeberto parebat. Mater vero eius atque amita comprehensæ, apud Cadurcum vrbem exiliatæ sunt.

A B C

De CHLOTARII *in Thoringos expeditione.*

IX. INDE, fratre Chlotario in societatem adscito, ipse cum filio THEODEBERTO Thoringam petit. Præerat Thoringis Rex Hermenfredus, duobus suis trucidatis fratribus. Cui accesserat ex coniugio vana quædam mentis elatio, quòd ei filia Theodorici Regis Italici, ex sorore suscepta Clodouei, iure copularetur nuptiali. Hæc muliebri fastu elata, quòd regali manaret prosapiâ, fratrem mariti

A Bertharium nomine ingenti oderat crudelitate. Denique suadet viro, vt fratrem sibi æmulum vitâ priuet & Regno. Id ille nil moratus effecit, misisque lictoribus eum perimi iussit. Pari modo alium, vocabulo Baldricum, suspicione fraternæ insimulatum vindictæ, infanda damnauit morte. Hac arte Amalberga (id quippe nomen mulieri) vacuam fecit sibi Aulam Regni, dum simulat saluti se velle consulere mariti. Miser ille, qui putauerit quòd illa in eius fratribus parricidales odisset cogitationes: nec animaduerteret consortes Regni ac periculorum sublatos esse suorum. Adeo apud improbos est affectus vilis, vt citò prauis suggestionibus extorqueatur. Profectus itaque THEODORICVS in Thoringam, obuiam habuit Hermenfredum cum innumera multitudine hostium. Foderant autem Thoringi fossam, quam texerant operimento cespitum, vt aduenientium inibi debilitarentur equi Francorum. Quo cognito, Franci acriter indignati, hostes vltima labefactarunt cæde: actósque in fugam vsque Onestrudem fluuium persequuntur. Ibi etiam aduersariis resistere ausis, transitúque prohibere Francos, grauius certamen. Sed vbi se Franci ipso vsu veteri, assuetáque vincendi confirmarunt consuetudine, ordine suo nixi incursantes cædere, scutis repellere, nisu omni ac virtute inconditam multitudinem in fluuium vrgere cœperunt. Nec difficile fuit plurimos in amnem mergi, cùm haud procul à littore res gereretur. Tanta autem strages tunc de Thoringis facta fuisse fertur, vt cæsorum congerie oppleto B fluuio, Franci super interfectos in vlteriorem transirent ripam. Hermenfredus ipse cum paucis elapsus, in munimentum se contulit vrbis. Quem postea Theodoricus, fide data, Tulbiaco * ad se venire mandauit: eúmque, dum deambulatum per murum vrbis irent, & sibi alterutrum sermocinarentur, præcipitem deorsum egit. Qui ruens, comminuto cerebro exanimatus est. Ex eo quoque genitis minimè pepercit: sed eos strangulari præcipiens, vniuersas Thoringorum ciuitates Francis subiugauit, pristináque eos iussit incolere domicilia.

THEODORICVS, CHILDEBERTVS, CHLOTARIVS.

* hodie Zulich

De origine Francorum citatus diuus Hieronymus.

X.

DENIQVE Francos Thoringorum fines priùs possedisse, superior declarauit sermo. Sed & beatus Hieronymus, in Opusculo quod de vita sancti scripsit Hilarionis, asserit hanc gentem; non tam amplam quàm robustam, inter fines Saxonum quondam habitasse & Alamannorum: memorans illius nationis illustrem iuuenem ab eodem viro Dei dæmone eiecto fuisse curatum. Nec nobis oneri erit ipsius disertissimi verba ponere viri, cùm & nostram (si inserantur) honestent materiam, & gentis fortitudinem innotescant pariter & decorem. Simul etiam vt virtus Dei in gentili quoque operata homine euidenter appareat. Ait ergo diuinæ legis interpres. Candidatus Constantij Imperatoris rutilus comâ, & «
candore corporis indicans prouinciam (inter Saxones quippe ac Alamannos gens «
C eius non tam lata quàm valida, apud Historicos Germania, nunc Francia dicitur «
antiqua) ab infantia possessus à dæmone, qui noctibus eum vlulare, ingemiscere, «
fremere dentibus compellebat. Hic secretò ab Imperatore euectionem petiit, «
causam ei simpliciter indicans, & acceptis ad Consularem quoque Palestinæ Li- «
teris, cum ingenti honore ac comitatu Gazam deductus est. Qui cùm à Decurio- «
nibus loci illius quæsisset, vbi habitaret Hilarion Monachus: territi Gazenses, pu- «
tantes eum ab Imperatore missum, ad Monasterium perrexerunt: vt & honorem «
commendato exhiberent, & si quid ex præteritis iniuriis in Hilarionem esset of- «
fensæ, nouo officio deleretur. Deambulabat autem tunc senex in arenis mollibus, «
& secum de Psalmis nescio quid submurmurabat. Vidénsque tantam turbam ve- «
nientem, substitit, & resalutatis omnibus, manúque eis benedicens, post horam «
ceteros abire præcepit: illum verò cum seruis suis & apparitoribus manere. Ex «
oculis enim eius ac vultu, cur venisset, agnouerat. Statim ergo ad interrogatio- «
nem suspensus homo, vix terram pedibus tangens, & immane rugiens, Syro, quo «
interrogatus fuerat, sermone respondit. Videres de ore barbaro, & qui Francam «
tantùm ac Latinam nouerat linguam, Syra ad purum verba resonare: vt non stri- «
dor aspirationis, non idioma aliquod Palestini deesset eloquij. Confessus est ita- «
que, quo in eum modo Dæmon intrasset: & vt interpretes eius intelligerent, qui «
Græcam tantùm ac Latinam nouerant linguam, Græcè quoque eum interroga- «

THEODORICVS, CHILDEBERTVS, CHLOTARIVS.

uit. Quo similia verba eodem respondente, admirati sunt. Multas denique incantationum ei occasiones, & necessitatem magicarum obtendenti artium: Non curo, ait, quomodo intraueris, sed vt exeas in nomine Domini nostri Iesu Christi impero. Cúmque curatus esset, simplicitate rustica decem auri libras offerens, hordeaceum ab eo accepit panem: audiens, quòd qui tali cibo alerentur, aurum pro luto ducerent. Hæc dixit Hieronymus, vir in sancta Ecclesia omni laudum præconio dignus. Nos autem ad rem cœptam vertamus articulum. A

De reliquis Chlotarij & Theodorici gestis.

XI. DENIQVE dum apud Thoringam moræ fierent, Theodoricus fratri Chlotario occultas parat insidias. Expansóque in parte domus velo, armatos post illud stare iubet, qui Chlotarium ad suum venientem colloquium ex improuiso interimerent. Chlotario itaque ingredienti domum pedes apparuere detecti armatorum. Quod vbi animaduertit, suos capere arma iubet, séque præcedere. Intellexit protinus Theodoricus fratrem dolum præsensisse: & ne amplius manifestum fieret factum, loco muneris discum ei dat argenteum: gratias agens propter collatum auxilium. Nescientibus ergo suis quid actum foret, Chlotarius metatum repetiit suum. Post hæc Theodoricus cum suis questus, sine causa se suum perdidisse catinum, aduocans Theodebertum filium: Vade, ait, ad patruum tuum, & pete ab eo vas à me ei dono datum. Abiit ille, ac sine mora quod petiit impetrauit. B Chlotarius indè regrediens, Radegundim filiam Bertharij Regis secum abduxit, quæ postmodum apud Pictauam vrbem multis effulsit virtutibus.

CVM igitur (vt præfati sumus) Theodoricum atque Childebertum, quos iunxerat natura, diuideret discordia, tandem domestico fœdere ciuilium sunt sequestrata bellorum certamina. Sed quorumdam nefandorum molitionibus hominum, qui assiduis gaudent mutationibus rerum, iterum pactæ pacis violata sunt iura. Quapropter multi nobilium filij obsides vtraque ex parte qui fuerant dati, seruituti subiciuntur. Inter ceteros verò nepos beati Gregorij Lingonicæ vrbis Episcopi, dum cuiusdam barbari seruitio premeretur, à memorati Pontificis seruo Leone vocabulo, qui præparandis epulis ministerium exhibebat, subducitur, pristinæque libertati hoc ordine restituitur. Audito quippe præfatus Sacerdos eum Treueris detineri, mittit pueros, qui oblato Domino eius pretio, illum exindè abducerent. Quibus barbarus respondit: Hic, inquiens, tam præclari generis puer non dimittetur, nisi mihi decem libræ auri dentur. Illis hæc Episcopo nuntiãtibus, Leo se obtulit dicens: Permitte me, & ego per Dei auxilium puerum liberabo. Quo permittente, quæsitum ille quendam hominem rogat, vt se Domino pueri quasi proprium famulum vendat, & pretium loco beneficij in suos vsus habeat. Obaudit ille dicto, & eum duodecim aureis memorato vendidit viro. Quærit deinde detemptor à Leone, quid operis scit agere? Cui Leo: In præparandis, inquit, epulis nullus me præteriit disciplinâ artis. Imperat ergo Dominus, vt adueniente die Solis (sic enim barbari diem vocant Dominicam) tale paret conuiuium, quòd venturi ad eum amici habeant admiratum. Quod ille congregata multitudine gallorum gallinaceorum ita præparauit, vt dicerent conuiuæ se nec in mensa Regis tale quid gustasse. Gauisus dominus Leonem promptuario præficit, ac summam sui gratiam impertit. Post anni circulum cum Attalo (id quippe nomen nepotis Episcopi erat) in prato, eo quòd ille custos equorum esset, descendit. Et versis sibi inuicem dorsis, ne agnoscerentur loquentes, Attalum sic compellare cœpit: Tempus est, inquam, ô puer, vt de patria cogitemus. Hac igitur nocte dum equos è pastu reduxeris, caue ne somno graueris, sed, vt à me vocatus fueris, iter si sapis nostrum parabis. Ea forte nocte Leo generum domini ad domum redeuntem prosecutus, vina porrexit. Cui ille ioco ait: Dic, ô puer si valeas, qua nocte ad patriam reuerti destinas. Ad quem Leo item iocando, veritatem tamen effatus: Hac, inquit, nocte, si Deus permiserit. Vtinam, ait alter, me custodiant mei famuli, ne quid de domo mea auferas. Necdum itaque prima noctis quiete transacta, Leo ad Attalum properans quærit, an haberet spatam. Quo negante, ille à capite Domini sui scutum simul cum framea aufert. Sciscitantique Domino, respondit se esse, velléq; Attalum qui tanquam ebrius quiescebat suscitare, vt ad pastum equos C

THEODORICVS, CHILDEBERTVS, CHLOTARIVS.

A deducat. Illo verò non abnuente, profectus est ad Attalum: ascensísque equis, raptísque quibusdam vestibus siue ornamentis, triduò ieiuni iter peragunt. Venientes verò super Mosam, dum à quibusdam detinerentur, relictis equis super parmas fluuium transmearunt. Inuentáque arbore pruni, eius ablato fructu, inter iter agendum eo se satiant. Porrò viam ingressi Campaniæ, nocte quadam audiunt sonitum post terga currentium equorum. Tunc Leo ad puerum: Prosternamur, inquit, terræ, ne videamur. Tunc post truncum rubi se collocant, extractis tamen gladiis, vt, si necesse foret, his se defensarent. Equites verò eo loci constiterunt, spectantes donec equi vrina se leuarent. Dixitque alter ad alterum: Væ mihi, quia fugiunt hi detestabiles! Verùm si inuenirentur, vnum ex eis patibulo, alium gladiorum ictibus perderem. Erat autem qui hæc loquebatur Dominus illorum. Qui motis equis cum socio recessit à loco. Illi verò eadem nocte Remis venientes, à Presbytero Paulello per biduum recreati, ad beatum Gregorium sunt regressi. Attalus cum gaudio susceptus, Leo cum vxore ac filiis libertate, præmióque terræ donatus est.

De dolo in filios Chlodomiri.

XII.

INTEREA CHROTILDIS Regina Parisius residens, filios CHLODOMI-
B RI, nepotes suos, solerti nutriebat diligentia. Childebertus autem zelo ductus, quòd videbat Reginam maternum super eos declinasse animum, autumans deperire sibi quicquid materni affectus in illis transfundebatur, Chlotarium excitat, vt è medio hominum tollendi adolescentes occasionem quærat. Dolosáque adinuicem captantes consilia, ad matrem dirigunt, qui memoratos iuuenes ab ea susceptos ad se perduceret, asserentes velle se debitam ipsis Regni reddere portionem. Dolum Regina non præuidit: mandatóque filiorum paruit eo studiosiùs, quo adolescentulis benè esse gratulabatur consultum. Suscepit legatus iuuenes, vt eos deduceret ad Reges. Eo discedente, è vestigio venit alter, forcipes & gladium deferens. Quibus Regina visis, inquirit quid sibi ista velint. Cui veredarius: Sic, inquit, mandant filij tui, velis ne nepotes tuos tonderi, an gladio percuti? Delibera. Vnum enim eorum necesse est fieri. Quo illa audito, alta trahens à pectore suspiria ingemuit, & ait: Nunc mihi bonum est mori cum filiis meis. Mortua est pietas. Nunc profectò illud est tempus, quo si omnes sua dent consilia, huic malo remedium inueniant nullum. Nouum hoc flagitij genus est, quo patrui innocentium appetunt vitam nepotum. Doleo, fateor, parricidas generasse me filios, qui non possent parcere parentibus. Sed de illis taceo, quos iusta allegatio maternæ calamitatis exosos fecerat. Verùm in istis nullæ reperiuntur causæ offensionis, nisi quòd in Regno natis, Regísque filiis, debita inuidetur portio paternæ hereditatis. Pereunt itaque ad dolorem mihi, ad fructum illis. At quæ-
C rat quis, vt quid eos occidere velint. Cognoscat, quia ad præsens ipsis mors eorum proficiet. Miseram me, quæ ad hos fructus fœcunditatis sum reseruata, vt infelicia eis porrigerem vbera, qui mihi chara nepotum auferrent pignora. Ego, infantuli, vestræ causa sum perditionis, quæ inconsideratis persuasionibus patrem vestrum obieci periculis mortis. Satis infelix mater fueram, auia volui esse sollicitior. Videns mihi ætatem procedere, tentaui consulere post me nepotibus. atque vtinam consuluissem! Sed nunc eos mihi quidem eripit intolerabilis ærumna, quos magis magísque commendauerat natura & misericordia. Summe Deus, ne inter greges noxiorum deputes animas innocentium, nec eas sæua inferorum crucient supplicia: sed mundo supernum iter carpentibus è vestigio tranquilla æternæ vitæ succedant habitacula. His dictis, indignatione simul & compassione vox est intercepta loquentis. Verùm vbi spiritum resumpsit: Et quid, ait, aliud restat? Conditio mihi offertur, vtrum malim eos tonderi, an gladio percuti. Sed vtcunque se res habeat, nullatenus clericos fieri patiar. Hæc dixit, putans quòd pietate flexi naturæ à tanto desisterent scelere. Quamuis enim ei nota esset Chlotaij feritas, nunquam tamen credere potuit, quòd vsque ad parricidium perseueraret. At ille longè ab eius sententia aberrans, arreptum seniorem natu puerum ad terram elisit, cultellóque latus perfodiens vitâ priuauit. Quod cernens iunior, ad Childebertum se contulit: & suffusus lachrymis specie miserabili, patrui inhærens vesti-

THEODORICVS, CHILDEBERTVS, CHLOTARIVS.

giis, orare veniam, ac vt animum sibi Regis Chlotarij conciliatum redderet, obsecrare. Motus ille miseratione fratrem deprecabatur, vt naturæ contemplatione molliret iram, nepotique parceret, supra iram constituens ius naturæ. Promittebat etiam, se pro huius rei vicissitudine beneficium quod ipse vellet recompensare. Cui frater: Dum tu, inquit, huius facti minister existis, vt quid misereri velle te simulas? Quin potiùs puerum à te expelle, aut pro eo morere. Veritus Childebertus verba fratris, nec eius valens, immo nolens, contraire voluntati, puerum à se repulit. Quem Chlotarius eo, quo fratrem eius, interemit modo. Reliquus qui supererat è fratribus, vitæ potiùs ac saluti quàm Regno intentus, prompta fidissimorum sibi famulorum ope vsus, fugâ se exemit periculo. Ei nomen Chlodoaldo. Qui postea Clericus factus, Presbyterque ordinatus, dignè est conuersatus. Et vitæ finem sortitus, Nouiento villa territorij Parisiacæ vrbis sepultus, multis miraculorum signis cœlo se viuere declarat. Chlotarius autem, nutriciis puerorum pariter neci traditis, ascenso equo, ab eo recessit loco vnà cum suis. Tunc Chrotildis Regina ablata nepotum corpuscula condiens aromatibus, in sancti Petri Basilica fecit humare.

De Longobardorum origine & gestis.

XIII. THEODORICVS autem THEODEBERTO filio suo despondit vxorem vocabulo VVISEGARDAM filiam VVaconis Regis Longobardorum. B Hic locus nos admonet, intermissa paululum cœptæ rei serie, exordium nos huius pandere gentis, & præterita retrò tempora retractando repetere: maximè cùm præclara quædam Francorum gesta in Historia contineantur Longobardorum. VVinili igitur, qui & Longobardi, ab insula Germaniæ, quæ Scandinauia dicitur, egressi, Ibor ac Aione Ducibus, regionem quæ Scoringua dicitur quasi habitaturi sunt ingressi. De qua propter victus penuriam exire compulsi, transierunt in Mauringua. Vnde progressi habitauerunt in Gollanda. Mortuísque Ducibus, Regem sibi Agelmundum filium Aionis Ducis statuerunt, qui per triginta & trium curricula annorum illis præfuit. Cui successit Lamissio. Lamissioni quoque Lethu. Post Lethu regnauit Hildehoc. Quo defuncto, quintus Gudehoc Regnum suscepit. Deinde post pugnam, quam inter Odoacrem & Feletheum fuisse superiori commemorauimus Libello, profecti Longobardi de Gollanda peruenerunt in Rugiland, quæ Latinè Rugorum patria dicitur. Nam *Land* linguâ Germanorum, patria dicitur verbo Latinorum. Exempto autem humanis rebus Gudehoc, successit ei filius Claffo. Decedente quoque Claffone, Tato Regnum tenuit. Quo tempore Longobardi relicta Rugorum patria venerunt in campis patentibus, qui sermone barbarico *Felth* appellantur. manserúntque ibi. Quo dum demorantur, Radulfus Rex Herulorum fœdus quod cum Tatone pepigerat irrumpens, eo quòd compererat fratrem suum germanum à filia Tatonis nefandissimè interemptum, bellum ei intulit. C Sed ipse cum suis à Longobardis superatus, vitâ pariter & Regno est priuatus. Tanta autem consternatio, ac (vt veriùs dicam) mentium alienatio eius inuasit exercitum, vt virides segetes, lini campos, flumina crederent. Dúmque brachia quasi nataturi extenderent, à superuenientibus sine difficultate cædebantur hostibus. Irruit autem super Tattonem VVacho filius fratris sui: interfectóque eo, ipse iam octauus super Longobardos Regnum tenuit. Huius filiam (vt prædictum est) Theodoricus filio suo Theodeberto despondit. Quam ille post mortem patris relinquens, DEVTHERIAM Romani generis feminam hac de causa duxit vxorem. Dum Gothi, post mortem Clodouei, multa de his quæ ipse eis abstulerat, peruasissent: Theodoricus Theodebertum filium suum ad ea recuperanda direxit. Qui ad vrbem Bituris * accedens, Legatos ad castrum Caprariam, vt sibi ciues aperiant, dirigit. Deutheria verò mulier nobilis & sapiens, cuius vir ad prædictam vrbem propter hostilem transierat incursum, Theodeberto mandauit, quòd veniens cum pace susciperetur. Quo aduentante, illa ei obuiam est progressa. Cuius specie Rex captus, suo eam coniunxit stratu.

* al. Biteris

THEODORICVS, CHILDIBERTVS, CHLOTARIVS. XIV.

A

De Theodorico, & Theodeberto.

IN diebus illis Theodoricus Sigiualdum parentem suum occidens gladio, clam mandauit Theodeberto, vt filium eius, qui vna cum eo ierat, interimeret. Sed ille, eo quòd illum de sacro fonte leuasset, ostensis paternis Literis fugam suasit, donec post mortem patris ipso regnante ad eum reuerteretur. Qui fugiens, apud Latium latuit. Post hæc nuntiatur Theodeberto, patrem grauiter ægrotare. Qui postpositis ceteris rebus eò tendit, Deutheria Aruerno relicta. THEODORICVS enim, cùm iam viginti quatuor annis Regnum tenuisset, vitâ decedens, THEODEBERTO filio sedem sui reliquit Regni. Qui mansuetus cunctis atque modestus, iustitiæ quoque fuit cultor egregius. Consurgentes verò Childebertus atque Chlotarius, eum Regno pellere conati sunt. Quos demulcens ille, Regnum sagaciter recepit. Missóque nuntio, Deutheriam ab Aruerno euocans, sibi eam in matrimonium copulauit. Cernens Childebertus quòd eum vi sibi subdere nequiret, amicitia sibi necti commodius duxit. Accersitúmque triplicibus ex omni supellectili sua ornamentis donauit. Giualdus autem Sigiualdi filius, audiens Theodebertum loco patris regnare, ad eum rediit. Quem Rex deosculans, cunctas ei paternas restituit hereditates: data ei tertia ex omnibus quæ à patruo
B acceperat muneribus parte. Verùm Deutheria cernens filiam suam, quam ex priori susceperat viro, valdè adultam, verita ne à Rege concupisceretur, vehiculo impositam, indomitísque bobus tractam, apud Virdunum de ponte in Mosam præcipitari iussit. Erat porrò Theodebertus Rex egregiè moratus. Agnoscens verò quòd Deutheria suam (vt prædictum est) interemisset filiam, repudiata ipsa, VVisegardam iterum sibi sociauit.

THEODEBERTVS.

De Belisarij reliquis successibus.

PORRO Belisarius post inclytum, quem de VVandalis (vt suprà diximus) apud Constantinopolim egit triumphum, intimus amicorum Iustiniani Principis habebatur. Et adstipulante prioris societatis prærogatiua, cùm inter primos secretorum arbitros ipse primus accerseretur, multorum contra se inuidorum excitauit corda. Qui dolentes vberiore illum pollere potentia, sibique deputantes officere in quo ille proficeret, quasi salutis Cæsaris solliciti, crebro ei denuntiabant: Ab insidiis Belisarij fore cauendum. Quem nisi ipsi simulatione fidelioris « consilij reuocauissent, iamdudum Belisarij gladio interfectum Iustinianum, Re- « gnúmque indigno hæredi vacuefactum. His atque huiusmodi regiorum satelli- « tum, seu etiam primorum Palatij, sermonibus Augustus per inuidiam paulatim accendebatur. Et suspectam habens Belisarij potentiam, Patriciatus ei interdixit
C curam. Qui publicis expeditus actionibus, securam deliberans in reliquum agere vitam, priuatas incolebat ædes. Sed, quia difficile est in prosperis inuidiâ carere, iterum zelus, iterum orta insimulatio. quia vltra quàm priuatis mos est sese agebat. Duodecim namque millibus puerorum vallatus, quocumque eundum foret, progrediebatur. Fuêre nonnulli, qui vitam quoque ipsam ereptum ei ire vellent. Verùm cùm Imperatoris mentem ad suam nequirent inflectere sententiam, ipsum dignitate regia priuare moliti sunt. Opportunámque nacti occasionem, procedentem ad circi spectaculum Principem, priuata detentum custodia, corona spoliant simúlque veste purpurea. Deductúmque ad medium theatri quendam Florianum in solio sedere faciunt regio. Iustinianus autem tali dehonestamento affectus, ad Belisarium misit qui dicerent: Hæc mandat Iustinianus Cæsar quon- « dam & Augustus. Immemor, inquit, iniuriarum, mi Belisari, factus moderna- « tum, ad memoriam quæso reduc pristina beneficia: & si quid præuales, adiuua « me. Ad hæc Belisarius ita respondit: Si, ait, auita mihi suppeditaret potentia, fer- « rem poscenti suffragia. Nunc autem incassum fundit preces, cùm mei præsentia « consulares viduauerit fasces. Verumtamen Christi Domini mei parens præcepto, « non referens mala pro malo, auxilium illi laturus accingar vt potero. Et simul, « his dictis, ad conspectum properat noui Principis, cunctis vt se sequerentur suis præcipiens pueris. Et pro foribus theatri stans, conspexit eminus turbam se odien-

XV.

CHILDEBERTVS, CHLOTARIVS, THEODEBERTVS.

tium cathedræ Imperatoris Floriani circumsistere. Conuersus igitur ad eos qui secum erant: En, inquit, fidissimi milites, adest omnibus votis expectata dies, ad capessendam vltionem ex inimicis. Vallatus est Tyrannus caterua malignantium, qui se ei sociauerunt, freti improbitate morum. Nec dubitandum pari eos debere perire interitu, quos æquales reddidit malitiæ causa. Armate itaque dexteras » vindices, & quod me videritis facere, vos quoque facite. Posthæc introgressus, dum veluti adoraturus genu flecteret, euaginato ense falsi Principis caput amputauit. Quod cernentes qui cum eo venerant, districtis gladiis circumstantes fortiter ferire cœperunt. Turbati hi qui priùs de permutatione dominationis sibi applaudebant, fugæ potiùs quàm defensionis auxilium quæsiuerunt. Caput Floriani, cum corona Regni, Belisarius sustulit: veniénsque ad Iustinianum taliter ei » locutus est. Æmuli, inquit, meæ tuæque salutis seminarium discordiæ inter nos » ideò quàm maximè seuisse visi sunt, vt & me exortem honoris redderent, & te mei » præsentia destitutum contumeliis, vti nunc palam cernitur, afficerent. Attamen » ego his, quæ aduersariis suggerentibus contra me egisse cognosceris, posthabitis, » gratiam Imperij lucísque rependo, quam illi ereptum ire voluerant. Recolénsque » priora erga me beneficia tua, hoc te nunc dignor munere. His dictis, diadema Regni eius imposuit capiti. Iustinianus hoc modo Imperio restitutus, sæpefatum Belisarium iterato Patricium ordinans, aduersum Gothos, qui Italiam inhabitantes Romanos grauiter armis premebant, dirigit. A B

De diuo Benedicto.

XVI. HIs diebus beatissimus BENEDICTVS Pater & priùs in loco, qui Sublacus dicitur (qui ab vrbe Roma quadraginta millibus abest) & postea in castro Cassino, quod Haruin appellatur, & magnæ vitæ meritis, & Apostolicis effulsit virtutibus. Quo etiam tempore sanctissimus Agapitus Romanæ Sedis Pontifex, ad regiam vrbem profectus, Iustinianum Principem in Euthicis sectam delapsum, ad veram & Catholicam reduxit fidem. Damnatóque Anthimo Patriarcha Constantinopolitano, non multò post idem Papa apud eandem vrbem diem obiit. Cui successit in Pontificatu Syluerius. Hic leuatus est à tyranno Theodoro, qui apud Gothos Regnum arripuerat, sine deliberatione decreti Imperialis. Qui corruptus pecuniâ talem timorem induxit Clero, vt qui non consentiret, gladio puniretur. Post menses duos nutu diuino extinguitur Theodorus: & eleuatur VVithigis Rex. Tunc veniens Belisarius Patricius in partes Siciliæ, audiuit quòd Gothi fecissent sibi Regem: & indè per Campaniam properauit Neapolim: quam obsidere cœpit, quia ciues Neapolitani noluerunt aperire ei. Qui pugnando ciuitatem introiuit: & Gothos, quoscunque obuios habuit, neci tradidit. Factóque maximo bello contra VVithigem, ingressus est vrbem Romam, & ciuitatem muniuit. Tunc recolligens VVithigis multitudinem Gothorum, vno anno ita obsedit vrbem Romam, vt nulli esset facultas egrediendi vel ingrediendi. Verùm intra ciuitatem fame opprimente populum, adeò vt aqua vænundaretur pretio, pugnæ tamen maximæ fiebant à Belisario defendente Romanos, vel ciuitatem, aduersus Gothos: quos etiam Rauennam fugâ petere postmodum compulit. C

De Vigilij Diaconi conatibus.

XVII. TVNC Vigilius Diaconus, qui apud Constantinopolim erat Apocrisiarius, animaduertit displicere Augusto & Augustæ damnationem Anthimi Patriarchæ Constantinopolitani. Et volens sibi apud Dominos rerum parare gratiam, persuasit Augustæ, vt mitteret ad Syluerium Pontificem Literas hoc mo- » do scriptas. *Aut ad nos*, inquit, *ne pigriteris venire*, *aut certè scriptis tuis reuoca* » *Anthimum in locum suum*. Quibus beatus Syluerius perlectis ingemuit: & in hæc verba Imperatrici rescripsit. *Licèt hæc causa finem temporali meæ inferat vitæ*, *ego tamen*, *Augusta dominà*, *rem hanc nunquam faciam*, *vt reuocem hominem in damnata permanentem perfidia*. Hac de re indignata Augusta, mittit Vigilium ad Belisarium, præcipiens vt inuenta occasione Syluerium in exilium ageret, Vigiliumque Pontificem constitueret, qui se reuocaturum Anthimum repromiserat. Huius

CHILDEBERTVS, CHLOTARIVS, THEODEBERTVS.

A ius præcepti tenorem suscipiens Belisarius: Ego, inquit, voluntati Principum contraire non audens, licèt inuitus iussionem adimpleo. Sed huius machinator sceleris iram non effugiet iudicis cuncta cernentis. Subornatis itaque testibus, qui dicerent domnum Papam Gothis ciuitatem simúlque Patricium tradere voluisse, iussus est præsentare se ad audientiam in Palatium Principis. Et ingredientem cum solo Vigilio Antonina Patricia sic alloquitur: « Dic, domne Siluerí, quid fecimus, vt nos tradere in manus Gothorum velles? » Adhuc ea loquente, ingressus Ioannes Subdiaconus Regionarius primæ Sedis, tulit pallium de collo eius, induítque veste monastica. Qui apud Pontiam insulam in exilium relegatus, inibi Confessor vitâ decessit. Vigilius verò in Pontificali Sede resedit. Iterato Belisarius cum VVithige Rege Gothorum dimicans, exercitum eius maxima cæde labefactauit, ipsúmque captum Constantinopolim triumphans perduxit.

De CHILDEBERTO *Rege, & beato Germano Episcopo.*

XVIII.

VERVM CHILDEBERTVS Rex Francorum, ascito in auxilium Theodeberto, Theodorici filio, nepote suo, aduersus Chlotarium fratrem suum pugnaturus ire disposuit. Nuntius ad Chrotildem matrem supradictorum properat Regum (quæ tunc Parisius morabatur) asserens vtrosque germanos fratres in B mutuam perniciem exercitus adunare multitudinem. Quo comperto, mater filiorum condolens nequitiæ, materni affectus præstricta necessitudine, ad sepulchrum sancti Martini properat, & lachrymarum effundens flumina, orationem fudit ad Dominum in hæc verba: « O bone, inquit, Iesu, qui discordes elementorum cursus fœdere sancto consocias, tu fratres, malo discordiæ temerantes iura naturæ, in vnitatem pacis redire concede. Nec mihi obsit, quòd tales genui vel etiam educaui, qui ignorent fratres, & affectus nesciant propinquorum. Interemerint patruos, iugulauerint nepotes: non tamen eo vsque fore processuros existimaui, vt quod nati sunt obliuiscerentur. Tu modo, omnipotens Pater, qui naturæ auctor atque arbiter es, honestum inter germanos compone pactum: tu perturbatores pacis potentiæ tuæ virtute deterre. » Has illam preces pro natorum salute fundentem audiuit Omnipotens, cœlíque à parte serena intonuit. Nam Chlotarius periculosum ratus aduersum duorum potentum Regum copias prælio decernere, confugium in Aureliano pago, in loco qui Combros dicitur, fecit: donec aut animus erga se fratrum tranquillior, aut sibi ad resistendum virtus numerosiore suorum manu, qui iam iámque affuturi credebantur, esset paratior. Maior autem spes eius in Christi Domini virtute consistebat. Cùm ecce subitò in loco, quo aduersarij castra fixerant, matutino sub tempore audita sunt tonitrua mugire, imbres ruere. Fulgura verò per procellas deiecta tentoria rupêre, equósque eorum in diuersa egerunt. Porrò militaris manus solis contra violentiam imbrium con- C tecta clypeis, misericordiam Domini efflagitatura humi prosternitur, vtque moderatiori quàm merebantur vindictæ pœna ferirentur exorant. Quódque admirabilius est, in castris Chlotarij nec spiritus flauit venti, nec pluuiæ cecidit gutta, nec vlla prorsus coruscationis apparuerunt signa. Tum demum qui venerant exterminatum, Legatos miserunt ad Chlotarium, qui pacem peterent, fœdúsque perpetuum inirent. Quod ille volens concessit, & ex vtriusque exercitus consensu vtrinque discessum. Ita precibus Deo deuotissimæ mulieris, matris videlicet suæ, ab imminenti piaculo simul & interitu fratres erepti, immane facinus quod mente conceperant explere permissi non sunt. Fuere plerique læti, quibus placebat concordia germanitatis.

De reliquis Childeberti gestis.

XIX.

CHILDEBERTVS autem Rex, qui anterioribus (vt superiùs declaratum est) annis Hispaniam ingressus Toletum vrbem ceperat, Chlotarium fratrem suum, cum quo fœdus firmauerat, sollicitauit in adiumentum sui: quo, eius fretus societate, eandem prouinciam sibi subacturus aggrederetur. Quo cum valido exercitus aduentante supplemento, viribus coniunctis, Cæsaraugustam vsque accesserunt. A cuius vrbis ingressu prohibiti, obsidionem adoriuntur. Et re-

CHILDEBERTVS, CHLOTARIVS, THEODEBERTVS.

sistentibus oppidanis, cùm summa vi vtrinque decerneretur, tandem Hispani, ipsa obsidionis dispositione & Francorum feroci perterriti animositate, animos à prælio reuocauerunt: ac tota mentis intentione ad Christi misericordiam implorandam conuersi, assumptis crucibus cum Letania murum obambulantes circuire cœperunt. Quod Reges cernentes, aliquod maleficium eos exercere suspicati sunt: captúmque quendam ex rusticis sollicitiùs interrogant, cuius Religionis habitatores ciuitatis essent, aut quid vrbem circumeundo præcantationis agerent? » Quibus ille: Ciues, ait, Christiani sunt. nunc vt sui misereatur Dominus, exo- » rant. Cui Reges: Vade, inquiunt, dic Episcopo vrbis, vt ad nos nihil hæsitans » veniat. Quem aduenientem Childebertus taliter alloquitur: Christianæ, inquit, » Religionis ac vnius veri Dei vos agnoscentes esse cultores, parcere vobis decreui- » mus, si assensum nostræ petitioni tu, qui Antistitis in hoc loco fungeris officio, » præbens, nobis sancti Vincentij reliquias contuleris, qui in hac vrbe, vt multo- » rum sinceritas & signata veritatis verba testantur, eximius Leuita enituit. Pontifex nil moratus, eiusdem inclyti Leuitæ ac Martyris stolam Regibus offert. Quam illi condigno honore suscipientes, obsidionem iuxta promissum soluunt. Et deuastata omni prouincia, cum spoliis & ingenti præda natiuum repetunt solum. A

De Gothorum Regum à suis nece, & Childeberti Francorum Regis gestis. B

XX. POST Amalricum autem, Theodus Hispanias tenuit. Quo interfecto, Theudegilus successit. Hic dum inter cœnandum alacritate vltra solitum vtitur, extinctis cereis à suis occiditur, & Agila Regnum arripuit. Gothi verò iam olim vitium hoc in consuetudinem verterunt, vt dum eis Rex proprius displicuerit, à suis interimatur. Verùm Childebertus acceptam beati Vincentij stolam Parisius defert, ædificatámque solo tenus Basilicam nomini eiusdem sancti Leuitæ ac Martyris dedicari fecit. In qua non minimam vasorum partem, quæ eum à Toleto asportasse suprà memorauimus, cum capsis Euangeliorum, cruces quoque mirifici operis, aliáque deuotus excellentissima contulit munera.

De Theodeberti in Italiam expeditione.

XXI. CHILDEBERTO itaque cum fratre Chlotario Hispaniæ partes aggrediente, THEODEBERTVS Theodorici Regis filius, memoratorum nepos Regum, in Italiam cum maximo suorum equitatu contendit: eámque ab Alpibus vsque ad maritimorum confinia locorum peruagatus, tributariam effecit. Et ad propria reditum maturans, Bucellenum Ducem ad peruadendam Siciliam & reliqua Italiæ finitima reliquit. Qui Tyrrheno mari transfretato, Siciliam maxima ex parte subegit: castráque vel vrbes Italiæ peruadens, ex subiugatarum præda nationum xenia Theodeberto mittebat Regi. C

De sancto Benedicto.

XXII. HVIVS Principis temporibus à Cinnomannica vrbe Legati ad castrum Cassinum profecti, beatissimum Patrem BENEDICTVM, post heremiticam (vt præmisimus) vitam in illo sancto degentem Cœnobio, omnigena poposcerunt prece, vt Fratres in monastica probatos conuersatione ad Occidentales dirigeret partes, à quibus leni iugo Regulæ illis ab ipso traditæ Gallicana subderetur ceruicositas. Qui gratanti animo dilectum suum discipulum MAVRVM ad has nostras direxit regiones, eíque sanctissimum sui obitus diem imminere prædixit: euidentissimè designans, eò sua sacratissima transferenda fore membra, quò charitatis vinculo sibi vnitum mittebat alumnum. Inclytus ergo Domini Leuita Maurus iter ad Gallias agens, dum in pagum deuenisset Autissiodorensem, die qua Dominicæ Cœnæ ex more in terris celebrabatur sacra solemnitas, ad Monasterium sancti Romani, nutricij quondam Patris Benedicti, diuertit. Cuius gratuita collocutione laborem longinqui itineris alleuans, ei in proximo esse denuntiauit diem, quo beatus Pater cœlestem gaudens scanderet ad patriam. Et, ecce,

A nocte illa quæ sanctum præcedebat diem Sabbati, quo vigilia Resurrectionis colitur Christi, scilicet XII. Kalend. Aprilis, subitò raptus in spiritu vidit viam palliis stratam, ac innumeris coruscam lampadibus, ab eius Cella ad cœlum vsque pertendere: quódque eo tramite dilectus Domino cœlum Benedictus scanderet, Angelum sibi dicentem audiuit. Et ad se reuersus, lachrymas votiuæ indices visionis effundens, quæ sibi reuelata fuerant sancto Romano aperuit, ac participem cœlestis eum faciens gaudij, sanctum cum eo exultans celebrauit Pascha. Gloriosus etenim in sanctis Deus assiduè sibi placitos mirificans famulos, huic egregio Patri excellentius ceteris iure præbuit iter ad se perueniendi: qui in conualle positus lachrymarum, ascensiones virtutum in corde disposuerat suo, scalam Iacob, per quam ascendentes Angeli monstrati sunt, suis proponens sectandam sequacibus. In cuius autem (vt pace omnium loquar Sanctorum) non dicam Martyris, verùm & Apostoli transitu, tam innumeris támque diuini fulgoris splendens apparuit via luminaribus, vestibúsque ornata nuptialibus? Neque enim in eo calle textile credendum est apparuisse pallium, quo æternæ incorruptionis migrabatur ad regnum. Nil porrò mirandum, hunc diuinæ latorem legis hanc in Assumptione spiritus promeruisse gloriam, qui corruptibilis adhuc circumamictus tegmine carnis, tantis effulsit miraculorum signis: vt nisi vir toto venerabilis orbe, Papa videlicet Gregorius, eius esset vitæ relator simúlque assertor eximius, pro-
B fectò ab infidelibus quibusdam mirandis derogaretur actibus. Verùm vt prætercam quòd adhuc puerulus heremum petiit intrepidus, quòd (vt quidam propter ipsum ait Sapiens) nec Martinus toto nominatus in orbe fecisse dignoscitur: illud certè non omittendum, quòd post multiplicia charismatum dona ab Omnipotente sibi concessa, tribus ammirandis, nec seculo antea cognitis, resplenduit miraculis. In eo namque, quòd solo intuitu ligati soluit vincula rustici; quódque sub momento, quasi sub Solis radio, vniuersus ante conspectum eius collectus est mundus; siue quòd strata palliis ac innumeris corusca lampadibus via, ad polorum subuectus est alta, neminem illi puto conferendum Sanctorum. Magna porrò nobis, si dissimulare nolumus, est indicta probitatis necessitas, quibus donatum est tantum ac talem in præsentiarum habere patronum: vt ab illius nunquam pro posse magisterio discedentes, quæ audiuimus ab illo & mentis oculis vidimus, in illo sectemur. Aderit pro certo nobis, vtque quondam corporales rustici nexus, sic nostrorum soluet ligamina peccaminum: & quorum in contemplatione totius orbis creditur elegisse domicilia, eorum (si deuotè illi adhæreant) animas sua sequentes vestigia, cum magno diuini luminis splendore, in æterna deducet habitacula. Huius sanè patris vitam (vt prædictum est) beatus scripsit Papa Gregorius: cuius flores eloquij in sancta vniuersali Ecclesia velut aurum refulgent. Sed & Odo venerabilis Abbas huius Floriacensis Monasterij, in quo sæpè nominandus corpore requiescit Pater BENEDICTVS, ipsius memoriam in quodam
C Sermone mirificis extollit laudibus. Nos verò pro amore tanti patroni nostri his prælibatis, ad Historiam recurramus.

De Belisarij reliquis gestis & nece.

BELISARIVS igitur, qui iam secundò ad Africam transiens VVintharith VVandalorum Regem rebellionis insimulatum sub dolo pacis interemerat, residuósque VVandalorum Reipublicæ iugo substrauerat, audito quòd Franci Italiam infestarent, Romam redire maturato contendit. Et ciuitati appropinquans, cum magna omnium vtriusque sexus lætitia susceptus, obtulit beato Petro per manus Papæ Vigilij auream crucem centum librarum, preciosissimis gemmis exornatam, in qua suas descripserat victorias. Indéque ad bellum retractus Francorum, dum paucitatem gentis contemnit, virtutémque ignorat, paucis & ipse assumptis pugnam non dubitauit committere. Sed Romanis pro salute & libertate, Francis pro adipiscenda gloria certamen erat. Et quia eo se gloriosiorem sperabant reportare triumphum, si totius Orbis victores Romanos vicissent, mori potiùs quàm loco cedere elegerant. Inito itaque prælio, dum neutra acies alteri cederet, tandem Romani salutem, pro qua aliquandiu substiterant, deperire sibi intelligentes, dum fortissimos quosque suorum bello oppetere cernerent, XXIII.

CHILDEBERTVS, CHLOTARIVS, THEODEBERTVS.

paulatim se certamini subtrahere cœperunt. Ita vir strenuissimus Belisarius à suis A desertus, ab hostibus circumuentus, nequicquam fortiter faciens extinctus est. Et qui multarum sub triumpho Gentium captiuos adduxerat Reges, à Duce non dicam Imperatoris aut Regis, verum Tetrarchæ Francorum victus, vita cum nominis sui priuatus est gloria.

De beato Gregorio Lingonensi, & castro Diuionensi.

XXIV. ERAT tunc temporis beatus Gregorius Lingonicæ vrbis Præsul summus. Sed quia huius Pontificis meminimus, dignum est vt situm Diuionensis castri, vbi maximè morabatur, pandamus. Est denique illud castrum in campi planicie muris firmissimis circumdatum, turribus triginta tribus honestatum: terras habens fertiles, per quas à meridie Oscarus haud procul à muro fluit, piscibus diues. Ab Aquilone alter fluuius per portam ingreditur, ac sub ponte decurrens, pérque aliam portam egrediens, molendinos summa vertit velocitate. Murus ad viginti pedes quadris ædificatus lapidibus, desuper minores superpositos habens lapides, in altitudinem pedibus XXX. in latitudinem XV. porrigitur. Portæ ibi quatuor, à quatuor plagis cœli. Quod cùm tantæ sit magnitudinis, cur Vrbis vocabulo caruerit mirum habetur. Hoc quidem ab Aureliano Imperatore constructum antiquitas asseruit. B

De Chrotildis obitu, & Chlotarij progenie.

XXV. INTEREA bonæ memoriæ Regina Chrotildis, vxor Clodouei quondam Magni Regis, piis quoad vixit intenta operibus, apud vrbem posita Turonicam migrauit ad Dominum plena dierum. Cuius corpus à filiis ipsis Childeberto ac Chlotario Regibus cum magno psallentium choro exinde sublatum, Parisiúsque delatum, in sacrario Basilicæ sancti Petri iuxta latus viri sui est sepultum. In eadem etiam orationis domo beata Genouefa humata quiescit. THEODEBERTVS quoque Rex Austrasiorum febre valida vexatus diem clausit anno regni sui XIII. Hic, exorante Desiderato Viridunensi Episcopo, ciuibus eiusdem vrbis octo millia solidorum, qui annuatim exinde eius inferebantur thesauris, largissima benignitate ad restaurationem concessit ciuitatis. Fuit idem Rex egregiè moratus, eloquióque affabilis. Qui beatissimum Maurum in quadam parte Regni sui, in Andegauensi videlicet pago, Monasterium construentem, quod Glannafolium antiquitus dictum est, mirificè coluit: prædiáque ingentia cum aliis regiæ munificentiæ donis, per semetipsum ad eundem accedendo locum, benignissimè contribuit. Successit ei THEODEBALDVS filius eius, vir quidem Deo deditus, & seruos eius vnicè diligens, sed in suos crudelis. Cuius tempore stella ex aduerso veniens in Lunam ingressa est. Tunc quoque vuæ in arbore, quæ Sambucus C dicitur, natæ sunt, & flores ipsarum arborum, quæ nigra proferre solent grana, botros protulerunt. Grauis eo tempore ac solito asperior hyems facta est: ita vt torrentes congelati peruium super se populis iter præberent. Aues quoque rigore astrictæ vel fame, absque vllo hominum dolo, immersæ niuibus capiebantur. Hic accepit vxorem filiam VVaconis Regis Longobardorum, VValderadam nomine, suæ sororem nouercæ. Qui cùm per octo annorum curricula strenuè susceptum gubernasset Regnum, vitâ decedens, Principatum Gentis quam regebat, cum thesauris, Chlotario dereliquit habendum. Huic verò Chlotario fuerunt virilis sexus filij, ex diuersis coniugibus orti, numero septem, & vna femina. De INGVNDE quidem, GVNTHARIVS, CHILDERICVS, CHEREBERTVS, GVNTRANNVS, SIGEBERTVS, & CHLOTSINDA filia. De CHARAGVNDE verò, sorore Ingundis, habuit CHILPERICVM. Amore denique Ingundis ductus, Charagundem eius germanam sibi in matrimonium copulauerat. De GVNSINDE autem genuit CHRANNVM.

THEODEBALDVS.

A

De odio Francorum in Parthenium.

XXVI. TVNC temporis Franci Parthenium in Palatio Regis Theodoberti quondam potentem, qui eos tributi onere valde presserat, immensis persequebantur odiis. Qui cum se cerneret non posse euadere, duos rogat Episcopos vt se Treueris deducant, sæuientisque populi seditionem sua prædicatione sedent. Quò dum vnà cum eo eunt, vna noctium cœpit prædictus vir dormiens voces emittere, dicens: Heu! heu! succurrite qui adestis. Expergefacti circumiacentes rogant, quid esset? Respondit ille vidisse se Ausanium quondam amicum suum, ac Papianillam vxorem propriam, quos olim zelo ductus occiderat, vocantes se ac vi compellentes, & dicentes: Veni vt ante Deum de iniusta nece nostra nobiscum contendas. Tandem venitur Treueris, & Episcopi turbatum populum sua volebant linire oratione. Cùm nequirent, Parthenium in Ecclesiam ductum vni arcæ immiserunt, sternentes desuper vela Ecclesiæ. Cúmque populus scrutata Basilica recederet, frendens quòd non inueniretur, vnus è turba exclamat: En, inquiens, arca, vbi non est quæsitus noster aduersarius. Statímque è reserata arca extrahitur, ac lapidibus ad columnam ligatus perimitur. Fuit verò in sumendis cibis auidus. Sed quæ sumebat, hausto aloe statim egerebat, vt alia citius sumere posset. Strepitum quoque ventris in publico sine vlla emittebat verecundia.

B

De Chlotarij edicto, & expeditione in Saxones.

XXVII. PROPOSVIT autem CHLOTARIVS edictum, vt cunctæ Ecclesiæ Galliarum fisco tertiam partem soluerent fructuum. Quod, resistente Iniurioso Pontifice, in ipso exordio tentamentorum est cassatum. Post hæc idem Rex in Saxones rectum iter direxit, qui assiduis excursionibus Francorum deuastabant fines. Quibus super VViseram fluuium bello subactis, Thoringos quoque, eò quòd Saxonibus auxilium tulissent, depopulatus est. Denuò Saxonibus rebellare parantibus, Chlotarius aduersus eos exercitum mouet. Verùm Saxones superioris belli plaga humiliati, per Legatos commissorum postulantes indulgentiam, de cetero emendationem pollicentur, suarúmque rerum omnium partem mediam, exceptis coniugibus ac liberis, loco offerunt pignoris. Quod Franci despectui habentes, prælium adoriundum putarunt. Coacti Saxones manum conserere, tanta in Francos strage bacchati sunt, vt vix pauci Chlotario Regi superessent ad fugæ potiùs societatem, quàm ad præliandi subsidium.

De Chranno, & eius gestis.

C

XXVIII. ERAT præterea Chlotario filius nomine CHRANNVS, corpore quidem elegans, sed mente leuis, dolis nulli versutorum secundus. Huic animus inquietus, prompta audacia, cui pater vices suas per Aquitaniam commiserat. Ast illius effera vis animi eum vt Regem agere non sinebat. Tyrannica denique adactus crudelitate, res aliorum rapinis diripiebat. Quapropter pater eum, legatione directa, ad se euocare curauit, vt insolentiam qua tumebat modesta increpatione redargueret. Ille mandatis patris posthabitis, Parisius ad Childebertum summo studio contendit, ea propositi intentione vt ad genitorem nunquam rediret. Abducere verò amicos regios parentésque festinabat, & præcipuè Childebertum patris germanum. Quem etiam in tantum ab eo alienum effecerat, vt fratris vitam appeteret: Chranno tactis Sanctorum pignoribus sponte promittente, quòd patris perpetuus existeret hostis. Perpetratúmque foret facinus magnum ac memorabile, fratre in montem fratris conspirante, si Deus non impedisset, & Childebertus matura morte non oppetiisset. Composito namque cum Childeberto fœdere, Aquitaniam iterum repetit, omnia per quæ primum ierat subacturus. Post quem pater, Saxonica occupatus expeditione, ire non valens, Charibertum ac Guntrannum filios cum exercitu eò dirigit. Quem illi per Aruernicum secuti territorium, in Lemouico iam eo assecuto, castra super montem Nigrum constituerunt: miserúntque ad eum vt quæ peruaserat redderet.

CHILDEBERTVS, CHLOTARIVS. Quod dum ille se facere sponderet, nec tamen faceret, ipsi contra eum pugnaturi aciem direxerunt. Quibus cùm ille haud segnius obuiam iret, orta tempestate ab hoc sunt repressi facinore. Post hæc Chrannus per subintroductas personas fratribus insinuari facit, patrem bello oppetiisse Saxonico. Illi pro vero dictum arbitrati, Burgundiam citato repetunt calle. His abeuntibus, Chrannus post eos iter dirigens, capta Cabilonensi vrbe ad castrum properat Diuionense: vbi quidam Clericorum curiosi quid Chranno accideret, super altare tres posuerunt Codices, id est, Prophetarum, Epistolarum Apostoli, ac Euangeliorum. Oratione ergo ad Dominum facta, aperto Prophetarum Libro hunc primum reperêre versiculum: *Auferam maceriam eius, & erit in desolationem, pro eo quòd debuit facere vuam,* Esaia 5. *fecit verò labruscam.* Reserato etiam Apostoli Codice hoc inuenerunt: *Cùm dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus eis veniet interitus.* Dominus autem in Euangelio ait: *Qui non audit verba mea, assimilabitur viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam, &c.* Et hæc quidem de Chranno ostensa sunt. A

1. Thessal. 5. Matth. 7.

De Childeberti post Regni fraterni affectationem morte.

XXIX. CHILDEBERTVS verò æstimans fratrem à Saxonibus interfectum, Remis accedens cuncta incendiis ac rapinis vastauit. Tunc duæ locustarum acies, per Aruernum ac Lemouicinum, in campum transiere Romaniacum. Vbi commisso inter se prælio, magnum reliquere aceruum locustarum infectarum. Cœpta B
Chranni celeri destituuntur obitu CHILDEBERTI. Nam idem Rex post diutinam Regni functionem febre vexatus moritur, ac Parisius in Ecclesia sancti Vincentij, quam ipse fabricarat, sepelitur. Eius Regnum vel thesauri ad Chlotarium lege redierunt.

De Chranni conatibus, & Chlotarij clementia & pietate.

XXX. DESTITVTVM se Chrannus tanto parricidalis flagitij consorte animaduertens, ad Conabum Brittonum Principem confugit, recidiuáque reparare bella tentabat. Cui nobilitas coniugis odiorum suppeditabat materiam, quòd præmineret prosapiæ claritudine. Ei nomen Calte, VVillecario genita Aquitaniæ Duce. Qui videlicet VVillecarius minis Chlotarij territus, quibus Chranno fauisse arguebatur, tutelam Basilicæ sancti Martini expetiit: quam pridem & Austrabius alter Dux expetierat. Persecutoribus quærentibus eum exinde auellere, nec valentibus, admotis ignibus pariter cum ipsa orationis domo flammis est crematus. Quam Chlotarius solerti industriâ venustiori donauit gratia, stannóque eius operuit tecta. Non dissimulandas autem filij arbitratus iniurias, indè quanta potuit suorum manu Britanniam est ingressus. Occurrit ei Chrannus, cum Conabo Brittonum Rege barbarorum agmen ductante. Vbi ad certamen ventum, C
tentato vtrinque agmine, vbi neque Chrannus pecunia conductos desciscere à fide vidit Britannos, neque Chlotarius filium erga se suscepta deposuisse odia, suósque ad belli paratos certamina, armis decernendum æstimauerunt. Tunc Chlotarius in incerto belli positus, lachrymis suffusus ora, Christum exorat in hæc verba: Christe, inquit, Deus, qui occulta hominum solus agnoscis, precibus nunc adesto meis, iusti exercens examen iudicis. Etenim quod nulli iusto, maximè tibi omnium cognitori rerum, veniabilis Chranni nequitia possit videri, satis certus sum: ideo quòd naturalis oblitus gratiam pietatis, hostili animo contra vitam insurrexit patris. Et quod fraude machinatus occultè nequiuit efficere, id nunc palam illato bello contendit explere. Dúmque vnius decrepiti senis accelerare quærit exitium, non dubitauit morti exponere tantarum innumerositatem gentium. Et certè regnandi spem dederam, cùm viuens tuendæ ei Aquitaniæ solicitudinem mandaueram. Sed morantem non passus est, nec expectauit Regnum, nisi parricidio adipisceretur. Respice ergo Domine de cœlo, & iudica iustè, illúdque iudicium exerce, quod contra Absalon patri Dauid quondam infestissimum exercuisti. Non ego quidem Dauid, sed tamen fide non degener. Credidit ille mundi Redemptorem venturum, credo & ego venisse, æquique arbitrum seculi iudicem futurum. His intentum precibus audiuit omnipotens Deus.

A Nam superior bello factus, Britannos vsque ad refugia nauium, quas ad hos vsus parauerant, vt si aduersa bellorum forent, eò se conferrent, persecutus, maximam ex eis stragem dedit. Chrannus quoque ipse, dum filias paritérque vxorem captiuitati subducere gestit, ab exercitu captus, patríque præsentatus, iussu eius in cuiusdam pauperculæ casa super scamnum extensus, orarióque sugillatus, ibidem cum coniuge ac filiabus igni est concrematus. Hoc modo iustæ exsoluit pœnas vltionis insidiator patris, qui se omni euacuauerat pietate. Periit quidem non optando patribus officio, sed non dissimulando. Cui ille parceret, qui saluti paternæ, quantum in se fuit, non pepercit? Hunc itaque improbitatis suæ finem Chrannus inuenit. CHLOTARIVS I.

De Longobardorum Regibus, & Totila Gotho.

CHLOTARIO autem Francorum tenente principatum, Longobardorum genti Alboin præerat, qui non multo post tempore Longobarbos in Pannoniam deduxit. Gothis autem, qui Italiam incolebant, post VVithigis, Badula, qui & Totila dictus est, præfuit. Qui ad beatissimum veniens Patrem BENEDICTVM, cuius suprà meminimus, ab eo & arguendo commonitus, & commonendo à suæ crudelitatis immanitate est emollitus. Cui idem vir Domini, quod B mare transiturus, Romam ingressurus, IX. annis regnaturus, decimo esset moriturus, prædixit. XXXI.

De Vigilij Papæ & Theodoræ Augustæ controuersia.

VIGILIVS etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsul, qui eo quo commemo- XXXII.
rauimus modo in locum sanctissimi subrogatus fuerat Syluerij, legationem suscepit Theodoræ Augustæ in hunc se habentem modum: Veni, & adimple nobis quæ prona voluntate promisisti de Patre nostro Anthimo, & reuoca eum in pristini gradus honorem. Ad hæc rescripsit Vigilius: Absit, dicens, hoc à me, domina Augustâ. Priùs locutus sum malè & insipienter. Nunc autem nullo modo tibi consentio, vt reuocem hominem hæreticum & anathematizatum. Quo audito, Augusta misit Anthimum scribonem cum valida militum manu Romam, præcipiens ei ac dicens: Vigilium, inquit, Romanum Pontificem nostris sanctionibus rebellem, decernimus vt naui impositum ad nostrum deduci facias conspectum. Nec cuiuslibet Basilica Sanctorum defensionis ei sit adiumentum, excepta Ecclesia Principis Apostolorum. Anthimus Romam profectus memoratum Papam, dum Missarum solemnia in Oratorio sanctæ Ceciliæ x. Kalend. Decembris celebraret (erat quippe dies festus ipsius sacræ Virginis) munera populo erogantem, tenuit nauíque imposuit, vt Constantinopolim deduceret. Quem populus C Romanus proficiscentem vsque ad nauim prosecutus, postulat vt benedictionem illis daret. Qua tradita, mota est nauis. Non defuêre tamen, quos iniusta expulsio Syluerij in odium ipsius excitaret. Hi lapides post illum, vel quælibet telorum genera sors obtulerat, iacientes, in hunc modum ei conuiciabantur: Fames tua tecum, mortalitas tua tecum. Mala intulisti Romanis, mala reperias quò vadis. Aliqui sanè ex fautoribus ipsius comitatui eius adhæserunt. Qui per Siciliam iter faciens, in ciuitate Cathinensi quosdam ad sacros promouit Ordines, quibus tuendæ Romanæ Ecclesiæ delegauit curam. Ipse nauigio Constantinopolim vsque deuectus, ab Imperatore & Clero vrbis honorificè susceptus, per biennium inibi est detentus. Imperatore communionem Anthimi ab eo exigente, cautionémque manus eius, qua id se facturum spoponderat, ostendente, ad hoc vsque altercatio processit, vt diceret Papa Vigilius: Ego quidem ad clementissimos Reipublicæ moderatores Iustinianum, eique coniunctam æstimaui me venisse Theodoram. Sed Diocletiano ac Eleutheria moribus reperi crudeliores. Verùm quia Christus me vobis pro commissis adiudicauit peccatis, patiar quicquid est miserrimum, dum vos iusseritis quicquid est immanissimum. Haud enim rependitur meritis meis congrua vicissitudo, dum maiora his mea mereantur facinora. Matura vltio flagitij subest, & digno conuenior expulsionis Syluerij pretio. Neque porrò Dei oculum, tam impij machinator sceleris, præterire poteram. Et quidam familiarium

CHLOTARIVS I. Principis prope astans, alapam in faciem Pontificis dedit, dicens: Homicida, A
nescis cui loqueris? An putas ignorare nos, dedisse te alapam Notario tuo, qui &
» continuo cecidit exanimis: & filium viduæ Hasterium, cui neptem tuam dederas
» Vigiliam, iussu tuo fustibus vsque ad supremum labefactatum exitium, Papámque
» Syluerium factione tua exiliatum? Quo ille audito, pertimuit, solíque Deo spem suam committens, in Basilicam sanctæ Euphemiæ confugit, tenuítque columnam altaris. A qua auulsus, fune colla ligatus per totam circumduci vrbem iubetur, atque ad vesperam ergastulo claudi: vbi modicum quid panis & aquæ ei quotidie tribuebatur. Postmodum suggerente Narsete Romanarum partium Duce, vinculis ab Imperatore leuatus, ac simul cum Clero suo Romam redire permissus, vbi Syracusas attigit, calculi languore fatigatus defecit. Cuius corpus Romam delatum, ac ad sanctum Marcellum via Salaria est humatum, succedente ei Pelagio in Pontificatum.

De Roma à Totila obsidione, & Romanorum ad Iustinianum confugio.

XXXIII. TOTILA quoque Rex Gothorum deprædata Sicilia regressus, Romam obsidione cinxit. Cuius ciues tantam tunc famis penuriam passi sunt, vt cibi inopiâ coacti natorum suorum carnes edere vellent. Fessis diutina pugna simúlque inedia Romanis, nec valentibus mœnia tueri, Totila à parte Hostiensi vrbem irrupit: qui parcere potiùs Romanis, quàm eos perdere malens, per totam noctem, B
» qua victor vrbem intrauit, quosdam suorum buccinis clangere iubet: Vt ciues se
» à Gothorum gladiis aut Ecclesiis tuerentur, aut quibúsque modis occulerent. Habitauítque aliquantum temporis cum Romanis, plus paterna pietate circa eos vsus, quàm tyrannica crudelitate. Hanc illi, vt concedatur, animi benignitatem, qui nimiæ antea crudelitatis exstiterat, beati Patris Benedicti (quem olim, vt prædictum est, audierat) monitio contulit. Aliqui sanè ex Senatoribus, Romani quondam gloria nominis, tunc autem miseræ reliquiæ desertæ ciuitatis, Constantinopolim Iustinianum Principem adierunt supplices, aduersum Gothos auxilia poscentes. Turbatus graui nuntio Cæsar, rebus in Hesperia minùs prosperè gestis, Narsetem Eunuchum, Cubicularium verò suum, expertum belli virum, omni militiæ quæ in Italia erat præfecit. Ille properè (neque enim differendi tempus dabatur) cum lecta pube, transmisso Mediterraneo freto in Latium contendit. Et iunctis sibi Longobardorum auxiliis, cum Gothis prælio conflixit: Totiláque Rege interfecto, Italiam ab eorum dominatione eripuit.

De bello Bucelleno Duci ab Narsete illato.

XXXIV. BVCELLENO etiam Duci Narses bellum intulit, quem Theodebertus Rex Francorum (vt suprà memorauimus) cùm Italiam introisset, reuersus ad Gal- C
lias, cum Amingo alio Duce ad eam subiciendam reliquerat. Qui Bucellenus, interempto Belisario, dum penè totam Italiam direptionibus vastaret, & Regibus Francorum de manubiis subiectorum hostium munera copiosa conferret, in Campania hyematurus in loco cui Tannetum nomen est, dysenteriæ morbo laborans, bello graui à Narsete superatus extinctus est. Amingus verò dum VVidin Gothorum Comiti, contra Narsetem rebellare paranti, auxilio esse non dubitaret, vtrique Narsetis virtute vincuntur. VVidin captus Constantinopoli exiliatur. Amingus, qui ei auxilio esse voluerat, Narsetis gladio perimitur. Tertius quoque Francorum Dux nomine Leutharius, Bucelleni germanus, dum multa onustus prædâ repedare festinat ad propria, inter Veronam ac Tridentum iuxta lacum Benacum propria morte defunctus est. Habuit nihilominus Narses certamen aduersus Sisiuald Brentorum Regem, qui adhuc de Herulorum stirpe remanserat: quos secum in Italiam veniens Odoacer adduxerat. Solus quippe Sisuuald de Herulorum gente restiterat. Huic Narses fideliter sibi primum adhærenti multa beneficia contulit. Sed nouissimè superbè rebellem, & Regnum dilatare suum per Italiam cupientem, bello superior cepit, celsáque de trabe suspendit. Hic Narses priùs quidem Cartularius fuit: deinde propter virtutum merita Patriciatus honorem promeruit. Erat verò vir piissimus, Religione Catholicus, in pauperes munificus,

A in recuperandis Sanctorum Basilicis satis studiosus: vigiliis & orationibus adeò intentus, vt magis precibus Deo profusis, quàm armis victor foret bellicis. CHLOTA-RIVS I.

De Alboin Longobardorum Rege.

IN illis diebus Alboin filius Aldoin Longobardis præfuit. Hic viuente adhuc genitore, cum Thurismodo Turissendi Gepidarum Regis filio bello conflixit. Et cùm summa vi vtrinque decerneretur, Alboin Turismodum spata ceruice tenus percussum ad terram deiecit mortuum. Turbati Gepidi, quòd Regis filium, per quem maxima ex parte prælium substiterat, interemptum conspiciebant, in fugam versi sunt. At verò Alboin patrata victoria ad patrem lætus rediit. Nec multò pòst ei vita decedenti in Regnum substitutus est. XXXV.

De Cautini facinore, & Sancti Medardi transitu & sepulchro.

HIs diebus Cautinus Aruernæ vrbis Episcopus rem inauditam fecisse memoratur. Erat in ipsa vrbe Anastasius quidam nomine, officio verò Presbyter, ingenuus genere. Hunc frequenter Pontifex nunc precibus nunc minis compellebat, vt proprietatem suam, quam per Cartas gloriosæ memoriæ Chrotildis Reginæ possidebat, cum ipsis Cartis ei dono daret. Quo omnibus modis renuente, Episcopus à villa ad vrbem deductum custodibus legauit inediâ afficiendum, ni petita compleret. Sed ille forti animo resistebat, dicens sibi melius esse ad tempus fame affici, quàm traditis rebus filios exheredare. Erat apud Basilicam Cassij Martyris crypta; & in ea sarcophagum cuiusdam magni hominis ex pario marmore factum. In hoc igitur Mausoleo, ex iussu Episcopi, cum mortuo viuens sepelitur Presbyter: operitúrque lapide, datis custodibus, qui eum custodirent. Verùm Presbytero, tãquam altero Iona, orante ad Dominum, custodes inebriati vino vertuntur in somnum. Quod ille intelligens, brachiis, quæ tantummodo libera propter magnitudinem sepulchri habebat, operculum ad vnam impulit partem. Reseratóque aliquantulum loculo caput erexit, & sic toto pectore aditum egrediendi sibi parauit. Grauabatur autem (vt ipse postmodum asseruit) nimio fœtore, qui ex putrefacto emanabat corpore. Itaque sepulchro liber, ad ostium cryptæ properat. Fiebant enim hæc in initio noctis. Quod obseratum inueniens, & inter rimas prospiciens, videt hominem cum securi prætereuntem. Hunc leni susurro euocans, rogat vt aditum securi reseret. Quo impetrato, Presbyter progreditur liber, rogans virum ne de se cuiquam indicaret, ac demum ad domum suam, indéque ad Regem Chlotarium properat. Cui cùm causam enarrasset suam, Rege ac Optimatibus dicentibus, quòd nec Herodis vel Neronis tempore talia fuerunt gesta, iubetur adduci Episcopus. Qui dum istud se iussisse negaret, à Presbytero conuictus, confusúsque abscessit. Presbyter verò res suas tenuit. Quo tempore beatus Medardus Vermandensis Episcopus, plenus virtutibus, migrauit ad Dominum. Cuius corpus Chlotarius Rex honorificentissimo recondidit mausoleo. XXXVI. B C

De Chlotarij Regis donationibus, & piis operibus, obitu, ac hæredibus.

IDEM verò inclytus Rex Francorum Chlotarius, ad suffragia egregij Confessoris Martini in tutelam sibi exposcenda, Turonis abiit. Multus ibi pro sua salute, suorúmque peccaminum abolitione, Domini ac Sanctorum eius precator, & clarissimis donis eidem sacro loco regia liberalitate impartitis, in ditandis & aliis Cœnobiis Sanctorum munificentissimus extitit. Indéque venationis gratiâ exercendæ, cuius studiosos fore Francos supra meminimus, Cociam siluam ingressus, dum supra vires corporis, quod senectus debilitauerat, indulget exercitationi, animo validior quàm corpore, comminuit omnem suæ vigorem salutis, ægritudinémque contraxit grauem. Febris erat vehemens: continui ac sine vlla intermissione viscerum dolores. Dum cruciatur, atque alternis vicibus nunc frigus, nunc calor membra exagitant, inter ægra suspiria, quæ mens extorquebat, sibi malè cõscia hæc iterabat verba: Vua, vua, quàm magnus est Rex ille cœlestis, qui sic hu- XXXVII.

Chlotarius I.

miliat sublimes terræ Reges. Iste cùm sit immortalis, melior est quouis Orbis terrarum Principe mortali. Quòd si melior, & potentior: & si potentior, ergo & misericordiæ largitor. Qui non, vt multi hominum, mortibus delectatur reorum: sed misericors ac miserator, pœnitentiam amplectitur peccatorum. Illius igitur clementiæ munus totis est exoptandum affectibus, déque eius miseratione nunquam desperandum. Inter hos atque huiusmodi sermones finem Imperij edidit, corpus terræ, Regnum filiis derelinquens: per quinquaginta & vnum annos potestate functus perpetua, ac semper in maius augmentata. Filiis Regni heredibus huiusmodi vocabula, Primus CHEREBERTVS, sequens GVNTRANNVS, tertius CHILPERICVS, quartus SIGEBERTVS vocati. Sepultúsque est in Basilica sancti Medardi, vt ipse iusserat: quæ triginta & eo ampliùs millibus ab eo loco, in quo finem vitæ inuenit, aberat: magno obsequio per tantum spatij deductus filiorum, seu etiam psallentium Clericorum. A

EXPLICIT LIBER II.

HISTORIÆ FRANCORVM B

LIBER TERTIVS.

DE CHILPERICI REGIS CVM FRATRIBVS disceptatione super hæreditate paterna.

Cherebertvs, Gvntrannvs. Chilpericvs, Sigebertvs.

Cap. I.

SEPVLTO Chlotarió, varia est inter filios eius sorte regnatum. Siquidem CHILPERICVS (cui inter fratres mens promptior) non contentus cum ceteris partem ponere fratribus, thesauros patris Parisiaca in vrbe reconditos rapit, ac Francis (quos auidiores fore pecuniæ persensit) precio solicitatis, apud eos Regnum arripuit. Verùm coniuncti fratres, improuida irruptione eum à ciuitate deturbauêre. Dehinc conditionibus pacis consentientem euocant, totúmque Regni corpus quadripartita sectione ex æquo hi quatuor fratres partiuntur. Et CHEREBERTO quidem, qui & ARIBERTVS dictus est, Parisiorum vrbs, quondam Childeberti, sorte prouenit: GVNTRANNO Aurelianensis, Regnum videlicet Chlodomiri: CHILPERICO Suessionensis assignatur ciuitas, caput & ipsa Regni paterni. SIGEBERTO autem Mediomatricum, quæ & Mettis, cessit, Theodorici patrui quondam subiecta dominatui. Vrbs famosa & inclyta, ac ideò inter ceteras vrbes Galliæ haud mediocri semper habita loco. De qua quid in veterum reppererimus Libris, paululum intermissa re cœpta, in medium proferamus. Cùm gens VVandalorum iunctis sibi Sueuis & Alanis Gallias depopulatum ire destinauisset, Chroco Rege ipsorum à matre sua quærenti, quid faciendo Magni nomen obtineret? illa ad eum: Si, inquit, fili, famosus in Orbe esse cupis, magnarum ædificia ædium à maioribus extructa destrue, egregiásque vrbes destruens eorum incolas gladio extingue. Neque enim meliora prioribus potes condere habitacula, aut bellando nominis tui gloriam ampliùs propagare. Cuius ille responsi non segnis executor extitit, ac si diuino oraculo non hominis voce dictum fuisset. Nam apud Maguntiam ponte Rhenum transiens, primò ipsam vrbem miserabiliter deleuit, ac demum cursum itineris Mettis deflexit. Cuius muri, nocte quæ diem aduentus eius præcedebat, diuino nutu sponte ruentes, viam irrupturis aperuerunt. Incertum, vtrum hanc diuina indignatio flagitiosis & impœnitentibus inuexerit calamitatem ciuibus, an fortè vt infandissimi homicidæ iusta acceleraretur perditio: quo, cœlestia autumans opitulari sibi suffragia, eò contenderet, vbi nefandi ausus merita lueret supplicia. Ciuibus denique Mettensibus vsque ad inter- C

CHERIBERTVS, GVNTRANNVS, CHILPERICVS, SIGEBERTVS.

A necionem penè pessundatis, Treueris properat. Treuerici in arenis ciuitatis præsidio locato, conatibus eius restiterunt. Chrocus Treueris infecto negocio, Arelas expugnare nisus, à quodam milite Mario nomine captus, per ciuitates quas euerterat ductus, pœnis excruciatus interiit. Sed de his satis dictum.

De CHEREBERTO, *qui & ARIBERTVS dictus est.*

CHEREBERTVS, qui & Aribertus, Rex Parisiorum, INGOBERGAM duxit vxorem. Huic erant ancillulæ duæ. Nomen vni Marcouefa, altera vocabatur Merofidis. Harum amore Rex ita deperire cœpit, vt vxorem eiiceret Ingobergam, & eas ambas in locum eius substitueret. Pro qua re à beato Germano præfatæ vrbis Episcopo increpatus, nec correctus, vtrasque cum filio, quem ei vna earum genuerat, diuinitus percussas se perdidisse indoluit. Ipse quoque non post multum temporis in Aquitania apud castrum Blauia vitæ finem sortitus, in Basilica sancti Romani est sepultus. II.

De GVNTRANNI *liberis, & gestis.*

GVNTRANNVS autem quatuor filios ex diuersis habuit concubinis, quarum nomina recensere supersedi: maximè cùm nec ei legitimo fuerint copulatæ coniugio, & eo adhuc superstite cum suscepta prole terminum sortitæ sint vitæ. III. B Fuit sanè idem Rex summè bonus, pacis æquique seruantissimus: hoc solùm tanti gloriam viri obnubilante facto, quòd lenociniis delinitus meretricum, licitum refutauit matrimonium. Hic quadam die venatum in siluam profectus, sociis prout res expòscebat huc illúcque dispersis, ipse cum vno suorum fidissimo fidelium sub arbore quieturus resedit. Positóque in familiaris amici gremio capite, oculos cupiens furari labori, obdormiuit. Et ecce ex ore quiescentis Regis in modum reptilis animal egressum, oras propter labentis riuuli percursare, ac vt in vlteriorem ripam transiret satagere cœpit. Quod cernens ille, super cuius genua Rex ceruicem inclinauerat suam, gladium vagina nudatum fluuiolo superposuit, & sic animal illud ad alteram transmeauit partem. Atque sub radice cuiusdam montis ingressum, post aliquot rediit horarum spatium, & eodem ponte vsum in os Guntranni est ingressum. Exsurrexit Rex, & familiari narrans somnium, mirabilem se dixit vidisse visum, inquiens: Conspexi fluuium permaximum ponte ferreo constratum. Per quem transuectus, speluncam in cuiusdam montis radice constitutam sum ingressus. Inibi inæstimabiles thesauros, absconditámque veterum repperi gazam patrum. Refert alter, quid de eo & ipse intuitus sit: consonáque sibi apparuerunt somnij verba, ac visio manifesta. Quid plura? effossus est locus, enorméque auri ac argenti inuentum pondus. De quo Guntrannus ciborium C miræ magnitudinis simul & pulchritudinis compactum, Hierosolymam mittere destinauit ad Iesu Christi Domini Sepulchrum. Sed cùm & itineris difficultas, & Sarracenorum qui eadem infestabant loca timor, ne vota perficeret obstitissent, in Basilica quæ Cabilonensi adiacet ciuitati, cuius condendæ ipse auctor extiterat, super Sepulchrum sancti Marcelli poni iussit. Quod quandiu tumulum sancti Martyris durando venustauit, nullum in tota Gallia opus, quod ei æquipararetur, potuit inueniri.

De SIGEBERTI *coniugio cum Bruna Gothorum Regis filia.*

PORRO SIGEBERTVS cognito quòd fratres ob infausta coniugia graui subiacerent opprobrio, Gogonem Legatum in Hispaniam ad Athanahildum IV. Regem Gothorum, qui exercitum Imperatoris ab Hispania expulerat, mittit, petitum filiæ illius BRVNÆ nomine nuptias. Quam ille à patre cum multis sibi traditam opibus, ad Sigebertum perducit. Sigebertus eam, eò quòd Arrianæ dedita esset hæresi, à Catholicis baptizari, BRVNICHILDEMQVE vocari præcipiens, ac fide instrui orthodoxa, cum magno apparatu epularum duxit vxorem. Hæc vt in Regnum confirmata est, Gogonem, qui se ab Hispaniis abduxerat, inuisum Regi Sigeberto fecit. Huic denique Gogoni, cùm in infantia Sigeberti

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, SIGIBERTVS.

omnes Franci de Regno eius Chrodinum Maiorem Domus elegissent, virum pro- A
bum ac timoris Dei plenum, ille oblato cessit honore, Regem allocutus in hæc
verba: Omnes, inquit, Franciæ potentes consanguinitatis mihi iure fœderantur,
nec valeo iurgia eorum portare, dum quisque mea fretus propinquitate, eo ad no-
cendum alteri efficiatur promptior, quo mei censuram iudicij non pertimescit,
» quasi affinitate propinquior. Sed bonum esse asseritis æquitatis intuitu, etiam pa-
» rentes punire. Quis hoc abnegat? Verùm perpeti infamia denotantur, vel Tor-
» quatus filium pro contempto suo præcepto securi percutiens, vel Brutus duos pro
» patriæ libertate ex se natos pari modo perimens. Adeò vt præcipuus Poëtarum de
» eo ita scripserit: Infelix, vtcumque ferent ea facta nepotes. Sed esto, sit melius
» pro misericordia, quàm pro crudelitate argui. Vt quid autem frustra improbis mi-
» sericordia impenditur, dum indulta venia insolentiores ad exercenda passim vitia
» efficiantur? Non mihi ergo contingat, propter transitoriam eorum gratiam, æter-
» næ damnationis subire sententiam. Post hæc verba, Rege cunctisque Optimati-
bus in eius arbitrij dispositione electionem tantæ successionis ponentibus, ipse eo
quidem die siluit. Diluculo verò subsequentis diei matutinus consurgens, ad do-
mum Gogonis cum quibusdam Palatij Primatibus properat. Et brachium eius
» collo superponens suo, signum futuræ dominationis dedit, eique dixit: Dominus
» noster Rex Sigebertus, cœtúsque reipublicæ nostræ, Comitem me destinauerant
» fore Domus Regiæ. Hoc ego nunc tibi cedo munere. Vtere felix meo priuilegio, B
» quo me sponte carere profiteor. Huius exēplum ceteri qui aderant Proceres secuti,
Gogonem Maiorem Domus acclamauerunt. Strenuus in gerendo Principatu Go-
go eo vsque est habitus, donec Brunichildem de Hispania arcessire est iussus. Ille
dies mortis Gogoni fuit, cui expedierat exilio mutasse sedes, antequam hanc om-
ni bellua crudeliorem in ceruicibus locandam aueheret suis. Namque Brunichil-
dis, vt prælibatum est, regio potita coniugio, animum Regis ab eo alienans, ad
postremum iugulare coëgit. A qua tantum humani sanguinis effusum, tantæ cæ-
des actæ potentum seu etiam Regum in Francorum Regno sunt, vt non immeritò
» Sibyllam ante multa secula de ea vaticinasse sit creditum. Veniet, ait, Bruna de
» partibus Hispaniæ, ante cuius conspectum Gentes siue Gentium Reges peribunt.
» Ipsa verò calcibus equorum disrupta peribit.

De CHILPERICI *mulierosi nouis nuptiis.*

V. CHILPERICVS quoque Rex, æmulatus & ipse fratrem, cùm plurimo præ-
ter regium morem feminarum vallaretur grege, quæ Regi propter decorem
magis quàm propter nobilitatem generis copulabantur, dirigit qui Brunichildis
sororem natu maiorem à patre Atanahildo petant, ac vice sua spondeant, se, si
eius potiundæ facultas detur, ceteras abdicaturum coniuges. Quorum verbis Ata-
nahildus credulus, filiam GALSONTAM nomine ad Chilpericum destinat, ma- C
gna ditatam dote. Quæ Catholico baptismate .... * magis consecrata, Re-
gi thoro nuptiali est coniuncta. Legatis sanè Atanahildi Regis quærentibus, vt
tactis Sanctorum pignoribus fides firmaretur, quòd Galsonta in vita sua solio Re-
gni non pelleretur, Chilpericus non abnuit. Præbitis sacramentis, pactáque pa-
ce, eos ad propria sinit abire. Sed vt erat animo leuis, iura præuaricatus est pactio-
nis. Nam FREDEGVNDIS, coniunx quondam vocata Chilperici Regis, of-
fensa nouæ nuptæ aspectibus inuisis, exigui propè temporis interuallo tantum adu-
landi arte præualuit, vt se coniugio Regis redderet. Indè ad audenda maiora pro-
teruia muliebri elata, dominam se omnibus qui in Aula erant regia præferebat,
contumeliisque afficere Galsontam Atanahildi Regis filiam non cessabat. Illa ma-
rito de iniuriis questa, ab eo, qui omnem iam circa eandem imminuerat affectum,
verbis blandioribus deludebatur. Denique feralibus furiis exagitatus, instigante
Fredegunde eam in stratu quiescentem crudelissimè strangulauit. Immane faci-
nus, nullíque antea cognitum tyranno, ac Franco homini, maximè Regi. Penitus
incongruum: coniugem innocuam, & quam ab hostibus raptam vindicari ferro,
aut mortem pro ea appetere decuerit, hanc securam, in communi thoro cuban-
tem, suffocare non erubuisse. Demens, qui illius meretriculæ persuasionibus tan-
tum connubij violarit decus: cuius fraude in proximo erat ipse perimendus. Post
transitum

* nomē proprium loci, quod deest in Codd. Mss.

A transitum sanè Galsontæ, magnum virtus diuina ad eius sepulchrum est dignata ostendere miraculum. Nam vitro, in quo ante illud positum oleum accendebatur, in terram decidente, duritia aufugit pauimenti: & sic in terram, ac si in modium farinæ, est integrum defixum. Non tulerunt fratres, tanto scelere maculatum consortem esse suum: sed coniuncti simul Regno pellere moliti sunt. Quod consilium non tam astu Chilperici, quàm ipsa leuitate qua cœptum fuerat, dissipatum est. GVNTRANNVS, CHILPERICVS, SIGEBERTVS.

De Chilperici filiis, & eorum gestis.

ERANT CHILPERICO tres filij, THEODEBERTVS, MEROVEVS, CLODOVEVS, ex AVDOVERA Regina suscepti. Quam Fredegundis eodem perfidiæ commento qua Galsontam, hac de causa pepulit. Chilpericus cum fratre Sigeberto expeditionem in Saxones agens, Audoueram Reginam domi reliquerat aluo grauidam. Cui Fredegundis, vtpote ancilla ex eius orta familia, ad cuncta deseruiebat vitæ necessaria. Hæc hortatur Dominam, vt natam puellam perducat ad baptismi gratiam: quò Rex adueniens gratuletur, non solùm natam sibi esse filiam, sed etiam in Christo renatam. Paret mulier suadenti meretriculæ eò adtentiùs, quò autumabat eam sibi bona consulta dare. Quærenti deinde matronam, quæ puellam susciperet post sacri baptismatis vndam, respondit non posse inueniri nobiliorem ea, quæ huius exequeretur muneris obsequia. His quoque illa credula verbis, efficitur filiæ mater spiritalis. Regredienti post hæc Regi it obuiam Fredegundis, eúmque his interpellat verbis: Quàm gloriosus, ait, apparet hodie Rex Chilpericus, rediens victor triumphatis hostibus, cui nata est filia CHILDECHINDA forma egregia corporis! Sed proh dolor! scelus hac nocte à te patrabitur, refugiendum quidem, si vitari posset, ne domina mea Audouera tecum secreta subiret cubiculi silentia. Huius nouitate sermonis Rex stupefactus, causam quæsiuit. Cùm sileretur, elicuit studio quærendi, & motu indignationis. Et comperto indicio, quòd eius commater foret Regina ex prole suscepta, Fredegundi in hæc respondit verba: Si Audoueræ nunc fraudor amplexibus, te sociam asciscam mei stratus. Et properanti ad Aulam occurrit Regina, ferens in vlnis paruulam, quam bis (vt ita dicam) generauerat, filiam. Ad quam Rex: Nefandam, inquit, ô Regina, rem perpetrasti, & Regiæ inconuenientem Maiestati. Nec potero te habere coniugem, cùm commatris adepta sis nomen. Postea Episcopo qui puellam baptizauerat in exilium acto, Reginam cum filia sacro adopertas velamine Monasterio retrusit, prædia ac facultates eis tribuens. Fredegundem verò sibi copulauit. Incidit ea tempestate necessitas SIGEBERTO Regi, fratri Chilperici atque Guntranni, exercitum ducandi aduersus Cacanum Principem Chunorum: qui confinia Regni eius depopulaturus aduentabat. In hoc congressu superior bello factus, ingentes Chunorum strages dedit. Cum reliquis verò pacem firmauit. Cuius absentiam Chilpericus aucupatus, vt se eius habebat inquietudo morum, domestica seditione publicam interpolans pacem Francorum, Remis opulentissimam Regni eius vrbem improuiso impetu occupauit. Super plagam fractus Sigebertus, Suessionis & ipse de Regno Chilperici peruasit, captæque vrbis populum imperio suo adiunxit. Repertúmque THEODEBERTVM Chilperici filium, custodiæ mancipauit. Quem patri petenti clementissimè muneratum postea reddidit: dato priùs sacramento, ne quid in posterum Theodebertus contra Sigebertum moliretur. Quod, præpediente humani generis inimico, non diu inuiolabile permansit. Chilpericus quoque bello superatus, conditiones pacis amplexus est. VI.

De Saxonibus in Galliam irrumpentibus à Mummolo repulsis.

SAXONES, qui ad Italiam iussu Theodeberti senioris demigrauerant, cum coniugibus ac liberis in Gallias prorumpunt. Quibus Mummolus Guntranni Regis Patricius obuiam pergens, eos fugaciter Italiam repetere compulit. Sequenti anno iterum Saxones ad Rhodanum vsque fluuium Gallias ingressuri accesserunt. Mummolus cum exercitu suo obuius, transitum eis fluminis denegabat. Sed acceptis muneribus, per fines Regni, quod tuebatur, transeundi ad Si- VII.

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, SIGEBERTVS.

gebertum licentiam tribuit. A quo suscepti, iubentur proprias incolere terras. A Quò dum tendunt, plurimos negociatorum in itinere deceperunt, æris laminas quadam arte ad auri optimi atque probati speciem coloratas vænundantes, aurúmque pro pretio earumdem accipientes. Hac de re multi mercatores ad inopiæ malum se deuolutos serò doluerunt. Sed Saxones fraudulentiæ suæ pœnas matura vltione luerunt. Nam à Sueuis aliísque Nationibus, quæ patriam eorum peruaserant, terna acie superati, ad xx. millia suorum fermè interemptis, reliqui conditionibus hostium, licèt inuiti, paruerunt.

De Iustiniano & Iustino Augustis.

VIII. IVSTINIANVS eo in tempore postquam triginta tribus annis Imperium felici rexit sorte, sceptrum cum corona Regni IVSTINO reliquit minori. Fuit autem Iustinianus vir fide Catholicus, pietate insignis, æquitatísque cultor egregius. Ideóque ei omnia cooperabantur in bonum. Qui & bella ciuilia prosperè per varios Duces, & maximè per Belisarium gessit: & in causis ciuilibus, componendísque legibus mirificus extitit. Ob causam etiam multimodarum victoriarum, vt Alemannicus, Gothicus, Alanicus, VVandalicus, Africanúsque diceretur, habere agnomina meruit. Extruxit quoque idem Princeps intra vrbem Constantinopolim Christo Deo (qui est sapientia Dei Patris) Templum: quod B Græco vocabulo Hagiam Sophiam, id est sanctam Sapientiam nominauit. Cuius opus adeò cuncta ædificia excellit, vt in totis terrarum spaciis huic simile non posse inueniri, qui videre testentur.

De Cassiodoro, & aliis claris viris.

IX. HVIVS temporibus Cassiodorus tam in seculari quàm diuina scientia: Dionysius Abbas in Paschalis calculi argumentatione mirandus: Priscianus Cæsariensis in arte Grammatica: Arator in exarandis Apostolorum Actibus arte metrica, claruerunt. Benedictus quoque in cœlesti disciplina placidiùs ceteris effulsit. Hæc nos studium boni Principis, vel eorum qui eius fuere temporibus, dicere paucis coëgerunt. Nunc Narsetis acta succinctè perstringamus, vt postmodum continuò ductu inchoatæ percurrat Historiæ ordo.

De Narsetis inclytis gestis.

X. NARSES itaque multimodis subiugatarum gloriosus triumphis Nationum, ciuica insignis corona, summæ per Italiam æquitatis exercebat iura. Sed his rebus sibi apud improbos expertus est nocuisse potiùs inuidiam, quàm apud probos fuisse gratiam. Nam cùm pro liberandis ciuibus mortis se discrimini sæpissimè obtulisset, circumpositarum verò Gentium in se odia excitauisset, tanta à C Romanis pertulit, vt plus post bellum à suis, quàm in ipso bello ab hostibus periculi in sese expertus sit. Impleuerúntque Romani facinus execrandum: vt quem protectorem suæ salutis habuerant, eum ante tribunal Iudicis etiam absentem accusare non erubescerent. Nec nouum apud eos hoc genus flagitij fuit. Quippe Scipio maior quondam Africanus deuictæ Carthaginis nobilitatus trophæis, ab ingrata sibi vrbe Roma diu exulans, in agris suis morbo simul & tristitia defecit. Alter quoque Africanus Scipio, superioris haud ignobile genus Scipionis, post perdomitam Libyam causam aduersus accusantes in Senatu dicere coactus, quòd sibi pro patria laboranti ab improbis & ingratis denunciari cognouisset, medio subsequentis noctis tempore ab æmulis in cubiculo necatus est. Simili modo contra hunc Narsetem relatio Romanorum ad Iustinum cucurrit Principem, ac eius coniugem Sophiam: querelantium, nihil sibi collatum libertatis deuictis Gothis, quibus tetrior superesit Dominus, eunuchus scilicet Narses. Quibus cognitis, Cæsar ira exardescens successorem Narseti Longinum direxit Præfectum. Quod vbi Narses agnouit, ita dixisse fertur: » Si malè, inquit, egi cum Romanis, digna » factis recipiam meis. Si verò bona, & si reddere volunt similia, vt quid calumniantur, fuentes capiti meo falsa testimonia? Tanta autem indignatio, præcipuè

A Augustæ, aduersus Narsetem excitata est, vt inter cetera (quia eunuchus erat) iniurioso satis sermone mandaret, debere eum in gynæceo feminarum pensam diuidere lanarum, non Consulatum tenere Romanum. Ad hæc Narses: Filum, ait, filabo, quo talis ordietur tela, quam Iustinus & Sophia nequeant in omni sua rescindere vita. Nec promissa moratus, ad Alboin Regem Longobardorum mittit, qui Pannoniæ paupertina rura deserere, & ad Italiam solo vberem eum hortarentur transire. Qui monita non aspernatus, cum cuncto suo populo eorúmque supellectili Hesperiam properat. Narses autem vrbe Romana relicta, Neapolim venit. Quem subsecutus Papa Ioannes, qui Pelagio successerat, Romam redire rogauit. Quo impetrato, vtrique regressi sunt. Et sanctissimus quidem Ioannes non diu superuixit. Narses verò post aliquantum temporis defunctus est: corpúsque eius in loculo plumbeo positum, Constantinopolim cum omnibus thesauris eius est delatum. Sed vt promissa soluamus, Historiæ est ordo repetendus.

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, SIGIBERTVS.

De Chunis seu Auaribus Galliam inuadentibus.

XI.

CHVNI, qui & Auares, rupto fœdere quod cum Rege Francorum Sigeberto pepigerant, in imparatam se Galliam infundunt. Quos cùm ille congregato exercitu bello excipere destinauisset, Chuni magicis artibus, priusquàm ad B manus veniretur, quibusdam phantasmatibus Francos perterrefactos fugere compulerunt. Rex ipse, frustra resistere conatus, capitur. Sed prudentiæ suæ astu oblatis muneribus honorificè ad suos redire permissus, pacem cum Chunis in reliquum stabilem firmauit. Nec prætulit mortis compendium saluti: condemnans in hoc facto prauum Crassi Romani quondam Consulis consilium: qui vt dedecus seruitutis euaderet, non precium hostibus, sed sibi interitum parauit. Nam dum fortè contra Thraces pugnans, cæsis suorum millibus in potestatem hostium deuenisset, ne ludibrium inimicis foret, virgam, qua ad stimulandum equum vtebatur, in oculum Thracis se tenentis impegit. Barbarus dolore itáque percitus, latus Crassi gladio transuerberauit. Sicque vir magni nominis simul & fortitudinis, dum deuitat quod fortuito casu, siue beneficio hostis etiam posset euadere, incidit in mortem: quam illatam nec volens aduersarius potest auertere.

De Clodouei gestis, & Guntranni.

XII.

EO tempore CLODOVEVS, Chilperici filius, Burdegalensem (quæ ad Regnum Sigeberti pertinebat) vrbem inuasit. Super quem Sigulfus Dux partium Sigeberti irruens, eum exindè expulit: ac velut ceruum præ se ageret, ad propria festinè regredientem, buccinis insonando, vsque ad refugia Parisiacæ ciuitatis insectatus est. Quo comperto, Chilpericus THEODEBERTVM alterum C ex filiis, qui Sigeberto pridem iurauerat, nullatenus se ei nociturum, in Neustriam ad occupandas vrbes quæ fratri subiectæ erant mittit. Theodebertus nonnullis vrbibus subactis, tributa Turonensibus, Pictauis, Caturcensibus, Lemouicinis iure victoriæ adscribit: peruagatúsque Aquitanicam prouinciam, Monasteria seruorum seu ancillarum Dei direptionibus vastans, Monachos siue Clericos tormentis, Sanctimoniales verò turpibus dehonestamentis affecit. Denique ad Monasterium sancti Martini, quod Lata dicitur, dum quidam hostilis agminis tenderent, vellentque fluuium qui interfluebat transire, clamauerunt Monachi, dicentes: Nolite ô barbari, nolite huic Cœnobio sancti Martini iniurias inferre. Hoc audito, quidam redierunt compuncti corde retrorsum. Viginti tamen ex ipsis ascensa naui flumen transeuntes, cæsis Monachis, Monasterium infringunt, résque diripiunt. Factísque sarcinis nauim repetunt. Sed non defuit beati Confessoris virtus. Nam ingressi alueum, amissis remis, dum hastilibus nauim impellunt, illa sub pedibus mersa est. Ipsi verò lanceis confixi suis, in profundum delabuntur: vno tantum superstite, qui hæc eos deserere hortabatur. Monachi verò eos résque suas aquis eripiunt, ipsos sepulturæ, res autem Monasterio inferentes. Talísque tunc Theodebertus Aquitanicis visus est Christianis, qualis quondam Diocletianus Catholicis in toto Orbe constitutis. Congressu Pictauis aduersus Gundoaldum Ducem habito, vniuersas penè eius copias deleuit. Nec Chilpericus quieuit, qui

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, SIGEBERTVS.

fratri Sigeberto ludibrio suos fuisse exercitus indignabatur. Non contentus enim filij triumpho, cum magna & ipse veniens manu Campaniam depopulatus est Remensem. Sigebertus tamen non vsquequaque ociosus fuit, nec multa diu Regni sui passus dispendia est. Nam insidiis opportunè locatis, omnem exercitum Theodeberti cum ipso atriuit. Qui dum euadere nititur, à cohorte regia oppressus occiditur. Corpus eius ab Arnulpho Duce collectum, & ad Engolismam delatum, ibidem est humatum. Deindè congregatis superioribus Francis Austrasiis, collecto etiam sociorum adiumento, contra fratrem aciem dirigit. Sed intercurrentibus Legatis, pax conuenit. Indè è communi consensu expeditionem in Guntrannum suum fratrem Burgundiæ Regem agunt. Sigebertus Aruernis ciuibus mandat, Arelas ex insperato inuadant. Quo præcognito, Guntrannus per internuncios Arelatenses de aduentu hostium certos facit. Illi præoccupatis insidiarum locis Duce Celso, eos qui se interfectum venerant interficiunt. Guntrannus quoque contractis vndecumque viribus, obuiam parat ire fratribus. Cúmque castra in loco qui Viriacus dicitur fixisset, residente Sigeberto apud Archiacum, Chilperico identidem eo loci quo duodecim pontes Sequanæ superimpositi fuisse referuntur, mediantibus optimis quibusque prudentiâ viris, quibus moris est semper Regibus præbere consilia, hi tres fratres in vnum coëunt fœdus. Trecas deinde in Oratorio sancti Lupi dextras iungentes Sigebertus cum Chilperico, iusiurandum Guntranno præbuerunt, nil se vlterius aduersus eum hostiliter acturos. Eadem eis etiam Guntrannus visus est sacramenta dedisse. Indè cum gratia discessum est: & se inuicem salutantes, Guntrannus ad propria, Sigebertus atque Chilpericus ad castra redeunt. Tunc Austrasij iurgari contra Sigebertum cœpêre, promissa sibi flagitantes solui, qui se meminissent spe hostilis prædæ ad belli societatem sollicitatos. Oportere eum aut ex proprio stipendia illis largiri, aut publicum demonstrare, cuius rebus ditentur, aduersarium. Se, interim dum Reges inter se pacem venditant aut inimicitias, quasi mercenarios haberi queruntur, ad pericula primos, ad honorem vel præmia vltimos. Nec contra Guntrannum se querelam cuiuslibet offensionis prætendere velle fatentur, cum quo Sigebertus iustæ firmarit fœdera pactionis: sed in Chilpericum veteris inimicitiæ recordatione cunctorum odia exardescere. Illum esse ex multis vnum, cuius vita ingrata, mors foret omnibus grata. His igitur suorum persuasionibus coactus Sigebertus, fratrem persequi statuit: qui nil tale metuens, maiorem exercitus partem ad hyberna dimiserat. Ipse accepto fraternæ insectationis nuntio, cum paucis equitibus Tornacum vrbem confugit. Quem subsequens Sigebertus Parisiorum ingressus est vrbem. Cui occurrens sanctus Germanus Pontifex: Si, „ inquit, fraternum cruentus cupis effundere sanguinem, iuxta Psalmistæ vocem „ eam quam fratri paras foueam, tibi experieris paratam: fratricidæque non priua- „ beris vocabulo, cùm voluntas ipsa non careat supplicio. Hæc ille quasi ab Episcopo partibus fratris fauente dicta aspernatus, cogitabat cœpta perficere. Et veniens in villam, cui vocabulum est Victoriacus *, offendit ibi validam de Regno Chilperici manum Neustrasiorum specie se ei tradere volentium. Qui, viso Rege, certatim ad eum venientes, ditioni se eius subdunt. Nec quilibet Ducum aut Procerum Regni Francorum cum Chilperico relictus est, excepto Ansoaldo: qui fortunam Regis etiam in aduersis maluit non deserere, quàm promissam violando fidem proditor esse vel dici. Tantis igitur Sigebertus vallatus militum caterius, cunctas vrbes Regni Chilperici Imperio suo adiunxit. Indè progressus in vrbem, cui Tornacum nomen est, fratrem obsidione cinxit. Qui se vrgeri conspiciens hærebat consilij incertus, qua via coniugem ac filios, quos secum ibidem aduenìens deduxerat, periculo eximeret. Sed mulier, artibus viro longè callidior, duos subornat viros, quibus audacia contemptum mortis inuexerat. Hos hortatur, monétque Sigebertum adeant, cúmque se vt Dominum adorare simulantes interimant. Quod si efficiant, euadentibus præmia, interemptis verò condignam sepulturam, eleemosynásque ad loca Sanctorum pro oblatione tanti facinoris se præbituram spondet. Illi nihil morati præcepto satisfaciunt, ac vrbem egressi ad castra progrediuntur hostium. Nihil viris his audacius, nil terribilius eo bello in hostem ex vrbe processit. In medium namque aduersariorum proruentes non trepidauerunt, non retractauerunt: sed tanquam familia-

* al. Victoria.

A rium ſuorum conſortiis immorarentur, non ante remeandum putarunt, quàm circumuentum à lateribus Regem, cultellis latera fodientes, nefandiſſimæ neci traderent. Clamor illico vniuerſorum, luctúſque totis oritur caſtris, vt palam daretur intelligi, Regem oppetiiſſe SIGEBERTVM. Impetu itaque facto in homicidas irruunt, leuíque negotio membratim ſectos duos delent viros. Chilpericus dum egredi formidaret, & quid accidiſſet ignoraret, accedente ad ſe coniuge Fredegunde, interiiſſe fratrem vt comperit, ad ſpem vitæ & ſalutis animum quaſi ab inferis reduxit. In craſtinum egreſſus vrbem, redeuntibus in gratiam Neuſtraſiis, qui ad Sigebertum ab eo deſciuerant, corpus fratris in villa, cui Lambrus nomen eſt, ſepeliri mandauit. Quod poſtmodum à fidelibus ablatum, & in Eccleſia ſancti Medardi Sueſſionis iuxta patrem Chlotarium eſt humatum. Regnauit autem annis XIII. GVNTRANNVS, CHILPERICVS, SIGEBERTVS.

De Fortunato Epiſcopo, & eius ſcientia.

EIVS tempore Fortunatus, qui in rhetorica metricáque arte famoſus habebatur, ab Heſperia in Gallias tranſiens, Pictauis Epiſcopus ordinatur. Hic multorum vitas paſſioneſue Sanctorum, partim proſâ, partim metro compoſuit. Ad amicos quoque ſingula diſticha elegans Orator conſcripſit. Vnde præfato Regi elegiacum miſit Carmen, congratulans ei in nuptiis Brunichildis. Quod equidem ego, cùm fors Librum ad diuerſos ab eo ſibi familiares conſcriptum manibus intuliſſet meis, legi, atque in eo facunditatem viri, dulcémque affabilitatem ſatis admiratus ſum. XIII.

B

De Brunichildis in conſeruanda prole ſolertia.

INTERFECTO autem hoc modo Sigeberto, mutatio facta eſt, multis familiarium eius amicitiam Chilperici expetentibus. Porrò Brunichildis, quam Sigebertus, dum à peruaſione vrbium rediret fraternarum, Pariſius ſibi occurrere imperat, in eadem degens ciuitate, nece viri comperta, fluctuabat animo qualiter ſe ſuámque prolem ab imminenti liberaret interitu. Tunc Gundoaldus Dux arreptum puerum CHILDEBERTVM nomine, per feneſtram in ſporta depoſitum cuidam fidelium ſuorum tradit, vt eum Mettis exhiberet. Quem inibi perductum, adnitente Gundoaldo, de quo præmiſimus, vniuerſi Auſtraſij in Regnum ſublimant patris. Brunichildem onere filij leuatam altera inuadit cura. Nam ſibimet timenti nec ſomnus oculis, nec animo quies dabatur. Cui etſi voluntas diſcedendi erat, facultas deerat. Tantis ergo preſſa ſolicitudinibus, à ſuperueniente Chilperico Rothomagum in exilium truditur. Theſauri eius opibus Chilperici ſociati, filiæ Meldis ad cuſtodiendum miſſæ ſunt. XIV. CHILDEBERTVS.

C

De Merouei, & aliorum Regum geſtis.

MEROVEVS etiam miſſus à patre Chilperico, vt ciuitates, quæ flumini Ligeris adiacent, ad ſuam tranſduceret partem, poſtpoſito patris præcepto, Cenomannis contendit, ac ſi matrem ſuam Audoueram, quæ ibidem exulabat, viſitaturus. Indè Rothomagum tranſiens, ad Brunichildem venit: eámque in coniugium accepit. Non tulit hoc Chilpericus pater: ſed eos ab inuicem diſſociare volens, Rothomagum vſque acceſſit. Cuius illi declinantes præſentiam, Baſilicam ſancti Martini ſuper muros præfatæ vrbis ligneis conſtructam tabulis ſunt ingreſſi. Irritáque fuiſſent Chilperici tentamentorum exordia, niſi ſacramento ſpopondiſſet: Se eos minimè ſeparaturum, imò permittente Deo magis copulaturum. Quo illi credentes, ad eum progreſſi, & ab eo apparatioribus epulis per biduum ſunt ſuſcepti. Tertio die profectus ſecum abducit filium, paruipendens quod dederat iuſiurandum. Morum egregius cenſor, qui inlicitum in filio damnaret matrimonium, nec futurum pro periurio ſuper ſe Dei pertimeſceret iudicium. Verùm ille plus metuebat verſuta Brunichildis ingenia, ne filium imbueret perfidiâ, quàm indignaretur pro diuinæ legis illata iniuria. XV.

REVERTENTI indè nunciatur Proceres Campaniæ Remenſis Sueſſionenſem ſibi præripuiſſe vrbem. Qui continuò raptis copiis, eoſdem acie ſuperans mul-

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, CHILDEBERTVS.

tos nobilium interemit: captámque ciuitatem iuri suo restituit. CLODOVEVM A verò filium Turonis dirigit: vt & Petrogoricum Aginnensémque pagum sibi subiciat edicit: iuncto ei Duce Desiderio, vt eius frueretur in cunctis incommoditatibus subsidio. Quos Mummolus Guntranni Patricius, obuiam cum exercitu progressus, deuicit, fugauítque non sine maximo suorum detrimento. Nam de exercitu eius quinquaginta millia sunt cæsa: cùm à parte hostium, licèt deuictorum, non nisi viginti millia sint prostrata. Exindè Chilpericus filium Meroueum suspectum doli, quòd partes Brunichildis fulciret, instigante nouerca Fredegunde coma adtonsum, ac in Monasterio Aninsolæ detrusum, iussit ordinari Presbyterum.

De diui Germani Episcopi transitu, sanctitate, & miraculis.

XVI. EODEM tempore sanctissimus, & verè Deo dignus, Germanus Parisiorum Episcopus migrauit ad Dominum. Cuius corpus in Oratorio sancti Vincentij est sepultum. Quid autem Fortunatus de hóc beatissimo scripserit viro, non prætermittam. Quadam, inquit, vice præcellentissimus Rex Childebertus senior, cùm ei direxisset sex millia solidorum pauperibus eroganda, expendens tria millia reuertitur ad Palatium. Interrogatúsque à Rege si adhuc resideret quod tribueret, respondit medietatem resedisse, nec inuenisse inopes quibus totum expenderet. Cui Rex: Domine, inquit, dona quod restitit. Nam, Christo largiente, quod » donetur non deficit. Incidens namque Rex aurea missoria, & argentea comminuens vasa, quicquid primùm habebat dabat Sacerdoti ne perderet. Erat ergo expectanda contentio inter Sacerdotem & Principem. Faciebant apud se de misericordia pugnam, & de pietate certamen: thesauros vt spargerent, ac de suis talentis egeni ditescerent. Denique alia vice cùm aptus ad sedendum Sacerdoti requireretur equus, Rex ei suum tribuit, rogans vt sibi eum retineret. Interim beatus vir postulanti captiuo equum donat interdictum: quoniam apud ipsum plus fuit, quàm illa Regis, vox pauperis. B

TVNC quoque Chilpericus Legationem suscepit Childeberti iunioris, nepotis sui, petentis matrem suam sibi reddi Brunichildem. Cuius ille non aspernatus preces, eam cum munere pacis poscenti remisit filio.

De Regum Hispanorum rebus.

XVII. ATANAHILDO autem Rege Hispaniæ defuncto, Leuua cum Leuigildo fratre Regnum assumunt. Mortuo Leuua, Leuigildus integrum Hispaniæ Regnum tenuit, habens Gadsuindam matrem Brunichildis vxorem. Apud Longobardos Alboin, de quo præmisimus, regnabat. Qui maxima ex parte Italiæ vrbibus potitus, suos in eis statuit: Romanos, quos vel maximè aduersarios patiebatur, expulit. Hic ciuitatem, cui Ticinum nomen est, quæ alio vocabulo Papia dicitur, per tres annos obsidens, tandem cepit. Cuius cùm incolas, vtpote paganus, quia Christianos esse cognouerat, gladio ferire destinauisset, equus eius in medio portæ corruit. Qui calcaribus impulsus, fustibus cæsus, nullo modo adigi poterat ad surgendum. Tandem suggerentibus suis in religionem Rex conuersus, fregit quod de nece Christianorum vouerat votum. Huic fuit nupta CHLODSINDA Chlotarij Francorum Regis filia. Qua defuncta, Rosemundam Chunimundi Gepidorum Regis natam accepit coniugem: cuius ipse dudum interfecerat patrem. A qua, cùm tribus & eo ampliùs annis in Italia super Longobardos regnasset, in vindictam paternæ necis dedecorosissima interemptus est morte. Et vir bellicosissimus, summæque audaciæ, vnius mulierculæ consilio periit: qui per tot hostium strages bello famosissimus extitit. Et illa quidem tantæ immanitatis debita luit maturato supplicia. Nam dum corruptori suo, Helmechis nomine, quem ipsa in necem Regis armauerat, postmodum è balneo egredienti veneni poculum, quod salutare asserebat esse, porrexisset, ille agnito mortiferum haustum se bibisse, euaginato gladio eam quod reliquum erat bibere coëgit. Sicque nefandissimi homicidæ iustæ factorum suorum subiacuere vindictæ. At verò post Alboin, cùm Cleph nobilissimus Longobardorum anno vno & sex mensibus tenuisset Princi- C

A patum, denuò Duces in Longobardorum gente decennio creati sunt. Et vnusquisque Ducum suam regebat ciuitatem. E quibus aliquanti Gallias prædandi cupidine petentes, apud Prouinciam cum Amato Patricio, qui Regi parebat Guntranno, bello confligunt. Factáque de Burgundionibus maxima strage, ipsum Ducem interemerunt. Quod Guntrannus audiens, euocato ad se Mummolo spectatæ virtutis viro, Patriciatus ei indixit curam. Prorumpentibus iterum in Gallias Longobardis, Mummolus cum valida Burgundionum manu occurrit. Qui duobus præliis hostibus vsque ad supremum labefactatis, reliquos fugaciter in Italiam redire compulit. Nec vltra adiecerunt animum Longobardi vt ad Gallias transirent. Nam Mummolus post tergum eorum Francorum dirigens exercitum, Anagnis castrum, in finibus Italiæ situm, debellauit & cepit. Quam ob caussam Comes Longobardorum Ragilo, Anagnis veniens, deprædatus est: & ad sua reuerti festinans, ab obuio sibi Duce Francorum, Chrannichis nomine, perimitur.

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, CHILDEBERTVS.

De Iustini minoris gestis.

PER hæc tempora apud Constantinopolim, vt suprà præmisimus, Iustinus minor regnabat: in tantum auaritiæ deditus, vt arcas ferreas fieri iuberet, in quibus ea quæ rapiebat auri talenta congereret. Hic cùm à diuinis mandatis aurem cordis auerteret, iusto Dei iudicio amens effectus est. Post hæc Tyberium Cæsarem adsciuit, qui eius Imperium gubernaret: hominem iustum, vtilem, eleemosynarium, sapientem, in iudiciis æquum, in victoriis clarum, & (quod his omnibus supereminet) verissimum Christianum. Igitur Iustinus cùm vndecim imperasset annis, amentiam tandem, quam incurrerat, cum vita finiuit. Bella sanè, quæ per Narsetem Patricium Gothis vel Francis illata superiùs per anticipationem diximus, Iustiniani quidem temporibus cœpta, sed sub Iustino terminata sunt. XVIII.

B

De Tyberio Constantino, & eius Imperio.

MORTVO Iustino, Tyberius Constantinus Romanorum Regum quinquagesimus sumpsit Imperium. Hic, vt superiùs diximus, sub Iustino adhuc Cæsar cùm Rempublicam regeret, & multas egenis eleemosynas erogaret, magnam ei Dominus auri copiam subministrauit. Nam deambulans per Palatium, vidit in pauimento Domus tabulam marmoream, Dominicæ Crucis vexillo insignitam, & ait: « Crucem Domini, qua pectus frontémque munire debemus, indignis vt quid pedibus conculcamus? » Et simul cum verbo iussit eandem tabulam auferri à pauimento. Qua amota, reperiunt & aliam simili signaculo expressam. Post hanc quoque reperiunt & tertiam. Quibus ablatis, inæstimabilis diúque occultatus in lucem profertur thesaurus. Quem Tyberius iuxta consuetum sibi morem pauperibus erogauit. Narsetis quoque thesaurum in quadam Italiæ vrbe terra defossum, quodam decrepito indicante sene inuentum, in simile distribuit opus. Sophia verò Augusta, immemor promissionis quam Tyberio fecerat, eum ab Imperio remouere, Iustinianúmque Iustini nepotem substituere moliebatur. Quod Imperator agnoscens, Augustam custodiæ mancipauit: Iustinianum verbis obiurgatum blandioribus tanto in posterum amore dilexit, vt filiam suam filio eius promitteret, ac filio suo filiam eius sociandam exposceret. Sed hæc res, qua de causa, incertum est cur non peruenit ad effectum. Ad hunc Chilpericus Rex Francorum suos dirigens Legatos, multa ab eo ornamenta, aureos etiam singularum suscepit librarum, habentes ab vna parte effigiem Imperatoris, & in circulo scriptum, TYBERII CONSTANTINI PERPETVI AVGVSTI: ab alio verò quadrigam ac ascensorem, continentésque scriptum, GLORIA ROMANORVM. Huius exercitus ab eo missus Persas potentissimè debellauit: victórque regrediens tantam prædæ molem cum viginti pariter elephantis abduxit, vt humanæ crederetur posse sufficere cupiditati. XIX.

C

GVNTRANNVS, & CHILPERICVS, CHILDEBERTVS.

De Britannorum rebus, & Guntranni facinore.

XX. DVm hæc in Orientis geruntur partibus, in Britanniis hæc acta sunt. Macliauus & Bodicus illo tempore Comites Britonum erant: qui amicitiam mutuam sacramentis adinuicem datis iunxerant. Mortuo Bodico, Macliauus filium eius Theodericum de Regno Britanniæ expulit. Theodericus resumptis viribus, Macliauum cum filio eius, Iacob nomine, interfecit, paternámque hereditatem recepit. VVarocus Macliaui filius patri in Comitatu succedit. Tunc quoque Guntrannus Rex Francorum duos Magnacharij soceri quondam sui filios interemit, facultates eorum fisco subiciens. Dehinc subsecuta mors duorum filiorum ipsius est. Quapropter Guntrannus liberis orbatus, Childebertum suum ex fratre Sigeberto nepotem adoptauit in filium.

De Chilperici in Prætextatum simultate.

XXI. CHILPERICVS frater eius, alter Rex Francorum, Prætextatum Rothomagensem Episcopum exilio destinauit: eò quòd consilio Brunichildis Reginæ vsus, insidias ipsi parasse diceretur. Meroueus verò filius eius, quem tonsuratum ac Monasterio detrusum à patre fuisse memorauimus, iterum laicus efficitur. Nam à Guntranno Duce, de quo sequens sermo plura narrabit, per Legatos sollicitatus, à Monasterio egressus, & à Gaileno suo familiari veste laicali indutus, ad Ecclesiam sancti Martini Turonis vt confugeret, est impulsus. Ad hanc denique & ipse Guntrannus confugerat, metuens minas Regis Chilperici: eò quòd diceretur filium eius Theodebertum in bello superiùs memorato interemisse. Quapropter Chilpericus Ruccolenum quendam Turonis direxerat, qui eum exindè vi abstraheret. Ruccolenus Turonis veniens, beato Pontifici tunc Gregorio mandauit, vt Guntrannum à Basilica sancta expelleret. Quod si agere differret, sciret eum cum valida manu venturum, & hæc impleturum. Sanctus autem Antistes » respondit: Hoc nunquam fuisse factum, nec à se vllo modo esse faciendum. Interim miser dum domum Ecclesiæ, in qua hospitabatur, destruere non formidat, regio correptus morbo, ad Basilicam sancti Martini defertur. Vbi nil medelæ adeptus, non post multos dies est defunctus. Porrò Meroueus ad sæpedictam veniens Ecclesiam, memorato Pontifice Missas celebrante, petiit eum eulogias sibi dare. Quo recusante, minatus est se quosdam de populo interimere, quoniam sine iudicio Sacerdotum eum communione priuaret. Tunc Pontifex eulogias quidem ei dedit, Regi verò per Diaconum innotuit quæ acta fuerant. Regina itaque clamante, ipsum Clericum exploratorem à Meroueo missum, Rex eum in exilium relegauit. Direxit autem ad Sacerdotem, vt inimicum suum de Ecclesia expelleret. Sed eo differente, Chilpericus exercitum commoueri præcepit. Quod audiens Meroueus, à Basilica egredi voluit. Leudastis verò Turonicus Comes pueros eius, qui pro necessariis causis in villam ierant, peremit. Quapropter Meroueus, adnitente Guntranno, Marileffum Medicum à Rege venientem tenuit: ablatóque auro ac argento quod ferebat, eum vtique occidisset, nisi ille Ecclesiam expetisset. Interea dum de patre ac nouerca Meroueus multa loqueretur facinora, quadam die Gregorium Episcopum ad conuiuium inuitans, rogat aliquid ad ædificationem legi. Tunc Antistes arrepto Salomonis libro, hunc primum versiculum inuenit, ac legit: *Oculum qui auersatur patrem, effodiant eum corui de torrentibus.* Et hæc quidem ille non intellexit, Antistes verò miratus est, redargutionis sibi verba prima occurrisse. (Prov. 30.)

De Guntranno Phytonissam consultante.

XXII. POst hæc direxit Guntrannus ad mulierem Phytonissam, quæ ei aliquando non solùm annum, sed & diem & horam, qua Charibertus Rex obiret, prædixerat, vt eam super statu interrogaret suo. Cui illa hæc remisit mandata: Hoc » inquit, anno Chilperico defuncto, Meroueus deuictis fratribus Regnum accipiet, » téque Ducem constituet. Quo munere quinquennio functus, septimo efficieris

A Episcopus. Hoc ille Episcopo Gregorio retulit: & ab eo hoc responsum accepit: Ista magis à Deo quàm à diabolo exquiri debuissent. Verumtamen Fredegundis, quæ occultè Guntranno fauebat propter mortem Theodeberti (non enim fuerat ex ea natus) misit ad eum, vt Meroueo suaderet egredi ab Ecclesia. Ille præsto putans fore percussores, non distulit: sed nil ei nocuit. Demum Chilpericus per Diaconum ad Sepulcrum sancti Martini duas mittit cartulas: quarum vna continebat, vt sibi diuinitus in alia, quæ erat vacua, rescriberetur, si foret fas Guntrannum à templo extrahi. Diaconus triduò expectans, inanis à responso abscessit. Sed Guntrannus venientibus regiis missis, pallam altaris cum sacramento fideiussorem dedit: iactanter pollicitus nunquam se inscio Rege templum egressurum. GVNTRANNVS, CHILPERICVS, CHILDEBERTVS.

De Meroueo oraculum à libris diuinis petente.

TANDEM Meroueus, postpositis Phytonissæ responsis, per triduum vigilans, in diuinis hoc responsum Libris accepit. In Regum quidem: *Eo quod,* inquit, *reliquistis Dominum Deum vestrum, tradidit vos Deus in manus inimicorum vestrorum.* In Psalterio autem: *Deiecisti eos, dum alleuarentur.* In Euangelio verò: *Scitis quia post biduum pascha fiet,* &c. His ille visis flens, ad sancti Martini tumbam cum quingentis & eo ampliùs viris, assumpto quoque Guntranno Duce, B discessit, & per Autissioderensem vrbem Diuione castro veniens, exindè ad Remensem Campaniam transiit. Qui à Taruanensibus in quadam villa circumuentus, & se capiendum fore intelligens, veritus ne si ad patrem duceretur, graues de se pœnas daret, Gailenum quendam sibi familiarem rogauit, vt se gladio percuteret. A quo cultro per viscera traiectus interiit. Gailenus truncatis manibus ac pedibus, naribus simul & auribus, turpiter vitam finiuit. Post hæc SANSON filius Chilperici mortuus est. Cuius funus cum nimia lamentatione idem Rex prosecutus est. Eo anno stella in medio Lunæ fulgens visa est. XXIII. Psal. 72. Matth. 26.

De Guntranni-Bosonis filiabus virtute patris liberatis, suffragante diuo Martino.

QVIDAM potentissimus Procerum Chilperici, Guntrannus-Boso vno nomine sic dictus, relictis in Ecclesia sancti Hilarij filiabus suis, ad Childebertum transiit. Anno verò tertio Regni Childeberti Iunioris, qui erat Chilperici & Guntranni septimusdecimus, Guntrannus-Boso filias suas Pictauis auferre volens, Dracolenum quendam sibi infestissimum, séque persequentem, vt à se auerteretur, precibus ac muneribus flectere nitebatur. Dracolenus, vt erat mente elatus, superbè respondit: asserens se funiculum, quo alios deceptos perdere solebat, paratum habere, vt eo Guntrannum inuolueret. Non tulit Guntrannus superba C iactantem, sed manus eleuans in cœlum, prodigia facientem inuocauit Dominum, & vt sibi per intercessionem beati Martini misereretur, orauit. Congressus contra aduersarium, fauces contumaciæ verba profantes conto transfodit, eleuatúmque è sella equitatoria deiecit exanimem ad terram. Hoc euentu felici vsus, translatas à Pictauorum vrbe filias deduxit quò voluit. XXIV.

De Pictauorum Britonúmque discordia.

PICTAVENSES quoque & Bagasseni, qui nunc Arbasseni dicuntur, coniuncti Andegauensibus, VVarocum Comitem Britonum repentino impetu opprimere moliebantur. Quorum præuenit insidias VVarocus, circa medium noctis super eos irruens, & maximam ex eis stragem faciens. Tertia verò die cum Ducibus Chilperici fœdus pepigit, dans filium suum obsidem, & quæ peruaserat reddens. Venetum quoque vrbem ea conditione refudit, vt si ex gratia Regis eam tenere mereretur, tributa quotannis soluere non moraretur. Aliquanto autem interiecto tempore à fide desciscens, Eunium Veneticæ vrbis Episcopum ad Regem dirigit, pro quibusdam causis responsa laturum. Quem Rex cum ira obiurgatum direxit in exilium. XXV.

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, CHILDEBERTVS.

A

De Chilperici in Prætextatum Episcopum accusatione, & Prætextati purgatione.

XXVI. HIs ita gestis, Chilpericus Rex congregato concilio Pontificum in Ecclesia sancti Petri Parisiacæ vrbis, Prætextatum Rothomagensem Episcopum (cuius iam meminimus) exilio reuocatum, in eorum præsentia cum hac accusatione exhibuit, dicens: Quamuis, venerandi Pontifices, Regia potestas reum Maiestatis legibus condemnare possit: ego tamen hunc, qui falsum sibi Pastoris nomen vsurpat, coniurationis contra me factæ auctorem, sacris non contradicens Canonibus, vestræ audientiæ repræsento. Et conuersus ad Prætextatum Rothomagensem Episcopum: Vt quid, ait, ô Episcope, munera populo contra meam erogasti salutem? Quáve de causa filium meum Meroueum cum vxore patrui coniunxisti? Non ignorabas, quid de hac causa sacri sanctiant Canones? Quare autem ita filium aduersus patrem armasti suum, vt ille pariter cum vita Regnum vellet eripere meum? Postquam verò Rex siluit, Franci, qui præ foribus stabant frementes, ostia Basilicæ effringere nitebantur, vt Antistitem pœnis subderent. Sed Rex hæc fieri prohibens, Prætextato copiam purgandi tribuit. Cúmque ille obiecta refelleret, quidam falsi testes surgentes calumniabantur à Pontifice sibi munera data, vt Regem dolo perderent. Quibus Episcopus: In hoc, inquit, veros vos esse confirmo, quod muneratos vos à me fore fatemini. Quid enim vestris dicatus donis aliud agerem, nisi vt par pro pari referrem? Quòd verò falso confingitis, me mala Regi machinatum esse, id omnibus modis falsum est. Hæc eo dicente, Rex quidem in Regiam se recepit. Episcopis autem in domo Ecclesiæ residentibus, adueniens Etius Archidiaconus Parisiensis ita eos alloquitur: Nunc, inquiens, est tempus, ô sanctissimi Sacerdotes, quo aut pro vestra magnanimi constantia glorificemini, aut pro deiectione & contumelia fratris ac Coëpiscopi vestri, contemptui in posterum, si tacueritis, habeamini. Tunc ceteris tacentibus (quòd metuerent Reginæ furorem, cuius instinctu ista gerebantur) & digitum ori suo superponentibus, Gregorius Turonorum Antistes sic orsus est loqui: Oportet nos, fratres charissimi, & maximè eos qui Principis fruuntur familiaritate, salubria ei suggerere consilia: ne fortè ira deuictus plus iusto in Sacerdotem Domini commoueatur, & à Deo innocentium vltore grauiùs puniatur. Illis quoque nec ad ista respondentibus, subiunxit Antistes: Cauenda nobis, sanctissimi Patres, illa terribilis Domini comminatio est, quam per Prophetam prænunciauit, *Si me*, inquiens, *dicente ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, sanguinem eius de manu tua requiram*. Nos itaque, qui speculatores in Domo Dei sumus positi, non negligamus Regi pericula ostendere sua: &, si necesse sit, exemplis ad resipiscendum prouocetur: qualiter Maximus Imperator, beatum Martinum impiis communicare compellens, imperio pulsus sit; vel Chlodomirus, Sacerdoti Auito non obaudiens, interierit. Cúmque nec tunc quidem aliquis eorum responsa præbuisset, aliqui adulatoriæ artis Regi denunciauerunt: nullum ei pertinaciùs resistere quàm Gregorium Turonicum. Qui mox per quendam Aulicum euocatus, stante Rege propter tabernaculum ramis tectum, Bertrannóque Burdegalensi Pontifice dextræ eius inhærente, sinistræ verò Ragnemodo Parisiaco, taliter Rex Episcopum allocutus est dicens: Dic, domne Pontifex, qui iustitiæ tramitem ceteris seruas, mihi cur denegas? Sed, vt video, peruersis consentis, & impletur in te vulgare prouerbium, quòd coruus corui oculum non eruet. Cui Sacerdos: Mihi, inquit, ô Rex, æquitatem deserenti correptores erunt multi. Te autem delinquentem quis corripiet, nisi ille qui se fatetur peccaminum vindicem? Quapropter si nos, te de iustitia commonentes, audire contempseris, plus à Deo quàm à nobis condemnaberis. Ad hæc Rex: Apud alios semper iustitiæ causam obtineo, apud te nunquam. Verùm ego optimam inueni vltionis meæ materiam. Persuaso namque Turonico populo, vt clamet sibi à te æquitatis iura denegari, ego quoque proclamabo, me, qui etiam regia polleo dignitate, nil eorum quæ ipsi postulant, à te posse promereri. Et sic orto aduersum te populorum odio, iniusti nomine denotaberis. E contra Pontifex respondit: Siquidem sim iniustus, id Deo magis quàm tibi notum est. Tu verò si nostra aspernaris monita, sacros

Ezech. 3.

B

C

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, CHILDEBERTVS.

A sume Canones, &, his saltem consentiens, iusta decerne. Tum demum Rex animum Antistitis, vt erat callidus, hoc modo mulcere cœpit. Erat autem coram eis mensa, panísque superpositus, cum diuersis ferculis. Ait ergo Rex ad Sacerdotem: En, inquit, ferculum tui gratia paraui, in quo nil aliud quàm cicer, carnésque continentur volatilium. Vtere nunc eo libens mecum. Beato verò Gregorio respondente, quòd cibus ei gratior esset, facere voluntatem patris sui qui in cœlis est, & à Rege petente, vt sponderet Rex, nihil se contra Canones acturum, eleuatis Chilpericus manibus iurauit per viuentem in secula, se decreta sanctorum Patrum non transgressurum. In crastinum verò, aurora incipiente, Legati Fredegundis Reginæ ad hospitium memorati Pontificis venerunt, poscentes, & duas libras argenti pro munere offerentes, vt in deiectionem Prætextati consentiret ceteris Episcopis. Dicebant enim, aliorum se voluntatem probatam habere. Illo itaque recusante, & si sibi mille libræ darentur, nullo modo assentire velle se asserente: illísque magis instantibus, tandem pollicitus est in decretis Canonum fratribus suis se assensum præbiturum. Tunc illis quæ petebant se impetrasse putantibus, & gratias agendo recedentibus, aduenerunt quidam Sacerdotes similia petentes. Quibus Antistes eadem quæ prioribus reddidit responsa. Conuenientibus autem in Concilium Episcopis, adueniens Chilpericus Rex ait illis, reperisse se in decretis Canonum: Quòd Episcopus furti obnoxius sacris deberet priuari

B ordinibus. Erat enim Rex literis eruditus. Cúmque Pontifices quærerent, quis eorum furti insimularetur? Rex dixit: Num obliti estis, quanta vobis ostenderim, quæ Prætextatus mihi furto abstulit? Demonstrauerat namque Rex pridie varia ornamenta, quorum pretium ad tria millia æstimabatur solidorum, cum sacculo duobus millibus numismatibus aureis referto. Hæc omnia dicebat sibi ab Episcopo furata. Sed Prætextatus obiectis facilè se purgauit, hoc modo Regi responsa dans. Excellentia tua, Domine mi Rex, reminisci valet, si dignatur, Brunichildem à Rothomago abeuntem plerasque sarcinas in diuersis speciebus mihi commendasse: & post aliquod tempus missis pueris eas à me repetisse. Cúmque ego ex hac re tuam consuluissem voluntatem, præceptis obaudiens tuis, vnam eis sarcinam, eò quòd amplius ferre non valerent, contradidi. Venientibus iterum ac tertiò, ex tua iussione cetera reddidi: dicente Magnificentia tua mihi, vt à me ea reicerem, ne pro his ira inter vos iterum repullularet. Hæ duæ tantùm sarcinæ apud me remanserunt. Nunc igitur cuius furti me arguis fore obnoxium? Cui respondit Rex: Si hæc ita se habent, & custodiæ causa ista suscepisti, cur limbum aureis intextum filis exindè rapiens secuisti, & eum, pro nostri deiectione, his quibus tibi placuit distribuisti? Tunc Sacerdos: Ad ista iam, inquit, semel dixi, & nunc iterum dico, me non ob aliud illis ista largitum fuisse, nisi vt eorum muneribus mihi concessis parem referrem gratiam. Vt verò, propriis deficientibus, ex commendatis aliqua præsumerem, confidentia ausum tribuit: eò quòd Mero-

C ueus, cuius illa coniugium expetiuerat, ex te carnaliter genitus, mihi in baptismo spiritalis esset filius. Animaduertens Chilpericus Prætextatum hoc modo non posse superari, relicto Concilij loco, ac conuocatis quibusdam sibi adulantibus, ait illis: Victum me verbis Episcopi fateor, & vera eum prosequi scio. Sed vt Fredegundi Reginæ satisfiat, ite, ac ex vestra quasi persona consilium ei dantes dicite: Scis quia Dominus noster Chilpericus Rex misericors est, & confessis citò ignoscit. Vade ergo, & prosternere pedibus eius, confiteréque te in eum peccasse, ac confestim indulget tibi. Quibus iussa perficientibus, seductus est Prætextatus eorum dolis: qui se quoque pollicebantur pedes Regis deosculaturos, vt ei ignosceret. Sequenti die residentibus Episcopis in Concilio, Chilpericus cum Prætextato iteratò altercari cœpit, dicens: Si munera pro muneribus retribuisti, sacramenta pro parte Merouei contra meam salutem cur exegisti? Ad hæc Sacerdos respondit: Innotui Celsitudini vestræ, Meroueum me ex lauacro suscepisse salutari. Ideóque si facultas fuisset, etiam Angelum Domini in eius euocassem auxilium. Quid plura? procedente longiùs altercatione, Prætextatus ad pedes Regis corruit, clamans: Miserere, clementissime Rex, homicidæ, qui te Regno pellere volui, & filium tuum tibi substituere. Hæc eo loquente, prostratus & ipse Rex pedibus aliorum Sacerdotum, qui in Synodo residebant, aiebat: Audite, sanctissimi Sacerdotes, nefandissimum reum execrabile crimen confitentem. Ve-

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, CHILDEBERTVS. rumtamen Pontificibus à terra Regem eleuantibus, iussit Rex Prætextatum ab Ecclesia egredi. Ipse autem in Regiam se recepit, mittens ad Synodum quosdam Canones, quibus erat annexus quaternio nouus, continens hæc: *Episcopus in homicidio, vel ceteris criminalibus deprehensus peccatis, sacris priuetur ordinibus.* His lectis, dum Prætextatus staret stupens, ait illi Bertrannus Burdegalensis Antistes: » Audi frater, & quondam Coëpiscope, nisi Regis promerueris gratiam, nostra non » poteris frui societate. Post hæc rogauit Chilpericus Pontifices, vt aut vestis Prætextati scinderetur, aut centesimus octauus Psalmus (qui maledictiones Iscariothicas continet) super eum recitaretur, vel certè in perpetuum communione priuaretur. Sed Pontificibus hoc agere recusantibus, & maximè Gregorio Turonensi renitente, ab Ecclesia Prætextatus pellitur, ac custodiæ traditur. De qua dum fugere noctu niteretur, cæsúsque, in insula quadam maris, quæ ciuitati adiacet Constantiæ, in exilium relegatur. A

De Guntranni Burgundionum Regis ad Childebertum oratione.

XXVIII. PORRO Guntrannus Rex Burgundionum Childeberto Regi Austrasiorum, nepoti suo, vt pacificus cum Proceribus Regni sui ad pontem, quem Petreum dicunt, sibi occurreret, mandauit. In cuius aduenientis amplexibus diu immora- » tus, vniuersis audientibus sic est locutus: Euenit, meis præpedientibus peccatis, » vt ex me genitis carerem filiis. Vnde mihi propriis orbato heredibus, necesse est » quærere extraneos, quibus partos relinquam thesauros. Optimum itaque iudi- » caui te, omni humana carne mihi carior nepos Childeberte, eligere, qui & mei » successor Regni, & congregati esses possessor thesauri. Quapropter maneat, oro, » quæ inter patrem ac filium debet manere dilectio. Vnus nos protegat clypeus, vna » contra aduersantes tueatur hasta: & ab hodierno & deinceps talis inter nos cari- » tas permaneat, vt si dante Deo filios procreauero, te tamen à iure non secernam » hereditario. His dictis, & Proceribus Childeberti pro eo spondentibus, eò quòd ipse puer adhuc esset, simul prandentes, & se muneribus honorantes, ad sua sunt reuersi. Verumtamen Legatos vtrique ad Chilpericum Regem miserunt, denunciantes vt aut ea quæ de eorum Regno peruaserat redderet, aut se ad belli certamina præpararet. Quod ille tunc quidem despectui habuit. Quo tempore sinister populi rumor aduersus Salonium & Sagittarium Episcopos surrexit. Hos sanctus Nicetius Lugdunensis Antistes, enutritos, primum quidem Diaconij, deindè Sacerdotij eos gradibus insigniuit. Et Salonium quidem Ebreduni, Sagittarium verò apud Vapingum Episcopos instituit. Illi verò non velut Episcopi religioni operam dabant: sed tanquam Tyranni, homicidiis, rerum alienarum peruasionibus, adulteriis quoque vacabant. Et in tantum eorum excreuit malitia, vt super Victorem Tricassinum Antistitem, natalitij sui diem festum agentem, cum cohorte irruentes militari, eius vestimenta scindentes, famulos cæsos fugantes, apparatum prandij omnem raperent, & ipsum cum hac contumelia solum relinquerent. Qua causa ad aures Guntranni Regis delata, ex eius iussu collecta est Synodus apud Lugdunum, qua præsidente sancto Nicetio, hos conuictos à propriis expulit sedibus. Vnde illi grauiter indignati, Regis gratiam sibi adquirentes, acceptis ab eo Epistolis ad Papam Romanum Ioannem profecti sunt. Cui persuadentes, se iniustè damnatos, Scripta eius ad Regem detulerunt, iubentia vt suis restituerentur locis. Quos Rex verbis corripiens, ad proprias iussit vrbes redire. At illi cum Victore quidem pacem facientes, homines qui ei iniurias irrogauerant direxerunt, vt ipse in eis vlcisceretur. Qui Dominici præcepti memor, non reddens mala pro malis, illæsos dimisit ad propria. Salonius denique & Sagittarius pessimis quotidie adiicientes peiora, in expeditionem, quam Mummolus contra Longobardos egit, pergentes, multa perpetrarunt homicidia. In ciuibus pari modo suis ita crudeliter sæuiebant, vt multos vsque ad effusionem sanguinis cæderent. Quod vbi Regi Guntranno nunciatum est, eos exhiberi præcepit: à præsentia tamen sua vsque ad audientiam sustinere. Hoc Sagittarius adeò indignè tulit, vt de Rege » indigna loquens, publicè proclamaret: Filios Regis non fore regnaturos, eò quòd » mater eorum ex Magnacharij fuisset familia. Erant namque adhuc filij Regis superstites. Propter hoc Rex ira commotus, equos eorum & cuncta quæ habebant abstulit,

A abstulit, & ipsos in duobus Monasteriis à se procul diuisis pœnitentiam agere constituit. Mandans propriis Iudicibus circum ea loca constitutis, vt eos cum summa armatorum cautela custodirent, ne fortè elaberentur. Tunc fortè seniore ex filiis Regis ægrotante, accedentes quidam familiarium eius ad eum, suaserunt vt præfatos Episcopos ad proprias iuberet regredi Ecclesias: ne fortassis ob eorum damnationem ira Dei super domum incumberet Principis. Cúmque Rex petita non abnuisset, Salonius & Sagittarius regressi ad sua, tam eximios sanctæ religionis cultores se ostendebant, vt quotidie totum ex ordine Psalterium recitando, nunquam à psalmodia cessare viderentur. Qui tamen post paululum ad suum in tantum reuersi sunt vomitum, vt fornicationi & ebrietati inseruientes, dum Clerici matutinos psallerent Hymnos, ipsi adhuc in conuiuio positi vina flagitarent. Incipiente verò aurora, circumdati mollibus, vsque ad tertiam diei horam somnum capiebant. Cúmque in talibus versarentur, Deum post terga ponentes, ipsi quoque à Deo postpositi iram eius incurrerunt, vt in sequentibus demonstrabimus.

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, CHILDEBERTVS.

De Chilperici in Ennodium ceterósque Childeberti fautores sæuitia: & de motu Britonum.

B HIs diebus Chilpericus Pictauam peruasit vrbem, fidelésque nepotis sui, videlicet Childeberti Regis, cum Ennodio Duce, ab eius sunt hominibus pulsi. Ennodius itaque exilio trusus, facultatibus fisco subactis, post annum patriæ & suis redditus est rebus. Dacco autem Gadarici filius, relicto Chilperico dum vbique vagaretur, à Draccoleno Duce, qui dicebatur Industrius, fraude captus est, iurante sibi quòd non interficeretur. Cùm verò eum ad Regem perduxisset, egit vt interimeretur. Quod vbi Dacco in custodia positus agnouit, confessus cuidam Presbytero peccata sua, pœnitentiam nesciente Rege petiit. Qua accepta, interfectus est. Porrò Draccolenus à Guntranno Duce eo quo diximus interfectus est modo. XXIX.

Britanni eo tempore grauiter regionem vastando Redonicam, ad vicum, qui Cornutus dicitur, aduenerunt. Contra quos Bibolenus Dux missus recedentes insecutus est, Britanniámque ferro & igne depopulatur. Hoc adeo Britannos in maiorem commouit iracundiam, vt sequenti anno non solùm Redonicam, verùm & Nanneticam infestarent prouinciam. Qui tamen Legatis Felicis Nannetici Episcopi emendationem polliciti, mendaces fuerunt.

De violatione Templi Dionysiani, & reparatione.

ILLo tempore mulier quædam, à zelante viro apud Parisius quòd adultera XXX.
C esset impetita, dum opem petisset à suis parentibus, & illi eam innocentem credentes, sacramentum pro ea viro vel eius parentibus super sepulchrum sancti Dionysij fecissent, ab eis quòd periurassent redarguti sunt. Et causa vsque ad iurgium prorumpente, cùm propter nobilitatem eorum (erant enim primi in Palatio Regis Chilperici) neutra pars alteri cederet, gladiis se inuicem percutientes sacram Basilicam sanguine polluerunt. Interea Ecclesia sine officiis manente diuinis, dum hæc ad Regem delata fuissent, interminatus est nullis eorum prorsus fore beneuolum, donec Ragnemundi Parisiaci Antistitis, in cuius diocesi hæc acta fuerant, reconciliatione veniam mererentur. Quos Episcopus facinus confitentes, pœnitentiâ indicta, communioni restituit, Ecclesiámque reconciliauit.

De Nantini Engolismensis morte formidanda.

TVnc temporis Nantinus Engolismensis Comes huiusmodi ex causa grauem XXXI.
diuinitus est passus mortis pœnam. Maracharius auunculus eius Comitatu prædictæ vrbis diu potitus, ad Clericatum accedens, post non multum tempus Episcopus est factus. Quem cùm aduersarij eius, immisso in capite piscis veneno, nefandissimè necassent, non diu lætati sunt. Nam Frontonius, cuius consilio hoc

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, CHILDEBERTVS.

perpetratum est scelus, vno tantum anno post eum functus est Episcopatu. Cúmque ei Heraclius Burdegalensis Presbyter successisset, à Nantino, qui ob vlciscendam auunculi mortem Comitatum à Rege emerat, grauissimè increpabatur, quòd auunculi sui interfectores secum retineret. Quare in maius crescente controuersia, Comes villas Ecclesiæ ab auunculo per testamentum relictas peruasit: asserens quòd non deberet ea tenere testamenta, quorum testator ab eius fuerat Clericis interemptus. Post hæc crudeliori exardescens iracundiâ, interfectis etiam quibusdam laicis, vnum ex Presbyteris lanceâ vulneratum, dum adhuc viueret, suspendi, ac ad confessionem criminis cogi iussit. Qui diu reuinctis post terga manibus pendens, fluente è patenti vulnere sanguine innocentem reddidit spiritum. Pro tantis igitur sceleribus Nantinus ab Heraclio excommunicatus, conuenientes apud Sanctonas vrbem quosdam Sacerdotum rogauit, vt pro se Antistitem interpellarent: pollicitus se res Ecclesiæ redditurum, & mala quæ commiserat emendaturum. Antistes verò, rogantibus annuens fratribus, eum communioni restituit. Sed Comes ad Engolismam reuersus, domos quas peruaserat destruxit, dicens: » Si hæc Ecclesia recipit, saltem deserta inueniantur. Episcopus sanè, his auditis, iterum communione eum priuans vitâ decessit. Nantinus quoque à quibusdam Episcopis pecuniâ corruptis communioni redditus, in morbum incidit. Cùm » verò valida cruciaretur febre, clamabat: Heu! heu! quæ tormenta ab Hera» clio illata patior! Ipse me nunc cruciat, ipsius igne consumor. Mortem peto, ne » diu malè viuam. In his vocibus constitutus interiit. Audiant ista qui Sacerdotibus, vel Deo seruire cupientibus, iniurias irrogant. Intelligant Deum esse vindicem iniustè oppressorum.

De Chilperici per Fredegundem in suos sæuitia.

XXXII. CHILPERICVS etiam Rex, suggerente Fredegunde Regina, proscriptionibus grauissimis populum sibi subiectum atterere cœpit. Qua de causa multi è plebe natiuum relinquentes solum, maluerunt exules nouas quærere sedes, quàm patrios incolendo fines iniusto ruere sub onere tributi. Inter cetera namque quæ cogebantur soluere liberiori etiam orti progenie, è terra propria culta labore amphoram vini regiæ inferebant mensæ. Marcus Referendarius huic muneri præpositus, vt cunctas Aquitaniæ vrbes, quæ ad Regnum Chilperici respicere videbantur, ad hæc soluenda verbis vel minis inuitaret, à Lemouicinis seditione orta iugulatur: & tomi vniuersi quos secum ferebat igne cremati sunt. Porrò Chilpericus, dum pessimis quotidie adiiceret peiora, febre arripitur valida. A quo cùm conualescit languore, paruulus eius filius nec dum baptisma consecutus ægrotare cœpit grauiùs. Qui baptismatis gratiâ imbutus, leuato paulisper incommodo, matrem nequiuit lætificare gaudio pleno. Nam fratrem eius CHLODOBERTVM, cui ætas prouectior, eo conualescente doluit similia incurrisse. Ita denique latens pestis in totam diffundebatur regiam prolem, ac si à visceribus transiens paternis, in filiorum membris hereditariam videretur velle sibi vendicare sedem. Tandem Fredegundis, cuius toties dolor lacera torquebat præcordia, quoties semimortua natorum contemplabatur corpora, pristinæ feritatis oblita, humani induit compassionem animi. Adiénsque Regem, huiusmodi apud eum habuit sermonem: » Beneficiis, inquit, diuinis nosmet, mi vir, benefactis respon» dere conuenit, quos superna non punit clementia, tanto tempore perseuerantes » in malitia. Neque enim flagella omnipotentis Dei sustinuimus, quasi rei, sed » in virga filiorum eruditi, Propheticum illud dictum in nobis sumus experti: *Quia* Heb.12. » *flagellat Dominus omnem filium quem recipit.* Ecce namque nos & febribus, & variis » sæpè vexati calamitatibus, insuper filiorum amplexus amittimus gratissimos, quos » lachrymæ viduarum & orphanorum, à nobis iniustè oppressorum, morti reddi» dêre proximos. Pœniteat nos tandem aliquando malorum quæ gessimus: & con» uersi ad Dominum, placabilem eum super nostram implorenus fore malitiam. » Neque enim, quamuis indignos, sibi supplices auersabitur, quia est misericors & » miserator. Incendamus igitur iniquas descriptiones, & quas ad oppressionem con» stituimus pauperum, ad nostram nostrorúmque deleamus salutem. Nihil est quod » timeamus, si verè pœniteamus, quasi passuri grauia, qui pertulimus grauissima.

A Quid enim pati potest grauius, quàm vt amittatur quod est carius? Quid verò nobis poterit esse dulcius, quàm natorum affectus? Quibus porrò per tot annorum curricula partos reseruamus thesauros: si præmittimus hæredes, quos optaueramus fieri successores? Cauendum profectò est, ne illius Euangelici incurramus sententiam diuitis: qui innouando horrea, & congregando multa, accepit responsum, se non visurum diem crastinum, nec suarum cogniturum hæredem rerum. Sed propitius iam potest esse qui vindicauit, & mitior quàm si non vindicasset. Huiusmodi orationem circumferens Fredegundis Regina, transduxit Chilpericum Regem à furore animi, atque intentionem eius adeò emolliuit, vt libellos, quibus nephanda continebatur lex, manu propria voracibus traderet flammis. Quibus peractis, iunior eorum filius diem obiit. Cuius corpusculum in Oratorio sanctorum Dionysij ac sociorum eius Martyrum est humatum. Nec longum fluxerat tempus, alter quoque ex filiis superiùs nominatus CHLODOBERTVS, morti cœpit esse proximus. Consternata mater anxiis gemitibus languentis filij, ad Basilicam sancti Medardi Suessionis eum defert. Vbi vterque parens votis, aureis donis sancti honorarunt Sepulchrum. Sed adueniente nocte, æger vltimum exhalauit spiritum. Cuius funus præfatæ vrbis populus pulla veste circumamictus, cum maximo luctu ad Ecclesiam sanctorum Crispini & Crispiniani est prosecutus. Quo in loco prædictus Regis filius tumulariam est sepulturam adeptus. Sequenti abhinc anno alius ex filiis Chilperici, THEODORICVS nomine, terminum sortitus est vitæ. Vnde Chilpericus diuinæ animaduersionis iudicium ceruici imminere suæ cognoscens, multa pauperibus Christi, seu Ecclesiis, largitur donaria. Restiterat sanè adhuc vnus è regia prole, quem Chilpericus custodiæ mancipatum, suggerente Fredegunde, custodibus legauit puniendum. Ita efferbuerat Chilpericus in malitia, vt non ei sufficeret generi eius imminens cœlestis vindicta, nisi eam augmentaret per sua facinora. B

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, CHILDEBERTVS.

De inundatione aquarum, tempestate cœli, terræmotu, & prodigiis multis.

XXXIII.

ANNO V. Childeberti Regis (qui fuit nonusdecimus Chilperici atque Guntranni) tantæ lues aquarum per vniuersas regiones factæ sunt Galliarum, vt flumina terminos, quos nunquam antea excesserant, prætergressa, pecora quidem exitio, ædificia verò quorumque locorum graui afficerent ruina. Quibus alueorum suorum metas repetentibus, pluuiísque cessantibus, circa mensem, qui September dicitur, denuò arbores floruerunt. Tunc quoque fulgur per cœlum cucurrisse visum est, sonitúsque tanquam ruentium arborum per totam penè terram auditus. Burdegalensis ciuitas terræmotu concussa est: & de Pyrenæis montibus immensi lapides sunt euulsi, quibus immensa pecorum hominúmque multitudo percussa interiit. Vicus Burdegalensis incendio diuinitus orto, nulliúsque C hominis incitamentis augmentato, inflammatus, multos exussit, subitò comprehendens domos & areas frugibus refertas. Aurelianensis vrbs simili incendio vastata est. Apud Carnotinum pagum de effracto pane sanguis effluxit. In vrbe Pictaua lupus è siluis veniens, per portam ingressus est: qua cum ceteris clausa, lupum ciues in media interemerunt vrbe. Cœlum quoque ardere visum est: & Liger fluuius plus solito excreuit. Ventus Auster tam violens fuit, vt siluas prosterneret, domos vel sepes erueret, hominésque vsque ad internecionem volutaret. Cuius turbinis spatium, eo loci quo visus est cucurrisse, tenuit in latitudinem iugera septem: licèt longitudo quanta esset non posset æstimari. Sed hæc prodigia, grauia sunt subsecuta mala. Nam & discordia inter Reges orta, bella excitauit ciuilia: & dysenteriæ morbus totas propè occupauit Gallias. Qua peste AVSTRIGILDIS Regina Guntranno Regi nupta laborans, querelam marito aduersus Medicos detulit, quasi illorum negligentiâ erga se ægritudo conualuisset. Iussu Guntranni diuersis pœnis Medici interierunt: ipsáque pòst deficiens mortua est.

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, CHILDEBERTVS. A

De Legatis captis & remissis. De Maurilij Episcopi laudabilis obitu: déque Gregorij Turonensis pro fide Catholica victoria.

XXXIV. QVIBVS diebus Chilpericus Legatos Mirionis Galliciæ Regis, qui Sueuis imperitabat, ad Guntrannum Regem missos, apud Pictauum cepit, & Parisius in custodia posuit. Quos tamen post annum liberos ad propria remisit. Maurilius quoque Caturcensis Pontifex, dum propter podagræ infirmitatem candens ferrum tibiis seu pedibus imponeret, languorem pessimum incurrit. Quo ingrauescente, dum multi Episcopatum ambirent, ipse Vrsicinum eligens, dum adhuc superstes esset, benedici fecit, sicque ab hoc seculo migrauit. Fuit autem eleemosynarius valde, Scripturis in tantum eruditus diuinis, vt genealogias veteris Testamenti plerumque memoriter recenseret. Pauperes Ecclesiæ suæ erga iniquorum iudicum oppressionem sustentabat, vt illud Iob Domino decantaret, dicens: *Pater eram pauperum, & causam eorum diligentissimè inuestigabam.* Tunc etiam Gregorius Turonensis cum Egilane Leuuigildi Hispanorum Regis Legato, quem ad Chilpericum miserat, quia erat ipse Egila Arrianus, de fide sanctæ Trinitatis conflictum habuit, & eum mirabiliter superauit. Qui quamuis negasset se aliquando fieri Catholicum, tamen infirmitate impulsus est ipsam amplecti Religionem.

Iob. cap. 29.

B

De Tyberij Constantini obitu, & Mauritij in Imperium successione.

XXXV. TYBERIVS verò Constantinus postquam Imperium VII. rexit annis, sentiens diem suæ imminere vocationis, vna cum consilio Augustæ Sophiæ Mauricium genere Cappadocem, virum strenuum, elegit ad Imperium: suámque filiam regalibus ornamentis ornatam ei tradidit, dicens: Sit tibi Imperium cum hac puella concessum. Vtere eo feliciter: in mente habens, æquitatem ac iustitiam præcipua optimi Imperatoris esse insignia. Hæc postquam dixit, corpoream relinquens sarcinam, ad æternam migrauit patriam: maximum sui obitus populis sibi subditis relinquens luctum. Fuit enim summæ bonitatis, in eleemosynis promptus, in iudicando cautissimus. Nullum despiciens, omnes diligens, ipse quoque est dilectus à cunctis. Quo defuncto, Mauricius purpurâ indutus, diademate redimitus, ad Circum processit, & adclamatis sibi laudibus, largitis populo (vt moris est) muneribus, primus ex Græcorum genere in Imperium confirmatus est.

De primo Longobardorum Rege.

XXXVI. AT verò Longobardi, cùm per annos decem sub potestate Ducum fuissent, tandem communi consilio Flauium Authari, supra memorati Principis Clephonis filium, Regem sibi statuerunt. Cui ob restaurationem Regni, Duces qui tunc erant, mediam totius substantiæ suæ partem contribuerunt: vt esset vnde Rex ipse siue qui ei obsequebantur, per diuersa distributi officia, alerentur. Erat sanè hoc mirabile in gente Longobardorum. Nulla erat violentia, nullæ struebantur insidiæ, vnusquisque quo libebat securus sine timore pergebat. C

De Mauritio Imperatore Francos in Longobardos sollicitante.

XXXVII. HOC tempore Mauritius Imperator Childeberto Regi Francorum quinquaginta millia solidorum per Legatos suos ea vel maximè direxit gratiâ, vt cum exercitu supra Longobardos irrueret, eósque Italia pelleret. Qui, nil moratus, cum innumera Francorum multitudine Italiam subitò introiuit. Longobardi verò conserendæ manus spem abiicientes, munimentis suarum se commisere vrbium: & intercurrentibus Legatis, oblatísque muneribus, pactum cum Childeberto fecerunt. Quo ad Gallias remeante, cognito Imperator Mauritius quòd cum Longobardis fœdus iniisset, solidos, quos ei ob Longobardorum expulsionem dederat, repetere cœpit. At ille suarum virium potentiâ fretus, pro hac re nec responsum reddere voluit.

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, CHILDEBERTVS. XXXVIII.

A

De persecutione Catholicorum in Hispania.

EXTITIT in illis diebus apud Hispanias persecutio dira Catholicorum, quæ tali quadam ex causa à Gadsunda matre Brunichildis est excitata. Hermenegildus, Lemugildi Regis filius, sororem Childeberti habebat vxorem. Qui videlicet Hermenegildus prædicatione Leandri Hispalensis Pontificis, atque adhortatione suæ coniugis, ab Arriana hæresi (qua pater suus languebat) ad Catholicam fidem conuersus fuerat. Gadsunda autem tentabat si posset Ingundem suam neptem flectere, vt maritum qualicumque perderet morte. Sed cùm id nequisset implere, suadet Regi vt filium cum vxore propria alterius ciuitatis iubeat incolere domicilia: dicens se offendi, eò quòd alterius essent fidei. Cúmque hac iniuria Hermenegildus minimè flecteretur ad neganda veræ fidei sacramenta, impius pater eum sepsit custodiâ. Quem postmodum, in ipso sacro Paschali die, securi percussum interemit. Ingundis verò post mariti ac martyris funus ab Hispaniis fugiens, dum genuina Galliæ repeteret arua, in manus militum incidens, qui limitem Hispaniæ aduersus Gothos tuebantur, cum paruo filio capta, atque in Siciliam ducta, ibi diem clausit extremum. Filius verò Constantinopolim Imperatori Mauritio est directus. Captiuitate sororis Childebertus comperta, & de his

B quæ contra eam gesta fuerant certior factus, exercitum in Hispaniam traiecit. Cum Gothis prælio conflixit, maximámque cladem eis inferens, victor exindè regressus est.

RVRSVM Mauritius Augustus Legatos ad Childebertum mittens, eum vt contra Longobardos exercitum dirigeret, orabat. Childebertus existimans suam adhuc germanam Constantinopoli degere, Legatis Mauritij acquiescens, vt suam posset sororem recipere, iterum Francorum exercitum ad Italiam contra Longobardos direxit. Verùm Longobardis aciem producere, atque aduersariis ire obuiam meditantibus, Franci ac Alemanni dissensionem inter se habentes, sine vllius lucri conquisitione ad patriam remearunt.

De Benedicto & Pelagio Romanis Pontificibus. De Mummoli in Auenionem profugio. De Childeberti ad Chilpericum transitione. De Lupo Campanorum Duce. De Chilperici in Petrogoricos expeditione. De Baudastis interitu, & de Hospitij reclusi sanctitate, & beati Martini Galliciensis transitu: & de Comete, & portento cælesti.

ROMANAM porrò Ecclesiam post Ioannem Benedictus suscepit regendam. XXXIX.
Post quem Pelagius absque iussione Principis ordinatus est, eò quòd Longo-

C bardi obsiderent Romam, nec posset quisquam à Roma progredi. Mummolus Patricius à Guntranno Rege desciscens, in Auennionem castrum se contulit: vbi aduersus insectantes, armis sese defensare, aliisque subsidiis munire parabat. Childebertus etiam, Guntranni pace relicta, Chilperico coniungitur: promittente Chilperico, eò quòd sine liberis esset, Childebertum Regni sui facturum se hæredem. Cuius promissionis, vt in ceteris solitus erat, mendax apparuit. Lupus Dux Campaniensis ab Vrsione & Bertefrido in fugam actus, cùm iam iámque aut capiendus, aut interficiendus cum suo exercitu foret, Brunichilde pro eo intercedente, ab imminenti periculo eripitur. Præsidium tamen eius suprà memorati Duces direptioni tradiderunt. Chilpericus Desiderium Ducem ad peruadendas Petrocoricum & Agennum Aquitaniæ vrbes, cùm instructis dirigit copiis. Qui fugato Ragnoaldo Duce, prædictas vrbes inuasit, vxorémque Ragnoaldi cunctis rebus expoliauit. Baudastis Dux cum maxima sui exercitus parte in VVasconia periit. Fuit illo tempore reclusus quidam Dei seruus, Hospitius nomine, apud Nicensem vrbem. Qui catenis super nudum corpus constrictus ferreis, desuper cilicio tegebatur. Ceteris quidem diebus purum panem & paucos dactilos edebat: in Quadragesima verò radicibus earum, quas heremus ferebat, herbarum alebatur. Per quem in terris solo adhuc corpore conuersantem, virtutes multas ad laudem & gloriam nominis sui Dominus ostendere est dignatus. Ea tempesta-

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, CHILDEBERTVS.

te beatus Martinus Gallicienſis migrauit ad Dominum. Hic Pannoniâ oriundus, loca ſancta in Oriente circumiens, abundè ſe illic literis imbuit: & per Galliciam reuertens, in Baſilica, quæ prima apud Hiſpanos in honore ſancti Martini dedicata eſt, Pontifex ordinatus, triginta in hoc officio expleuit annos. A

ANNO VII. Childeberti Regis, qui fuit XXI. Chilperici atque Guntranni, ſtella Cometes viſa eſt in die ſancto Paſchæ. Apud Sueſſionas ciuitatem cœlum ardere viſum eſt. In pago Pariſiaco ſanguis de nube fluens veſtimenta multorum hominum cruentauit. Valetudines variæ, ac mortalitas magna, eo anno Francorum adtriuere gentem.

De Rodini Ducis obitu & pietate.

XL. TVNC quoque Rodinus Dux mortuus eſt, verus eleemoſynarius, bonitatis plenus, iuſtè ſe in cunctis agens, ac pauperes Chriſti diligens. Hic dum vna dierum mortuum ſepelire vellet, propriis præcepit pueris monumentum quoddam aperire, vt in eo defunctum poneret. Quod illi cùm maturato impleſſent, inuenerunt immenſi ponderis theſaurum, ſolidorúmque non contemnendum numerum: eleuatúmque à terra detulerunt ante Domini ſui præſentiam. Ille verò donum cœleſte intelligens, pauperibus cuncta (vt conſueuerat) largitus, talentum ſibi creditum ei à quo acceperat duplicatum per manus retranſmiſit egenorum. Multa autem ſigna & prodigia eo anno in cœlo ſunt viſa. B

De Chilperici in hæreſim Sabellianam lapſu & reſipiſcentia.

XLI. PER idem tempus Chilpericus Rex Sabellianam volens promulgare hæreſim, ſcripſit Galliarum Epiſcopis, vt Trinitate abiecta vnum tantum dicerent » Deum. Aſſerens, eundem eſſe Patrem qui Filius vel Spiritus ſanctus eſt, & eun» dem Filium ac Spiritum ſanctum qui Pater eſt, nec diuiſionem perſonarum in » Deum vllo modo cadere. Quod cùm Gregorio Turonenſi, qui tunc ceteros Epiſcopos ſanctitate præibat, ſuadere conaretur, & tamen in hac ratione Hilarium » atque Auguſtinum ſibi contrarios fateretur, ait ad eum beatus Antiſtes: Cauen» dum eſt, Domine mi Rex, ne & ille iraſcatur tibi, cuius illi fuerunt famuli: qui » (vt tu ipſe fateris) in iſta credulitate ſunt contrarij. Porrò Rege cum faſtu reſpondente, quòd ſapientiores eo ex hoc forent interrogandi, Sacerdos dixit: Non » eſſe ſapientem, quicumque aliter ex fide ac ipſe ſentiret. Saluio autem Albigenſi Epiſcopo ad Palatium venienti ſuadebat, vt ſibi conſentaneus exiſteret, lecta in auribus eius cartula, in qua memoratam hæreſim conſcripſerat. Quam ille beatus in tantum abhorruit, vt ſi in eius fortè manibus deueniſſet, in partes ſciſſam minaretur igne cremare. Denique cernens Rex omnes ſibi contraria ſentire, ab illa quidem quieuit intentione. Addidit autem noſtris literis ω, omega, Græcam: & tres alias, quarum characteres ab ipſo inuentos cum propriis ſonis hîc ſubſcripſimus χ, ch: θ, th: φ, ph: directíſque Epiſtolis ad ciuitates ſibi parentes, præcepit vt pueri in his docerentur, & libri pumice planati reſcriberentur. C

De Agricola & Dalmatio ſanctis.

XLII. HIS diebus Agricola Cabilonenſis, & Dalmatius Rutenenſis, viri in ſanctitate præcipui, & Pontificatum optimè adminiſtrantes è ſeculo migrauerunt. E quibus Agricola, Eccleſiam ſuæ ciuitatis columnis fulciuit, marmore variauit, muſiuo depinxit. Dalmatius verò ſuam ſæpè deſtruendo, dum meliorare nititur, imperfectam reliquit.

De Leudaſtis Comitis ob tyrannidem expulſione.

XLIII. LEVDASTIS ſanè Turonicus Comes eo tempore à Comitatu ſubmotus eſt, eò quòd populum iniuſtè opprimeret, & Gregorio Pontifici (cui frequenter ſacramenta dederat, ſe nunquam nociturum) iniurias irrogaret. Succedentéque Eunomio, Leudaſtis contra Epiſcopum felle commotus, quaſi eius conſilio iſta

A sibi euenissent, ad Regem perrexit: accusans Gregorium, quòd ciuitatem Turonicam Regi Guntranno tradere vellet, & de Regina permulta loqueretur mala, affirmans eam cum Bertranno Burdegalensi Episcopo misceri. Habebat autem cooperatorem Riculfum Clericum, qui contra Magistrum multos est machinatus dolos. Rex itaque, pro his quæ de Regina dictá erant, Synodum adunari præcepit. Conuenientibus ergo apud Brittannicum villam Episcopis, & Bertranno iniustè sibi crimen impositum esse conquerente, Gregorius ex decreto fratrum ter iusiurandum præbuit, se id nunquam fuisse locutum: & quamuis id contrarium auctoritatibus viderent, propter satisfaciendum tamen Regi peractum est. Quamobrem adeuntes Pontifices Regem, dixerunt ei: Frater & Coëpiscopus noster Gregorius sacramentis se innocentem ostendit. Quid nunc de te, vel Bertranno Episcopo, qui fratri nostro calumniam inflixit, agendum censes, nisi vt communione priuemini? Quibus respondit Rex, à semetipso hæc non dixisse, sed à Leudaste indicata narrasse. Quæsitum Leudasten, nec inuentum (ipse enim sibi timens audientiam fugerat) Antistites excommunicauerunt eum, & absentibus ne eum in communionem reciperent scripserunt. Eo loci mirabilem patientiam Regis qui aderant mirati sunt: quia quamuis tale scelus de Regina diffamatum foret, quòd ipsi quoque ignominiam generaret, nunquam tamen ita animo commotus est, vt quemlibet iniustè opprimeret. Quod aliàs sanè non consueuerat agere. Solummodò Leudasten, eò quòd contra Episcopum falsum tulerat testimonium, excommunicatum ab omni suo iussit eliminari Regno. Tunc Leudastis vniuersas suas res, quæ ei per beneficium Regis concessæ fuerant, à ciuitate Turonica in Biturigum fines asportauit: & diu huc illúcque oberrans, tandem post longum æui spacium reconciliatus Ecclesiæ, & in gratiam receptus à Rege, dum moneretur à Pontifice Gregorio, quatenus obseruaret se à Reginæ animo contra se turbato, paruipendens ammonitionem, dum illa in quadam oraret Ecclesia, ad pedes eius prouoluitur. A qua despectus, dum Oratorium fuisset egressus, & quædam mercimonia emere vellet, vt muneribus sibi Reginam conciliaret, ab eius pueris circumuallatur. E quibus vnum gladio percutiens, à reliquis in fugam actus, in medio ponte Parisiacæ vrbis, pede inter duo ligna lapso tibiam sibi fregit. Vnde sublatus, & in vnam villam iussu Regis ad sanandum deportatus, à missis Reginæ inter duos vectes effracto gutture, infelicem vitam finiuit. Hoc ergo exitu periit, qui vt crimen Episcopo suo obiiceret, multos in vincula conieceràt, quosdam etiam verberibus affecerat. Nec in ipsis quoque sceleribus degenerabat. Nam de fiscalinis ortus seruis, primùm culinæ deputatus est regiæ. Sed quia lippis erat oculis, indè in pistrinum redigitur. Vbi dum inter fermentatas massas se delectari assimulat, fugâ se seruitio subtraxit. Quam dum sæpiùs reductus repetit, auris abscissione signatus est. Qui hanc iniuriam tegere non valens, ad vxorem Chariberti Regis se contulit. Cui adulationibus familiarissimus factus, custos equorum efficitur. Indè Comitatum super ceteros nactus custodes, post mortem Reginæ Comitatum Turonicum à Chariberto percepit. De quo cum ignominia, quam præfati sumus, deiectus est. Riculfus verò Clericus, qui contra Antistitem proprium falsus non dubitauit esse testis, præcipiente Rege tanta sustinuit flagella, vt etiamsi æreus foret, miraculum tamen spectantibus præberet tanta patiens tormenta. Verùm à capitali supplicio interuentu beati Gregorij liberatus est. Qui inter cruciatus & verbera hoc confessus est, ideò se talia de Regina adinuenisse, vt ea de Regno eiecta, Clodoueus (qui solus ex filiis Chilperici supererat) à patre Regnum suscipiens regnaret. Hic etenim Clodoueus ex alia vxore Chilperici natus, post mortem filiorum Regis qui ex Fredegunde geniti erant, instigante ipsa Regina apud Brenacum villam à patre manere iussus est, vt simili quo fratres morbo deperiret. Nam apud eundem vicum dysenteriæ tunc sæuiebat pestis. Sed ille vbi mortis euasit discrimen, dolos persentiscens nouercæ, fastuosè eam despiciens iactitabat, se solum hæredem Regni relictum. Non defuère tamen qui delatoria contra eum vsi arte, non solùm quæ ipse iniuriosè loquebatur de Regina, verùm & aliqua ad ipsam referrent mendacia: asserentes maleficio matris cuiusdam meretriculæ, quæ cum Clodoueo solita erat cubare, eius filios interisse. Regina hoc audito iracundiâ commota, puellam quidem cæsam ante hospitium Clodouei palo præcepit infigi. Matrem verò eius verberibus laceratam, vera fuisse quæ dicta

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, CHILDEBERTVS.

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, CHILDEBERTVS.

erant, profiteri coëgit. Cùm à Rege vltionem posceret, Rex venatum profectus, filium vt ad se veniret iussum alligari fecit, & Reginæ direxit. Quem illa sepsit in custodia, interrogans rei veritatem, vel qui ex Principibus ei fauerent. Verùm ille nihil criminum confessus, amicos suos seu familiares detexit. Illa eum post biduum trans Matronam in villam Nocetum nomine duci, & ibi in custodia cultro interimi mandans, Regi per subintroductas insinuari fecit personas, quòd ipse se interfecisset, & adhuc cultrum in loco vulneris persisteret. Quod Rex audiens, nullum pro morte filij concipiens luctum, eum ibidem sepeliri mandauit. Mater Clodouei crudeliter necata, soror à pueris Reginæ illusa, in Monasterium est detrusa. Mulier, quæ contra eum locuta fuerat, vt viua vreretur adiudicata, dum mendacium dixisse frustra clamaret, ad stipitem ligata viuens exusta est. Thesaurarius Clodouei à Cupane Stabuli Comite de Biturico retractus, & Reginæ vinctus directus, ab ipsa, rogante pro eo beato Gregorio Turonico Episcopo, vinculis ac pœnis absolutus est. A

De Chilperici spectaculis. De Saluij visione, & quæ eam secuta sunt.

XLIV. PER idem tempus Chilpericus apud Suessionas vel Parisius circos ædificari iubens, spectacula populis præbuit. Sanè post memoratam Synodum, dum beatus Gregorius, ad propria rediturus, cum sancto Saluio familiare colloquium » in atrio domus regiæ haberet, ait ad eum vir Domini Saluius: Vides-ne, ô frater, » super tectum aulæ quæ ego cerno? Cui cùm ille responderet, se nil aliud quàm tegulas, quas Rex pridem superponi iusserat, videre; rogarétque vt si ipse aliud quidlibet cerneret indicaret (æstimabat enim illum solito more iocari) ille iterato » ad eum: Conspicio, inquit, gladium iræ Dei super hanc dependentem domum. Nec frustra hæc vaticinatus est. Nam post viginti dies duo filij Regis mortui sunt: de quibus paulò pòst dicemus. Ipse quoque Archipræsul Gregorius vna noctium post matutinos Hymnos, strato recubans, vidit Angelum Dei super Ecclesiam volantem, qui clara voce dicebat: Heu! heu! percussit Deus Chilpericum, & cunctos filios eius. Nec erit ex his qui nunc viuunt, vllus in regno eius successor: Tunc enim quatuor adhuc superstites erant. Hoc tempore Synodus apud Lugdunum congregata multos Episcoporum negligenter agentium coërcuit. B

De benedictione quam Iudæus respuit, Chilpericus expetiit: & de Eparchij reclusi obitu.

XLV. INTEREA Chilpericus in villa Nouientum nominata consistens, dum Parisius iter suum destinauisset, præfatum Gregorium Antistitem rogabat, vt cuidam Iudæo, nomine Prisco, sibi familiarissimo manus imponeret. Sed reluctantem Iudæum, & se non credere reclamantem, insuper & fidei nostræ derogantem, C opportuna satis disputatione beatus Pontifex redarguit. Cui Rex: Quia, inquit, » ô sancte Sacerdos, perfidus benedictionem respuit, vtique & ipsa elongabitur ab » eo. Ego verò tibi dico verbis Iacob, quibus ille contra se luctantem allocutus est Genes. 32. Angelum: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Pontifex igitur benedicens Regi, ac vnà cum eo cibum accipiens, ad propria rediit.

Eo tempore obiit Eparchius apud Engolismam reclausus, vir magnificæ sanctitatis: qui hominem, furti gratiâ patibulo suspensum, vitæ restituit.

De Theodoro Massiliensi Episcopo, & Lupo ciue Turonensi: de eclypsi Lunæ, & prodigioso sanguinis fluxu, aliísque portentis.

XLVI. IPSIS diebus Theodorus Massiliæ Episcopus à Dinamio Rectore Prouinciæ comprehensus iniustè, & iniuriis affectus, dum indè liber ad Regem Childebertum properaret, iterum à Guntranno Rege capitur. Cuius Clerici odio eum habentes, hoc audito res Ecclesiæ inuadunt, promptuaria spoliant: de ipso etiam Pontifice crimina falsò proloquuntur. Tunc Childebertus Rex ad auunculum suum Regem Guntrannum dirigit: mandans partem Massiliæ, quam ei post obitum patris sui dederat, sibi reddi. Sin aliàs, sciret se eo plura amissurum. His Gun-

A tranno nequaquam assentiente, & insuper vias in Regno suo custodiri iubente, ne quis fidelium nepotis sui Massiliam adiret: Childebertus Gundulfum Senatorij generis virum, suum verò domesticum, Ducem creatum, memoratam direxit ad vrbem. Qui per Turonicam eò tendens ciuitatem, à beato Gregorio agnitus (quòd matris eius esset auunculus) humanissimè diebus quinque apud ipsum est habitus, ac itineris necessariis sumptis est profectus. Cúmque à Dinamio & Clericis ipsi quidem introitus vrbis, Episcopo verò Theodoro, qui iam custodiâ solutus se ei iunxerat, ingressus negaretur Ecclesiæ: tandem aliquando Dinamio suaserunt, vt in Ecclesia beati Stephani, quæ muris vicina erat, eis collocuturus descenderet. Quò dum venisset, ab hostiariis ipse solus receptus est, ceteris qui eum sequebantur exclusis. Deductúsque à Gundulfo ac Antistite in salutatorium, increpatur grauiter. Illis itaque qui cum eo venerant, & se non receptos indignabantur, fugatis, Gundulfus seniores capi præcepit, volens eos ad vrbem deducere, vt illi portas aperirent. Interim Dinamius, agnoscens se captum teneri, ad pedes eorum ruit, pollicens se portas reseraturum, Regíque simul & Pontifici de reliquo fidem seruaturum. Sua igitur fide dimissus, Ducem pariter cum Pontifice, exultante omni populo, recepit in vrbem. Clerici sanè, qui eo impulsore nequiter contra suum egerant Pastorem, dum ad domum eius se contulissent, fideiussores dare compulsi sunt, vt Regi Childeberto se præsentarent. Gundulfus autem recepta Massilia, & Episcopo suæ sedi restituto, ad Regem reuersus est.

B Dinamius autem spreta quam promiserat fide Antistiti, ad Guntrannum Regem mittit qui dicerent: Se quidem vrbem tradere velle, sed Theodorum obstare: nec illi ciues vllatenus parituros, nisi Sacerdos alicubi truderetur exilio. Quibus verbis Rex irritatus, eum sibi vinctum exhiberi iussit. Sed cùm Antistes, sibi metuens, non facilè egrederetur ab vrbe, euenit necessitas dedicandæ Basilicæ suburbanæ. Dum igitur eò properaret, ex insidiis subitò aduersarij prorumpentes, Clericos ceterósque obsequentes cæsos in fugam agunt, ipsúmque equo proprio deiectum vili imponentes iumento, ad Regem deduxêre. Cui Aquensem peruenienti ad vrbem, Pientius Episcopus Clericos ac cetera viæ attribuit necessaria. Porrò Rex eo discusso, dum immunem inuenisset à culpa, multis honoratum muneribus ad suam reuerti imperauit Ecclesiam. Qui à plebe cum lætitia receptus, inuenit Ecclesiæ res suásque à Clericis peruasas. His quippe pro causis fœdus inter Guntrannum & Childebertum ruptum, discordiáque immensa acta est. Verumtamen Regibus hoc modo ab inuicem dissidentibus, Lupus quidam ciuis Turonicus vxore defuncta, dum Clericatum expeteret, à fratre Ambrosio ne id faceret prohibitus est, pollicente coniugem se eius congruam generi illi prouisurum. Cui rei dum studet dare operam, ab adultero, qui cum coniuge Ambrosij stupri rem habebat, vtrique perempti sunt. Dúmque vnus alterum Deo subtrahere, ac vitæ præsentis oblectamentis tradere nititur, & se & illum perdidit.

C Hoc anno Luna eclypsim passa est: & intra territorium Turonicum verus de effracto pane sanguis effluxit. In Siluanectensi pago hominis cuiusdam domus, cùm ille manè surgeret, sanguine introrsum aspersa apparuit. Murus Suessionensis diuinitus subuersus est. Andegauis terræmotus factus est. Intra muros vrbis Burdegalensis ingressi lupi canes deuorauerunt: ignísque per cœlum cucurrisse visus est.

GVNTRAMNVS, CHILPERICVS, CHILDEBERTVS.

De Prisci Iudæi obstinatione & interitu.

XLVII.

EA tempestate Chilpericus Rex, dum multos Iudæorum baptizari iussisset, & ipse eos ex sacro lauacro suscepisset, nullatenus Priscum familiarem suum (cuius supra meminimus) verbis ad credendum conuertere poterat. Iubens ergo eum custodiæ mancipari, ab eo muneribus seducitur, vt daretur ei spacium filium suum Massilensi Hebrææ coniungendi, ac tum demum iussa compleret. Sed qui noluit confiteri Christum, non longo pòst tempore descendit ad infernum. Nam orto inter ipsum ac quendam Patirum, ex Iudæo conuersum, iurgio, ab eo gladio percussus interiit.

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, CHILDEBERTVS.

A

De Chilperici ob interfectum præsidium pontis Parisiensis in Guntrannum vltione.

XLVIII. APVD pontem Parisiacæ vrbis memoratus Princeps custodes posuerat, vt insidiatores de Regno fratris sui Guntranni aduenientes arcerentur. Hos Asclepius, officio quondam Ducis functus, nocte vna omnes interemit, pagúmque ponti proximum depopulatus est. Quapropter Chilpericus cum exercitu super fratrem irruere volens, consiliis bonorum virorum monitus restitit: mittens fratri Legatos, vt mala sibi illata corrigeret. Ille iustitiæ amator, prout monebatur, agere non distulit. Verumtamen Chilpericus his non contentus, aliquas à fratre ciuitates auferens, nouos eis Comites præfecit: præceptum dans, vt earum tributa suo inferrentur thesauro.

De tabellariis Charterij Episcopi deprehensis, & Theodorici ortu.

XLIX. HIS diebus à Nunnichio Comite Lemouicino duo detenti sunt homines, ex nomine Charterij Petrogorici Antistitis Literas ferentes. In quibus, inter » alia quæ de Chilperico continebantur maledicta, hoc etiam legebatur: Quòd » Episcopus quereretur se de Paradiso pulsum descendisse ad Infernum. Vtique hoc volens intelligi, quòd à Regno Guntranni in dominium deuenisset Chilperici. Quibus Regi pariter cum delatoribus directis, præcipitur adduci Episcopus, de his rationem redditurus. Sed cùm non facilè conuinceretur, ad propria illæsus regredi iubetur. Denique post funera filiorum, Chilperico filius nascitur, quem sequenti anno Parisius in Pascha baptizari fecit, THEODORICVMque nominauit. B

De Legatione fœciali Childeberti ad Chilpericum.

L. PORRO Childebertus Egidium Remensem Archiepiscopum, cum aliis Optimatibus, ad Chilpericum patruum suum confirmandi fœderis quod inierant causâ dirigit. Ex quibus Egidius in hunc modum Legationis retulit ordinem.
» Pacem, quam tecum, gloriose Rex, inclytus nepos tuus firmauit, petit omninò à
» te stabiliri. Fratris denique tui beniuolentia ideò vti nequit, quia partem eius ex
» Massilia iniustè retinet, neque transfugas reddere ei vult suos. Idcircò si, iunctis
» viribus vestris, vnanimes eius expugnationem adorsi fueritis, vltio debita pro illa-
» tis iniuriis ab eo facilè exigi poterit. Ad hæc ita respondit Rex: Fratris, inquit,
» mei culpa tam est in aperto, vt difficilè occultari queat. Nam si dulcissimus nepos
» meus animo malefacta recenseat sua, reliquis prætermissis, reperiet patrem suum
» fraude Guntranni interisse. Quapropter & ego me spondeo adiutorem illi in vl- C
» tionem paternæ futurum necis, qui amiserim fratrem magnæ, si nunc viueret, di-
» lectionis. Hæc dum Rex perorasset, datis obsidibus fœdus stabilitum est. Continuò Chilpericus exercitum de Regno suo commoueri præcepit, qui ciuitates fratri subditas obsidens, circumiacentes depopularetur agros. Tunc Berulfus partium eius Dux, cum Turonicis & Andegauis vna ex parte, Desiderius & Bladastis ex alio latere cum maxima multitudine, Bituricenses aggrediuntur. Quibus Rex hoc dedit mandati, vt capta vrbe sacramenta de nomine exigerent suo. Sed Biturigi apud castrum Mediolanense, quod nunc Magdunum dicitur, quindecim armatorum millia Desiderio Duci opponentes, cum eo conflixêre. Reliqui Duces vrbem obsidione cinxerunt. Chilpericus verò, licèt nondum exercitus Childeberti aduenisset, tamen quosdam de eius Ducibus secum habens, vniuersas copias suas per Parisius transducens, cuncta vastando Milidunum venit. Cui Guntrannus non dubitauit obuiam ire, in solo Deo spem habens: cuneúmque hostium, præ cupiditate ab aliis segregatum, crepusculo noctis aggressus vltima labefactauit pernicie. In crastinum, intercurrentibus Legatis, frater cum fratre paciscitur: pollicentibus vtrisque commissorum correctionem. Quippe Chilpericus, cùm milites furto ac rapinis abstinere moneret, nec tamen obtemperarent, Comitem Rothomagensem gladio percussit: sicque reliquos coërcens, ad propria re-

A duxit, cunctam prius restituens prædam, captiuósque relaxans. At illi qui Bituricos obsederant, accepto nuncio vt indè recederent, quæcunque oculi viderant, manus rapiebant, dum ad sua redirent.

De vulgi in Egidium Episcopum seditione.

CHILDEBERTVS autem omnes militiæ suæ, quas aggregauerat, cohortes dum vno in loco detinet, murmur subitò populi minoris aduersus Duces & Egidium Episcopum nocte proxima infremuit, dicentis: Tollantur à facie Regis, qui Regnum eius inter se venditant, qui vrbes eius alienæ subiiciunt ditioni. Hæc dicentes, mane facto ad tentorium Regis properant armati, vt Egidium interimerent Pontificem. Quo cognito, Sacerdos ascenso equo cum paucis fugam arripuit. Cui tam veloces timor fugienti addidit alas, vt labentem tibiæ fasciolam colligere non curaret. Ea tamen causa illi auxilio fuit, quòd aduersarij equos ad insequendum paratos non habebant. Dúmque illi moram in sequendo faciunt, ipse se intra vrbem Remorum contulit. Post hæc Guntrannus Childeberto nepoti suo partem Massiliæ, quam inuito eo retinebat, reddidit. Chilpericus quoque pro obitu filij, quem ei natum supra diximus fuisse, graui affectus mœrore, nuptias filiæ suæ, quam Regi Hispaniæ per Legatos tunc desponderat, in posterum distulit. Quapropter, missis veredariis, Legatum qui in Hispaniam regrediebatur reuocauit, dicens ei: Luctu pro morte filij grauatus, nuptias in tempus quod constitui celebrare nequeo. Verùm Legato insistente, voluit eò dirigere filiam, quam ex Audouera susceperat, Deóque in Monasterio Pictauensi tradiderat. Sed à beata Radegunde prohibitus est. LI.

B

De Mummolo magia & veneficij insimulato.

DVM ista geruntur, relatio quorumdam ad Fredegundem cucurrit Reginam, dicentium puerum, qui tunc defunctus erat, technis Mummoli sui Præfecti, per quasdam mulierculas maleficiis & incantationibus vitam amisisse. Is Reginæ iamdudum erat infensus. Quæ talia de eo audiens, rapi meretrices ad supplicia iubet, quæ se fatebantur carminibus multos interemisse innocentes, filiúmque eius pro Mummoli donasse salute. Tunc quidem Regina alias earum flammis tradidit, alias rotis innexuit. De Mummolo verò apud Regem questa est. Quem Rex oneratum catenis adduci, trabéque reuinctis post terga manibus suspendi præcipiens, quid maleficij nosset interrogabat. Sed nil se de morte filij Regis nosse dicens, hoc solummodò confessus est, quòd potiones præcantationésque varias à memoratis accepisset mulierculis, ad promerendam Regis & Reginæ gratiam. Tandem depositus, mandauit Regi se nil sensisse pœnarum. Ille eum maleficum esse protestatus, loris durissimis flagellari, ac gladio percuti imperauit. Pro cuius vita Regina, ægrè licèt, obtinuit. Qui tamen non post multum dolore ipsorum tormentorum interiit. Regina autem assumens thesaurum pueri, vestes quidem omnes igne combussit, aurum verò fornace conflans terrâ obruit, ne quid esset quod ei filium ad memoriam reduceret. LII.

C

De Clerici cuiusdam libidine, & ingratitudine detestanda.

PORRO Etherius Lexouiæ Episcopus Clericum quendam, propter puellam quandam quam seduxerat, morti destinatum, viginti redemit aureis. Cui profitenti, se doctorem fore literarum, scholam committit. Sed cùm à parentibus puerorum, quos docebat, sæpè ad conuiuium vocaretur, vnius matrem concupiuit. Quod cùm illa casta indicasset viro suo, & ille Clericum ad supplicium quæreret, iterum à Pontifice liberatus pristino restituitur honori. Hic itaque miser tantorum oblitus beneficiorum, dum vna dierum Pontifex ad agricultores exercitandi gratia exiisset, cum securi eum pone sequebatur. Conuersus Sacerdos, & videns eum: Vt quid, ait, me cum hac prosequeris dolabra? Tunc ille, eius prouolutus pedibus, veniam petiit, dicens: Indulge, Pater sancte, reo facinus confitenti. Ab Archidiacono namque vt talia auderem impulsus, ter iam eleuatis ad LIII.

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, CHILDEBERTVS.

te percutiendum manibus, subita tegebar caligine, validóque arripiebar tremore. At vbi deposueram manus, confestim & visus & vigor redibat pristinus. Quod vbi Antistes audiuit, Deo gratias agens illum hæc tacere iussit, séque ad domum contulit. Verùm Archidiaconus perpendens per alium se non posse nocere Episcopo, per seipsum calumniam fingit: asserens se vidisse mulierem à cubiculo Pontificis egredientem. Statimque cum iam dicto Clerico irruens, Episcopum vinciri imperat. Alligatur Pontifex eius manibus, de cuius sæpè brachiis vincula deiecerat, atque ab eo mancipatur custodiæ, quem sæpiùs cœnoso eduxerat de carcere. Interea cernens Episcopus humanum sibi deesse auxilium, precibus opem implorat diuinam. Itaque diuinitus solutis vinculis, custodibúsque sopitis, fugiens è custodia ad Regem transiit Guntrannum. Tandem aduersarij inuenta occasione, Regi Chilperico suggerunt, illum proditorem Regni esse. Verùm populus pro Pastore mœstus, direxit qui Regem pro reducendo eo exorarent. Chilpericus ergo misit ad fratrem, vt Pontificem ad suam dimitteret vrbem: dicens se nil offensæ in ipso reperisse. Guntrannus autem multas Episcopo tribuens pecunias, ad propria eum remisit, datis ad Antistites Regni sui Epistolis, vt illum muneribus honorarent. Qui iter faciens tanta à fidelibus suscepit munera, quanta vix ciuitati inferre suæ quiuit. A

De Chlotarij filij Chilperici ortu: partis Massiliæ per Mummolum restitutione, & Chilperici metu. B

LIV. IN illis diebus Chilperico denuò natus est filius, nomine CHLOTARIVS. Quapropter vniuersos carceres in Regno suo Chilpericus aperiri iussit, & diuersorum reos criminum absolui. Verùm idem Rex Parisius vrbem, contra pactum quod cum Francis inierat, (ne scilicet iure dominantis eam aliquando ingrederetur) violenter intrauit. Ob quam rem portionem eiusdem ciuitatis, quæ eum contingere videbatur, iustè amisit. Mummolus partem Massiliæ, quæ Guntrannum ac Childebertum competebat, à se peruasam reddidit. Chilpericus, metuens Guntrannum & Childebertum contra se conspirasse, apud Camaracum thesauros, omnéque defensionis suæ præsidium, constituens, exercitum sæpè mouebat, & ac si ad prælium progressurus, in papilionibus residere faciebat.

De Innocentio Rutenorum & Sulpitio Biturigum Episcopis: déque rosarum præmaturitate & arboribus biferis.

LV. THEODOSIO Rutenorum Episcopo defuncto, Innocentius Gaualitanorum Comes per decretum Brunechildis Reginæ successit. Remigio quoque Biturigum Præsule decedente, Sulpitius à Guntranno Rege substituitur: » dicente præfato Principe multis Episcopatus competitoribus: Non est, inquit, » nostræ consuetudo mansuetudinis, Ecclesias Christi pretio vendere, ne nos dam- » natione digni, & vos mago Simoni similes videamini. Et hoc quidem Rex dignum memoria protulit verbum. Hoc anno rosæ visæ sunt mense Ianuario: & arbores, quæ mense Iulio fructus protulerant, iterum mense Septembri alios protulerunt. C

De Filiæ Chilperici Regis per Legatos desponsatione.

LVI. IN cuius mensis Calendis, CHILPERICVS filiam suam Hispanorum Regi hoc ordine per Legatos despondit. Veniens Parisius, fiscalinorum multos à parentibus segregatos cum filia Hispanias petere vi compellebat. E quibus aliqui vitam sibi laqueo extorserunt, ne à propinquis quoquam secederent. Multi etiam violentiâ illuc ire coacti, testamenta condiderunt, quasi in proximo vitâ cariturí. Talísque tunc luctus Parisiacis erat incolis, qualis quondam fuit Ægyptiis interemptis primogenitis. E Legatis sanè Childeberti (quos ad Chilpericum direxerat, obtestans ne de thesauris ciuitatum, quas sibi præripuerant, vel de mancipiis, quicquam filiæ tribueret) vnum clam interemptum fuisse ferunt. Suspicio erat Chilpericum eius necis fuisse auctorem. Qui tamen per reliquos nepoti mandans, nil se ex vetitis præsumpturum, multa ex suo filiæ largitus est. Quinetiam

Regina

A Regina tanta in auro, argento, variisque vestibus protulit munera, vt Rex existimaret se inopem relinqui. Cernens illa turbari propter hoc Regem, ad circumstantes Francos, ita vt Chilpericus audiret, sic locuta est: Nullus, inquit, nostrûm autumet, hæc regalium esse ornamenta thesaurorum. Quædam enim ipse Princeps mihi dotis nomine contulit, quædam proprius labor adquisiuit, aliqua vestra munificentia tribuit. Hac satisfactione suscepta, intentio Regis quieuit. Francorum quoque primores filiam Regis clarissimis ditauêre donis. Tanta denique thesaurorum fuit copia, vt sex plaustra his onerata eam præcederent. Quæ digrediens ab vrbe Parisiorum, post oscula & lachrymas parentum, dum curru veheretur, in ipso portæ limine effracto vnius axe rotæ, ad terram corruit. Cui cùm plurimi malam optarent horam, populus hoc pro auspicio suscepit. Dum octauo denique ab vrbe milliario tentoria fixissent, quinquaginta viri, raptis centum equis cum eorum aureis faleris, ad Childebertum Regem se contulerunt. Vnde metuens Chilpericus, ne aliquæ insidiæ pararentur filiæ à nepote suo vel fratre, quatuor millia armatorum eius deputauit tuitioni, quibus Bobo & VVado Duces præerant. Præcepit etiam vt de substantiis pauperum necessaria eis in itinere subministrarentur: ne fisci reditus aliquo modo minuerentur. Hac igitur cum pompa, cúmque vtriusque sexus multimoda familia, Hispanias petiit Chilperici Regis filia. Ij verò, qui eam deducebant, cuncta per quæ ibant vastata linquebant.

B

De Fredegundis astu & illecebris, & Chilperici obitu ac moribus. Déque Aurelianorum cum Blesensibus in Dunenses expeditione.

LVII.

ERAT autem præfata Fredegundis forma egregia, consilio callida, dolis (excepta Brunechilde) parem nescia. Quæ addicto ad suas libidines Chilperico, ita mentem eius cupiditate sui obstruxerat, vt femineas vincere non præualens auiditates, quasi vile mancipium insolentiæ muliebri obsequeretur. Dum igitur impenso eam diligeret amore, quadam die, venatum profecturus, è Regia in stabulum descendit equorum. Regina verò æstimans Regem iam progressum, in interiori cubiculo caput proprium aquis parabat abluere. Rex ergo iterum in Regiam regressus, cubiculum post illam intrauit, & eam, vt iacebat, super scamnum acclinem baculo in posterioribus ludens percussit. Illa autumans Landericum hoc fecisse (qui Comes tunc & Maior Domus erat regiæ, consueuerátque cum Regina stupri habere consuetudinem) ait: Vt quid Landerice talia facere « præsumis? Illico Rex, ac si amens effectus, vbi hæc audiuit, in suspicionem deductus, indignatione nimia furens, animíque impos, exiliit, fugiens turpis corruptelæ contagia. Nec furentem capiebat Aula. Itaque siluarum secreta petiit, vt venatibus intentus tantam animo conceptam leniret iracundiam. Cognoscens verò Regina non æquo animo Regem verba tulisse sua, & periculum suæ immi-
C nere saluti, si eum opperiretur venturum, timorem abiicit, femineámque audaciam assumit. Et mittens vocari iussit Landericum, cui & dixit: Res capitis tui, « Landerice, nunc agitur: plúsque tibi de sepultura quàm de lectulo, nisi caues, in « proximo cogitandum erit. Narrauítque ei cuncta quæ dicta seu gesta fuerant. « Quibus agnitis, Landericus reputare secum scelera sua ipse cœpit, & conscientiæ stimulis exagitari. Nullum fugæ locum, nec euadendi subsidium sibi relictum: circumuentum velut quibusdam retibus & captum teneri. Denique ingemiscens altiùs: Væ, inquit, diei, quo in tantam cordis amaritudinem deueni! Discrutior « miser animo, & quid agam vel quò me vertam ignoro. Cui Fredegundis, Ausculta, ait, paucis: & quid ego te facere velim, & quid nobis profuturum sit, scies. « Reuertente Rege de venatione, vt ei mos est, sub obscura nocte, immittantur homicidæ, qui præmiorum pollicitatione contemptum sumentes vitæ, lethali eum « perfodiant vulnere. Quo facto, nos securi à mortis periculo, cum filio regnabimus CHLOTARIO. Laudat Landericus consilium, & reuertentem de silua Chilpericum, his qui cum eo venerant aliò intentis, circumstantes qui missi fuerant, præcepto satisfaciunt, atque desilientem equo opprimunt, clamantes: Insidiatores à Childeberto Rege Austrasio directos Dominum suum interemisse, & « se in pedes quantociùs siluam versus dedisse. Quo audito, qui aderant arreptis « equis, quos non videbant insequi conati sunt. Quos cùm minimè inuenissent,

GVNTRANNVS, CHILPERICVS, CHILDEBERTVS.

ad propria sunt reuersi. Madalulfus Siluanectensis Episcopus (qui iam tertia die in tentorio residebat, & Regi minimè colloqui poterat propter fastum superbiæ, qua idem Rex tumebat) vt eum interfectum cognouit, aduenit. Ablatóque eius corpore, & veste meliori circumdato, naui imposuit: & à Calensi villa, vbi hæc acta fuerant, Parisius deducens, in Basilica sancti Vincentij sepeliuit. Fuit verò Chilpericus gulæ deditus, cuius Deus venter erat. In cuius tempore pauci Clerici ad Episcopatum sunt promoti, ipso Neophytis Ecclesias contradente. Ipse namque omnes sui temporis sapientes scientiâ se anteire existimans, composuit duos Libros imitari Sedulium volens. In quibus plurimi versus scazon erant: breues quoque syllabas pro longis, longásque pro breuibus continebat. Cúmque & alia Opuscula, vel Hymnos, siue Missas componeret, quæ nulla poterant ratione suscipi, cùm ipsis etiam memorati superiùs Libri à memoria aboliti sunt hominum. Causas pauperum non facilè ad se ingredi sinebat, Ecclesias seu Monasteria hostili odio insectabatur: adeò vt plerumque in Palatio residens astantibus sibi diceret: » Ecce, diuitiæ nostræ ad Ecclesias transierunt: soli nunc Episcopi regnant, » solis eis defertur honor. Sacerdotes etiam Domini sibi in fabulam verterat & in prouerbium. Quid autem plura de eius prauis recensemus moribus? Nullum denique vnquam perfectè dilexit, à nullo dilectus est. Hoc modo periit inuisus suis, nec amabilis extraneis. A

DEFVNCTO Chilperico, Aurelianenses iuncti Belesensibus expeditionem super Dunenses agentes, eos inopinatè oppresserunt: res eorum mobiles auferentes, immobiles igne cremantes. Sed eis ad sua redeuntibus, Carnotini cum Dunensibus fœderati similem per omnia vltionis inflixerunt plagam, par pari referentes. Et cùm in maius ira augmentaretur, interuenientibus vtriusque partis Comitibus pax facta est. B

De Fredegundis & Thesaurariorum Chilperici profugiis.

LVIII. INTEREA Fredegundis Regina marito viduata, ad Basilicam Parisiacæ vrbis in honore sanctæ Mariæ dicatam, cum thesauris quos secum habebat, se conferens, à Ragnemodo suscipitur Episcopo. Nam Thesaurarij Chilperici Regis cum thesauris apud Calam vicum repertis, cúmque missorio aureo quem idem Rex magnis fabricarat impensis, ad Childebertum Regem se contulerunt. Porrò eadem Regina prudenti consilio vsa, ad Guntrannum Regem Legatos direxit: mandans, se cum filio, quem ex Chilperico fratre ipsius susceperat, in clientelam illi velle tradere. Guntrannus, de fratris interitu veris indiciis certior factus, Parisius summo studio contendit. Occurrit autem ei Fredegundis, & eum intra vrbem recepit. Post quem Childebertus aduenien, dum à ciuibus ingressus ei prohiberetur, ad patruum mittit, poscens vt pactum quod dudum inierant rectiùs firmaret. Verùm memoratus Princeps ipsos quidem Legatos perfidiæ redarguit, quòd eorum prauis consiliis amicitia olim cum nepote iuncta dirempta foret. Se verò cum eis fœdus non facturum respondit. His Childebertus sibi nuntiatis, iterum mandauit, vt se de Regno Chariberti, quod sibi debebatur, remoueret. Respondit ille: » Sibi magis deberi, qui frater defuncti erat: nec se vllo modo » fraternam hereditatem alteri cessurum. Rursum alios nuncios mittens Childebertus rogabat, vt Fredegundis sibi ad supplicia traderetur, quæ patrem cum patruo maligno peremisset ingenio. Respondit ille: » In proximo placitum cum ne» pote se habiturum, ibique de his & similibus tractaturum. Eósque ei à quo directi fuerant remisit. Occultè namque Fredegundi videbatur patrocinari. Quam dum sæpiùs ad conuiuium euocaret, vna dierum è medio prandio Regina surgens à Rege inuitabatur, vt aliquid cibi adhuc sumeret. Sed illa iuxta consuetudinem mulierum sibi accidisse dicente, vt pro conceptu surgeret, Rex ammiratus est: sciens nondum quartum præteriisse mensem, quo alterum pepererat. C

GVNTRANNVS, CHLOTARIVS II. CHILDEBERTVS.

A *De* CHLOTARII *filij Chilperici per Principes inauguratione, déque Guntranni plausibili ad populum concione.*

PRINCIPES sanè Chilperici, è quibus Ansoaldus primus erat, acceptum filium eius CHLOTARIVM per ciuitates Regni eius circumduxerunt: & sacramenta ex nomine ipsius atq; Guntranni susceperunt. Guntrannus verò vniuersos, quos Chilpericus iniustè oppresserat, releuans, Ecclesiis testamenta ab eo ablata restituit. Sed suspectus horum inter quos venerat malitiam, nusquam nisi armis custodibúsque vallatus progrediebatur. Vnde quadam die in Ecclesia facto silentio, circumstantem populi multitudinem hac voce rogauit: Obsecro, inquiens, vos qui adestis populi, vt firmiorem quàm fratribus meis ante hoc non seruastis, mihi fidem custodiatis, quatenus valeam cum quiete nepotes enutrire meos, vósque cum iustitia regere: nesfortè (quod Deus auertat) me ante tempus sublato, & ipsi careant nutritore, & vos rectore. Cúmque eius verba ammirans populus laudasset, Dominum pro eius rogabat salute. LIX.

De Rigundis detentione, & dotis eius occupatione.

B DVM hæc agerentur, RIGVNDIS Chilperici Regis filia (quam ad Hispanias missam fuisse diximus) Tholosam veniens, moras itineris ibi innectere cœpit. Sed perlato ad aures Desiderij vrbis Ducis de morte Chilperici nuncio, capta, ac thesauris omnibus spoliata, in Basilicam sanctæ Mariæ confugit. Cui Desiderius arctum constituens victum, thesaurum sigillo munitum, in quadam domo fortissimis tradidit viris custodiendum, & ipse ad Mummolum Auennione residentem transiit. LX.

De Theodori Massiliensis, qui pseudofratrem Guntranni extulerat, multa: & de prodigiis eius anni.

NOVA iterum contra Theodorum Massiliæ Pontificem iurgia sunt orta, eò quòd Gundoaldum quendam, qui se fratrem Guntranni falsò asserebat, suscepisset. De cuius origine pauca disserere libet. Hic denique Gundoaldus in Galliis natus, moréque Regum à matre sua enutritus (vti consuetudo antiquis Franciæ fuit Regibus) comam capitis profusam gerebat. Oblatus itaque à matre Childeberto seniori est, dicente ea quòd Chlotarij fratris eius filius esset. Sed quia Chlotarius eum odio habebat, ideò ad ipsum, cuius nepos erat, delatus vt ab eo educaretur. Quem Childebertus, expers filiorum, ad educandum suscepit, poscentique Chlotario videndum transmisit. Ille intuitus eum, incidi eius præcepit capillos, hunc suum negans filium fuisse. Post obitum quoque eius dum à Chereberto eius filio loco fratris aleretur, à Sigeberto euocatus, iterum incisis crinibus Coloniæ in custodiam truditur. Vnde fuga elapsus, succrescentibus capillis primùm ad Narsetem Italiam tunc gubernantem, indéque ad Imperatorem transiens, familiarissimus ei efficitur. Lapso sanè pauci temporis interuallo, Guntrannus-Boso, cuius suprà meminimus, ad Sepulchrum Domini orationis gratia properans, eum Constantinopoli reperit. A quo, vt ipse pòst asseruit, solicitatus ad Gallias rediit: & à Theodoro Episcopo Massiliæ exceptus, sumptis ab eo equis ad Mummolum Ducem, qui à Guntranno Rege desciscens Auennionem confugerat, se confert. Quod Guntrannus-Boso agnoscens, eius se velle conatibus contraire assimulans, Theodorum Episcopum in custodiam posuit, arguens eum insidiatorem Regni ausum fuisse suscipere. Sed Pontifice sub duris custodibus Dominum exorante, lux immensa totam subitò in qua custodiebatur repleuit cellulam, ita vt Dux memoratus nimio arriperetur timore. Ductus tamen Antistes ad Guntrannum Regem, cum Epiphanio Antistite, qui ex Italia Massiliam demigrauerat, iterum mancipatur custodiæ. In qua quidem Epiphanius obiit, Theodorus verò innoxius repertus ad sua rediit. Nam prolatis Literis ex nomine fidelium Childeberti, quibus inscriptum erat, vt Gundoaldum honorificentissimè exciperet, absolutus est. Guntrannus sanè Dux cum alio Duce Guntranni Regis, the- LXI.

C

GVNTRANNVS, CHLOTARIVS II. CHILDEBERTVS.

saurus Gundoaldi, qui ad quandam maris insulam euentum rei præstolando demigrauerat, diuidens, non paruum auri ac argenti pondus in vrbem Aruernorum deuexit. Ex qua ad Childebertum demigrans, in redeundo à Guntranno Rege cum filio captus minis ab eo terrebatur: quódque pœnis pro inuitato à se Gundoaldo consumeretur, interminantem sæpè audiebat. Cui ille: Ex hoc, inquam, me innocentem comprobabo, cùm filio in obsidatum tradito, Mummolum eius fautorem ingenio captum tibi tradidero. Credidit Rex pollicenti, & retento puero ipsum siuit abire. Qui Auennionem cum copiosa suorum manu vallans vrbem, quibusdam satellitibus Rhodano submersis, ipse colloqui Mummulo cupiens, super ripam brachij fluuialis, quo ciuitas cingitur, deambulat. Hortatu denique Mummoli, spondentis nil aduersi eum passurum, flumen cum vno ex amicis ingressus, socio aquis submerso, Boso vndis se huc illúcque circumferentibus, hastam à milite sibi protensam arripiens, ereptus est. Demum illatis sibi à Mummolo conuiciis, & grauioribus illi à se relatis, dum eum obsideret, Gundulfus, cuius suprà meminimus, missus à Childeberto, eum ab obsidione remouit, Mummolum secum deducens in Aruernum. Qui diu residere fastidiens, ad suam, vnde digressus fuerat, rediit ciuitatem: iunctúsque Duci Desiderio, qui ad eum (vt diximus) de pago venerat Tholosano, euocatum Gundoaldum, more antiquorum Francorum, Regem proclamantes esse suum, eleuauerunt super clypeum. Cúmque tertio totum cum eo circumissent exercitum, clypeus repente ruens cum Rege, vix à terra eleuari potuit. B

ERAT, dum talia agerentur, mensis decimus: apparuerúntque in vineis pampini cum vuis ad plenum formatis, & in arboribus flores. Pharus quoque ignea, per cœlum nocte currens media, latè mundum luce lustrauit clara. Columna etiam ignis cœlo pendere est visa, cui superposita erat stella magna. Quæ æstimabant homines interitus Gundoaldi esse indicia: cùm & terra tremeret, ac alia multa parerent signa.

De Guntranni cum cohæredibus Regni concertatione.

LXII. ILLIS diebus Guntrannus Rex Duces suos ad peruadendas vrbes, quas Sigebertus de Regno Chariberti fratris amborum tenuerat, quasque Chilpericus Childeberto nepoti suo, ex fratre Sigeberto genito, vi præripuerat, direxit. Verumtamen Gariticus Comes partium Childeberti post mortem Chilperici sacramenta fidelitatis à Lemouicinis, Domini sui vice, exegerat. Ceterum Pictauis paria acturus veniens, à ciuibus cum gratia susceptus, audiuit Bituricos, qui Regi parebant Guntranno, hostiliter in Turonicos irruisse: quoniam quidem & ipsi iam se ad Childebertum contulerant. Idcircò Bituricensibus territorium Turonicum depopulantibus, Maroialensis vici Ecclesia, sancto Martino dicata, ab eis est cremata. Vbi euidens apparuit virtus beati Confessoris, pallam altaris cum circumiacentibus herbis à flamma defendentis. Mirabile dictu, trabes ingentes igne fuisse combustas, & molliciem lintei seu herbarum mansisse intactam. Cognoscens ergo Gariricus quæ agebantur, misit qui Turonensibus denuntiarent, ne vllatenus se ad partem Guntranni transferrent. Ad quæ mandata, Gregorius Episcopus hæc reddidit responsa: Guntranno Regi, post fratrum obitum, omne Regnum Francorum eo iure deberi, vt quemadmodum Chlotarius pater eius super proprios filios, sic Guntrannus super nepotes suos principaretur. Non igitur se repugnaturos, sed ipsum quoque ineptè agere se dixit æstimare, qui putaret tanto Principi repugnare se posse. Videns Comes, non qualia ipse voluerat, sed qualia mandauerat Rex, à Turonensibus geri, relicto in vrbe Pictauorum Eberone Childeberti Regis Cubiculario, ipse quasi exercitum contra inimicos congregaturus exindè discessit. Tunc Pictaui fines suos vastari cernentes (nam Turonici cum Aurelianensibus, & sæpè nominatis fœderatis hostibus, agros eorum rapinis ac incendio subuertebant) Legatos eis de pace miserunt: petentes vt vsque ad placitum, quod patruus cum nepote constituerat, quiescerent. Et tum demum illum, quem Deus sórsque dedisset, Dominum essent habituri. Sed illis respondentibus, petitiones eorum non se præpositituros Regis præceptis; coacti Pictaui, sacramento se fideles Guntranno fore spondentes, fautores Childeberti à suis C

GVNTRANNVS, CHLOTARIVS II. CHILDEBERTVS.

A pepulêre mœnibus. Nec tamen hæc facientes diu in fide durarunt. Tandem adueniente die colloquio Regum præfinito, Childebertus mandat Egidio Remensi Archiepiscopo legatione fungi apud patruum. Qui nil moratus, ad Guntrannum pergit, hócque initium sermonis ad demulcendum Principem habuit: Gratias, inquit, præcellentissime Regum, omnipotenti referimus Deo, qui tibi non solùm Regni tranquillitatem, verùm & augmentum quotidie attribuit. Cui Rex: Illi, « ait, verè sunt gratiæ referendæ, qui omnium est benignissimus gubernator Re- « gnorum: non tibi cunctorum nequissimo hominum, cuius consilio mearum sunt « vastati fines vrbium: qui sub veste ouina non Domini Sacerdotis, verùm crudelis- « simi geris officium proditoris. Silente ad ista Sacerdote, præ nimia indignatio- « ne vnus Legatorum ait Regi: Mandat tibi gloriosissimus nepos tuus, Dominus « noster Childebertus Rex, vt patris eius hæreditatem illi ad integrum reformes. « Ad hæc Guntrannus Rex respondit: Iam me ex hac causa responso satis fecisse « arbitrabar. Responderam enim in alio placito, quod & nunc respondebo, pactio- « nibus ea mihi cessisse, nec me vlli eis cessurum nisi gratia amicitiarum. Tunc al- « ter è Legatis his ad Regem vsus est verbis: Si hæc, inquiens, optime Princeps, « difficilia tibi videntur impetratu, saltem illa impetret, vt Fredegundis ei ad sup- « plicia dedatur, quæ patrem eius cum patruo nefandissimè interemit. Huic quo- « que Rex hoc reddidit responsum: Tradi ei, dicens, nullatenus potest, eò quòd «
B filium Regem ac Rege genitum habet: & eam innocentem à crimine quo impe- « titur esse puto. Post hæc Guntrannus-Boso, qui dudum (vt prædictum est) ad « Childebertum transierat, & tunc cum Legatis ibi aduenerat, quasi aliqua Regi Guntranno suggesturus, ad eum accessit. Iubet Rex silere, atque eum huiusmodi præuenit sermone: Quid ais, ô bone vir? cuius prudentia ideo Orientis expe- « tiit Regna, vt nobis Ballomirem quendam (sic namque Rex nominabat Gundoal- « dum) indè arcesseret, qui vrbes nostras peruaderet. O semper perfide, & nullo « modo in his quæ promiseris permanens! Respondit ad ista Boso: Tibi, inquiens, « Regi in solio regali residenti nemo audet contradicendo obloqui. Verumtamen « si quisquam meorum æqualium istud mihi impingeret crimen, obiecta armis re- « fellens, Deo opitulante, & te spectante, eum potenter superarem. Tacentibus « interim ceteris, Rex subiunxit. Cunctos piè viuentes hoc indignari oportet, ac- « conari vt è medio auferatur hominum tyrannus hic: cuius pater procurator fuit « regalium molendinorum, & (vt verius fatear) lanæ opificio vitam produxit suam. « Et quamuis fieri possit, vt vnus homo vtriusque sit artis peritus, propter opprobrium tamen Regis quidam ex Legatis calumniari cœpit, dicens: Ne loquaris « tam incultè, ô Rex. Nam qua ratione potest existere, vt cuiuslibet hominis sint « duo patres, re spirituali excepta? Non sunt hæc regiæ dignitati congruentia ver- « ba. Vniuersis igitur pro his sermonibus in risum solutis, alius Legatorum dixit Regi: Valedicimus tibi, ô Rex, & quia nepotis tui pacem aspernaris, scito secu- «
C rim fore paratam, qua fratres percussi sunt tui, vt ea excidaris. His dictis, iussit Rex « eos à conspectu suo pelli, ac super capita recedentium stercora de plateis collecta proiici. Pro tanta igitur iniuria vehemens inter Reges discordia exorta est.

De Fredegundis Reginæ in Asylo Parisiensi sæuitia per Audonem inflammata.

PER idem tempus, Leonardus quidam Optimatum Chilperici à partibus Tholosæ adueniens, Fredegundi Reginæ adhuc in maiore Ecclesia Parisiaca residenti intimauit, se fuga lapsum ab eius filia: quam affirmabat in magna victus ac vestitus degere inopia. Quibus verbis Regina indignata, præcepit ab eo auferri balteum, quem ex munere memorati meruerat Regis, ac omni priuari dignitate. Simili modo multos ab obsequio filiæ recedentes vel honore priuauit, vel contumeliis seu pœnis affecit. Nec verebatur Dominum, aut eius Genitricem, in cuius manebat Basilica, dum peruersa ageret adhærente ei Audone, suo in malis omnibus cooperatore: quem populus tunc peremisset, nisi in Ecclesiam confugisset. LXIII.

A

GVNTRANNVS, CHLOTARIVS II. CHILDEBERTVS.

De Prætextati Episcopi Rothomagensis restitutione.

LXIV. PRÆTEXTATVM sanè Rothomagensem Pontificem de exilio mandauit Guntrannus Rex reduci. Propter quem cùm Synodum vellet Rex congregare, Ragnemodus Parisiensis Antistes dixit, à Sacerdotibus nequaquam eum communione fuisse priuatum, nec esse necesse ideò Episcopos vocari. Sic demum Prætextatus vrbi restitutus est suæ.

De diligenti Guntranni custodia sui, & Fredegundis in agrum perfugio, & fraude.

LXV. INTEREA commorante Rege apud vrbem Parisiacam, adueniens quidam pauper suggessit ei, vt se à Faraulfo Chilperici quondam Cubiculario obseruaret, dicens: » Se consilium eius, quod de perimendo Rege conceperat, compertum » habere. Audito hoc, Rex interrogatum quidem & negantem dimisit, se verò ita armis & custodibus muniuit, vt nusquam nec ad Ecclesiam quidem sine armorum aut custodum munimento procederet. Fredegundem autem in Rotoialensem Rothomagensis territorij vicum, ad peragendum quod superesse poterat vitæ, direxit. Quam multi Optimatum Chilperici prosecuti, eam inibi cùm Melanio (qui Prætextato depulso, ab ea subrogatus, ac post reuocato, à Guntranno reiectus erat) reliquerunt: promittentes se filio eius CHLOTARIO fideliter parituros. At illa exortem se honoris relictam indignata, & Brunechildem potentiorem (vt erat) æstimans, Clericum quendam fallendi dolis instructum ad eam dirigit, quatenus simulando strenuum famulatum, occultum mortis inferret ictum. Qui dominæ iussis obtemperans, fingit se crudelitate Fredegundis offensum ad Brunechildis properasse conspectum, quòd audierit eius benignum in omnes affectum. Tandem in partem susceptus amicitiarum, omnibus adulabatur, dominam etiam vsque ad cubiculi deducens ianuam, coæqualibus se præbens beniuolum, maioribus subiectum. Sed non diu, quis esset, suspicione imminente, valuit tegere. Nempe quæstioni subditus, prodidit omnia malignitatis arcana, & diris affectus suppliciis, ad priorem remissus est dominam. Cui quæ sibi accidissent enarrans, vt quasi suspicio auferri ab animo Brunechildis posset, re autem vera vt pœnas pro non perpetrato lueret scelere, manuum ac pedum abscisione ab ea est mulctatus. B

De Eberulfi punitione, & in beatum Gregorium Turonensem simultate, & Guntranni gestis.

LXVI. INTERIECTIS diebus Guntrannus Rex Cabilonis regressus, fraternæ necis auctorem sollicitè inuestigans, per responsales Fredegundis Eberulfum, in Palatio Chilperici Cubiculariis Præpositum, eius sceleris cognouit esse caput. Rogatus verò ab eadem Eberulfus fuerat, ne ipsam desereret. Qui dum consensum ei denegasset suum, ob id apud Regem accusatus est ab illa. Rex igitur, felle commotus, circunstantibus amicis iurauit: » Se non solùm homicidam, verùm cun» ctam eius perditurum generationem, quatinus ausus interficiendorum Regum » de Regno tolleretur Francorum. Hoc terrore perculsus vir suprà nominatus, ad Basilicam sancti Martini cum Clericis, quibus frequentes intulerat iniurias, aufugit. Tunc Aurelianenses cum Blesensibus ad custodiendum, ne exindè vspiam dilaberetur, iussu Regis alternas sortiti vices, in eundo ac redeundo multas agebant prædas. Dúmque duo, qui mulas iam dicti rapiebant Confessoris, ad domum cuiusdam rustici potum petituri aduenissent, & ille se habere negaret: vnus eorum protenta hastâ, vt eum percuteret, ab eo ictu gladij peremptus est. Alter casu socij perterritus, aufugiens quæ malè peruaserant reddidit. Post hæc facultas omnis Eberulfi, quæ multa erat valdè, diuersis à Rege concessa. Domus quoque, quam intra muros possidebat Turonicos, adeò direptioni tradita est, vt nil nisi nudi superessent parietes. Pro his itaque causis calumnias sancto Antistiti inferebat Gregorio, quasi cuncta eius gererentur consilio: minabatúrque quòd si vn- C

A quam Regis rediret in gratiam, similem ei retribueret vicissitudinem. Verùm Antistes plus clementiâ pro eius miseriis, quàm indignatione pro illatis ab eo commouebatur iniuriis. Cùmque foret eidem misero domicilium in sancti Martini salutatorio, & à Presbytero (cui seruandi Oratorij cura delegata erat) reliquæ clauderentur ianuæ, per ostium illius salutatorij ingressi Ecclesiam pueri vel puellæ vniuersa rimabantur ornamenta sacri Templi. Quod postquam custos sacræ Ædis animaduertit, ac ferreis ipsas fores affixit clauis, media fermè nocte in ipsis nocturnalibus Hymnis à præfato Eberulfo Episcopus Gregorius & Clerici tantis lacessiti sunt conuiciis, vt laudes Deo debitas relinquere cogerentur. Sed & Clericum quendam iam temulentus, quòd vinum sibi non largiretur, super scamnum extensum penè vsque ad mortem flagellis cæcidit: multorúmque cædem in atrio beati Antistitis exercuit, non veritus illi ingerere contumeliam, cuius quotidie flagitabat clementiam.

GVNTRANNVS, CHLOTARIVS II, CHILDEBERTVS.

PORRO vna noctium vidit idem Episcopus somnium, quod eidem viro retulit, in hunc se habens modum. Videbam, ait, me sacrosancti Martini astantem altari, ac Dominici celebrare mysteria sacrificij: Guntrannúmque Regem ipsam ingressum orationis domum, suis imperantem, vt te à palla altaris, cui inhærebas, euulsum foras pellerent. Cui cùm intermissis ego Missarum solemniis me obuium præberem, & ne te contingerent, manibus quoque detinerem, tu interea, ara sacra deserta, huc illúcque pauitans circumflectebaris. Tum ego ex hoc molestus,
B dum tibi innuerem ne quoquam abscederes, euigilaui, mecum in animo visionis reuoluens causam. Ad hæc Eberulfus: Multum, ait, cogitatio mea cum viso quadrat quoque tuo. Quidnam cogitas? inquit Antistes. Cogito, infit ille, si me Guntrannus Rex hinc voluerit extrudere, vna manu pallæ altaris inhærente, altera te cum Clericis gladio trucidare. Intellexit Episcopus illum dæmonis instinctu talia effari. Nec longum fluxerat tempus, cœperunt fieri actu manifesta, quæ fuerant Episcopo visu reuelata. Denique Guntranno quærente virum, qui arte ab Ecclesia educens Eberulfum, aut sibi adduceret vinctum, aut gladio relinqueret trucidatum, obtulit se Claudius quidam, ad id opus strenuum spondens se fore ministrum. Pollicito itaque sibi tanti sceleris precio, ad Eberulfum accedit: iurat per Deum, pérque omnia cœli ac terræ sancta, nullum fideliùs aut posse aut velle causam eius apud Regem exequi, quàm se. Perpendebat enim infelix, alio eum non posse commodiùs decipi commento, quàm suo periurio. Quid plura? Credidit miser deieranti, ac in crastinum à Clericis accitus, cum eo ad conuiuium accedit. Finitis epulis, Eberulfo secum per atrium Basilicæ deambulanti, & mutuam amicitiam iureiurando pollicenti, ait Claudius: Si fortè facultas foret iocundiora reperiri vina, faterer me eorum ardere desiderio. Respondens Eberulfus, cuncta quæ cuperet se præbiturum, dum modò dignaretur eius adire hospitium, vniuersos dirigit pueros potioris vini haustum quæsituros. Cernens Claudius illum
C resedisse solum, cuius magis ipse lethum, quàm aliud sitiret merum, manus eleuans erga sancti Martini sepulchrum, eum in hunc exorabat modum: Te, inquiens, sancte Confessor oro, vt sospes reuisam coniugem cum filio. His dictis, euaginato gladio impetum faciebat in aduersarium. Cuius conatum vnus intelligens famulorum, brachiis complexum resupinat Eberulfum. Qui iam à Claudio saucius, ibi vaginâ exemptum ensem inimici defixit in latera. Sicque à circumstantibus eius satellitibus inuasus, multis telorum interfectus est ictibus. Claudius verò tam immanis facinoris sibi malè conscius, ad cellam Abbatis confosso latere abscissóque pollice profugit, poscens se occuli ab eo. Verumtamen irruentibus Eberulfi stipatoribus, vallatur armis domus: iacula per fenestras intrò iaciuntur: Abba quoque vix à duobus Clericis illæsus reseratis extrahitur ostiis. Per quæ introgressi aduersarij Claudium sub lecto latitantem nacti iugulant, sociósque eius simul. Quorum corpora à domo protracta, ac super nudam humum iacentia, parentes amicíque colligentes sepelierunt. Ad vindicandum autem homicidium in sacræ Ædis atrio perpetratum, etiam energumini ac pauperes pro foribus excubantes cum fustibus & saxis properarunt. Hanc igitur ad se causam perlatam Rex Guntrannus grauiter primò quidem tulit: donec comperto rei gestæ ordine, animum ad alia tractanda conuertit. Substantiam Eberulfi ij, quibus regalis eam contribuerat potestas, auferentes, vxorem eius inopem reliquerunt.

GVNTRANNVS, CHLOTARIVS II. CHILDEBERTVS.

A

De Pictauensis Episcopi redemptione, ac populi reconciliatione.

LXVII. ANNO x. regni Childeberti, Guntranni autem xxiv. idem Princeps aduersum Gundoaldum exercitum ex vniuersis vrbibus sibi subiectis commouit. E quibus Aurelianenses cum Bituricensibus Pictauensem aggressi ciuitatem, ciues, qui iam à fide desciuerant, ad pristinam vi reuocantes societatem, Episcopum iniuriis afficere moliebantur. At ille comminuto vno Ecclesiastici ministerij aureo calice, se quidem ab exilio, populum autem à captiuitate redemit.

De Gundoaldi gestis, & aliis quibusdam.

LXVIII. IN illis diebus Gundoaldus iter Pictauis destinatum, audita expeditione, ad Engolismam deflexit. Vbi ab Antistite & Proceribus gratanter exceptus, eorum remunerata sedulitate, Petrogoricas tendit. Cuius Præsulem malè multatum reliquit, eò quòd se cum fauore non excepisset. Indéque Tholosam petens, præmissis militibus, Magnulfo Pontifici sibi occursum iri mandat. Quapropter Magnulfus conuocatam plebem hortatur, monétque vt viriliter repugnent: ne fortè calamitati, quam quondam sub Sigulpho experti sunt, iteratò subdantur. Meminerintque, quatenus Desiderius ipsius Dux vrbis memorati experiatur fortunam viri, si quid simile molitus fuerit. Et hæc quidem populum ad rebellandum excitauerunt. Sed robur aduentantis exercitus portas aperiri suasit. Receptum igitur Gundoaldum vrbe, ac secum prandentem, his Episcopus affatur verbis: » Licèt te filium Chlotarij, Regnúmque tibi deberi astruas, incredibile tamen » apud nostros manet animos, te quæ cœperis posse perficere. Respondit ad ista » Gundoaldus: Ego, inquit, & Chlotario me genitum fateor, & debitam Regni » portionem in præsentiarum adeptus, vrbe capta Parisiorum ibi propriam statuam » sedem. Nunquam, ait Pontifex, tu ista impediente Christo complebis, quamdiu » quispiam Regij superfuerit germinis. Tum Mummolus alapa Domini Sacerdotem percussit, dicens: Non pudet, ineptissime, tam nugacibus Dominum nostrum » Regem confutare verbis? Desiderius quoque, agnitis his quæ contra salutem suam populo suaserat, pugnis eum fustibúsque cum reliquis cæcidit, ac post fune reuinctum pedes direxit in exilium, raptis tam ipsius quàm Ecclesiæ facultatibus. Franci itaque, qui vndique ad persequendum Gundoaldum permoti fuerant, vsque ad Dordoniam progressi flumen, præstolabantur si quos eius, fama ferente, persentiscerent motus. Sociauerat se ei VValdo Cubicularius Rigundis, vir haud spernendæ potentiæ: reliquis puellæ ministris fugâ dilapsis. Sed & Desiderius cum Mummolo ac Bladaste, necnon Sagittario (qui sponsionem de Præsulatu Tholosano iam elicuerat ab eo) intimi erant in consilio, pérque eos res agebatur. His diebus ad amicos in superiori Francia degentes misit Epistolas, duobus eas tradens ferendas Clericis: quorum vnus Catureinæ vrbis incola, ligneam quam ferebat cauans tabulam, immissis Literis ceram superinduxit. Nil tamen illum hæc fraus iuuit, quin à fidelibus Guntranni Regis deprehensus, patefacta legatione, post flagella custodiæ cum socio manciparetur. Porrò Gundoaldus ad Burdegalensem transiens ciuitatem, Bertranno Præsule humanissimè se suscipiente, aliquandiu ibi resedit. Quærenti verò ei, quæ res inexpugnabilem hostibus eum efficeret? indicatum ab vno familiarium est, quendam Orientis Regem, reliquias sancti Martyris Sergij brachio alligatas ferentem, semper aduersariis præualere. Cúmque sollicitè inuestigaret, quis huius testis Domini patrocinia possideret? Bertrannus Episcopus dixit, esse in eadem vrbe quendam Syrum negociatorem, » nomine Eufronem, qui olim ab Oriente ea detulit. Hic, inquiens, in domo sua, » quam Ecclesiam consecrauit, inter alia miracula illius dilecti Dei meritis patrata, » hoc etiam videre promeruit, quòd ciuitate flammata ipsa Basilica permansit intacta. Mittitur è vestigio Mummolus Dux cum ipso Episcopo, memoratas inquisi- » turus reliquias. Cui acriùs inquirenti, responsum Eufron reddidit: Noli, obse- » cro, me ætate confectum defatigare senem, nec sancto illi inferre iniuriam. Ve- » rùm acceptis centum aureis, ab hac desiste intentione. E contrà ille asserens se, etiam si ducenti darentur, cœpta non deserturum; insuper videns capsulam de pa-

B

C

A riete pendere, apposita scala iubet Diacono, vt ascendens loculum deponeret. Qui præcepto parens, dum sancta manu tangeret pignora, tanto arrigitur tremore, vt confestim ruiturum omnes ipsum putarent. Deposita tamen Mummolo tradidit. Ille inuentum os preciosi Martyris, ausu temerario percussum cultello, in tres partitur partes. Quibus resilientibus, nec vsquam apparentibus, magnus astantes inuadit horror. Prostratis autem illis ad orationem, flentéque præcipuè sene, qui se tanto ingemiscebat priuatum patrocinio, apparuerunt partis illæ haud procul positæ. Harum vna Mummolus assumpta discessit. Sed beatus Martyr id sibi non gratum fore, ex hoc præcipuè ostendit, quòd eidem viro, cuius hæc acta fuerant imperio, noluit esse auxilio. Verumtamen idem Gundoaldus iteratò duos ad Regem Guntrannum destinans Legatos (quemadmodum olim Francorum mos fuerat Legatis) iussit illis virgas ferre sacratas. Quibus prolatis, totius immunes forent iniuriæ. Hi itaque qui directi erant, incautè legationem suam priùs popularibus vulgarunt, quàm Regi præsentarentur. Vnde Rex eos sibi exhiberi iubens vinctos, seuerè interrogat, vnde, vel à quo, seu à quibus, directi essent? Illi rem omnem, vt erat, enarrant ordine. Missos se à Gundoaldo Chlotarij (vt ipse profitebatur) Regis filio, quatenus debitam repeterent Regni partem. Quæ, inquiunt, ni maturè restituatur, cum circumiacentibus in proximo depopulabitur vrbibus. Nec paruam illicò coactam aiebant bellatorum manum: cùm præter Aquitanicas B copias, validos speraret sibi ex Austria adfuturos auxiliatores. Idque præpotentes Ducum ex Regno Childeberti nosse, an ipsi vera prosequerentur. Et hæc quidem Legati ad primam interrogationem prodiderunt. Postea verò ad trocleas extensi, & diutissimè cæsi, indicarunt Rigundem Chilperici filiam, cum Magnulfo Tholosano Pontifice, in exilium relegatam. Demum custodiæ deputati, vsque ad aliam audientiam iubentur adseruari.

De Childeberti & Guntranni reconciliatione, & Guntranni consilio Childeberto dato, deque Gundoaldi factione.

INTEREA Childebertus, nunciis patrui impellentibus, à loco suæ habitationis digressus aduenit ei collocuturus. Tunc ex præcepto Guntranni, suprame- LXIX. morati in amborum præsentiam perducti viri, cùm priùs relata iterum recapitulassent, addiderunt, vniuersos Rigundis thesauros à Gundoaldo peruasos: ipsúmque dicere solitum, inuitante Guntranno Bosone ab Oriente se ad Gallias transiisse. Cúmque Principibus Childeberti hæc nota esse asseuerarent, suspicio nata est, ideò aliquos ad præsens colloquium venire distulisse. Tunc demun Guntrannus Rex hastam, quam manu gerebat, nepoti tradidit inquiens: Hoc, amantissime nepos, indicio noueris te mihi successurum in Regno. Idcirco, tradita tibi à me potestate, cunctas Regni mei ciuitates tanquam tuas dispone, reminiscens te solum ex nostra superesse stirpe. Ita quidem Rex audiente omni populo proferens, C semotum à cœtu aliorum nepotem monuit, ne cui manifesta faceret quæ ipse ei dicturus foret. Denique instruens eum, quos fidelium de rebus agendis consuli, quósve oporteret à consilio remoueri, seu quibus proprij corporis tuendi curam committi, Egidij Episcopi fraudulentias ac periuria, matris quoque Brunichildis versutias cauendas præmonuit. Finita sermocinatione, ad conuiuium ambo Reges consederunt. Et inter redundantioris mensæ epulas, serenissimus Princeps Guntrannus sic alloquitur conuiuas: Hortor vos, inclyti Franciæ Primates, vt nepotem meum summo dignum honore censentes, fidei cultum ei exhibeatis. Quandoquidem ipse transgressus æuum pueritiæ, suadet meliora de se sperare. Nec contemnatis vt puerum: sed reueremini vt Dominum. Post hæc Childebertus, restitutis sibi à patruo ciuitatibus, quas pater tenuerat suus, ad propria maturauit regressum.

De Gundoaldi in Conuenas fraude.

EA tempestate Gundoaldus à Desiderio derelictus vnà cum Mummolo, Bladaste, ac VVaddone, siue Sagittario, Conuenas vrbem ingreditur. Ea vrbs LXX. in cacumine præcelsi montis trans Garomnam sita est, procul ceteris remotis mon-

GUNTRANNUS, CHLOTARIUS II. CHILDEBERTUS.

tibus. Ad radices rupis fons oritur, cui imminet desuper turris altissima, quæ ciues per cuniculum descendentes aquarum à læsione defendat hostium. Circumueniens igitur, memoratus vir, eiusdem vrbis incolis, vt bona sua intra muros propter aduentantem reconderent exercitum, dum illi eius monitis paruissent, hac eos fraude decepit. Confingens enim hostes iam in proximo esse, ita eos affatur: » En inimici, egredimini ad resistendum eis. Quibus digressis, expulso etiam Antistite, post eos clausit portas, séque ad repugnandum cum satellitibus parat. Quàm cæca mens hominum ignara futuri! Fuit profectò post ille dies (videlicet qui simili ordine ipsum expulsum mortalibus ostendit ab vrbe) quo magno emptos pretio, eos qui pellebantur vellet videre receptos, reiectis his qui putabantur fidissimi. A

De Literis à Guntranno ad Gundoaldum missis: de auri direptione: & de claustri Vincentiani apud Agennenses spoliatione, & eius vltione: déque callida Gundoaldi querela, & reliquis gestis.

LXXI. HIs diebus, Guntrannus Rex Literas ex persona Brunichildis ei transmisit, suadentis vt dimissis quas aggregauerat ad hyberna copiis, ipse Burdegalim hyematum secederet. At hostilis Duces agminis, quos super Dordoniam castrametatos fuisse præfati sumus, audientes Gundoaldum vlteriorem tenere Garomnæ ripam fluminis, collecta virorum fortium expeditáque multitudine, fluuium natatu transmeare disposuerunt. E quibus aliqui infirmis equis vecti, fluuialis aquæ oppressione perierunt. Reliqui natando ad contrarium delati litus, offenderunt in itinere maximum camelorum mulorúmque numerum, auro & argento onustorum, quos fugientes aduersarij reliquerant. Quibus captis, & ob impedimenta cum residuis vulgi dimissis, ipsi quàm maximis possunt itineribus Gundoaldum persequuntur. Et venientes ad Basilicam sancti Vincentij Agennensis territorij, resistentibus his qui eò res suas contulerant, ignem ostiis admouent, consumptísque eis, vniuersa intrò reperta, cum sacri ministerij vtensilibus, auferunt. Adfuit è vestigio diuina vltio, & quorumdam manibus sacro igne ardentibus, alij dæmonibus replebantur, quidam semetipsos interimebant. Tandem residui Conuenas peruenientes, in campestribus castra posuerunt. Vastatur primùm tota suburbana regio. Vnde quidam acriori prædæ succensi cupiditate, dum longiùs à suis recederent, à vicinarum vrbium custodibus trucidabantur. Interea obsidione cœpta audaciores per ardua collis ascendentes, Gundoaldo conuiciabantur, dicentes: B
» Vnde, ô silicernium, hæc tanta tibi præsumptio, vt vitam pictorum arte solitus transigere, nunc te Regem audeas nominare? Nempe pro similibus ausis, à Dominis rerum, Regibus scilicet Francorum, sæpè attonsus, exilióque es damnatus. Te quippe vniuersæ Galliæ Ballomirem vocitant cognomine. Age nunc inepte, nobis responsum redde, quis te coëgit ista præsumere: vel quos habeas adiutores virium, expone. Namque in proximo nostra captus muscipula, merita lues supplicia pro tua stulta pertinacia. Hæc & alia illis vociferantibus, nequaquam mouebatur ad iram Gundoaldus. Tantummodo ingemiscendo aiebat, memoratas sibi à patre illatas contumelias, séque à propinquis iniustè patriâ pulsum, ab extraneis misericorditer receptum. Proximis hostili odio se persequentibus, ab » extraneis amica familiaritate receptum. Deinde, inquiens, dum peregrè Regum » pollerem diuitiis, intimúsque essem Imperatoris Constantinopolitani amicitiis, » Guntrannus-Boso me suis decepit fallaciis. Nam in Oriente gratiâ profectum » orationis, de salute sollicitus interrogans patris, quærebam vna, qualiter se status » Regni vel fratres haberent mei. Tum ille: De patre, ait, quæris? is obiit mortem. » Fratres moriendo secuti patrem, vix quempiam suorum reliquere superstitem. » Remansit sanè solus Guntrannus, & ipse liberis orbatus, cum paruulo nepote, ex » Sigeberto genito fratre. Ad hæc ego: Et quid, inquam, mi amantissime, mihi » nunc censes agendum? Hîc verò ille, & me hortabatur Gallias adire, & Francos » affirmabat, mei cupidos, mihi velle Regnum tradere, maximéque eos qui Childeberti nepotis mei ætatem ad rem tutandam publicam perpenderent inutilem. » Nunc igitur vos quoque Dominum agnoscentes me fore vestrum, à mea desistite C

A obsidione, mihique fauendo, fratrem Guntrannum ad concordiam reuocare. Talia Gundoaldum prosequentem maledictis aduersarij deterrebant, insupérque tela in eum iaciebant. Quintusdecimus iam, ex quo ibidem aduenerant, fluxerat dies, cùm Leudegisilus regalium Præpositus equorum, quem vulgo Comistabilem vocant, quémque Rex ei præfecerat expeditioni, extructa machinamenta ad subruendos deduci imperat muros. Erant carri vimineis cratibus tabulísque tecti ligneis: in quibus latentes milites fundamenta subfoderent murorum. Sed parum hoc proficiente instrumento (præsertim hostibus, præacutis sudibus, validísque eos inhibentibus saxis) etiam parietes videbantur non fore idonei, eò quòd ignibus iactis facilè possent exuri. Nam obsessi cuppas pice ac siccis repletas lignis, accensásque, iacientes desuper, & opera exurebant, & inimicos accessu prohibebant. Consumptóque in hoc certamine die, in crastinum qui obsederant aliud nocendi genus excogitant. Denique ex virgis ramísque arborum vnum facientes miræ magnitudinis fascem, cupiebant eo implere vallem. Verùm conatibus eorum & profunditas vallis, & ignis ab aduersariis de superioribus cum lapidibus missus, restitit. Leudegisilo contemplanti omnes actus suos irritos fieri, in mentem venit, opportunius fore clausos de proditionis tentare sententia. Aduocatum itaque Mummolum ad sibi colloquendum incusare cœpit: Cur clementissimum Regem Guntrannum deseruerit, & iniquissimo Tyranno se iunxerit? Quid B porrò exspectas? ait, an vt capta vrbe malè dispereas? Quin potiùs resipiscens ad benignum reuertere Dominum, relicto illo nugacissimo, post paululum puniendo. Tunc Mummolus se quidem consulturum respondit. Regressus verò in vrbem conuocat Sagittarium atque VVaddonem. Bladastes enim timens captum iri vrbem, iniecto domui Ecclesiæ igne, dum ceteris ad restinguendum properarent incendium, ipse clam aufugit. Iunxerant autem factioni suæ Cariulfum eiusdem vrbis ciuem, cuius apothecis, quæ permultæ erant, ipsi alebantur. Hunc ergo Mummolus cum prædictis adiit. Ostendit deindè quàm iniquo res suæ sint constitutæ loco, quámque odiosi ipsi cunctis effecti sint gentibus, dum incerti generis Regi fauent. Ad extremum hortatur, cedant rebus aduersum se fluentibus: & si sibi sacramento securitas vitæ ac salutis detur, ciuitatem iamiámque capiendam cum pseudorege hostibus dedant. Assentientibus sociis, memoratus Dux Leudegisilum mandat venire ad colloquium, & quæ sibi cum sodalibus complacuerint exponit. Laudat ille sententiam, iusiurandúmque præbet, se apud Regem suum eorum vitam iri impetratum. Quòd si Principis voluntas in sua durauerit pertinacia, in qualibet illos se spondet clausuros Ecclesia, donec Guntranni deferuesceret ira. Hac Mummolus seductus versutia, Gundoaldum tali identidem circumuenit muscipula: Prono, inquit, animo deuotáque mente me tibi fidelem fore, non solùm contra hostes pugnando, sed etiam ipse probasti experiendo. Nam quàm sæpè meis vsus consiliis, semper fruitus sis prosperis, tute melius scis. Nunc C quoque par mihi manet consulendi affectus, sicut tu benè es meritus. Ideò denique cum aduersariis sermonem habuit, vt eorum erga nos persentiscerem, quis sit animus. Qui, inquantum perpendere quiui, tuæ nequaquam aduersantur vtilitati. Immò mirari se aiunt, te tantoperè præsentiam fratris vitare: autumaréque quòd genealogiæ ignarus tuæ cum sciolis diffugias disputare: nec fratri tuæ cupido visionis agnoscendum te præsentare. Si ergo nunc tibi me auscultare placuerit, atque ad Regis Guntranni præsentiam vnà cùm his mecúmque properare, & te hac suspicione exsolues, & tibi pacíque consules. Non fefellit animus Gundoaldum, se à Mummolo iri deceptum: eíque hoc reddidit responsum. Ego, inquiens, licèt inuitus has iam deseruerim partes, vobísque impulsoribus Europam adierim, bona tamen voluntate atque integra fide semper vestras foui partes, nec meas vtilitates vestris prætuli commodis. Et quamuis eius, qui me huc pellexit venire, perfidia in propatulo claruerit, dum & me fugax reliquit, & thesaurorum partem furto abstulit: nihilominus ego vos, quasi meæ auctores salutis, perpetuò colui, ac in fratrum loco dilexi. Nunc igitur si secus quod oportet, immò quod decet, aduersum me egeritis, præsertim cùm ego corpus animámque meam, simul cum consilio ac opibus, in vestris constituerim manibus, scrutator cordium illud aduertat Deus. His dictis, assensum præbuit, vt cum eis ad hostes descenderet. Mummolo verò monente, ne superbo vtens ad eos iret habitu: quin potiùs re-

GVNTRAMNVS, CHLOTARIVS II. CHILDEBERTVS.

GVNTRANNVS, CHLOTARIVS II. CHILDEBERTVS.

formato ei, quem ab ipso acceperat, balteo auro fabrefacto, proprio accingeretur qui fulgore memorati carebat metalli: In hoc, inquit, tua iam patet fraudulentia, dum ea quæ ex tuo vsque ad istud possedi tempus repetis. Illo quoque negante, vlla se contra eum vsurum fraude, ventum est ad portam, vbi eos fortissimi opperiebantur aduersariorum Duces, Boso videlicet cum Bollone Biturigum Comite, non minima satellitum vallati caterua. Quibus Gundoaldum excipientibus, Mummolus in vrbem regressus, portas firmissimè obserauit. Cernens Gundoaldus se à suis derelictum, & ab hostibus circumdatum, introitúmque vrbis sibi præclusum, manus eleuans ad cœlum, cum cordis gemitu sic orabat ad Dominum: » Iudex æterne, ac vltor innocentium, Deus, cui omne patet secretum, qui » nullius amplecteris dolum, nec lætaris fraudibus malignantium, esto velox vin» dex mearum miseriarum, retorquens in eos qui me tradiderunt inimicis deceptio» nis ipsorum laqueum. Post hæc verba consignans se cruce Dominica, cum his qui se ceperant abire cœpit ad eorum castra. Nondum collem, cui ciuitas imminet, prætererat, & impulsus à Bollone ruit in faciem, ferebatúrque in profundum vallis. Cúmque surrexisset, & contra aduersum montem niteretur, à Bosone lapide percussus in capite, concidit, spiritúmque exhalauit. Indè fune ligatis pedibus protractus, loricáque qua amiciebatur exutus, ac lanceis confixus, per totum circumducitur exercitum. Mummolus sanè thesauros diripiens vniuersos, in diuersis occuluit locis: datáque sequentis luce diei, hostibus portas aperuit vrbis. Qui in tantam cædis exarsêre insaniam, vt etiam Sacerdotes Domini ad ipsa iugularent altaria, reliquósque ciuium cum ipsa concremarent vrbe. Quorum Dux Leudegisilus clam ad Principem Guntrannum nuntios miserat, super traditores ciuitatis eius exquisituros iudicij sententiam. Ille cunctos gladio puniri præcepit: Vt » huiusmodi ausus de Regno tolleretur Francorum, ne quis scilicet Tyrannis in re» liquum suffragari auderet. Quo cognito, Cariulfus cum VVaddone è castris fuga lapsi sunt. Mummolus quosdam ad arma concurrere cernens, & super se irruere eos velle intelligens, ad tabernaculum Leudegisili recta graditur via, incusans fidem sibi pollicitam infringi. Cui Leudegisilus: Ego, inquit, progressus cuncta mitigabo. Et his dictis, prolato extra limen ostij pede, signum suis, vt Mummolum cum Sagittario Episcopo morti traderent, dedit. Illis iussa facere maturantibus, pueri Mummoli eo præcipiente aditum domus defensare nitebantur, donec Dominus eorum armis se muniret. Sed aliquibus eorum letho occumbentibus, aliis vulneratis, Mummolus armatum se ostio obicit, & aduersarios omni virtutis conamine cædens, exindè remouit. Quos dum loco cedentes incautè insectatur, egressus domum à lateribus circumuenitur, confixúsque telis concidit exanimis. Cuius casu Sagittarius, quondam Episcopus, turbatus, dum staret stupens, qui» dam ad eum: Vt quid, ait, Episcope hîc ac si amens consistis? Quin potiùs oper» to, ne agnoscaris, capite festinus siluam pete. Cui dum Pontifex parens plantas fugæ commendasset, quidam velociter gradienti caput cum operimento eum assecutus abstulit. Leudegisilus ad sua cum victore exercitu regredi festinans, dum milites nequaquam à rapina coërceret, cuncta, per quæ transitus fuit, vastata reliquit.

De Rigundis ad matrem reuectione.

LXXII. HIs diebus Fredegundis Cuppanem Cubicularium suum Tholosam direxit, exploraturum, quónam pacto erga filiam suam res sese haberent. Cui etiam hoc commisit mandati, vt quocumque valeret ingenio, eam ad patrium reueheret solum. Qui dictis obaudiens Tholosam petiit, Reginæque filiam in magna humiliatione constitutam offendit: & inquantum posse illi affuit, ad matrem celerrimè deuexit.

De Mummoli rebus fisco addictis, & Italiæ diluuio magno, & pestilentia.

LXXIII. GVNTRANNVS verò thesauros Mummoli sibi exhiberi præcipiens, vxori eius, propter nobilitatem qua pollebat generis, ea quæ per arrhabonem meruerat concessit. Fuerunt autem in thesauris memorati Ducis talenta auri xxx. argenti cc. Quæ omnia Guntrannus, & Childebertus nepos eius, partiti, Chlo-

tarium

A tarium extra partem constituerunt. Ea tamen quæ Guntranno Regi euenerant, ab ipso vtilitatibus Dei Ecclesiarum distributa sunt. Enimuerò oblatus est ei ex familia iam dicti Principis, inter memorata xenia homo tam immensi corporis, vt aliorum statum hominum trium excederet mensura pedum. Eo tempore, Authari super Longobardos regnante, fuit aquæ diluuium in finibus Venetiarum, & Liguriæ, & ceteris regionibus Italiæ, quale post Noe tempora creditur non fuisse. In hac valida aquarum procella intantum apud vrbem Romam Tiberis excreuit, vt aquæ eius super muros vrbis influerent, & maximas in ea regiones occuparent. Subsecuta est statim hanc inundationem grauissima pestilentia, quam inguinariam appellant. Quæ primùm Papam Pelagium perculit, & sine mora extinxit. Deindè Pastore interempto, se in populos extendit.

GVNTRANNVS, CHLOTARIVS II. CHILDEBERTVS.

De beati Gregorij in Papam electione, & Anglorum seu Britannorum ad fidem Catholicam conuersione.

DVM igitur tanta tribulatio miseram quateret Vrbem, beatus Gregorius, qui tunc Leuita erat, & sub Pontifice Pelagio Apocrisiarij functus officio, à cunctis generaliter Papa electus est. In cuius ordinatione cùm nihil aliud quàm iussio Principis deesset (non enim licebat tunc temporis quemlibet in Romana B ciuitate ad Pontificatum promoueri, absque iussione Principis Constantinopolitani) vir Domini Gregorius Legatum ad Mauritium direxit Imperatorem, obsecrans ne populo in sui electione præberet assensum. Cuius Literas Præfectus Vrbis interceptas disrupit, & consensum populi Imperatori transmisit. Qui valdè gauisus, quòd locum aptum largiendi honoris Diacono, olim sibi amicitiæ familiaritate carissimo, repperisset (nam filium Imperatoris de sacro fonte susceperat) eum absque dilatione ordinari præcepit. Ordinatus autem, tam cautum támque humilem se in omni sua præbuit actione, vt (sicut ex gestis siue scriptis eius dignosci potest) vix vllus in successoribus eius illi inueniri possit similis in flore eloquentiæ, ac puritate doctrinæ, vel etiam in sanctitate vitæ. Tunc temporis isdem beatus Gregorius Augustinum & Mellitum, necnon Ioannem, cum aliis seruis Dei, ad Britannias dirigens, suis eos Literis, Episcopis ac Regibus Francorum, per quos illis transeundum erat, commendauit. Quorum prædicatione nationem Anglorum ad Christi fidem conuersam esse in tantum gauisus est, vt in Libris Moralium huius rei faciens mentionem, inter cetera de fructu bonorum operum suorum gratulans, diceret: Ecce, ait, lingua Britanniæ, quæ nihil aliud nouerat « quàm barbarum frendere, nunc in Dei laudibus Hebræum nouit *Alleluia* resonare. « LXXIV.

C *De Mummoli supplicio: de aëris intemperie: Leudegisili Patriciatu: Theodeberti ortu: & aquarum in Burgundia inundatione.*

ANNO XXV. regni Guntranni, Mummolus Patricius rebellionis conuictus, iussu ipsius Regis Senonia villa iugulatur. Eius verò vxor Sidonia, cum omni thesaurorum copia, à Domnulo Domestico ac VVandalmaro Cameræ Regis præfecto, Guntranno præsentatur. Anno XXVI. eiusdem Principis, exercitus ipsius Hispanias petens, insolita aëris temperie grauatus, infecto negotio est regressus. Vicesimo autem septimo, Leudegisilus ab eodem Guntranno Patricius in Prouincia ordinatur. Natus quoque est Childeberto Regi filius, nomine THEODEBERTVS. Eo anno nimia inundatio aquarum in Burgundia fuit, egressáque sunt flumina terminos suos. Signum verò apparuit in cœlo globus igneus, qui cùm maximo tonitrus fragore scintillans in terram decidit. Ipso quoque anno Siagrius Comes, ex præcepto Guntranni, Constantinopolim ad componendam cum Imperatore pacem profectus, inibi fraude Patriciatum assumere voluit. Quæ res cœpta quidem est, sed ad effectum minimè deducta. Levvigildus etiam Hispaniæ Rex moriens, Richaredo filio Regnum reliquit. LXXV.

GVNTRAMNVS, CHLOTARIVS II. CHILDEBERTVS.

De Theodorici filij Childeberti natiuitate, & ipsius Childeberti in Regni successione confirmatione.

A

LXXVI. ANNO XXVIII. suprà memorati Regis, ipsi Principi nunciatur, Childeberto suo nepoti alterum natum esse filium, nomine THEODORICVM. Vnde eum cum Brunechilde matre eius ad se euocans, iterum hæredem Regni sui testamento ipsum fore designauit. Acta sunt hæc loco nuncupato Andalao: quo soror simúlque vxor Childeberti affuerunt, multique è Francia & Burgundia potentes: vt palam omnibus daretur agnosci, Childeberto, post auunculi sui Guntranni funus, Regnum Burgundiæ deberi.

De Primatibus Childeberti læsæ Maiestatis conuictis: & de Authari Longobardi cum Theudelinda nuptiis, Recharedique Hispani fide Catholica, & de exercitu Burgundionum in Hispaniam misso.

LXXVII. EO tempore, Setacechingus & Boso-Guntrannus, Vrsio quoque ac Bertefredus, Optimates Childeberti Regis, eò quòd eum tractassent perimere, ipso ordinante perempti sunt. Sed & Leudefredus Alemannorum Dux offensam antedicti Regis incurrens, fugâ elapsus ne morti adiudicaretur, latuit, & Vncelenus loco ipsius Dux substitutus est. Porrò apud Baioariam post Garibaldum Tassilo ab Childeberto Rex ordinatus est. Qui mox cum exercitu Sclauorum Prouinciam introiens, partâ victoriâ ad solum proprium cum maxima remeauit præda. Fuit autem Garibaldus (cuius nunc mentionem fecimus) socer Authari Regis Longobardorum ex Theudelinda filia sua. Quam memoratus Authari per semetipsum, sub specie legatarij profectus, in domo paterna contemplatus est, eámque adamauit, & postmodum sibi in matrimonium iunxit. Quo tempore Recharedus Rex Gothorum, non patris Levvigildi perfidiam, sed fratris Hermenegildi fidem sectatus Catholicam, priùs à Leandro Episcopo baptizatur secretiùs: deindè omnes libros sectæ Arrianæ apud Toletum vno in loco adunari præcipiens, igne cremauit, & Gothos ad veræ fidei vnitatem adduxit. Anno XXIX. regni Guntranni, iteratò exercitus Burgundionum Hispaniam ingreditur: sed negligentia Bosonis militiæ Principis, grauiter Gothorum gladiis obtruncatis quibusdam è suis, vix ad patriam est regressus. B

De Tunicæ Domini inconsutilis inuentione: de Lunæ obscuratione: & prœlio cum Britannis, in quo alter Francorum Ducum desideratus est, alter cui mulcta postea indicta est miserè inops factus.

C

LXXVIII. TRICESIMO verò sæpedicti Principis anno, fama per totos Francorum diuulgauit fines, Tunicam Domini nostri Iesu Christi (quæ ei in passione sublata est, & vni militum sorte tradita, iuxta illud Prophetæ vaticinium, *quia super* Psal. 21. *vestem meam miserunt sortem*) inuentam esse profitente quodam Simone, Iacobo patre progenito. Qui per duas ferè hebdomadas pœnis affectus, tandem professus est ipsam Tunicam in ciuitate Zaphat, procul à Hierosolymis, in arca marmorea positam esse. Quam Gregorius Antiochenus, & Thomas Hierosolymitanus, Ioannes quoque Constantinopolitanus Episcopus, cum aliis multis Pontificibus, triduano completo ieiunio, cum deuotione maxima transtulerunt: ac in loco quo crux Dominica veneratur posuerunt, cum ipsa, in qua prius fuerat, marmorea arca. Quæ tantæ leuitatis, dum efferretur, fuisse visa est, vt nullum onus portantes sentirent. Eo anno Luna obscurata est: & inter Francos ac Britannos super fluuium VVisnona bellum ortum, vbi Beppelenus Dux Francorum, factione Ebrecharij alterius Ducis, à Britonibus iugulatur. Vnde pòst Ebrecharius mulctam, quam lex parentibus interfecti soluendam esse præcepit, reddere coactus, ad inopiæ malum deuolutus est.

A GVNTRANNVS, CHLOTARIVS II. THEODEBERTVS.

De Authari Longobardi Legatione ad Reges Francorum, & morte.

ANNO XXXI. Guntranni Regis, Theodefredus Dux Vltraiuranus moritur, eique VVadalmarus succedit. Interea Rex Longobardorum Authari legationem verbis pacificis ad Guntrannum Regem dirigit. A quo iidem Legati iocundè suscepti, & ad Childebertum sunt directi, vt per eius nutum pax cum gente Longobardorum firmaretur. Dúmque Legati Authari Regis in Francia morarentur, Rex Authari apud Ticinum veneno (vt tradunt) accepto moritur. Statímque à Longobardis nuncius mittitur ad Childebertum Regem Francorum, qui Authari Regis mortem eidem nunciaret, pacémque ab eo expeteret. Quod ille audiens, Legatum amicè quidem suscepit, pacem verò in posterum se daturum promisit. Post aliquot tamen dies eum promissa pace dimisit. LXXIX.

De Theudelinda Authari vidua, Agilulfo nubente.

DEFVNCTO Authari, Theudelinda Regina, quæ satis placebat Longobardis, permissu eorumdem Agilulfum (qui & Ago dictus est) Ducem Taurinatium, virum strenuum ac bellicosum, & sibi maritum, & Longobardorum Genti Regem elegit. Ad hanc Reginam sapientissimus Papa Gregorius quatuor Dialogi sui Libros, quos de vita Sanctorum scripserat, direxit: sciens eam & Christi fidei deditam, & in bonis actibus esse præcipuam. LXXX.

B

CIRCA hæc tempora, Cœnobium beati Patris BENEDICTI, quod in castro Cassino situm est, à Longobardis noctu inuaditur. Qui vniuersa diripientes, ne vnum quidem Monachum tenere potuerunt: vt prophetia venerabilis Benedicti Patris, quam longè antè præuiderat, impleretur, qua dixi: Vix apud Deum obtinere potui, vt ex hoc loco mihi animæ cederentur. Fugientes porrò ex eodem Cœnobio Monachi Romam petierunt, secum codicem sanctæ Regulæ, quam præfatus Pater composuerat, & quædam alia scripta, necnon pondus panis & mensuram vini, ac quicquid ex supellectili subripere potuere, deferentes. Monasterij autem Cassiniensis, post beatum Benedictum, Constantinus, post hunc Simplicius, deinde Vitalis, ad extremum Bonitus, congregationem rexit: sub quo hæc destructio facta est.

ANNO XXXII. regnante Guntranno, ita à mane vsque ad medium diem Sol minoratus est, vt tertia pars ex ipso vix appareret.

De Guntranni Regis obitu, & claustrali institutione.

ANNO XXXIII. eiusdem Regis, ipse Rex corpore exemptus, terrenum (vt creditur) Regnum pro cœlesti commutans, in Ecclesia sancti Marcelli Cabilonis sepultus est. Hanc denique Basilicam ipse (vt præfati sumus) diuino succensus amore, in suburbio quidem prædictæ ciuitatis, sed in territorio Segonum, saltúque Brexio studiosissimè ædificauit. Vbi Monachos aggregans, Monasterium construxit, quod pluribus prædiis facultatibúsque ditauit. Synodum XL. Episcoporum aggregari præcipiens, vt ordo psallendi, qui in loco Sanctorum Agaunensium temporibus Sigismundi Regis ab Auito & ceteris Pontificibus illius temporis institutus fuerat, in Cœnobio quod ipse fabricarat teneretur, effecit. Qui videlicet ordo etiam ad sepulchrum sancti Martini antiquitus celebratus, necnon in Monasterio S. Dionysij (vt pòst declarabitur) à Dagoberto Rege agi præceptus: & à nobis cuiusmodi esset exquisitus, taliter se habere est repertus. In diebus namque æstiuis sex Antiphonæ binis Psalmis explicabantur. Porrò toto Augusto, propter crebras festiuitates, manicationes fiebant. Manicare autem manè surgere dicitur. In Septembri verò septem Antiphonæ canebantur, distributis vnicuique binis Psalmis. In Octobri octo, cum ternis Psalmis. In Nouembri nouem, cum ternis itidem Psalmis. In Decembri decem, cum ternis similiter Psalmis. Verùm in Ianuario ac Februario, vt possibilitas sinebat. Hoc tamen obseruantes, ne minus à duodecim Psalmorum quantitate ad vigilias dicerent nocturnas. Ad Sextam tamen sex Psalmi cum *Alleluia*: ad duodecimam duodecim, idque cum *Alleluia*, psal- LXXXI.

C

GVNTRANNVS, CHLOTARIVS II. CHILDEBERTVS.

lebantur. Sed de his ista sufficiant. Fuit autem Guntrannus in bonitate præcipuus, in eroganda pauperibus alimonia largifluus. Christi Sacerdotibus se humilem præbens, Leudis suis beniuolum, gentibus externis pacatum. Talibus itaque pollens virtutibus, multis Nationibus eius laudes præcinentibus, præsens Regnum CHILDEBERTO nepoti suo relinquens, ipse ad supernum migrauit. A

De Childeberto vltionem de patre & patruo in Fredegundem meditante.

LXXXII. CHILDEBERTVS duorum Regnorum vallatus præsidiis, vltionem patris & patrui, quos factione Fredegundis perisse certis habebat compertum indiciis, meditabatur. Congregatis igitur cunctis Austrasiis, & de Regno Burgundiæ auxiliaribus validis, Gundoaldum ac VVintrionem Duces his præficit, mandátque vt terram hostilem petentes, prædas agant, incendia spargant, captiuos quamplures abducant. Qui è Campania Remensi digressi, pagum Suessionicum vastaturi, aggrediuntur. Cùm interim Fredegundis, euocatis qui sibi parebant Francis, ascito etiam Landerico (qui tutor à Guntranno, vt meminimus, Chlotario filio suo datus fuerat) facta concione sic vniuersos alloquitur, & puerum præ se gestans, rogat: Ne infantiam Regis pupilli contemnentes, hostibus depopulandos agros relinquant. Meminerint se non contemptum pueritiæ promisisse, sed venerationem Maiestati Regiæ. Fouerent porrò honorem, quem conferendum in cunis adhuc posito æstimauissent: ne in matura ætate vacuus potestatis, plenus ignominiæ Rex remaneret. Se certè, quibus posset modis, remunerationi pro filio non defuturam: quæ spectatrix cunctorum, ac testis vniuscuiusque vel ignauiæ, vel virtutis, in eminentiori constituta loco desuper pugnam spectaret. Cúmque his exhortationibus, muneribus quoque, eos ad belli certamina reddidisset animosiores, ad extremum intulit: Ne, ait, quempiam vestrûm multitudo deterreat aduersariorum. Si aperta congrediamini fronte, inueni fallendi eos viam, quæ vobis pariat victoriam. Vos tantùm sequimini me præuiam: & quæ Landericum, vicem Regis agentem, me suggerente videritis facere, vos quoque eadem facite. Placuit cunctis quod dixerat Regina, & ex consilij sententia, Regem adhuc matris sugentem vbera ferrata sequuntur agmina. Intempesta nocte surgens exercitus, siluam Landerico ducente est ingressus. Qui arrepta securi, ramum præcidit arboris, suspensúmque tintinnabulum collo equi cui insidebat ferens, hortatur socios, vt suum omnes sequantur exemplum. Qui certatim arborum præcisis ramis, arreptisque vna tintinnabulis, factum imitati Ducis, matutini hostilibus astitere castris. Interea Fredegundis Chlotarium filium suum propriis gestans vlnis, vsque ad locum certaminis armatum præcedebat exercitum: vt miseratio eos infantis accenderet, quem, si victi forent, captiuum de Rege facturi videbantur. Sed vnus hostium, qui cum sociis prætendebat munia vigiliarum, clara nec dum luce eos conspiciens aduentare, & rem prorsus ignorans, conuersus ad socium: Quænam est, ait, hæc quam contemplor silua, cùm hesterno vespere hîc nulla apparerent vel minima virgulta? Cui socius: Tu, inquit, pridianas adhuc ructans epulas, vinóque solutus, obliuioni mandasti: proximi saltus opportuna nos equis nostris inuenisse pascua. Nunquid non audis tintinnabula, pascentium equorum collis dependentia? Mos quippe antiquis inoleuerat Francis, & maximè Austrasiis, vt pascentibus equis tintinnabula imponerent: quo, si fortè longiùs in pascendo aberrassent, eorum sonitu dignosci possent. Dum igitur vigiles hos atque huiusmodi inter se serunt sermones, silua, quæ priùs apparuerat condensa, decidentibus ramis fronde quidem rarissima, sed armorum nitore videbatur densissima. Turbatis itaque custodibus, & quid agerent hæsitantibus, superueniente exercitu, cùm adhuc fessi multo superioris diei labore quiescerent, alij in suis stratis, alij expergefacti, sed somno soluti pœnas dabant. Cæsi multi mortales: reliqui in fugam vertuntur. Ipsi Duces, ascensis equis, vix discrimen euasêre mortis. Landericus VVintrionem frustra sequi conatus, velocis equi rapido vectum cursu minimè valuit assequi. Parta tanta ac tam insperata victoriâ, Fredegundis cum filio CHLOTARIO, & cum armatorum maximo cuneo, Remensem inuadit Campaniam: replens omnia incendio & sanguine. Vastabantur cuncta die noctúque, exurebantur ædificia, diripiebantur patrimonia: peri- B C

A mebantur quicumque erant habiles ad bella, infirmi seruabantur ad seruitutis officia. Vbi cædibus ac rapinis satisfactum, Fredegundis suum Suessionas reduxit exercitum. Acta sunt hæc in pago Suessionico, in loco nuncupato Trucco. CHLOTARIVS II. CHILDEBERTVS.

De mutua Francorum Brittonúmque cæde: de Varnorum exitio: Gripponis Legatione: & Francorum in Italiam expeditione.

ANNO secundo cùm Regnum suscepisset Burgundiæ CHILDEBERTVS, exercitus Francorum simul ac Brittonum, in mutuum inhiantes interitum, mutua semet cæde prosternunt. Sequenti anno multa in cœlo signa sunt ostensa: & apparuit stella Cometes. Eo anno exercitus Childeberti cum Varnis, qui rebellare tentabant, conflixit: quos etiam penè vsque ad supremum exitio dedit. Hac etiam tempestate Grippo Legatus Childeberti, cùm à Constantinopoli remeasset, & eidem Regi quomodo honorificè ab Imperatore Mauritio susceptus foret nunciasset, & quòd iniurias, quas apud Carthaginem perpessus fuerat, Imperator ad voluntatem Childeberti se vltum ire promisisset, Childebertus iterato viginti Duces cum lecta in Italiam dirigit pube, ad delendam Longobardorum Gentem. E quibus Andoaldus, & Olo, atque Cedinus, eminentiores fuere. Sed Olo, cum improuidè ad Bilitionis castrum accessisset, iaculo sub mamilla sauciatus cecidit, & mortuus est. At verò Andoaldus & sex Duces Francorum ad B Mediolanensium vrbem venientes, in campestribus castra posuerunt. Quo loco Imperatoris Legati ad eos venerunt, nunciantes adesse exercitum in adiutorio eorum, dicentésque: Quia post triduum vnà cum eis veniemus: & hoc vobis erit « signum. Cùm videritis villæ huius, quæ in monte est sita, domos incendio con- « cremari, fumúmque vsque ad cœlos conscendere, noueritis nos cum cohortibus, « quas pollicemur, aduentare. Sed expectantes Francorum Duces diebus sex iuxta « placitum, nullum ex his quos Legati promiserant venisse conspexerunt. Cedinus autem cum tredecim Ducibus leuam Italiæ ingressus, quinque castella cepit, à quibus etiam sacramenta exegit. In Tridentino quoque territorio, decem castella à Francis diruta, & commanentes in eis vniuersi ducti captiui. Pro Ferruge vero castro intercedentibus Episcopis Ingenuino de Sauione, & Agnello Tridentino, data est redemptio, per caput vniuscuiusque viri solidus vnus, vsque ad summam sexcentorum solidorum. Interea Francorum exercitus, cùm esset tempus æstiuum, propter inconsueti aëris incommoditatem, dysenteriæ morbo grauiter laborabat. Cúmque per trium curricula mensium Italiam peruagaretur, neque Regem, quem perditum venerat, attingere valeret, eò quòd se intra Ticinensem clausisset vrbem, aëris (vt diximus) infirmatus intemperantiâ ad propria rediit. LXXXIII.

C *De Childeberti & vxoris interitu, & filiorum eius* THEODEBERTI *&* THEODORICI *successione.*

ANNO IV. Regni Burgundiæ à Childeberto suscepti, paterni verò Regni vicesimo tertio, ætatis porrò suæ XXV. idem Rex Childebertus cum vxore propria (sicut fertur) vi veneni extinguitur. Hic est CHILDEBERTVS filius Sigeberti, qui etiam IVNIOR dictus est. Cui successerunt duo filij sui, adhuc pueruli, sub tutela auiæ Brunechildis constituti, & THEODEBERTO quidem Regnum Austrasiorum, quod pater Childebertus à genitore suo Sigeberto sibi relictum acceperat: THEODORICO autem Regnum Guntranni, quod Childebertus iure adoptionis tenuerat, sorte obuenit. Qui etiam sibi sedes in his locis, in quibus & priores constituêre Reges. Ad hos fratres, & ad auiam eorum Brunechildem, extant Epistolæ beati Gregorij Romani Pontificis, Augustinum, quem Anglis Saxonibus destinauerat Episcopum, illis commendantis. In quibus idem vir Domini petenti memoratæ Reginæ fatetur se reliquias beatorum Apostolorum Petri & Pauli misisse. LXXXIV. THEODEBERTVS, THEODORICVS.

CHLOTARIVS II. THEODEBERTVS, THEODORICVS.

De Hunnorum in Thoringam irruptione, & Agilulfi seu Agonis Legatione in Franciam.

LXXXV. TVNC temporis Huni, qui & Auares dicuntur, à Pannonia egressi, in Thoringam bella grauissima cum Francis gesserunt. Qui tamen à Brunechilde, seu ab eius nepotibus, accepta pecuniâ redierunt ad propria. Ago quoque Rex Longobardorum, causâ eorum qui ex castellis Tridentinis captiui à Francis ducti fuerant, Agnellum Tridentinum Episcopum in Franciam misit. Qui exindè rediens, aliquantos secum captiuos, quos Brunechildis ex proprio redemerat, reuocauit. Euuin etiam Dux Tridentinorum à præfato Principe missus, pro obtinenda pace ad Gallias perrexit. Qua impetrata, ad Italiam reuersus est. A

De Fredegundis grassatione & morte, Quintrionis cæde, Coleni Patriciatu, Inguinaria peste, piscium præ feruore fluuij decoctione, & VVarnecharij liberalitate.

LXXXVI. EO igitur anno quo Childebertus vita decessit, Fredegundis Regina, cum filio Chlotario, superioris victoriæ elata triumpho, Parisios & reliquas vrbes ritu peruasit barbarico. Quorum exercitus super Theodebertum & Theodoricum Reges irruens, adunatas ab ipsis militares copias loco nominato *Latophao* graui cæde labefactauit, reliquósque in fugam egit. Anno II. Regni Theodeberti ac Theodorici, Fredegundis Regina senex & plena dierum defuncta est, ac in Basilica sancti Vincentij in suburbano Parisiacensi sepulta. Anno III. supradictorum Regum, Quintrio Dux, instigante Brunechilde, interficitur. Sequenti abhinc anno Colenus, genere Francus, Patricius ordinatur. His diebus, apud Massiliam & reliquas Prouinciæ ciuitates, nascentibus in hominum inguinibus, seu delicatioribus locis, quibusdam glandulis in modum nucis, maxima generata est mortalitas. In lacu quoque Dunensi, in quem Arula flumen influit, aqua feruens adeò ebulliuit, vt multitudinem piscium decoctam ad litus proiiceret. VVarnecharius autem Maior Domus Regis Theodorici moriens omnes facultates suas in alimonias pauperum distribuit. B

De Brunechildis casu, mirabilique errore & gratitudine in pauperem ductorem, déque prodigiis cœlestibus.

LXXXVII. PORRO Brunechildis à Theodeberto nepote suo, & Proceribus qui ei parebant, de Regno Austrasiorum expulsa, & à quodam paupere in Marciacensi campania sola inuenta & cognita, ipsa petente ab eo ad Theodoricum alterum nepotem suum est deducta. Theodoricus auiam Brunechildem, eo quo digna erat honore susceptam, secum quoad vixit fecit manere. Pauper, quo ductore sæpefata vsa fuerat Regina, ob huius vicissitudinem beneficij Autissioderensem adeptus est Episcopatum. Anno V. memoratorum Regum, iterum ea, quæ superioribus annis, apparuere signa: globi scilicet ignei, in partibus Occidentis per cœlum currentes, instar multitudinis astrorum. C

De crudelissimo Regum inter se conflictu, & Angeli visione: Chlotariique fuga & damno.

LXXXVIII THEODEBERTVS itaque ac Theodoricus conceptam iamdudum contra Chlotarium patruelem suum rixam tandem parturiunt, & adnitente auia Brunechilde, super fluuium Aruenna, nec procul à Doromello vico, cum eo prælio confligunt. Ibique tanta strages ex vtrisque partibus, & maximè ex Chlotarij parte, facta est, vt fluuius ipse humanis oppletus corporibus suos nequiret explere cursus. In ea pugna Angelus Domini euaginatum adstans visus est tenuisse gladium. Chlotarius suos immanissimè sterni conspiciens, in fugam vertitur, & per Milidunum castrum in insula Sequanæ situm, Parisius properat. Theodebertus

A & Theodoricus post terga fugientem secuti, ciuitates Regni eius magna ex parte euertentes, ciues seruituti subiciunt. Coactus Chlotarius tenorem pacti ab hostibus propositi, inuitus licèt, firmauit, vt inter Ligerim & Sequanam, vsque ad mare Oceanum limitémque Brittonum, dilataretur Theodorici Regnum: & inter Sequanam & Iseram Ducatus integer Denteleni, itémque vsque ad mare, Theodeberto cederet. Duodecim tantum pagi, inter Sequanam ac Iseram vsque ad maris Oceani litora, Chlotario remanserunt. CHLOTARIVS II. THEODEBERTVS, THEODORICVS.

De Catini cæde, Sigeberti ortu, Egilæ nece, Vasconum domatione, Adoaldi Longobardi sublimatione, strage apud Saxones.

ANNO VI. regni Theodeberti, necnon & Theodorici, Catinus Dux Theodeberti interficitur. Sequenti abhinc anno, Theodorico ex concubina nascitur filius, nomine SIGOBERTVS. Et Egila Patricius nullis culpis exstantibus, sed sola suggerente cupiditate, per consilium Brunechildis est peremptus, facultatésque eius fisco associatæ. Eo tempore Theodebertus ac Theodoricus VVascones domuerunt, Ducémque super eos, nomine Genialem, instituerunt. His diebus, leuatus est Adaloaldus Rex super Longobardos Mediolani in præsentia patris sui Agilulfi Regis, astantibus Legatis Theodeberti Regis Francorum: & de- LXXXIX.
B sponsata est eidem regio puero filia Regis Theodeberti, & firmata est pax perpetua cum Francis. Eodem tempore Francis cum Saxonibus pugnantibus, magna strages ab vtrisque partibus facta est.

De inuentione corporis beati Victoris: de Etherij Lugdunensis Archiepiscopi obitu: de Childeberti minoris ortu: Desiderij Episcopi deiectione, & Dommili subrogatione, ac Solis eclypsi.

BEATVS verò Econius Pontifex Mauriennensis corpus sancti Victoris (qui Solodoro vna cum sancto Vrsio passus fuerat) hoc modo inuenit. Quadam nocte in sua ciuitate quiescentem reuelatio diuina per visum ammonuit, vt surgens quantociùs ad Ecclesiam, quam Sedeleuba quondam Burgundionum Regina in suburbano Genabensi construxit, irent. Ibi, in medio Basilicæ, esse designat locum, quo corpus sanctum esset humatum. Cúmque Episcopus Genabensem festinus adisset vrbem, assumptis secum Rustico & Patricio Antistitibus, triduano peracto ieiunio, nocte sequenti, eo loci, quo gloriosi Martyris quiescebant membra, lux cœlestis apparuit. Tunc hi tres Domini Sacerdotes, eleuato quo tegebatur lapide, inuenerunt Sanctum in arca argentea iacentem. Cuius facies, septempliciter quàm cuiuslibet viuentis hominis, diuino irradiata resplendebat XC.
C fulgore. Huic tam mirandæ egregij Martyris inuentioni interfuit Theodoricus Princeps: qui loco illi maximam portionem facultatis VVarnecharij contulit: quam ille (vt præfati sumus) eleemosynis delegauerat erogandam. Ad sepulchrum denique beatissimi Victoris, Christi potentia multa exindè miraculorum ostendit signa. Eo anno Etherius Lugdunensis Archiepiscopus obiit: ordinatúsque est Secundinus loco ipsius.

ANNO VIII. regni Theodeberti, ex concubina nascitur ei alter filius, auum CHILDEBERTVM nomine referens. Synodus etiam Cabillono collecta Desiderium Viennensem Episcopum deiecit: eóque factione Brunechildis & Aridij Lugdunensis Pontificis, qui Secundino successerat, in exilium acto, subrogatus est Dommilus in sacerdotali officio. Eo anno eclypsis Solis facta est.

De Corbi ortu, Bertoaldi interitu, & Protadij Brunechildis amatoris insolentia, ac Regum conflictu.

ANNO IX. memorati Regis, iteratò ei filius nascitur nomine CORBVS. Comes Palatij ipsius Principis tunc temporis Bertoaldus erat, vir sapiens & cautus, moribus Regis congruus, in prælio fortis, ac in commisso fidelis. Protadius verò quidam erat, genere Romanus, Brunechildi causâ stupri familiarissimus, XCI.

CHLOTARIVS II. THEODEBERTVS, THEODORICVS. & ob id in pago Vltraiurano, post VVandalmarum, ab ea Dux constitutus. Crescente itaque consuetudine vitij, creuit simul & desiderium honoris augmentandi. Tacitè ergo hoc præmeditata consilium, præsumpsit nepotem orare suum, vt interficeret Bertoaldum, & Maiorem totius Regiæ Domus constitueret Protadium. Tum fortè Bertoaldus à Theodorico cum trecentis in Neustriam, vt partem Regni eius tueretur, directus viris, Arenauno * villa venationi operam dabat. Quo comperto, Chlotarius filium MEROVEUM, & Landericum Ducem, datis in adiumentum viris strenuis, ad opprimendum Bertoaldum dirigit. Bertoaldus hostes super se, certis nuntiis id deferentibus, irruere velle cognoscens, & se ad resistendum viribus imparem fore sciens, terga vertens Aurelianis se confert: ibique à beato Austreno eiusdem vrbis Episcopo suscipitur. Landericus ante portam ciuitatis Aurelianensis exercitu deducto, Bertoaldum ad pugnam egredi prouocabat. Cui Bertoaldus: » Numeroso, ait, vallatus milite confidis me cum » paucis tibi non posse resistere. Verùm (si placet) nos duo singularis ineamus cer» tamina pugnæ, procul suspensa armatorum multitudine, & rei euentum expe» ctante. Nullius adsit solatium satellitis, solius expectetur examen iusti Iudicis. » Recusante Landerico congredi, Bertoaldus iteratò dixit ei: Quia formido te nunc » prohibet mecum manum conserere, proximum est vt Domini nostri, pro tuis au» sis temerariis, quibus præsumpsisti præripere partem Regni Domini mei Regis, » inter se decernant cum armatorum cuneis. Tunc, si placebit, ego & tu vermicu» latis adoperti vestibus, inter conferta congrediamur agmina. Ibi & meæ probrum » ignauiæ, & virtutis tuæ poteris documenta persentiscere. Has conditiones non renuente Landerico, vtrique quædam sibi adinuicem, si à cœpto desisterent, imprecati sunt maledicta. Hæc dum in die festiuitatis sancti Martini gesta fuissent, & Theodoricus pro certo agnouisset, quòd pars Regni sui à Chlotario peruasa foret, ipsa die qua incarnati Verbi Natiuitas à cunctis fidelibus deuotè colitur, promouet exercitum, & apud Stampas super fluuium Iunna, contra Chlotarium, qui haud segniùs parabat occurrere, aciem dirigit. Sed dum arctus esset Iunnæ fluminis transitus, antequàm totum Theodorici pertransiret agmen, initum est certamen. Inter confertissimas igitur, ac in mutuam inhiantes perniciem phalanges, Bertoaldus nominatim Landericum vocitare, & vt secum iuxta placitum congrederetur, non cessabat prouocare. Quod dum Landericus abnueret, ac paulatim loco cederet, Bertoaldus ad solum subeundæ mortis affectum insurrexit. Et quia iam cognitum habebat, quòd Brunechildis eum à pristino honoris gradu deiicere, ac Protadium pro eo moliretur constituere, meliùs iudicauit cum decore bello oppetere, quàm reliquum quod superesse poterat vitæ cum dedecore ducere. Dum itaque palantia studet impulsare agmina, oppressionémque in cedentes hostes facere, occurrentes quoque mucrone sterneret, vnus à multis circumdatus opppressúsque extinguitur. In eo prælio Meroueus filius Chlotarij capitur. Landericus cum Chlotario in fugam vertitur, Theodoricus victor Parisius ingreditur. Post hæc Theodebertus cum Chlotario pacem Compendio villa iniuit: exercitus verò eorum illæsus ad propria rediit.

* al. Arelauno

De Protadij Romani, qui factus est Maior Domus Regiæ, auaritia fœda, ob quam omnibus euasit inuisus, & tandem à Proceribus est interfectus, & Reges reconciliati: déque successione Claudij Romani viri prudentis.

XCII. ANNO x. regni Theodorici, iuxta voluntatem Brunechildis, ex præcepto Theodorici Protadius Maior Domus constituitur. Qui cùm sensu argutissimus, ac in consiliis haberetur strenuus, sæua tamen illi inerat contra locupletes cupiditatis macula, fiscum volenti replere, ac seipsum ditare. Denique Nobilitatem insectando Burgundiæ, omnes cupiens sibi subicere, res eorum conabatur iniustè auferre: ne quis sibi posset honorem, quo fruebatur, subripere. Quapropter non valebat quilibet potentum reperiri, qui eius vellet familiari colloquio vel amicitiâ frui. Sed dum Brunechildis, veteris inimicitiæ recordatione, vindictam meditaretur expulsionis suæ, moneretque Theodoricum thesauros patris de

A manu Theodeberti quærere, asserens: Illum non Childeberti, sed cuiusdam hortulani filium fuisse: Protadius cœpit Regem ad hæc peragenda studiosiùs commonere. Tandem cum exercitu Theodoricus profectus, apud Cariciacum castra posuit, paratus in crastinum cum fratre congredi: qui haud procul cum valida Austrasiorum consederat manu. Interea Leudi Theodoricum hortari cœperunt: Vt fratri reconciliaretur, nec vanissimæ cupiditati postponeret decus germanitatis. Protadius econtrà vehementer resistere, dicens: Pacem fieri non oportere. Animaduertentes ceteri Proceres eum solum esse, qui consiliis eorum refragaretur, alterutrum sermocinabantur, opportunius fore vnum tradere morti, quàm totum exercitum periclitari. Opportunè Rex exercitationis gratiâ tentorio egressus, rumore ferente, comperit quosdam Protadium velle perimere: & proripere sese volens, vt eos ab iniuriis memorati remoueret viri, à suis prohibitus, ac vi detentus, mittit quendam Vncelenum nomine, qui Principibus factionis, iussionis suæ auctoritate tales interdiceret ausus. Tunc Vncelenus ad eos veniens, qui iam tabernaculum Regis circumdederant, quo Protadius vnà cum Petro medicinæ artis perito ad tabulas ludens sedebat, taliter infit: Iubet Dominus meus Rex Theodoricus, vt interficiatur Protadius paci contrarius. Post quod verbum certatim omnes tentorium gladiis conciderunt, & Protadium inibi peremerunt. Theodoricus licèt à suis coactus, cum fratre Theodeberto pacificatur: & vtrumque exercitus saluus, ac integro numero, ad sua regreditur. Anno XI. regni
B Theodorici subrogatur Protadio Maior Domus quidam Claudius, itidem Romanus genere: homo prudens, fide plenus, iocundus in fabulis, prouidus in cunctis, sed sagina corporis valde grauis. Qui prædecessoris sui territus exemplis, amicitiam cum vniuersis seruans, lenem se ac fauorabilem præbebat.

CHLOTARIVS II. THEODEBERTVS, THEODORICVS.

De vltione quam Brunechildis de inimicis Protadij cepit: déque Desiderij Episcopi lapidatione.

ANNO XII. regni Theodorici Vncelenus, qui fallacia sua Protadio causa mortis extiterat, insidiis Brunechildis pede truncatus, rebúsque suis expoliatus, egens est redditus. VVolfus quoque Patricius, eò quòd in necem iam dicti consensisset Protadij, Fariniaco villa suggerente Brunechilde iussu Theodorici interficitur. Natus etiam est ex concubina Theodorici filius, nomine MEROVEVS. Quem Rex Chlotarius de sacro fonte leuauit. Porrò sæpè dictus Rex Theodoricus, persuasionibus Aridij Lugdunensis Episcopi ac auiæ suæ Brunechildis deceptus, sanctum Desiderium Viennensem Pontificem exilio reuocatum lapidari præcepit. Ad cuius tumulum miracula creberrimè sunt ostensa. XCIII.

De Hermembergæ filiæ Regis Hispaniæ infaustis cum Theodorico nuptiis.

C TVNC temporis Theodoricus Aridium Præsulem, Rocconem & Eborinum Præfectos equorum, ad Bettricum Regem Hispaniæ direxit, qui filiam illius coniugio sibi sociandam poscerent, & si pater vellet, iusiurandum præberent: Quòd diebus vitæ suæ eam regio non priuaret honore. Cui Bettricus gaudens annuit, puellámque Legatis tradidit. Quam Theodoricus lætus accipiens, primùm vnicè dilexit: quæ tamen maleficiis Brunechildis virum non cognouit. Deindè, faciente eadem auia sua, Theodoricus Hermembergam (id quippe nomen virgini) thesauris expoliatam abire præcepit ad Hispaniam. Hac de re indignatus Bettricus, ad Chlotarium Regem, Theodorici ex patruo genitum, misit Legatos, qui eum ad belli societatem, expositis iniuriæ causis, inclinarent. Vbi ille votis eorum visus est satisfecisse, cum missis ipsius ad Theodebertum recta proficiscuntur via. Hunc quoque auxilio sibi affuturum cognoscentes, recta ad Agonem Longobardorum Regem, cum supra memoratorum Legatis Regum, iter dirigunt: vt hi quatuor Reges super Theodoricum irruentes, eum vitâ simul & Regno priuarent, & vindictam contumeliæ Regi Hispanorum illatæ sumerent. Cùmque Theodorico perlatum fuisset, huiusmodi consilium illos contra se struere velle, despectui habuit, vt futile. Legatus verò Bettrici cuncta pro quibus venerat se autumans impetrasse, ad Hispaniam nauali rediit euectione. XCIV.

CHLOTARIVS II. THEODEBERTVS, THEODORICVS.

De Columbani Hiberni in dicendo libertate, & miraculis: Regísque resipiscentia simulata: Bobiique Cœnobij constructione: & Columbani transitu.

A

XCV. ANNO XIV. regni Theodeberti ac Theodorici beatus Colũbanus ab Hibernia Oceani insula progressus, primum à Theodeberto suscipitur. Demum, propter confluentium ad se populorum multitudines, indè migrans, & solitariam agere vitam cupiens, ad Regnum Theodorici transiit, atque in loco cui Luxouium nomen est, à præfato Rege habitare est iussus. Ad quem visitandum dum frequenter Rex adueniret, ac à viro Dei, cur relicto legitimæ coniugis matrimonio, adulterinis deseruiret commixtionibus, argueretur, illéque ad obaudiendum eius salutaribus monitis aurem cordis inflecteret, auia Brunechildis vipereis antiqui hostis inflammata incitamentis, aduersus sanctum Columbanum commoueri cœpit acriùs. Sed sanctus vir illius malitiæ obuiam ire parans, ad eam Bruchariacho villa commorantem properat. Cui Regina cum nepotibus suis Theodorici filiis occurrens, orabat, vt regiam prolem benediceret. At ille ait: „ Nequaquam illos regalia sceptra suscepturos, eò quòd de lupanaribus emerserint. Regina indignata, pueros præcepit abire, & ipsa post paululum est secuta. Viro autem Domini ad propria regredi festinante, & regiæ Aulæ limen pede tangente, subitò fragore totius mota est domus fabrica. Sed nefandissimæ mulieris mens non est commota: immò maiori iracundiæ igne succensa. Verebatur enim quòd omni extorris dignitate pelleretur à Regno, si Rex posthabitis meretriciis delinimentis, alicuius regalis fœminæ potiretur coniugio. Interdixit igitur egressum & regressum à Monasterio tam sancto viro, quàm fratribus cum eo manentibus: præcipiens suis Optimatibus vicina Cœnobio loca colentibus, ne quempiam exire permitterent, vel progressum hospitio susciperent. Denuò vir sanctus, vt eam à tanta moneret desistere pertinacia, ad Palatium perrexit. Eo fortè die Theodoricus cum auia sua in Spinsia residebat villa. Nuntiatúrque ei hominem Dei pro foribus stare, nec in hisdem ædibus hospitare velle. Tunc Rex iram Domini sibi imminere veritus, melius dixit esse virum Dei opportunis subsidiis honorare, quàm Deum ex seruorum eius offensa ad iracundiam prouocare. Iussit ergo regio cultu quæcumque erant victui necessaria parari, & Domini famulo per ministros proprios deferri. Quod dum illi maturatò impleßent, beatus Columbanus seuero vt erat vultu respiciens in eos, inquirit quid sibi ista velint? Dictum ab eis est, alimenta esse in suos suorúmque vsus à Rege directa. Quibus ille: „ Non, inquit, teste Scriptura, „ accepta sunt Deo impiorum munera. Itaque non oportet eius seruos suscipere, „ quæ ipse probatur odire. Post hoc verbum vasa cuncta in frusta disrupta, vinum ac sicera solo fusa, ceteráque separatim sunt dispersa. Pauefacti Regij Ministri, ad Regem reuersi rei gestæ ordinem promunt. Rex nimio terrore perculsus, diluculò cum auia ad virum Dei properat. Precantur de commissis veniam, pollicentur in reliquum actorum suorum emendationem. His pacatus promissis, ad Monasterium rediit. Verùm hæc pollicitatio nullius efficacis protulit fructum operis. Nam Theodoricus in cœno luxuriæ (vt antè consueuerat) est obuersatus: & Brunechildis animus semel nequitiâ imbutus, à persecutione beati viri nequaquam est immutatus. Quin potiùs eò vsque processit spiritus immanitatis ferox, vt nepoti suaderet sanctum Dei in oppidum Vesuntionum exilio relegari: indéque reuersum vsque ad maris Britannici litora deduci: vt transmeato freto, nunquam de cetero Galliarum reuiseret arua. Cúmque vir Domini, secundum sui propositum animi, deliberasset ad patrium solum nullo modo regredi, per Regnum Theodeberti ad Italiam transiens, Cœnobium, quod Bobium dicitur, construxit, plenúsque sanctitatis ac dierum migrauit ad Dominum.

B

C

Theodoricus metu fratris cum eo paciscitur.

XCVI. ANNO XV. regni sui Theodebertus aliqua sibi de fratris Theodorici possessionibus adiungere parans, eum in se excitauit. Verumtamen prouido prudentium consilio virorum electus est locus, cui Saloiſ * cognomen, vt fratres ad destinatum locum cum paucis, sed Franciæ primoribus, conuenientes quæ pacis es-

* olim Saletio, hod. Seltz. prope Rhenum.

A ſent eligerent. Ibi Theodoricus cum decem millibus tantùm virorum, Theodebertus verò cum magna Auſtraſiorum affuit manu: bello etiam, ſi frater petitis annueret, turbare pacem volens. Theodoricus tantæ multitudinis contemplatione perterritus, quæ ille cupiebat, quamuis non ſpontè, conceſſit. Conuentus fratrum huiuſmodi fuit: Vt Aleſatio, & Sugitenſi, Turonenſi quoque, ac Campanenſi Comitatu Theodoricus cederet: & ad Theodebertum ius omnium horum « tranſiret. Indè cum gratia, ſed ſimulata, diſceſſum eſt: ac ſe inuicem ſalutantes, « vterque ad ſua Regna ſunt regreſſi.

CHLOTARIVS II. THEODEBERTVS, THEODORICVS.

De Alemannorum in Vltraiuranos graſſatione.

HIs diebus Alemanni Veneticorum fines ingreſſi, Vltraiuranos Cambeleno & Erpino Ducibus ſibi obſiſtere conatos acie ſuperant: ac vſque ad refugia montium perſecuti, proſternunt. Dehinc, nullo inquietante, Iuranum ſaltum peruagantur, cædibus ac incendiis cuncta per quæ tranſibant replentes. Captiuíſque plurimis abductis, cum ſpoliis & ingenti præda redierunt ad propria. XCVII.

De Theodorici conſiliis, & Theodeberti infami coniugio: de Berto Leuniſio: & apologo eius de lupo: & Regum conflictu.

B THEODORICVS acceptas iniurias vlciſci deſiderans, cum ſuis tractabat, quo pacto fratrem opprimeret. Eo anno Theodebertus Bilechildam (quam Brunechildis à mercatoribus emptam, eò quòd foret forma egregia, illi dederat coniugem) interemit: puellam nomine Theudechildem ſibi accipiens in vxorem. Theodoricus (vt præfati ſumus) Theodebertum infeſtis inſectans odiis, ad Chlotarium mittit, qui velut ex perſona ſua dicerent: Contumeliis à fratre affectus, « reddere ei quæ meretur cogito, ſi te illi auxilio non adfuturum cognouero. Quapropter « ego rogo te, quietum manere, nil adiumenti illi ferentem: pollicens, ſi « victor euaſero, Regnúmque cum vita ab eo quiuero auferre, Ducatum Dentele- « ni, quem ipſe tibi iniuſtè ſublatum retinet, me tuæ remiſſurum poteſtati. Huic « pactioni aſſentiente Chlotario, Theodoricus anno XVII. regni ſui, menſe Maio, vniuerſos ditionis ſuæ ad bella promptiſſimos Lingonis coadunari præcipiens, ac per Veruona caſtrum, tum temporis ædificari cœptum iter faciens, Tullum deuenit. Ibi obuium habens Theodebertum, cum ſupplemento militiæ Auſtraſiorum, non dubitauit conſerere manum. In Campania namque Tullenſi aduerſus fratrem congreſſus, exercitum eius grauiter attriuit. Euaſit tamen Theodebertus, & fugiens de prælio, per Metenſem vrbem, ſaltúmque Voſagum, Coloniæ ciuitatis receptacula petiit. Theodoricus fratrem perſequi eueſtigio feſtinans, beatum Leuniſium Maguncíacenſem Antiſtitem obuium habuit: à quo huiuſmodi C monita percepit. Inchoatis, inquit, inſiſte, & ad perfectum, iuuante Deo, iſtius « attinges operis. Ruſtica refert fabula, lupum catulos ſuos ad prædam ducentem, « eos ad ſe in montem vocaſſe, taliáque mandata dediſſe: Neminem, ait, quæ vo- « bis, filij, expediant quærere ſcitote, niſi per paucos qui ex veſtro ſunt génere. Vn- « de vos moneo ſuſcepta non deſerere munia, & victui inueſtigare neceſſaria. His « ſuggeſtionibus Theodoricus, haud ſegnis executor, paruit: præcipuè ſciens eum ſuæ fauere vtilitati, & Theodeberti ſtultitiæ aduerſari. Tranſitáque Ardenna, Tulbiacum * vſque acceſſit. Theodebertus interea, qui fugam parauerat, diſtulit. Nam Saxones ceteráſque ſuperioris Germaniæ gentes, in ſui ſolatium ſollicitatas bello in ſupra nominato opponit loco. Certatum eſt acriter, quoad Theodebertus reſtitit. Renitebatur enim, quamuis exercitus eius more pecorum obtruncaretur. Vbi verò ipſe, pondus prælij pati non valens fugâ ſibi conſuluit, auerſi ſunt omnes qui conſtiterant pugnaturi. Quorum maxima pars incerto fugæ diſperſa extinguitur: reſidui Coloniam verſus cum Rege feſtinanter properant. In prima pugnæ congreſſione, tanta vtriuſque partis animoſitate concurſum eſt, vt cadauera interfectorum, præ multitudine comprimentium ſe populorum, non valentia ad terram ruere, quemadmodum equis inſederant, vna cum viuis circumferrentur. At poſtquam phalanx victa, hoſtibus terga nudauit ſua; viarum ſtrata, necnon ſiluarum deuia, corporibus mortuorum ſunt repleta. Theodorico vbi fa-

XCVIII.

* hodie Zulich.

CHLOTARIVS II. THEODEBERTVS, THEODORICVS.

ctum indicium Theodebertum euasisse, incentiuum accelerandi itineris accessit: A
vt conficiendi belli impendium putaret, si Dux & populus bello promptior interciperetur. Adueniens itaque cum suis in Ribuariorum fines sese immisit, occurrentia quæque deuastans vel exurens. Cuius terræ incolæ ad eum venêre rogatum: Ne ob vnius culpam dissidium pararet eis, quos suos fore sciret iure victoris.
» Quibus ille: Non, inquit, vobis, sed Theodeberto, interitus paratur: cuius caput, si meam promereri vultis gratiam, vos necesse est auferre, aut ipsum viuum vinctúmque ad me perducere. Illi regiam Coloniæ introgressi, Theodeberto taliter locuti sunt: Sic, inquiunt, mandat Theodoricus frater tuus: Si, ait, recipere meruero thesauros paternos, quos Theodebertus adhuc iniustè retinet peruasos, proprias festinus repedabo domos. Ideò te hortamur, Domine Rex, vt portione quæ ei debetur reddita, nostra eum non sinas infestare domicilia. His Theodebertus dictis credulus, ac pro vero prolata arbitratus, locum quo regalis continebatur gaza pariter cum ipsis est ingressus. Eo igitur perscrutante, quid fratri opportunius, sine sui damno, posset restituere, vnus è circumstantibus, euaginatum gladium ceruici eius illidens, caput abstulit, ac per muros Coloniæ circumtulit. Quod cernens Theodoricus, ipsa confestim vrbe potitus, regias inuasit opes. Et Primates ciuitatis in sua sibi verba iurare compellens, dum in Basilica sancti Gereonis sacramenta exigeret, visum illi fuit quendam pugno suo latus percussisse.
» Et conuersus ad suos: Obseruate, ait, ad ostia, ne quis egrediatur: eò quòd ignorem, quis horum Riboariorum *, periurio obnoxiorum, me vulnerare conatus sit. Obseruantibus autem eis, à Cubiculariis veste remota latus Regis inspectum, nullúmque vulnus est inuentum. Solummodò signum quoddam apparuit purpureum, quod ego reor citæ mortis fuisse indicium. Compositis ex sententia rebus, indè cum multis spoliis progressus, secum abduxit filios fratris sui, cum filia quæ specie nitebat decora. Dum Mettis aduenisset, repperit auiam suam Brunechildem inibi obuiam sibi venisse. Quæ arreptis Theodeberti filiis, eos sine mora neci tradidit: & minorem quidem natu, nomine Merouecum, in albis adhuc positum, lapidi illisum innocentem coëgit exhalare spiritum. Regnauit itaque Theodebertus annis XVII. Quidam verò Auctores * scripserunt, Theodebertum post illam Theodorici victoriam, suámque ærumnam, Rhenum transisse: & Theodoricum, capta Colonia, Bertarium Cubicularium suum ad comprehendendum eum misisse. A quo comprehensus, atque ad Theodoricum perductus, indumentísque Regiis exutus, Cabillono dicitur in exilium fuisse relegatus. Ob recompensationem quoque tam præclari operis, Bertarius equum eius cum stratura regia fertur à Theodorico percepisse. B

*Gall. Ribaudes.

* Fredegarius c. 38.

De Chlotario Ducatum Dentelini recipiente, & ira Theodorici in eum.

XCIX. CHLOTARIO, iuxta pactum quod cum Theodorico (eo quo suprà memorauimus modo) pepigerat, Ducatus Denteleni suo restituitur Domino. Vnde Theodoricus, cernens Austrasiorum sibi parere Regnum, indignatione nimia » permotus, Chlotario per Legatos mandat: Vt se de memorato Ducatu remoueat. » Quod nisi efficiat, se ad vindicandam illatæ contumeliæ iniuriam quibus posset » non defuturum modis. C

De Theodorico fratris filiam procante, & ob id à Brunechilde increpito: déque eius in Brunechildim ira: & Brunechildis, quæ eum veneno sustulit, in eundem crudelitate.

C. INTEREA dum Mettis moraretur Theodoricus, amore filiæ fratris Theodeberti, quam Coloniæ captiuauerat, deperire cœpit. Quam dum sibi copulare » vellet, ab auia, ne hoc faceret, prohibebatur. Cui ille: Et quid, ait, incurram » offensionis, si illam vxorem duxero? Ad hæc Brunechildis: Non, inquit, est fas » fratre progenitam te habere coniugem. Ad hæc Theodoricus, vt audiuit, felle » commotus, tali ei respondit modo: Nónne tu Deo odibilis, cunctísque inuisa bo» nis, mihi dixeras, eum fratrem non esse meum? Vt quid imposuisti mihi tam graue

onus

A onus fratricidij? Et euaginato ense, voluit eam percutere. Quæ à circumstantibus erepta, ac in manibus domo elata, mortis quidem euasit discrimen, sed nepoti dolos parauit temeritate feminea. Nam egredienti è balneo, per manus ministrorum pecunia corruptorum veneni porrexit poculum. Quo hausto, vt pœnitens scelerum quæ gesserat, vitæ sortitus est terminum, quam criminibus fœdauerat. Tradunt verò memorati Scriptores *, eum apud præfatam vrbem Mettensem, dum contra Chlotarium expeditionem agere meditaretur, dysenteriæ morbo interiisse, XVIII. regni sui anno.

CHLOTARIVS II. THEODEBERTVS, THEODORICVS.

* Fredeg. c. 39.

EXPLICIT LIBER III.

HISTORIÆ FRANCORVM LIBER QVARTVS.

B

DE CHLOTARII CVM NOTHIS THEODORICI instinctu Brunechildis super successione in Regnum certatione: & de Brunechildis exitio.

EXTINCTIS, vel varia sorte obeuntibus, tot Francorum Regibus, à quibus per quinquaginta fermè & vnum regnatum est annos; solus legitimæ successionis hæres CHLOTARIVS Chilperico patre genitus è regia stirpe videbatur relictus, in quem regnandi ius potissimum transfundi oporteret. Brunechildis tamen moliebatur, si posset, SIGEBERTVM Theodorici filium Regno præponere Austrasiorum. Quatuor namque Theodoricus ex pellicibus susceperat filios, quorum ista sunt nomina: SIGEBERTVS, CORBVS, CHILDEBERTVS atque MEROVEVS. Sed quia erant materno latere minus nobiles, ad Regni quoque gubernacula æstimabantur fore impares. Simul quia & Brunechildis electo vno ad speciem regnandi, non potestatem, summæ rei sollicitudinem sibi reseruare velle intelligebatur: & Primates Franciæ tanto tempore femineo dominatui dedignabantur subici. Vnde, adnitentibus Arnulfo atque Pipino Austrasiæ Primoribus, Chlotarius Captonnacum vsque accessit. Brunechildis in VVarmatia residens, eius audito

CAP. I. CHLOTARIVS II.

C aduentu, ad eum dirigit: obtestans, vt de Regno Theodorici quod filiis reliquerat secederet. Chlotarius respondit: Conuentum nobilium debere eam aggregare Francorum, & communi tractatu de communibus consulere rebus. Se verò iudicio illorum in omnibus pariturum, nec præceptis promisit obstiturum. Brunechildis verbis se decipi animaduertens, misso in Thoringam Sigeberto Theodorici primogenito, gentes etiam quæ trans Rhenum habitant ad belli societatem inuitare tentabat. Cum quo & VVarnarium Maiorem Domus, ac Alboinum è Proceribus Austriæ præeminentissimum, dirigendos curauit. Verùm VVarnarium suspectum habens, quòd ad Chlotarium transitum meditaretur, directis post tergum eorum Literis, Alboino puniendum mandauit. Alboinus lectos apices scindens, ad terram proiecit. Qui tamen à quodam familiarium VVarnarij inuenti, ac in tabula cera lita transcripti, eidem sunt ostensi. Quibus ille visis, periculum sibi imminere perpendens mortis, colligere sese, ac præparare animo cœpit, quo pacto Theodorici filiis deletis, Regnum Chlotario vna secum contraderet. Primò itaque Nationes, ad quas ad supplementum belli accersiendas directus fuerat, ab eis alienauit. Deindè cum Brunechilde ac Sigeberto Burgundiam ingressus, vniuersos Primates, simul cum Pontificibus ipsius Gentis, in suam deduxit sententiam: secreto apud eos huius rei vsus verbo. Et quia omnes superbiam Brunechildis simul & crudelitatem exosam habebant, se voluntati eius polliciti sunt

CHLOTARIVS II. non defuturos. His itaque patratis, nuntios ad Chlotarium misit, & vt cum exercitu aduentaret mandauit: spondens se, si ei integra fide securitas vitæ ac honoris concederetur, Regnum Burgundionum pariter cum Austrasiorum vniuersa militia traditurum. Venienti itaque Sigeberto cum Burgundionibus, in campania Catalaunensi super fluuium Axonam occurrit Chlotarius cum Neustrasiis, habens secum complures Austrasios, inter quos Aletheus Patricius, Rocco, Sigoaldus, necnon Eudilanus, Duces. Igitur dum vtrimque armatorum cunei ad prælium parati constitissent, VVarnarius cum suis (iuxta quod constituerat) signo dato è pugna, ante congressum, discessit. Eadem fecere, quibus par inerat pugnandi affectus. Chlotarius post eos paulatim iter faciens (vtpote qui nullum eorum perdere gestiebat, quos suos fore confidebat) Ararim vsque fluuium, qui nunc Sagonna dicitur, peruenit. Captisque tribus Theodorici filiis, Sigeberto, Corbo, atque Meroueo (nam quartus nomine Childebertus, pernicis equi subsidio vsus, prælio elapsus, nusquam postmodum est repertus) ad vicum Riona super Vincennam flumen situm rediit. Ibique instantiâ VVarnarij vel ceterorum Procerum ei fauentium Brunechildis cum Theudelana Theodorici germana, de pago Vltraiurano villâ Vrbana ab Erpone regalium Præposito equorum protracta, Chlotario præsentatur. In cuius conspectu Chlotarius Sigebertum ac Corbum eius nepotes, Theodorico progenitos, iugulari iussit. Merouеum verò, cui ipse pater spiritualis in baptismo fuerat datus, Ingobodi graphioni commendans, in Neptricum perduci, atque ibi nutriri clementissimè mandauit. Porrò Brunechildem præsentari sibi præcipiens, adstante multitudine exercitus, qui non solùm ex Neustria, verùm etiam ex Austria siue Burgundia conuenerant, accepta auctoritate, quo minus odia tegerent quæ aduersus eam iamdiu animo conceperant, per triduum diuersis eam iussit tormentis affici, camelóque impositam per totum circumduci exercitum. Ad postremum reputans ei, quòd x. Reges Francorum, eius partim consilio, partim manu, vel etiam maleficio extincti essent, sic eam alloquitur: Vt quid
» inter mulieres maledicta, ac pessimarum exquisitrix artium, in tantam erupisti per-
» uicaciam, vt non erubesceres tam multiplicem præclaræ stirpis subuertere gene-
» rationem? Pereas igitur crudeli pœnarum exemplo, quæ non expauisti tam ingen-
» ti te maculare parricidio. Nam, (vt de ceteris sileam) Sigebertum meum patruum,
» tuum verò virum, nouimus tuo consilio vsum contra fratrem insurrexisse suum:
» propter quod in improuisum incurrit interitum. Meroueus quoque frater ex pa-
» tre meus, tui causa à genitore odio habitus, nefandissimo crudelitatis genere est
» interfectus. Quid autem memorem Chilpericum meæ natiuitatis parentem, quem
» (vt fertur) per directos apparitores morte affecisti, nil tale verentem? Nequeo fine
» lachrymis exitum tanti referre patris, ærumnásque meæ explicare orbitatis. Fra-
» ternas acies, alternáque bella, quæ profanis decertata sunt odiis, reuoluere pudet:
» quæ tu, totius Aulæ procella, excitans, in mutuam necem nepotes animasti tuos,
» vt frater fratrem interimeret, nec iusta commoueretur mentis compassione. Theo-
» doricus denique, tuis credulus persuasionibus, quòd Theodebertus eius non esset
» germanus, effusor extitit fraterni sanguinis: cùm iampridem Merouei ex se geniti
» cruore pollutas gereret manus. Theodeberti filium, in albis nouæ regenerationis
» adhuc constitutum, à te ad petram allisum, notum est cum fratre innocentem ex-
» halasse spiritum. Illud non omittendum recens piaculum, videlicet Theodori-
» cum maleficio tuo veneno necatum: atque eius filios vt aduersum me bella moue-
» rent, persuasos, tres ex ipsis, ac si reos, neci esse traditos. Silere malo innumera-
» biles Ducum strages, quæ vtrum iustè an iniustè fuerint perpetratæ, non est istius
» temporis explicare: dummodo vos dulcissimi commilitones, & præeminentes
» Franciæ Primores, decernatis cui subiaceat supplicio tanti obnoxia sceleris. Acclamantibus cunctis, inauditis eam debere subici pœnis, iubet indomitum exhiberi equum, crinésque miserrimæ Reginæ cum brachiis caudæ eius conligari, ac demum ad cursum concitari. Sicque in primo impetu currentis equi calcibus cerebrum dispersum. Reliqua verò membra, per aspera quæque sentibus rupibúsve protracta loca, dissipata sunt. Hunc Brunechildis exitum tulit, mulier in cædibus propinquorum maximè exercitata: quibus extinctis, possessionem eorum quasi spolium suis iunxerat. Cui secundæ res superbiam augebant, vt muliebris impotentia supra modum sese extolleret. Nec tamen ex toto ita vecors extitit, quin

A Dei ac Sanctorum eius memorias, à prædecessoribus structas, venerabiliter excoleret, ipsáque nouas fabricando deuotè multiplicaret. Nam in suburbano Laudunensi Basilicam in honore sancti construxit Vincentij: & apud Augustidunum aliam sancto dedicari iussit Martino, vsa necessariis ad hoc opus ministeriis venerabilis viri Siagrij, prædictæ vrbis Episcopi. Multis quidem & aliis in locis sub nomine sancti Martini magnificas fundauit Ecclesias: illum sibi præ ceteris adiutorem fore confidens, & confidendo exposcens. Ædificia sanè ab ipsa constructa vsque in hoc tempus durantia, ostenduntur tam innumera, vt incredibile videatur ab vna muliere, & in Austria tantummodò & Burgundia regnante, tanta in tam diuersis Franciæ partibus fieri potuisse. Ea autem cum filio & nepotibus gubernante Regnum, apud Gallias, diuinæ virtutis gratia irradiati, fulserunt veluti luminaria, Etherius Lugdunensis Archiepiscopus, Siagrius Augustidunensis, Desiderius Viennensis, Aunarius Autissioderensis, cum fratre Austreno Aurelianensi, & Columbanus Abba. CHLOTARIVS II.

De Austregisilo Præsule sancto, falsò accusato & miraculosè purgato: déque eius sanctitate.

AVSTREGISILVS quoque Bituricensis Archipræsul, qui sub Rege Guntranno diu in Palatio conuersatus, mappam ei ad extergendas præbere consueuerat manus. Hic quadam vice à quodam pessimæ mentis homine falsò accusatus, quædam absque iussione Principis scripta confecisse, dum id sedulò denegaret, iubetur à Rege armis obiecta repellere. Qui diluculò surgens, dum per puerum omnem suorum apparatum armorum deferri fecisset in campum, & ad exorandum Dominum Ecclesiam beati Marcelli expeteret, obuianti pauperi & eleemosynam roganti, trientem tribuit. sicque orationi incubuit. Nec defuit orationi effectus. Nam dum cum Rege ad locum certaminis properaret, occurrit ei nuntius, dicens: Aduersarium eius, dum ad designatum occurrere festinaret locum, equo corruisse, vitæque terminum incurrisse. Tunc Rex ad beatum conuersus virum: Lætare, inquit, amantissime iuuenis, quia Dominus defensor tuus est, ne tibi nocere possit inimicus. Post hæc Cathedram Episcopalem sortitus, admirandis in mundo virtutum enituit bonis. II. B

De Mauritij Imperatoris cum filiis cæde: déque eiusdem moribus prauis & pœnitentia salutari cœlitus reuelata per Anachoretas Ægypti: & de Philippici gestis.

C DVM hæc Galliarum in partibus geruntur, Mauritius Augustus postquam vno ac viginti annis rexit Imperium, cum filiis Theodosio, Tyberio, & Constantino, à Foca, qui fuit strator Prisci Patricij, occiditur. Fuit autem vtilis Reipublicæ. Denique contra hostes dimicans, sæpè victoriam obtinuit. Huni quoque, qui & Auares appellantur, eius virtute deuicti sunt. Hic medio Imperij sui tempore, dum diuinæ legi contrarias præceptiones ederet, & à beato Gregorio frequenter ammonitus, eas corrigere nollet, immò eidem viro Dei, quia factis non poterat, verbis iniurias irrogare non desisteret, tali meruit à Domino redargutione coërceri. Quidam monachico schemate adopertus Constantinopoli degens, exemptam vagina spatham à porta ciuitatis vsque ad statuam gladiatoris, quæ in medio fori erat posita, perferens, pronuntiauit, Imperatorem gladio puniendum. Quod Augustus audiens, valde pertimuit: vocatúmque quendam Præfectorij ordinis virum sibi familiarissimum, ad Sanctos in superioris Ægypti eremo manentes, cum exeniis cereorum ac thymiamatum misit: omni cum deuotione deposcens, vt pro se Domini exorarent clementiam. Ipse quoque pias conditoris sui aures die noctúque non desiit precibus pulsare: ac, vt sua in præsenti potiùs vita puniret peccamina, nec seruaret ea ad subeunda perpetui ignis incendia, non destitit implorare. Rediens porrò Præfectus à Sanctis solitariis, Imperatori nunciauit dicens: Incolæ solitudinis sancti viri dixerunt mihi, quòd humilitatis tuæ preces exaudiens Deus, sempiterna quidem non te priuaret gloria: verumtamen III.

CHLOTARIVS II. huius temporalis honorem, quo frueris, Imperij, cum magna à te auferret ignominia. Gauisus est Imperator, quia etsi transitoria non effugeret mala, non perderet tamen præparata iustis præmia. Ac ipsum etiam tali voluit superna visione consolari dignatio. Quadam nocte, alto depressus sopore, vidit se æneæ Saluatoris imagini, quæ ante fores Palatij posita erat, assistere: & vox ex ipso incarnati » Verbi caractere audita est, dicens: Date Mauritium. Et apprehendentes eum quidam ignotæ formæ & claritatis ministri, statuerunt ante præsentiam loquen- » tis. Vóxque iterum sonuit, interrogans illum: Quid magis eligeret, vtrum in isto » seculo quæ nequiter egerat recipere, an futuro ea seruare examini. Cui Mauri- » tius: O Iesu, inquit, bone, qui humanum genus tuo redemisti sanguine, iube me » nunc potiùs malè commissa luere, & venturi iudicij diem non formidare. immò » electorum tuorum participem fac esse. Tunc qui loquebatur: Tradatur, ait, Mau- » ricius Focæ militi, cum vxore & duobus filiis. Euigilans Imperator à somno, & visionem secum ipse reuoluens, aduocare iussit Philippicum generum suum, quem aliquando arripiendæ tyrannidis insimulatione suspectum habuerat. Ille consummatam erga se Cæsaris iram esse pertimescens, valedicens coniugi, tanquam amplius eam non visurus, ad Aulam properat. Cui Mauritius occurrens, ad genua eius prouoluitur, obsecrans vt quæ contra eum, falsa cogente suspicione, indignè commiserat, ea ille propter Dominum benignè remitteret. Stupefactus Philippicus, & quid sibi vltra spem accidisset admirans, Augustum de terra leuauit: & vt ipse ei magis remitteret, si quam aduersus eum malitiam retineret, orauit. Cui B » Mauritius; Tu magis, inquit, indulge, & si quispiam in exercitu sit honoribus » functus, qui vocetur Focas, edicito. Narrauítque ei omnem ex ordine visionem. Philippicus verò respondit, nullum se militum nosse, qui Focas diceretur nomine. Esse verò inter gregarios stratorem Prisci Patricij, vocabulo Focam, atque » eidem viro formidolosam inesse temeritatem. Ad hæc Cæsar: Si quidem est for- » midolosus, & sanguinarius. Paucis interim interiectis diebus, irruere in eos, qui pactionem statutam transgressi, Romanas sibi attributas incessebant custodias, volens iter cum exercitu arripuit. Porrò in terra hostili constitutus, cùm milites furto ac rapinis abstinere compelleret, nec tamen largiretur consueta stipendia, sed insuper in desertis transigere hyberna cogeret tempora, non minimum in se excitauit seditionis. Hac etenim offensi acerbitate veteris viri militiæ, conferre secum cœpere, & indignè ferre: Imperatorem, qui nullo Romanæ stirpis nobilitaretur parente, tam nequiter ipsos opprimere velle. Nec se diutiùs perpeti posse externum tyrannum, cùm haberent in exercitu dignum Romani generis Imperij gubernatorem. His secum milites vociferantes verbis, adoriuntur Focam tunc Centurionem: rogant vt Romani Imperij suscipiat gubernaculum. Qui eorum præceptis obaudiens, purpuram induit. Quo præcognito, Mauritius animi desperatione resolutus, cessit rebus aduersum se fluentibus, & in quandam insulam mari contiguam aufugit. In qua ab apparitoribus, quos Focas ad eum persequen- C dum direxerat, gladio cum vxore ac duobus filiis percussus, etiam morte temporali impleuit somnium suum.

De Pontificum Romanorum successione: & Ecclesiæ Romanæ Primatu.

IV. BEATISSIMVS autem Papa Gregorius, comperto quòd Focas potiretur Imperio, ad eum siue ad eius Augustam Leontiam direxit Epistolam, verbis gratulationis refertam. Ipsius Principis tempore, idem dilectus Domini Gregorius de præsentis vitæ laboribus ad æternam demigrans requiem, Sabiniano Sedem reliquit Pontificalem. Cuius successor Bonifacius à præfato Augusto petiit, » & impetrauit: Vt Sedem Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ, caput esse omnium » Ecclesiarum statueret: quia Ecclesia Constantinopolitana, primam se omnium » Ecclesiarum scribebat. Ipse quoque Princeps, alio Papa Bonifacio rogante, iussit in veteri fano, quod *Pantheon* vocabant, abolitis Idolorum sordibus, Basilicam beatæ ac perpetuæ Virginis Mariæ, & omnium Martyrum fieri: vt vbi quondam omnium, non dicam Deorum, sed dæmonum cultus agebatur, ibi deinceps omnium fieret memoria Sanctorum.

A *De Cacani Auaris seu Huni cum Gisulfo Longobardo bello: Déque Romildæ amoribus infelicibus.*

EA tempestate Rex Auarum, quem sua linguâ appellant Cacanum, cum Foroiulianis Longobardis bello confligens, Ducem ipsorum nomine Gisulfum cum plurimis suorum interfecit. Cuius Ducis vxor, vocabulo Romilda, obsidentis se in memorata vrbe Cacani Regis pulchritudinem admirata, ei ciuitatem tradidit stupri mercede sibi pollicita. Quam idem Rex, capta vrbe, populóque eius captiuato, vna propter iusiurandum quod dederat nocte, ac si in matrimonium accepit. Post hæc duodecim Auaribus eam tradidit, qui vicissim sibi succedentes eâ, vti vili scorto, abusi sunt. Ad postremum, palum in medio campo configi præcipiens, eam in acumine eius inseri mandauit, cum huiusmodi exprobrationis verbo: Talem, inquit, merita est virum habere. Dignum profectò posterorum memoriâ, idem Rex proditionis eius exemplum reliquit. Qui etsi proditionem amplexus est, proditionis tamen auctorem sibi displicuisse monstrauit. Illud fortè pertimescens, ne quæ proximis non pepercerat, ipsi, si eius potiretur amplexibus, minimè parceret. Igitur dira proditrix patriæ tali exitio periit, quæ amplius suæ libidini quàm ciuium & consanguineorum saluti prospexit. Cuius filiæ non ma- V.
B tris luxuriam, sed castitatis amorem secutæ, ne ab Auaris contaminarentur, crudas pullorum carnes sibi inter mammas sub fascia posuerunt, vt earum ex calore corporis putrefactarum fœtore, Auares à sui commixtione remouerent. Quod & factum est. Nam quicumque eas obscœno volebat attactu contingere, fœtoris repulsus immanitate, procul recedebat: cum execratione dicens, omnes Longobardas fœtidas esse. Quarum vna Alemannorum Regi, alia dicitur Baioariorum Principi posteà nupsisse: dignas pro seruata pudicitia nuptias sortitæ. Filij verò eius, quos ex præscripto Gisulfo viro suo susceperat, vastata vrbe, ascensis equis dum fugæ se committunt, minimus illorum ab vno ex hostilibus cuneis, qui velociùs ceteris cucurrerat, capitur. Quem dum propter pusillitatem corporis, is qui eum ceperat interimere noluisset, magisque ad seruiendum sibi propter egregiam formam seruare elegisset, (erat enim ipse puer micantibus oculis, lacteóque crine exornatrix eum natura donauerat) ducere ad castra cœpit. At puer ingentes animos angusto in pectore versans, & se captiuum trahi ingemiscens, paruum quo iuxta suam ætatem accinctus erat gladium, vt eius assuesceret vsum, vaginâ exemptum, nisu quo valuit ceruici se trahentis illisit. Quo terræ prostrato, conuerso equo, retrogrado calle ad fratres regressus, non modico lætificauit gaudio. Nunc iam ad nostræ reuertamur ordinem Historiæ.

De Chlotarij Regis & Monarchæ in Francia gestis.

C

IGITVR Rex Francorum CHLOTARIVS, XXX. regni sui anno postquam regnare cœperat patre defuncto, Monarchiam Regni adeptus, VVarnarium, cuius instantia Regnum Burgundiæ fuerat adeptus, Maiorem Domus in ipso constituit Regno: dato ei sacramento, ne cuncto quo aduiueret tempore successorem acciperet. Austrasiis verò Radonem quendam, probabilis vitæ virum, eodem honoris gradu donatum præfecit. Vltraiuranis quoque Erponem genere Francum Patricium instituit. Qui dum quæ pacis sunt diligeret, malorum deprimens nugacitatem, ab ipsis pagensibus, instinctu Alethei Patricij, & Leudemundi Sedunensis Episcopi, perimitur. Tunc temporis Chlotarius ad villam cui Maurolegico * nomen est, cum BERTETRVDE Regina accedens, iustitiæ obtentu multos iniquè agentes gladio puniri iussit. Leudemundus autem Sedunensis Pontifex, monitu Alethei ad Bertetrudem veniens Reginam, & eam secretiùs aduocans, vt thesauros suos Sedunum transferret hortatur, dicens optimè se nosse, Chlotarium eo anno de sæculo migraturum, Aletheúmque esse paratum suam vxorem relinquere, & Reginam cum Regno assumere, eò quòd esset ipse Aletheus è nobili Burgundionum prosapia. Regina hæc audiens, & se talem, cui talia suaderentur, æstimatam esse grauiter ferens, rapido se in cubiculum proripuit cursu. Leudemundus intelligens verborum suorum calumniam se subiturum, per VI.

* Maurolegium in Alsatia, hod. Marley.

CHLOTARIVS II. DAGOBERTVS. vrbem Sedunum ad Abbatem Austrasium Luxoueo properat, vt per eius preces A indulgentiam Regis mereretur. Quod & factum est. Nam promissa impunitate, ad Sedem suam redire permissus est. Aletheus iussu Chlotarij Massolaco villâ veniens, in conspectu Procerum causam dicere iussus, dum se obiectis purgare nequiret criminibus, capitali sententia est damnatus.

ANNO XXXIV. regni sui Chlotarius VVarnarium Palatij Comitem, de Regno Burgundiæ, cum vniuersis Pontificibus seu Primatibus ad se Bonogilum villam euocans, dando, siue petitionibus eorum annuendo, cunctos sibi fidelissimos effecit.

De tributo quod Longobardi Francis pependerunt.

VII. EXIGIT nunc locus referri, quemadmodum Longobardi duodecim millia solidorum, tributi nomine, Regibus Francorum per multa soluerint annorum curricula. Vel etiam qua de causa duas ciuitates, id est, Augustam & Seusium, dominationi cesserunt Francorum. Defuncto, vt suprà ostensum est, Cleph Rege nobilissimo, Duces super Longobardos creati irruptione in Gallos facta, greges captiuorum simul cum præda abegerunt. Ob cuius præsumptionis temerarios ausus, prædictas vrbes partibus Guntranni Regis tradiderunt. Ex communi autem tractatu, duodecim Legatos ad Imperatorem Mauritium mittentes, pacem cum eo fecerunt. Alios quoque eiusdem numeri Legatos ad Guntrannum B & Childebertum destinauêre, qui amicitiam & societatem eorum efflagitantes, duodecim millia solidorum se ei soluturos fore, vice sua spponderent. Hoc præcipuè ipsis missis suis in mandatis tradentes, vt quorum propensiorem in fœdera amicitiarum aduerterent beneuolentiam, eorum quàm maximè vnire sibi studerent concordiam. Tandem audita vtriusque partis sententiâ, patrocinio se commisêre Francorum: tradita insuper Guntranno Regi valle Ametegis cognomine. Sicque vsque ad tempora Agilulfi Regis sui memorata soluêre tributa. Qui electos gentis suæ Legatos, his nominibus, Agiulfum, Pompeium, ac Gautonem, ad Chlotarium direxit Francorum Principem: poscens vt vectigal, quod ei singulis dependebat annis, remitteret. Hi circumuentis pecuniâ his, quos intimos consilio Regis fore cognouerant, datis videlicet vnicuique mille solidis, vsque ad tria millia solidorum obtulerunt, ipsi Regi triginta sex millia solidos simul cum precibus, & ita remisso solitæ pensionis onere, redierunt ad propria.

De Bertetrudis Reginæ obitu, & Sichildis matrimonio, ac filio Ariberto. Et de Dagoberti in societatem Regni assumptione.

VIII. ANNO XXXVI. eiusdem Principis, BERTETRVDIS Regina moritur: quam vnico amore Chlotarius dilexerat, & omnes leudi bonitatem eius cernentes vehementer amauerant. Post cuius obitum Chlotarius Rex aliam accepit C coniugem, nomine SICHILDEM: de qua habuit filium nomine ARIBERTVM. Anno XXXIX. regni sui, Chlotarius DAGOBERTVM filium suum, ex Bertetrude Regina susceptum, consortem Regni fecit: eúmque super Austrasios Regem instituit: retinens sibi, quod Ardenna & Vosagus versus Neustriam ac Burgundiam excludebant.

De Samone inter Sclauos Rege constituto, eiúsque successu & prole.

IX. ANNO XL. principatus Chlotarij, homo quidam nomine Samo natione Francus, de pago Senonico, multos negociatorum mercandi causa in Sclauorum patriam (qui etiam VVinidi dicuntur) secum deduxit. Sclaui iamdudum Hunis (qui & Auares dicuntur) subiecti, dominationis eorum iugum detrectare tentabant. Siquidem cùm primùm vectigalia eis, vti dominis, dependerent, prælliantium castra tutarentur, fugientibus auxilia ad resistendum subministrarent, tantas ab ipsis sibi illatas tolerabant contumelias, vt non homines hominibus, sed feras crederes quibuslibet vilibus imperitare iumentis. Nam inter cetera quæ crudeliter (dictu quoque horrendum) in eos exercebant, vnum illud nefandum, cunctísque antea seculis inauditum erat scelus, quòd quasi hyematuri, eorum adeun-

A tes domicilia, vxores ipsorum suis assumebant socias stratis. Verùm illi, qui de coniugibus Sclauorum & Hunis erant geniti, hoc malum, quod vitrici eorum diu fuerant perpessi, nolentes perpeti, immane contra dominos & patres suos excitauêre bellum. Ad quod Samo cum sociis, adiumento VVinidis futurus, fortè profectus est. Factáque congressione, VVinidi Hunnos superant. In hoc certamine Samo cum suis præclarum militiæ documentum dedit. Prærupto namque sese periculo dans, plurimos hostium destruxit. Hoc successu Samo à Sclauis ad regnandum expetitus, eò quòd egregia eius delectarentur fortitudine, de negociatore Rex constitutus, per XXXVI. annos strenuè Regnum gubernauit, aduersum innumeros bellorum tumultus, quæ cum Auaris gessit. In quibus semper, prudenti astutiâ vsus, victor extitit. Habuit quoque duodecim ex genere VVinidorum vxores: ex quibus XXII. filios ac XV. genuit filias.

De Adaloaldo Longobardorum Rege, & eius successore: déque Gundeberga Regina.

X.

ADALOALDVS autem, Agilulfi (qui & Ago dictus est) Longobardorum Regis filius, patri in Regnum succedens, dum decem annis cum matre Theudelinda regnasset, à quodam Eusebio nomine, qui ab Imperatore Constantinopolitano ad eum directus Legatus fuerat, post balneum potione accepta, in amentiam B vertitur. Cúmque ipsius Legati persuasionibus, duodecim Longobardorum Optimates iussisset perimi, à ceteris Regno pellitur. In cuius locum, Arioaldum Taurinatium Ducem, cui Gundeberga Adaloaldi Regis germana in coniugium conuenerat, substituerunt. Quæ videlicet Regina, cùm & specie decora, & bonitate polleret mentis præcipua, nec castitatis careret gratiâ, quadam die quendam Adalulfum vocabulo, non infimo inter Longobardos ortum loco, sibi obsequentem, quòd optimæ esset formæ, cœperat laudare. Ille Reginam in sui autumans exarsisse amorem, ad aurem ei infit: Quia, dicens, tuæ placuit beneuolentiæ, meum statum laude tua efferre, placeat quæso me sodalem stratus assumere. Hoc verbum illa haud perfunctoriè ferendum arbitrata, in faciem eius expuit. Qui, veritus si ipse rem non proderet, Reginam cuncta propalaturam, Regem adiit: asserens se, si tutus ad narrandum concederetur locus, rem necessariam ei referaturum. Et secedente Rege seorsum cum eo, vera falsis hoc cœpit obnubilare modo. Taso, ait, Thuscanæ rector prouinciæ, per triduum iam cum Regina sermonem tuæ serit perditionis: vt illa te veneno perdat, & ipsum sibi maritum assumat. His Rex credulus, coniugem in castro Italiæ reclusit, cui nomen Amello. Quo comperto, Chlotarius per internuntios Arioaldum arguere cœpit: non rectè illum egisse dicens, quòd Reginam, & ex regio genere Francorum existentem, sine examinatione legali, dehonestamento dignam æstimauisset huiusmodi. C Qui dum iustam se habere causam vinculorum vxoris fateretur, vnus Legatorum, Ansoaldus nomine, tali Regem interpellat sermone. Facilè, inquit, examen huius rei tibi probabitur, si facultas alicui familiarium Reginæ detur, bello cum criminatore contendere. Quod dum ille concessisset, simúlque approbasset, & Adalulfum, quo minus proposita abnueret, desperatio salutis compelleret, Aribertus quidam Reginæ consobrinus, hominem vocabulo Pittonem, vice sua præliaturum aduersus Adalulfum dirigit. A quo idem criminator sine mora victus, gladióque est punitus. Gundeberga Regina post tres fermè reclusionis suæ annos ad pristinam Regni est regressa dignitatem.

De DAGOBERTI Regis Austrasiorum prudentia, & Rodoaldi insolentia.

XI.

REGNI Chlotarij anno XLI. cùm DAGOBERTVS rei summam in Austria strenuè gubernaret, & quendam Rodoaldum maioribus apud Austrasios clarum, adhortante beatissimo Arnulfo Pontifice, ac Pipino Maiore Domus, honoribus extulisset, cœpit idem vir mutata insaniens mente, iracundiam in se Regis prouocare. Nam direptioni rerum studens alienarum, superbiæ deditus, elationis plenus, locum detrahendi inuidentibus sibi dedit. Qua de causa exasperatus Dagobertus, interficere eum moliebatur. Vnde territus Rodoaldus ad Chlota-

CHLOTARIVS II. DAGOBERTVS.

rium se contulit: obsecrans, vt suam apud filium vitam obtinere dignaretur. Chlotarius viso filio, inter alia, ne Rodoaldum interimeret precatur. Dagobertus promittit eum, si quæ malè gesserat corrigeret, spem vitæ habere posse. Sed cùm Treueris vnà cum Dagoberto Rodoaldus accessisset, nulla extante mora, iussu Regis ipsius ante ostium cubiculi regalis à Bertario Scarponensi capite truncatur. A

De Dagoberti cum Gomatrude coniugio: & cum patre Chlotario disceptatione, ac eorum pacificatione super Regno Austrasiæ.

XII. ANNO XLII. regnante Chlotario, Dagobertus omni ornatu cultúque regio fultus, iussu patris Clippiacum, haud procul Parisius, venit. Ibique germanam Sichildis Reginæ, Gomatrudem nomine, in coniugium ei pater tradidit. Die verò tertio nuptiarum, grauis inter patrem ac filium orta est dissensio. Petebat enim Dagobertus reddi sibi solidatum, quod ad Austrasios pertinebat, Regnum. Chlotarius autem contradicebat, nil ei volens ex hoc concedere. Tandem eliguntur duodecim Franci, è quibus vnus extitit vir Deo placitus Arnulfus Metensium Antistes: quorum salubri consilio pater pacatus cum filio, reddidit ei quæ postulabat. Hoc tantum exindè quod citra Ligerim, vel in regione quam Prouinciam cognominant, situm est, suæ ditioni retinuit.

De Sisebodi Regis Hispaniæ virtute & fide: & Cantabriæ per eum subactione, & Regni Gothorum per hoc dilatatione. B

XIII. APVD Hispaniam ea tempestate humanis rebus Bettrico exempto, Sisebodus ei successit in Regno. Qui bello strenuus, consilio bonus, ac præ ceteris retroactis Hispaniæ regibus fide promptus, Cantabriam, olim dominantibus Francis possessam, sibi subiugauit. Denique Dux Francio, qui eidem prouinciæ aliquandiu præfuit, tributa Regibus Francorum persoluebat. Quo mortuo, eandem regionem milites Imperatoris Constantinopoli residentis, quibus contra exteras (vt prælibauimus) Nationes custodiendi limitis Hispaniæ erat mandata sollicitudo, peruaserunt. Hanc, vt nunc meminimus, Sisebodus eis vi abstulit, multásque vrbes maritimas capiens, ad solum vsque destruxit. Cúmque ab eius exercitu milites in præfatis inuenti ciuitatibus obtruncarentur, Sisebodus pia commotus miseratione, volens plerosque eripere neci, ad se confugiendi fiduciam dabat, eosdémque pollicita impunitate, vt sibi fuga consulerent hortabatur. Ingemiscénsque aiebat: » Væ mihi misero, cuius Regni temporibus tanta humani san- » guinis fit effusio! Dilatatum itaque est Gothorum Hispaniam incolentium Regnum per littora maris vsque ad Pyrenæi iuga montis.

De VVarnarij morte, & incestis Godini filij eius cum nouerca sua nuptiis: & eiusdem repudio, & repudiatæ furore ac fraude in Gogonem: & de Gogonis iuramento fidelitatis in multis templis præstando, eiúsque nece. Item de Palladij Sedecique exilio, & de Bosonis cæde. C

XIV. ANNO XLIII. Chlotarij Regis, VVarnarius Palatio Regni Burgundiæ Præpositus diem clausit extremum. Cuius filius Godinus, animi vanitate commotus, nouercam suam duxit vxorem. Quâ diuinæ legis iniuriâ Rex impulsus Chlotarius Arnoberto Duci imperat, Godinum vt quantociùs interimat. Godinus formidinis grauamine pressus, relictâ Burgundiâ in Austriam transiens, à Dagoberto intercessionem implorauit, vt patrem ab executione præcepti seuerioris ad molliora inflecteret. Nec Dagobertus detrectauit. Chlotarius, ægrè licèt, oranti tamen filio concessit, vt contuitu honoris, quem VVarnarius pater Godini gesserat, & remunerandæ sedulitatis eius in Regem supremæ gratia, necis sententia mitigaretur. Ea videlicet ratione, vt Godinus vxorem, quam contra Canonum decreta duxerat, abiceret. Qua repudiata, acceptáque vitæ securitate, Burgundiam repetiit. Sed mulier multò aliter quàm sperari posset, iniuriam sibi illatam inæquanimiter ferens, delatoria aduersus Gogonem vsa fraude, Regem adiit, &

A in medium huiusmodi detulit scenam, quòd si in Regis præsentiam Gogo aduenirct, cum gladio perimere deliberasset. His Rex credulus, securitatem vitæ ac salutis, honorisque sui, à Gogone sacramento exegit. Qui dum insistentibus Cranulpho & VVandelberto domesticis Regis, in Basilica sancti Medardi Suessionis, atque sancti Vincentij Parisius, iusiurandum præbuisset, nullas se insidias Regi machinaturum, neque sic ei fides adhiberetur, compellitur à memoratis viris in Ecclesia sancti Aniani Aurelianis, necnon sancti Martini Turonis, eadem iterare sacramenta. Cúmque voluntati regiæ satisfacturus ad iamdicta properaret loca, insidiis memoratorum virorum, Rege id non abnuente, apud Carnotinos in conuiuio cum plurimis suorum, repugnare quidem volentium, sed minimè valentium, nefandissimè iugulatur.

Eo anno Palladius quidam, eiúsque filius Sedocus Tolosatium Episcopus, incusante Aynano Duce, quòd rebellionis VVasconum fuissent conscij, in exilium truduntur. Boso etiam Audoleno patre genitus, indigena Stampensis, ex præcepto Chlotarij, stuprum cum Regina Sichilde commissum ei reputantis, ab Arneberdo interficitur Duce.

De successore VVarnarij Præfecti Aulæ Burgundiæ per Chlotarium & regulos ac Proceres Regni consultatio: & seditione oborta ob cædem Hermarij ab Aginano factam.

B CHLOTARIVS autem potentiores omnes Optimatum Burgundiæ Trecas conuenire iubens, de successore VVarnarij cum eis agebat, sollicitus scrutator quem vellent rectorem Palatij à Rege sibi præfici. Illis porrò dicentibus, nullius præter Dei & Regis se velle pati dominium, Rex gratanter verba eorum suscipiens, desiderio quoque satisfecit. XV.

ANNO XLIV. regni Chlotarij, filiorum Regis seu proximorum, Præsulum quoque Galliæ Clippiaci Concilium congregat: vt, quæcumque pacifica Regno vel vtilitati Ecclesiæ congruerent, statuerentur. Inter primores itaque Franciæ qui conuenerant, quidam Hermarius gubernator Palatij Ariberti filij Regis, simúlque baiulus à pueritia, Aginano super se irruente, perimitur. Is erat Saxo genere, vnúsque ex Optimatibus Aulæ regiæ. Qua de re graui orta seditione, penè vsque ad mortes lis insurrexerat, nisi Chlotarius, agnita causa, tumultum repressisset auctoritate regia. Nam Aginano copiam secedendi in monte, cui Marcomirus nomen est, attribuit, iuncto non paruo pugnatorum numero, qui ei, si ita res exigeret, præsidio forent. Brunulfus verò auunculus Ariberti, frater videlicet Sichildis Reginæ, collecta nobilium & sociorum manu, Aginanum debellare tentabat. Quod agnoscens Chlotarius, leudos, qui maximè indignaban-

C tur pro iniqua tanti viri nece, ad se euocat, edicítque, si se habere in offensum vellent, ne in bellum prodeant. Eóque modo reuocato eorum impetu, prælium intestinum quieuit.

De CHLOTARII iunioris obitu, miraculosáque per diuum Sulpitium à febribus sanatione: déque eiusdem Sulpitij vitæ sanctitate: & beati Eligij aurifabri innocentia & opera.

ANNO XVI. susceptæ Monarchiæ, paterni autem regni XLIV. CHLOTARIVS Rex moritur: atque suburbano Parisius, in Basilica sancti Vincentij sepelitur. Hic Chlotarius *Iunior* est appellatus, propter auum suum simili nomine, cum adiectione tamen *Senioris* dictum: qui primus etiam dici potest, isto existente secundo, necnon subsequente altero, de quo in posterioribus declarabitur. XVI.

HVNC verò Chlotarium beatus Sulpitius (tunc quidem Archidiaconus, postmodum autem Bituricensium Episcopus) anteriori tempore à graui liberauerat febrium incommodo, septem priùs dierum consummato ieiunio. Fuit autem patiens, literis eruditus, timoris Dei plenus, pauperibus necessaria tribuens, Eccle-

DAGOBERTVS, ARIBERTVS. siarum Domini atque Sacerdotum vtilitati consulens. Veruntamen subdola malignantium versutia subreptum est ei, vt beatum Lupum Præsulem Senonum, à sede propria expulsum, in exilium retruderet. Qui vir tantæ sanctitatis fuisse palam ex gestorum scriptis suorum ostenditur, vt quadam die celebranti ei sacra Missarum solemnia, cœlitus gemma in sanctum prolapsa sit calicem. Denique Rex pœnitens facti, ab exilio eum iussit reduci, & ad se perduci. A quo commissorum postulata impetratáque venia, muneratum eum remisit ad sua. Beatus quoque Eligius aurifex probatissimus, relicto patrio Lemouicini territorij solo, ad eundem Regem transiens, sellam auream regiæ dignitati congruam fabricandi ab eo præceptum pariter & impensas accepit. Et puras ab omni cupiditatis macula gerens manus, quæ ad vnius opificij susceperat vsum, in duo diuisit: & vnam quidem non minoris magnitudinis, quàm iussus fuerat, perfectam reddidit. Quod verò ex attributis sibi auri sumptibus superfuit, ne negligens perderet, vel suæ concupiscentiæ satisfaciendo retinere videretur, in minorem conflauit. Qua re Princeps perspecta, laudatum illum ac remuneratum, Palatij iubet incolere domicilia. Sed de his ista sufficiant. A

De Dagoberti post annunciatam sibi Chlotarij mortem studiis, & Ariberti ac Brunulfi contra eum factione. Déque corporum Dionysij & sociorum inuentione miraculosa: necnon & Sadregisilo locum tenente in Aquitania. B

XVII. FAMA itaque defuncti Chlotarij ad DAGOBERTVM peruenerat, more ingenij humani, cui satis est vbi capita acceperit, cetera non requirere. Quapropter Dagobertus lectos è Regno Austrasiorum quos fidentiores repperit, in Neustriam & Burgundiam dirigit, vt Ducum siue Pontificum ipsarum Gentium sibi gratiam sociarent. Id ab omnibus cum lætitia susceptum, eò quòd cognoscerent Regnum ei deberi. Remenses Dagobertum aduenientem primi suscipiunt, inibi Principibus memoratarum Nationum cum summo gaudio confluentibus. Ardebat ARIBERTVS, frater eius, aliquid sibi publicorum committi munerum. Pari modo Brunulfus frater Sichildis Reginæ, Ariberti auunculus, paulatim ambiendo quosque potentiores, efficere moliebatur, vt spreto Dagoberto, rerum omnium summa nepoti suo committeretur. Verùm illi parandæ sibi potentiæ magis intentum, quàm communi vsui, arbitrati, & quòd esset ingenio remissior, declinandum æstimauere. Dagobertus tamen optatis potitus, Brunulfo dignam factis vicissitudinem postmodum restituere curauit. Compositis verò erga se rebus, & studiis omnium qui rem militarem vel administrabant, vel circa suum Imperium conspirabant, tactus corde atque respectu fraternæ compassionis ad miserationem inflexus, amicorum consilio fratrem ex parte consortem Regni fecit. Collatáque ei prouincia, quæ à ripa Ligeris VVasconiam versus extenditur vsque ad Pyrenæi iuga montis, qui Galliam ab Hispania disterminat: pactum etiam cum eo scripto C
» pepigit: Vt priuato contentus habitu, nil amplius de paterno sperare deberet Regno. Qui vbi potestatem adeptus est, sedem Regni Tholosam eligens, sensu non (vt putabatur) tardus, verùm natura acris ad obeunda negotia, statim ingenio suo materiam inuenit. Anno enim III. postquam regnare cœperat, totam VVasconiæ terram subegit, atque Regnum suum latius effecit. Vniuersa autem Austria cum Burgundia, Neustria quoque, dominio parebant Dagoberti. Cuius actus licèt à nonnullis separatim digesti habeantur: tamen ne eos facta eius lateant, apud quos præfata non inuenitur scriptura, ea nos libuit perstringere. Dagobertus quippe à Chlotario genitore venerabili viro Arnulfo Mettensi Pontifici ad erudiendum traditus, pueritiæ annos in studiis exercuit literarum. Adolescentiam verò suam venatibus (quem morem Francorum Principibus sæpè fati sumus fuisse familiarem) assuefaciens, agere ceruum quadam die instituit. Qui facilè industriâ equitum ac sagacitate iuuentus canum, ea velocitate qua illud animal vti consueuit, siluas & montes, & si qua etiam occurrêre flumina transiens, in vicum cui Catuliacus vocabulum est, cursu defertur. In hoc vico ædicula erat, quæ corpora Martyrum Dionysij ac sociorum eius tegebat, in quam se ceruus tuto reperto per-

Sequentia ex Gestis Dagoberti desumpta, quæ Tomo I. habentur.

A fugio confert. Canes euestigiò eum secuti, nec ingredi apertis ianuis valentes, ostiatim oblatrabant. Adueniens Dagobertus, rem spectaculo admiratur dignam. Finitimos deindè rumor istius miraculi, & præcipuè Dagobertum, ad reuerentiam sollicitat Sanctorum. Præterea Chlotarius quendam Sadregisilum nomine, rebus sub se tractandis præfecerat, Aquitaniæ Ducatu specialiùs ei commisso. Hic itaque Regis filium, superbiâ qua tumebat, despicere contendens, prosperè eum agere non æquo ferebat animo. Excusatio sanè erat iuuenilis ætatis, ne tumorem ex subiectione Principum contraheret. Fortè Chlotarius venatum iuit: ac non paruo terrarum spacio à filio seiunctus, opportunitatem præbuit, vt Ducem ad conuiuium accersitum, & contumaciæ redargutum, Dagobertus flagellis cædi, barbæque amputatione deturpari præciperet. Audacis itaque facti conscius, latebra qua se insequente ceruum confugisse viderat, ipse quoque se recipit. Post hæc Chlotarius rediens, Ducis comperta contumelia, ex se genito multa furibundus interminans, mittit qui eum accersirent, dignas pro commissis vt lueret pœnas. Interea Dagoberto coram Martyribus humili corde prostrato, somnóque oppresso, assistens quidam, venerando iocundus vultu, ne timeat edicit: cúmque non solùm præsenti periculo, verùm æterno liberandum supplicio, & insuper solio Regni donandum spondet, si tantummodò memorias eorumdem Sanctorum se ornatum iri promittat. Nec fides promissis defuit. Nempe vt non
B vana (quibus sæpè ludificamur) somnia fuisse intelligeret, hi qui missi ad eum à sacra Æde abducendum fuerant, cùm non plus vno milliario à Sanctuario abessent, progredi diuina vltrà prohibentur virtute. Redeunt confusi: eique à quo directi erant, quæ pertulêre nunciant. Ille eos inertiæ simul & infidelitatis arguens, dirigit alios qui quod illi neglexerant implerent. Quos similia passos, quasi nati fautores despiciens, per semetipsum filium à sepulchris Martyrum auellere cupiens ibat. Sed quia non minus in Reges, quàm in alios homines Dei præualet potentia, qui alios arguerat inertes, fit ipse iners. Tandem agnoscens Christi ac seruorum eius potestatem, indulget veniam, filióque redit in pacem. Sícque abeundi accepta licentia, ædi beatæ succedit, ac precibus deuotis gloriosos Martyres ad sui suffragium inuitat. Dagoberto tamen (vt postea claruit) nullus locus iocundior fuit.

DAGOBERTVS, ARIBERTVS.

De Dagoberti cum Bertoaldo Saxonum Duce periculoso prœlio, & Chlotarij subuentione mirifica, ipsiúsque Bertoaldi fugientis nece.

XVIII.

AVSTRASIIS verò Francis Rex institutus à patre, aduersus Saxones, qui rebellare tentauerant, arma mouit. Transgressúsque Rhenum, cum Bertoaldo Saxonum Duce pugna commissa, ense percussus in caput, decisos cum parte galeæ crines patri per armigerum mittit, & vt sibi antequam cunctus corruat exer-
C citus in auxilium properet mandat. Fortè fortuna affuit. Chlotarius enim venationis gratiâ Longolariam siluam petierat. Vbi accepto periculorum filij nuntio, graui exagitatus dolore, raptis quos in promptu habebat iuuenibus, ad alios etiam vt se sequerentur directis Legatis, breui tempore longum iter emensus (nam & noctibus viam carpebat) ad filium vsque peruenit. Et ea quidem nocte fixis super VViseram fluium tentoriis quieuerunt. Manè autem facto, dum Franci plausus ac voces lætitiæ pro aduentu Regis Chlotarij ederent, Bertoaldus Saxoniæ Dux super ripam fluminis prælium præstolans, audito tumultu, interrogat: Vt quid « tantus in Francorum castris oriretur tumultus? Dictum est ei, Chlotarium adue- « nisse Regem, atque ob id diem festum agere Francos. At ille ad hæc: Falsa, ait, « spe decepti præ timore desideria somniant sua. Nam Regem, quem secum gra- « tulantur manere, certa ferente fama nos compertum habemus vitâ iam defun- « ctum. Chlotarius citeriori armatus superstans littori, dum talia superbè profantem audiret, nil dicens, quo maior taciturnitate sua hostibus incuteretur timor, celerrimè galea nudauit caput. Erat quippe eius cæsaries pulchra canitie variata, in cuius aspectu ab aduersariis maximè dignoscebatur. Denique statim à Bertoaldo agnitus, incongrua percepit responsa, in hunc modum à præfato contrariæ partis Duce prolata. Tu ne, dixit, hîc muta aderas bestia? Tunc Rex huiusmodi « commotus conuitio, & vltra quàm dici possit exardescens irâ, capiti reposita cassi-

DAGOBERTVS. ARIBERTVS. de, calcaribus equum versus eum impulit, vt transmeato flumine se de inimicis suis vlcisceretur. Franci itidem iniuriâ Ducis permoti, atque eius exemplo animati, flumen natantes transibant, sequentes Regem: qui fugienti Berthoaldo infestus insistebat. Grauabatur sanè ad insequendum & pondere armorum, & quòd, dum transnataret fluuium, aqua sinum eius necnon ocreas repleuerat. Bertoaldus » tamen recedendo clamabat ad Regem: Non æquo & bono illum esse intentum, » quòd se persequeretur; sed sola hoc ageret laudis cupidine ductus, qui tanti æsti» maretur, vt sequestratus à suis, hostem terga dare sibi compelleret. Verendum » verò, ne hæc res in contrarium versa, ipsum potiùs pessundaret. Ista autem dum diceret, fugere non cessabat: & sæpè se eius seruum, illum verò suum fatebatur » fore Dominum. Viderique iniustum, vt vel seruus à clementissimo Domino, vel » Dominus à seruo, licèt inuito ac coacto, perimatur. Verùm Chlotarius callidè hæc eum prosequi sciens, nec ea quæ dicebantur curans, tandem pernicitate equi, quo vehebatur, eum assecutus interemit. Sublatóque eius capite, ad filium & ceteros Francos (qui tristes, eò quòd eum consequi nequirent, eius saluti timentes, post eum iter pro posse accelerabant) regreditur. Indéque releuatis mœstitia eorum animis, vna cum eis Saxoniam ingressus, ita depopulatus est eam, vt nullum in ea hominem viuentem relinqueret, qui longitudinem spatæ quam tunc fortè gerebat excessisset. Et Chlotarius quidem hoc taliter egit. A

B

De Dagoberti post mortem patris in Burgundiam, vt oppressos erigeret, profectione, & reliqua peregrinatione: déque eiusdem repudiata coniuge, cum Vestali matrimonio: & de Consiliariis eius bonis, Arnulfo Episcopo, Pipino, & Chuniberto Episcopo.

XIX. DAGOBERTVS autem, eo defuncto totius regimen nactus gentis, in Burgundiam èa propositi intentione proficiscitur, vt oppressis & calumniam sustinentibus iustitiam exercendo subueniret. Ex cuius aduentu fiducia bonis, maximéque pauperibus orta: seditiosos verò, atque rapinæ intentos, formido grauis incesserat, ac quædam mentium consternatio. Qui vbi Lingonas attigit, pauperibus ac viduis se adeundi facultate concessa, vnicuique, absque vllius acceptione personæ, quod suum erat, legibus solui fecit: æquitate seruata, quam diligit Altissimus. Post hæc Diuiona castrum adiit, paria ibidem acturus. Indéque Cabillonis profecturus, balneum matutinus ingreditur, præcipiens Amalgario & Arneberto Ducibus, VVillebaldo quoque Patricio, vt Brunulfum Ariberti fratris sui auunculum, propter infidelitatem sibi suspectum, interficerent. Deindè à Cabillonensi vrbe per Augustidunum, Autissiodero iter dirigens: post per Senonum ciuitatem Parisius deuenit. Et Romiliaco villâ constitutus, GOMATRVDEM Reginam (nouercæ suæ Sichildis germanam) eò quòd esset sterilis, consilio quorumdam Francorum relinquens, NANTILDEM quandam puellam, à Monasterio raptam, in matrimonium sibi iunxit. Vsque ad id temporis consilio beati Arnulfi Mettensis vrbis Pontificis, necnon Pipini, in Regno Austrasiorum Maioris Domus officium gerentis, vsus est. Ideóque tam strenuus támque efficax in administrando apparebat Regno, vt circumpositæ Nationes eius vererentur nomen, suáque auxilia in subiciendis exteris spondèrent Gentibus fide promptissima. At verò post discessum præfati Antistitis, consiliis iam dicti Pipini, & Chuniberti vrbis Coloniæ præsulis obaudiens, suggerentibus eis, æquitati ac iustitiæ operam dabat. C

De Dagoberti ex Ragnetrude filio, qui dum à beato Amando baptizaretur respondit Amen: *& postea in auaritiam fœdam lapsu, spoliationéque templi diui Hilarij, ac libidine eiusdem: sed resipiscentia consilio Pipini.*

XX. PORRO VIII. anno regni sui, cùm (more Regibus assueto) superiores Franciæ partes peruagaretur, mœstúsque esset quòd filium non progeneraret, qui post

A post se regnaret, puellam quandam RAGNETRVDEM homine thalamo sibi sociauit: ex qua filium eo anno suscepit. Quem dum postmodum in Aurelianensi vrbe venerabilis vir Amandus Traiectensium Episcopus iuxta morem fidelium præsignaret, adsistente genitore, paritérque Ariberto Aquitaniæ Rege, finita oratione, & nullo è tanta exercitus multitudine *Amen* respondente, aperuit Dominus os pueri, qui non plusquam XXX. à natiuitate expleuerat dies: ac audientibus cunctis, respondit *Amen*. Statim igitur sanctus Antistes eum regenerauit: quem ARIBERTVS Rex de sacro fonte leuauit. Magnus ex hoc facto stupor cum exultatione, non tam Reges quàm vniuersos repleuit circumastantes. Exinde Dagobertus, dum patrium sæpè studet Neustriæ inuisere Regnum, prioris oblitus bonitatis, non solùm Ecclesiarum, verùm etiam quorúmque locupletium inhians rebus, improbus effectus est prædo. Nam inter alia Ecclesiarum Galliæ spolia, ex occasione Basilicæ diui Dionysij exornandæ, direptas valuas fusili ære fabrefactas à Templo sancti Hilarij Pictauensis fertur abstulisse. Quas dum per Oceanum in Sequanam deuehi iussisset, vt per eam Parisius vsque ducerentur, vna earum fluuio absorpta, nec postmodum dicitur fuisse reperta. Luxuriæ tam ineffrænatè se tradidit, vt exceptis tribus, quæ cum nomine cultu etiam fulciebantur regio, plurimus concubinarum illi obsequeretur numerus. Auersum itaque cor eius à Deo fuisse æstimabatur, prorsúsque abalienatum, nisi in semet reuersus, peccata sua DAGOBERTVS, ARIBERTVS.

B eleemosynis redimere deliberasset. Erat in Regno eius Pipinus, de potentissimis Austrasiorum, familiaritati eius inhærens: qui oderat improbos, nec se miscebat flagitiosis. Hunc quidam malignantium Dagoberto adorsi sunt facere odiosum. Sed Domini protectus clementiâ, cuius in obseruanda iustitia sectabatur præcepta, & insidias paratas euasit, & Regi vtilia suadendo fidelissimus apparuit. Cui cohærebat alter, Ega nomine, in consilij salubritate & in Principis haud dissimilis familiaritate. Is erat ex Neustria, non mediocri præditus potentia.

De Legatis ad Imperatorem: & de Imperatorum Focæ & Heraclij gestis, & successibus Heraclij in Chosdrohem Persarum Tyrannum: eiúsque nece: crucisque Dominicæ receptione.

XXI.

TVNC temporis Seruatius & Paternus, qui Legatione functi fuerant ad Heraclium Focæ successorem, regressi Dagoberto se præsentarunt, dicentes: Pacem se cum Heraclio firmasse perpetuam. Denique Focas Imperator ab vniuerso desertus Senatu (quasi peruersa insaniens mente, opes Imperij in mare proiiceret, dicens se muneribus Neptunum placare velle) ab Heracliano tunc Africæ præfecto perimitur. Atque Heraclius Heracliani filius ei in Imperium substituitur. Anno IX. postquam purpurâ se induerat, hic Heraclius multas Prouincias à Persis

C peruasas Reipublicæ restituit, aliásque grauiter labefactatas vindicauit. Chosdroes enim Princeps Persarum, cuncta per quæ transibat vastando, Hierosolymam venit: atque inter ceteras Ecclesiasticas seu populares manubias, partem salutiferæ Crucis, quam ibi Helena mater Constantini quondam Augusti reliquerat, asportauit. Traditóque filio suo Regno, ipse in argentea turri (quam ad hos vsus parauerat) aureo residens solio, vexillum nostræ redemptionis, quasi collegam Regni, è latere constituit. Quod vbi Heraclio nunciatum est, cum valida militum manu Persidem petens, obuiam habuit Chosdroe filium, cum maxima Persarum phalange, quæ eum, metu coacta Tyranni, non voluntate ducta iuuandi prosequebatur. Et conspirantibus vtriusque partis studiis, Imperator cum Persarum ductore singularem aggressus est pugnam, proposita lege: Ne quis de vtroque exercitu progrederetur qui Duci suo auxilium ferret. Quod si quis infringere decretum præsumeret, ab ipso Principe suo, succisis poplitibus, vicino immergeretur flumini. Diu igitur animoséque congressione facta, Heraclius ad aduersarium: Vt quid, ait, tui hoc quod constituimus præuaricant pactum? Ille reflexa ceruice, vt videret quis suorum se veniret iuuatum, ab Heraclio percussus equo deiectus est mortuus. Statim Persæ supplices se Heraclio subdunt. Qui cum suis ad vlteriora progressus, Chosdrohem in memorato repperit fano residentem, & iuxta eum Dominicam Crucem. Quem dum interrogaret: Vtrum Christi fidem suscipere, &

DAGOBERTVS. salutare lignum (quod, licèt indignus, honorificè tamen iuxta suum tractauerat modum) vellet adorare: illéque responderet nullatenus id se facturum, Heraclius eum illicò interfecit. Peruagatúsque vniuersam Persidem, filium Chosdroe paruulum (quem cum eo inuenerat) baptizari præcipiens, eidem præponit. Et argentum quidem turris exercitui, aurum verò restaurationi deputans Ecclesiarum, cum multimoda præda ac septem elephantis, assumpta etiam Saluatoris Cruce, Hierosolymam, indéque Constantinopolim remeauit. A

De Heraclij forma, & præsagij quo se à Circumcisis pellendum viderat errore. Nam Iudæos propterea persequebatur, è Franciáque pellendos curauit: cum à Sarracenis fuerit pellendus. De eorum itaque agitur prælio, & Heraclij morte.

XXII. FVIT autem vultu decorus, visu hilaris, mediocris statura, egregiæque fortitudinis: qui & leones sæpè in arena, & plures solus interfecerit. Cúmque Literis abundè esset instructus, ad vltimum Astrologus efficitur. Agnoscens itaque in signis siderum, Imperium suum à circumcisa Gente vastandum, & autumans id de Iudæis fuisse præmonstratum, per internuncios Dagobertum rogauit Regem Francorum, vt cunctos Iudaicæ stirpis, qui in Prouinciis illi subiectis manebant, Christianos fieri præciperet. Eos verò qui nollent, aut exilio aut morte damnari. Quod Dagobertus volens effecit, omnes qui noluerunt baptisma suscipere, procul à finibus eliminans Franciæ. Porrò Heraclio non de Iudæis, sed de Sarracenis fuerat præostensum. Agareni siquidem (qui & Sarraceni) Gens perfida, ab Abraham cum origine ritum trahens Circumcisionis, à radice Caucasi montis progressa, terras Heraclij populatum venerunt. Contra quos lecta militum manus à Cæsare directa, grauiter est ab hostibus cæsa. Nam centum quinquaginta millia ex militibus interisse referuntur. Spolia cæsorum victores rapta Augusto per Legatos recipienda miserunt. At ille, qui vltionem potiùs meditaretur, non solùm oblata respuit, verùm ipsa Legatione Alanos in adiutorium sui, reseratis portis quas Alexander Magnus Caspio monti imposuerat, ad centum quinquaginta fermè armatorum millia pretio eduxit. Sarracenorum duo Duces erant, qui ducenta millia armis instructa in bella ducebant. Cúmque vterque exercitus procul à se inuicem castra posuisset, nocte, quæ diem belli præcedebat, subitò in castris Græcorum quinquaginta duo millia pugnatorum exanimata in stratis reperta sunt. Qua de re reliqui metu perculsi, in diuersa fugerunt: Regnum suum depopulandum aduersariis relinquentes. Qui, quasi accepta iniuriâ quòd obuiare ausi hostes fuissent, vehementiùs vastationi institerunt. Tantæ cladis nuntio Heraclius accepto, diffidens se posse resistere, cùm iam illi maiore prope Asiæ parte peruasa Hierosolymam infestare disponerent, in morbum incidit: & procedente in deterius corporis ægritudine, vsque ad languorem animæ, videlicet in Eutychis delapsus est sectam. Sociata quoque iure connubij sororis suæ sibi filia, XXVI. susceptæ potestatis anno diem clausit vltimum. Cui successit Heraclona filius, cum matre Martina. Hic etiam duobus annis rerum summâ potitus, fratri Constantino iura reliquit Imperij. B C

De morte ARIBERTI Regis Aquitaniæ, & eius filij CHILPERICI: déque negociatoribus Francis malè à Sclauis acceptis: & de Legatione ad Samonem Sclauorum Regem: & prælio cum eis commisso, eiúsque exitu Francis infelici.

XXIII. ANNO IX. Dagoberti Regis, ARIBERTVS frater eius Aquitaniæ Rex moritur, relinquens paruulum filium nomine CHILPERICVM. Qui non diu rebus humanis superfuit. Opinio mortis eius Dagoberto ascribebatur. Qui eius comperta morte, Barontum Ducem ad peruadendum eius Regnum, vel ad thesauros sibi adducendos, direxit. Barontus verò graue dispendium exindè fecisse memoratur. Eo tempore, commutatores mercium ex Francia Sclauorum ingressi

A patriam, à Sclauis rebus expoliati suis, & qui resistere tentauerant interfecti sunt. Quapropter quidam, Sicharius vocabulo, missus à Dagoberto ad Samonem memoratæ Gentis Principem, postulaturus de commissis iustitiam, dum sciret se à Samone nolle videri, vestibus quibus Sclaui vtebantur, ne agnosceretur, indutus, conspectibus se offert Regis præsentiam suam refugientis. Et quæ sibi in mandatis tradita fuerant prolocutus, ait non debere eum contemptui habere Gentem Francorum, eò quòd ipse, ac populus ei subiectus, obnoxij forent seruitutis Dagoberto eorum Regi. His verbis Samo prouocatus ad iram respondit, se cum populo suo, simul & terra, Dagoberto libentissimè pariturum, Si tamen, inquit, disposuerit nobiscum amicitias conseruare. Ad hæc Sicharius: Non est, ait, possibile, vt serui Christi cum canibus fœdera iungant. Et respondente Samone: Quandoquidem vos seruos profitemini esse Dei, & nos eius sumus canes, ideò ea quæ vos nequiter contra eius geritis voluntatem vt inutiles famuli, nobis frequenter conceditur morsibus ipsa vlcisci: statim eiectus est Sicharius de conspectu ipsius. Qua exasperatus Dagobertus contumelia, lectas ex Austria dirigit militares copias, ad debellandam VVinidorum Gentem. Quibus fuere auxilio Alemanni cum Rotberto Duce, necnon & Longobardi. Qui in ea qua congressi parte victoriam adepti, plurimum captiuorum ad propria redeuntes abduxerunt numerum. Austrasij verò Franci VVinidos, qui in Vogastense confugerant castrum, obsidione clauserunt. Quam dum segniter amministrarent, irruentibus super se hostibus grauiter afflicti, castra cum tentoriis deserentes aufugerunt. Hac victoria VVinidi animosiores redditi, in Thoringam & circumiacentes Francorum terras sese effundunt: ita vt Deruanus Dux, qui vrbibus præerat Sclauorum, quæ vsque ad id tempus Francis paruerant, desperatis rebus se ad ceteros transferret Sclauos. Enimuerò non tam virtute VVinidorum hæc clades accidit Francis, quantum ignauiâ Austrasiorum. Alioqui vindictam, quam sub Chlotario in Saxones, hanc ipsam sub Dagoberto in Sclauos exercuissent.

DAGOBERTVS.

B

De contentione inter Auares & Bulgaros de Rege deligendo: & de Bulgaris expulsis à patria, & Franciam inuadere parantibus, vna nocte cæsis.

XXIV.

HIs diebus inter Auares cognomento Hunos, & eos qui Bulgari dicuntur, magna surrexit contentio, cui deberetur Regni successio: vtrum ex Bulgaris orto, an ex Auarum semine procreato. Lis vsque ad arma deducta, Hunis victoriam peperit. Victi Bulgari, & à propriis exules terris, Dagobertum expetunt Regem Francorum, poscentes vacantem tellurem sibi concedi ad habitandum. Ille hyematum eos in Baioariam dirigit: donec cum amicis deliberaret, quid de eis ageret. Quibus per domos Baioariorum hospitantibus, Rex habito cum familiaribus tractatu (veritus ne quid noui molirentur) euocatis Baioariis hoc dedit in mandatis: Vt vnusquisque eum, qui apud se hospitaretur, cum coniuge ac liberis contrucidaret. Quod factum est: & vna nocte, quæ tam crudeli operi designata erat, omnes neci traditi sunt.

C

De Regibus Hispanis, & bello eis à Dagoberto per Burgundiones illato: & de Missorij postulatione, & direptione, ac recompensatione.

XXV.

PORRO apud Hispaniam defuncto Sisebodo Rege clementissimo, Sentila successit in Regno. Qui dum multa in suos crudelia exerceret, Sisenandus quidam haud ignobilis Hispaniensis ad Dagobertum se contulit, rogans auxiliari eum sibi, quo Sentilam Hispaniâ expelleret. Dagobertus vniuersam Regni Burgundionum militiam proficisci eò iubet, auxilium Sisenando laturam. Igitur vbi in Hispaniam diuulgatum est, exercitum Francorum ad subsidium sui Sisenandum ducere, illico cuncti Sentilam iamdudum sibi odiosum deserunt, ac illum alterum bello aptiorem sine pugna secuti sublimant in Regnum. Abundantius & Venerandus Duces cum exercitu tantùm Tholosano Cæsaraugustam vsq; Sisenandum

DAGOBERTVS, SIGEBERTVS II. CLODOVEVS II.

prosecuti sunt. Vbi nobiles Gothorum se ei tradiderunt, & ipsi ab eo donis munerati, ad propria redierunt. Post hoc Dagobertus directis Amalgario & Venerando Legatis, poscebat promissa sibi solui. Sponderat enim Sisenandus, se ei Missorium aureum ex thesauris Gothorum daturum, quem olim Torsimodus (qui apud Gothos regnauerat) ab Aëtio Romanorum Patricio dono acceperat. Quem dum Legatis Rex libenti animo tradidisset, Gothi speculati quòd per illos transeundum foret iter, Missorium diripiunt, nec eum publicis passi sunt auferri ærariis. Quamobrem Sisenandus posteà Dagoberto Regi, pro recompensatione Missorij, ducenta millia solidorum annumerauit argenti. Quos Dagobertus Basilicæ sancti Dionysij largitus est: in cuius constructione quantùm liberalitatem ostenderit suam, in sequentibus declarabitur. A

De bello quod in Sclauos parauit Dagobertus, à Saxonibus ob tributi leuationem fictè suscepto: sed à Sigeberto filio Regis feliciter gesto.

XXVI. ANNO autem x. postquàm præfatus Dagobertus regnare cœperat, memor malitiæ Sclauorum in suos, collegit lectam è Franciæ bellatoribus scaram, quam nos turmam vel cuneum appellare possumus. Cui properanti ad capiendam vltionem ex inimicis, occurrere Saxonum Legati, spondentium se fore vindices contumeliarum quæ Francis illatæ erant, si tributo quod regiis exhibebant vsibus leuari meruisset. Quingentas namque vaccas inferendales à Chlotario seniore, Clodouei filio, Chilperici patre, regiæ mensæ inferre iussi fuerant. Quæ ideo inferendales dicebantur, eò quòd singulis inferrentur annis. Dagobertus ergo, sapienti Austrasiorum consilio, petita non abnuit eo videlicet pacto, vt per succedentia semper tempora, Francorum limitem sibi vicinum Saxones contra aduersantium defensarent incursus. Hoc pactum sacramento quidem super arma (vt eis mos erat iurantibus) firmatum. Sed nulla efficacia factorum est stabilitum, licèt censu, quem soluere solebant, liberati essent. Sequenti etiam anno, cum assiduis Sclauorum incursionibus Thoringa laboraret, collato cum Pontificibus ac Senioribus Gentis consilio, Dagobertus filium suum SIGEBERTVM Austrasiis præposuit, vt fungeretur rectoris munere cum Regni honore. Tutores duos filio delegauit, Chunibertum Coloniæ vrbis Præsulem, & Adalgisum Palatij rectorem. Thesaurum etiam eis sufficientem tribuit: & quæcumque concessit, testamento cuncta inseri, ac sigilli impressione signari mandauit. Deinceps quamdiu Sigebertus vixit, studio ac industriâ Austrasiorum irruptiones refrenatæ sunt VVinidorum. B

De CLODOVEI filij Dagoberti ortu: & de Regnorum inter Sigebertum & eum per patrem diuisione: & de Denteleni Ducatu recepto.

XXVII. ANNO XII. Regis Dagoberti, eidem de Regina Nantilde nascitur filius nomine CLODOVEVS: qui & HLVDOVIVS inuenitur nuncupatus. Vnde Rex, suggerentibus iis qui vtilitatibus Regni consulere videbantur, æqua lance inter hos duos filios Regnum diuidere statuit. Sigebertum itaque seniorem ex liberis, Austriæ (vt prælibatum est) Regem instituit Clodoueum verò minorem natu, pari dignitate Neustriæ ac Burgundiæ præfecit: restituto etiam Ducatu Denteleni, qui vsque ad illud tempus ab Austrasiis iniustè retinebatur possessus. Quod quamuis Austrasij ægrè tulerunt, metu tamen Dagoberti & ad præsens confirmauerunt, & in posterum stabile fore promiserunt. C

De Sadregisili Ducis nece, & filiorum eius ob ignauiam & paternæ cædis negligentiam exhæredatione. Et de bello in Vascones feliciter gesto, præterquàm quòd Arembertus Dux perierat.

XXVIII. ANNO XIII. regnante Dagoberto, Sadregisilus Dux Aquitanorum à quibusdam hominibus, gladiatorio aduersus eum animo insurgentibus, trucidatus est. Hic est Sadregisilus, quem à Dagoberto, adhuc in pueritiæ annis constituto, superior declarauit sermo & flagellis cæsum, & barbæ rasione deturpatum.

A Cuius filij cùm vltores potuissent fieri effusi sanguinis paterni, maluerunt viuere desides ac otiosi, quàm perurgendo armis homicidas, cruorem exigere interfecti. Idcirco in publico Francorum Conuentu, à quibusdam Proceribus secundum leges Romanas (quæ sanciunt, à paterna eos decidere hæreditate debere, qui noluerint interfecti necem vindicare) omnibus paternis expoliati sunt bonis, atque inanes relicti. E quorum possessionibus, multas Dagobertus tribuit Ecclesiæ sancti Dionysij obsequia curantibus.

ANNO XIV. Dagoberti, dum ei nuntiatum fuisset Vascones à suo imperio deficere velle, exercitum Burgundionum cum XII. Ducibus eò dirigit. Qui commissâ cum hostibus pugnâ eosdem acie superarunt, & multos ex eis captiuos ducentes, terram eorum rapinis ac incendio desolauerunt. Denique cum summa felicitate totus ad propria redisset illæsus exercitus, ni Dux Arembertus, cum maxima parte nobilium, & etiam veteranorum, ex his quos secum duxerat in valle Robola, à Vasconibus fuisset interfectus. Huius tantæ multitudinis, quæ Vasconiam bello subegit, licèt multis rectoribus vteretur, Princeps fuit Audoënus: qui multis in præliis sub Theodorico inuentus est strenuus, cui prærogatiua omnis de summis reseruabatur rebus. Ad quem accedentes Vasconum primores, rogauerunt parci sibi, promittentes se Dagoberto Regi præsentaturos, & de quibus arguerentur satisfacturos. Hæc ille allegata sine dolo intelligens, exercitum vnde
B venerat reduxit.

De Legatione ad Iudicahilem Britanniæ Regem, cum quo Eligius vir bonus fœdus pactus est: déque Iudicahilis Audoënique religiositate.

XXIX. HIs ita patratis, Legatio à Dagoberto ad Iudicahilem Regem Britanniæ dirigitur: vt quæ Britanni contra Francos malè gesserant emendarent. Sin aliàs vniuersas copias, quæ è Vasconia redierant, comminatus est se Britonum finibus immissurum. Adsciscitur ad hanc Eligius exequendam Legationem, spectatæ (vt præostensum est) fidei vir. Qui plurima cum Iudicahile allocutus de pace, non solùm vt Francorum obtemperaret Regi persuasit, verùm Clippiaco villâ, quo tunc Dagobertus morabatur, secum perduxit. Vbi memoratus Princeps & correctionem commissorum, & subiectionem sui Britannicique populi obtulit; ac pacem cum eo perpetuam iniit. Cúmque Dagobertus ad curanda iuxta morem epulis regalibus corpora se contulisset, Iudicahil Palatio egressus ad domum Dadonis Referendarij, qui & Audoënus dictus est, eò quòd religiosæ vitæ testimonium haberet, perrexit, ibíque pransus est. Erat enim ipse Iudicahil religiosus valde, audierátque prædictum Dadonem studium sanctæ conuersationis habere. In crastinum valedicens Dagoberto Regi, præmiísque regalibus ab eo donatus, in Regnum suum est regressus.

C

De Dagoberti in Ecclesias munificentia, & de concione eius in Concilio Procerum Regni: déque testamento, & donationibus eius.

XXX. EO anno Rex Dagobertus omnibus circumpositis Gentibus, Nationibúsque sibi subiugatis, paceque per circuitum facta, ad pietatem intendit. Vtque se gratum, cœlestibus in se supra modum fluentibus beneficiis, demonstraret, vniuersas penè Galliæ Ecclesias patrimonij sui hæredes instituit. Conuocatísque filiis, ac turba amicorum, generale indixit Placitum in loco nuncupato Bigargio. Ad quod properè conuenientibus cunctis Franciæ Primoribus, x. Kal. Maias Rex solio residens aureo, hoc apud eos disseruit modo. Causa modo, mihi amantissimi « filij, & quicumque adestis Francorum potentes, vtilis ac fructuosa visa est vos vo- « candi intentio, vt de iis quæ pro remedio animæ meæ agere institui, non ego so- « lus mihi applauderem. Quia etenim caduca gerimus corpora, animásque immor- « tales, magna nobis, si dissimulare nolumus, est indicta probitatis necessitas: ne si « (quod absit) minus fuerimus intenti, non solùm corruptionem quam speramus « corporum, verùm & ipsam æternitatem animarum perpetuis tradamus incendiis. « Ideóque ego reminiscens, iustis repromissa præmia, & præparata iniquis suppli- « cia, memor etiam malorum quæ gessi, testamentum scribere decreui, quo omnes «

DAGOBERTVS, SIGEBERTVS II. CLODOVEVS II.

Regni nostri Sanctorum Basilicas isto tempore famosas, hæredes faciamus earum quæ eis à nobis traditæ sunt rerum. Constitui etiam quatuor fieri vno tenore exemplaria, & ea manibus subterfirmare, non tantùm meis, sed etiam filiorum meorum Sigeberti ac Hludoui, quos hodie Reges constituo, vestris quoque qui astatis sanctissimi Pontifices, necnon Gentis nostræ Principes. E quibus vnum Lugduno » Galliæ, aliud Parisius, tertium Mettis in Archiuis Ecclesiarum custodienda diri- » gimus. Quartum autem, quod præ manibus habemus, in thesauris nostris adser- » uari præcipimus. Cúmque, post depositam à nobis carnis sarcinam, vnusquisque » Præsulum, qui locis præcepto inscriptis præfuerint, sibi assignata susceperint, ro- » gamus & obtestamur per terribile Domini nostri Iesu Christi nomen, vt memo- » riam nostri tribus in hebdomada diebus per sequentes annos faciant: ac pro re- » quie animæ nostræ sacrificium offerant salutare: noménque nostrum, quasi per- » petuum tenentes memoriale, libro inserant vitæ. Vos autem boni filij, conside- » rantes primùm naturæ religionem, cuius gratia etiam bestias ligat, manete fratres, » & nolite exuere quod generati estis. Deindè reueremini me patrem vestrum: qui » rogare malo, cùm possim iubere, vt statuta nostra inconuulsa seruetis, si vestra à » successoribus seruari mauultis. Profectò scientes, quòd si à nobis sancita contem- » ptui habueritis (quod non arbitror) pari modo & vestra à posteris contemnentur » decreta. His dictis, & cunctis longæuam ei felicémque optantibus in hoc seculo vitam, ac in futuro manentem, salutatis omnibus cœtum dimisit, vt rediret vnusquisque ad sua. B

De fide præstita Francis à Vasconibus.

XXXI. QVINTODECIMO verò regni sui anno, omnes ferè Seniores Vasconiæ, cum Amando Duce, ad eum Clippiaco venerunt: eiúsque formidantes præsentiam, in Oratorium sancti Dionysij confugerunt. Quos etsi dignos morte iudicauerat, respectu tamen Sanctorum, quorum expetierant memoriam, eis in- » dulsit vitam. Qui sacramento fidem dantes: Se de cetero fideles Dagoberto, ac » reliquis post eum Regibus fore Francorum, ad patriam redire permissi sunt suam.

De Grimoaldi Regis Longobardorum gestis, & fratrum eius cæde: déque Constantino Imperatore (qui & Constans dictus est) Beneuentum obsidente: & de crudelitate eius & exitio, & Mezantij tyranni: déque Constantij Imperio.

XXXII. DAGOBERTO igitur pacificè apud Gallias regnante, Longobardis Grimoaldus præerat: qui extincto Godiperto Ariperti Regis filio, & eius fratre Bertharit Italia pulso, Regnum arripuerat. Hic est Grimoaldus, de quo præfati sumus, quòd prædicta euersa vrbe, Auarem, à quo captiuus adhuc puer ducebatur (vt dictum est) occiderat. Cuius fratres Tasonem ac Caconem, Gregorius Romanorum Patricius, in ciuitate Opitergium dolosa fraude peremit. Nam promittens Tasoni, quòd barbam eius præscindens (iuxta morem antiquorum) eum sibi adoptaret in filium, cum fratre ac paucis fidelium ad se venire suasit. Ingredientíque vrbem portas post tergum claudi præcipiens, milites armatos qui eum interficerent direxit. Quod vbi qui ingressi erant animaduerterunt, vltimum sibi vale dicentes, per plateas ciuitatis dispersi obuios quosque trucidabant. Maximáque edita strage, tandem pauci à pluribus circumuenti obtruncantur. Gregorius itaque qui spoponderat se barbam Tasoni abscissurum, non solùm barbam, verùm & amputauit eius caput. Verumtamen ne periurus diceretur, barbæ quoque summitatem inaniter præcidit. Quapropter Grimoaldus Regno potitus, Opitergium funditus euertit in vltionem fratrum inibi peremptorum. Cuius temporibus Constantinus Augustus, qui & Constans dictus est, Longobardos Italia pellere cupiens, transmeato Adriatico mari Beneuentum obsedit. Vnde subito aduentu Grimoaldi territus, discessit, relicto cum exercitu quondam ex Optimatibus nomine Saburro, qui cum Grimoaldo prælio conflixit. Tunc vnus è Longobardis, vocabulo Amalongus, qui regium contum solitus erat ferre, quendam Græcu- C

A lum eodem conto percussum, è sella equitatoria super caput suum eleuans, reliquos perterrefactos fugere compulit. Talia agnoscens Imperator, iracundiam corde conceptam in suos (hoc est Romanos) conuertit, móxque Romam pertendit: & à Vitaliano Papa honorificè susceptus, primo quidem die obtulit beato Petro pallium auro textum, in crastinum verò, & per XII. continuos dies quibus ibi resedit, omnia quæ fuerant antiquitus in ornamentum ciuitatis ex ære instituta, deponi iussit. In tantum vt etiam Basilicam beatæ Mariæ (*Pantheon* antiquitus vocatam) discooperiret, tegulásque ex ære facta exindè auferret, eásque cum aliis ornamentis Constantinopolim transmitteret. Qui tamen, vbi Siciliam attigit, meritum tantarum iniquitatum præmium luit. Nam eiusdem insulæ incolas, Calabriæque ac Sardiniæ, atque Africæ, afflictionibus tam grauissimis attriuit, vt vxores à maritis, & filij à parentibus separati, duram cogerentur perpeti seruitutem. Itaque Imperator suis, quàm hostibus, infestior, à militibus eius sæuitiam execrantibus in balneo interficitur. Post quem Mezentius in Sicilia tyrannidem arripuit. Quo pari modo sine mora punito, capitéque eius Constantinopolim perlato, Constantinus, Constantini (de quo præmisimus) filius, XVII. annis Romani tenuit gubernacula Imperij. Sanè patris eius temporibus, Vitalianus Papa Theodorum Archiepiscopum & Adrianum Abbatem in Britanniam direxit, ad corroborandam, quam beatus Gregorius in Anglorum Gente seuerat, fidei Christianæ segetem.

B

De Dagoberti laudabili obitu & sepultura, ac Ædis diui Dionysij ædificatione & ornatu.

PORRO inclytus Rex Francorum DAGOBERTVS annis XVI. gloriosa functus Regni administratione, Spinogilo villa super flumen Sequanæ sita, haud procul à Parisius, constitutus, profluuio ventris laborare cœpit. Indéque obsequentium manibus ad Basilicam sancti Dionysij delatus, dum se incommodo vltimæ ægritudinis ad mortem vrgeri intellexisset, Egam Consiliarium suum summa cum celeritate ad se venire mandauit. Séque discessurum è præsenti seculo intimans, vxorem suam NANTILDEM ac filium CLODOVEVM eius tuitioni commisit: & vt secundum prudentiam sibi à Deo concessam filium enutriret, piéque Regnum disponeret, ammonuit. Ceteris etiam Optimatibus ac Pontificibus Neustriæ ac Burgundiæ accersitis, filio eos, eísque filium commendans, XIV. Kal. Februarij diem clausit extremum. Cuius corpus conditum aromatibus, sepultum est in Ecclesia sancti Dionysij, in dextro latere sepulchri ipsius Martyris. Denique, vt suprà ostensum est, cùm se ornatum ire illius memoriam sociorúmque eius pollicitus esset, Templum eis condidit vniuersis, quæ in Gallia tunc temporis erant, excellentius Templis. Nullúmque impensis statuens modum, marmoreis illud columnis, similíque venustauit pauimento, immenso ædificandi sumptu, & exquisito fabricatum decore. Nec minor illi in aliis quoque ornatibus intentio. Nam vestibus auro textis, & palliis holosericis, totum interiorem circumdedit Templi ambitum. Ordinem psallentium vti apud sanctum Martinum Turonis, necnon apud sanctum Mauritium Agaunis agebatur, inibi instituit. Prædia verò tam innumera Fratribus in eodem loco Deo famulantibus, siue Matriculariis Ecclesiæ, contulit, vt deuotio animi eius plurimis admirabilis esset. Fuit etenim idem Rex Dagobertus admodum cautus, ingenio astutus, circa beneuolos & sibi fideles mansuetus, rebellibus autem ac perfidis valde terribilis. Exercitiis corporis, maximéque venationibus deditus: atque in omni agilitate corporea strenuus: peritia quoque ac virtute in bello præualidus. XXXIII.

C

De visione facta Solitario super statu Dagoberti Regis defuncti: & quid prosit Templorum ornatio, & obsit spoliatio.

CETERVM eo tempore, quo terminum sortitus est vitæ, quidam illustris Ansoaldus nomine, defensor Pictauensis Ecclesiæ, partes peragrabat Siciliæ. Qui dum euectu reuerteretur nauali, appulit ad quandam breuem insulam, præsentia ac meritis cuiusdam solitarij qui Ioannes dicebatur redimitam. A quo, XXXIV.

DAGOBERTVS, SIGIBERTVS II. CLODOVEVS II.

dum de salute animæ cum eo sermocinaretur, interrogatus: Vtrum Regem Dagobertum cognouisset? illéque se eum optimè nosse respondisset, rursum à sene rogatus mores vitámque Regis exposuit. Cui senex: Cùm, ait, multa vigiliarum ac ieiuniorum, simúlque senectutis fatigatione depressus, paululum membra sopori dedissem, astitit mihi quidam veneranda decorus canitie, monens vt properè A
» surgerem, & pro Dagoberti Regis anima, quæ eàdem à corpore exierat hora, Do-
» mini exorarem clementiam. Quod cùm facere maturato curassem, apparuerunt
» subitò haud procul in pelago deformes truculenta facie dæmones, vinctum Re-
» gem Dagobertum per spacia maris agitantes, inflictísque insuper verberibus ad
» Vulcania loca trahentes. Qui distentus cruciatibus, inter agitationes & verbera,
» quorumdam Sanctorum audiebatur postulare suffragia. Cùm repentè aperto cœ-
» lo, inter fulmina in fluctus cum fragore ruentia, visi sunt descendisse viri decore
» nitentes mirabili. Requirere cœpi ab eis, qui essent. Qui dixerunt, se esse illos
» quos Dagobertus ad suum vocauerat auxilium, Dionysium videlicet ac Mauri-
» tium Martyres, necnon Martinum Confessorem. Hi ereptam dæmonibus ani-
» mam secum ad æthera leuauerunt, canentes hunc Psalmum: *Beatus quem elegisti*

Psal. 64. *& assumpsisti Domine, habitabit in atriis tuis.* Hæc vir ille venerabilis Ioannes Ansoaldo retulit se vidisse. Quæ ille in Gallias reuersus, sancto Audoeno narrauit: qui ea in vna conscripta chartula posteris reliquit in ordinem historiæ digerenda. Ex qua re datur intelligi, nullo modo à Sanctis ornatum contemni, quem ad eorum memorias deuoti conferunt viri. Quamquam enim quorumdam calumnia- B
» torum, & cuncta deuorare cupientium hæc vox sit: Nil, aiunt, Deo vel Sanctis
» eius prosunt aurum, siue argentum ligno affixum, seu parietibus dependentia pallia: non tamen sine causa vltione puniti sunt diuina, vel Balthasar vasa de templo Domini rapta in turpes conuertens vsus, vel Heliodorus ærarium Dei diripere conatus. Antiochus quoque, quia Hierosolymitanæ vrbis Templum altissimo consecratum expoliauit, postmodum scatens vermibus expirauit. Dagobertus verò eos specialiùs Sanctos sibi auxiliari poscebat, quorum Basilicas plus ceteris se opibus ditasse meminerat.

De CLODOVEI *sub Ega iusto Principatu: & paradisi Romani pauimento. Et de Gothorum in Hispania Regibus Tolga & Risicindo.*

XXXV. AT verò Dagoberto defuncto, eius filius CLODOVEVS, quem etiam Hludouium diximus fuisse nominatum, cum matre Nantilde in partes cœpit regnare Neustriæ siue Burgundiæ, Ega Consiliario Palatium cum Regno gubernante. Qui patientiæ deditus, abundans opibus, iustitiæ erat cultor eximius, & genere claro oriundus. Tantummodò blasphemabatur * à pluribus, quòd esset auaritiæ deditus. Qui tamen res pauperum, quæ sub Dagoberto peruasæ & fisco fuerant iniustè sociatæ, possessoribus cum omni reddidit integritate. His diebus C dominus Papa Romanæ Ecclesiæ locum, qui Paradisus * dicitur, ante Basilicam beati Petri Apostoli, candidis & magnis marmoribus mirificè strauit. Apud Hispanias mortuo Sisenando, Tolga filius eius petente patre Rex creatus est. Cúmque Gothi pueritiam Regis aucupati, more sibi assueto multimoda committerent scelera, Cintasindus quidam Gothorum præminentissimus, Tolga Regno pulso, ac Clerico fieri coacto, Regnum arripuit. Qui agnoscens consuetudinem Gentis, quam in interficiendis siue expellendis habebant Regibus, plurimos ex eis quos huic vitio sciuit deditos neci tradidit. Ita vt de potentioribus quidem ducentos, de plebe verò quingentos fermè interficeret, residuos exilio condemnaret. Ipse autem cùm quietè Regno potitus fuisset, filium Risicindum viuens Regem instituit. Hic de malis quæ gesserat pœnitentiam agens, eleemosynásque multas faciens, nonagesimo (vt fertur) vitæ anno diem clausit.

* *Gall.* estoit blasmé.

* *vul.* le Paruis.

De Thesauri regij diuisione, & consiliis Pipini Sigeberto datis.

XXXVI. QVONIAM quidem superiùs demonstrauimus, quo ordine vitæ superstes Dagobertus inter liberos suos Regnum diuiserit: nunc intimandum, quo pacto post illius excessum inter ipsos eius sint partiti thesauri. Igitur Pipinus, qui

A sub Dagoberto assiduè cum aliquibus ex Austria Primoribus Palatium incoluerat, eo obeunte ad Sigebertum se confert: iunctóque cum Chuniberto Pontifice (vt pridem) amicitiarum fœdere, vtilia cum eo Regi memorato ministrabat consilia. Ex quorum sententia SIGEBERTVS ad Clodoueum dirigit fratrem, qui debitam sibi portionem ex paternis poscerent thesauris. Ad quam redhibendam certus cum loco designatur terminus. Statuta ergo die, Chunibertus cum Pipino vsque Compendium villam regiam accessit. Ibique, procurante Ega Clodouei Regis Palatium gubernante, omnis thesaurorum Dagoberti supellex, in speciebus variis, muneribúsque antea abditis, prolata, ac inter fratres æqua est lance diuisa: tertia parte tamen, ex omnibus quæ Dagobertus adquisierat, postquam Nantildem sibi sociauerat, ipsi Reginæ seruata. Partem Sigeberti Chunibertus & Pipinus ad ipsum pertulerunt.

CLODOVEVS II. SIGEBERTVS II.

De Egani morte, & Erchinoaldi præfectura, & Ermenfridi homicidio.

ANNO III. regni Clodouei, Ega Præfectus Palatij Clippiaco villa febre vexatus moritur. Post cuius discessum, Erchinoaldus, Dagoberti Regis ex genetrice consanguineus, Maior domus in Neustria est institutus. Qui humilis, pacificus, cunctísque virtutum bonis existens ornatus, Sacerdotes Domini diligendo verebatur: & ipse ab eis, & ab vniuersis Optimatibus diligebatur. Ante paucos sanè dies obitus Egani, Ermenfredus quidam, qui eius duxerat filiam, Ainulfum Comitem apud Albioderum vicum in Mallo interfecit. Quapropter graue suarum rerum, permittente pariter ac iubente Nantilde, à propinquis Ainulphi passus est dispendium. Ipse quoque à Rege sibi metuens, Remis in Basilica sancti Remigij per multos resedit dies. XXXVII.

B

De Pipini morte à multis fleta, & filij eius post multam contentionem & factionem successione in Præfectura.

EVOLVTO anno Pipinus diem obiit, maximum Austrasiis relinquens luctum causa mortis suæ generatum: eò quòd propter animi mansuetudinem, & iustitiæ seruatam æquitatem, ab vniuersis diligeretur. Cuius filius Grimoaldus, strenuus admodum iuuenis, propter egregia patris merita, populo simul & Principibus valde erat charus. At verò Otto quidem, Berone genitus patre, sperabat se Comitem Palatij fieri posse, eò quòd baiulus fuerat Regis Sigeberti in eius tenera ætate. Idcirco dum Grimoaldum paulatim despicere, nec iam odium aduersus eum conceptum velare, immò crebro contemptu sese manifestum cœperat demonstrare aduersarium, Grimoaldus paternæ amicitiæ prærogatiua Chuniberto Pontifici iamdudum fœderatus, moliebatur Ottonem pellere Palatio. Sed cùm id nequiisset explere, exosum eum Leutherio Alemannorum effecit Duci: à quo idem Otto decimo Sigeberti Regis anno interfectus est, & Grimoaldus in locum patris Maior Domus in Austriæ Regno institutus. XXXVIII.

C

De Flaucato Maiore Domus Burgundiæ, & simultate eius cum VVillibado.

ANNO IV. regni sui Clodoueus cum Nantilde matre Aurelianis, caput regni Burgundiæ, petiit. Vbi aduenientes Pontifices ac Optimates ipsius gentis, & se dominio Clodouei tradentes, Nantildis humanissimè tractauit: vtque filio fidem seruarent, admonuit. Quorum consilio Flaucatum, Franciâ oriundum, Præfectum instituit Palatij, sociata ei nepte sua Ragneberta in matrimonium. De cetero Erchinoaldus & Flaucatus (quorum vnus Neustriæ, alter Burgundiæ post Regem præerat Aulæ) dextras sibi mutuæ societatis adinuicem dederunt, vt in communi tractatu parique consensu, quæ pacis essent sectantes, iustitiæ & æquitatis iura in subditis custodirent. E quibus Flaucatus in Burgundiam transiens, commissa sibi munia impigrè curabat. Cuius restitit conatibus VVillibadus Vltraiuranus Patricius: qui generis nobilitate, & opum affluentia sese extollens, despectui ducebat illi subici, aut eius parere præceptis. Flaucatus tamen id sibi dissimulans cognitum, mense Maio ad generale placitum cum Clodoueo Cabillo- XXXIX.

CLODOVEVS II. SIGIBERTVS III.

nis agi decretum properare non distulit. Quo etiam VVillibadus cum inuidioso satis agmine, & quod minari bellum videretur, pertendit. Nec Palatium ingredi voluit, metuens videlicet ne à Flaucato incautus opprimeretur. Quod vbi Flaucatus animaduertit, Palatio egressus eum interficere voluit. Cui sese frater Amalbertus obuium tulit, & VVillibadum frustra resistere parantem neci eripuit. Exindè Flaucatus rimabatur opportunitatem, vt de VVillibado vltimam sumeret vltionem. A

De Nantildis Reginæ obitu, VVillibadi cæde, & Flaucati paulo post morte non immerita.

XL. EO anno NANTILDIS Regina est defuncta, atque in Ecclesia sancti Dionysij in eodem quo Dagobertus sepulchro posita. Ipsóque anno Clodoueus ab vrbe Parisiorum cum Erchinoaldo & Flaucato Ducibus, ac nonnullis Franciæ Primatibus, mense Septembri progressus, per Senonas & Autissioderum ad Augustidunensem profectus est ciuitatem. Indéque ad VVillibadum nuntium dirigit, mandans vt quantociùs ad se veniret. Ille quamuis cauendum sibi esse à præparatis insidiis non ignoraret, periculosum tamen arbitratus Regi non obedire, dictis quidem paruit, quæ non audebat refellere: sed valida armatorum vallatus multitudine aduentabat. Cui occurrit Ermenricus quidam, cum aliis ex numero Nobilium à Rege directus, vt eum sine cunctatione ad palatium debere properare hortaretur, simúlque vt fidem daret, eum nil læsionis in eundo vel redeundo perpessurum. Cuius verbis non ex toto derogans credulitatem, ibat. Quem etiam donis vberioribus honorauit, & vt se ad ciuitatem præcederet rogauit. Verumtamen nec sic sufficienter sui securus, Agilulfum Valentiæ Præsulem ac VVisconem Comitem ad regiam præ se ire iubet Aulam, & quæ de eo agerentur agnoscere, agnitáque ad se velociter referre. Hos Flaucatus in vrbe detineri fecit: & ipse maturiùs surgens cum suis, ciuitate relicta, aduersus VVillibadum præliaturus iter arripuit. Auxilio ei erant Erchinoaldus Dux cum Neustrasiis, Amalgarius & Ramelenus non ignobiles iuuenum, quos comitabatur haud spernenda multitudo satellitum. E quibus Ramelenus & Amalgarius, cum sibi obsequentibus, Flaucato in acie auxilium tulêre, cetera multitudine procul stante, ac euentum belli præstolante. Nuntius hostilis aduentus præcurrens, manifestum reddidit VVillibadum. Qui hortatus socios, ne incruentam victoriam aduersariis esse sinerent, excepit aduenientes. In prima autem fronte ipse mortuus prosternitur. quippe sui iam contemptu vitæ prodigus, & desperatione salutis totum se in hostem effundens. Bertarius quoque partium Flaucati, dum aduersarios vehementer vrget, obuiauit quendam Madalulfum Burgundionem olim sibi familiaritate notissimum. Qui Bertarium sese vocantem, sibíque, quòd si ad se veniret, eum saluum certamine liberaret, pollicentem, & ad eum protegendum clypeum eleuantem, ingratus beneficij conto percussit in pectore. Cuius filius Aubedo, patris excitus periculo, ad eum cucurrit, aduersúmque Madalulfi pectus lancea transuerberauit: & cunctos, qui suum appetierant patrem, aut percussit, aut in fugam egit. Sícque genitorem suum, licèt grauiter vulneratum, nati pietas custodiuit, ne imminentem experiretur mortem. Hi verò qui noluerant bello interesse, conspicientes Flaucatum iam iámque superiorem conflictu fore, tentoria VVillibadi & sociorum eius peruadentes, quicquid supellectilis in eis repperêre abstulerunt. Equos quoque peremptorum per diuersa vagantes abegerunt. Postero die Flaucatus Augustiduno egressus Cabillonis venit. Sequentíque, quo vrbem ingressus est die, eadem ciuitas fortuito conflagrauit incendio. Flaucatus febre vexatus, in scapha per Ararim ad Diuiona castrum deuectus, ibi exhalauit spiritum, & in Basilica sancti Benigni est sepultus. Creditum est à plurimis hos duos viros, Flaucatum videlicet & VVillibadum, dignas meritorum suorum luisse pœnas: eò quòd multis irretiti essent periuriis, quæ datis adinuicem per loca Sanctorum sacramentis commiserant. B C

A *De Clodouei in pauperes erogatione, concione, & Templi ac Cœnobij Dionysiani ab Episcopali subiectione exemptione: & de viris sanctis qui intererant, ac piis eorum operibus.*

ANNO XIV. suscepti regiminis, Clodoueus Rex argentum, quo genitor suus absidem super sepulchra Martyrum Dionysij, Rustici, ac Eleutherij prominentem operuerat, auferri mandauit, & Aigulfo loci illius Abbati tradi, vt ipse illud egenis & necessitatem patientibus (quia fames eo tempore totam penè occupauerat Franciam) dispensaret. Et quia idem locus sub potestate adhuc constitutus erat Parisiaci Pontificis, tale quid idem Deo amabilis excogitauit Princeps. XLI.

ANNO enim XVI. ex quo sceptra susceperat regalia, Pontifices & totius Gentis Principes Clippiaco conuenire iubens, mediúsque inter eos solio residens, hoc habuit sermonis exordium. Quamquam, inquiens, Francigenæ ciues, terreni nos cura Principatus ammonuerit, publicis vos consultores rebus aduocare: tamen priùs nobis conuenit ea quæ Dei & Sanctorum eius sunt disponere, vt postmodum ea quæ nostra sunt, dante Deo, ex sententia cedant. Ille enim qui per semetipsum polliceri dignatus est, dicens: *Primùm quærite regnum Dei & iustitiam* (*Matth. 6.*) B *eius, & hæc omnia adiicientur vobis*, nobis suis obtemperantibus præceptis sua conferet promissa. Requiramus itaque quæ sint placita Sanctis in regno iam consistentibus æterni Patris, & cuncta nobis euenient prospera in terris, si ea curauerimus adimplere factis. Intentionem igitur nostri cordis vos, Sacerdotes, qui Dij (*Psal. 81.*) vocati estis, & filij Excelsi omnes, attendite & audite, & auditam, si approbaueritis, vnà nobiscum ad perfectum adducere elaborate. Nostri itaque deuotio hæc extat animi, vt Monasterium patroni nostri domini Dionysij, in quo ipse cum consortibus testimonij veritatis requiescit humatus, & piæ memoriæ genitores nostri, domnus videlicet Dagobertus, ac domna Nantildis, se sepelire mandauerunt, ab omni soluamus dominio mortalium. Quatinus Abba vel Fratres eo loco commanentes, possessiones à parentibus nostris siue ab aliis fidelibus Christianis sibi traditas, absque vllius dominantis inquietudine possidentes, pro salute nostra ac statu Regni nostri liberiùs Deum deprecentur. Huic autem nostræ suggestioni consentit venerabilis Landericus Parisiacæ vrbis Præsul: in cuius diocesi Cœnobium illud situm est, & cui vsque ad præsens tempus subiectum fuit. Hanc ergo libertatem serui Dei inibi constituti dum fuerint adepti, nulliúsque præter Dei ac Sanctorum eius, nostrúmque, cui etiam tota natio Francorum paret, fuerint perpessi dominatum, sciant se, debito tali, genitoribus nostris & nobis, eísque qui nostro (vt speramus) per Dei gratiam orientur ex semine, fore obnoxios, vt pro nostra, eorúmque quos memorauimus, præsenti ac futura requie non desinant C Deum exorare. Hæc Regem pro concione locutum, circumsistentes postquam intentè auscultauerunt, in laudibus eius proclamantes, mansura ei optauêre gaudia. Huic Conuentui interfuere prope omnes Gallicani Episcopi: inter quos quidam sancti extiterunt viri, quos sancta Ecclesia dignis effert honoribus, eò quòd ad eorum sepulchra variis vexati sanentur infirmitatibus. Id est beatus Audoënus, & sanctus Rado frater ipsius, atque domnus Eligius, cum beato Sulpitio, necnon sancto Eucherio. E quibus beatus Audoënus (qui & Dado dictus est) Referendarius fuit Regis Dagoberti, filiúsque præcellentissimi viri Autharij. Qui Referendarius ideò est dictus, quòd ad eum vniuersæ publicæ deferrentur conscriptiones, ipséque eas annulo Regis siue sigillo ab eo sibi commisso, muniret seu firmaret. Cui fuerunt duo fratres, Ado scilicet, & Rado. Ado itaque spretis secularibus pompis, construxit Monasterium in saltu Iodrensi super Matronam fluuium, quod nominauit *Iodrum*: in quo ipse sub Regula Abbatis Columbani Deo vsque ad diem seruiuit vltimum. Rado quoque zelo fraterni studij animatus, dum Thesauris præesset regalibus, & ipse in paterna hereditate ædificauit Cœnobium, quod ex proprio nomine vocauit *Radolium*. Porrò beatus Audoënus, ne impar in bonis operibus videretur suis esse fratribus, ipse etiam fabricauit Monasterium intra Brigensem saltum, quod *Hierusalem* ab eo quidem est nominatum: sed nunc à fluuiolo, super quem est situm, *Resbasiense* dicitur Cœnobium. Hos fratres ad

CLODOVEVS II. SIGEBERTVS II. tam præclara exercitia, exemplo sanctissimi reor excitatos esse Eligij. Ille enim A dum in Palatio gratam Deo & hominibus ageret vitam, à Rege Dagoberto petierat condonari sibi villam in pago Lemouicino sitam, Solemniacum cognominatam. In qua & Monasterium construxit, & congregationem Deo seruientium Monachorum statuit.

De fundatione Cœnobij Floriacensis.

XLII. *Caput hoc quod Aimoinum Floriacensem Monachū fuisse conuincit, ex Codd. MSS. nūc primùm est adiectū.*

RES postulare videtur, vt quia aliorum mentionem fecimus locorum, qualiter vel à quibus fuerint personis fundati, nostri non prætermittamus fundationem Cœnobij. In quo & venerabilis, ac virtutum præconio insignis BENEDICTVS Pater corpore quiescit humatus. & nos ab ipsis, vt ita dictum sit enutriti cunabulis, quicquid in nobis boni vel vtile extat, si quid tamen est, ipsius patroni intercedentibus meritis à Deo percepimus. Igitur glorioso Rege CLODOVEO DAGOBERTI filio regni Francorum moderamina disponente, quidam vir genere nobilis, nec minus probitate clarus mentis LEODEBODVS nomine, in Monasterio Sancti Aniani, suburbio Aurelianensi Abbatis fungebatur officio. Hic ad sæpedictum accedens Principem, commutationem exposcebat fieri FLORIACI fisci. Cui petitioni Rex, vt erat mente benignus, libens annuit. Acceptóque à memorato Abbate prædio, quod ei ex paterna obuenerat hereditate, B præfatum fiscum FLORIACVM & in eius transfudit dominium. Qui optatis potitus. nequaquam eundem locum diu vacare est passus. Sed ædificatis duabus Basilicis, vnâ in honore Apostolorum Principis Petri, aliâque in veneratione genitricis Dei Mariæ, mox etiam construxit habitacula Monachorum vsibus congrua. Adunatísque quibusque nobilibus, vel etiam Deo seruire cupientibus, Abbatem instituit nomine RIGOMARVM. Qui quinquennio expleto, ex hoc transiens seculo, successorem accepit nomine MVMMOLVM. Hic bonus pastor, dum creditum sibi à summo veróque pastore Deo augmentare gregem studeret, quendam innocentis vitæ virum vocabulo AYGVLFVM Blesensi castro haud ignobili genere ortum suscepit ad seruiendum Christo conuersum. Quem etiam processu temporis in monastica probatum conuersatione, ad Beneuentanam direxit prouinciam, vt sancti Patris Benedicti exindè ad Gallias transferret glebam, cunctis mortalibus reuerendam. Cuius ille præcepto haud segniter paruit, & sanctissima membra iamdicti Patris, cum ossibus sororis eius SCOLASTICÆ Galliis intulit. Quod qui pleniùs scire voluerit, in Libro qui de translatione Patris BENEDICTI prætitulatur, inuenire poterit. Quam nos ardore dilectionis, quo circa eundem patrem flagramus heroïco carmine succinctim, inquantum quiuimus, ita reddidimus.

C

INCIPIT TRANSLATIO PATRIS BENEDICTI.

Edita Heroïco metro ab AIMOINO *Floriacensis Cœnobij Monacho.*

FERT animus linguam modulis laxare canoris,
Eximij Patris BENEDICTI laude venusta,
Vt cunctis referem populis. quo præstitit ad nos
Ordine, præclaros transferri corporis artus.
Ipse sui iunctis sibimet membris venerandis
Germanæ meritis sociatæ, vrnáque sepulcri.
Nunc BENEDICTE Pater famulo vires rogitanti
Confer, & exiguis quo te collaudet alumnus
Incipe gratificos mecum mea tibia versus.
CHLODOVEVS Franca dum Rex regnaret in Aula,
Inclyta progenies DAGOBERTI Principis alti;
Extitit egregia morum probitate decorus
Vir LEODEBODVS clara de stirpe creatus,

Cœnobij

A Cœnobij regimen ſancti ſeruans ANIANI, CLODOVEVS II. SIGEBERTVS II.
Mœnia vicinum quod ſpectant Aureliana.
Hic larga Domini perfuſus cor pietate,
CHLODOVEVM, quem iam primo ſermone notaui,
Expetiit Regem, ſummâ comptum bonitate,
Haud ſibi diſſimilem, cui talia famina fatur.
Rex, ait, è cuius pendet moderamine tellus
Gallica, quo Franci gaudent ſub Rege potentes:
Parua quidem, ſed grata meæ poſſeſſio menti eſt,
Quam famâ didici fiſci ditione teneri.
FLORIACVM vulgo vocitant hoc nomine villam,
Hanc depoſco meo tribuas vt iure regatur.
Id neque damna putes tibi, ſi conceſſeris, vlla
Importare, meum fatear cùm reddere fundum.
Nec gratis fiſcum mihimet conferrier opto,
Spondens è proprio ſimilem redibere locellum.
Annuit his precibus gratanti pectore Princeps,
Collatúmque ſuum lætatur perdere fiſcum,
Contentus quòd non diſpar ſibi redditur aruum.
B HIS ita diſpoſitis, LEODEBODVS venerandus,
Poſthabitis animo mordacibus optime curis,
Optatáque diu tandem tellure potitus,
Fundamenta iacit domibus tunc apta locandis,
Vt famulis CHRISTI Monachis habitacula condat
Procurans, inſtat donec perfectio ſumma
Perfectum demonſtret opus, finémque laborum.
Eccleſias demum binas pro tempore paruas
Conſtruit, & minimam Chriſti MARIÆ genitrici
Dedicat, aſt aliam ſancti ſub nomine PETRI
Conſecrat. hæc tum maior erat, ſpacioſáque paulum
Tunc equidem. nam nunc poſtquam Genitricis in Aula
Tranſiit Heſperiâ vectum corpus BENEDICTI,
Egregij Patris, ſpacio diffuſior hæc eſt,
Baſilicis necnon multis excelſior vna.
INTEREA magnum ad caulas deducere curat
Agmen, & innumeras hominum glomerare cateruas,
Præclarus LEODEBODVS, ſtudio vigilanti,
Congreget vt Chriſto iuratas ſponte cohortes.
Hinc quem paſtoris condonet munere dignum
C Exquirens, meritis viuacibus atque beatis
Inuenit Monachum Domino populóque placentem.
MVMMOLVS huic nomen, generis quoque nobili germen.
Fratribus hunc reliquis conſultò præficit. ipſe
Poſt metas vitæ ſuperas conſcendit ad arces.
Aſt Paſtor commiſſa gregis moderamina ſancti
Prouidè procurans, animum ſcriptis releuabat
Mellifluis, gnarus dictis Patrum ſociari.
Præcipuum in libris illi ſtudium relegendis,
Pectore quos ſacro profudit Papa beatus,
Iocundi verbi ſenſus GREGORIVS alti.
Quem docuit ſanctus, qui ad flumina nota columbæ
Spiritus in ſpecu Chriſtum veſtiuit honore.
Hos dum continua verſare manu pius inſtat
MVMMOLVS, in geſtis Patris ſemper memorandi
Repperit emeritum dixiſſe ſuis BENEDICTVM,
Dum celſa reſidet Caſſini montis in arce,
Quòd diræ eruerent nullo cunctamine gentes
Omnia ſepta gregis. Tunc iam decurſa meaſſe

CLODOVEVS II. SIGEBERTVS II.

A

Agnoſcens, Sanctus quæ viderat ante futura
Intendit mentem, eueniat ſi forte facultas
Aſportare ſacrum iamdicti corpus alumni.
Mittitur AYGVLFVS magnam Diomedis ad vrbem,
Qui vehat optandos cunctis mortalibus artus
O BENEDICTE tuos, virtutum lampade claros,
Celſo delatos Caſſini vertice montis.
Nam famulus Domini ſomno dum membra dediſſet,
MVMMOLVS, oſtenſum dixit ſibi cœlitus iſtud.
Tunc quoque progreſſi quidam Cinomannis ab vrbe
Aduenêre viri, ſimilis quos viſio ſomni
Ammonuit, longa vt quærant regione ſepulcrum,
Quo fratri coniuncta pio SCOLASTICA ſancta
Sit tumulata, ſuâque ferant tutamen in vrbe.
ERGO alacres parili iunguntur calle beato
AIGVLFO, donec tranſcenſis Alpibus vſque
Vrbem Romuleam, ſedémque Petri reuerendam
Deuenêre. Locis ſocios hîc forte ſacratis.
Intentos ſacer AIGVLFVS tum deſerit, atque
Impiger accelerabat iter, quod ducit ad arcem
Caſſini, quæ tunc heremo circundata vaſta,
Longbardis olim populantibus omnia circum,
Dum nec tam Sanctis timuiſſent ædibus atras
Iniectare manus, diſceſſit incola cunctus.
Sedulus huc explorator veniens ſtudioſis
Viſibus exquirit, Sanctorum buſta piorum
Quo iaceant tumulata loco, ſeu qualibet arce.
Nam deſerta videt, ſpecieque carentia tumbæ.
Quem ſenior montis reſidens in parte ſecreta,
Omnia luſtrantem cernens hac voce rogauit.
Heu! inquit hoſpes, quanam de gente remota
Explorare venis, noſtróſque inuiſere fines?
Quidue petis? Rurſus cunctanti taliter infit:
Ne metuas ſecreta tui mihi pandere cordis.
Spondeo celatum ſeruare in pectore verbum,
Conſiliíque mei vires præbere petenti.
Dixerat, & dicta AIGVLFVS ſic voce ſequutus:
Nulla meo maior verſatur corde voluptas,
Quàm potiar ſacro BENEDICTI vt corpore Patris.
Demum pauca refert æuo maturus ad iſta
Archano ſenior, reddens has pectore voces.
Hæc peragenda quidem, magno ſed munere, dixit,
Sunt redimenda tibi, ſi me vis indice tantis
Quæſitum terris theſaurum cernere coram.
Sicque Senex fatur, cùm talia reddidit Heros.
Præmia magna feres, tantùm ſi quod rogo monſtres,
Polliceórque moram nullam generarier à me.
Ille Deo plenus, tacita quem mente gerebat,
Effudit dignas ſano de pectore voces.
Cùm nox atra polum ſubtexerit, atque coruſcis
Vecta bigis Phebe ad medium deuenerit axem,
Tu vigil intentis oculis per deuia montis
Proſpice, quâ verſum fulgor miſſus radiantis
Luminis, immenſas vincat ſplendore tenebras.
Illic inuenies quod tanto gliſcis amore.
Paruit ille ſenis monitis, primâque quiete
Tranſacta, ſurgens, quorſum lex ſplendeat alma
Explorat, cernitque locum clarè radiantem

B

C

A Luce noua, lapis hunc signatus nomina fratrum
Texerat exteriùs, quem sensim vir venerandus
Impulit in partem. Subitò patuêre reperta
Ossa beata Patris BENEDICTI, nec ne sororis
Ipsius egregiæ. quæ mox latro venerandus
Inclusit sportæ, palmarum fronde virenti
Contextæ, patriæque solum meditatur adire.
Confestim socios Romæ quos liquerat ipse
Aspicit aduentare viâ, montémque tenere.
Proximus his factus, causam quærit veniendi.
Tum primùm secreta sui cordis reserarunt
AIGVLFO Christi famulo, qui cuncta peracta
Iam fore prædixit, celeríque fuga properare
Ammonuit callem, quo Gallica rura petuntur.
Haud secus ac iussi faciunt, gressúque citato
Digressis, auidè dum linquitur Itala tellus,
Cœlitus insonuit terris vox missa per auras,
Quæ vetuit proferre pedem, spacióque moueri
Quo steterant. cœlis illo sub tempore missus
B Angelus in somnis, vultu verbóque minaci,
Pontificem Sedis Romanæ terruit, istis
Increpitans dictis, ac somnos rumpere cogens.
Cur te segnis, ait, torpor lecto recubantem
Detinet, & Latios pateris popularier agros?
Nam Galli vestris infesti finibus olim,
Nunc veteris memores iræ, suffragia vobis
Iustorum, rapto nituntur tollere coram,
Seruorum Domini captantes corpora furtim.
Antistes tali turbatus pectora visu,
Exsurgit stratis, ac agmina cogit in arma.
Langobardorum subnixus viribus, illos
Insequitur, qui post tergum ceruice reflexa
Innumeros hostes se propter currere cernunt.
Quod postquam vidêre, metu calor ossa reliquit.
Nec lacrymis caruêre genæ. tum corpore prono
Exorant Christum, qui tanto munere dignos
Duxerat, vt donum seruet, ne gentibus illis
Præda fiant, & præclaro spolientur honore.
Hos Deus obscuro gradientes aëre sepsit,
C Cernere ne quis eos, ne quis contingere posset.
Corripuêre viam interea, quâ semita monstrat.
Et læti patriis gaudent consistere in aruis.
BONODIVM vocitant agrum pagi Aureliani,
Quo primùm fessi cinerum residere piorum
Vectores, Dominúsque suis vult glorificari
In Sanctis. cœcus dum matris fusus ab aluo
Ingrediente die sensit discedere noctem,
Et claudus rectis lætatur vadere plantis.
Deuenêre Nouam quam dicunt nomine Villam.
Hîc alter veniens ad hanc lucem sine luce,
Lumine percepto, sanctum laudat BENEDICTVM.
FLORIACVS perstat vicus haud porrò remotus
Cœnobio, geruli quò dulcia membra tulerunt.
Huc Domini famulus gaudenti cum grege tendit
MVMMOLVS, vt celebri ducat pompa metuendas
Relliquias. post quem Cinomannica plebs properauit,
Virginis egregiæ sperans non esse neganda
Ossa sibi. Sed constanter se tradere nolle

CLODOVEVS II. SIGEBERTVS II.

Asserit AIGVLFVS, proprio sudore redempta. A
Attamen assiduis precibus non sponte quieuit,
Passus restitui corpus poscentibus illis.
Verùm permixtos artus secernere tandem
Insedit menti. sed qua ratione valeret
Ignarus, Christo meruit monstrante doceri.
Denique maiores artus præmortua iuxta
Membra locat pueri. confestim reddita vitæ
Surrexêre loco, pedibúsque incedere discunt.
Exanimis quoque iam tumulo condenda puella
Exiles artus mox attigit, euigilauit
Sic par causa duos secreuit strenuè fratres.
Tum Cinomannorum populi cum Virgine læti
Ad proprium rediêre solum. hinc MVMMOLVS Abba
Promeritus, necnon AIGVLFVS, gaudia dulcis
Magna ferunt doni, gaudent in tempore tali
Hoc humeris vexisse suis ad tecta beati
Clauigerique PETRI, donec diuina potestas
Signaret, quónam sibi dilectum BENEDICTVM
Condere præciperet, natales post geniales, B
Quod non multò post pietatis contulit auctor.
Ergo Dei seruus tanto de munere lætus
Ancipiti curâ penetral dum cordis oberrat,
Et prece peruigili cœlorum dindimá scandit.
Quo Deus his habilem miserans concederet vrnam,
Illicò celsa poli rogitanti porta patescit,
Et humilis choreas cœlorum nuncius intrat,
Ac superi Ditis post terrea visibus astat.
Nec mora quæque cupit Regum Rex annuit illi.
Fulgor ab æthera nam mox demittitur Aula,
Quo cumulanda forent BENEDICTI pignora signans.
MVMMOLVS hæc cernens, & fido pectore credens,
Gaudens templa locat, gaudens transfert Patris ossa,
Seruos qui proprios tueatur Principe Christo,
Ac post hanc vitam concedat habere perennem. Amen.

EXPLICIT HISTORIA FRANCORVM AIMOINI MONACHI FLORIACENSIS.

CHRONICON BREVE,

A Mundi exordio vſque ad annum CHRISTI DCCCX.

Ex vetuſto Codice MS. Bedæ de Ratione Temporum, qui fuit Eccleſiæ ſeu Monaſterij Sancti Dionyſij in Francia.

ÆTAS PRIMA.

ADAM cùm eſſet CXXX. annorum genuit Seth. Seth autem habens annos CV. genuit Enos viuente Adam, & habente annos CCXXXV. Enos quippe habens annos XC. genuit Cainam viuente Adam, & habente annos CCCXXV. Cainam verò habens annos LXX. genuit Malaleel viuente Adam, & habente annos CCCXCV. Malaleel habens annos LXV. genuit Iared viuente Adam, & habente annos CCCCLX. Iared
B autem habens annos CLXII. genuit Enoch viuente Adam, & habente annos DCXXII. Enoch verò habens annos LXV. genuit Matuſala viuente Adam & habente annos DCLXXXVII. Et Mathuſalem habens annos CLXXXVII. genuit Lamech viuente Adam, & habente annos DCCCLXXIV. Lamech enim habens annos CLXXII. genuit Noë. Noë habens annos D. genuit Sem. Sem autem habens annos C. diluuium factum eſt. Et hîc perficitur numerus annorum milleſimus DCLXVI.

ÆTAS SECVNDA.

ANNO ſecundo poſt diluuium Sem annorum CII. genuit Arfaxat. Arfaxat habens annos XXXV. genuit Sale. Sale autem habens annos XXX. genuit Eber. Eber habens annos XXXIV. genuit Falech. Falech habens annos XXX. genuit Reu. Reu habens annos XXXII. genuit Seruch. Seruch habens annos XXX. genuit Nachor. Nachor habens annos XXIX. genuit Thara. Thara habens annos LXX. genuit Abraham. Hîc finitur numerus ſecundæ ætatis habens annos CCXCII. & fiunt ſimul anni duarum ætatum mille DCCCCXLVIII.

ÆTAS TERTIA.

ABRAHAM cùm eſſet C. annorum genuit Iſaac. Iſaac habens annos LX. ge-
C nuit Iacob. Iacob habens annos XC. genuit Ioſeph qui vixit annos CX. Fuerunt ab eo vſque ad egreſſionem filiorum Iſraël ex Ægypto per Moſem ducem anni CLXV. Et ab egreſſione Iſraël vſque ad Ioſue anni XL. A Ioſue ergo vſque ad Othonielem fiunt anni XXVI. Et ab Othoniele vſque ad Aoth anni XL. Ab Aoth verò vſque ad Debbora fiunt anni LXXX. Et à Debbora vſque ad Gedeonem fiunt anni XL. Et à Gedeone vſque ad Abimelech anni XL. Ab Abimelech autem vſque ad Tola fiunt anni III. A Tola quippe vſque Iair ſunt anni XXIII. A Iair verò vſque ad Iephte ſunt anni XXII. Et de Iephte vſque ad Ebeſan fiunt anni VI. De Ebeſa autem vſque ad Achialonem ſunt anni VII. Ab Achialone vſque ad Labdonem fiunt anni X. A Labdone verò vſque ad Samſonem fiunt anni VIII. Et à Samſone vſque ad Heli anni XX. Ab Heli enim vſque ad Samuelem ſunt anni XL. Et à Samuele vſque ad Saulem ſunt anni XII. A Saule ergo vſque ad Dauid ſunt anni XX. Hîc perficitur numerus tertiæ ætatis annorum DCCCCXLII. & ſunt ſimul anni trium ætatum duo millia DCCCXC.

ÆTAS QVARTA.

A DAVID vſque ad Salomonem ſunt anni XL. A Salomone autem vſque ad Roboam computantur anni XL. Et à Roboam vſque ad Abiam ſunt anni XXII.

Ab Abia vſque ad Aſa ſunt anni III. Et ab Aſa vſque ad Ioſaphat anni XLI. A Ioſaphat autem vſque ad Ioram ſunt anni XXV. De Ioram vſque ad Azariam ſunt anni VIII. Et ab Azaria vſque ad Athaliam fit annus I. Ab Athalia enim vſque ad Ioam ſunt anni VI. A Ioa verò vſque ad Amaſiam ſunt anni XL. Et ab Amaſia vſque ad Oziam ſunt anni XXIX. Ab Ozia enim vſque ad Ioatham fiunt anni LII. De Ioatha autem vſque ad Achat ſunt anni XVI. Et ab Achat vſque ad Ezechiam ſunt anni XVI. Ab Ezechia ergo vſque ad Manaſſem fiunt anni XXIX. A Manaſſe verò vſque ad Amon ſunt anni LV. Et ab Amon vſque ad Ioſiam fiunt anni II. Et de Ioſia vſque ad Ioachim ſunt anni XXXI. A Ioachim vſque ad Zeſechiam ſunt anni XI. De Zeſechia vſque ad Nabuchodonoſor anni XI. Hîc finitur numerus quartæ Ætatis continens annos CCCCLXXXIII. & anni quatuor Ætatum fiunt III. M. CCCLXIII. A

ÆTAS QVINTA.

SVNT anni quintæ Ætatis vſque ad Cyrum XXX. A Cyro vſque ad Cambiſem ſunt anni XXX. A Cambiſe vſque ad Darium anni IX. A Dario vſque ad Xerſem anni XXXV. A Xerſe vſque ad Artarxerſem ſunt anni XXI. Et de Artarxerſe vſque ad Darium ſunt anni XL. A Dario vſq; ad item Artaxerſem ſunt anni XVIII. Ab Artaxerſe autem vſque ad item Artaxerſem fiunt anni XL. Et ab Artaxerſe vſque ad Arſen anni XXVI. Ab Arſe verò ad Darium fiunt anni IV. A Dario autem vſque ad Alexandrum ſunt anni VI. Ab Alexandro enim vſque ad Tholomæum ſunt anni V. Et de Tholomæo vſque ad Philadelphum fiunt anni XL. A Philadelpho vſque ad Euergetem fiunt anni XXXVIII. Ab Euergete autem vſque ad Philopatorem fiunt anni XXVI. A Philopatore enim vſq; ad Epiphanem ſunt anni XVII. Et de Epiphane vſque ad Philometorem anni XXIV. A Philometore enim vſque ad item Euergetem anni XXXV. Et ab Euergete vſque ad Soterem ſunt anni XXIX. A Sotere vſque ad Alexandrum anni XVII. Ab Alexandro verò vſque ad Tholomæum fiunt anni X. A Tholomæo vſque ad Dionyſium anni VIII. A Dionyſio verò vſque ad Cleopatram ſunt anni XXX. A Cleopatra vſque ad Iulium Cæſarem anni II. A Iulio vſque ad Octauianum Auguſtum ſunt anni V. Ab Octauiano vſque ad Chriſtum fiunt anni XLII. Hîc finitur quinta Ætas annos habens DLXXX. & fiunt ſimul anni quinque Ætatum IIII. M. DCCCCLII. B

ÆTAS SEXTA.

A NATIVITATE Domini noſtri IESV CHRISTI vſque ad Tiberium numerantur anni XIV. A Tiberio verò vſq; ad Paſſionem Chriſti ſunt anni XIX. Et à Chriſti Paſſione vſque ad Gaium fiunt anni V. A Gaio vſque ad Claudium anni IV. Et à Claudio vſque ad Neronem fiunt anni XIV. A Nerone verò vſq; ad Veſpaſianum ſunt anni XIV. Et de Veſpaſiano vſque ad Titum anni XIV. A Tito verò vſque ad Domitianum anni duo. Et à Domitiano vſque ad Neruam anni XVI. A Nerua vſq; ad Traianum fit annus I. A Traiano quidem vſque ad Adrianum anni XIIII. Ab Adriano vſque ad Antoninum fiunt anni XXI. Et ab Antonino vſq; ad item Antoninum anni XXIII. Ab Antonino autem vſque ad Commodum fiunt anni XIX. A Commodo enim vſque ad Heluium Pertinacem anni XIII. Et de Heluio vſq; ad Seuerum fit annus I. A Seuero vſque ad Antoninum Caracallam ſunt anni XVIII. Ab Antonino Caracalla vſque ad Macrinum anni VII. A Macrino verò vſque ad Aurelium fit annus I. Et de Aurelio vſq; ad Alexandrum anni IV. Ab Alexandro vſq; ad Maximinum fiunt anni XIII. A Maximino quoque vſq; ad Gordianum anni III. A Gordiano vſq; ad Philippum anni VII. Et à Philippo vſq; ad Decium anni VII. A Decio vſq; ad Valerianum anni III. A Valeriano vſq; ad Claudium anni XV. A Claudio enim vſq; ad Aurelianum anni II. Ab Aureliano vſque ad Probum fiunt anni VI. A Probo vſq; ad Carum anni V. Et à Caro vſque ad Diocletianum anni II. A Diocletiano verò vſq; ad Conſtantinum fiunt anni XX. De Conſtantino vſq; ad Conſtantium anni XXI. A Conſtantio vſq; ad Iulianum anni XXIV. Et à Iuliano vſq; ad Iouianum anni II. A Iouiano ergo vſq; ad Valentinianum fit annus I. De Valentiniano vſq; ad Valentem anni XI. Et de Valente vſque ad Theodoſium anni IV. A Theodoſio verò vſq; ad Archadium anni XXVII. Ab Archadio vſq; ad Honorium anni XIII. Ab Honorio vſque ad Theodoſium anni XV. A Theodoſio C

A vsque ad Martianum anni xxvi. Et à Martiano vsq; ad Leonem anni vi. A Leone verò vsque ad item Leonem anni xvii. Item à Leone vsq; ad Zeonem fit annus i. Et de Zeone vsq; ad Anastasium fiunt anni xvi. Ab Anastasio verò vsq; ad Iustinum sunt anni xxvii. Et à Iustino vsque ad Iustinianum anni ix. Item à Iustiniano vsque ad Iustinum sunt anni xxxix. Item à Iustino vsq; ad Tiberium anni xiii. A Tiberio vsq; ad Mauricium fiunt anni iv. A Mauricio vsq; ad Focam sunt anni xx. A Foca vsq; ad Heracleum anni viii. Ab Heracleo vsq; ad Constantinum sunt anni xxx. A Constantino patre vsque ad Constantinum filium vnus fit annus. Item à Constantino vsque ad Constantinum sunt anni xxvii. Et à Constantino vsque ad Iustinianum anni xvii. A Iustiniano vsq; ad PIPPINVM Seniorem sunt anni ii. A Pippino Seniore vsq; ad CARLVM anni xxvii. A Carlo vsque ad PIPPINVM, & ad CARLOMANNVM anni xxvii. Et à Pippino & Carlomanno vsque dum Pippinus Rex constitutus est, fiunt anni x. A Pippino verò vsque ad CARLVM & CARLOMANNVM anni xvii. Et à Carlo & Carlomanno vsque ad CARLVM fiunt anni iv. Et indè domnus Carlus solus Regnum suscepit, & Deo protegente gubernat vsque in præsentem annum feliciter, qui est annus regni eius xlii. Imperij autem ix. Sunt autem totius summæ ab origine mundi anni vsque in præsentem annum iv. m. dcclxi.

DCXCI. Bellum PIPPINO in Testricio, vbi superauit Francos.

B DCCII. Obitus HILDEBERTI Regis.

DCCVIII. Quando DROCO mortuus fuit in vernale tempore.

DCCIX. Quando PIPPINVS perrexit in Suauis contra Vilario.

DCCX. Iterum Pippinus in Suauis contra Vilario.

DCCXI. Quando VValericus duxit exercitũ Francorũ in Suauis contra Vilario.

DCCXII. Quidam Episcopus duxit exercitum Francorum in Suauis contra Vilario.

DCCXIII. De post sub Doberto Episcopo in mense Martio.

DCCXIV. De post Grimoaldo in mense Aprili, & de post Pippino in mense Decembrio.

DCCXV. Quando Saxones vastauerunt terram Chatuariorum.

DCCXVI. Quando Radbodus venit in Colonia mense Martio.

DCCXVII. Bellum fuit inter KAROLVM & Ragenfredem in Vinciaco mense Martio, media Quadragesima, die Dominica.

DCCXVIII. KAROLVS primùm fuit in Saxonia.

DCCXIX. Radbodus obiit.

DCCXX. Karlus bellum habuit contra Saxones.

DCCXXI.

DCCXXII.

DCCXXIII.

C DCCXXIV.

DCCXXV. Karlus primùm fuit in Baioaria.

DCCXXVI.

DCCXXVII.

DCCXXVIII. Iterum Karlus fuit in Baioaria.

DCCXXIX.

DCCXXX. Karlus perrexit ad Suauos contra Lantfredum.

DCCXXXI. Karlus fuit in VVasconia contra Eodonem.

DCCXXXII. Karlus bellum habuit contra Saracinos in mense Octobri.

DCCXXXIII. Karlus cum exercitu venit in VVistragon.

DCCXXXIV. Iterum Karlus venit cum exercitu in VVistragon.

DCCXXXV. Karlus cum exercitu fuit in VVasconia.

DCCXXXVI. Karlus dimicauit contra filios Eodone.

DCCXXXVII. Karlus bellum habuit contra Saracinos.

DCCXXXVIII.

DCCXXXIX.

DCCXL.

DCCXLI. Karlus Dux Francorum mortuus est Idib. Octobris.

DCCXLII. KARLOMANNVS duxit exercitum contra Chunaldum.

DCCXLIII. Karlomannus bellum iniit contra Baioarios. A
DCCXLIV.
DCCXLV.
DCCXLVI.
DCCXLVII. Karlomannus perrexit ad Romam.
DCCXLVIII.
DCCXLIX. GRIPPO fuit in exilio.
DCCL.
DCCLI. PIPPINVS in Regem vnctus est apud Suessiones.
DCCLII.
DCCLIII. Hildegarius occisus est in Saxonia.
DCCLIV. STEPHANVS Papa venit in Franciam.
DCCLV. Pippinus Rex cum Francis in Italiam perrexit. Longobardos superauit. Carlomannus obiit.
DCCLVI.
DCCLVII. Franci obsederunt Papeia.
DCCLVIII. Pippinus fuit in Saxonia.
DCCLIX.
DCCLX. Pippinus Rex conflictum habuit contra VVaifario.
DCCLXI. Pippinus fuit in VVasconia cum Karolo, & Claremonte igne cremauit. B
DCCLXII. Iterum Pippinus pergens in VVasconia cum KAROLO & CARLOMANNO superauit VVascones.
DCCLXIII. Pippinus placitum habuit in VVarmacia. Tunc fuit ille gelus pessimus, & cœpit XIX Cal. Ianuarij, & permansit vsque in XVII. Cal. Aprilis.
DCCLXIV.
DCCLXV. Pippinus placitum habuit ad Atiniacum.
DCCLXVI. Pippinus fuit in VVasconia, & fecit Argentum.
DCCLXVII. Iterum Pippinus fuit in VVasconia in mense Martio, & iterum in mense Augusto.
DCCLXVIII. VVaifarius interfectus est IV. Non. Iunij, & Rex Pippinus defunctus est in VIII. Cal. Octobr. & KARLVS & KARLOMANNVS ad Reges vncti sunt VII. Id. Octobris.
DCCLXIX. KAROLVS Rex prima vice fuit in VVasconia vltra Garonna.
DCCLXX.
DCCLXXI.
DCCLXXII. KARLOMANNVS obiit in Salmunciaco prid. Non. Decembris.
DCCLXXIII. Karlus Rex bellum habuit contra Saxones in Heresburgo.
DCCLXXIV. Karlus Rex fuit in Italia, & bellum habuit contra Longobardos.
DCCLXXV. Iterum Karlus fuit in Italia, & capto Desiderio, & vxore eius, & filia, adduxit secum in Francia. C
DCCLXXVI. Iterum Karolus fuit in Saxonia, & ibi bellum habuit, & Sigeburgo cepit.
DCCLXXVII. Iterum Karolus fuit in Saxonia, & subiugati Saxones, dederuntque hospites, vt fierent Christiani, & Carlus fecit castellum super fluuium Lyppia.
DCCLXXVIII. Karlus placitum habuit ad Patres-Brun.
DCCLXXIX. Carlus Rex fuit in Hispania ad Cæsar-Augusta.
DCCLXXX. Carlus Rex diuisit sua Regna inter filios suos, & perrexit ad Romam.
DCCLXXXI.
DCCLXXXII. Saxones rebellantes plurimos Francos interfecerunt, & Karlus congregatos Saxones iussit eos decollare, & hoc anno Gislebertus Episcopus obiit X. Kal. Iun.
DCCLXXXIII. HILDEGARDIS Regina obiit prid. Cal. Maij, & BERTRADA Regina III. Idus Iulij in Cauciaco defuncta est, mater Caroli.
DCCLXXXIV. Carlus tribus vicibus regressus est in Saxonia, & ibidem commoratus.
DCCLXXXV. Carlus adquisiuit Saxonia, & VVidichinus conuertitur.
DCCLXXXVI. Carlus violauit Toringos pro eorum culpis.

A DCCLXXXVII. Carlus perrexit ad Romam, & ista signa apparuerunt super homines.

DCCLXXXVIII. Carlus capto Tassilone subiugauit Baioarios.

DCCLXXXIX. CARLVS bellauit contra VVulzis in VVenedonia, & CARLVS filius eius Regnum accepit vltra Segona, & ille gelus fuit pessimus alius.

DCCXC.

DCCXCI. Carlus Rex primùm fuit in Chunia.

DCCXCII. Saxones interfecerunt Francos super fluuio Alpia prope mare prid. Non. Iul. feria VI.

DCCXCIII.

DCCXCIV.

DCCXCV.

DCCXCVI. Carlus Rex filium suum PIPPINVM transmisit in Chunia, & ipsi eum receperunt cum pace, & thesauros multos accepit, & in Francia adduxit.

DCCXCVII. Carlus Rex ad Aquis Palatium Concilium habuit cum Episcopis, Abbatibus, Monachis, de Cœnobium Sancti Pauli, qualiter constituere deberet. Et in ipso anno perrexit in Saxonia, & ibidem hiemauit.

DCCXCVIII. Carlus in Saxonia hiemauit, & tota æstate ibidem fuit, & hospites capitaneos mille DC. indè adduxit, & per Franciam diuisit.

B DCCXCIX. Romani per inuidiam condemnauerunt Papam LEONEM, & ipse Leo venit ad Carolum in Franciam, & ipse restituit eum in sede sua.

DCCC. Carlus Rex fuit ad mare vt piscaret, & LEVTGARDIS Regina obiit, & ille perrexit ad Romam, & pacificauit Romanos & Papam Leonem, & Leo benedixit eum ad Imperatorem.

DCCCI. Carlus Imperator à Roma rediens ad Aquis Palatium reuertitur, & in ipso anno Saracini exierunt foras, & à Francis interfecti sunt.

DCCCII. Carlus Imp. ad Aquis Palatium Concilium habuit, vt ei omnes generaliter fidelitatem iurarent, Monachi, Canonici. ita & fecerunt.

DCCCIII.

DCCCIV. Carlus Imp. cum liberis suis & Francis Saxonia ingressus est, & aliquos iussit interficere, & aliquos per totum suum Regnum dispergere, & Leo Papa iterum venit in Francia.

DCCCV. Carlus Imp. transmisit filium sum KAROLVM cum exercitu in VVenedonia.

DCCCVI. Carlus Imp. diuisit Regnum suum inter filios suos.

DCCCVII. Karolus Imp. placitum habuit ad Confflem cum Francis, & illi dederunt dona sua, & reuersi sunt ad propria.

DCCCVIII. Godefredus Rex Normanorum cum exercitu venit in VVenedonia, & Carolus Imp. transmisit filium suum Carolum contra eum, vt resisteret ei, & ille reuersus est in terram.

C DCCCIX. Hoc anno fuit inundatio aquarum talis, qualis antea nunquam fuit in terra ista visa, & fuit V. Kal. Ianuar. altissima. Et in hoc anno fuit eleuatum Sepulchrum sancti Amandi Episcopi XII. Kal. Octobr. & restitutum in locum suum X. Kal. Nouembr.

DCCCX. Carolus Imp. cum exercitu Francorum perrexit in Saxonia, & ibi placitum habuit in Fereda, & ibi VVenedi venerunt, & dedit illis Regem.

A

EXCERPTA CHRONICI VETERIS,

AB INITIO REGNI FRANCORVM vſque ad annum CHRISTI DCCCXIX.

Ex membraneo Codice Moiſſiacenſis Cœnobij, quem Franc. Boſquetus Prætor Narbonenſis exſcripſit.

Codicis huius titulus eſt, LIBER CHRONICORVM BEDANI PRESBYTERI, non quòd BEDANVS nomen ſit proprium Auctoris, ſed quia ipſe Auctor multa ex Libro Bedæ Preſbyteri de ſex Mundi Ætatibus deſumpſit. Quæ tamen hîc conſultò omiſſa ſunt, velut ad Francorum Hiſtoriam minimè ſpectantia.

B

HONORIVS *Auguſtus cum* THEODOSIO *minore fratris ſui filio annis* XV.

FRANCI verò, quorum originem beatus Hieronymus meminit, qualiter à Troia vſque ad Rhenum perueniſſent cum Rege ſuo FRANCIONE. Quo mortuo, Duces ex ſe conſtituerunt, nec procul à Rheno ciuitatem ad inſtar Troiæ ædificare conati ſunt, quam Sicambriam appellarunt. Cœptum quidem, ſed imperfectum opus remanſit. ibique manſerunt annis multis vſque ad Valentinianum Imperatorem. Quo regnante, Gens Alanorum atrociſſima rebellauit. Imperator Valentinianus, commoto magno exercitu Romanorum, direxit aciem contra eos, & ſuperauit eos. Illi autem ſuper fluuium Danubij fugerunt, & intrauerunt in Meotis paludes. Tunc ait Imperator: » Si quis potuerit introire paludes iſtas, & in- » dè eiicere Gentem hanc Alanorum, concedam eis tributa annis decem. Tunc Franci feroces aduerſo per ignota latibula ingreſſi in Meotides paludes, cum reliquo exercitu Romanorum, eiecerunt indè Alanos. Igitur tranſactis decem annis, miſit Imperator exactores vnà cum PRIMARIO Duce, vt reciperent præterita » tributa de populo Francorum. Illi quoque conſilio accepto dixerunt: Imperator » cum exercito Romanorum non potuit eiicere Alanos de latibula paludarum. Nos » autem, qui eos deuicimus, cur ſoluemus tributa Romanis? Conſurgamus contra » Primarium hunc, vel exactores iſtos, & non demus tributa, & erimus iugiter libe- » ri. Tum inſidiantes interfecerunt eos. Hæc audiens Imperator, irâ commotus exercitum mouet contra Francos. Fuitque ibi magna ſtrages de vtrumque populum. Videntes Franci tantum exercitum ſuſtinere non poſſe, fugerunt. Atque egreſſi è Sicambria, venerunt in extremis partibus Rheni fluminis in Germaniarum oppidis, illícque habitauerunt cum Principibus ſuis MARCOMIRE & SVNNONE. Interea ante biennium Romæ irruptionis excitatæ per Stiliconem, Caſtinus Domeſticorum Comes expeditionem cepit contra Francos, eóſque protegit. Rhenum tranſeunt, Gallias inuadunt, Pyreneum vſque perueniunt.

C

POST captam Romam, & mortem Alarici, Regnum Gothorum bifaria diuiſione partitur. & qui in Italia conſederunt, ditioni Imperij Romani ſe tradunt. Reliqui Aquitaniâ Prouinciâ ciuitatem Toloſam ſedem Regni ſui eligunt, in qua regnauit Aaulphus.

ANNO XVI. Honorij Imperatoris, VVandali Galatiam occupant, & Sueui in extremitate ſuccedunt. Alani Luſitaniam & Carthaginenſem Prouincias, VVandali cognomento Silingi Beticam ſortiuntur.

ANNO ab vrbe condita MCLXVIII. Conſtancius Comes Gothos à Narbona expulit, & in Spania ire coëgit, intercluſo omni commercio Ataulpho re-

A gnante, qui Aaulpho successerat. Qui exhortante Placidia vxore sua sorore Honorij, pacem cum Romanis facere peroptabat. Qui ob hoc dolo suorum Barcinonam occisus est. Cui successit Segericus, qui cum ad pacem & hic pronus esset, à suis interfectus est. Huic Valia in loco successit, ob hoc à Gothis electus vt pacem infrangeret, ad hoc ordinatus à Deo vt pacem firmaret: territus iudicio Dei ad hoc maximè, quòd superiori anno Gothi cum classe instructa armis in Africam transire moliuntur, in XII. millia passuum Gaditani freti demersi sunt. Pacem cum Honorio datis obsidibus pepigit. Placidiam Honorij sororem honorificè habitam reddidit. Romana securitate periculum suum obtulit, vt aduersus Gentes quæ per Spanias consederant pugnaret, & Romanis vinceret. Alani quoque, VVandali, Sueui mandauerunt Honorio: Tu cum omnibus pacem habe, obsides accipe, nos nobis confligimus.

CONSTANTINVS Comes Placidiam duxit vxorem. Fredobadum Regem VVandalorum sine vllo certamine ingeniosè captum ad Honorium destinat.

ANNO XXVII. Imperij Honorij VVandali per Beticam à Valia Rege Gothorum plurimi sunt extincti. Alani adeò cæsi à Gothis fortiter vallati, Addaser Regem ipsorum *. Pauci qui superfuerant obliti Regni nominis, Gunderico Rege VVandalorum se patrocinio subiugauerunt.

VALIA Rege Gothorum defuncto, Theudericus succedit in Regnum.

B

THEODOSIVS *Iunior Arcadij filius annis* XXVII.

FRANCI multis temporibus cum Ducibus suis externas dominationes negantes transegisse comperimus, vsque ad Marcomire, Sunnone, & Genobaudum, Ducibus eorum. Cum quibus temporibus Theodosij Imperatoris in Germania prorumpentes, pagos depopulantes, etiam Coloniæ metum incusserant. Quod cùm Treueris perlatum fuisset, Nannius & Quintinus Magistri militum collectum exercitum, Francos de Germania eiecerunt. Apud Carbonariam de Francis strages fuit. Defuncto itaque Sunnone in eodem prælio, accepto consilio in mo.... Primates eorum vt vnum haberent Principem, petierunt consilium ipsi Marcomiro, vt Regem vnum haberent, sicut & ceteras Gentes. Ille dedit eis consilium, vt eligerent FARAMVNDVM filium ipsius Marcomiri, & leuarent eum in Regem super se ex genere PRIAMI crinitum. Tunc & Legem habere cœperunt, quam Consiliarij eorum priores his nominibus VVindogast, Visogast, Arogast, Soligast, in villabus Germaniæ Idsleo, Iubothagin, & VVindigagin, tractauerunt.

MORTVO quippe Faramundo, CLODIONEM filium eius crinitum in Regnum patris elegerunt. Venientésque sagaciter in finibus Toringorum in regione Germaniæ, Clodio Rex misit exploratores de Dispargo vsque ad vrbem Camaracum. Cúmque perlustrassent omnia, ipse cum multo exercitu Rhenum transiit, C multo populo Romanorum prostrato fugauit. Carbonariam siluam ingressus, vrbem obtinuit, & exindè vsque ad Camaracum vrbem properauit. Ibique interfecto multo populo Romano vrbem capit. pauco tempore repedit, & exindè vsque in Sumam fluuium occupauit.

CLODIONE Rege defuncto (regnauit autem annis XX.) MEROVEVS in Regno sublimatus est, à quo Reges Francorum MEROVINGI vocantur.

MARTIANVS & VALENTINIANVS *annis* VII.

ANNO tertio Martiani AVITVS Gallus ab exercitu Gallicano primò Tholosa, dehinc apud Arelato Augustus appellatur Romanorum.

APVD FRANCOS mortuo Meroueo successit in Regnum filius eius CHILDERICVS. Treuirorum ciuitas factione vni ex Senatoribus nomine Lucio, à Francis capta est & incensa. Cùm AVITVS Imperator esset luxuriæ deditus, vi opprimens vxorem Lucij, in crastino surgens de strato Auitus dixit ad Lucium: Pulchras thermas habes, nam frigido lauas. Hæc indignato Lucio, sua factione direpta est ciuitas, & incensa à Francis. His diebus ceperunt Franci Agrippinam ciuitatem super Rhenum. Vocauerunt eam Coloniam, populo multo interfecto. EGIDIVSque exindè per fugam elapsus euasit.

LEO *annis* XVII. *alibi* XVI. A

CHILDERICVS Rex Francorum commoto exercitu vſque Aurelianis ciuitatem perrexit, terras illas vaſtans. Athouagrius Rex Saxonum cum hoſte nauale Andegauis ciuitate venit. magna tunc cæde populi vallauit. Athouagrius itaque de Andegauis vel aliis ciuitatibus obſides accepit. Redeunte Athouagrio, Childericus Rex cum exercitu Francorum ibidem aduenit, interfecto Paulo Comite, qui in ipſa vrbe præerat, ipſam vrbem capit.

EO tempore mortuus eſt Childericus Rex Francorum. Regnauit annis XXIV. Regnauítque CLODOVEVS filius pro eo.

ANNO ſecundo Antimij in medio Tholoſæ ciuitatis ſanguis erupit de terra, & tota die fluxit: ſignificans Gothorum dominationem ſublatam, Francorum adueniente.

APVD Toloſam regnauit Eoricus ſuper Gothos poſt Theodericum. Anno XIV. regni ſui Baſilicam ſancti Iuliani Briuate columnis ornatam mirificè conſtruxit.

ZENO *annis* XVII.

ANNO V. Clodouei Regis Francorum, ſuper SIAGRIVM Regem filium Egidij, qui Sexonias ciuitatem, quam pater eius, tenuerat, Clodoueus irruit. Siagrius B fugit ad Alaricum, qui Regnum Gothorum apud Toloſam habebat. Clodoueus verò Miſſos ſuos ad Alaricum tranſmiſit, vt redderet Siagrium. Ille verò Siagrium vinctum Legatis Clodouei tradidit. Qui cùm præſentatus fuiſſet Clodoueo, cuſtodiæ mancipauit. Regnóque eius & theſauris acceptis, eum interficere præcepit. Eo tempore multæ Eccleſiæ deprædatæ ſunt à Francis, eo quòd Pagani eſſent.

ANNO X. regni ſui Clodoueus commoto exercitu, in Toringam abiit, ipſos quoque Toringos plaga magna proſtrauit: deuictóque ipſo populo, tributarios fecit Francorum. Similiter Alamannos tributarios fecit. Hic Clodoueus primus Rex fuit Chriſtianus ex Regibus Francorum; baptizatáque de populo eius ampliùs quàm tria millia in Paſcha Domini. Poſt hæc Burgundiones tributarios fecit. Gothos ab Aquitania expulit, interfecto Alarico Rege ipſorum. Regnum ſuum maximè per totas Gallias dilatauit.

ANASTASIVS *annis* XXVIII.

CLODOVEVS Rex Francorum poſt interfectum Alaricum ab Aquitania reuertens Turonis ciuitatem, ab Anaſtaſio Imperatore Codicillos accepit, & pro Conſulatu tunica blatea indutus in Eccleſia beati Martini, & Coronam auream, ab ea die tanquam Conſul apud Auguſtum eſt appellatus.

ANNO V. poſt Alaricum interfectum moritur Clodoueus. regnauítque annis XXX. C

A tranſitu S. Martini vſque ad tranſitum Clodouei Regis fuerunt anni CXII.

QVATVOR filij Clodouei, id eſt Theudericus, Clodomirus, Childebertus, & Clotarius, Regnum eius æquo ordine inter ſe diuiſerunt. Sortitus eſt ſedem THEVDERICVS Metis, CLODOMIRVS Aurelianis, CHILDEBERTVS Pariſius, CLOTARIVS Sueſſionas.

AMALDRICVS filius Alarici regnabat ſuper Gothos. Filiam quoque Clodouei acceperat in matrimonio. qui poſtea apud Barchinonam à Childeberto & Francis occiſus eſt.

CLODOMIRVS poſt interfectum Sigiſmundum filium Gumbaldi, ipſe poſtea acceptus, capite truncatus, Regnúmque eius Clotarius accepit, interfectis filiis eius.

THEVDERICVS anno XXIV. regni ſui moritur. regnauítque THEVDEBERTVS filius eius pro eo.

IN Spanias poſt Amalricum Theoda Regnum ſuper Gothos accepit. Quo interfecto, Theodegiſilus Regnum aſſumit. Qui dum ad Ernam * lætus cœnaret, extinctis cereis à ſuis occiditur. Cui Agila ſuccedit in Regnum.

IVSTINVS

A IVSTINVS *senior annis* IX.

IVSTINIANVS *ex sorore nepos annis* XXXIV. *alibi* XXXVIII.

IN Italia post Athalaricum Theudanus Regnum ambiuit. Quo defuncto, Totilla successit in Regnum. Contra quem Iustinianus misit Narsetem Eunuchum, & Belissarium: à quibus Totilla interficitur, Regnúmque Gothorum in Italia destructum est.

POST hæc THEVDOBERTVS Rex Francorum cum exercitu in Italiam ingreditur, eámque maritimis terminis cunctam depopulatus, Narsetem Patricium fugauit. Postea Buccellinus Dux iussu Theodeberti Siciliam occupauit totam, & Italiam dominans, Agilane in Spania regnante, exercitus Imperialis Spanias ingreditur. Agila interficitur. Cui successit in Regno Athanagildus, qui ab Spania exercitum Imperij expulit.

THEODEBERTVS vexatus à febre moritur anno XIV. regni. Cui successit in Regno THEOBALDVS filius eius.

BVCCELLINVS in Italia apud Belissarium & Narsetem Patricios sæpiùs fortiter dimicans, in fugam vertit, eorúmque exercitum proterit. Tandem infirmatus à profluuio ventris exercitus suus, ea infirmitate adtritus, Belisario iam interfecto, B à Narsete superatur & interficitur.

IPSO anno Theudobaldus obiit, Regnúmque eius CLOTARIVS accepit anno ab Incarnatione Christi DXXVIII. iuxta cyclum verò Victorij anno DXXXII. 532.

CHILDEBERTVS Rex apud Parisios obiit. Cuius thesauros & Regnum assumpsit Clotarius.

CLOTARIVS Rex apud Compendij villam anno LI. regni sui vexatus à febre obiit.

ARIBERTVS, Gundranus, Chilpericus, & Sigobertus, Regnum patris diuidunt. Dedit sors ARIBERTO Regnum Childeberti, Parisius sedem habens: GVNDRANVS verò Regnum Clodomiri, sedem habens Aurelianis. CHILPERICVS Regnum Clotarij patris sui, cathedram Suessionis habens. SIGOBERTVS quoque Regnum Theodorici, sedem habens Metis.

ATHANAGILDO Rege Spaniæ defuncto, Leuuigildus Regnum eius obtinuit.

IVSTINVS *minor annis* XI.

TIBERIVS CONTANTINVS *annis* VII.

SIGOBERTVS Rex Francorum à duobus pueris dolo Chilperici Fratris interficitur anno XIV. regni sui. A transitu Theudeberti vsque ad exitum Sigoberti anni sunt XXVIII. A principio vsque ad obitum Sigoberti iuxta LXX. anni sunt V. M. DCCLXVII.

C CHILDEBERTVS filius Sigoberti in Regno patris sublimatur.

MAVRITIVS *annis* XXII.

CHILPERICVS anno XXIII. regni sui interficitur. Cúmque Gundranno fratri ipsius perlatum fuisset, eo quòd frater suus Chilpericus esset interfectus, festinans perrexit Parisius, ibique Clotarium filium Chilperici ad se venire præcepit. Quem baptizare iubet, eúmq; de sancto lauacro suscipiens, in Regno patris firmat.

ANNO XXXIII. regni Gundranni, sub die V. Kal. Aprilis, ipse Gundrannus Rex moritur. Cuius Regnum Childebertus assumpsit, qui postea in Italiam abiit. Et Longobardi se suæ ditioni commendant. Gloriosè exindè Childebertus reuertitur. Acceperat enim priùs à Mauricio Imperatore quinquaginta millia aureorum, vt Longobardos de Italia expugnaret. Sed non solùm eis non nocuit, sed amicitias cum ipsis muniuit.

ANNO III. postquam Childebertus Rex Francorum Regnum Gundranni acceperat, defunctus est. Regnúmque eius THEODEBERTVS & THEODORICVS filij eius assumunt.

ANNO XII. regni Clotarij, Theodebertus sortitus est Austriam, sedem habens Metis. Theudericus autem accepit Regnum Gundranni in Burgundia, sedem habens Aurelianis.

FOCAS *annis* VIII. A

HERACLIVS *annis* XXVI.

ANNO XVII. Theuderici Regis Francorum, qui erat XXVIII. Clotarij, Theudericus deuictum fratrem suum Theudebertum Cauillonum destinat.

ANNO XVIII. Theudericus Metis profluuio ventris moritur. Brunichildis auia eius cum filiis ipsius Theuderici Metis residens, Clotarius super eam irruens, ea capta cum filiis Theuderici, interfecti sunt. Ipsam Brunichildem per triduum diuersis pœnis affectam, iubétque eam camelo sedentem per omnem exercitum perducere. Post hæc omnia, capitis, vno pede, & brachio, ad viliosissimo equo caudâ ligare: ibíque calcibus velocitate cursus membratim disrupitur. Firmatúmque omne Regnum Francorum, sicut à Clotario fuerat dominatum, cum omnibus thesauris ditioni Clotarij Iunioris subiicitur, anno XXVIII. regni sui, quod feliciter post XVI. annos tenuit.

ANNO XXXV. regni Clotarij, Legati tres nobiles ex genere Longobardorum, Augustus, Pompeius, & Canto, à Gone Rege ad Clotarium destinati, petentes vt XII. millia solidorum, quos annis singulis Francorum ærariis dissoluebant, cassarentur. Clotarius ipsa tributa ad partem Longobardorum cassauit, & amicitiam perpetuam cum Longobardis sacramentis & pactis firmauit.

ANNO XXXVIII. regni sui Clotarius filium suum DAGOBERTVM consortem Regni fecit, eúmque super Austrasiis Regem constituit. B

ANNO XLV. regni sui Clotarius moritur, Regnúmque eius filij eius Dagobertus & Airibertus .... frater eius moritur, omnéque Regnum Dagobertus suæ ditioni redegit.

HERACLIVS Imperator, cùm esset litteris minimè eruditus, Astrologus efficitur. Per quod cernens à circumcisis Gentibus diuino nutu Imperium esse vastandum, ad Dagobertum Regem Francorum dirigens, petiit vt omnes Iudæos Regni sui ad fidem Catholicam baptizandos præciperet. Quod protinus Dagobertus adimpleuit. Heraclius per omnes prouincias Imperij sui talem idémque facere decreuit. Ignorabat vnde hæc calamitas contra Imperium surgeret.

ANNO V. Heraclij, & viri religiosissimi Gothorum Principis Sisebuti, in Spania Iudæi baptizantur.

ANNO X. regni Dagoberti, cùm ei nunciatum fuisset exercitum VVinidorum Toringa fuisse ingressum, cum exercitu de Regno Austrasiorum de Metis vrbe promouens, Mogontiam adgreditur, disponens Rhenum transire. Saxones Missos ad Dagobertum dirigunt, petentes vt eis tributa, quæ fisci ditionibus dissoluebant, indulgeret. VVinidis resistere spondent, & Fracorum limites de illis partibus custodire promittunt. Quod Dagobertus præstitit. Exindè iam Saxones tributa, quæ reddere consueuerant, per præceptionem Dagoberti habent indultum. Quingentas vaccas inferendales annis singulis à Clotario seniore censiti soluebant. C

ANNO XI. Dagoberti, SIGOBERTVM filium suum in Austria sublimauit, sedémque Metis ciuitate habere permisit.

ANNO XVI. regni sui Dagobertus profluuio ventris moritur.

HERACLIVS *cum matre sua* MARTINA *annis* XII.

CONSTANTINVS *filius Heracly mensibus* VI.

641. POST Dagoberti decessum, filius eius CLODOVEVS sub tenera ætate Regnum patris adsciuit anno ab Incarnatione Christi DCXLI. Indictione IV. Omnes Leudes de Neuster & de Burgundia anno IX. Masolago villâ eum sublimant in Regnum. Æga verò cum Regina Nantilde, quam Dagobertus reliquerat, condignè Palatium gubernat, & Regnum Francorum.

CONSTANTINVS *filius Constantini annis* XXVIII.

ANNO III. regni Clodouei Æga Cligiago villa vexatus à febre moritur. Cui succedunt, Hirchinaldus in Neustria, & Flaucatus in Burgundia. Eo anno PIPINVS Maior-domus in Palatio Sigoberti moritur. Otto, qui baiulus Sigoberti fuerat, in loco eius substituitur. Otto à Leutherio Duce Alemannorum interficitur. Gradum honoris Maiorem-domus in Palatio Sigoberti, & omne Rgnum Austra-

A siorum in manum Grimaldi filij Pipini confirmatum est vehementer. Decedente verò tempore, defuncto Sigoberto, Grimaldus Maior-domus filium Sigoberti nomine DAGOBERTVM totondit, volénsque filium suum constituere in Regnum. Franci verò valdè indignantes, Grimaldo insidias præparant, eúmque eximentes ad condemnandum Regi Francorum Clodoueo deferunt. In Parisius ciuitate in carcere retruditur, ibíque moritur.

CLODOVEVS anno XVIII. regni sui moritur, regnauítque filius eius CLOTARIVS pro eo, anno ab Incarnatione Christi DCLVIII. Indictione II. Eodem tempore defuncto Herchinoaldo Maiore-domus, Franci Hebroinum in locum eius statuunt. 658.

CONSTANTINVS Princeps Vitaliano Papa nuper ordinato, ipse post aliquantos annos, id est per Indictionem VI. veniens Romam, obtulit super altare ipsius pallium auro textilem, toto exercitu eius cum cereis Ecclesiam intrante die V. mensis Iulij. Omnia quæ erant in ære ad ornatum ciuitatis deposuit. Sed & Ecclesiam beatæ Mariæ ad Martius *, quæ de tegulis æreis, discoperuit: & in regia vrbe cum alia diuersa quæ deposuerat direxit. Egressus de ciuitate Romæ, reuersus Siciliam pro Indictione VII. habitauit in ciuitate Siracusana. Talésque afflictiones populo posuit, vt possessoribus Prouinciarum Calabriæ, Siciliæ, Africæ, & Sardiniæ, per diagrafa, seu capita, atque nauticatione per aliquos annos, quales numquam aliquando fuerant.

B

CONSTANTINVS *filius Constantini annis* XVII.

IN FRANCIA defuncto Clotario, qui regnauit annis IV. THEODORICVS & CHILDERICVS fratres eius sublimantur in Regno. Theodoricus in Francia, habens Maiorem-domus Hebroinum: Childericus verò in Austria, cum VValfardo Duce. Eo tempore Franci aduersus Hebroinum insidias parant, super Theodoricum consurgunt, eúmque à Regno deiiciunt. Crines eius incidunt, Hebroinum verò totonderunt, eúmque Luxouium Monasterio in Burgundia dirigunt. In Austria propter Childericum Legationem mittentes accommodant, & vnà cum VValfardo Duce veniens, in Regnum Francorum eleuatus est. Erat autem ipse Chilpericus leuis, omnia nimis incautè peragebat: donec inter eos odium maximum & scandalum creuit. Francos verò valdè opprimens. Ex quibus vno Franco nomine *Bodilone* ad stipitem tensum cædi valde sine lege præcepit. Hæc videntes Franci irâ commoti, Ingobertus videlicet & Amalbertus, & reliqui maiores natu Francorum seditionem contra Childericum concitantes, Bodilo cum reliquis super Regem surgens, eum interfecit, vnà cum Regina prægnante. VValfardus quoque per fugam vix euadens, in Austriam reuersus est. Franci verò Leudesium filium Hercinaldi Maiorem-domatum Palatij elegerunt. Hebroinus itaq; accepto consilio, capillos crescere sinens, congregatis in auxilium sociis hostiliter è Loxouio Cœnobio egressus, in Francia reuersus, cum magno armorum apparatu de nocte surrexit, commoto exercitu vsque Ysiram fluuium veniens, interfectis custodibus ad sanctam Maxentiam Ysiram transiens, ibi quos reperit de suis insidiatoribus occidit. Leodesius vnà cum Theodorico Rege & sociis quamplurimis, per fugam euasit. Hebroinus eos persequutus est. Bacio-villa veniens thesauros regales apprehendit. Deinde Crisiaco veniens, Regnum recepit, Leodesio data fide, sub dolo ad se venire mandauit. Quo facto, Leodesium interfecit. ipse Principatum sagaciter recepit. Sanctum Leodegarium Augustidunensem Episcopum diuersis pœnis afflictum gladio peremit. Gyrinum fratrem eius dira pœnâ damnauit. Reliqui verò Franci eorum socij per fugam vix euaserunt. Nonnulli verò in exilio retrusi, aliquanti à propriis facultatibus priuati sunt.

C

EO quoque tempore, decedente VValfardo de Austria, Pipinus & Martinus, decidentibus Regibus, dominabantur in Auster. Hi Duces in odium versi contra Hebroinum aciem dirigunt. Contra quos Theudericus & Hebroinus cum hoste occurrunt loco nuncupato Lucofao, simúlque coniuncti se inuicem cæde magna prostrauerunt. Corruitq; ibi infima turba populi. Austrasij victi, in fugam versi. Hebroinus eos cæde crudelissima insequutus, maximam partem ex illa regione vastauit. Martinus per fugam elapsus Laoduno regressus, illuc se reclusit. Pipinus verò altrinsecus euasit. Hebroinus itaque parta victoria, reuersus est. Veniens cum exer-

*Erciaco citu Creiaco * villa, ad Martinum Nuncios misit, & data sacramenta cum fiducia ad Regem Theodericum veniret, dolosè ac fallaciter super vacuas capsas seiurant. Martinus eos credens, ab Erciaco villa veniens, ibique cum sociis suis interfectus est. Hebroinus itaque Francos magis ac magis crudeliter opprimens, dum Ermenfredo Franco insidias pararet, Ermenfredus quoque per noctem clam super eum consurgens atrociter, præfatum Hebroinum interfecit. Ad Pipinum in Auster fugiens, euasit. Franci verò, consilio accepto, VVaratonem virum illustrem in loco Hebroini cum iussu Regis Maiorem Domus constituunt. Accepit ipse VVarato inter hæc obsides à prædicto Pipino, & pacem cum eo iniit. Erat autem eidem VVaratoni filius efficax, industriúsque, feroci animo, & acerbis moribus, insidiator patris sui, eúmque ab honore supplantans. erátque nomen eius Gislammaris. Cui beatus Audoënus Rotomagensis Episcopus prohibuit, ne hanc nequitiam contra patrem suum faceret. quod ille audire contempsit. Fueruntque inter ipsum Gislamarem & Pipinum bella ciuilia, & multa discordia. Qui ob iniuriam patris, & alia crudelia peccata à Deo percussus, iniquissimam exsufflauit animam, iuxta quod Audoënus prædixerat. Illóq; defuncto, Warato iterum honorem pristinum nactus est. A

In his diebus beatus Audoënus Rotomagensis Episcopus plenus dierum, ac virtutibus præclarus, Clippiaco villâ Regali in suburbana Parisiorum ciuitate migrauit ad Dominum.

Svccedente quippe curriculo temporum prædictus VVarato defunctus est. Franci in diuersa oberrantes, Bercharium Maioremdomatum statuunt. B

Ivstinianvs *Minor filius Constantini annis* x.

In illis diebus Pipinus ab Auster consurgens cum exercitu, contra Theudericum Regem Francorum & Bercharium aciem dirigit. Conuenientibus ad prœlium in loco nuncupante Textricio, illis inter se belligerantibus, Theudericus Rex & Bertcarius terga verterunt. Pipinus quoque victor extitit. Cedendum itaque tempori. Bertgarius ab adulatoribus suis occiditur. Post hæc Pipinus Theodorico Rege cœpit esse principali regimine Maior-domus. Thesauris acceptis, Nordoberto quondam de suis cum Rege relicto, ipse in Auster remeauit. Erat quippe Pipino Principi nobilissima vxor & sapiens nomine Plectrvdis. Ex ipsa genuit filios duos. Nomen maioris Drocvs, nomen minoris Grimoaldus. Drocus Ducatum Campaniæ accepit.

Eo tempore Theodericus Rex obiit, regnauítque annis xvi. Clodovevs filius eius puer Regnum suscepit, regnauítque annis duobus, postquam Childebertvs frater eius in Regno statutus est. Eo tempore Nordobertus moritur. Grimaldus filius Pipini iunior in Aula Regis Childeberti Maior-domus effectus est. Grimaldus quoque genuit filium ex concubina, Theodaldo nomine. C

Leo *annis* iii.

Eo tempore Drocus Pipini filius defunctus est. Habebátque Pipinus præfatus Princeps filium ex alia vxore nomine Alpagede, Karolvm nomine, virum elegantem, egregium, atque vtilem.

Tiberivs *annis* vii.

Heribertvs Rex Longobardorum multas Cartas, & patrimonia Alpium Cottiarum, quæ quondam pertinebant ad ius Apostolicæ Sedis, sed à Longobardis multo tempore fuerant ablata, restituit iuri eiusdem Sedis, & hanc donationem aureis scriptam litteris Romam direxit.

Ivstinianvs *secundò cum* Tiberio *filio annis* vi.

Pipinvs Princeps multa bella gessit contra gentes plurimas.

710. Anno Incarnationis Dominicæ dccx. Pipinus migrauit ad Alamanniam.

711. Anno dccxi. aquæ inundauerunt valdè. Tunc enim bonæ memoriæ gloriosus Childebertus Iustus migrauit ad Dominum anno xviii. regni sui, regnauítque Dagobertvs filius eius pro eo.

A PHILIPPICVS *anno* I. *mensibus* VI.

IPSE Constantio Papæ misit Litteras praui dogmatis, quas ille cum Apostolicæ Sedis consilio respuit, & huius rei causâ fecit picturas in porticu S. Petri, quæ Acta sex sanctarum Synodorum vniuersalium continent. Nam & huiusmodi picturas cùm haberent in vrbe Regia, Philippicus iusserat auferri. Statuitque populus Romanus vt heretici Imperatoris nomen aut Cartas ad figuram solidi susciperent. Vnde nec eius effigies in Ecclesia introducta est, nec nomen ad Missarum solemnia prolatum.

ANNO DCCXIII. Igitur Grimaldus habebat vxorem nomine Tudindam, filiam Radbodi Ducis Gentilis. Excitante quippe Pipino Principe, dum ad eum visitandum ipse Grimaldus accessisset, in Basilica S. Lamberti Martyris Leodico peremptus est à Ragngario Gentile. Theodaldus verò filius eius iubente auo in Aula Regis honore patris sublimatur. 713.

ANASTASIVS *annis* III.

ANNO DCCXIV. ab Incarnatione Domini, PIPINVS febre valida correptus obiit. Obtinuerat Principatum annis XXVII. Plectruda relicta Pipini cum nepote suo Theodaldo, vel DAGOBERTO Rege, cuncta gubernabat sub discreto regimine. 714.

B ANNO DCCXV. Franci denuò in Cottia silua contra Theodaldum & Austrasios irruunt, ac sese mutuò durissima cæde prosternunt. Theodaldus autem per fugam lapsus, ereptus est. Ipso quoque fugato, Raganfredum Maiorem Domus elegerunt. Regis Dagoberti exercito Carbonariam siluam transeuntes, vsque Mosam fluuium terram siluásque vastantes, succenderunt. Cum Rathbode Duce Gentili amicitias feriunt. KAROLVS verò filius Pipini in his diebus à Plectrude sub custodia tenebatur. sed auxiliante Domino vix euasit. 715.

EO tempore DAGOBERTVS Rex ægrotans mortuus est, anno II. regni sui. Franci verò Danielem quendam Clericum cæsarie capitis crescente, in Regem stabiliunt, atque CHILPERICVM nuncupant.

LVITBRANDVS Rex Longobardorum donationem patrimonij Alpium Cottiarum, quam Heribertus Rex fecerat, & ille repetierat, admonitione venerabilis Papæ Gregorij confirmauit.

HIS temporibus in Spania super Gothos regnabat VVitticha, qui regnauit annis VII. & menses III. Iste deditus in feminis, exemplo suo Sacerdotes ac populum luxuriosè viuere docuit, irritans furorem Domini.

SARRACENI tunc in Spania ingrediuntur. Gothi super se Rudericum Regem constituunt. Rudericus Rex cum magno exercitu Gothorum Sarracenis obuiam it in prælio. sed inito prælio Gothi debellati sunt à Sarracenis. Sícque Regnum Gothorum in Spania finitur. Et infra duos annos Sarraceni penè totam Spaniam subiiciunt.
C

SOMA* Rex Sarracenorum, nono anno postquam Spaniam ingressi sunt, Narbonam obsidet, obsessámque capit, virósque ciuitatis illius gladio perimi iussit. Mulieres verò & paruulos captiuos in Spaniam ducunt. Et in ipso anno mense tertio ad obsidendam Tolosam pergunt. Quam dum obsiderent, exiit obuiam eis EVDO Princeps Aquitaniæ cum exercitu Aquitanorum vel Francorum. & commisit cum eis prælium. Et dum præliare cœpissent, terga versus est exercitus Sarracenorum. maximáque pars ibi cecidit gladio. Ambisa Rex Sarracenorum cum ingenti exercitu post quintum annum Gallias aggreditur, Carcassonam expugnat & capit, & vsque Nemauso pace conquisiuit, & obsides eorum Barchinona transmisit. *al. Zema

ANNO ab Incarnatione Domini DCCXVI. Franci exercitum mouent vsque Mosam fluuium contra KAROLVM. Ex alia parte Frisones cum Rhabode Duce consurgunt. Karolus quoque super Frisones irruens, maximum dispendium de suo exercitu perpessus, atque per fugam dilapsus abscessit. 716.

Hoc loco in veteri Codice multa desunt folia, quæ infeliciter dilacerata fuerunt: ab anno nimirum DCCXVII. *vsque ad finem anni* DCCLXXVII.

CAROLVS MAGNVS.

* Segeran & Segebarg *, & posuit ibi custodias, & Gundelandus Abba mutauit Monasterium Laurishaim in monte, vbi sanctus Nazarius requiescit. Et in sequenti anno abiit iterum Rex KAROLVS in Italia, & recepit illa castella quæ residua erant, & Rotgault interfectus est. Et indè reuertens, ingressus est in Saxonia, & maximam partem Saxoniæ accepit: & conuersi sunt Saxones ad fidem Christi, & multi Saxonum baptizati sunt. Et in alio anno habuit Karolus Conuentum maximum Francorum, id est Magij-Campum, in Saxonia ad Partes-Brunna. & ibi Paganorum & Saxonorum multitudo baptizata est.

778. ET in anno DCCLXXVIII. congregans KAROLVS Rex exercitum magnum, ingressus est in Hispaniam, & conquisiuit ciuitatem Pampelonam. Et ibi Taurus * Saracenorum Rex venit ad eum, & tradidit ciuitates quas habuit, & dedit ei obsides fratrem suum & filium. & indè perrexit vsque ad Cæsaraugustam. Et dum in illis partibus moraretur, Saxones perfida gens mentientes fidem, egressi sunt de finibus suis. venêre vsque ad Rhenum fluuium incendendo omnia, atque vastando. Et dum reuerterentur cum præda magna peruenit nuncius ad Karolum Regem adhuc in Hispania degentem. Quo audito, festinè reuersus est in Franciam. Franci verò conglobati in vnum, persecuti sunt Saxones vsque ad fluuium, cui nomen est Calerna. Quod cùm comperissent Saxones, conuersi sunt ad eos in prælio. & ceciderunt ex parte Saxonum plurimi. ceteri verò fugerunt, & acceperunt Franci spolia eorum. Et non post multos annos Gondolandus Abba obiit. In Italia, in Taruisio ciuitate, & in reliquis ciuitatibus in propinquo factus est terræmotus magnus, ita vt multa ædificia, seu etiam Ecclesiæ, corruerent. & plurimi homines de ipso terræmotu mortui sunt, ita vt in vna villa XLVIII. simul in vna nocte perierint. B

* al. Ibitaurus seu Abitaurus.

779. ET in alio anno perrexit iterum Karolus Rex in Saxonia, & venit vsque ad fluuium Visara. & Saxones pacificati de trans flumen obsides dederunt. In Francia verò fames magna & mortalitas facta est, & Rex sedit in VVarmatia. Et in sequenti anno congregans exercitum magnum, ingressus est iterum in Saxonia. &

780. peruenit vsque ad fluuium magnum Herlba, & Saxones tradiderunt se illi omnes. & accepit obsides tam ingenuos, quàm etlidos. Et diuisit ipsam patriam inter Episcopos, Presbyteros, & Abbates; vt in ea habitarent, & prædicarent. Necnon & VVinidorum, seu & Fresonum paganorum magna multitudo baptizata est. Indè reuertens abiit in Italia, & dereliquit filios suos in VVormatia, PIPINVM, & KAROLVM.

781. ANNO DCCLXXXI. abiit Rex KAROLVS ad Romam, & baptizatus est ibi filius eius, qui vocabatur CARLOMANNVS. quem Adrianus Papa mutato nomine vocat PIPINVM, & vnxit in Regem super Italiam, & fratrem eius LVDOVICVM super Aquitaniam. Et ibi desponsata est ROTRVD filia Regis Constantino Imperatori. Et reuersus est Rex in Francia, & conloquium habuit cum Tassilone. Et magnum Francorum Conuentum, id est Magij-Campum, apud VVormatiam habuit ciuitatem. C

782. ANNO DCCLXXXII. habuit KAROLVS Rex Conuentum magnum exercitus sui in Saxonia, ad Lippebrunem. Et constituit super eam Comites ex nobilissimo Saxonum genere. Et cùm eos cognouisset à fide dilapsos, & ad rebellandum esse adunatos, & quòd nulli suorum in hac seditione interiissent, rursum abiit in Saxoniam, & vastauit eam, & ingentem Saxonum turbam atroci confodit gladio.

783. ANNO DCCLXXXIII. obiit ILDEGARDA Regina pridie Kalend. Maij. BERTA obiit VI. Idus Iunij. Et postea perrexit KAROLVS in Saxonia cum exercitu magno. & rebellantibus illis, commissum est bellum. & ceciderunt ex parte Saxonum multa millia. Et iterum bellum commissum est, & pugnauerunt Franci contrà Saxones. & ceciderunt de gente Saxonum etiam multa millia, plurima quàm antea. Et victor reuersus est Karolus in Francia, & sociauit sibi in coniugio FASTRADAM, atque eam Reginam constituit. Et in ipso anno fuit æstas

A tam vehemens, vt plurimi homines de ipso calore expirarent. Et in sequenti anno Karolus Rex perrexit in Saxoniam per duas vices. Et Olimriccus* Abbas, sed & Fulradus Abbas, & Albricus Episcopus, obierunt. necnon & inundatio aquarum valida fuit.

CAROLVS MAGNVS. * Helmericus in al. Annal. qua extant Tom. II. p. 22.

ANNO DCCLXXXV. KAROLVS Rex demoratus est in Saxonia ad Hensburg, de Natale Domini vsque in mense Iunio. & ædificauit ipsum anno, sed & Basilicam ipsam construxit, placitúmque habuit ad Partes-Brunna cum Francis & Saxonibus. Et tum demum perrexit trans fluuium Guisan, & peruenit vsque in Barduic. Cúmque Christiani se illi dedissent, Christianitatem, quam pridem respuerant, iterum recipiunt. nullóque rebellante, postea Rex rediit domum suam. Guiduchint tot malorum auctor, ac perfidiæ incentor, venit cum sociis suis ad Attinaco Palatio, & ibidem baptizatus est. & Rex suscepit eum à fonte, ac donis magnificis honorauit. Eodem anno Gerundenses homines Gerundam ciuitatem Karolo Regi tradiderunt. A transitu Papæ Gregorij vsque ad præsentem, sunt anni CLXXX. 785.

ANNO DCCLXXXVI. rebellare conati sunt quidam Comites, nonnulli etiam nobilium, in partibus Austriæ: ac coniurantes Comitum coëgerunt quos poterant, vt contra Regem insurgerent. quod factum multos exterruit. Cúmque perspicerent, quòd opus nefandum adimplere non possent, neque oportunum tempus adesset, exterriti latebras vndique quæsierunt. Quo comperto, Rex iussit eos ad se venire. Procedente tempore mense Aprili in VVormatia Synodum Episcoporum, ac Conuentum magnificum coïre fecit, vbi decreuit quòd hi, qui potissimum in hac coniuratione deuicti sunt, honore simul ac luminibus priuarentur: eos autem, qui innoxij in hac coniuratione seducti sunt, clementer absoluit. Indè perrexit Romam, & indè ad Monasterium sancti Benedicti, & indè perrexit Capuam: & indè reuersus est, & peruenit ad sanctum Petrum Apostolum, & ibi celebrauit Pascha. Et postea reuersus est in Francia cum magno gaudio, & adduxit secum obsidem filium Aragij. Eo anno mense Decembri apparuerunt acies terribiles in cœlo, quales antea nostris temporibus numquam apparuerunt. Necnon & signa crucis apparuerunt in vestimentis hominum, & nonnulli sanguinem dixerunt se videre pluere. Vnde pauor ingens & metus in populo irruit, ac mortalitas magna postea sequuta est. & IVLIVS Archiepiscopus obiit. 786.

B

ANNO DCCLXXXVII. eclypsis Solis facta est horâ secunda VII. Kalend. Octobris, die Dominico. Et in eodem anno KAROLVS Rex venit per Alemanniam vsque ad terminos Pannoniorum, & cum exercitu intrauit in ipsam patriam. Et venit ei Tassilo obuiam pacificè, & dedit ei obsidem filium suum Theodonem. Et sic reuersus est Rex ad VVarmatiam. Et beatus VVulradus ordinatus est Episcopus in Idibus Iulij super VVimoda, & super Kiusleri, & Asterga, & Cara, vel Sordedi, & VVangia. & ibi docuit verbum Dei, & baptisauit eos in primis. Et in alio 787. 788.

C anno sic venit Tassilo ad Karolum Regem ad Ingelinnain*. Et factum est Conuentum Francorum, ceterarúmque Nationum, quæ sub dominatione eius erant. Et recordantes Franci de pessimis consiliis & machinationibus, quas ipse Tassilo & coniux illius, cum omnibus Gentibus quæ in circuitu Francorum erant, tam Christiani quàm Pagani, faciebant contra Francos. sed & Consiliarij Tassilonis, & Legatarij ipsius in præsenti adfuerunt, & coram eo ipsum consilium dicebant. & ille nullatenus potuit denegare. Tunc iudicauerunt eum morte dignum. Rex autem misericordiâ motus noluit eum occidere, sed cum ipsius petitione Clericum eum fecit, & retrusit in Monasterio. Et perrexit Rex in Bagoaria ad Ragansburg, & ibi venerunt Baguarij, & dati sunt ei obsides. & ordinata ipsa patriâ, reuersus est in Franciam. Et in sequenti anno Karolus Rex per Saxoniam peruenit vsque ad Sclauos, qui dicuntur VVlsi. Et venerunt Reges Terræ illius cum Rege eorum Tranquito ei obuiam. & petita pace, tradiderunt terras illas vniuersas sub dominatione eius, & se ipsi traditi sunt. Rex reuersus est in Franciam. Obiit beatæ memoriæ VVulradus Episcopus, & doctor verbi Domini VI. Idus Nouembris, in Aquilonicis partibus Saxoniæ. Tres Patricij ex Constantinopoli cum classe nauium venerunt in Italiam, vt eam ad ditionem Græcorum reuocarent. Quos Longobardi cum Missis Karoli Regis debellati sunt. Et in alio anno habuit Rex Conuentum in VVormatia, non tamen Magij Campum. Et ipso anno transiit sine hoste. 789. 790.

* al. Ingelenhaim, & Ingelhaim.

CAROLVS MAGNVS. ANNO DCCXCI. fuit KAROLVS Rex in VVormatia, & ibi celebrauit Pascha. Et vertente anno, eo tempore quo solent Reges ad bella procedere, mo- A
791. uit exercitum innumerabilem, & abiit contra superbissimam gentem Auarorum. Diuisitque exercitum suum in tres partes, & intrauit ipse per Baguariam & fines Hunorum, ex meridiana parte Danubij. Et de alia parte Danubij alius exercitus introiuit Ribuariorum, & Frisionum, & Saxonum cum Turingis. Sed & naualis hostis per Danubium, vt ex vtraque parte Rex potestatem habere potuisset cum exercitu suo. Et sic introiuit in terram illam, isti hinc, & illi indè. Medium autem exercitus naualis. Et terruit eos Dominus in conspectu eius, ita vt nullus ei resistere auderet. Sed vbicumque fossatum, aut aliquam firmitatem, siue in montibus, aut in fluminibus, aut in siluis factum habuêre; statim vel ipse, vel exercitus eius ibi aduenit. continuò aut se tradiderunt, aut occisi sunt, aut per fugam dilapsi. Sed & ille alius exercitus, quem PIPINVS filius de Italia transmisit, introiuit in Illyricum. Et fecerunt ibi similiter, vastantes & incendentes terram illam, sicut Rex fecit cum exercitu suo, vbi ipse erat. Cùm autem vidisset Rex Karolus, quòd nullus ei de parte Auarorum resistere ausus esset, aut suis; tunc circuiuit terram illam per dies quinquaginta duos, incendendo & vastando terram illam. Sed & prædam sine mensura & numero: & captiuos, viros & mulieres, & paruulos, innumerabilem multitudinem exinde tulerunt. Et in ipso itinere obiit bonæ memoriæ INGILRAMNVS Mediomatricæ Ecclesiæ Archiepiscopus. sed & Suibertus Episcopus ibidem defunctus est. Rex Karolus rediit in Baguariam, ibíque hiemauit in Iopila. B

792. ANNO DCCXCII. Eodem anno resedit Rex in Baiuaria, & apud Raganisburg celebrauit Pascha. Sed appropinquante æstiuo tempore, Saxones existimantes quòd Auarorum Gens se vindicare voluisset, hoc quod in corde eorum diu latebat, manifestissimè ostenderunt. Quasi canis, qui reuertitur ad vomitum suum, sic reuersi sunt ad Paganismum quem primùm respuerant. relinquentes iterum Christianitatem, coniungunt se cum Paganis qui in circuitu eorum sunt. Sed & Missos suos ad Auaros transmittentes, conati sunt rebellare in primis contra Dominum, deinde contra Regem. Ecclesiásque, quæ in finibus eorum erant, incendentes, vastabant. reiicientes Episcopos & Presbyteros qui super eos erant, & aliquos ex iis comprehensos occiderunt, & plenissimè ad culturam idolorum se conuerterunt. Et in ipso anno inuentum est consilium pessimum, quod PIPINVS filius Regis, ex concubina Hilmiltrude matre genitus, contra Regis vitam, seu filiorum eius, qui ex legitima geniti sunt, qui voluerat Regem & ipsos occidere, & ipse pro eo quasi Abimelec in diebus Iudicum Israël regnare, qui occidit fratres suos septuaginta viros super petram vnam, & regnauit pro Gedeone patre suo, cum malitia tamen, & odio. Sed cùm cognouisset Rex consilium Pipini, & eorum qui cum ipso erant, coadunauit Conuentum Francorum, & aliorum fidelium suorum ad Reganesburg. Ibique vniuersus populus, qui cum Rege aderant, C iudicauerunt ipsum Pipinum, & eos qui consenserant, vt simul & hereditate & vitâ priuarentur. & ita de aliquibus adimpletum est. Nam Pipino filio suo, quia noluit Rex vt occideretur, iudicauerunt Franci, vt ad seruicium eius inclinare debuisset. & ita factum est. Et misit eum iam Clericum in Monasterium. & iterum ibidem orauit.

793. ANNO DCCXCIII. in ipsa hieme iterum fecit Conuentum ad Ragenesburg. Et cùm cognouisset fideles suos Episcopos, Abbates, & Comites, qui cum ipso ibi aderat, & reliquum populum fidelem, qui cum Pipino in ipso consilio pessimo non fuissent, multipliciter eos honorauit in auro, argento, & serico, & donis plurimis. Et in ipsa hyeme transmisit Rex KAROLVS duos filios suos PIPINVM & LVDOVICVM cum hoste in terra Beneuentana. Et facta est ibi fames validissima super populum illum qui ibi inuentus est, & super exercitum qui aduenerat, ita vt aliquanti nec ipsa Quadragesimâ se ab esu carnium abstinere potuissent. Sed & famis valida in Italia & Burgundia, & per aliqua loca in Francia incumbebat famis. necnon in Gothia & in Prouincia erat famis valida, ita vt ex ipsa fame mortui fuissent. Rex Karolus cùm apud Reganesburg iterum celebrasset Pascha, & in æstiuo tempore voluisset cum nauibus venire in Francia, iussit fossatum maximum facere inter duo flumina, id est inter Alomonia * & Rachantha. ibique demora-

* al. Alcmanum & Radâtia, Tom. II. pag. 38. Alamâniam & Radantiam p. 77.

A tus est. His temporibus regnabat in Spania Exam filius Abdirraman Ibinmauia. CAROLVS MAGNVS.
Iste Ibinmauia debellauit Iussephibin, & occidit eum, & filios eius, & regnauit pro eo in Spania annis XXXIII. & IV. mensibus. Iste Ibinmauia crudelis omnibus Regibus Sarracenorum, diuersis cruciatibus interemit Sarracenos & Mauros. Filium quoque patris sui, fratrem suum, truncatis manibus & pedibus, igni cremari iussit. Christianos in Spania & Iudæos in tantum, tributa exigendo, oppressit, vt filios & filias suas atque mancipia incenderent, & pauci relicti penuriâ afficerentur. & pro pressura ipsius tota Spania conturbata & depopulata est. Mortuus autem est Ibinmauia, & regnauit Exam filius eius pro eo. fecítque malum, sicut fecerat pater eius. Ille audiens quòd Rex Karolus partibus Auarorum perrexisset, & existimans quòd Auari contra Regem fortiter dimicassent, & ob hanc causam in Franciam reuerti non licuisset, misit Abdelmelec vnum ex Principibus cum exercitu magno Sarracenorum ad vastandum Gallias. Qui venientes Narbonam, suburbium eius igne succenderunt, multósque Christianos: ac prædâ magna capta, ad vrbem Carcassonam pergere volentes, obuiam iis exiuit VVILHELMVS, & alij Comites Francorum cum eo. Commiserúntque prælium super fluuium Oliueio, ingrauatúmque est prælium nimis. ceciditque maxima pars in ipso die ex populo Christiano. VVilhelmus autem pugnauit fortiter in die illa. Videns verò, quòd sufferre eos non posset, quia socij eius dimiserunt eum fugientes, diuertit ab eis. Sarraceni verò collectis spoliis, reuersi sunt in Spaniam. Rex autem Karolus Christo adiuuante de eodem loco, vbi fossatum fieri iussit, nauigio peruenit ad Franconefurt, & ibi ipsam hiemem resedit.

B

ANNO DCCXCIV. Rex KAROLVS apud villam Franconefurt celebrauit Pascha. Sed in æstiuo tempore, anno XXVI. sui Principatus, congregauit vniuersalem Synodum cum Missis domni Apostolici ADRIANI Papæ, seu Patriarcha Aquileiensi Paulino Archiepiscopo, & Petro Mediolanensi Episcopo, & Coëpiscopis, seu etiam Presbyteris, Diaconibus, cum deuoto populo. Quibus residentibus apud Christianissimum Principem Karolum, peruenit ad aures eorum hæresis illa, quam Elipantus Toletanæ Sedis Episcopus, cum alio Coëpiscopo Sedis Orgelitanæ, Felici nomine, (sed is infelix in dictis) cum sociis eorum*. Asserebant namque dicentes, quòd Dominus noster Iesus Christus, in quantum ex patre est, ineffabiliter ante secula genitus, iure filius Dei sit: & in quantum ex Maria semper Virgine carnem assumere dignatus est, non sanctus, sed abortiuus filius. Sed sancta & vniuersalis Synodus hoc nefandum dictum non consensit, sed vna voce respuentes contradixerunt: atque hanc hæresim funditus à sancta Ecclesia eradicandam statuerunt, dicentes: Dei ergo filius hominis factus est filius. « natus est secundum veritatem naturæ ex Domino Domini filius, secundum veri- « tatem naturæ ex homine hominis filius: vt veritas geniti non adoptione, non ap- « pellatione, sed & in vtraque natiuitate filij nomen nascendo haberet, & esset ve- « rus Deus, & verus homo, vnus filius. Allata est etiam in eadem Synodo quæstio « de nona Græcorum Synodo, quam de adorandis Sanctorum imaginibus Constantinopoli fecerant. In qua scriptum habebatur: Vt qui imagines Sanctorum ita « vt deificam Trinitatem seruicio aut oratione non impenderent, anathema iudica- « uerunt. Qui super sanctissima Patris & * seruitute renuentes contempserunt, atque consentientes condemnauerunt. Et in eadem Synodo venit Tassilo, qui dudum Baioariæ Dux fuerat, sobrinus videlicet Regis, & pacificatus est ibi cum Rege Karolo, abrogans omnem potestatem quam in Bagoaria habuit, tradens eam Regi. Necnon FASTRADA Regina ibi defuncta est. Et Rex Karolus indè iterum perrexit ad Saxoniam, & Saxones venerunt ei obuiam ad Eresburg, promittentes iterum Christianitatem, & iurantes quod sæpè fecerunt. Et Rex eis credidit, & dedit eis Presbyteros. Et ipse resedit in Francia, & resedit apud Aquis Palatium. 794.

C

ANNO DCCXCV. Rex KAROLVS apud Aquis Palatium celebrauit Pascha, & infidelitas vnde consueuerat à parte Saxonorum exorta est, quia eam Dominus Rex super alias Gentes venire voluisset. nec ipsi ad eum pleniter venerunt, nec ei solatium vt ipse iusserat transmiserunt. Tunc iterum infidelitate eorum *, cum exercitu suo veniens, alij ei pacifici obuiam venientes ex parte Saxonorum, & cum eo in solatio suo ipsum iterum expleuerunt. Et ipse cum exercitu suo ad 795.

* deest verbum cognita, vel audita.

CAROLVS MAGNVS. Albia peruenisset, alij circa paludes Albiæ, & in Vacmodingas, ad eum pleniter non venerunt. Dominus Rex tamen recedens apud Bardanauil, tantam multitudinem obsidum indè tulit, quantam numquam in diebus suis, aut in diebus patris sui, aut in diebus Regum Francorum, indè aliquando tulerant. Sed & tunc omnes ad eum venientes, exceptis his quos iam suprà commemorauimus, & his qui trans Albiam erant. ipsi adhuc pleniter non venerunt, eò quòd vassum Domini Regis Cahehin Abatrizarum * occiderant. Ideo non credebant, quòd in gratiâ eius peruenire potuissent. Ceteri autem omnes pacificè venerunt, iussionem suam promittentes implere. Et ita Dominus Rex iterum credens eis, nullum voluit interficere, fidem suam seruando. Tunc ad Aquis Palatium de terra Auarorum Regulus quidam nomine Sordarius ad Dominum Regem veniens cum comitibus suis. quem Dominus Rex honorificè suscepit, & baptizare iussit, & eos qui cum eo venerant, cum magno honore & donis eum remeare fecit ad propria. Et in eo anno à parte Auarorum venerunt thesauri, pro quibus Dominus Rex omnipotenti Regi gratias agens, distribuit ipsum thesaurum inter Ecclesias, & Episcopos, seu Abbates, & Comites; necnon & vniuersos fideles suos de eodem thesauro mirificè honorauit. Et in ipsa hieme, id est VIII. Kalend. Ianuarias, sanctæ memoriæ dominus ADRIANVS summus Pontifex Romanus obiit. Pro quo Dominus Rex piissimus Karolus orationes per vniuersum Populum Christianum intra terminos suos fieri rogauit, & eleemosynas pro eo multipliciter transmisit: & epitaphium aureis litteris in marmore conscriptum iussit in Francia fieri, vt eum partibus Romæ transmitteret ad sepulcrum sancti Pontificis Adriani Papæ.

* al. Abodritorum.

796. ANNO DCCXCVI. æstatis tempore transmisit KAROLVS Rex Pipinum filium suum, cum suis quos in Italia habebat, Francos, Longobardos, & Bagoarios, cum aliqua parte Alemannorum, in finibus Alemannorum. Et venit Pipinus cum exercitu suo, & cum omnibus illis, quos pater eius miserat, ei auxilium. Et transito Danubio, peruenit ad locum, vbi Reges Auarorum cum Principibus suis sedere consueuerant, quem & in nostra lingua *Kinno* nominant. Et indè tulit thesauros multiplices, & transmisit patri suo. & ipse postea cum exercitu suo, & cum magnis thesauris Auarorum captis, peruenit in Franciam. Et in ipsa æstate ipse Rex Karolus demoratus est in Saxonia, cum duobus filiis suis, id est KAROLO, & LVDOVICO. & circuiuit terram Saxonorum, vbi rebelles fuerant, incendendo & vastando omnia: & præter innumerabilem multitudinem, viros, mulieres, & paruulos, captiuos abduxit secum in Francia. Etenim exercitum in eadem æstate transmisit in Spaniam in fines Sarracenorum cum Missis suis. qui & ipsi fecerunt similiter. Vastauerunt terram illam, & redierunt cum pace ad Regem Karolum ad Aquis Palatium. Nam ibi firmauerat sedem suam, atque ibi fabricauit Ecclesiam miræ magnitudinis, cuius portas cancella fecit ærea. Et cum magna diligentia & honore, vt potuit, & decebat, in ceteris ornamentis ipsam Basilicam composuit. fecit autem ibi & Palatium, quod nominauit Lateranis. Et collectis thesauris suis de Regnis singulis, in Aquis adduci præcepit. Fecit autem & opera multa & magna in eodem.

797. ANNO DCCXCVII. introiuit Rex KAROLVS cum exercitu magno in Saxonia, & peruenit ad pagum qui dicitur *VVintmodi*, vbi firmitas eorum facta erat. Et ipsa firmitate interrupta, introiuit Rex cum exercitu suo in pagum illum, vastauit & incendebat pagum illum. Et huic denuò venerunt omnes Saxoni de vniuersis finibus & angulis vbi habitabant. Et tulit indè obsides quantum ille voluit. & de Frisionibus similiter. Et Rex Karolus rediit in Francia. Et post aliquantas hebdomadas iterum intrauit in Saxoniam, & ibi habitauit ipsa hieme: & fecit sedem suam iuxta locum, vbi Temella fuit VVuisara, quam etiam *Heristalli* appellauit, eo quòd ex exercitu suo fuerant constructæ ipsæ mansiones, vbi habitabant.

* al. VVimuadi.

798. ANNO Domini DCCXCVIII. Ipso anno fuit KAROLVS in Saxonia, & apud Haristallo sede noua ipsâ hiemem ibi resedit, & ibi celebrauit Pascha. Quem locum, vt nos audiuimus, ipse Rex ita appellauit, quia ab hoste ipso ipsæ mansiones, in quibus habitabant, constructæ sunt. Et in ipsa æstate perrexit cum exercitu ad Bardumuic, & ibi omnes se tradiderunt in manus eius, & tulit indè eos captiuos quos voluit, & obsides quantum voluntas fuit. Et interim congregati sunt

A Sclaui nostri qui dicuntur Abotridi, cum Missis domni Regis ad illos. Saxones congregauerunt se in vnum, & commiserunt prælia, & habuerunt victoriam. Et ceciderе Saxones in ipsa pugna duo millia octingenti & vnus. Et in Toringas ibi peruenerunt aliqui ad Regem, & honorauit eos Rex, vt digni erant, mirificè. Et indè Rex remeauit in Francia, & de ipsis Saxonibus tulit secum quos voluit. & ipse peruenit ad Aquis Palatium, & ibi hiemauit.

ANNO DCCXCIX. Rex autem KAROLVS apud Aquis Palatium celebrauit Pascha. Et instigante diabolo Romani comprehenderunt LEONEM Apostolicum in ipsas Letanias, quod est VII. Kal. Maij, & absciderunt linguam eius, & voluerunt eruere oculos eius, & eum morti tradere. Sed iuxta Dei dispensationem, malum, quod inchoauerant, non perfecerunt. Et Rex Karolus eodem anno intrauit in Saxoniam, & resedit ad Partes-Brunna. Et ibi venit ad eum Leo Apostolicus, quem voluerant antea Romani interficere: & suscepit eum Rex honorificè. Et eos, qui in morte eius consiliati sunt, transmiserunt ad Regem. & Rex misit eos in exilium. Et Rex Karolus tulit indè multitudinem Saxonorum, cum mulieribus & infantibus, & collocauit eos per diuersas terras in finibus suis. Et ipsam terram eorum diuisit inter fideles suos, id est inter Episcopos, Presbyteros, & alios vassos suos. Et ibi ad Partes-Brunna ædificauit Ecclesiam miræ magnitudinis, & fecit eam dedicare. Et post hæc reuersus est in pace ad Aquis Palatium, & ibi resedit ipsam hiemem. 799.

B

ANNO Incarnationis Domini DCCC. KAROLVS Rex circa Quadragesimæ tempus circuit corpora Sanctorum, quæ sunt in Francia, vsque dum post Pascha venit Turonis, vbi corpus beati Martini Confessoris requiescit. Et fuêre cum eo filij sui, KAROLVS, & PIPINVS, & LVDOVICVS. Et habuit ibi magnum Concilium & Conuentum populi, & disposuit Regnum filiis suis. Necnon & LVDGARDIS coniux Regis Karoli ibi defuncta est. Et facta ibi oratione, sublimiter reuersus est cum pace ad propriam Sedem in Aquis. Et in æstiuo tempore congregauit Optimates & fideles suos ad Maguntiam ciuitatem. Et cùm cognouisset per omnes fines suos pacem, rememorauit de iniuria, quam Romani Apostolico Leoni fecerant. Et direxit faciem suam, vt iret in partibus Romæ. & ita fecit. Et ibi fecit Conuentum maximum Episcoporum, seu Abbatum, cum Presbyteris, Diaconibus, & Comitibus, seu reliquo Christiano populo. Et ibi venerunt in præsentia, qui ipsum Apostolicum condemnare voluerant. Et cùm cognouisset Rex, quia non propter aliam iustitiam, sed per inuidiam eum condemnare voluerant; tunc dixit ipsi piissimus Princeps Karolus, & vniuersi Episcopi, & sancti Patres, qui ibi adfuerant, vt si eius voluntas fuisset, & ipse petiisset, non tamen per eorum iudicium, sed spontanea voluntate se purificare debuisset. & ita factum est. Et ipsa sacramenta explita, incipiunt ipsi sancti Episcopi cum vniuerso Clero, seu ipso Principe Karolo, deuoto & Christiano populo, Hym- 800.

C num *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur*. Quo expleto, ipse Rex, & cùm eo omnis populus fidelis, dabant laudem Deo: quia ipsum Apostolicum Leonem & sanum in corpore, & in anima custoditum meruerant habere. Et ipsam hiemem Romæ fecit.

ANNO DCCCI. cùm apud Romam moraretur Rex KAROLVS, nuncij delati sunt ad eum, dicentes quòd apud Græcos nomen Imperatoris cessasset, & fœmineum Imperium apud se haberent. Tunc visum est ipso Apostolico Leoni, & vniuersis sanctis Patribus, qui in ipso Concilio aderant, seu reliquo Christiano populo, vt ipsum Karolum Regem Francorum Imperatorem nominare debuissent: quia ipsam Romam matrem Imperij tenebat, vbi semper Cæsares & Imperatores sedere soliti fuerant. seu reliquas sedes, quas ipse in Italia & Gallia, necnon & Germania tenebat. Quia Deus omnipotens has omnes sedes in potestate eius concessit, & ne pagani insultarent Christianis: ideò iustum esse videbatur, vt ipse cum Dei adiutorio, & vniuerso populo Christiano petente, ipsum nomen haberet. Quorum petitionem ipse KAROLVS Rex denegare noluit, sed cum omni humilitate subiectus Deo, & petitioni Sacerdotum, & vniuersi Christiani populi, in ipsa Natiuitate Domini nostri Iesu Christi ipsum nomen Imperatoris, cum consecratione domni Leonis Papæ, suscepit. Ex tunc autem IMPERATOR & AVGVSTVS est appellatus. Et imprimis omnium, postquàm Imperator extitit, studuit vt ip- 801.

CAROLVS MAGNVS. sam Romanam Ecclesiam de ea discordia, quam habuerant Romani cum domno Apostolico Leone, ad pacem & concordiam reuocaret. Et ibi celebrauit Pascha. Et appropinquante æstiuo tempore, direxit iterum partibus Rauennæ, iustitias & pacem faciendo. Et indè peruenit in Franciam ad Aquis sedem suam. Et eo anno demorauit piissimus Cæsar Karolus apud Aquis Palatium quietus cum Francis, sine hoste. Magnificatus autem est Imperator Karolus super omnes Reges Francorum, qui ante eum fuerant, diuitiis, gloriâ, honore, & nomine. Item primus ex genere Francorum Cæsar est appellatus. A

802. ANNO DCCCII. Recordatus piissimus KAROLVS Imperator in die sua de pauperibus, qui in vniuerso Imperio eius erant, & iustitias pleniter habere non poterant, noluit de intra Palatio suo pauperiores vassos suos transmittere ad iustitias faciendas, propter munera: sed elegit in Regno suo Archiepiscopos & reliquos Episcopos & Abbates, cum Ducibus & Comitibus, qui iam opus non habebant super innocentes munera accipere. Et ipsos misit per vniuersum Regnum, vt Ecclesiis, viduis, & orphanis, & pauperibus, & cuncto populo iustitiam facerent. Et mense Octobri congregauit vniuersalem Synodum in Aquis, & ibi fecit Episcopis, Presbyteris, Diaconibus relegi vniuersos Canones, quos sancta Synodus præcepit, & Decreta Pontificum. Et pleniter iussit eos tradi coram omnibus Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus. Similiter in ipsa Synodo congregauit vniuersos Abbates & Monachos qui ibi aderant, & ipsi inter se Conuentum faciebant. Et legerunt Regulam sancti Patris nostri Benedicti, & eam tradiderunt sapientes in conspectu Abbatum & Monachorum. Et tunc iussio generaliter super omnes Episcopos, Abbates, Presbyteros, Diacones, seu vniuersos Cleros facta: vnusquisque in loco suo iuxta Constitutionem sanctorum Patrum, siue in Episcopatibus, seu in Monasteriis, aut per vniuersas sanctas Ecclesias, vt Canonici iuxta Canones viuerent. Et quicquid in Clero, aut in populo, de culpis aut de negligentiis apparuerit, iuxta Canonum auctoritatem emendarent. Et quidquid in Monasteriis seu in Monachis contra Regulam sancti Benedicti factum fuisset, hoc ipsum iuxta ipsam Regulam sancti Benedicti emendare facerent. Mandauit etiam, vt vnusquisque Episcopus in omni Regno, id est Imperio suo, ipsi cum Presbyteris suis Officium, sicut psallit Romana Ecclesia, facerent. Nam & Scholas Cantorum in loca congrua constitui præcepit. Similiter & in Monasteriis Regulam sancti Benedicti seruantibus, vt Officium sancti Benedicti facerent, sicut Regula docet. Et ipse Imperator, interim quòd ipsa Synodus facta est, congregauit Duces & Comites, & reliquum populum Christianum, cum Legislatoribus: & fecit omnes Leges in suo Regno legere, & tradere vnicuique homini Legem suam, & emendare vbicumque necesse fuit, & emendatam Legem scribere: vt Iudices per scriptum iudicarent, & munera non acciperent; sed omnes homines, pauperes & diuites, in Regno suo iustitiam haberent. Et in ipso anno venerunt Missi eius, quos miserat trans mare in Persida, ad Amarmamoli Regem Sarracenorum, propter elephantum bestiam: & ipsum elephantum adduxerunt secum in Francia ad Aquis sedem. B C

803. ANNO DCCCIII. Karolus Imperator celebrauit Pascha apud Aquis Palatium, & Conuentum habuit ad Maguntiam. & ipse sine hoste fuit eodem anno. His diebus in Spania super Sarracenos regnauit Abulaez * filius Exam. Mortuo Exam, hic Abulaser filius eius suscepit Regnum, fecitque malum, sicut fecerat pater eius, & auus. Eo autem regnante in Spania, misit Karolus Imperator Ludouicum filium suum Regem in Aquitania, ad obsidendam & capiendam ciuitatem Barcinnona. Qui congregato exercitu ex Aquitania, VVasconia, necnon de Burgundia, Prouincia, atque Gothia, misit eos ante se ad obsidionem ciuitatis. Qui abeuntes, circumdedit exercitus ciuitatem. & obsederunt mensibus VII. Ceperúntque Regem ciuitatis illius nomine Saton. Cúmque panes defuissent in ciuitate, & iam capienda esset ciuitas, miserunt ad LVDOVICVM Regem, vt veniret Barcinnona, quia iam capienda erat ciuitas: vt cùm capta fuisset, nomini eius ascriberetur victoria. Venit autem præfatus Rex Ludouicus ad ciuitatem, & tradita est ciuitas in manus eius. Constituitque illic custodiam & armamenta. Regem verò ciuitatis illius Saton vinctum compedibus misit ad patrem suum Karolum Regem Imperatorem in Francia.

* Abulaser.

ANNO

A ANNO DCCCIV. æstatis tempore KAROLVS Imperator mouit exercitum magnum Francorum, & perrexit in Saxonia, & abiit vltra Alaram ad locum qui vocatur *Oldonastach*. Et venit ad eum ibi Rex Abotritorum nomine Fhersosuc, & detulit ei munera multa. Et deinde misit Imperator scaras suas in VVimodia, & in Hostingabi, & in Rosogaui: vt illam Gentem foras patriam transduceret. Necnon & illos Saxones, qui vltra Albiam erant, transduxit foras, & diuisit eos in Regnum suum vbi voluit. Et postea cum magno gaudio ipse Imperator remeauit in Francia, & peruenit ad Aquis sedem Regiam. ibique hiemauit, & celebrauit Pascha. CAROLVS MAGNVS. 804.

ANNO DCCCV. KAROLVS Imperator misit filium suum KAROLVM Regem cum exercitu magno super *VVindones* *: & alium exercitum cum Adulpho & VVerinario, id est cum Baguarios: tertium verò misit cum Saxonibus super VVerinefelda, & Deruellion. Et ibi pugnauerunt contra Regem eorum nomine Samela, & vincebant eum. & ille dedit duos filios eius pro fidelitate. Et tunc perrexerunt super Fergunna, & venerunt ad fluuium qui vocatur Agara illi tres hostes insimul. Et indè venerunt ad Canburg, qui & illum obsiderunt, & vastauerunt regionem in circuitu, in ista parte Albiæ, & vltra Albiam. Et postea cum victoria reuersus est Karolus Rex ad patrem suum in Francia. Quartus verò exercitus perrexit cum nauibus in Albia, & peruenit vsque Maguedeburg, & ibi vastauerunt regionem Geneuuanam. postea reuersi sunt in patriam. 805. * al. super Linones.

B

ANNO DCCCVI. KAROLVS Imperator celebrauit Pascha ad Neumaga, & misit filium suum KAROLVM Regem super Buringa, ad locum qui vocatur VValadala. ibique habuit Conuentum suum. Et indè misit scaras suas vltra Albiam. Ipse verò mouit exercitum suum vltra Sala super Guerchaueldo *. Et tunc fuit interfectus Nusito * Rex superbus, qui regnabat in Suirbis. & postea remeauit Albiam. Et vastauit regiones illas, & ciuitates eorum destruxit. Et ceteri Reges ipsorum venerunt ad eum, & promiserunt se seruituros domno & pio Imperatori. tradiderúntque obsides sicut ille volebat. Et mandauit eis Rex Karolus ædificare ciuitates duas, vnam in Aquilone parte Albiæ contra Magadabourg: alteram verò in Orientalem partem Sala, ad locum qui vocatur Halla. Deinde reuersus est ad patrem suum in Francia. His diebus ALBINVS Diaconus in *Francia* claruit. 806. * Guetenaueldo. * Misito.

ANNO DCCCVII. KAROLVS Imperator perrexit ad Ingelaeim Palatium, & ibi habuit Conuentum suum cum Episcopis & Comitibus, & aliis fidelibus: & mandauit eis vt iustitias facerent in Regno eius. Postea dedit eis licentiam ad propria remeare, & quietè sedere, & vt Deo gratias agerent, ad pacem & concordias ipsorum. & illum annum fecit sine hoste. 807.

ANNO DCCCVIII. KAROLVS Imperator misit KAROLVM filium suum Regem super Saxonia vltra Albiam, ad illos Sclauos qui vocantur Linai. & vastauit maximam partem regionis ipsius. Sed & aliqui ex nostra parte ibidem ceciderunt. Et GODOFREDVS Normannorum Rex venit super illos Sclauos, qui dicuntur Abotriti, & vastauit magnam partem regionis eorum, & aliquas ciuitates destruxit. Et ibi fuit REGINALDVS nepos eius, qui primus post eum in eò Regno fuit, interfectus. & multi de populo Normannorum ibidem corruerunt. 808.

C

ANNO DCCCIX. KAROLVS Imperator pius sedit apud Aquis Palatium. Et in illa æstate misit scaras suas ad Marchias. Et aliqui de illis Saxones venerunt, vltra Albiam fugerunt. Ibi vnam ciuitatem cum nostris Guinildinis, qui appellantur Semeldini *, Connoburg. In illo anno venit mortalitas magna animalium ab Oriente, & pertransiit vsque in Occidentem. Et celebrauit Pascha apud Aquis Palatium Karolus Imperator. 809.

ANNO DCCCX. æstatis tempore KAROLVS Imperator abiit, cum Karolo filio suo Rege, vltra Rhenum fluuium super Saxoniam, ad locum qui appellatur Ferdia. Et in ipsa æstate mortuus est PIPINVS Rex Longobardorum filius Karoli Imperatoris. & ipse piissimus Karolus constituit BARNARDVM filium Pipini Regem super Italia, in loco patris sui. Et Gothofredus Rex Normannorum misit quasi pacificè per insidias vassallum suum, vt in dolo Drosocum Regem Abo- 810.

CAROLVS MAGNVS. dritorum occideret. quod ita factum fuit. Et occultè misit pyratas cum nauibus in Frisia, qui fecerunt ibi magnum damnum de populo Christiano. Et postea ille Godofredus fuit interfectus à suo vassallo, & perdidit Regnum cum vita. Et Karolus Imperator misit scaras suas ad Marchas vbi necesse fuit, & mandauit ciuitatem ædificare vltra Albiam, in loco qui dicitur Esseueldoburg. & mandauit illis hominibus, qui custodirent ciuitatem. Deinde reuersus est in Francia ad Aquis sedem Regiam. A

811. ANNO DCCCXI. Misit Karolus Imperator exercitum Francorum & Saxonorum vltra Albiam, ad illos Sclauos qui nominantur Lanai, & Bethelclereri. Et vastauerunt regiones illas, & ædificauerunt iterum castella in loco qui dicitur Abochi*. Fuit quoque occisio magna Normannorum, & Auolo ibi corruit. Eodem anno obiit KAROLVS Rex filius Karoli Magni Imperatoris.

* al. Huoboki.

812. ANNO DCCCXII. misit KAROLVS Imperator tres scaras ad illos Sclauos qui dicuntur VVilti. Vnus exercitus eius venit cum eis super Abotridi, & duo venerunt obuiam ei ad illam Marcham. Sed & illi VVilti dextras dederunt, & obsides obtulerunt, & promiserunt se dare partibus Karoli Imperatoris. & postea sic reuersus est populus ad propria. Eodem anno Abulaser Rex Sarracenorum ex Spania audiens famam & opinionem virtutum domni Karoli Imperatoris, Missos suos direxit, postulans pacem facere cum eo. Quam ipse piissimus Imperator denegare noluit. sed fecerunt pacem cum ipso per tres annos. Et eodem anno apud Aquis hiemauit, & ibi celebrauit Pascha. B

813. ANNO DCCCXIII. Hoc anno sedit piissimus KAROLVS Imperator apud Aquis Palatium, & habuit ibi Consilium magnum cum Francis: & decreuit quatuor Synodos fieri, id est ad Maguntiam ciuitatem vnam, alteram in Remis, tertiam Turonis, quartam Arelato ciuitate. Mandauítque vt quidquid in vnamquamque Synodum definissent, ad Placitum constituti Imperatoris renunciassent. quod ita factum est. Et in ipso anno mense Septembri iamdictus Karolus fecit Conuentum magnum populi apud Aquis Palatium, de omni Regno vel Imperio suo. Et conuenerunt Episcopi, Abbates, & Comites, & Senatus Francorum ad Imperatorem in Aquis. & ibidem constituit Capitula numero XLVI. de causis quæ erant necessariæ Ecclesiæ Dei, & Christiano populo. Post hæc habuit consilium cum præfatis Episcopis & Abbatibus, & Comitibus, & Maioribus natu Francorum, vt constituerent filium suum LVDOVICVM Regem & Imperatorem. Qui omnes pariter consenserunt, dicentes hoc dignum esse. omníque populo placuit. Et cum consensu & acclamatione omnium populorum Ludouicum filium suum constituit Imperatorem secum, ac per coronam auream tradidit ei Imperium. populis acclamantibus, & dicentibus: VIVAT IMPERATOR LVDOVICVS. Et facta est lætitia magna in populo in illa die. Nam & ipse Imperator benedixit Dominum, dicens: *Benedictus es Domine Deus, qui dedisti hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis.* Docuit autem eum pater, vt in omnibus præceptum Domini custodiret, tradidítque ei Ius Regni. Commendauítque ei filios suos DROCONE, THEVDERICO, & HVGONE. Et cùm omnia perfecisset, dimisit vnumquemque, vt abirent in locum suum. Ipse autem resedit in Aquis Palatium. Exierunt autem Normanni cum nauibus suis in Frisia, & fecerunt ibi grande malum. ceperunt viros, mulieres, & prædam magnam. Postea venerunt filij Godofredi cum exercitu, expulerúntque Beraldum, & Reganfredum, atque Amingum, de Regno ipsorum. & illi fugerunt vsque ad abdita. Inde militia domni Imperatoris Karoli accepit ab eo dona multa, & remisit eum cum honore & adiutorio ad fratrem suum, vt iterum acquirerent Regnum ipsorum. In illo anno obiit beatæ memoriæ Karolus Imperator Magnus, Pacificus, XV. Kalend. Februarij. Et sepelierunt eum in Aquisgrani Palatio, seniore in Ecclesia, quam ipse fabricare iusserat. Regnauítque annis XLVII. LVDOVICVS autem filius eius sedit super thronum patris sui Karoli, & acceptis thesauris illius fecit eleemosynam magnam pro patre, diuisitque inter Ecclesias, Monasteria, & pauperes. F. secundum Hebræos IV. M. DCCCX. Secundum Septuaginta VI. M. XII. anni. C

A

LVDOVICVS IMPERATOR REGNAVIT.

ANNO DCCCXIV. LVDOVICVS Imperator resedit apud Aquis Palatium, & ibi celebrauit Pascha. Et in ipso anno venerunt ad eum Episcopi, Abbates, & Comites, & Duces. & loquutus est cum eis de causis necessariis, & ad vtilitatem sanctæ Ecclesiæ. Et venit ad eum BARNARDVS filius Pipini Rex Longobardorum. suscepítque eum benigniter domnus Imperator Ludouicus, ac remuneratum remisit ad propria. Disposuit & Marchas suas vndique. Nam & præsidia posuit in littore maris vbi necesse fuit. & ipso anno apud Aquis hiemauit. 814.

ANNO DCCCXV. LVDOVICVS Imperator apud Aquis Palatium celebrauit Pascha. Et in ipsa æstate, collecto magno exercitu Francorum, & Burgundionum, Alamannorum, & Baguariorum, introiuit Saxoniam ad Partes-Brunna. Et ibi venit ad eum Barnardus Rex Longobardorum cum exercitu. Et habuit ibi Imperator Placitum magnum, & misit scaras vbi necesse fuit per Marchas, & præsidia per littora maris. Et post hæc, reuersus est in Francia ad Aquis Palatium. Et III. Kalend. Augusti habuit Consilium magnum in Aquis, & constituit duos filios suos Reges, PIPINVM & CLOTARIVM, super Bagoaria. Et decreuit in ipsa Synodo domnus Imperator Ludouicus, vt in vniuerso Regno suo Monachi regulariter viuerent secundum Regulam, & Canonici secundum Canonum auctoritatem. Mandauit etiam Missis & Comitibus suis, vt iustitias facerent in Regno suo: & si aliqui homines iniustè priuati fuissent de hereditate parentum per cupiditatem Comitum, aut diuitum, vt reddere facerent. Necnon & si aliqui homines iniustè in seruitute redacti erant, vt iterum acciperent libertatem. Eodem anno VVascones rebellant contra Imperatorem. 815.

B

ANNO DCCCXVI. piissimus Imperator LVDOVICVS apud Aquis Palatium celebrauit Pascha. Et æstatis tempore venit ad eum Barnardus Rex Longobardorum. His diebus domnus Apostolicus vrbis Romæ Leo Papa migrauit à seculo. Successit ei in Sacerdotio domnus Stephanus. Et in ipso anno ipse domnus Apostolicus Stephanus venit ad domnum Ludouicum Imperatorem in Francia, inuenítque eum apud Remis ciuitatem, & attulit ei coronam auream. Suscepítque eum Imperator cum magno honore. Benedixítque ipsum Imperatorem, & imposuit illi coronam auream, quam attulerat, in capite. Remunerauítque eum domnus Imperator muneribus multis. & sic rediit Romam ad Sedem suam. Imperator verò piissimus Ludouicus de Remis abiit ad Compendij Palatium, & ibi habuit Consilium cum Episcopis, Abbatibus, & Comitibus suis. Deinde reuersus est ad Aquis Palatium sedem Regiam, ibique hiemauit. Præfatus autem Stephanus Papa cùm rediisset Romam, in ipso anno migrauit à seculo: successítque ei Paschalis in Sacerdotio. VVascones autem rebelles Garsimirum super se in Principem eligunt. sed in secundo anno vitam cum Principato amisit, quia fraude vsurpatum tenebat. 816.

ANNO DCCCXVII. LVDOVICVS Imperator apud Aquis Palatium celebrauit Pascha. Et in ipsa æstate iussit esse ibi Conuentum populi de omni Regno, vel Imperio suo, apud Aquis sedem Regiam: id est, Episcopos, Abbates, siue Comites, & Maiores natu Francorum. Et manifestauit eis mysterium consilij sui, quod cogitauerat, vt constitueret vnum de filiis suis Imperatorem. Habebat enim tres filios ex vxore ERMENGARDA Regina. Nomen vni CLOTARIVS. nomen secundi PIPINVS. & nomen tertij LVDOVICVS. Tunc omni populo placuit, vt ipse, se viuente, constitueret vnum ex filiis suis imperare, sicut KAROLVS pater eius fecerat ipsum. Tunc tribus diebus ieiunatum est ab omni populo, ac Letaniæ factæ. Post hoc iamdictus Imperator CLOTARIVM, qui erat maior natu, Imperatorem elegit, ac per coronam auream tradidit ei Imperium, populis acclamantibus, & dicentibus: VIVAT IMPERATOR CLOTARIVS. Facta est autem lætitia magna in populo die illo. Et ipse Imperator benedixit Dominum, dicens: *Benedictus es Dominus Deus noster, qui dedisti hodie ex semine meo consedentem in solio meo, videntibus oculis meis.* Quartum 817.

LVDOVICVS PIVS. verò filium habuit ex concubina nomine ARNVLPHVM, cui pater Senonas ciuitatem in Comitatum dedit. Audiens autem BARNARDVS filius Pipini Regis Rex Italiæ quod factum erat, cogitauit consilium pessimum, voluítque in Imperatorem & in filios suos insurgere, & per tyrannidem Imperium vsurpare. Quo comperto, Imperator misit confestim nuncios per vniuersum Regnum & Imperium: vt pariter conglobati occuparent omnes aditus Italiæ. quod ita factum est. Barnardus autem cùm hæc audisset, terruit eum Dominus, ipsum & omnes qui ei consenserant. Et comprehensi sunt ab exercitu, quem Imperator miserat ante faciem suam: & comprehensos cum ipso Rege adduxerunt ad Imperatorem, qui erat tunc apud Cauallono, quod est super Sagona flumine. Tunc sub custodiam missus est præfatus Rex, cum Achiteo * Comite, qui auctor consilij maligni fuerat; & alij, qui illi consenserant, ducti sunt Aquis. Post hæc ipse Imperator fecit Conuentum Francorum, & retulit eis hanc causam, vt viderent quid iudicarent, vel fideles eorum, vel de his qui consenserant, vt insurgerent contra Imperatorem. Tunc pariter eos iudicauerunt dignos ad mortem. Sed piissimus Imperator pepercit vitæ illorum, iussítque ipsi Regi Barnardo oculos eruere. Sed cùm factum fuisset, die tertio mortuus est. Architeo verò similiter oculos orui, & ceteris sociis eius. Theudulfum verò Episcopum Aurelianensem, qui & ipse auctor prædicti maligni consilij fuit, Synodo facta Episcoporum, vel Abbatum, necnon & aliorum Sacerdotum, iudicauerunt tam ipsum quàm omnes de Ordine Ecclesiastico, Episcopos, Abbates, vel ceterum Clerum, qui de hoc maligno consilio conscij venerant, à primo deciderent gradu. quod ita factum est. Nonnulli etiam in exilio missi sunt. Fratres verò suos ex concubinis matribus, id est DROGONEM, THEVDERICVM, & VGONEM, quos ei pater commendauerat, Clericos fieri iussit, & per singula misit Monasteria, & Regnum quieuit Imperatoris ab ira.

* infrà Architeo.

818. ANNO DCCCXVIII. LVDOVICVS Imperator apud Aquis celebrauit Pascha. Et æstiuo tempore introiuit cum exercitu magno in Britannia. Et occiso Rege terræ illius, venerunt Maiores natu Britannorum, tradiderunt se illi. Et acceptis obsidibus, reuersus est prosperè cum triumpho victoriæ ad propria. In ipso itinere ERMENGARDA Regina obiit. Nam & exercitus eius, quem miserat in partibus Orientis, cum triumpho reuersus est & ipse ad Imperatorem. Similiter & eius exercitus, quem miserat super VVascones rebelles, cum triumpho victoriæ reuersi sunt, occisis Tyrannibus. & terra quieuit.

FRAGMENTVM CHRONICI,

Quod à Guillelmo Catel Senatore Tolosano refertur in Commentariis Rerum Gothiæ siue Septimaniæ pag. 538. & videtur esse ex iis quæ desunt in præcedenti Chronico Moissiacensi.

759. ANNO DCCLIX. Franci Narbonam obsident, datóque sacramento Gothis, vt si ciuitatem traderent partibus PEPINI permitterent eos legem suam habere. Quo, facto Gothi Sarracenos occiderunt, & ciuitatem partibus Francorum reddiderunt.

A

CAROLVS MAGNVS.

INSCRIPTIO VETVS

De capta Arelate, & Sarracenis ab ea expulsis, & de restauratione Monasterij Montis-Maioris per Carolum-Magnum.

Ex marmore quod est in Ædicula S. Crucis in Monasterio Montis-Maioris prope Arelatem super interiore porta.

NOVERINT vniuersi, quòd cùm serenissimus Princeps CAROLVS-MAGNVS Francorum Rex ciuitatem Arelatem, quæ ab infidelibus detinebatur, obsedisset, & ipsam vi armorum cepisset, & Sarraceni in eadem existentes, pro maiori parte aufugissent in montana Montis-Maioris, & ibidem se retraxissent, & in eadem se munissent: & idem Rex ibidem cum exercitu suo venisset pro ipsis debellandis, & ipsos debellando triumphum de ipsis obtinuisset. Et de ipso gratias Deo agendo, in signum huiusmodi victoriæ præsentem Ecclesiam in honore sanctæ Crucis dedicari fecit, & præsens Monasterium in honorem beati Petri Apostolorum Principis dedicatum, quod ab ipsis infidelibus penitus destructum fuerat, & inhabile redditum, idem Rex ipsum reparauit & reædificauit, & Monachos ibidem pro seruiendo Deo venire fecit, & ipsum dotauit, & plura bona eidem contulit. In quo quidem Monasterio multi nobiles de Francia ibidem debellantes sepulti sunt. Ideo Fratres Orate pro eis.

Card. Baronius ad ann. 793.

B

ANNALES REGVM FRANCORVM;

A TEMPORE, QVO CAROLO MARTELLO defuncto, CARLOMANNVS & PIPPINVS fratres Regnum adepti sunt, vsque ad annum Christi DCCCLXXXII.

Ex Codice vetustissimo Monasterij sancti Bertini, cuius Exemplar curâ R. P. Heriberti Rosvveidi Societ. Iesu descriptum est, & à Ioanne Bolando eiusdem Societ. Antuerpiâ transmissum.

Priot pars horum Annalium, (qui in MS. Codice subiiciuntur Appendici ad GREGORII TVRONENSIS Historiam, & PARTIVNCVLA DE GESTIS REGVM FRANCORVM inscribuntur,) hoc est ab anno CHRISTI DCCXLI. vsque ad annum DCCCXIV. eadem ferè est cum Annalibus illis plebeiis Rerum Francicarum, qui Tomo II. editi sunt pag. 24. Sequentia verò ab anno DCCCXIV. vsque ad DCCCXXX. conueniunt etiam cum iis quæ in EGHINARDI Annalibus habentur eodem Tomo II. Sed res potissimùm, quæ ab initio regni CAROLI CALVI vsque ad annum DCCCLXXXII. hîc referuntur, pauci alij Scriptores attigerunt: vno AIMOINI Continuatore excepto, qui aliquot Libri V. Capita, scilicet à XXI. Cap. vsque ad XLI. indè desumpsit. Ceterùm Annales isti optimi sunt, possúntque appellati BERTINIANI, ac eo nomine opponi Fuldensibus, siue Moguntinis, quorum Auctor CALVO Francorum Regi ad calumniam vsque iniquus extitit, vt pote qui eos Fuldæ, seu vt alij volunt Moguntiæ, sub ditione LVDOVICI Regis Germaniæ scripsisse videtur. B

741. CAROLVS denique Maior Domus defunctus est, quando CARLOMANNVS & PIPPINVS Maiores Domus duxerunt exer-
citum contra HVNOLDVM Ducem Aquitaniorum, & cepe-
742. runt castrum quod vocatur Lucas. Et in ipso itinere diuiserunt
Regnum Francorum inter se in loco qui dicitur Vetus-Pictauis.
743. Eodémque anno Carlomannus Alemanniam vastauit. Tunc
Carlomannus & Pippinus contra ODILONEM Ducem Baioariorum inierunt
pugnam, & Carlomannus per se in Saxoniam ambulabat in eodem anno, & cepit
castrum quod dicitur *Ohserburg* per placitum, & THEODERICVM Saxonem C
744. placitando conquisiuit. Iterum Carlomannus & Pippinus perrexerunt in Saxo-
niam, & captus est Theodericus Saxo altera vice.
745. TVNC Carlomannus confessus est Pippino germano suo, quòd decreuisset
seculum relinquere. Et in eodem anno nullum fecerunt exercitum, sed præpa-
rauerunt vterque, Carlomannus ad iter suum, & Pippinus quomodo germanum
746. suum honorificè direxisset cum muneribus. Tunc Carlomannus Romam perre-
xit, ibique se totondit, & in Sirapti monte Monasterium ædificauit in honorem
sancti Siluestri. Ibique aliquod tempus moram faciens, & indè ad sanctum Be-
nedictum in Cassinum vsque peruenit, ibique Monachus effectus est.
747. GRIFO scilicet fugit in Saxoniam, & Pippinus iter faciens per Thoringiam,
Saxoniam intrauit vsque ad fluuium *Missaha*, in loco qui dicitur *Schahaningi*.
Et GRIFO collectam fecit cum Saxonibus supra fluuium Abarro, in loco qui
748. dicitur *Orlum*. Grifo de Saxonia iter peragens fugiendo in Baioariam vsque Pa-
latium, ipsum Ducatum sibi subiugauit. HILTRVDEM cum TASSILONE
conquisiuit. Suidger ad eum venit in solatio supradicti Grifonis. Hæc audiens
Pippinus, iter illic arripiens cum exercitu suo, suprà nominatos totos sibi subiu-
gauit. Grifonem secum adduxit, similiter & Lantfridum. Tassilonem verò in
Ducatu Baioariorum collocauit per suum beneficium. Grifonem erga partibus

A Niustriæ misit, & dedit ei XII. Comitatus. Inde iterum Grifo fugiens Vasconiam petiit. PIPPINVS.

[* PIPPINVS coniugem duxit BERTRADAM cognomine BERTAM, Cariberti Laudunensis Comitis filiam.] Burchardus VVitzeburgensis Episcopus, & Folradus Capellanus, missi fuerunt ad ZACHARIAM Papam, interrogando de Regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes Regalem potestatem; Si benè fuisset, an non. Et Zacharias Papa mandauit Pippino, vt meliùs esset illum Regem vocari, qui potestatem haberet, quàm illum qui sine Regali potestate manebat, vt non conturbaretur ordo. Per auctoritatem ergo Apostolicam iussit PIPPINVM Regem fieri. 749.

* Hæc inclusa notis hic, & in sequentibus, ab aliis Annalibus absunt.

PIPPINVS secundum morem Francorum electus est ad Regem, & vnctus per manum sanctæ memoriæ Archiepiscopi Bonifacij, & eleuatus à Francis in Regno, in Suessionis ciuitate. HILDERICVS verò, qui falsò Rex vocabatur, tonsoratus est, & in Sithiu Monasterium missus. [Pippinus monente sancto Bonifacio quibusdam Episcopatibus vel medietates, vel tertias rerum *, promittens in postmodum omnia restituere.] 750.

* deest, abstulit, vel quid simile.

PIPPINVS Rex in Saxonia iter fecit, & Hildegarius Episcopus occisus est à Saxonibus in castro, quod dicitur *Luberg*. Et tamen Pippinus Rex victor extitit, & peruenit vsque ad locum qui dicitur *Rimie*. Et dum reuersus est de ipso B itinere, nunciatum est ei quòd Grifo, qui in VVasconiam fugit, germanus eius occisus fuisset. Eodémque anno STEPHANVS Papa venit in Franciam, adiutorium & solatium quærendo pro iustitiis sancti Petri. Similiter & Carlomannus Monachus, & germanus supradicti Pippini Regis, per iussionem Abbatis sui in Franciam venit, quasi ad conturbandam petitionem Apostolicam. Supradictus verò Apostolicus Stephanus confirmauit PIPPINVM vnctione sancta in Regem, & cum eo inunxit duos filios eius, domnum CAROLVM & CARLOMANNVM, in Regibus, anno Domini DCC.LIV. VI. Kal. Augusti. Et domnus Bonefacius Archiepiscopus in Frisia nuncians verbum Domini, & prædicando, Martyr Christi effectus est. 753. 754.

PIPPINVS Rex per Apostolicam inuitationem in Italiam iter peragens, iustitiam beati Petri Apostoli quærendo. Haistulfus Langobardorum Rex supradictam iustitiam vetando, clusas Langobardorum petiit, obuiam Pipino Regi & Francis venit. Et inierunt bellum, & Domino auxiliante, beatóque Petro Apostolo intercedente, Pippinus Rex cum Francis victor extitit. Eodémque anno Stephanus Papa ductus est ad sanctam Sedem per Missos domni Pippini Regis, & Fulradus, & reliqui qui cum eis erant. Incluso verò Haistulfo Rege in Papia ciuitate, iustitiam sancti Petri pollicitus est facere. Vnde Rex Pippinus obsides decem receptos, & cùm sacramenta firmata essent reuersus est in Franciam. Carlomannus Monachus Viennâ ciuitate remansit vnà cum Bertrada Regina infirmus, languebátque dies multos, & sic obiit in pace. 755.

C DVM ergo prospexisset PIPPINVS Rex ab Haistulfo Langobardorum Rege ea non esse vera, quæ antea promiserat de iustitiis sancti Petri, iterum iter peragens in Italiam, Papiam obsedit, Haistulfum inclusit, magis magisque de iustitiis sancti Petri confirmauit, vt stabiles permanerent. quod antea promiserat. Et insuper Rauennam, cum Pentapoli, & omni Exarchatu conquisiuit, & sancto Petro tradidit. Et dum reuersus esset Pippinus Rex, cupiebat supradictus Haistulfus nefandus Rex mentiri quæ antea pollicitus fuerat, obsides indulgere, sacramenta irrumpere. Quadam die venationem fecit, & percussus Dei iudicio vitam finiuit. Et quomodo & qualiter missus est Desiderius Rex in Regno, postea dicemus. 756.

MISIT Constantinus Imperator Regi PIPPINO cum aliis donis organum, qui in Franciam vsque peruenit. Et Rex Pippinus tenuit Placitum suum in Compendio cum Francis. Ibíque TASSILO venit Dux Baioariorum, in vassatico se commendans per manus: sacramenta iurauit multa & innumerabilia, reliquiis sanctorum Martyrum manus imponens: & fidelitatem promisit Regi Pippino, & supradictis filiis eius domno CAROLO & CARLOMANNO, sicut vassus recta mente & firma deuotione per iustitiam domino suo esse deberet. Sic confirmauit supradictus Tassilo supra corpus sancti Dionysij, Rustici, & Eleutherij, nec 757.

PIPPINVS. non & sancti Germani, seu sancti Martini: vt omnibus diebus vitæ suæ sic conseruaret, sicut sacramentis promiserat. Sic & eius homines Maiores natu, qui erant cum eo, firmauerunt, sicut dictum est, in locis superiùs nominatis, & in aliis multis. [Eodem anno celebrauit Natalem Domini in Corbonaco, & Pascha, & immutauit se numerus annorum Domini in DCCLVIII.] A

758. PIPPINVS Rex in Saxoniam ibat, & firmitates Saxonum per virtutem introiuit, in loco qui dicitur *Sitnia*, & multæ strages factæ sunt in populo Saxonum. Et tunc polliciti sunt contra Pippinum, omnes voluntates eius faciendum, & honores in Placito suo præsentandum, vsque in equos trecentos per singulos annos. Et immutauit se numerus annorum Domini in DCCLIX.

759. NATVS est Pippino Regi filius, cui supradictus Rex nomen suum imposuit, vt PIPPINVS vocaretur, sicut & pater eius. Qui vixit annos duos, in tertio mortuus est. Eodem anno celebrauit Natalem Domini in *Longlare*, & Pascha in Iopila. Et immutauit se numerus annorum Domini in DCCLX.

760. TVNC Pippinus Rex cernens VVaifarium Ducem Aquitaniorum minimè consentire iustitias Ecclesiarum partibus, quæ erant in Francia, consilium fecit cum Francis, vt iter ageret supradictas iustitias quærendo in Aquitania. Et peruenit vsque in locum, qui dicitur *Tedoad*. Et cùm vidisset VVAIFARIVS, misit Missos suos, Autbertum, & Dadinum, & Adalgarium: & dedit obsides iterum Regi Pippino, vt omnia redderet quicquid supradictus Rex quærebat in caussis Ecclesiasticis. Et celebrauit Natalem Domini in Carisiaco & Pascha anno Domini DCCLXI. B

761. VVALFARIVS Dux Aquitaniorum minimè cogitans de obsidibus, vel de sacramentis suis, quasi in vindictam super Pippinum Regem exercitum misit, qui ad Cauallonum ciuitatem venerunt. Dum & suprà dictus Rex Synodum suam teneret in villa, quæ dicitur Dura, nunciatum est ei, quòd VVaifarius in omnibus mentitus est. Tunc Rex iterum illuc cum exercitu pergens, & eius filius primogenitus nomine CAROLVS cum eo, multa castella cepit, quorum nomina sunt Burbonnis, Cantela, Clarmontis. Ista per pugnam cepit. Et in Aluerno alia multa castella cepit per placitum, quæ se subdiderunt in eius dominio. Et peruenit vsque Lemouicas, vastando & desertando supradictam Prouinciam propter negligentias VVaifarij Ducis. Et celebrauit Natalem Domini & Pascha in Carisiaco villa, anno Domini DCCLXII.

762. TERTIO in Aquitaniam Pippinus Rex iter faciens, cepit ciuitatem Bituricam, & castrum quod dicitur *Toarcis*. Et celebrauit Natalem Domini in Gentiliaco villa, & Pascha similiter. Et immutauit se numerus annorum Domini in DCCLXIII.

763. PIPPINVS Rex habuit Placitum suum in Niuernis. Et quartum iter faciens in Aquitaniam, ibi Tassilo Dux Baioariorum postposuit sacramenta, & omnia quæ promiserat: & per malum ingenium se indè seduxit. Omnia benefacta, quæ Pippinus Rex auunculus eius ei fecit, postposuit: per ingenia fraudulenta se subtrahendo, Baioariam petiit, & nusquam amplius faciem supradicti Regis videre voluit. Rex Pippinus iter peragendo per Aquitaniam, vsque ad Cadurciam peruenit, Aquitaniam vastando. Et reuertendo per Lemouicas in Franciam reuersus est. Et facta est hyems valida. Et tenuit Rex Pippinus Natalem Domini in villa, quæ dicitur *Longlar*, & Pascha similiter. Et in numeris mutatus est annus Domini in DCCLXIV. C

764. TVNC Rex PIPPINVS habuit Placitum suum ad VVormatiam, & nullum iter aliud fecit, nisi in Franciam resedit, causámque pertrectabat inter VVaifarium & Tassilonem. Et celebrauit Natalem Domini & Pascha in Parisiaco villa anno Domini DCCLXV.

765. POST hæc Rex PIPPINVS Placitum suum habuit ad Attiniacum, & nullum fecit aliud iter. Et celebrauit Natalem Domini in Aquis, & Pascha similiter. Et immutauit se numerus annorum Domini in DCCLXVI.

766. TVNC PIPPINVS Rex perrexit, iter faciens in Aquitaniam; & Placitum suum habuit in Aurelianis ciuitate, & restaurauit Argentomum castrum, quod antea VVaifarius destruxit. Supradictus Rex castrum nominatum reædificauit, ibíque Francos misit ad Aquitaniam continendam. Similiter & in Bituricas Fran-

A eorum scaram collocauit. Et celebrauit Natalem Domini in Salmonciacum, & Pascha in Gentiliaco anno Domini DCCLXVII. PIPPINVS.

TVNC habuit domnus Rex PIPPINVS in supradicta villa Synodum magnum inter Romanos & Græcos de sancta Trinitate, vel de Sanctorum imaginibus. Et postea perrexit, iter agens in partibus Aquitaniæ per Narbonam. Tolosam cepit, Albiensem similiter, necnon & Gauuldanum. Et sanus reuersus est in patriam. Et celebrauit Pascha in Vienna ciuitate. Et in eodem anno in mense Augusto iterum perrexit partibus Aquitaniæ, Bituricam vsque venit. Ibi Synodum fecit cum omnibus Francis solito more in campo. Et indè tunc pergens, vsque ad Garondam peruenit. Multas roccas & speluncas conquisiuit: castrum Scoraliam, Torinnam, Petrociam. Et reuersus est Bituricam. Ibique nunciatum est de obitu PAVLI Papæ. Et ibi celebrauit Natalem Domini anno DCC. LXVIII. 767.

DOMNVS PIPPINVS Rex iter faciens, REMISTAGNVM cepit, ad Sanctones ciuitatem vsque peruenit: & ibi capta matre VVaifarij, & sorore eius, & nepti eius, vsque ad Garondam indè perrexit in loco qui dicitur *Montis*. Ibi Herouuicus veniens cum illa alia sorore VVaifarij Ducis. Et indè sanus reuersus, Pascha celebrauit in castro quod dicitur *Sels*. Iterum iter assumens cum domna BERTRADANE Regina, ad Sanctones ciuitatem peruenit. Ibique domnam B Bertradam Reginam cum familia dimisit, & partibus Petragorico perrexit: & interempto VVaifario, cum triumpho victoriæ ad Sanctones reuersus est. Ibique moram faciens aliquot dies, ægrotare cœpit. In partibus Turonorum reuertendo perrexit, orationem ad sanctum Martinum fecit, ad sanctum Dionysium vsque peruenit, ibique diem obiens finiuit VIII. Kalendas Octobris. Domnus verò CAROLVS & CAROLOMANNVS eleuati sunt in Regnum. Et domnus Carolus VIII. Idus Octobris in Nouioma ciuitate, Carolomannus in Suessionis ciuitate similiter. Et celebrauit prædictus gloriosus domnus Carolus Rex Natalem Domini in villa quæ dicitur Aquis, & Pascha in Rodoma ciuitate. Et immutauit se numerus annorum in DCCLXIX. 768. CAROLVS MAGNVS.

DOMNVS CAROLVS gloriosus Rex iter peragens partibus Aquitaniæ, eò quòd HVNOLDVS voluit rebellare totam VVasconiam, etiam & Aquitaniam. Et cum paucis Francis, auxiliante Domino, dissipauit iniqua consilia supradicti Hunoldi. Et in ipso itinere iungens se supradictus magnus Rex cum germano suo CAROLOMANNO, in loco qui dicitur *Duasdiues*. Inde verò Carolomannus se reuertendo Franciam iter arripuit. Domnúsque Carolus benignissimus Rex iuit ad Equolesmam ciuitatem, & indè sumpsit plures Francos, cum omni vtensilio, & præparamenta eorum. Et ibat super fluuium Dordoniam, & ædificauit ibi castrum quod dicitur Fronciacus. Et indè Missos suos mittens post Hunoldum, & vxorem eius, ad Luponem VVasconem: dum & ibi moram fecisset vnà cum Francis, adductus est supradictus Hunoldus vnà cum vxore sua. Et castro præparato, & Hunoldo recepto, reuersus est in Franciam. Et celebrauit Natalem Domini in villa quæ dicitur Duria, & Pascha in Leodico vico publico anno Domini DCCLXX. 769. C

TVNC domnus CAROLVS Rex habuit Synodum in VVarmatiam ciuitatem. Et Carolomannus & BERTA Regina iungentes se ad Salona. Et in eodem anno perrexit domna Berta Regina per Baioariam partibus Italiæ. Et domnus Carolus Rex celebrauit Natalem Domini in Mogunciam, & Pascha in Harestallio. Et immutauit se numerus annorum Domini in DCCLXXI. 770.

ITEM domnus Carolus Rex Synodum habuit ad Valentianas. Et eodem anno Carolomannus Rex defunctus est in villa quæ dicitur Salmonciacus, II. Nonas Decembris. Carolus verò Rex venit ad Corbanacum villam. Ibique venientes VVillarius Archiepiscopus, & Fulradus Capellanus, cum aliis Episcopis & Sacerdotibus, VVarinus & Adalardus Comites, cum aliis Primatibus qui fuerunt Carolomanni. Vxor verò Carolomanui cum aliquibus paucis Francis partibus Italiæ perrexerunt. Gloriosus verò Rex Carolus celebrauit Natalem Domini in villa quæ dicitur Attiniacus, & Pascha in Haristallio villa anno Domini DCC. LXXII. 771.

TVNC CAROLVS Rex mitissimus Synodum tenuit ad VVormatiam, & indè perrexit partibus Saxoniæ. Prima vice castrum Heresburgum cepit, ad *Ermensul* 772.

CAROLVS MAGNVS. vsque peruenit, & ipsum fanum destruxit, & aurum vel argentum, quod ibi reperit, abstulit. Et fuit siccitas magna, ita vt aqua deficeret in supradicto loco, vbi Ermensul stabat. Et dum voluisset Rex ibi duos aut tres stare dies, fanum ipsum ad perdestruendum, & aquam non haberent: tunc subitò diuina largiente gratiâ, media die cuncto exercitu quiescente, in quodam torrente omnibus hominibus ignorantibus aquæ sunt effusæ largissimæ, ita vt cunctus exercitus sufficienter haberet. Tunc super VViseram fluuium venit Carolus Rex, & ibi cum Saxonibus placitum habuit: & recepit obsides, & reuersus est in Franciam. Et celebrauit Natalem Domini & Pascha in Haristallio, & in numeris mutatus est annus Domini DCCLXXIII. A

773. TVNC domnus CAROLVS Rex perrexit ad hiemandum in villa quæ dicitur Theodone-villa. Ibique veniens Missus domni ADRIANI Apostolici nomine Petrus per mare vsque ad Massiliam, & indè terreno gressu vsque domnum Carolum Regem peruenit: inuitans scilicet gloriosum Regem vnà cum Francis pro Dei seruicio, & iustitia S. Petri, seu solatio Ecclesiæ, super DESIDERIVM Regem, & Langobardos. Et ideò maritimè venit, quia viæ clausæ fuerunt Romanis à Langobardis. At domnus Rex Carolus consiliauit vnà cum Francis, quid peragerет. Et sumpto consilio vt ita fieret, sicut Missus Apostolici per verbum domni Adriani Papæ postulauit. Tunc Synodum Rex Carolus tenuit generaliter cum Francis apud Ienuam ciuitatem, ibiq; exercitum diuidens perrexit ipse per Montem-Cenisium, & misit BERNARDVM auunculum suum per Montem-Iouem, B cum aliis eius fidelibus. Et tunc ambo exercitus ad Sclusas se coniungentes, Desiderius ipse obuiam domno Carolo venit. Tunc Carolus Rex vnà cum Francis castra metatus est ad easdem Sclusas, mittens scaram suam per montanis. Hoc sentiens Desiderius Rex, Sclusas reliquit. Supradictus verò Carolus vnà cum Francis, auxiliante Deo, & intercedente beato Petro Apostolo, sine læsione vel aliqua turbatione Sclusas apertas, Italiam introiuit ipse, & omnes fideles sui, & Papiam ciuitatem vsque peruenit. Et dum propter defensionem sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ eodem anno inuitante summo Pontifice perrexisset, dimissa Marcâ contra Saxones, nullam omninò fœderationem suscepit. Ipsi verò Saxones exierunt cum magno exercitu super confinia Francorum, & peruenerunt vsque ad castrum quod nominatur *Buriaburg*. Attamen ipsi confiniales de hac causa solliciti, cùm hoc cernerent, castellum sunt ingressi. Dum igitur ipsa Saxonum gens cœpisset sæuiens domos forinsecus incendio cremare, venerunt ad quandam Basilicam in loco qui dicitur *Fredislar*, quem sanctæ memoriæ Bonifacius nouissimus Martyr consecrauit, atque per spiritum prophetiæ prædixit, quòd numquam incendio cremaretur. Cœperunt autem iidem præfati Saxones cum nimia intentione aduersus eandem certare Basilicam, quemadmodum eam per quodlibet ingenium igne cremare potuissent. Dum hæc agerentur, apparuerunt quibusdam Christianis qui erant in castello, similiter & quibusdam paganis qui in ipso aderant exercitu, duo C iuuenes in albis, qui ipsam Basilicam ab igne protegebant. Et propterea ibidem non potuerunt neque interiùs neque exteriùs ignem accendere, nec aliquod damnum inferre eidem Basilicæ. Sed nutu diuinæ maiestatis pauore perterriti, in fugam conuersi sunt nemine persequente. Inuentus est autem vnus postea ex iisdem Saxonibus mortuus iuxta ipsam Basilicam, genibus curuis, adclinus super pedes, habens ignem & ligna in manibus, velut ore flando eandem Basilicam igni tradere voluisset. Desiderio igitur incluso, ipsam ciuitatem Rex obsedit, ibique in ipsa castra domnus Carolus Rex Natalem Domini celebrauit, & Pascha in Roma. Et immutauit se numerus annorum Domini in DCCLXXIV.

774. REVERTENS ergo CAROLVS Rex à Roma, iterum ad Papiam peruenit, & ipsam ciuitatem cepit cum DESIDERIO Rege, & vxore, & filia, vel cum omni thesauro eius Palatij. Ibique venientes omnes Langobardi de cunctis ciuitatibus Italiæ, subdiderunt se in dominio domni gloriosi Regis Caroli & Francorum. ADALGISVS verò filius Regis Desiderij fugâ lapsus mare introiuit, & Constantinopolim perrexit. Tunc Rex Carolus ipsa Italiâ sibi subiugata, & ordinata custodiâ Francorum in Papia ciuitate, dimittens cum vxore & reliquis Francis, Deo adiuuante, cum magno triumpho Franciam reuersus est. Et dum peruenisset in loco qui dicitur Ingelhaim, mittens quatuor scaras in Saxoniam. At illi

A tres pugnas cum Saxonibus inierunt, & auxiliante Deo victores extiterunt. Quarta verò scara non habuit pugnam, sed cum præda magna inlæsi iterum reuersi sunt ad propria. Et celebrauit gloriosus Rex Natalem Domini & Pascha in Carisiaco villa, anno DCCLXXV. CAROLVS MAGNVS

TVNC pius atque præclarus CAROLVS Rex Synodum habuit in villa, quæ dicitur Duria. Et indè iter peragens partibus Saxoniæ, Sigiburgum castrum cepit, Heresburgum reædificauit. Super VViseram fluuium venit, in loco qui dicitur *Brunisberg*. Et ibi præparabant Saxones bellum, volentes ripam supradicti amnis defendere. Auxiliante Domino, & Francis decertantibus, fugientibus Saxonibus, Franci ambas ripas obtinuerunt, & multi Saxones ibi occisi sunt. At Carolus Rex diuidens exercitum suum, sumpsit secum quos voluit, & perrexit vsque Obacrum fluuium. Ibi omnes Austreleudi Saxones venientes cum Mansione*, dederunt obsides iuxta quod placuit Regi, & iurauerunt se fideles esse supradicto Regi. Indè reuertens Rex venerunt Angrarij in pago qui dicitur *Bucki*, vnà cum Brunone vel reliquis Optimatibus eorum, & dederunt ibi obsides sicut Austrasij. Et indè reuertente præfato Rege, inuenit aliam partem de suo exercitu super fluuium VVisera, continentes ripam quam iussi fuerant. Saxones enim cum ipsis pugnam fecerunt in loco, qui dicitur *Lidbah*, & Franci Deo volente victoriam habuerunt, & plures ex ipsis Saxonibus occiderunt. Hoc audiente domno Carolo Re- 775.

* al. Hassione.

B ge, iterum super Saxones cum exercitu irruens, non minorem stragem ex eis fecit, & prædam vltra conquisiuit super VVestfalaos, & obsides dederunt, sicut & illi alij Saxones. Ergo obsidibus receptis, & præda multa assumpta, & strage Saxonum peracta, domnus Carolus Rex ad propria reuersus est auxiliante Domino in Franciam. Dehinc audiens quòd Rotgaudus Langobardus fraudaret fidem suam, & omnia sacramenta rumpens voluit Italiam rebellare. Tunc illis in partibus cum aliquibus Francis Carolus Rex iter peragens, celebrauit Natalem Domini in villa, quæ dicitur *Scaldistat*, anno Domini nostri IESV CHRISTI DCCLXXVI.

REX itaque CAROLVS Italiam ingressus est, partibus Foroiulensium pergens. Rotgaudus occisus est, Carolúsque ad Taruuisium ciuitatem Pascha celebrauit, & captas ciuitates Foroiulensem & Taruuisium, cum reliquis ciuitatibus quæ rebellatæ fuerant: & disposuit eas per omnes Francos, & iterum cum prosperitate & victoria reuersus est in Franciam. Tunc nuncius veniens, dixit Saxones rebellatos, & omnes obsides suos tultos, & sacramenta rupta, & Heresburgum castrum, per mala ingenia & iniquo placito suadentibus exinde exire Francos. Sic Heresburgo à Francis derelicto, muros & opera Saxones destruxerunt, & indè pergentes voluerunt de Sigisburgo castello similiter facere. Dum enim per placita eos, qui infra ipsum castrum custodes erant, inludere non potuissent, sicut alios iam seduxerant, cœperunt pugnas & machinas præparare, qualiter per virtutem illam potuissent capere. Sed Deo volente petrariæ, quas parauerunt, plus illis damnum 776.

C fecerunt, quàm illis qui infra castrum residebant. Cùm enim vidissent quòd eis non proficeret, præparauerunt etiam clidas ad debellandum per virtutem ipsum castellum. Sed Dei virtus, sicut iustum est, superauit illorum virtutem. Quodam ergo die cùm bellum præparassent aduersum Christianos qui in ipso castro residebant, apparuit manifestè gloria Dei supra domum Eclesiæ, quæ erat infra ipsum castrum: videntibus multis tam aforis, quàm etiam & deintus, ex quibus multi manent vsque adhuc. Et dicunt vidisse se instar duorum scutorum colore rubeo flammantes & agitantes supra Ecclesiam. Et cùm hoc vidissent signum pagani qui aforis erant, statim confusi sunt, & magno timore perterriti cœperunt fugere ad castra. Et omnis multitudo eorum in pauore concussi, fugam arripientes, alij ab aliis se inuicem interficiebant. Qui enim retro propter pauorem aliquem respiciebant, infigebant lanceas eorũ, quos in humeris portabant, in corpora antecedentium. Et alij diuersis ictibus inter se sunt perpessi, & diuina vltione iudicati. Quantum enim tunc super eos Dei virtus propter salutem Christianorũ operata est, nullus narrare valet. Attamen quantum illi plus pauore perterriti fuerunt, tantò magis Christiani confortati omnipotentem Deum laudauerunt, qui dignatus est suam manifestare potentiam super seruos suos. Auxiliante Domino, Francis viriliter repugnantibus, nihil præualuerunt. Et indè fugam arripientes Saxones, persecuti sunt eos Franci, interficientes illos vsque ad flumen Lippiam: & castro saluato, cum victoria re-

CAROLVS MAGNVS. uersi sunt. Et cùm peruenisset domnus Carolus Rex VVormatiam, omnes istas A causas audiens, coniunxit Synodum ad eandem ciuitatem. Et ibi Placitum publicum tenens, consilio facto cum Dei adiutorio sub celeritate & nimia festinatione Saxonum casas seu firmitates subitò introiuit. Tunc Saxones omnes perterriti ad locum, vbi Lippia consurgit, venientes ex omni parte, reddiderunt patriam per vvadimoniam omnem in manibus eorum, & dixerunt se esse Christianos, & se sub ditione domni Caroli Regis & Francorum subdiderunt. Et tunc Rex vnà cum Francis reædificauit denuò Heresburgum castrum, aliúdque castrum super Lippiam. Et ibi venientes Saxones vnà cum vxoribus & infantibus, innumerabilis multitudo baptizati sunt, & obsides, quantos iam supra dictus Rex ab eis quæsiuit, dederunt. Perfectis ergo supradictis castellis, & dispositis per Francos scaras residentes, & ipsas custodientes, reuersus est Carolus Rex in Franciam. Et celebrauit Natalem Domini in Haristallio, & Pascha in villa quæ dicitur Niumaga. Et immutauit se numerus annorum Domini in DCCLXXVII.

777. TVNC domnus CAROLVS Rex Synodum publicum habuit ad *Padarbrunna* prima vice, ibíque conuenientes omnes Franci, & ex omni parte Saxoniæ vndique Saxones conuenerunt: excepto quòd VVindochinus rebellis extitit cum paucis aliis, & in partibus Normanniæ confugium fecit vnà cum sociis suis. Etiam ad eundem Placitum venerunt Sarraceni de partibus Hispaniæ. Hi sunt, Ibinalarabi, & filius Deiuzefi, qui & Latinè Ioseph nominatur, similiter & gener eius. B Ibíque multitudo Saxonum baptizati sunt, & secundum morem illorum omnem ingenuitatem & alodum manibus dulgtum fecerunt, si ampliùs mutassent, secundum malam consuetudinem eorum, nisi conseruassent in omnibus Christianitatem, vel fidelitatem supradicti Caroli Regis, & filiorum eius, vel Francorum. Et celebrauit Natalem Domini in villa quæ dicitur Dociacum, & Pascha in Aquitania in villa Cassinoillo, anno Domini nostri IESV CHRISTI DCCLXXVIII.

778. ERGO domnus CAROLVS Rex iter peragens partibus Hispaniæ per duas vias: vnam per Pampilonam, per quam ipse Rex perrexit vsque Cæsaraugustam. Ibíque venientes de partibus Burgundiæ, & Austrasiæ, vel Baioariæ, seu Prouinciæ, & Septimaniæ, & pars Langobardorum, coniungentes se ad supradictam ciuitatem, ex vtraque parte exercitus ibi obsides receptos de Ibinalarabi & de Abutauro, & de multis Sarracenis, Pampilona destructa, Hispanos & VVascones subiugatos, etiam & Nabarros, reuersus est in Francia. Quod cùm audissent Saxones, quòd domnus Rex & Franci tam longè fuissent in partibus Hispaniæ, per suasionem supradicti VVidechinni vel sociorum eius, secundum malam consuetudinem iterum rebellati sunt. Et nunciatum est hoc Carolo Regi in Autisiodorum ciuitatem. Tunc Rex mittens scaram Franciscam, vt sub velocitate festinaret ad resistendos supradictos Saxones. Sed illi rebelles ad Rhenum vsque Duitium peruenerunt. Tunc prædantes secus Rhenum, & multas malitias facientes, Ecclesias Dei incendentes, cum Sanctemonialibus, & quod fastidium generat C numerandi. Tum subitò audientes de reuersione Caroli Regis, & de scara eius, quam illis obuiam misit, Saxones dimisso Rheno reuersi sunt per Lingonem in partibus Saxoniæ. At scaræ Francorum perrexerunt obuiam eis, & cautè obseruantes eorum vestigium, consecuti sunt eos super fluuium, cuius vocabulum est Adarnach, in loco qui dicitur *Libesi*. Ibi pugna incœpta, & benè finita, auxiliante Domino Franci victores extiterunt, & multitudo Saxonum ibi occisi sunt, fugientésque cum magna contumelia reuersi sunt Saxoniam. Et celebrauit clementissimus Rex Natalem in villa Haristallio dicta, & Pascha similiter. Et immutatus est numerus annorum Domini in DCCLXXIX.

779. TVNC domnus Rex CAROLVS iter peragens partibus Niustriæ, peruenit vsque in villa quæ dicitur Compendio. Et tunc iterum reuertendo partibus Austriæ, obtulit se HILDEBRANDVS Dux Spolitanus cum multis muneribus in præsentiam supradicti Regis, in villa quæ vocatur Vuirciniacum. fuitque Synodus in villa nuncupante Duria. Peracto itinere partibus Saxoniæ, ad Lippeam transitur Rhenus fluuius. Sed Saxones voluerunt resistere ei in loco, qui dicitur *Bocholz*. Auxiliante Domino, non præualuerunt, sed abindè fugientes reliquerunt omnes firmitates eorum, & Francis aperta est via. Et introeuntes in VVastfalaos, conquisierunt eos omnes. Reliqui, qui vltra VVisoram fuerunt,

cùm

A cùm se iunxisset domnus Carolus Rex ad locum qui dicitur *Medofulli*, ibi dederunt obsides: & deindè sacramenta firmantes, reuersus est gloriosus Rex in Franciam. Et celebrauit Natalem Domini & Pascha in VVarmaciam ciuitatem anno Domini DCCLXXX.

GLORIOSVS item CAROLVS Rex iter peragens ad disponendam Saxoniam, ad Heresburgum castrum peruenit, & indè ad locum vbi Lippia consurgit. Ibique Synodum tenuit. Indéque perrexit partibus Albiæ fluuij, & in ipso itinere omnes Bardongauenses, & multi de Nortleudis baptizati sunt in loco qui dicitur *Orhaim* vltra Obacrum fluuium. Et peruenit vsque ad fluuium supradictum, vbi Ora confluit in Albia. Ibique cuncta disponens, tam Saxoniam quàm & Sclauos, reuersus est præclarus Rex in Franciam. Tunc sumpto consilio, vt iter peragere orationis causâ in partibus Romæ, vnâ cum vxore sua domna HILDEGARDE Regina, celebrauit Natalem Domini in Papia ciuitate. Et immutauit se numerus annorum Domini in DCCLXXXI. 780.

SVPRADICTVM verò iter peragens, celebrauit Pascha in Roma. Et ibi baptizatus est domnus PIPPINVS filius supradicti Caroli Regis ab ADRIANO Papa, qui & ipse eum de sacro fonte suscepit. Et duo filij Caroli Regis vncti sunt in Reges à supradicto Pontifice. Hi sunt, domnus PIPPINVS, & domnus HLVDOICVS, Reges. Pippinus in Italiam Rex; & Hludoicus Rex subrogatur in Aquitania. Et indè reuertente domno Carolo Rege, Mediolanis ciuitate peruenit. Ibique baptizata est filia eius domna GISOLA ab Archiepiscopo nomine Thoma, qui & ipse eam à sacro baptismo manibus suscepit. Et abindè est reuersus in Franciam. Tunc missi sunt duo Missi Apostolici supradicti, hi sunt Formonsus & Damasus Episcopi, ad Tassilonem Ducem, vnà cum Missis Regis Caroli, hi sunt Riculfus Diaconus, & Eberhardus Magister Pincernarum: ad commonendum & contestandum, vt reminisceret priscorum sacramentorum suorum; & vt non aliter faceret, nisi sicut iureiurando iamdudum promiserat ad partem domni Pippini Regis, & domni Caroli Regis Francorum. Consensit itaque Tassilo Dux Baioariorum ea ratione, vt sumptos obsides à domno Carolo, tunc ad eius veniret præsentiam. Quod & Rex domnus Carolus non renuit. Tunc supradictus Dux venit in præsentiam piissimi Regis in VVormaciam ciuitatem, ibique renouans sacramenta, XII. obsides electos dedit vt omnia obseruaret, quidquid Pippino Regi iureiurando promiserat in caussa supradicti domni Caroli Regis, vel fidelium suorum. Qui & ipsi obsides recepti sunt in Carisiaco villa sub manus Imberti Episcopi. Sed non diu præfatus Dux Tassilo promissiones quas fecerat conseruauit. Celebrauit ergo Rex Natalem Domini & Pascha in supradicta villa Carisiaco, anno Domini DCCLXXXII. 781. (B)

TVNC domnus CAROLVS Rex iter peragens, Rhenum pertransiens ad Coloniam Synodum tenuit vbi Lippia consurgit. Ibique omnes Saxones venientes, excepto VVindechindo rebelle. Conuenerunt etiam illuc Nortmanni missi Sigefridi Regis, id est Almptam cum sociis suis. Similiter & Auari illuc conuenerunt missi à Cagano & Iugurto. Ibique peracto Placito, reuersus est domnus Carolus Rex in Franciam. Et cùm reuersus esset Rex, statim iterum Saxones solito more rebellati sunt. Suadente VVidekindo, & ignorante hoc domno Carolo Rege, misit Missos suos Adhalgisum & Gailonem, atque Vuoradum, vt mouerent exercitum Francorum & Saxonum super Sclauos paucos qui rebelles fuerant. Suprà nominati autem Missi in via audientes quòd Saxones rebellati fuissent, coniungentes supradictam scaram, irruerunt super Saxones, & nullum mandatum fecerunt exindè domno Carolo Regi. Et commiserunt bellum cum Saxonibus, & fortiter pugnantes, & multos Saxones interimentes, victores extiterunt Franci. Et ciciderunt ibi duo ex ipsis Missis, Adhalgisus & Gailo, in monte qui dicitur *Suntdal*. Hoc audiens Carolus Rex, vnà cum Francis, quos sub celeritate coniungere potuit, illuc perrexit, & peruenit vsque ad locum vbi Alara confluit in VVisoram. Tunc omnes Saxones iterum conuenientes, subdiderunt se sub potestate supradicti Regis, & reddiderunt omnes malefactores illos, qui idipsum rebellium maximè terminauerunt, ad occidendum IV. M. D. quòd & ita factum est, excepto VVi- 782. (C)

CAROLVS MAGNVS. dechindo, qui fugâ lapsus est partibus Nortmanniæ. Hæc omnia peracta, reuersus est præfatus Rex in Franciam. Et celebrauit Natalem Domini & Pascha in villa quæ dicitur Theodone-villa. Et immutauit se numerus annorum Domini in DCCLXXXIII. A

783. EODEM anno obiit domna ac bonis meritis HILDEGARDIS Regina pridie Kal. Maij, quod in die euenit tunc in tempore vigilia Ascensionis Domini. Et Rex CAROLVS iter fecit partibus Saxoniæ, eò quòd Saxones iterum rebelles fuissent. Et cum paucis Francis ad Theodmalli peruenit. Ibi Saxones se præparauerunt ad pugnam in campo. Quo viriliter Rex & Franci solito more super eos inruentes, Saxones terga verterunt, & Domino adiuuante Franci victores extiterunt. Ceciditque ibi maxima multitudo Saxonum, ita vt pauci per fugam vix euasissent. Et indè cum victoria venit suprà dictus Rex ad Padarbrunnam. Ibique coadunans exercitum suum, perrexit vbi iterum Saxones se coniunxerant ad fluuium, cuius vocabulum est Hassa. Ibi iterum pugna inita, non minor numerus Saxonum ibi cecidit, & auxiliante Domino Franci victores extiterunt. Indè iter peragens domnus Rex, VViseram fluuium transiit, ad Albiam fluuium vsque peruenit, & indè reuersus est in Franciam. In eodem anno obiit bonæ memoriæ domna BERTA Regina IV. Idus Iulij. Et cùm VVormaciam venisset domnus Carolus Rex, sociauit sibi in matrimonio domnam FASTRADANEM Reginam. Et celebrauit Natalem Domini & Pascha in villa quæ dicitur Haristallio anno Domini DCCLXXXIV. B

784. ET tunc iterum rebellati sunt Saxones solito more, & pars cum eis aliqua Fresonum. Igitur CAROLVS Rex iter peragens, Rhenum transiit ad Lippiam, & ingressus est Saxoniam circuiendo & vastando, vsquequo peruenit ad Hucului. Ibique consilio inito, eo quòd nimium inundationes aquarum fuissent, vt per Thoringiam de Orientale parte introiret super VVestfalaos, filiumque suum domnum Carolum dimitteret cum vnà scara contra VVestfalaos. quod & ita factum est. Domnus Rex Carolus perrexit per Thoringiam vsque ad fluuium Albiam, & inde ad Stangford, & indè ad Scaningi. Ibique conuentione facta, reuersus est in Franciam. VVestfalai verò voluerunt se congregare ad Lippiam. Quo audito, CAROLVS filius domni Regis Caroli obuiam eis accessit cum scara sua, quæ cum eo dimissa erat in pago, qui dicitur Dragini, & inierunt bellum. Et auxiliante Domino, Carolus minor victor extitit, vnà cum Francis. Interfectisque multis Saxonibus, volente Deo inlæsus remeauit ad genitorem suum in VVormaciam ciuitatem. Ibique inito consilio cum Francis, vt iterum hiemis tempore iter faceret in Saxoniam. quod & ita factum est. Et celebrauit Natalem Domini iuxta *Hidrioburg*, in pago VVaisagauui, super fluuium Ambra, in villa Luichidi, anno Domini DCCLXXXV.

785. POST hæc Rex CAROLVS supradictum iter peragens, vsque ad Rimie peruenit super fluuium VVisera, vbi confluit VVaharna. Et propter nimiam inundationem aquarum indè reuersus est Heresburgum. Vxorem suam domnam FASTRADANEM Reginam, vnà cum filiis & filiabus suis, ad se venire iussit. Ibi tota hieme residens, Pascha excellentissimus Rex ibidem celebrauit. Et dum ibidem resideret, multotiens scaras misit, & post per semetipsum iter peregit. Saxones, qui rebelles fuerunt, deprædauit, castra cepit, & loca eorum munita interuenit, viásque mundauit. Et dum tempus congruum venisset, Synodum publicum tenuit ad Padarbrunnam. Et indè iter pergens, vias apertas faciens nemine contradicente per totam Saxoniam, quocumque voluit. Et tunc in Bardingauui venit. Ibique mittens post VVidochindum & Albionem, vtrosque ad se conduxit, & firmauit vt non se substraherent, nisi in Franciam ad eum peruenissent. Petentibus verò eis, vt obsides acciperent quòd inlæsi ad eum peruenire potuissent. sicque & factum est. Tunc domnus Carolus Rex reuersus in Franciam, misit ad supradictos VVidochindum & Albionem obsides per Missum suum Amalluuinum. Quos cùm recepissent, illos secum deducentes, coniunxerunt se ad Attiniacum villam ad domnum Regem Carolum. Et ibi baptizati sunt supranominati VVidochindus & Albio, cum sociis eorum. Et tunc tota Saxonia subiugata est. Et in eadem villa celebra- C

A uit gloriosus Rex Natalem Domini, & Pascha similiter, anno Domini DCC. LXXXVI. CAROLVS MAGNVS.

TVNC domnus CAROLVS Rex misit exercitum suum partibus Britanniæ, vnà cum Misso suo Audulfo Sinescalco, & ibi multos Brittones conquisierunt, vnà cum castellis & firmitatibus Brittonum. Prævaluerunt Franci, & cum victoria Domino volente reuersi sunt. Et Capitaneos eorum in Synodum præsentabant supradicto Carolo in VVormatiam. Tunc præclarus Rex prospiciens se ex omni parte, Deo largiente, pacem habere, sumpsit consilium, orationis causâ ad limina beatorum Apostolorum iter peragendi, & causas Italicas disponendi, & cum Missis Imperatoris Placitum habendi de conuenientiis eorum. quod & ita factum est. Et celebrauit gloriosus Rex Natalem Domini in Florentia ciuitate. Et immutatus est numerus annorum Domini in DCC. LXXXVII. 786.

IGITVR domnus CAROLVS Rex in supradicto itinere iter peragens Romam venit, & valdè honorificè à domno Apostolico ADRIANO receptus est: & aliquot dies ibi moratus est cum domno Apostolico. Et ARIGIS Dux Beneuentanus misit RVMOLDVM filium suum cum magnis muneribus postulare de aduentu iamdicti domni Regis, vt in Beneuento non introisset, & omnes voluntates præfati domni Regis adimplere cupiebat. Sed hoc Apostolicus minimè credebat, neque Optimates Francorum. Et consilium fecerunt cum su- 787.

B pranominato domno Carolo Rege, vt partibus Beneuentanis causas firmando aduenisset. quod ita factum est. Et dum Capuam venisset Rex, Aregisus Dux reliquit Beneuentum ciuitatem, & in Salernum se reclusit. Et timore perterritus, non fuit ausus per semetipsum faciem domni Regis Caroli videre. Sed mittens Missos, & ambos filios suos proferens, id est Rumoldum, quem domnus Carolus secum habebat, & Grimaldum, quem prædictus Aregisus secum retinebat: & offerens multa munera, & alios obsides, vt petitionem eius Rex annueret. Tunc domnus ac gloriosus Rex prospexit vnà cum Sacerdotibus vel ceteris Optimatibus suis, vt non terra deleretur illa, & Episcopia vel Monasteria non desertarentur. Elegit namque XII. obsides, & tertium decimum filium supradicti Ducis nomine Grimaldum. Et acceptis muneribus iurauerunt omnes Beneuentani, tam supradictus Dux, quàm & Rumoldus. Et reuersus est sæpè nominatissimus Rex, & celebrauit Pascha cum domno Apostolico in Roma. Ibique venientes Missi Tassilonis Ducis, hi sunt, Arnus Episcopus, & Henricus Abba, & petierunt domnum Apostolicum, vt pacem terminaret inter domnum Carolum Regem, & Tassilonem Ducem. Vnde & domnus Apostolicus multum se interponens, postulando iam sæpè dicto Regi. Tunc domnus Rex Carolus, respondit Apostolico, hoc se voluisse, & per multa tempora iam quæsisse, sed minimè inuenire potuisse. Præcepit ergo Rex id statim fie-

C ri, voluitque in præsentia domni Apostolici cum ipsis Missis pacem firmare. Sed renuentibus supradictis Missis, dicendo quòd non ausi fuissent de eorum parte vllam firmitatē facere. Apostolicus verò cùm cognouisset de instabilitate vel mendacio eorum, statim suprà dictum Ducem eorum vel suis consentaneis anathema posuit: si ipse sacramenta, quæ promiserat domno Pippino Regi, itémque domno Carolo Regi, non adimpleret. Obtestans supradictos Missos, vt contestarent Tassilonem, non aliter facere, nisi in omnibus obediens fieret domno Regi Carolo, & filiis eius, ac genti Francorum: ne fortè sanguinis effusio proueniret, vel læsio terræ illius. At ipse Dux Tassilo si verbis domni Apostolici minimè obedire voluisset, tunc domnus Rex Carolus, & suus exercitus, absoluti essent ab omni periculo peccati, & quicquid in ipsa terra factum eueniret in incendiis, aut in homicidiis, vel in qualicumque malitia, vt hoc super Tassilonem & eius consentaneos eueniret: domnúsque Carolus Rex, ac Franci, innoxij ab omni illa culpa exindè permanerent. His verbis expletis, Missi Tassilonis absoluti sunt. Tunc in inuicem sibi domnus Apostolicus atque gloriosus Rex Carolus valedicentes, benedictione assumpta, oratione peracta, Franciam iamdictus Rex reuersus est. Peruenítque ad coniugem suam domnam Fastradanē Reginam in ciuitate VVormatia. Et ibi ad inuicem gaudentes & lætificantes, ac Dei misericordiam collaudantes. Synodum nāque congregauit Rex Carolus ad

CAROLVS MAGNVS. eandem ciuitatem. Et Sacerdotibus suis, aliisque Optimatibus suis nunciauit omnia, qualiter in illo itinere cuncta peragebantur. Et cùm explanasset omnia de Tassilone sicut actum erat, tunc prospiciens idem Rex vt Missos ad eum mitteret, mandaretque Tassiloni, vt omnia adimplere festinaret secundum iussionem Apostolici, vel sicut iustitia erat: eò quòd sub iureiurando promissum habebat, vt in omnibus obediens & fidelis fieret & domno Carolo Regi, & filiis eius, vel Francis. Iussitque per Missos vt ad eius veniret præsentiam. quod renuit, & venire contempsit. Tunc domnus Rex Carolus vnà cum Francis videns iustitiam suam, iter cœpit peragere partibus Baioariæ cum exercitu suo. Ipséque venit in loco, qui *Lechefele* vocatur, super ciuitatem Augustam. Iussitque alium exercitum fieri, id est Franci, Austrasij, Thoringi, Saxones, & coniungere se super Danubium fluuium, in loco qui dicitur *Faringa*. Et tertium exercitum iussit fieri partibus Italiæ, vbi PIPPINVS Rex cum suo exercitu vsque ad Trianto partibus Italiæ veniret, ipséque ibi remaneret, & exercitum suum pleniter extenderet vsque ad Bauzanum. Tunc prospiciens se Tassilo ex omni parte esse circumdatum, & videns quòd omnes Baioarij plus essent fideles domno Regi Carolo, quàm ei, & cognouisset oportere magis iustitiam consentire, quàm contrarium esse: vndique constrictus Tassilo venit per semetipsum, tradens se in manus domni Regis Caroli in vassaticum, & reddens Ducatum sibi commissum à domno Pippino Rege. Et recredidit se in omnibus peccasse, & malè egisse, denuò renouans sacramenta. Et dedit XII. obsides, & decimumtertium filium suum Theodonem. Receptis verò Rex obsidibus, vel sacramentis, reuersus est in Franciam. Et celebrauit Natalem Domini & Pascha in villa quæ dicitur Ingelhaim: & immutauit se numerus annorum Domini in DCCLXXXVIII.

788. DEHINC piissimus Rex CAROLVS congregauit Synodum ad iamdictam villam Ingelhaim. Ibique veniens Tassilo per iussionem domni Regis, sicut & ceteri eius vassalli. Et cœperunt fideliores Baioariorum dicere, quòd Tassilo fidem suam saluam non haberet, sed fraudolens appareret, postquàm filium suum dedit cum aliis obsidibus, & post sacramenta fefellit, suadente vxore sua Liudbergane. Quod & Tassilo denegare non potuit, & confessus est se ad Auaros transmisisse vassos supradicti Regis, vt ad se cohortando venirent, & se super vita Regis consiliasse: & quòd homines suos iuberet, quando iurare deberent, vt aliter in mente retinerent, & sub dolo iurarent. Et confessus est se etiam dixisse, quòd si sex filios haberet, se velle illos omnes magis perdere, antequàm placita sic manerent, vel stabile permitteret sicut iuratum habuit: & quòd diceret se velle meliùs mori, quàm ita viuere. Et hæc omnia probantes Franci, & Baioarij, Langobardi, & Saxones, vel omnes Prouinciales, qui ad eandem Synodum congregati fuerunt. Reminiscentésque priorum malorum eius, & quomodo domnum Pippinum Regem in exercitum dereliquisset, & ibi, quod Theodisca linguâ *Harisliz* dicitur, visi sunt iudicasse se eundem Tassilonem ad mortem. Sed dum omnes vna voce acclamarent, capitalem eum ferre sententiam, iamdictus domnus Carolus piissimus Rex motus misericordiâ ob amorem Dei, & quia consanguineus eius erat, contenuit ab ipsis Dei ac suis fidelibus, vt non moriretur. Interrogatus prædictus Tassilo à clementissimo Rege, quid agere voluisset; postolauit ille, vt licentiam ei daret sibi tonsorandi, & in Monasterium introeundi, & pro tantis peccatis pœnitentiam agendi, & vt suam saluaret animam. Similiter & filius eius Theodo diiudicatus est, & tonsuratus, & in Monasterio missus. Et pauci Baioarij, qui in aduersitate domni Regis perdurare volebant, missi sunt in exilio. Eodem quoque anno commissum est bellum inter Græcos & Langobardos, id est Duce Spolitano nomine Hildebrando, seu Duce Grimaldo, quem domnus Rex Carolus posuerat Ducem super Beneuentanos. Misitque Rex VVINEGISVM vnà cũ paucis Francis, vt prouideret omnia quæ illi in pugna gessissent. Et auxiliante Domino, victoria est facta à Francis seu à Langobardis. Alia item pugna cõmissa est inter Francos & Auaros in loco qui dicitur...... Opitulante autem Domino victoriã obtinuerunt Franci, & Auari cum contumelia reuersi sunt, fuga lapsi. Tertia verò pugna commissa est inter Baioarios & Auaros in campo Ibosæ. Et misit ibi dominus Carolus Grahamannum & Audacrum, cum aliquibus Francis. Et Domino auxiliante, victoria fuit Francorum seu Baioariorum. Et ista omnia supradictus Dux TASSI-

A LO, seu maliuola vxor eius LIVTBERGA Deo odibilis per fraudem consiliauerunt, & peregerunt. Quarta pugna fuit commissa ab Auaris, qui voluerunt vindictam peragere contra Baioarios. Et ibi similiter fuerunt Missi domni Regis Caroli, & Domino protegente victoria Christianorum aderat. Auari verò fugâ lapsi, multa strages ibidem facta est occidendo, aliique in Danubio fluuio vitam necando emiserunt. Post hæc omnia domnus Rex Carolus per semetipsum ad Regnesburg peruenit, & ibi fines vel marcas Baioariorum disposuit, quomodo saluas Domino protegente contra iamdictos Auaros potuisset seruare. Indè verò reuersus, celebrauit Natalem Domini & Pascha in Aquis Palatio, anno Domini DCCLXXXIX. CAROLVS MAGNVS.

[HOC verò anno, vt computatum est, depositio fuit domni TILPINI Episcopi III. Non. Septembris.] Inde iter permotum partibus Sclauaniæ, quorum vocabulum est *Vuilze*, Domino adiuuante: vna cum consilio Francorum & Saxonum gloriosus Rex perrexit Rhenū. Ad Coloniam transiens per Saxoniam vsque ad Albiam fluuium venit, ibique duos pontes construxit. Quorum vno ex vtroque capite castellum ex ligno & terra ædificauit. Exindè promotus inantè, Domino largiente, supradictos Sclauos sub suo dominio conlocauit. Et fuerunt cum eo in eodem exercitu Franci & Saxones. Frisiones autem nauigio per Abola fluuium cum quibusdam Francis ad eum coniunxerunt. Fuerunt etiam Sclaui cum B eo, quorum vocabula sunt hæc, Suburbi, necnon & Abotriti, quorum Princeps fuit VVizzan. Ibique obsides receptos, & sacramenta quamplurima, Domino perducente Franciam venit. Et celebrauit Natalem Domini & Pascha in VVormatia ciuitate anno Domini DCCXC. 789.

IN sequenti verò anno nullum fecit iter. Sed ibi in iamdicta ciuitate iterum Natalem Domini & Pascha celebrauit. Et immutatus est numerus annorum Domini in DCCXCI. 790.

INDE autem itinere permoto partibus Baioariæ, perrexit ad Regnesburg. Ibi exercitum suum coniunxit. Ibique consilio peracto cum Francis, Saxonibus, Fresionibus, disposuerunt propter nimiam malitiam & intolerabilem, quam fecerant Auari contra Sanctam Ecclesiam, vel populum Christianum, vnde iustitias per Missos impetrare non valuerunt, iter peragendi, cum Dei adiutorio partibus iamdictis Auarorum perrexerunt. Ad Anisam verò fluuium properantes, constituerunt Letanias facere per triduum: Missarúmque sollemnia celebrantes, Dei solatium postulauerunt pro salute exercitus, & adiutorio Domini, & pro victoria & vindicta super Auaros. Supradictus verò Princeps de Australi parte per Danubium iter peragens, Saxones autem cum quibusdam Francis, & pluribus Fresionum, de Aquilonari parte Danubij similiter iter peragentes, vbi ad locum peruenerunt, quo Auari firmitates suas habuerunt præparatas, de Australi verò parte Danubij ad *Comeoberg*. De alia verò parte super ripam in loco qui di- C citur Campus, quia sic nominatur fluuius ille, qui ibi confluit in Danubio. Auari verò cùm vidissent vtrumque exercitum ripas continentes, & nauigia per medium fluuium venientes, à Domino terrore concutiuntur, derelinquentes loca munita, firmitatésque eorum, vel machinationes dimiserunt, fugâ lapsi, Domino ducente populo suo, vtrumque exercitum sine læsione introduxit supradictus Rex. Sicque iter peregerunt vsque ad fluuium, cuius vocabulum est *Raba*. Et exinde vtriusque exercitus de ambabus ripis ad propria reuersi sunt, magnificantes Dominum de tanta victoria. Et celebrauit Rex Carolus Natalem Domini in Regnesburg, & Pascha similiter, anno Domini nostri IESV CHRISTI DCCXCII. 791.

HIC peruenit heresis Feliciana primitus audita, & in Regnesburg primò condemnata est. Quem Engelbertus in præsentia Adriani Apostolici adduxit, & confessione facta, suam heresim iterum abdicauit. Eodem anno nullum iter exercitale factum est. Pons super nauigia flumina transeuntia factus est, anchoris & funibus ita cohærens, vt iungi & dissolui posset. Ibi Natalem Domini & Pascha celebrauit Carolus Rex. Et immutauit se numerus ann. Domini in DCCXCIII. 792.

Rex Autumnali tempore de Regnesburg iter nauigio faciens, vsque ad fossatum magnum inter Alcmana & Radantia peruenit. Ibique Missi Apostolici cum magnis muneribus præsentati sunt. Ibi & Missus nunciauit ei, Saxones iterum 793.

CAROLVS MAGNVS. fidem suam fefellisse. Tunc Rex inde per Radantia in *Mohin* nauiliter pergens, Natalem Domini celebrauit ad Sanctum Killianum in *VVirsinburg* anno Domini DCCXCIV. A

794. PASCHA verò celebrauit in Franconofurt, & ibi congregata est Synodus magna Episcoporum Galliarum, Germanorum, Italorum, in præsentia iam fati Principis, & Missorum domni Adriani Apostolici, quorum nomina hæc sunt: Theophylactus & Stephanus Episcopi. Ibi tertiò condemnata est hæresis Feliciana. Quam damnationem per auctoritatem Sanctorum Patrum in Libro conscripserunt, quem Librum omnes Sacerdotes manibus propriis subscripserunt. Ibi obiit domna FASTRADA Regina, & in Sancto Albano honorificè sepulta est. Pseudosynodus Græcorum, quam falsò septimam vocitant, quam pro adorandis imaginibus fecerunt, reiecta est ab ipsis sanctis Pontificibus. Indè motus est exercitus partibus Saxoniæ per duas turmas. In vnam fuit ipse domnus CAROLVS Rex magnus, & cum alia misit filium suum domnum CAROLVM nobilissimum per Coloniam. Saxones autem congregantes se in campo, qui dicitur *Sinistfelt*, præparantes se quasi ad pugnam: Cùm verò audissent se ex duabus partibus esse circumdatos, dissipauit Deus consilia eorum. & quamuis fraudulenter, tamen se Christianos & fideles domno Regi fore promiserunt. Rex indè ad Palatium, quod Aquis vocatur, rediit, ibique Natalem Domini & Pascha celebrauit anno Domini DCCXCV. B

795. INDE etiam Rex venit ad locum qui dicitur *Cuffinstang*, in suburbium Maguntiacensis vrbis, & ibi tenuit Placitum suum. Audiens autem quòd Saxones more solito promissionem suam, quam de habenda Christianitate, & fide Regis tenenda, fecerant, irritam fecissent, cum exercitu in Saxoniam ingressus est, & vsque ad fluuium Albiam peruenit, ad locum qui dicitur *Hiliuni*, in quo tunc VVizzin Abodritorum Rex à Saxonibus occisus est. Ibi etiam venerunt Missi Tudun, qui in Gente & Regno Auarorum magnam potestatem habebant. Qui dixerunt, quòd idem Tudun cum terra & populo suo se Regi dedere vellet, & eius ordinatione Christianam fidem suscipere vellet. Rex verò afflictis magna ex parte Saxonibus, eorúmque terra vastata, acceptis eorum obsidibus, in Gallias rediit, & in Palatio qui vocatur Aquis Natalem Domini & Pascha celebrauit, anno Domini DCCXCVI.

796. ADRIANVS Papa obiit, & LEO mox in eius locum successit: misitque Legatos cum muneribus ad Regem, claues etiam Confessionis Sancti Petri, & vexillum Romanæ vrbis eidem direxit. Sed & Heiricus Dux Foriulensis missis hominibus suis cum VVonomiro Sclauo in Pannonias directo, Hringum Gentis Auarorum longis retrò temporibus quietum ciuili bello fatigatis inter se Principibus spoliauit. Chagan siue Iugurt intestina clade abdictis, & à suis occisis, thesaurum priscorum Regum multa seculorum prolixitate collectum domno Regi CAROLO ad Aquis Palatium misit. Quo accepto, peractis Deo largitori omnium bonorum gratiarum actionibus, idem vir prudentissimus & largissimus, atque Dei dispensator, magnam indè partem Romæ ad Limina Apostolorum misit per INGILBERTVM dilectum Abbatem suum. Porrò reliquam partem Optimatibus, Clericis, siue Monachis, ceterisque fidelibus suis largitus est. In eodem anno Tudun secundum pollicitationem suam cum magna parte Auarorum ad Regem venit, & se cum populo suo & patria Regi dedit. Ipséque, & populus baptizatus est, & honorificè muneribus donati redierunt. Rex verò collectis exercitibus suis Saxoniam ingressus est, filium suum PIPPINVM Regem Italiæ in Pannonias cum exercitu misit. Cuius legationes ad Regem in eadem Saxonia venerunt. Vna, quæ dixit occurrisse ei Cagan cum ceteris Optimatibus, quem sibi Auares post interfectionem priorum constituerunt. Altera, quæ dixit Pippinum cum exercitu in Hringo sedere. Domnus verò CAROLVS peragrata Saxonia, cum integro exercitu in Gallias se recepit, & in Aquis Palatio filium suum Pippinum è Pannonia redeuntem, & partem thesauri quæ remanserat producentem, lætus aspexit, atque ibidem Natalem Domini ac Pascha celebrauit anno Domini nostri DCCXCVII. C

797. BARZINONA ciuitas Hispaniæ, quæ iampridem à nobis desciuerat, per Zatum Præfectum ipsius nobis est reddita. Nam ipse in Palatium veniens, semet-

A ipsum domno Regi cum ciuitate commendauit. Expeditione facta in Saxoniam, & vsque ad Oceanum, trans omnes paludes & inuia loca transitum est. Et Rex de *Hadulo* regressus (hoc enim loco nomen, vbi Oceanus Saxoniam adluit) tota Saxonum Gente in deditione per obsides accepta, trans Rhenum in Gallias reuersus est. Et in Aquis Palatio Abdellam Sarracenum filium Ibimaure Regis, qui à fratre Regno expulsus in Mauritania exulabat, ipso semetipsum commendante suscepit. Illuc & Legatus Nicetæ, qui tunc Siciliam regebat, nomine Theoctistus, venit, Imperatoris Epistolam portans. Quem magnificè suscipiens, post paucos dies absoluit. Et Nouembrio mense mediante ad hibernandum cum exercitu Saxoniam intrauit. positisque castris apud VViseram fluuium, locum castrorum *Haristelli* vocari iussit. Illuc Legati Gentis Auarorum cum muneribus magnis venerunt. Inde Abdellam Sarracenum cum filio suo HLVDOVICO in Hispanias reuerti fecit, & filium sum PIPPINVM ad Italiam misit. Ipse ad disponendam Saxoniam totum hiemis tempus impendens, Natalem Domini ibi & Pascha celebrauit anno Domini DCCXCVIII.

CAROLVS MAGNVS.

VENIT etiam & Legatus HADEFONSI Regis Galleciæ & Asturiæ nomine Froia, papilionem miræ pulchritudinis præsentans. In ipso tempore Paschæ Nortliudi trans Albim sedentes, seditione commota Legatos Regios, qui tunc ad iustitias faciendas apud Regem conuersabantur, comprehendunt, & quosdam ex eis B statim trucidantes, ceteros ad redimendum reseruant. Ex quibus aliqui effugerunt, ceteri verò redempti sunt. At Rex collecto exercitu, de Haristellio ad locum qui Minda dicitur perrexit, & facto consilio indè in desertores arma corripuit, & totam inter Albiam & VVisoram Saxoniam populandam peragrauit. Nortliudi autem contra Sigconem Ducem Abodritorum, & Eborisum Legatum nostrum commisso prælio, acie victi sunt. Cæsa sunt ex eis in loco prælij quatuor millia, ceterique fugerunt. Ex eis autem multi qui euaserunt de conditione tractauerunt. Accepitque Rex obsides ex eis, quos perfidissimos primores Saxonum consignabant. Indè Carolus Rex in Franciam reuersus est, & Aquisgrani Palatium pergens, Legationem Græcorum à Constantinopoli missam suscepit. Erant enim Legati Michaël Patricius quondam Phrigiæ, & Theophorus Presbyter, Epistolam Herenæ Imperatricis ferentes. Nam filius eius CONSTANTINVS Imperator anno superiori à suis comprehensus & excæcatus est. Hæc tamen Legatio tantùm de pace fuit. Quos cùm absoluisset, absoluit etiam cum eis & Sisinnium fratrem Tarasij Constantinopolitani Episcopi iamdudum in Italia prælio captum. Hoc anno Sydus, quod dicitur Martis, à superioris anni Iulio vsque ad huiùs anni Iulium nusquam in toto cœlo videri potuit. Insulæ Baleares à Mauris & Sarracenis deprædatæ sunt. Hadefonsus Rex Galliciæ & Asturiæ prædata Olysipona vltima Hispaniæ ciuitate, insignia victoriæ suæ loricas, mulos, captiuósque Mauros, domno Regi Carolo per Legatos suos Froiam & Basiliscum hiemis tempore C misit. Celebrauit quoque Rex Natalem Domini & Pascha in hoc Palatio anno Domini DCCXCIX. 798.

ROMANI quoque Leonem Papam in Litania maiore captum excæcauerunt, linguámque eiusdem truncauerunt. Qui in custodia missus nocte per murum euasit, & ad Legatos domni Regis, qui tunc apud Basilicam S. Petri erant, VVirundum scilicet Abbatem, & VVinegisum Ducem Spolitanum, veniens, Spoletum est deductus. Domnus Carolus Rex ad Saxoniam profectus, Rhenum ad Lippeam transiuit, & in loco qui vocatur *Paderbronno* positis castris consedit. Et indè diuiso exercitu, Carolum filium suum cum medietate ad colloquium Sclauorum, & ad recipiendos qui de Nortliudis venerant Saxones in *Bardegaui* direxit. Ipse altera medietate secum retenta, eodem in loco Pontificem Leonem summo cum honore suscepit. Ibique reditum Caroli filij sui expectans, Leonem Pontificem simili quo susceptus est honore dimisit. Qui statim Romam profectus est, & Rex Aquisgrani Palatium suum reuersus est. In eadem expeditione Legatus Michaëlis Siciliæ Præfecti nomine Danihel ad domnum Regem venit, atque indè iterum cum magno honore dimissus est. Eodem anno Gens Auarorum à fide quam promiserat defecit, & Hericus Dux Foroiuliensis post tot prosperè gestas res iuxta Tarsaticam Liburniæ ciuitatem insidiis oppidanorum oppressus est, & GEROLDVS Comes Baioariæ Præfectus commisso contra Auares prælio cecidit. Insulæ 799.

CAROLVS MAGNVS. Baleares, quæ à Mauris & Sarracenis anno priore deprædatæ sunt, postulato atque accepto à nostris auxilio, nobis se dediderunt, & cum Dei adiutorio à nostris à prædonum incursione defensi sunt. Signa quoque Maurorum in pugna sublata, & domno Regi præsentata sunt. VVIDO Comes, qui in Marca Britanniæ præsidebat, vna cum sociis Comitibus Britanniam ingressus, totámque perlustrans, in deditionem accepit: & Regi de Saxonia reuerso arma Ducum, qui se dediderant, inscriptis singulorum nominibus præsentauit. Nam his se & terram & populum vnusquisque illorum tradidit, & tota Britanniarum Prouincia, quod numquam antea à Francis fuerat, à Francis subiugata est. Eodem anno Monachus quidam de Hierosolymis veniens, benedictionem & reliquias de sepulcro Domini, quas Patriarcha Hierosolymitanus domno Regi miserat, detulit. Azan Præfectus ciuitatis quæ dicitur Osca, claues vrbis per Legatum suum cum muneribus Regi transmisit. Celebrauítque Natalem Domini in eodem Palatio anno Domini DCCC.

800. REX absolutum Hierosolymitanum Monachum reuerti fecit, mittens cum eo Zachariam Presbyterum de Palatio suo, qui donaria eius per illa sancta loca deferret. Ipse mense Martio medio Aquisgrani Palatio digrediens, litus Oceani Gallici perlustrauit, & in ipso mari, quod piratis infestum erat, classem instituit, præsidia disposuit, Pascha in Centulo apud sanctum Richarium celebrauit. Indéque iterum per litus Oceani Rotomagum ciuitatem profectus est. Ibique Sequana amne transmisso Turonis ad sanctum Martinum orationis causâ peruenit, moratus ibi dies aliquot propter aduersam domnæ LVIDGARDÆ coniugis valitudinem, quæ ibidem defuncta atque humata est. Obiit autem die II. Non. Iun. Inde per Aurelianos ac Parisios regressus, Aquasgrani reuersus est. Et II. Non. Iul. insolito more aspera pruina erat, & VII. Idus Iul. similiter. sed nihil incommoditatis fructibus attulit. Et mense Augusto inchoante Mogunciacum veniens, iter in Italiam conduxit, atque indè profectus, cum exercitu Rauennam venit. Ibíque ordinata in Beneuentanos expeditione, post septem dierum inducias Romam iter conuertit, & exercitum cum PIPPINO filio in Beneuentanorum terras prædatum ire iussit. Romam verò cùm venisset, occurrit ei pridie Leo Papa, & Romani cum eo apud Nomentum, duodecimo ab vrbe lapide, & summa cum humilitate summóque honore suscepit. Prandénsque cum illo in loco prædicto, statim eum ad vrbem præcessit, & in crastinum in gradibus Basilicæ beati Petri Apostoli stans, missis obuiam Romanæ vrbis vexillis, ordinatis etiam atque dispositis per congrua loca tam peregrinorum quàm ciuium turmis, qui venienti laudes dicerent; ipse cum Clero & Episcopis Regem equo descendentem, gradúsque ascendentem suscepit. Datáque oratione, in Basilicam beati Petri Apostoli introduxit, psallentibus cunctis. Facta sunt autem hæc sub die VIII. Kal. Decembris. Post septem verò dies Rex concione vocata, cur Romam venisset omnibus patefecit, & exindè cotidie ad quæ venerat facienda operam dedit. Inter quæ vel maximum, vel difficillimum erat, quod primum inchoatum est, de discutiendis quæ Pontifici obiecta sunt criminibus. Qui tamen, postquàm nullus probator criminum esse voluit, coram omni populo in Basilica beati Petri Apostoli Euangelium portans ambonem conscendit. Inuocatóque sanctæ Trinitatis nomine, iureiurando se ab obiectis criminibus purgauit. Eadẽ die Zacharias cum duobus Monachis, vno de monte Olìueti, altero de Sancto Saba, de Oriente reuersus Romam venit. quos Patriarcha Hierosolymitanus cum Zacharia ad Regem misit. Qui benedictionis causâ claues Sepulcri Dominici, ac loci Caluariæ, claues etiam & ciuitatis & montis, cum vexillo detulerunt. Quos Rex benignè suscipiens, aliquot dies secum detinuit, & Aprili mense remuneratos absoluit. Celebrauitque Natalem Domini Romæ. Et immutauit se numerus annorum Domini in DCCCI.

801. IPSA die sacratissima Natalis Domini cùm Rex ad Missam ante Confessionem beati Petri Apostoli ab oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, & à cuncto Romanorum populo adclamatum est, KAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORVM VITA ET VICTORIA. Et post Laudes ab Apostolico more antiquorum Principum adoratus est, atque ablato Patricij nomine Imperator & Augustus appellatus est. Post paucos autem dies iussit eos, qui Pontificem anno

A superiore deposuerunt, exhiberi. & habita de eis quæstione secundum legem Romanorum, vt maiestatis rei capitis occisione damnati sunt. Pro quibus tamen Papa pio affectu apud Imperatorem intercessit. Nam & vita & membrorum integritas eis concessa est. Ceterùm pro facinoris magnitudine exilio deputati sunt. Huius factionis fuere principes Paschalis Nomenculator, & Campulus Sacellarius, & multi alij Romanæ vrbis habitatores nobiles, qui simul omnes eadem sententia damnati sunt. Ordinatis deinde Rex Romanæ vrbis, & Apostolici, totiúsque Italiæ, non tantùm publicis, sed etiam Ecclesiasticis & priuatis rebus, (nam tota hieme non aliud fecit Imperator) missáque iterum in Beneuentanos expeditione cum PIPPINO filio suo, ipse post Pascha à Romà digressus Spoletium venit. Ibi dum esset II. Kal. Maij horâ noctis secunda terræmotus maximus factus est, quo tota Italia grauiter concussa est. Quo motu tectum Basilicæ beati Pauli Apostoli magna ex parte cum suis trabibus decidit. & in quibusdam locis vrbes & montes ruerunt. Eodem anno loca quædam circa Rhenum fluuium in Gallia & in Germania tremuerunt. Pestilentia propter mollitiam hiberni temporis facta est. Imperator de Spoletio Rauennam veniens, aliquot dies ibi moratus, Papiam perrexit. Ibique nunciatur ei Legatos Aaron Ammiralmunim Regis Persarum portum Pisas intrasse. Quibus obuiam mittens inter Vercellis & Eporeiam, eos sibi fecit præsentari. Vnus enim ex eis erat Persa de Oriente, Legatus Regis

B Persarum. nam duo fuerant. Alter Sarracenus de Africa, Legatus Amirati Abraham, qui in confinio Africæ in Fossato præsidebat. Qui Isaac Iudeum, quem Imperator ante quadriennium ad Regem Persarum cum Lantfrido & Sigimundo miserat, reuersum cum magnis muneribus nuntiauerunt. Nam Lantfridus ac Sigimundus ambo defuncti erant. Tum ille misit Erkenbaldum Notarium in Liguriam ad classem parandam, qua elefans, & ea quæ cum eo deferebantur, subueherentur. Ipse verò, celebrato die Natalis Sancti Ioannis Baptistæ apud Eporeiam, Alpes transgressus, in Galliam reuersus est. Ipsa æstate capta est Barcinona ciuitas Hispaniæ iam biennio obsessa. Zatun Præfectus eius, & alij complures Sarraceni sunt comprehensi. Et in Italia Theate ciuitas similiter capta & incensa est. eiúsque Præfectus Roselmus comprehensus est, & castella, quæ ad ipsam ciuitatem pertinebant, in deditionem accepta sunt. Zatun & Roselmus in vna die ad præsentiam Imperatoris deducti, & exilio damnati sunt. Ipsius anni mense Octobrio Isaac Iudeus de Africa cum elefanto regressus portum Veneris intrauit. Et quia propter niues Alpes transire non potuit, in Vercellis hiemauit. Imperator Aquisgrani Palatio Natalem Domini celebrauit anno Domini DCCCII.

HERENA Imperatrix de Constantinopoli misit Legatum nomine Leonem Spatarium, de pace confirmanda inter Francos & Græcos. Et Imperator propter hoc ipsum vicissim, absoluto illo, misit Iesse Episcopum Ambianensem, & Helingaudum Comitem, Constantinopolim, vt pacem cum ea statuerent. Celebra- 802.

C túmque est Pascha Aquisgrani Palatio. Ipsius anni mense Iulio XIII. Kal. Augusti venit Isaac cum elefanto, & ceteris muneribus quæ à Rege Persarum missa sunt, & Aquisgrani omnia Imperatori detulit. Nomen elefanti erat Abulabaz. Ortona ciuitas in Italia in deditione est accepta. Luceria quoque frequenti obsidione fatigata, Regis in deditionem venit, præsidiúmque nostrorum in ea est positum. Imperator æstatis tempore in Arduennâ venatibus operam dedit, & misso Saxonum exercitu trans-Albianos Saxones vastauit. GRIMOALDVS Beneuentanorum Dux in Luceria VVinigisum Comitem Spoletij, qui præsidio præerat, aduersa valetudine fatigatum obsedit, & in deditionem accepit, captúmque honorificè habuit, & celebrauit Natalem Domini Aquisgrani anno Domini DCCCIII.

HOC enim hieme circa ipsum Palatium & finitimas regiones terræmotus factus, & mortalitas subsecuta est. VVinigisus à Grimoaldo redditus, & Missi domni Imperatoris de Constantinopoli reuersi sunt, & venerunt cum eis Legati Nicefori Imperatoris, qui tunc Rempublicam regebat (nam Herenam post aduentum Legationis Franciæ deposuerunt) quorum nomina fuerunt, Michael Episcopus, Petrus Abbas, & Calistus Candidatus. Qui venerunt ad Imperatorem in Germania super fluuium Sala, in loco qui dicitur *Saltz*, & pactum faciendæ pacis in scripto fecerunt. Exindè dimissi, cum Epistola Imperatoris Romam regressi, at- 803.

que Constantinopolim reuersi sunt. Imperator autem in Baioariam profectus, dispositis Pannoniarum causis, Decembrio mense Aquasgrani reuersus est. Ibique Natalem Domini celebrauit. Et immutauit se numerus annorum Domini in DCCCIV. A

804. IMPERATOR Aquisgrani hiemauit. Æstate autem in Saxonia ducto exercitu, omnes qui trans Albiam & *Wihmuodi* habitabant Saxones, cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam. & pagos trans Albianos Abodritis dedit. Eodem tempore GODOFRIDVS Rex Danorum venit cum classe sua, necnon & omni equitatu Regni sui ad locum qui dicitur *Liesthorp*, in confinio Regni sui & Saxoniæ. Promisit enim se ad colloquium Imperatoris venturum. Sed consilio suorum territus, propius non accessit, sed quicquid voluit per Legatos mandauit. Nam Imperator super Albiam fluuium sedebat, in loco qui dicitur *Holdunsten*. Et missa ad Godofredum Legatione pro profugis reddendis, mense Septembrio Coloniam venit. Dimissóque exercitu, primò Aquisgrani, deinde Arduennam petit, & venationibus ludens Aquasgrani reuersus est. Medio Nouembrio adlatum est ei, quòd Leo Papa Natalem Domini cum eo celebrare vellet, vbicumque hoc contingere potuisset. Quem statim, misso ad Sanctum Mauricium CARLO filio suo, honorificè suscipere iussit. Ipse obuiam ei Remorum ciuitate profectus est. Ibique susceptum primò Carisiacum villam, vbi Natalem Domini celebrauit, deindè Aquasgrani perduxit, & donatum magnis muneribus per Baioariam ire volentem, deduci fecit vsque Rauennam. Causa aduentus eius hæc erat. Perlatum B est ad Imperatorem, æstate præterita Christi sanguinem in Mantua ciuitate fuisse repertum. Propter hoc misit ad Papam, petens vt huius veritatem inquireret. Qui accepta occasione exeundi, primò in Longobardiam quasi pro inquisitione prædicta profectus est. Indéque arrepto itinere, subitò ad Imperatorem vsque peruenit. Mansitque apud illum dies VIII. & sic Romam repedauit anno Domini nostri DCCCV.

805. NON multum post Capcanus Princeps Hunnorum propter necessitatem populi sui Imperatorem adiit, postulans sibi locum dari ad habitandum inter Sabariam & Carnantum. quia propter infestationem Sclauorum in pristinis sedibus esse non poterat. Quem Imperator benignè suscepit. Erat enim Capcanus iam factus Christianus, vocabatúrque Theodorus. Et Rex precibus eius annuens, donatum muneribus redire permisit. Qui rediens ad populum suum, pauco tempore transacto diem obiit. Et misit Caganus vnum de Optimatibus suis ad Regem, petens sibi honorem antiquum dare, quem Capcanus habere solebat apud Hunnos. Cuius precibus Imperator assensum præbuit, & summam totius Regni iuxta priscum eorum ritum Caganum habere præcepit. Eodem anno misit exercitum suum cum filio suo CAROLO in terram Sclauorum qui vocantur *Behemi*. Qui omnem illorum patriam depopulatus, Ducem illorum nomine Lechonem occidit. Et indè regressus, in VVasego silua ad Imperatorem venit in loco qui dicitur *Camp*. Imperator verò Iulio mense de Aquisgrani profectus Theodonis villam, atque per C Mettis transiens VVasegum petiit. Ibique venationi operam dans, post reuersionem exercitus ad Rumerici castellum profectus, ibíque aliquantum temporis moratus, ad hiemandum in Theodonis-villa Palatio suo consedit. Venerunt autem ad eum ibi ambo filij eius PIPPINVS & HLVDOICVS. Celebrauitque ibi Natalem Domini anno DCCCVI.

806. STATIM post Natalem Domini venerunt VVilleric & Beatus Duces Venetiæ, necnon & Paulus Dux Iaderæ, atque Donatus eiusdem ciuitatis Episcopus, Legati Dalmatarum, ad præsentiam domni Imperatoris cum magnis donis. Et facta est ordinatio ab Imperatore de Ducibus & populis tam Venetiæ quàm Dalmatiæ. Illisque absolutis, conuentum habuit Imperator cum primoribus & Optimatibus Francorum de pace constituenda & conseruanda inter filios suos, & diuisione Regni facienda in tres partes: vt sciret vnusquisque illorum quam partem tueri & regere debuisset, si superstes illi eueniret. De hac partitione est Testamentum factum, & iureiurando ab Optimatibus Francorum confirmatum, & constitutiones pacis conseruandæ causa factæ. Atque hæc omnia litteris mandata sunt, & Leoni Papæ, vt his manu sua subscriberet, per HEINARDVM missa. Quibus Pontifex lectis, & assensum præbuit, & propria manu subscripsit. Imperator di-

A missõ vtroque filio in Regnum eis deputatum, Pippino scilicet & Hluduico, de villæ Theodonis Palatio per Mosellam & Rhenum secunda aquâ Nouiomagum nauigauit. ibique sanctum Quadragesimale Ieiunium, & sacratissimæ Paschæ festiuitatem celebrauit. Exindè post non multos dies Aquisgrani veniens, CAROLVM filium suum in terram Sclauorum qui dicuntur *Sorabi*, qui sedent super Albiam fluuium, cum exercitu misit. In qua expeditione Miliduoch Sclauorum Dux interfectus est, duóque castella ab exercitu ædificata: vnum super ripam fluminis Salæ, alterum iuxta fluuium Albiam. Sclauisque pacatis, Carolus cum exercitu regressus, in loco qui dicitur *Silli* super ripam Mosæ fluminis ad Imperatorem venit. Missa est & manus de Baioaria & Alemannia atque Burgundia, sicut anno superiore, in terram Behemim, vastatáque terræ non minima portione, absque vllo graui incommodo regressa est. Eodem anno in Corsicam insulam contra Mauros, qui eam vastabant, classis de Italia à PIPPINO missa est. Quorum aduentum Mauri non expectantes, abscesserunt. Vnus tamen nostrorum Haudamarus Comes ciuitatis Genuæ imprudenter contra eos dimicans occisus est. In Hispania verò Nauarri & Pampilonenses, qui superioribus annis ad Sarracenos defecerant, in fidem recepti sunt. Classis à Niciforo Imperatore, cui Niceta Patricius præerat, ad recuperandam Dalmatiam mittitur. Et Legati, qui dudum ante IV. ferè annos ad Regem Persarum missi sunt, per ipsas Græcarum nauium
B stationes transuecti, ad Tarauisiani portus receptaculum, nullo aduersariorum sentiente, regressi sunt. Imperator verò celebrauit Natalem Domini Aquisgrani Palatio anno Domini DCCCVII.

ANNO superiore IV. Nonas Septembris fuit eclypsis Lunæ. tunc Sol stabat in XVI. parte Virginis. Luna autem stetit in XVI. parte Piscium. Hoc autem anno pridie Kal. Februarij fuit Luna XVII. quando stella Iouis quasi per eam transire visa est. Et III. Id. Februarii fuit eclypsis Solis media die, stante vtroque sidere in XXV. parte Aquarij. Iterum IV. Kal. Martij fuit eclypsis Lunæ, & apparuerunt acies eadem nocte miræ magnitudinis. Nam & stella Mercurij XVI. Kal. Aprilis visa est in Sole quasi parua macula, nigra tamen paululum superiùs medio centro eiusdem sideris, qui & à nobis VIII. dies conspiciebatur. Sed quando primum intrauit, vel exiuit, nubibus impedientibus minimè adnotare potuimus. Iterum mense Augusto XI. Kal. Septembris eclypsis Lunæ facta est horâ noctis tertiâ, Sole posito in V. parte Virginis, & Luna in V. parte Piscium. Sicque ab anni superioris Septembrio, vsque ad anni præsentis Septembrium, ter Luna obscurata est, & Sol semel. RODBERTVS missus Imperatoris, qui de Oriente reuertebatur, defunctus est. & Legatus Regis Persarum nomine Abdella, cum Monachis de Hierusalem, qui Legatione Thomæ Patriarchæ fungebantur, quorum nomina fuere, Georgius & Felix. (Hic Georgius erat Abba in monte Olìueti, cui patria erat Germania, proprióque nomine est vocitatus Egilbaldus.) Hi ad Imperatorem
C peruenerunt, munera deferentes quæ prædictus Rex Imperatori miserat. id est papilionem, & tentoria atrij vario colore facta, miræ magnitudinis & pulcritudinis. Erant enim omnia bissina, tam tentoria quàm funes eorum diuersis tincta coloribus. Fuerunt præterea munera præfati Regis pallia sirica multa & preciosa, & odores atque vnguenta, & balsama: necnon & horologium ex auricalco arte mechanica mirificè compositum. In quo XII. horarum cursus ad clepsydram vertebatur. cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subiectum sibi cymbalum tinnire faciebant. Additis in eodem eiusdem numeri equitibus, qui per XII. fenestras completis horis exiebant, & impulsu egressionis suæ totidem fenestras, quæ priùs erant apertæ, claudebant. Necnon & alia multa erant in ipso horologio, quæ nunc enumerare longum est. Fuerunt præterea inter prædicta munera candelabra duo ex auricalco miræ magnitudinis & proceritatis. Quæ omnia Aquis Palatio ad Imperatorem delata sunt. Imperator autem Legatum & Monachos per aliquantum tempus secum detinens, in Italiam direxit, atque ibi eos tempus nauigationis expectare iussit. Eodémque anno BVRCHARDVM Comitem Stabuli sui cum classe misit in Corsicam: vt eam à Mauris, qui superioribus annis illuc prædatum venire consueuerant, defenderet. Qui iuxta consuetudinem suam de Hispania egressi, primò Sardiniam adpulsi sunt. Ibique cum Sardis prœlio commisso, & multis suorum amissis, (nam tria

CAROLVS MAGNVS. millia ibi cecidisse perhibentur) in Corsicam recto cursu superuenerunt. Ibique iterum in quodam portu eiusdem Insulæ cum classe, cui Burcardus præerat, prœlio decertauerunt. victique ac fugati sunt, amissis XIII. nauibus, & plurimis suorum interfectis. At eo illo anno in omnibus locis fortunâ aduersa fatigati sunt, vt ipsi hoc sibi accidisse testarentur, pro eo quòd anno superiore contra iustitiam de Palataria insula sexaginta Monachos asportatos in Hispaniam vendiderunt. Qui Monachi per liberalitatẽ Imperatoris iterum in sua loca reuersi sunt. Niceta Patricius, qui cum classe Constantinopolitana sedebat in Venetia, pace facta cum PIPPINO Rege, & induciis vsque ad mensem Augustum constitutis, statione soluta Constantinopolim regressus est. Hoc anno Imperator Pascha & Natalem Domini Aquis celebrauit anno Domini DCCCVIII. Et mutatus est numerus annorum. A

808. HIEMS mollissima ac pestilens fuit in illo tempore vere inchoante. Imperator Nouiomagum profectus, transacto ibi Quadragesimali Ieiunio, celebrato etiam sancto Pascha, iterum Aquis reuersus est. Et quia nunciabatur Godefridum Regem Danorum in Abodritos cum exercitu traiecisse, CAROLVM filium suum ad Albiam cum valida Francorum & Saxonum manu misit, iubens vesano Regi resistere, si Saxoniæ terminos adgredi temptaret. Sed ille statiuis per dies aliquot in littore habitis, expugnatis etiam & manu captis aliquot Sclauorum castellis, cum magno copiarum suarum detrimento reuersus est. Nam licèt Drasconem Ducem Abodritorum popularium fidei diffidentem loco pepulisset, B
& Godelaibum alium Ducem dolo captum patibulo suspendisset, Abodritorúmque duas partes sibi vectigales fecisset: optimos tamen militum suorum & manu promptissimos amisit, & cum eis filium fratris sui nomine Reinaldum, qui in oppugnatione cuiusdam oppidi cum plurimis Danorum primoribus est interfectus. Filius autem Imperatoris CAROLVS in Albiam pontem iunxit, & exercitum cui præerat in Linones & Smeldingos, qui & ipsi ad Godefridum Regem defecerant, quanta potuit celeritate transposuit. Populatisque circumquaque eorum agris, transito iterum flumine, cum incolomi exercitu in Saxoniam se recepit. Erant cum Godefrido in expeditione prædicta Sclaui, qui dicuntur *Vuilzi*. Qui propter antiquas amicitias, quas cum Abodritis habere solebant, sponte se copiis eius coniunxerunt. Ipso quoque in Regnum suum reuertente cum præda, quam in Abodritis capere potuerunt, & ipsi domum regressi sunt. Godefridus verò priusquàm reuerteretur, destructo emporio, quod in Oceani littore constitutum linguâ Danorum *Reric* dicebatur, & magnam Regno illius commoditatem vectigalium persolutione præstabat; translatisque indè negociatoribus, soluta classe ad portum qui *Liesthorp* dicitur, cum vniuerso exercitu venit. Ibique per aliquot dies moratus, limitem Regni sui, qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit. eo modo, vt ab Orientalis maris sinu, quem illi *Ortarsaltz* dicunt, vsque ad Occidentalem Oceanum, totam Egidoræ fluminis ripam Aquilonalem munimentum prætexeret. Vna tantùm porta dimissa, per quam carra & equites emitti & recipi potuissent. Diuiso itaque opere inter Duces copiarum, domum reuersus est. Interea Rex Nordãhumbrorum de Britannia insula nomine HEARDVLF Regno & patriâ pulsus, ad Imperatorem, dum adhuc Neumago moraretur, venit, & patefacto aduentus sui negocio Romam proficiscitur. Romáque rediens, per Legatos Romani Pontificis & Imperatoris, in Regnum suum reducitur. Præerat tunc temporis Ecclesiæ Romanæ LEO tertius, cuius Legatus ad Britanniam directus est Addulfus Diaconus de ipsa Britannia natione Saxo, & cum eo ab Imperatore missi Abbates duo, & Hruotfridus Notarius, & Nantharius de Cœnobio Sancti Bertini. Imperator verò ædificatis per suos Legatos super Albiam fluuium duobus castellis, præsidióque in eis contra Sclauorum incursiones disposito, Aquisgrani hiemauit, & Natalem Domini & sanctum Pascha ibidem celebrauit anno Domini DCCCIX. C

809. CLASSIS de Constantinopoli missa primò Dalmatiam, deinde Venetiam appulit. Cùmque ibi hiemaret, pars eius Comiandum * insulam accessit. Commissóque prœlio contra præsidium, quod in ea dispositum erat, victa atque fugata Venetiam recessit. Dux autem, qui classi præerat, nomine Paulus, cùm de pace inter Francos & Græcos constituenda, quasi sibi hoc esset iniunctum, apud domnum

* al. Comiaclum.

CAROLVS MAGNVS.

A dominum PIPPINVM Italiæ Regem agere molitur, VVuilherano & Beato Venetiæ Ducibus omnes inchoatus eius impedientibus, atque ipsi etiam insidias parantibus, cognita illorum fraude discessit. At in Occiduis partibus domnus HLVDOICVS Rex cum exercitu Hispaniam ingressus, Dertosam ciuitatem in ripa Hiberi fluminis sitam obsedit. Consumptóque in expugnatione illius aliquanto tempore, postquàm eam tam citò capi non posse vidit, dimissa obsidione cum incolumi exercitu in Aquitaniam se recepit. Postquam Hardulfus Rex Nordanhumbrorum reductus est in Regnum suum, & Legati Imperatoris atque Pontificis reuersi sunt, vnus ex eis Adulfus Diaconus à piratis captus est, ceteris sine periculo traiicientibus, ductusque ab eis in Britanniam, à quodam CENVLFI Regis homine redemptus est, Romámque reuersus. In Tuscia Populonium ciuitas maritima à Græcis, qui Oroboitæ vocantur, deprædata est. Mauri quoque de Hispania Corsicam ingressi, in ipso sancto Paschali Sabbato ciuitatem quandam diripuerunt, & præter Episcopum ac paucos senes atque infirmos nihil in ea reliquerunt. Interea Godefridus Rex Danorum per negociatores quosdam, quos damnauit, dum audisset, quòd Imperator ei fuisset iratus, eò quòd in Abodritos anno superiore duxisset exercitum, & suas vltus esset iniurias, addens velle se purgare dixit ab eo quod ei obiiciebatur fœderis inruptionem ab illo primitus fuisse inchoatam. Petebat etiam vt conuentus Comitum Imperatoris atque suorum iuxta terminos Regni sui trans Albiam B fieret. In quo res inuicem gestæ proferri, & emendatione digna inter partes emendari potuissent. Non abnuit Imperator, conloquiúmque trans Albiam factum cum primoribus Danorum in loco qui dicitur *Melac*. Multisque hinc & indè prolatis enumeratisque rebus, negocio penitus infecto discessum est. Trasco verò Dux Abodritorum, postquam filium suum postulanti Godefrido obsidem dederat, collecta popularium manu, & auxilio à Saxonibus accepto, vicinos suos VVulzos adgressus, agros eorum ferro & igni vastat. Regressusque domum cum ingenti præda, accepto iterum à Saxonibus validiori auxilio, Smeldingorum maximam ciuitatem expugnat. Atque his successibus omnes qui ab eo defecerant ad suam societatem reuerti coegit. His ita gestis, Imperator de Arduenna Aquas reuersus mense Nouembrio Concilium habuit de processione Spiritus sancti. Quam quæstionem Ioannes quidam Monachus Hierosolymis primò commouit. Cuius definiendæ causâ Bernharius Episcopus VVormacensis, & ADALARDVS Abbas Monasterij Corbeiæ, Romam ad Leonem Papam missi sunt. Agitatum est etiam in eodem Concilio de statu Ecclesiarum, & conuersatione eorum qui in eis Deo seruire dicuntur. Nec tamen aliquid diffinitum est, propter rerum vt videbatur magnitudinem. Imperator autem cùm ei multa de superbia & iactantia Regis Danorum nunciarentur, statuit trans Albiam fluuium ciuitatem ædificare, Francorúmque in ea ponere præsidium. Cúmque C ad hoc per Galliam atque Germaniam homines congregasset, armisque ac ceteris ad vsum necessariis rebus instructos per Fresiam ad locum destinatum ducere iussisset, Trasco Dux Abodritorum in emporio Reric ab hominibus Godefridi per dolum interfectus est. Sed Imperator, postquàm locus ciuitati constituendæ fuerat exploratus, EGBERTVM Comitem huic negocio exequendo præficiens, Albiam traiicere, & locum iussit occupare. Est autem locus super ripam Sturiæ fluminis vocabulo *Essesfelt*. Hic occupatus est ab Egberto & Comitibus Saxonicis circa Idus Martias, & muniri cœpit. AVREOLVS Comes, qui in commertio Hispaniæ atque Galliæ trans Pirineum contra Oscam & Cesaraugustam residebat, defunctus est. Et Amoroz Præfectus Cesaraugustæ atque Oscæ ministerium eius inuasit, & in castellis eius præsidia disposuit. Missáque Legatione ad Imperatorem, sese cum omnibus quæ habebat in deditionem illi velle venire promisit. Eo anno eclypsis Lunæ contigit VII. Kal. Ianuar.

ANNO Domini DCCCX. Amoroz Cesaraugustæ Præfectus, postquam Imperatoris Legati ad eum peruenerunt, petiit vt colloquium fieret inter ipsum & Hispanici limitis Custodes, promittens se in eo conloquio cum suis hominibus Imperatoris in deditionẽ esse venturum. Quod licèt Imperator vt fieret annuisset, multis interuenientibus causis remansit infectum. Mauri de tota Hispania maxima classe comparata primò Sardiniam, deindè Corsicam appulerunt, nullóque in ea inuẽto 810.

CAROLVS MAGNVS. præsidio insulã penè totam subigerunt. Interea PIPPINVS Rex perfidiâ Ducum Veneticorum incitatus, Venetiam bello terrâ marique iussit appetere. Subiectáque Venetiâ, ac Ducibus eius in ditionem acceptis, eandem classem ad Dalmatiæ littora vastanda misit. Sed cùm Paulus Zephalinæ Præfectus cum Orientali classe ad auxilium Dalmatis ferendũ aduentaret, Regia classis ad propria reuertitur. HRVOTHRVD filia Imperatoris, quæ erat maior natu, VIII. Idus Iun. obiit. Imperator verò Aquisgrani adhuc degens, & contra Godefridum Regem expeditionem meditans, nuncium accepit classem CC. nauium de Nortmannia Fresiam appulisse, totásque Fresiaco litori adiacentes insulas esse vastatas. Iámque exercitum illum in continenti esse, ternáque prælia cum Fresionibus commisisse, Danósque victores tributum victis imposuisse, & vectigalis nomine C. libras argenti à Fresionibus iam esse solutas, & Regem Godefridum domi esse. Et reuera ita erat. Qui nuncius adeò Imperatorem concitauit, vt missis in omnes circumquaque regiones ad congregandum exercitum suum nunciis, ipséque sine mora exiens, primò quidem eis occurrere, deinde transmisso Rheno flumine in loco qui Lippia vocatur, copias quæ nondum conuenerant statuit operiri. Vbi dum aliquot dies moraretur, elefans ille, quem ei Aaron Rex Sarracenorum miserat, subita morte periit. Congregatis tandem copiis, quanta potuit celeritate ad Alaram fluuium contendit, castrisque iuxta Confluentem eius, quo VViseræ flumini coniungitur, positis, minarum Godefridi Regis præstolatur euentum. Nam Rex ille vanissima spe victoriæ inflatus, acie se cum Imperatore congredi velle iactabat. Sed dum Imperator memorato loco statiua haberet, diuersarum rerum nuncij ad eum venerunt. Hoc est classem, quæ Fresiam vastabat, domum regressam. & Godefridum Regem à quodam suo satellite interfectum. Castellúmque vocabulo *Hohbuoki* Albiæ flumini appositum, in quo Odo Imperatoris Legatus, & Orientalium Saxonum erat præsidium, à VVulzis captum, & PIPPINVM filium eius Regem Italiæ VIII. Id. Iul. de corpore migrasse. Duas quoque Legationes de diuersis Terrarum partibus, vnam de Constantinopoli, alteram de Corduba, pacem facere cupientes aduentare narratur. Quibus ille acceptis, dispositа pro temporis conditione Saxoniâ domum reuertitur. Tanta fuit in ea expeditione boum pestilentia, vt penè nullus tanto exercitui superesset, quin omnes ad vnum perirent. Et non solùm ibi, sed etiam per omnes Imperatori subiectas Prouincias illius generis animalium mortalitas immanissima grassata est. Imperator Aquasgrani veniens mense Octobrio, memoratas Legationes audiuit, pacémque cum Niciforo Imperatore, & cum Abulaz Rege Hispaniæ fecit. Nam Niciforo Venetiam reddidit, & Haimricum Comitem olim à Sarracenis captum, Abulaz remittente, recepit. Eo anno Sol & Luna bis defecerunt, Sol VII. Id. Iun. & II. Kal. Decembris, Luna verò XI. Kal. Iul. & XVIII. Kal. Ianuarij. Corsica insula iterum à Mauris vastata est. Amoroz ab Abdiraman filio Abulaz de Cesaraugusta expulsus, & Oscam intrare compulsus est. Godefrido Danorum Rege mortuo, HEMMINGVS filius fratris eius in Regnum successit, ac pacem cum Imperatore fecit anno Domini nostri IESV CHRISTI DCCCXI.

811. TVNC Imperator absoluto atque dimisso Arsafio Spatario, (hoc erat nomen Legato Nicifori Imperatoris) eiusdem pacis confirmandæ gratiâ ab Imperatore Legati Constantinopolim mittuntur, Haido Basilensis Episcopus, & HVGO Comes Turonicus, & Agio Langobardus de Foro-Iulij. & cum eis Leo quidam Spatarius natione Siculus, & VVilleric Dux Veneticorum. Quorum alter ante annos X. Romæ ad Imperatorem, cùm ibi esset, de Sicilia profugiit, & redire volens patriam, remittitur. Alter propter perfidiam honore spoliatus, Constantinopolim ad Dominum suum duci iubetur. Condicta ergo inter Imperatorem & Hemmingum Danorum Regem pax, propter hiemis asperitatem, quæ inter partes commeandi viam claudebat, in armis tantum iurata seruatur: donec redeunte veris tempore, & apertis viis, quæ immanitate frigoris clausæ fuerant, congredientibus ex vtraque parte vtriusque Gentis, Francorum scilicet & Danorum, XII. primoribus super fluuium Egidoram, datis vicissim secundum ritum ac morem suum sacramentis, pax confirmatur. Primores autem de parte Francorum hi fuêre, VValach Comes filius BERNARDI, Burchardus Comes, Hunrocus Comes, Vodo Comes, Meinhardus Comes, Bernardus Comes, Egbertus Comes, Theodericus Comes, Abo Comes, Osdach Comes, VVic-

A man Comes. De parte verò Danorum in primis fratres Hemmingi, Hacuuin, & Acgandeo. Deinde ceteri honorabiles inter suos viri, Offrid cognomento Turdimulo, & VVarsten, & Suomi, & Vuirm, & alius Osfrid filius Eiligen, & Offrid desconatue, & Hebbin, & Aduuin. Imperator verò cum Hemmingo pace firmata, & Placito generali secundum consuetudines Aquis habito, in tres partes Regni sui totidem exercitus misit. Vnum trans Albiam in Linones, qui & ipsos vastauit, & castellum *Hochbuoki* superiori anno à VVulzis destructum in ripa Albiæ fluminis restaurauit. Alterum in Pannonias, ad controuersias Hunnorum & Sclauorum finiendas. Tertium in Brittones, ad eorum perfidiam puniendam. Qui omnes rebus prosperè gestis, incolomes regressi sunt. Ipse tamen interea propter classem, quam anno superiore fieri imperauit, videndam, ad Bononiam ciuitatem maritimam, vbi eædem naues congregatæ erant, accessit. Farúmque ibi ad nauigantium cursus dirigendos antiquitus constitutum restaurauit, & in summitate eius nocturnum ignem accendit. Inde ad Scaldim fluuiũ veniens, in loco qui vocatur *Gand*, naues ad eandem classem ædificatas aspexit. Et circa medium Nouembrem Aquis venit. Obuiauerunt ei venienti Legati Hemmingi Regis, Hacuuin & Hebbin, munera Regis, & verba pacifica deferentes. Fuerunt etiam Aquis aduentum eius exspectantes, qui de Pannonia venerunt Canzaucus Princeps Auarorũ, & Tudun, & alij primores ac Duces Sclauorum circa Danubium habitantium: qui à Ducibus copiarum, quæ in Pannoniam missæ fuerant, ad præsentiam Principis missi venerunt.
B Interea CAROLVS domni Imperatoris filius, qui maior natu erat, II. Non. Decembris diem obiit. Et Imperator Aquis hiemauit anno Domini nostri DCCCXII.

NON multò post Hemmingus Danorum Rex defunctus nunciatur. Cui cùm SIGIFRIDVS nepus Godefridi Regis, & Anulo nepus Herioldi & ipsius Regis, succedere voluissent, neque inter eos vter regnare deberet conuenire potuisset: comparatis copiis, & commisso prælio, ambo moriuntur. Pars tamen Anulonis adepta victoriâ, fratres eius Harioldum & Ragenfredum Reges sibi constituit. Quam pars victa necessariò secuta, eosdem sibi regnare non abnuit. In eo prælio x. millia DCCCCXL. viri cecidisse narrantur. Niciforus Imperator post multas ac insignes victorias in Mesia prouincia, commisso cum Bulgaris prælio moritur. Et Michael eius gener Imperator factus, Legatos domni Imperatoris KAROLI, qui ad Niciforum missi fuerunt, in Constantinopoli suscepit, & absoluit. Cum quibus & Legatos suos direxit, Michaelem scilicet Episcopum, & Arsatium atque Theognostum Protospatarios. & per eos pacem à Niciforo incœptam confirmauit. Nam Aquisgrani, vbi ad Imperatorem venerunt, scriptum pacti ab eo in Ecclesia suscipientes, more suo, id est Græca linguâ, laudes ei dixerunt, Imperatorem eum & Basileum appellantes. Qui reuertendo Romam venientes, in Basilica sancti Petri Apostoli eundem pacti seu fœderis libellum à Leone Papa denuò susceperunt. Quibus dimissis, Imperator generali Conuentu Aquis sollemniter habito, 812.
C BERNARDVM filium Pippini nepotem suum in Italiam misit. & propter famam classis, quæ de Africa & de Hispania ad vastandam Italiam ventura dicebatur, VVALONEM filium Bernardi patruelis sui cum illo esse iussit, quoad vsque rerum euentus securitatem nostris adferret. Hæc classis partim in Corsicam, partim in Sardiniam venit. Et ea quidem pars, quæ ad Sardiniam est delata, penè tota deleta est. Classis etiam Nortmannorum Hiberniam Scotorum insulam adgressa, commissóque cum Scotis prælio, parte non modica Nortmannorum interfecta, turpiter fugiendo domum reuersa est. Item pax cum Abulaz Rege Sarracenorum facta. item cum Duce Beneuentanorum Grimoaldo, & tributi nomine xxv. millia solidorum auri à Beneuentanis soluta. Expeditio facta ad VVulzos, & ab eis obsides accepti. Harioldus & Raginfridus Reges Danorum, missa ad Imperatorem Legatione pacem petunt, & fratrem suum Hemmingum sibi remitti rogant. Hoc anno Id. Maij post meridiem eclypsis Solis fuit.

ANNO Domini DCCCXIII. Imperator Aquisgrani hiemauit. & incipiente verni tempore Amalharium Treuerensem Episcopum, & Petrum Abbatem Monasterij Nonantulas, propter pacem cum Michaele Imperatore confirmandam Constantinopolim misit. Ac deinde habito generali Conuentu, euocatum ad se apud Aquasgrani filium suum HLVDOICVM Aquitaniæ Regem, coronam illi imposuit, & Imperialis nominis sibi consortem fecit. BERNARDVMQVE nepo- 813.

CAROLVS MAGNVS. tem suum, filium Pippini filij sui, Italiæ præfecit, & Regem appellari iussit. Concilia quoque iussu eius super statu Ecclesiarum corrigendo per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt. Quorum vnum Moguncaco, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Caballone, quintum Arelati congregatum est, & Constitutionum quæ in singulis factæ sunt collatio coram Imperatore in illo Conuentu habita. Quas qui nosse voluerit, in supradictis quinque ciuitatibus inuenire poterit. quanquam & in archiuo Palatij exemplaria illarum habeantur. Missi sunt de hoc Conuentu quidam Francorum & Saxonum primores trans Albim fluuium ad confinia Nortmannorum, qui pacem cum eis secundum petitionem Regum illorum facerent, & fratrem eorum redderent. Quibus cùm pari numero (nam XVI. erant) de primatibus Danorum in loco deputato occurrissent, iuramentis vtrimque factis pax confirmata, & Regnum, & frater eis redditus est. qui tamen eo tempore domi non erant, sed ad VVestaeruoldan cum exercitu profecti. Quæ regio vltima Regni eorum inter Septentrionem & Occidentem sita, contra Aquilonem Britanniæ summitatem respicit. Cuius Principes ac populus eis subiici recusabant. Quibus perdomitis cùm reuertissent, & fratrem ab Imperatore missum recepissent, filij Godefridi Regis, & ex primoribus Danorum non pauci, qui iamdudum relicta patriâ apud Suessiones * exulabant, comparatis vndecumque copiis bellum eis intulerunt, & confluentibus ad se passim ex omni Danorum terra popularium turmis, commisso cum eis prælio, etiam Regno eos non multo labore pepulerunt. Mauris de Corsica cum multa præda ad Hispaniam redeuntibus, HERMEINGARIVS Comes Emporitanus in Maiorica insidias posuit, & VIII. naues eorum cepit. In quibus quingentos & eò ampliùs Corsos captiuos inuenit. Hoc Mauri vindicare volentes, Centumcellas Tusciæ ciuitatem, & Niceam Prouinciæ Narbonensis vastauerunt. Sardiniam quoque aggressi, commissóque cum Sardis prælio, pulsi ac victi, & multis suorum amissis recesserunt. * At Michael Imperator Bulgaros bello appetens, haud prosperis successibus vtitur, ac proindè domum reuersus, deposito diademate Monachus efficitur. In cuius locum Leo Bardæ Patricij filius Imperator constituitur. Crumas Rex Bulgarorum, qui Niciforum Imperatorem ante duos annos interfecit, & Michaelem de Mesia fugauit, secundis rebus elatus cum exercitu vsque ad ipsam Constantinopolim accessit, & iuxta portam ciuitatis castra posuit. Quem mœnibus vrbis obequitantem Leo Imperator eruptione facta incautum excepit, & vulneratum fugiendo sibi consulere, ac patriam turpiter redire Crumam coëgit.

al. Sueco-nes.

* *Huc vsque ex Annalibus plebeiis Tomi II. Quæ sequuntur ex Eginhardi itidem Annalibus desumpta sunt.*

DCCCXIV.

814. ANNO Domini DCCCXIV. domnus CAROLVS Imperator dum Aquisgrani hiemaret anno ætatis circiter LXXI. regni autem XLVII. subactæque Italiæ XLVIII. ex quo verò Augustus & Imperator est appellatus annis XIV. V. Kalend.

LVDOVICVS PIVS. Februarij rebus humanis excessit. Cuius rei nuncium cùm HLVDOICVS filius eius in Aquitania apud Theoduadum villam, vbi & ipse tunc hiemabat, plurimis deferentibus accepisset, tricesimo postquàm id acciderat die Aquisgrani venit, summóque omnium Francorum consensu ac fauore patri successit. Et ad sumpti Regni administrationem curâ conuersa, primò Legationes Gentium, quæ ad patrem venerant, auditas absoluit. Alias deinde simili modo ad patrem quidem missas, ad se verò venientes absoluit. Inter quas præcipua erat Legatio de Constantinopoli directa. Nam Leo Imperator, qui Michaëli successerat, dimisso Amalhario Episcopo, & Petro Abbate, qui ad Michaelem quidem missi, ad se tamen venerunt, Legatos suos Christophorum Spatarium, & Gregorium Diaconem, ad domnum CAROLVM, & per eos descriptionem & confirmationem pacti ac fœderis misit. Quibus susceptis, atque dimissis, domnus Rex HLVDOICVS Legatos suos, Nordbertum Regiensem Episcopum & Ricoinum Pictauinum Comitem, ad Leonem Imperatorem ob renouandam secum amicitiam, & prædictum pactum confirmandum direxit. Habito quoque Aquisgrani populi sui Conuentu, ad iustitias faciendas, & oppressiones populorum releuandas, Legatos in omnes Regni sui partes dimisit, & BERNARDVM Regem Italiæ nepotem suum ad se euocatum, muneribus donatum in Regnum remisit. Cum Grimoaldo Beneuentanorum Duce pactum fecit, atque firmauit, eo modo quo & pater: scilicet vt Beneuentani tributum singulis annis septem millia solidorum darent. Tunc duos ex filiis suis,

A LOTHARIVM in Baioariam, PIPPINVM in Aquitaniam misit. Harioldus & Ragenfridus Reges Danorum, qui superiori anno à filiis Godefridi victi, & Regno pulsi fuerunt, reparatis viribus iterum eis bellum intulerunt. In quo conflictu & Ragenfridus, & vnus de filiis Godefridi qui maior natu erat, interfectus est. Quo facto, Harioldus rebus suis diffidens, ad Imperatorem venit, & se in manus illius commendauit. Quem ille susceptum in Saxoniam ire, & opportunum tempus iussit expectare, quo ei sicut petierat auxilium ferre potuisset. LVDOVICVS PIVS.

DCCCXV.

ANNO Domini DCCCXV. iussum est vt Saxones & Abodriti ad hanc expeditionem præpararentur. Attentatúmque in illa hieme duabus vicibus, si Albiam transire potuissent. Sed mutatione subita aëris emolliti, glacie fluminis resoluta, negocium remansit imperfectum: donec tandem hieme transacta circa medium ferè Maium mensem opportunum proficisci tempus arrisit. Tunc omnes Saxonici Comites, omnésque Abodritorum copiæ, cum Legato Imperatoris Baldrico, sicut iussum erat, ad auxilium Harioldo deferendum trans Heidoram fluuium in terram Normannorum vocabulo *Sinleudi* perueniunt: & indè profecti, septimo tandem die in loco qui dicitur......in littore Oceani castra ponunt. Ibique statiuis triduò habitis cum filio Godefridi, qui contra eos magnis copiis, & ducentarum nauium classe comparata, in insula quadam tribus millibus à continenti separata residebant, cùm eis congredi non auderent, vastatis circumquaque vicinis pagis, & acceptis popularium obsidibus quadraginta, ad Imperatorem in Saxoniam reuersi sunt. Ipse enim tunc temporis in loco qui dicitur *Paderbrunna* generalem populi sui Conuentum habebat, ibique ad eum omnes Orientalium Sclauorum primores & Legati venerunt. Sed antequàm illuc veniret, id est cùm adhuc domi esset, adlatum est ei quosdam de primoribus Romanorum ad interficiendum LEONEM Papam in ipsa vrbe Roma conspirasse: ac deinde eùm huius causæ indicium ad Pontificem esset delatum, omnes illius factionis auctores illius iussu fuisse trucidatos. Quod cùm molestè ferret, tamen ordinatis tunc Sclauorum & Harioldi rebus, ipsóque in Saxoniam dimisso, cùm ad *Franconoford* Palatio venisset, BERNHARDVM Regem Italiæ nepotem suum, qui & ipse cum eo in Saxonia fuerat, ad cognoscendum quod nuntiabatur Romam mittit. Is cùm Romam venisset, ægritudine decubuit. Res tamen quas compererat per GEROLDVM Comitem, qui ad hoc ei Legatus fuerat datus, Imperatori mandauit. Quem Legati Pontificis, Ioannes Episcopus Siluæ Candidæ, Theodorus Nomenclator, & Sergius Dux, subsecuti, de his quæ Domino suo obiiciebantur per omnia Imperatori satisfecerunt. Legati Sardorum de Carali ciuitate dona ferentes venerunt. Pax, quæ cum Abulaz Rege Sarracenorum facta, & per triennium seruata erat, velut inutilis rupta, & contra eum iterum bellum susceptum est. Nordbertus Episcopus, & Ricoinus Comes, de Constantinopolim reuersi, descriptionem pacti quam Leo Imperator eis dederat, detulerunt. Qui inter cetera terræmotum grauissimum mense Augusto per continuos quinque dies sibi contigisse retulerunt, quo & ipsius ædificia quamplurima cecidisse, & aliarum ciuitatum populos ruinis oppressos esse testati sunt. Sed & in Galliis Sanctonis ciuitas Aquitaniæ mense Septembrio dicitur tremuisse. Rhenus fluuius Alpinis imbribus auctus vltra solitum exundauit. Romani cùm Leonem Papam ægritudine decubuisse viderent, collecta manu omnia prædia, quæ idem Pontifex in singularum ciuitatum territoriis nouiter construxit, primo diripiunt, deinde igne immisso concremant. Tum Romam adire statuunt, & quæ sibi erepta querebantur, violenter auferre. Quo comperto, BERNARDVS Rex missa manu per VVinegisum Ducem Spolitanum, & seditionem illam sedauit, eósque ab incœpto desistere fecit, & quæ gesta erant per Legatos suos Imperatori mandauit. 815.

B

C

DCCCXVI.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXVI. hieme transacto Saxones & Orientales Franci expeditionem in Sorabos Sclauos, qui dicto audientes non erant, facere ausi, imperata strenuè compleuerunt, contumeliámque & audaciam cum magno labore compresserunt. Nam vna ciuitate expugnata, quidquid in ea Gete rebelle videbatur subiectione promissa conquieuit. Vascones, qui trans Garonnam & circa Pyreneum montem habitant, propter sublatum Ducem suum 816.

LVDOVICVS PIVS. nomine SIGEVVINVM, quem Imperator ob nimiam eius insolentiam ac morum prauitatem inde sustulerat, solita leuitate commoti, coniuratione facta omnimoda defectione desciuerunt. Sed duabus expeditionibus ita sunt edomiti, vt tarda eis deditio, & pacis impetratio videretur. A

INTEREA domnus Leo Papa anno Pontificatus sui XXI. circiter VIII. Kalendas Iulij de corpore migrauit, STEPHANVSQVE Diaconus in locum eius electus atque ordinatus est. Nondùmque duobus post consecrationem suam exactis mensibus, quàm maximis poterat itineribus ad Imperatorem venire contendit: missis interim duobus Legatis, qui quasi pro sua consecratione Imperatori suggererent. Quod vbi Imperator audiuit, Remis ei statuit occurrere. Missisque obuiam his, qui eum pro illo deducerent, aduentum eius præueniens, cum magno eum ibidem honore suscepit. Qui statim Imperatori aduentus sui caussam insinuans, celebratis ex more Missarum solemniis, eum diadematis impositione coronauit. Multis deinde inter eos muneribus & datis & acceptis, conuiuiisque opiparè celebratis, & amicitia vicissim firmissimo robore constituta, aliisque vtilitatibus sanctæ Dei Ecclesiæ pro temporis opportunitate dispositis, Pontifex Romam, Imperator Compendium Palatium petiit. Vbi cùm moraretur, Legatos Abodritorum, & de Hispania Legatos Abdirahman filij Abulaz Regis ad se missos suscepit. Completisque ibi viginti vel eo ampliùs diebus, Aquisgrani ad hiemandum profectus est. B

DCCCXVII.

817. ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXVII. Legati Abdirahman filij Abulaz Regis Sarracenorum de Cæsaraugusta missi pacis petendæ gratiâ venerunt, & Compendio ab Imperatore auditi Aquisgrani eum præcedere iussi sunt. Quò cùm peruenissent, Legatũ Leonis Imperatoris de Constantinopolim pro Dalmatinorum causa missum Niciforum nomine suscepit. Quem etiam, quia Cadolah, ad quẽ illorum confinũ cura pertinebat, non aderat, & tamen breui venturus putabatur, aduentum illius iussit operiri. Quo veniente, ratio inter quia res ad plurimos & eum & Legatum Imperatoris de quæstionibus, quas idem detulit, habita est. Et Romanos & Sclauos pertinebat, neque sine illorum præsentia finiri posse videbatur, illò discernenda differtur: missúsque ad hoc cum Cadolane & prædicto Legato in Dalmatiam Albgarius Vnrochi nepos. Legati etiam Abdirahman, cùm tribus mensibus detenti essent, & iam de reditu desperare cœpissent, remissi sunt. Filij quoque Godefridi Regis Danorum propter assiduam Herioldi infestationem missa ad Imperatorem Legatione, pacem petunt, eámque à se seruandam pollicentur. Sed cùm hæc simulata magis quàm veracia viderentur, velut inania neglecta sunt, & auxilium est contra eos Herioldo datum. Luna Nonas Februarij hora noctis secunda defecit, & Cometes in signo Sagittarij apparuit. Interea Stephanus Papa tertio postquàm Romam venerat mense, sed nondum exacto, circiter VIII. Kalendas Februarij, diem obiit. Cui PASCHALIS successor electus, post completam solemniter ordinationem suam, & munera & excusatoriam Imperatori misit Epistolam, in qua sibi non solùm nolenti, sed etiam renitenti, Pontificatus honorem velut impactum asseuerat. Missa tamen Legatione alia pactum, quod cum præcessoribus suis factum erat, etiam secum fieri & firmari rogauit. Hanc Legationem Theodorus Nomenculator ei detulit, & ea quæ petierat impetrauit. Feria quinta, qua Cœna Domini celebratur, cùm Imperator ab Ecclesia peracto sacro officio remearet, lignea porticus, per quam incedebat, cùm ex fragili materia esset ædificata, & tunc tam marcida & putrefacta vt quæ contignationem & tabulatum sustinebant transtra pondus aliquod ferre non possent, incedentem desuper Imperatorem subita ruina cum viginti & eo ampliùs hominibus, qui eum ambiebant, ad terram vsque deposuit. Qui casus cùm plerosque ex his qui simul deciderant grauiter adfecisset, illa tamen nil aliud læsionis intulit, præter quòd capulo gladij, quo accinctus erat, imi pectoris pars sinistra contusa est, & auris dextra in parte posteriore vulnerata. Femur quoque dextrum cuiusdam ligni pondere iuxta inguina conlisum. Sed instantiâ Medicorum, qui curam adhibebant, summa celeritate conualuit. Nam vigesima postquam id acciderat die Nouiomagum profectus venatu sese exercebat. Vnde reuersus generalem populo suo Conuentum Aquisgrani more solito habuit, in quo filium suum C

LVDOVICVS PIVS.

A primogenitum HLOTARIVM coronauit, & nominis atque Imperij sui socium sibi constituit. Cæteros Reges appellatos, vnum Aquitaniæ, alterum Baioariæ præfecit. Conuentu peracto, cùm Vosegi saltum venandi gratiâ peteret, obuios habuit Legatos Leonis Imperatoris. Quos cùm in Ingelahaim Palatio iuxta Moguntiacum ciuitatem audisset, ac Legationem eorum non aliam esse, nisi quam Niciforus eiusdem Imperatoris Legatus maximè attulerat, comperisset, celeriter absolutos dimisit, & quò tendebat proficiscitur. Nunciatáque defectione Abodritorum & Sclaomiri Comitis, tantùm, qui iuxta Albim in præsidio residere solebant, vt terminos sibi commissos tuerentur, per Legatum mandauit. Causa defectionis erat, quòd Regiam potestatem, quam Sclaomir eatenus post mortem Trasconis solus super Abodritos tenebat, cum Ceadrago filio Trasconis partiri iubebatur. Quæ res illum tam grauiter exacerbauit, vt adfirmaret se numquam posthac Albim fluuium transiturum, neque ad Palatium venturum. Statim missa trans mare Legatione iunxit amicitias cum filiis Godefridi, & vt exercitus in Saxoniam trans-Albianam mitteretur impetrauit. Nam & classis eorum per Albiam vsque ad *Esesfeld* castellum venit, quæ totam Sturiæ fluminis ripam deuastauit. Ecgluomi Custos Normannici limitis pedestres copias ducens, simul cum Abodritis terreno itinere ad ipsum castellum accessit. Quibus cùm nostri fortiter restitissent, omissa castelli oppugnatione discesserunt. Interea cùm Imperator venatione peracta, de Vogeso Aquisgrani reuerteretur, nunciatum est ei B BERNARDVM nepotem suum Italiæ Regem quorumdam prauorum hominum consilio tyrannidem meditatum. Iam omnes aditus, quibus in Italiam intratur, id est Clusas, impositis firmasse præsidiis, atque omnes Italiæ ciuitates in illius verba iurasse. Quod ex parte verum, ex parte falsum erat. Ad quos motus comprimendos cùm ex tota Gallia atque Germania congregato cum celeritate magno exercitu Imperator Italiam intrare festinasset, Bernardus rebus suis diffidens, maximè quòd se à suis quotidie deseri videbat, armis depositis apud Caballonem Imperatori se tradidit. Quem ceteri secuti, non solùm armis depositis se dediderunt, verùm vltrò & ad primam interrogationem omnia vti gesta erant apparuerunt. Huius conspirationis principes fuere Eggideo inter amicos Regis primus, & Rheinardus Camerarius eius, & Reinarius Meinarij Comitis filius, cuius maternus auus Hardradus olim in Germania cum multis ex ea prouincia nobilibus contra CAROLVM Imperatorem coniurauit. Erant præterea & alij multi præclari & nobiles viri, qui in eodem scelere deprehensi sunt: inter quos aliqui Episcopi, Anselmus Mediolanensis & Theodolfus Aurelianensis.

DCCCXVIII.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXVIII. detecta fraude, & coniuratione patefacta, ac seditiosis omnibus in potestatem suam redactis, Imperator Aquisgrani reuertitur. Transactóque Quadragesimali Ieiunio, paucis post sanC ctum Pascha diebus coniurationis auctores, qui superiùs nominati sunt, simul & Regem, iudicio Francorum capitali sententiâ condemnatos, luminibus tantùm iussit orbari, Episcopos Synodali decreto depositos Monasteriis mancipari, ceterósque, prout quisque vel nocentior vel innocentior apparebat, vel exilio deputari, vel detondi, atque in Monasteriis conuersari. His ita dispositis, ipse cum maximo exercitu Britanniam aggressus, generalem Conuentum Venedis habuit. Inde memoratam Prouinciam ingressus, captis rebellium munitionibus, Britanniam totam in sua potestate redegit. Nam postquàm MORMANVS, qui in ea præter solitum Brittonibus morem Regiam sibi vendicauerat potestatem, ab exercitu Imperatoris occisus est, nullus Britto inueniebatur qui resisteret, aut qui imperata facere, aut qui obsides qui iubebantur dare renueret. Qua expeditione completa, cùm Imperator dimisso exercitu Andegauos ciuitatem esset reuersus, ERMINGARDIS Regina coniux eius, quam proficiscens ibi ægrotantem dimiserat, duobus diebus postquam ipse ad eam venit, morbo inualescente, v. Nonas Octobris decessit. Eclypsis Solis contigit VIII. Idus Iulij. Imperator per Rotomagum, & per Ambianos & Cammaracum Aquisgrani ad hibernandum reuersus, cùm Heristallium venisset, obuios habuit Legatos SIGONIS Ducis Beneuentanorum dona deferentes, eúmque de nece Grimoldi Ducis antecessoris sui excusantes. Erant ibi & aliarum Nationum Legati, Abodritorum videlicet, ac

818.

LVDOVICVS PIVS. Bornæ Ducis Guduſcanorum, & Timonitianorum, qui nuper à Bulgarorum ſocietate deſciuerant, & ad noſtros fines ſe contulerant: ſimul & Liudeuuiti Ducis Pannoniæ inferioris, qui res nouas moliens, Cadolaum Comitem & Marcæ Foroiulienſis Præfectum crudelitatis atque inſolentiæ accuſare conabatur. Quibus ibi auditis, atque dimiſſis, Imperator Aquiſgrani ad hiemandum profectus eſt. A

DCCCXIX.

819. ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXIX. Sclaomir Abodritorum Rex, ob cuius perfidiam vlciſcendam exercitus Saxonum & Orientalium Francorum eodem anno trans Albiam miſſus fuerat, per Præfectos Saxonici limitis, & Legatos Imperatoris, qui exercitui præerant, Aquiſgrani adductus eſt. Quem cùm primores populi ſui, qui ſimul iuſſi venerunt, multis criminibus accuſarent, & ille rationabili defenſione obiecta ſibi refellere non valeret, exilio condemnatus eſt, & Regnum CEADRAGO Traſconis filio datum eſt. Simili modo & LVPVS CENTVLLI VVaſco, qui cum BERENGARIO Toloſæ, & VVARINO Aruernico Comite, eodem anno prælio conflixit, in quo & fratrem GARSANDVM ſingularis amentiæ hominem amiſit, & ipſe niſi ſibi fugiendo conſuleret prope interitum fuit, cùm in conſpectu Imperatoris veniſſet, ac de perfidia, cuius à Comitibus immane accuſabatur, ſe purgare non potuiſſet, & ipſe temporali eſt deportatus exilio. Conuentus Aquiſgrani poſt Natalem Domini habitus, in quo multa de ſtatu Eccleſiarum & Monaſteriorum tractata atque ordinata, Legibus etiam & Capitula quædam perneceſſaria, quia deerant, conſcripta atque addita ſunt. Quo peracto, Imperator inſpectis pleriſque Nobilium filiabus, VVELPI Comitis filiam nomine IVDITH duxit vxorem. Itémque Conuentus menſe Iulio apud Ingelhaim Palatium habitus. Exercitus de Italia in Pannoniam propter Liudeuuiti rebellionem miſſus, qui rebus proſperè geſtis, infecto penè negocio regreſſus eſt: & Liudeuuitus ſuperbiâ elatus Legatos quaſi pacem petendo ad Imperatorem miſit, conditiones quaſdam præponens, ad quarum conceſſionem ea quæ iuberentur ſe facturum pollicebatur. Quas cùm Imperator non reciperet, aliáſque ei per ſuos Legatos praeponeret, permanendum ſibi in inchoata perfidiâ velut optimum iudicans, miſſis circumquaque Legatis, vicinas iuxta ſe Gentes ad bellum ſollicitare curauit. Timonitianorum quoque populum, qui dimiſſa Bulgarorum ſocietate ad Imperatorem venire, ac ditioni eius ſe permittere geſtiebat, ne hoc efficeret ita intercepit, ac falſis perſuaſionibus illexit, vt omiſſo quod facere cogitabat, perfidiæ illius ſocius & adiutor exiſteret. Exercitu verò de Pannonia reuerſo, Cudolach Dux Foroiulienſis febre correptus, in ipſa Marca deceſſit. Cui cùm Baldricus eſſet ſubrogatus, & in Carantanorum regionem, quæ ad ipſius curam pertinebat, fuiſſet ingreſſus, obuiam habuit Liudeuuiti exercitum: quem iuxta Drauum fluuium iter agentem parua manu aggreſſus, pluribus interfectis, & auertit, & de illa Prouincia fugauit. Borna verò Dux Dalmatiæ cum magnis copiis ad Conlapium fluuium Liudeuuito ad ſe venienti occurrens, in prima congreſſione à Guduſcanis deſeritur. Auxilio tamen Prætorianorum ſuorum protectus. Periit in eo prælio Dragumoſus ſocer Liudeuuiti, qui in exordio defectionis relicto genero Bornæ ſe coniunxerat. Guduſcani domum reuerſi iterum à Borna ſubiguntur. At Liudeuuitus occaſionem nactus, cum valida manu Decembrio menſe Dalmatiam ingreſſus, terrâ & igni cuncta deuaſtat. Cui cùm Borna ſe penitus imparem conſpiceret, omnia ſua caſtellis incluſit, & ipſe cum delecta manu nunc à tergo, nunc à latere inſiſtens, Liudeuuiti copias & noctu & interdiu quacumque poterat lacerauit, neque eum in ſua Prouincia impunè verſari permiſit. Ad extremum graui damno adfectum regione ſua coëgit excedere, tribus hominum millibus de exercitu illius interfectis, & trecentis vel eo ampliùs caballis captis, præter ſarcinas & ſpolia diuerſi generis direpta. Quæ qualiter geſta fuerint, per Legatos ſuos Imperatori nunciare curauit. At in partibus Occiduis PIPPINVS Imperatoris filius iuſſu patris Vuaſconiam cum exercitu ingreſſus, ſublatis ex ea ſeditioſis, totam eam Prouinciam ita pacauit, vt nullus in ea rebellis aut inobediens remanſiſſe videretur. Harioldus quoque iuſſu Imperatoris ad naues ſuas per Abodritos reductus, in patriam quaſi Regnum ibi accepturus nauigauit. Cui ſe duo ex filiis Godefridi, quaſi vnà cum eo Regnum habituri, ſociaſſe dicuntur: aliis duobus patriâ expulſis. Sed hoc dolo factum putatur. Imperator Conuentu B C

A dimiſſo, primò Cruciniacum, deinde Bingiam veniens, ſecundam aquam Confluentem vſque per Rhenum nauigauit. Venatorio quoque exercitio more ſolenni ibidem exacto, Aquiſgrani ad hiemandum reuertitur.

DCCCXX.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXX. menſe Ianuario Conuentus ibi habitus, in quo de Liudeuuiti defectione deliberatum eſt, vt tres exercitus ſimul ex tribus partibus ad deuaſtandam eius regionem, atque ipſius audaciam coercendam mitterentur. Borna quoque primùm per Legatos, deinde ipſe veniens, quid ſibi facto opus eſſe videretur ſuggeſſit. In eo Conuentu BERA Comes Barcinonæ, qui iamdiu fraudis & infidelitatis à vicinis ſuis inſimulabatur, cum accuſatore ſuo equeſtri pugna confligere conatus vincitur. Cúmque vt reus maieſtatis capitali ſententiâ damnaretur, parſum eſt ei miſericordiâ Imperatoris, & Rotomagum exilio deportatus eſt. Tranſacta hieme vt primùm herba pabulum iumentis præbere potuit, tres illi exercitus contra Liudeuuitum mittuntur: quorum vnus de Italia per Alpes Noricas, alter per Carantanorum prouinciam, tertius per Baioariam & Pannoniam ſuperiorem intrauit. Et duo quidem, id eſt dexter ac ſiniſter, tardiùs ingreſſi ſunt, eò quòd vnus Alpium tranſitu, hoſtium manu reſiſtente, prohibebatur: alter etiam longitudine itineris, & Drauo flumine, quod traiiciendum erat, impediebatur. Medius autem, qui per Carantanos intrabat, quamuis in tribus locis ei reſiſteretur, feliciore vſus fortuna, ter hoſte ſuperato, Drauo etiam tranſmiſſo, celeriùs ad deſtinata loca peruenit. Contra hæc Liudeuuitus nihil molitus, munitione tantùm caſtelli, quod in arduo monte conſtruxerat, ſe ſuóſque continuit, & nec belli, nec pacis, vel per ſemetipſum, vel per Legatos vllum cum eis ſermonem habuiſſe dicitur. Exercitus verò poſtquàm in vnum conuenerunt, totam penè regionem ferro & igni deuaſtantes, haud vllo graui damno accepto, domum reuerſi ſunt. Is tamen, qui per Pannoniam iter fecit ſuperiorem, in tranſitu Draui fluminis ex locorum & aquarum inſalubritate ſoluti ventris incommodo grauiter affectus eſt, & pars eius non modica hoc morbo conſumpta eſt. Hîc tres exercitus de Saxonia, & Orientali Francia, & Alemannia, Baioaria quoque atque Italia, congregati ſunt. Quibus domum reuerſis, Carniolenſes, qui circa Sauum fluuium habitant, & Foroiulienſibus penè contigui ſunt, Baldrico ſe dediderunt. Idem & pars ea Carantanorum, quæ ad Liudeuuiti partes à nobis defecerat, facere curauit. Fœdus inter nos & Abulaz Regem Hiſpaniæ conſtitutum, & neutri parti ſatis proficuum, conſultò ruptum, bellúmque aduerſus eum ſuſceptum eſt. In Italico mari octo naues negociatorum de Sardinia Italiam reuertentium à piratis captæ, ac dimerſæ ſunt. De Nortmannia verò tredecim piraticæ naues egreſſæ, primò in Flandrenſi littore prædari molientes, ab his qui in præſidio erant repulſæ ſunt: vbi tamen ab eis propter Cuſtodum incuriam aliquot caſæ viles incenſæ, & paruus pecoris numerus abactus eſt. In C oſtio Sequanæ ſimilia tentantes, reſiſtentibus ſibi littoris Cuſtodibus, quinque ſuorum interfectis, iniritæ receſſerunt. Tandem in Aquitanico littore proſperis vſæ ſucceſſibus, vico quodam, qui vocatur Burnad integrùm depopulato, cum ingenti præda ad propria reuerſi ſunt. Hoc anno propter iuges pluuias, & aërem nimio humore reſolutum, magna incommoda contigerunt. Nam & hominum & boum peſtilentia tam immanè latéque graſſata eſt, vt vix vlla pars totius Regni Francorum ab hac peſte immunis atque intacta poſſet inueniri. Frumenta quoque & legumina imbrium aſſiduitate corrupta, vel colligi non poterant, vel collecta computreſcebant. Vinum etiam, cuius paruus prouentus eodem anno fuit, propter caloris inopiam acerbum & inſuaue fiebat. In quibuſdam verò locis de inundatione fluminum aquis in plano ſtagnantibus, autumnalis ſatio ita impedita eſt, vt penitus nihil frugum ante verni temperiem ſeminaretur. Luna defecit VIII. Kal. Decembris, horâ noctis ſecunda. Imperator poſt actum Cariſiaci Conuentum, autumnalémque venationem ex more completam, Aquiſgrani reuerſus eſt.

DCCCXXI.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXXI. Conuentus menſe Februario Aquis habitus, & in eo de bello Liudeuuitico tractatum, ac tres exercitus ordinati, qui futura æſtate perfidorum per vices agros vaſtarent. Simili modo de Marca Hiſpanica conſtitutum, & hoc illius limitis Præfectis imperatum eſt. Iterúmque

LVDOVICVS PIVS.

Conuentus mense Maio Nouiomagi habendus condictus est, Comitésque qui illuc venirent deputati. Eo anno domnus Imperator post festi Paschalis expletionem per Mosam nauigauit. Ibi constitutam annis superioribus atque conscriptam inter filios suos Regni participationem recensuit, ac iuramentis Optimatum, qui tunc adesse poterant, confirmauit. Susceptísque ibidem PASCHALIS Romani Pontificis Legatis, Petro videlicet Centumcellensi Episcopo, & Leone Nomenclatore, eisdémque celeriter absolutis, Comitibus etiam qui aderant ad expeditionem Pannonicam destinatis, ipse paululum ibi remoratus, Aquisgrani reuersus est. Et post paucos dies per Arduennam iter faciens, Treuiris ac Metis venit. Indéque Rumerici castellum petens, reliquum æstiui caloris, & autumni dimidium exercitatione venatoria in Vosei saltu atque secretis exegit. Interea Dux Borna Dalmatiæ atque Liburniæ defunctus est, & petente populo, atque Imperatore consentiente, nepos illius nomine LADVSCLAO successor ei constitutus est. Adlatum est & de morte Leonis Constantinopolitani Imperatoris, quòd conspiratione quorumdam Optimatum suorum, & præcipuè Michaëlis Comitis Domesticorum, in ipso Palatio sit interemptus. Qui suffragio ciuium, & Prætorianorum militum studio, infulas Imperij suscepisse dicitur. A

FORTVNATVS Patriarcha Gradensis cùm à quodam Presbytero suo nomine Tiberio apud Imperatorem fuisset accusatus, quòd Liudeuuitum ad perseuerandum in perfidia, qua cœperat, hortaretur, eúmque ad castella sua munienda artifices & murarios mittendo iuuaret, & ob hoc ad Palatium ire iuberetur: primò velut iussionem impleturus in Histriam profectus est. Indè simulato reditu ad Gradum ciuitatem, nullo suorum, præter eos cum quibus hoc suspicauerat, suspicante, nactus occasionem clam nauigauit. Veniénsque Iaderiam Dalmatiæ ciuitatem, IOANNI Præfecto Prouinciæ illius fugæ suæ causas aperuit. Qui eum statim naui impositum Constantinopolim misit. Medio mense Octobrio Conuentus generalis apud Theodonis-villam magna populi Francorum frequentiâ celebratur: in quo domnus LOTHARIVS primogenitus domni Imperatoris Hludoici ERMINGARDAM Hugonis Comitis filiam duxit vxorem. Illuc etiam Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Theodorus Primicerius, ac Florus Superista, cum magnis venêre muneribus. Adfuerunt & Comites in eodem Conuentu iam de Pannonia regressi, qui depopulata desertorum & Liudeuuito adhærentium vniuersa regione, cùm nullus pugnandi copiam fecisset, domum regressi sunt. Eminuit in hoc Placito piissimi Imperatoris misericordia singularis, quâ ostendit super eos, qui cum BERNARDO nepote suo in Italia contra caput ac Regnum suum coniurauerunt. Quibus ibi ad præsentiam venire iussis, non solùm vitam & membra concessit, verumetiam possessiones iudicio Legis in fiscum redactas magna liberalitate restituit. ADALHARDVM quoque de Aquitania, vbi exulabat, euocatum, Corbeiæ Monasterio, vt priùs fuerat, Abbatem ac Rectorem esse iussit. Cum quo & BERNARDVM fratrem eius reconciliatum eidem Monasterio reddidit. Completísque his quæ ob Regni vtilitatem inchoauerat, & sacramento, quod apud Nouiomagum pars Optimatum iurauerat, generaliter consummato, ipse Aquisgrani reuertitur. Filium autem HLOTHARIVM post nuptias ritu solemni celebratas ad hiemandum VVormatiam misit. De parte Danorum omnia quieta eo anno fuerunt, & Harioldus à filiis Godefridi in societatem Regni receptus. Quæ res tranquillum inter eos huius temporis statum fecisse putatur. Sed quia Ceadragus Abodritorum Princeps perfidiæ, & cuiusdam cum filiis Godefridi factæ societatis notabatur, Sclaomir auunculus eius in patriam remittitur. Qui cùm in Saxoniam venisset, ægritudine decubuit, perceptóque baptismi sacramento defunctus est. B C

AVTVMNALIS satio iugitate pluuiarum in quibusdam locis impedita est. Cui hiems in tantum prolixa successit & aspera, vt non solùm minores riui, ac mediocres fluuij, verùm ipsi maximi ac famosissimi amnes, Rhenus videlicet ac Danubius, Albísque ac Sequana, ceteráque per Galliam atque Germaniam Oceanum petentia flumina, adeò solida glacie stringerentur, vt tricenis vel eò ampliùs diebus plaustra huc atque illuc commeantia velut pontibus iuncta sustinerent. Cuius resolutio non modicum villis iuxta Rheni fluenta constitutis damnum intulit.

A DCCCXXII. LVDOVICVS PIVS.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXXII. in regione Thoringorum quodam in loco iuxta fluuium cespis longitudine pedum quinquagenûm, latitudine quatuordenûm, altitudine sexquipedali, de terra sine manibus & præcisus & sublatus est. Et ab eo loco, in quo sumptus est, viginti quinque pedum spatio distans inuentus est. Item in parte Orientali Saxoniæ, quæ Soraborum finibus contigua est, in quodam deserto loco iuxta lacum qui dicitur *Arnseo*, in modum aggeris terra intumuit, & limitem vnius leugæ longitudine porrectum sub vnius noctis spacio absque humani operis molimine ad instar vallis subrexit. VVINEGISVS Dux Spolitanus iam senio confectus, habitu seculari deposito, Monasticæ conuersationi se mancipauit. At non multò pòst tactus corporis infirmitate, decessit. In cuius locum SVPPO Brixiæ ciuitatis Comes constitutus est. 822.

DOMNVS Imperator consilio cum Episcopis & Optimabus suis habito, fratribus suis, quos inuitos tonderi iussit, reconciliatus est: & tam de hoc facto, quàm de his quæ erga BERNARDVM filium fratris sui PIPPINI, necnon & his quæ circa ADALHARDVM Abbatem, & fratrem eius VVALACHVM gesta sunt, publicam confessionem fecit, & pœnitentiam egit. Quod tamen in eo Conuentu, quem eodem anno mense Augusto Attiniaci habuit, in præsentia totius populi sui peregit. In quo quidquid similium rerum vel à se vel à patre suo factarum inuenire potuit, summa deuotione emendare curauit.

B EXERCITVS de Italia propter Liudeuuiticum bellum conficiendum in Pannoniam missus est. Ad cuius aduentum Liudeuuitus, Scissia ciuitate relicta, ad Sorabos, quæ Natio magnam Dalmatiæ partem obtinere dicitur, fugiendo se contulit: & vno ex Ducibus eorum, à quo receptus est, per dolum interfecto, ciuitatem eius in suam redegit ditionem. Missis tamen ad exercitum Imperatoris Legatis suis, ad eius præsentiam se velle venire promisit. Saxones interea iussu Imperatoris castellum quoddam trans Albiam, in loco cui *Delbende* nomen, ædificauit: depulsis ex eo Sclauis, qui illum priùs occupauerant. præsidiúmque Saxonum in eo impositum contra incursiones illorum. Comites Marcæ Hispanicæ trans Icorum fluuium in Hispania profecti, vastatis agris, & incensis compluribus villis, & capta non modica prædâ, regressi sunt. Simili modo post æquinoctium autumnale à Comitibus Marcæ Britannicæ, in possessionem cuiusdam Brittonis, qui tum rebellis extiterat, nomine VVIHOMARCHVS, expeditio facta, & omnia ferro & igni vastata sunt. Peracto Conuentu, quod Attiniaci habebatur, domnus Imperator venandi gratiâ Arduennam petiit. HLOTHARIVM verò filium suum in Italiam misit, cum quo VVALAVM Monachum propinquum suum, fratrem videlicet Adalhardi Abbatis, & Gerungum Hostiariorum Magistrum vnà direxit: quorum consilio & in re familiari, & in negotiis ad Regni commoda pertinentibus vteretur. PIPPINVM autem in Aquitaniam ire præcepit, quem tamen priùs filiam THEOTBERTI Comitis Matricensis in coniugium fecit accipere, & post nuptias celebratas ad Occiduas partes proficisci. Ipse verò peracta autumnali venatione, trans Rhenum ad hiemandum in loco qui *Franconofurd* appellatur, profectus est. Ibique generali Conuentu congregato, necessaria quæque, & ad vtilitatem Orientalium partium Regni sui pertinentia, more solemni cum Optimatibus, quos ad hoc euocare iusserat, tractare curauit. In quo Conuentu Orientalium omnium Sclauorum, id est Abodritorum, Soraborum, VVulzorum, Behemorum, Maruanorum, Predenecentorum, & in Pannonia residentium Abarorum, Legationes cum muneribus ad se directas audiuit. Fuerunt in eo Conuentu & Legationes de Normannia, tam de parte Harioldi, quàm de filiis Godefridi. Quibus omnibus auditis, ac dimissis, ipse in eodem loco constructis ad hoc opere nouo ædificiis, sicut dispositum fuerat, hiemauit.

C

DCCCXXIII.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXXIII. mense Maio Conuentus in eodem loco habitus, in quo non vniuersi Franciæ primores, sed de Orientali Francia atque Saxonia, Baioaria, Alemania, atque Alemaniæ contermina Burgundia, & regionibus Rheno adiacentibus adesse iussi sunt. In quo inter ceteras Barbarorum Legationes, quæ vel iussæ, vel sua sponte venerunt, duo fratres videlicet VVulzorum controuersiam inter se de Regno habentes, ad præsentiam Impera- 823.

LVDOVICVS PIVS.

toris venerunt: quorum nomina sunt, Melegastus & Celeadragus. Erant iidem filij Liudi Regis VVilzorum, qui licèt cum fratribus suis Regnum diuisum teneret, tamen propter quod maior natu erat, ad eum totius Regni summa pertinebat. Qui vbi commisso cum Orientalibus Abodritis prœlio interisset, Populus VVilzorum filium eius Melegastum, qui maior natu erat, Regem sibi constituit. Sed cùm is secundum ritum Gentis commissum sibi Regnum parum dignè administraret, illo abiecto iuniori fratri Regium honorem deferunt. Quam ob causam ambo ad præsentiam Imperatoris venerunt. Quos cùm audisset, & Gentis voluntatem proniorem in iunioris fratris honorem agnouisset, statuit vt is delatam sibi à Populo suo potestatem haberet. Ambos tamen muneribus donatos, & sacramento firmatos, in patriam remisit. Accusatus est in eodem Placito apud Imperatorem Ceadragus Abodritorum Princeps, quòd se erga partem Francorum parum fideliter ageret, & ad Imperatoris præsentiam venire iam diu dissimulasset. Propter quod ad eum Legati directi sunt, cum quibus ille iterum quosdam ex primoribus Gentis suæ ad Imperatorem misit, pérque illorum verba promisit, se ad proximum hiemis tempus ad illius præsentiam esse venturum. HLOTHARIVS verò cùm secundum patris iussionem in Italia iustitias faceret, etiam se ad reuertendum de Italia præpararet; rogante PASCHALE Papa Romam venit, & honorificè ab illo susceptus, in sancto Paschali die apud sanctum Petrum & Regni coronam, & Imperatoris atque Augusti nomen accepit. Indè Papiam regressus, mense Iunio ad Imperatorem venit. Qui cùm Imperatori de iustitiis in Italia à se partim factis, partim inchoatis, fecisset indicium; missus est in Italiam ADALHARDVS Comes Palatij, iussúmque vt Mauringum Brixiæ Comitem secum assumeret, & inchoatas iustitias perficere curaret. DROGONEM fratrem eius sub Canonica vita degentem Metensi Ecclesiæ, Clero eiusdem vrbis consentiente atque eligente, Rectorem constituit, eúmque ad Pontificatus gradum censuit promoueri. In eodem Conuentu tempus & locus alterius Conuentus habendi condictus est: Nouembris videlicet mensis, & Compendium Palatium. Peractóque Placito, & dimissis primoribus, cùm Imperator iam indè digredi statuisset, adlatum est ei de interitu Liudeuuiti, quòd relictis Sorabis, cùm Dalmatiam ad Liudemhuslum auunculum Bornæ Ducis peruenisset, & aliquantum temporis cum eo moratus fuisset, dolo ipsius esset interfectus. Nunciatum est etiam Theodorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Primicerium, & Leonem Nomenclatorem generum eius in Patriarchio Lateranensi primò excæcatos, ac deinde fuisse decollatos. Et hoc eis ob hoc contigisse, quòd se in omnibus fideliter erga partes HLOTHARII iuuenis Imperatoris agerent. Erant & qui dicerent vel iussu, vel consilio Paschalis Pontificis rem fuisse perpetratam. Ad quod explorandum, ac diligenter inuestigandum missi sunt, ADELONGVS Abbas Monasterij sancti Vedasti, & HVNFRIDVS Comes Curiensis. Sed antequàm illi fuissent profecti, venerunt Legati Paschalis Pontificis, Ioannes Episcopus Siluæ Candidæ, & Benedictus Archidiaconus sanctæ Sedis Apostolicæ: rogantes Imperatorem, vt illam infamiam à Pontifice auferret, qua ille in memoratorum hominum necem consensisse credebatur. Quibus cùm ille iuxta quod ratio postulabat respondisset, eósque dimisisset, prædictos Legatos suos ad inuestigandam rei veritatem, sicut priùs disposuit, Romam ire præcepit. Ipse verò reliquum tempus in pago VVarmacense, ac deinde in Arduenna transiens, peracta autumnali venatione ad Kalendas Nouembris sicut condixerat Compendium venit. Legati Romam venientes, rei gestæ rectitudinem assequi non potuerunt: quia Paschalis Pontifex & se ab huius facti communione cum magno Episcoporum numero iureiurando purificauit, & interfectores prædictorum hominum, quia de familia sancti Petri erant, summoperè defendens, mortuos velut maiestatis reos condemnans, iure cæsos pronunciauit. Atque ob hoc cum prædictis, qui ad eum missi fuerant, Legatis, Ioannem Siluæ Candidæ Episcopum, Sergium Bibliothecarium, Quirinum quoque Subdiaconum, ac Leonem Magistrum militum ad Imperatorem misit. Qui cùm tam per illos quàm per suos Legatos de sacramento Pontificis & excusatione reorum comperisset: nihil sibi vltrà in hoc negocio faciendum ratus, memoratum Ioannem Episcopum & socios eius ad Pontificem, dato conueniente responso, remisit. Ceadragus Abodritorum Princeps pollicitationibus adhibens fidem, cum quibusdam

A busdam primoribus populi sui Compendium venit, dilatique per tot annos aduentus sui rationem coram Imperatore non improbabiliter reddidit. Qui licèt in quibusdam causis culpabilis appareret, tamen propter merita parentum suorum, non solùm impunitus, verùm muneribus donatus, ad Regnum redire permissus est. Venerat & Harioldus de Nortmannia, auxilium petens contra filios Godefridi, qui eum patriâ pellere nitebantur. Ob cuius causam diligentiùs explorandam, ad eosdem Godefridi filios Theotarius & Ruotmundus Comites missi fuerunt: qui & causam filiorum Godefridi, & statum totius Regni Nortmannorum diligenter explorantes, aduentum Harioldi præcesserunt, & Imperatori omnia quæ in illis partibus comperire potuerunt patefecerunt. Cùm quibus & Ebo Remorum Archiepiscopus, qui consilio Imperatoris, & auctoritate Romani Pontificis, prædicandi gratiâ ad terminos Danorum accesserat, æstate præterita multos ex eis ad fidem venientes baptizauerat, regressus est. LVDOVICVS PIVS.

HOC anno prodigna quædam extitisse narrantur, in quibus præcipua fuerunt. In Aquinsi Palatio terræmotus, & in territorio Tullensi iuxta villam Commerciacum puella quædam annorum duodecim ab omni cibo per decem menses abstinens. Et in Saxonia, in pago qui vocatur *Firifaz*, viginti tres villæ cœlesti igne concrematæ, & fulgura sereno atque interdiu de cœlo cadentia. [Et in territorio Cometense Italicæ ciuitatis, in vico Grabadona, in Ecclesia sancti Ioannis Baptistæ, B imago sanctæ Mariæ puerum IESVM gremio continens, ac Magorum munera offerentium in absida eiusdem Ecclesiæ depicta, & ob nimiam vetustatem obscurata, & penè abolita, tanta claritate per duorum dierum spacia effulsit, vt omnem splendorem nouæ picturæ suæ vetustatis pulchritudine cernentibus penitus vincere videretur. Magorum tamen imagines propter munera quæ offerebant minimè claritas illa irradiauit.] Et in multis regionibus fruges grandinis vastatione deletæ, atque in quibusdam locis simul cum ipsa grandine veri lapides atque ingentis ponderis decidere visi. Domus quoque de cœlo tactæ, hominésq; ac cetera animalia passim fluminum ictu præter solitum crebrò exanimata dicuntur. Sequuta est ingens pestilentia, atque hominum mortalitas, quæ per totam Franciam immaniter vsquequaque grassata est, & innumeram hominum multitudinem diuersi sexus & ætatis grauissimè sæuiendo consumpsit.

DCCCXXIV.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXXIV. Rex Bulgarorum non velut pacis faciendæ gratiâ, Legatos ad Imperatorem misit. Quos ille cùm audisset, ac Literas, quæ allatæ fuerant, legisset, rei nouitate non immeritò permotus, ad explorandam diligentiùs insolitæ, & nunquam priùs in Franciam venientis Legationis causam, Machemum * quendam de Baioaria cum ipsis Legatis ad memoratum Bulgarorum Regem direxit. Hiems aspera valdéque prolixa facta est, quæ non solùm cetera animalia, verumetiam homines quosdam immanitate frigoris C extinxit. Luna defecit III. Non. Martij, hora noctis secunda. SVPPO Dux Spolitanus decessisse nunciatur. Interea Legati Romani Pontificis Romam regressi, eundem valida infirmitate detentum, ac morti proximum inuenerunt. Qui etiam paucis post aduentum illorum exactis diebus vitâ decessit. In cuius locum cùm duo per contentionem populi fuissent electi, EVGENIVS tamen Archipresbyter tituli sanctæ Sabinæ vincente Nobilium parte subrogatus, atque ordinatus est. Cuius rei nuncium cùm Quirinus Subdiaconus, vnus ex his qui priore Legatione fungebantur, ad Imperatorem detulisset, Conuentu circiter VIII. Kalendas Iulij pronunciato, atque Compendio habito, ipse ad Britannicam expeditionem per se faciendam animo intento, HLOTHARIVM filium Imperij socium Romam mittere decreuit, vt vice sua functus ea quæ rerum necessitas flagitare videbatur, cum nouo Pontifice populóque Romano statueret atque firmaret. Et ille quidem ad hæc exequenda post medium Augustum in Italiam profectus est. Imperator verò iter, quod in Britanniam parauerat, propter famem, quæ adhuc præualida erat, vsque ad initium Autumni adgredi distulit. Tum demum adunatis vndique omnibus copiis, Redonas ciuitatem terminis Britanniæ contiguam venit: & indè diuiso in tres partes exercitu, duabúsque partibus filiis suis PIPPINO & HLVDOICO traditis, tertiáque secum retenta, Britanniam ingressus, totam ferro & igni vastauit. Consumptisque in hac expeditione quadraginta vel eo amplius

824.

* al. Machelinum.

LVDOVICVS PIVS. diebus, acceptis quos perfido Brittonum populo imperauerat obsidibus Rodtomagum ciuitatem, vbi coniugem se operire iusserat, ad XV. Kalendas Decembris reuersus est. Nam & illuc Legatos Michaëlis Imperatoris, qui ad eum mittebantur, sibi occurrere iussit. Cum quibus & Fortunatus Patriarcha Veneticorum regressus, ad eius venit præsentiam. Sed Legati Imperatoris Literas & munera deferentes, pro Fortunato nihil locuti sunt. Inter cetera tamen ad Legationem suam pertinentia, quædam de imaginum veneratione protulerunt, propter quæ se Romam ire, atque Apostolicæ Sedis Præsulem consulere debere dixerunt. Quos cùm Legatione eorum audita, ac responso reddito, absolueret, Romam vt se velle dicebant ducere iussit. Fortunatum etiam de causa fugæ ipsius percunctatus, ad examinandum eum Romano Pontifici direxit. Ipse Aquisgrani, vbi hiemare statuerat, profectus est. Quò cùm venisset, & ibi Natalem Domini celebrasset, allatum est ei quòd Legati Regis Bulgarorum essent in Baioaria. Quibus obuiàm mittens, ipsos quidem vsque ad tempus congruum ibidem fecit operiri. Ceterùm Legatos Abodritorum, qui vulgo Predenecenti vocantur, & contermini Bulgaris Daciam Danubio adiacentem incolunt, qui & ipse aduentare nunciabatur, ilicò venire permisit. Qui cùm de Bulgarorum iniqua infestatione quererentur, & contra eos auxilium sibi ferri deposcerent, domum ire, atque iterum ad tempus Bulgarorum Legatis constitutum redire iussi sunt. SVPPONE apud Spoletium sicut dictum erat defuncto, eundem Ducatum ADHALHARDVS Comes Palatij, qui iunior vocabatur, accepit. Qui cùm vix quinque menses eodem honore potiretur, correptus febre decessit. Cui cùm MORINGVS Brixiæ Comes successor esset electus, nűcio honoris sibi deputati accepto decubuit, & paucis interpositis diebus vitam finiuit. EBLVS & ASINARIVS Comites cum copiis VVasconum ad Pampilonam missi, cùm peracto iam sibi iniuncto negocio reuerterentur, in ipso Pyrenæi iugo perfidiâ montanorum in insidias deducti, ac circumuenti, capti sunt, & copiæ quas secum habuêre penè vsque ad internecionem deletæ. Et Eblus quidem Cordubam missus, Asinarius verò misericordiâ eorum qui eum ceperant, quasi consanguineus eorum esset, domum redire permissus est. HLOTHARIVS verò iuxta patris mandatum Romam profectus, ab Eugenio Pontifice honorificè suscipitur. Cui cùm iniuncta sibi patefaceret, statum populi Romani iamdudum quorumdam Præsulum peruersitate deprauatum, memorati Pontificis beniuola defensione ita correxit, vt omnes, qui rerum suarum direptione grauiter fuerant desolati, de receptione bonorum suorum, quæ per illius aduentum Deo donante prouenerat, magnificè sint consolati. A B

HOC anno paucis ante solstitium æstiuale diebus in territorio Augustodunense, aëre in tempestatem subita mutatione conuerso, ingens fragmentum ex glacie simul cum grandine decidisse narratur: cuius longitudo quindecim, latitudo septem, crassitudo duos pedes habuisse dicitur.

DCCCXXV. C

825. ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXXV. sacro Paschali festo solemniter Aquisgrani celebrato, arridente etiam verna temperie, Imperator venandi gratiâ Nouiomagum profectus, Legatos Bulgarorum circa medium Maium Aquisgrani venire præcepit. Nam tunc illò reuerti statuit, habiturus ibi Conuentum, quem de Britannia regressus, eo se tempore ibidem habere velle Optimatibus iudicauerat. Quò cùm peracta venatione fuisset reuersus, Bulgaricam Legationem audiuit. Erat enim de terminis ac finibus inter Bulgaros ac Francos constituendis. Affuerunt in eodem pene omnes Britanniæ primores, inter quos & VVihomarcus, qui perfidiâ sua totam Britanniam cőturbauerat, & obstinatione stultissima ad memoratam expeditioně clam faciendam Imperatoris animű prouocauerat. Tandem saniore vsus consilio, ad fidem Imperatoris, vt ipse dicebat, venire non dubitauit. Cui cùm Imperator & ignosceret, & muneribus donatum vnà cum ceteris Gentis suæ primoribus domum remeare permitteret; promissam fidem, vt priùs consueuerat, gentilitiâ perfidiâ commutauit, ac vicinos suos incendiis & direptionibus inquantum potuit infestare non cessauit: donec ab hominibus LANDBERTI Comitis in domo propria circumuentus, atque interfectus est. Imperator verò, audita Bulgarorum Legatione, per eosdem qui ad eum missi fuerant Legatos, Regi eorum missis Litteris prout videbatur respondit. Dimissoq; Conuentu, in Vogesum ad Rumerici montem ve-

A nandi gratiâ profectus, filium suum HLOTHARIVM ex Italia regressum, ibique ad se venientem suscepit: ac peracta venatione Aquisgrani rediens, generalem populi sui Conuentum more solemni mense Augusto habuit. In quo Conuentu, inter ceteras Legationes, quæ de diuersis partibus venerunt, etiam & filiorum Godefridi de Normannia Legatos audiuit: ac pacem, quam iidem sibi dari petebant, cum eis in Marca eorum mense Octobrio confirmari iussit. Completisque omnibus negociis, quæ ad illius Conuentus rationem pertinere videbantur, Nouiomagum cum filio maiore secessit. Minorem verò filium suum HLVDOICVM in Baioariam direxit. Ipse autem autumnali venatione completa, circa hiemis initium Aquisgrani reuersus est. LVDOVICVS PIVS.

IN territorio Tullense iuxta Commerciacum villam puella quædam annorum circiter duodecim, post sacram communionem, quam in Pascha de Sacerdotis manu sumendo perceperat, primò pane, deinde omnibus cibis & potibus abstinendo, intantum ieiunasse perhibetur, vt nulla penitus corporalia alimenta suscipiens, sine omni victus desiderio plenum triennium compleuerit. Cœpit autem ieiunare anno Incarnationis Dominicæ DCCCXXIII. sicut in ipsius anni descriptione superiùs annotatum est. Et hoc anno, id est DCCCXXV. circa Nouembris mensis initium peracto ieiunio, escam sumere, ac more ceterorum mortalium manducando viuere cœpit.

DCCCXXVI.

B ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXXVI. cùm Regi Bulgarorum Legati sui quid egerint renunciassent, iterum eum, quem primò miserat ad Imperatorem, cum Litteris remisit: rogans vt sine interpositione orarum vel terminorum definitio fieret: vel si hoc non placeret, suos quisque terminos sine pacis fœdere tueretur. Cui Imperator, quia fama erat Bulgarorum Regem à suo quodam Optimate aut Regno pulsum, aut interfectum, respondere distulit. Illóque expectare iusso propter famæ certitudinem comperiendam, BERTRICVM Palatij Comitem ad BALDRICVM & GEROLDVM Comites, & Auarici limitis Custodes, in Carantanorum prouinciam misit. Qui cùm reuersus nihil certi super his quæ fama vulgauerat reportasset, Imperator Legatum ad se vocatum sine Litteris remeare fecit. Interea PIPPINVS Rex filius Imperatoris, vt iussus erat, cum suis Optimatibus & Hispanici limitis Custodibus, circa Kalendas Februarias Aquisgrani (nam ibi tunc Imperator hiemauerat) venit. Cum quibus vbi de tuendis contra Sarracenos Occidentalium partium finibus esset tractatum, atque dispositum, Pippinus in Aquitaniam regressus æstatem in deputatum sibi locum transegit. Imperator verò medio mense Maio Aquis egressus circa Kalendas Iunij, ad Ingilenhaim venit. Habitóque ibi Conuentu non modico, multas, & ex diuersis Terrarum partibus missas Legationes audiuit, & absoluit. Inter quas præcipua, ceterísque præeminens erat Legatio sanctæ Sedis Apostolicæ, Romanæ 826.

C videlicet Ecclesiæ, qua fungebatur Leo Centumcellensis Episcopus, & Theofilactus Nomenclator, & de partibus transmarinis Dominicus Abba de Monte Oliueti. Legati quoque filiorum Godefridi Regis Danorum, pacis ac fœderis causâ directi: & de Sclauorum regionibus quidam Abodritorum primores Ceadragum Ducem suum accusantes. Accusabatur & Tunglo vnus de Soraborum primoribus, quòd & ipse dicto audiens non esset. Quorum vtrique denunciatum est, quòd si medio Octobrio ad Imperatoris generalem Conuentum venire distulisset, condignas perfidiæ suæ pœnas esse daturum. Venerunt & ex Britonum primoribus, quos illius limitis Custodes adducere voluerunt. Eodem tempore Herioldus cum vxore, & magna Danorum multitudine veniens Moguntiacum, apud sanctum Albanum cum his quos secum adduxit baptizatus est, multísque muneribus ab Imperatore donatus, per Frisiam qua venerat viâ reuersus est. In qua Prouincia vnus Comitatus, qui *Riustri* vocatur, eidem datus est, vt in eum se cum rebus suis si necessitas exigeret recipere potuisset. Baldricus verò & Geroldus Comites, ac Pannonici limitis Præfecti in eodem Conuentu affuerunt, & adhuc de motu Bulgarorum aduersum nos nihil se sentire posse testati sunt. Venit cum Baldrico Presbyter quidam de Venetia Georgius nomine, qui se organũ facere posse asserebat. Quem Imperator Aquisgrani cum Tanculfo Sacellario misit, & vt ei omnia ad id instrumentum efficiendum necessaria præberentur imperauit. Condictóque ac pronun-

LVDOVICVS PIVS. ciato ad medium Octobrium generali Conuentu, ceteris omnibus more solemni A
absolutis, ipse trans Rhenum ad villam, quæ *Salz* vocatur, cum suo comitatu profectus est. Ibi ad eum Legati Neapolitanorum venerunt, atque inde accepto responso ad sua regressi sunt. Ibi ad eius notitiam perlatum est de fuga ac perfidia Aizonis, quomodo fraudulenter Ausonam ingressus, & à populo illo, quem dolo deceperat, receptus, vel Torotam ciuitatem destruxit: castella eiusdem regionis, quæ firmiora videbantur, comminuit, missóque ad Abdiraman Regem Sarracenorum fratre suo, auxilium quod petebat iussu eiusdem Regis contra nos accepit. Sed Imperator, licèt huius rei nuncium grauiter ferret, nihil tamen inconsultè gerendum iudicans, Consiliariorum suorum aduentum statuit operiri. Transactáque autumnali venatione circa Kalendas Octobris per Mœnum fluuium vsque ad *Franconusfurd* secunda aquâ nauigauit. Inde ad Ingelenhaim medio Octobrio veniens, generalem ibi vt condictum erat populi sui Conuentum habuit, in quo & Ceadragum Abodritorum Ducem, necnon & Tuncglonem, qui apud eum perfidiæ accusabantur, audiuit. Et Tuncglonem quidem, accepto ab eo filio eius obside, domum redire permisit. Ceadragum verò, ceteris Abodritis dimissis, secum retinuit: missísque ad populum Abodritorum Legatis, si eum sibi vulgus regnare vellet, perquirere iussit. Ipse autem Aquisgrani, vbi hiemare constituerat, profectus est. Cúmque Legati, quos ad Abodritos miserat, reuersi nunciassent variam illius Gentis pro Regno suo recipiendo sententiam, meliores tamen ac præ- B
stantiores quosque de illius receptione concordare, acceptis ab eo quos imperauit obsidibus, in Regnum suum eum fecit restitui. Dum hæc aguntur, HILDVINVS Abbas Monasterij sancti Dionysij Martyris Romam mittens, annuente precibus eius Eugenio sanctæ Sedis Apostolicæ tunc Præsule, ossa beatissimi Sebastiani Martyris accepit, & ea apud Suessonam ciuitatem in Basilica sancti Medardi collocauit. Vbi, dum adhuc inhumata in loculo, in quo ablata fuerant, iuxta tumulum sancti Medardi iacerent, tanta prodigiorum ac signorum multitudo claruit, tanta virtutum vis in omni genere sanitatum per diuinam gratiam in nomine eiusdem beatissimi Martyris enituit, vt à nullo mortalium eorumdem miraculorum aut numerus comprehendi, aut varietas verbis valeat enunciari. Quorum quædam tanti stuporis esse narrantur, vt humanæ imbecillitatis fidem excederent, nisi certum esset Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, pro quo idem beatissimus Martyr passus esse dinoscitur, omnia quæ vult facere posse per diuinam omnipotentiam, in qua illi omnis creatura in cœlo & in terra subiecta est.

DCCCXXVII.

827. ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXXVII. Imperator Elizacharum Presbyterum & Abbatem, & cum eo Hildibrandum atque Donatum Comites, ad motus Hispanicæ Marcæ componendos misit. Ante quorum aduentum Aizo Sarracenorum auxilio fretus, multa eiusdem limitis Custodibus aduersa in- C
tulit, eósque assiduis incursionibus in tantum fatigauit, vt quidam illorum, relictis quæ tueri debebant castellis, recederent. Defecit ad eum & filius Berani nomine VVillemundus, necnon & alij complures nouarum rerum gentilitia leuitate cupidi: iunctíque Sarracenis ac Mauris, Ceritaniam & Vallensem rapinis atque incendiis quotidie infestabant. Cúmque ad sedandos ac mitigandos Gothorum atque Hispanorum in illis finibus habitantium animos Helisachar Abbas cum aliis ab Imperatore missis multa & propria industriâ, & sociorum consilio prudenter administrasset, BERNARDVS quoque Barcinonæ Comes Aizonis insidiis, & eorum qui ad eum defecerant calliditati ac fraudulentis machinationibus pertinacissimè resisteret, atque eorum temerarios conatus irritos efficeret, exercitus à Rege Sarracenorum Abdiraman ad auxilium Aizoni ferendum missus, Cæsaraugustam venisse nunciatur. Supra quem Abumarnam Regis propinquus Dux constitutus, ex persuasionibus Aizonis haud dubiam sibi victoriam pollicebatur. Contra quem Imperator filium suum PIPPINVM Aquitaniæ Regem cum immodicis Francorum copiis mittens, Regni sui terminos tueri præcepit. Quod ita factum esset, nisi Ducum desidiâ, quos Francorum exercitui præfecerat, tardiùs quàm rerum necessitas postulabat, is quem ducebant ad Marcam venisset exercitus. Quæ tarditas in tantum noxia

A fuit, vt Abumaruan vastatis Barcinonensium ac Gerundensium agris, villisque incensis, cunctis etiam quæ extra vrbes inuenerat direptis, cum incolumi exercitu Cæsaraugustam se priùs reciperet, quàm à nostro exercitu vel videri potuisset. Huius cladis præsagia creditæ sunt visæ multoties in cœlo acies, & ille terribilis nocturnæ coruscationis in aëre discursus. Imperator autem duobus Conuentibus habitis, vno apud Niumagam propter falsas Horici filij Godefridi Regis Danorum pollicitationes, quibus se illò ad Imperatoris præsentiam venturum promiserat: altero apud Compendium, in quo & annualia dona suscepit, & his qui ad Marcham Hispanicam mittendi erant, quid vel qualiter agere deberent imperauit. Ipse autem Compendium & Carisiacum, ceteráque his vicina Palatia, vsque ad hiberni temporis initium conuersatus est. Interea Reges Danorum, filij videlicet Godefridi, Herioldum de consortio Regni eiicientes, Normannorum finibus excedere compulerunt. Bulgari quoque Sclauos in Pannonia sedentes, misso per Drauum nauali exercitu, ferro & igni vastauerunt: & expulsis eorum Ducibus, Bulgaros super eos Rectores constituerunt. LVDOVICVS PIVS.

EVGENIVS Papa mense Augusto decessit. In cuius locum VALENTINVS Diaconus à Romanis electus, & ordinatus, vix vnum mensem in Pontificatu compleuit. Quo defuncto, GREGORIVS Presbyter tituli sancti Marcelli electus, sed non priùs ordinatus est, quàm Legatus Imperatoris Romam venit, & B electionem populi qualis esset examinauit. Legati Michaëlis Imperatoris de Constantinopoli ad Imperatorem quasi propter fœdus confirmandum missi, Septembrio mense Compendium venerunt. Quos ille benignè receptos & audiuit, & absoluit.

CORPORA beatissimorum Christi Martyrum Marcellini & Petri de Roma sublata, & Octobrio mense in Franciam translata, & ibi multis signis atque virtutibus clarificata sunt.

DCCCXXVIII.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXXVIII. Conuentus Aquisgrani mense Februario factus est, in quo cùm de multis aliis causis, tùm præcipuè de his quæ in Marca Hispanica contigerunt, ratio habita: & Legati, qui exercitui præerant, culpabiles inuenti, & iuxta merita sua honorum amissione mulctati sunt. Similiter & Baldricus Dux Foroiulensis, cùm propter eius ignauiam Bulgarorum exercitus terminos Pannoniæ superioris impunè vastasset, honoribus quos habebat priuatus, & Marca quam solus tenebat inter quatuor Comites diuisa est. Halitgarius Cameracensis Episcopus, & Hansfridus Abba Monasterij Nonantulæ, Constantinopolim missi, & à Michaële Imperatore, sicut ipsi indè reuersi retulerunt, honorificè suscepti sunt. Imperator Iunio mense ad Ingulhaim villam venit, ibique per aliquot dies Placitum habuit. In quo C cùm de filiis suis HLOTHARIO & PIPPINO cum exercitu ad Marcam Hispanicam mittendis consilium iniisset, & id quomodo fieret ordinasset, Missos etiam Romani Pontificis, Quintinum Primicerium, ac Theofilactum Nomenclatorem, qui ad eum illò venerant, audita illorum Legatione dimisisset, ad villam Franconofurd profectus est. Ibique aliquamdiu moratus VVormatiam venit, atque indè Theodonis-villam perrexit. De quo loco Hlotharium filium suum cum magnis Francorum copiis ad Hispanicam Marcam direxit. Qui cùm Lugdunum venisset, consedit; nuncium operiens qui de Sarracenorum aduentu faceret certiorem. In qua expectatione cum Pippino fratre colloquitur. Et comperto quòd Sarraceni ad Marcam venire aut timerent, aut nollent, redeunte in Aquitaniam fratre, ipse ad patrem Aquisgrani reuertitur. Interea cùm in confinibus Nortmannorum tam de fœdere inter illos & Francos confirmando, quàm de Herioldi rebus tractandum esset, & ad hoc totius penè Saxoniæ Comites simul cum Marchionibus illò conuenissent, Herioldus rerum gerendarum nimis cupidus, condictam, & per obsides firmatam pacem, incensis ac direptis aliquot Nortmannorum villulis irrupit. Quod audientes filij Godefridi, contractis subitò copiis ad Marcam veniunt, & nostros in ripa Eidoræ fluminis sedentes, ac nihil tale opinantes, transito flumine adorti, castris exuunt: eísque in fugam actis, cuncta diripiunt, ac se cum omnibus copiis suis in sua castra reci- 828.

LVDOVICVS PIVS. piunt. Deinde inito consilio, vt vltionem huius facti præuenirent, missa Legatione ad Imperatorem, quàm inuiti, & quanta necessitate coacti id fecerunt, exposuerunt. Se tamen ad satisfactionem esse paratos, & hoc in Imperatoris esse arbitrio, qualiter ita fieret emendatum, vt de re inter partes pax firma maneret. BONIFACIVS Comes, cui tutela Corsicæ insulæ tunc erat commissa, assumpto secum fratre Berehario, necnon & aliis quibusdam Comitibus de Tuscia, Corsica, atque Sardinia, parua classe circumuectus cùm nullum in mari piratam inuenisset, in Africam traiecit: & inter Vticam atque Cartaginem ingressus, innumeram incolarum multitudinem subitò congregatam offendit, cum qua & prœlium conseruit, & quinquies vel eò ampliùs fusam fugatámque profligauit. Magnáque Afrorum multitudine prostrata, aliquantis etiam sociorum suorum per temeritatem amissis, in naues suas se recepit, atque hoc facto ingentem Afris timorem incussit. A

LVNA Kalend. Iulij primo diluculo in occasu suo defecta est. Similiter & in VIII. Kalend. Ianuarij, id est in Natalem Domini, media nocte obscurata est. [Ferunt in regione VVasconia trans Garumnam fluuium, in pago Aginense, annonam pluere de cœlo similem frumento, sed paululum breuiore, ac rotunda grana habere: de qua domno Imperatori adlatum est ad Aquis Palatium.] Imperator circa Missam sancti Martini Aquisgrani ad hiemandum venit. Ibique positus, totum hiberni temporis spacium in diuersis conuentionibus ob necessaria Regni negocia congregatis impendit. B

DCCCXXIX.

829. ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXXIX. post exactum hiemem, in ipso sancto Quadragesimali Ieiunio, paucis ante sanctum Pascha diebus, Aquisgrani terræmotus noctu factus, ventúsque tam vehemens coortus, vt non solùm humiliores domos, verumetiam ipsam sanctæ Dei Genitricis Basilicam, quam Capellam vocant, tegulis plumbeis tectam, non modica denudaret parte. Imperator verò in diuersis occupationibus vsque ad Kalendas Iulias Aquisgrani moratus, tandem ad generalem Conuentum VVormatiæ habendum cum comitatu suo mense Augusto statuit proficisci. Sed priusquàm indè promoueret, nuncium accepit, Nortmannos velle trans Albiam Saxoniæ regionem inuadere, atque exercitum eorum, qui hoc facturus esset, nostris finibus appropinquare. Quo nuncio commotus, misit in omnes Franciæ partes, & iussit vt cum summa festinatione tota populi sui generalitas post se in Saxoniam venisset: indicans simul velle se apud Nouesium medio circiter Iulio Rhenum transire. Sed vbi vana esse comperit, quæ de Nortmannis fama disperserat, sicut dispositum priùs habebat, medio mense Augusto VVormatiam venit. Ibique habito generali Conuentu, & oblata sibi annua dona solemni more suscepit, & Legationes plurimas, quæ tam de Roma & Beneuento, quàm & de aliis longinquis terris ad eum venerant, audiuit atque absoluit. HLOTHARIVM C quoque filium suum finito Conuentu in Italiam direxit, ac BERNARDVM Comitem Barcinonæ, qui eatenus in Marca Hispaniæ præsidebat, Camerarium in Palatio constituit. Aliis etiam causis, quæ ad illius Placiti completionem pertinere videbantur, congruo modo dispositis atque completis, populóque ad sua ire dimisso, ipse ad autumnalis venationis exercitium Franconofordo villam profectus est. Qua transacta, ad hiemandum Aquisgrani reuersus est, vbi ad Missam sancti Martini, ac festiuitatem beati Andreæ Apostoli, necnon & ipsum sacrosanctum Dominicæ Natiuitatis diem cum magna lætitia & exultatione celebrauit.

DCCCXXX.

830. ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXXX. Conuentus ibidem factus est, in quo statuit cum vniuersis Francis hostiliter in partes Britanniæ proficisci, maximéque hoc persuadente Bernardo Camerario. Et non multò pòst Aquis exiuit, id est IV. feria, quæ dicitur Caput Ieiunij, valde pedum ægritudine laboriosus, statuit per maritima loca illuc properare, domna Imperatrice in Aquis dimissa. Quod iter omnis populus molestè ferens propter difficultatem itineris, eum illuc sequi noluerunt. Nam aliqui ex primoribus murmurationem populi cognoscentes, conuocauerunt illum, vt eum à fide, quam domno Imperatori promissam ha-

A bebant, auerterent. Ideóque omnis populus, qui in Britanniam ire debebat, ad Parisium se coniunxit: necnon Hlotharium de Italia, & Pippinum de Aquitania hostiliter aduersum patrem venire, vt illum de Regno eiicerent, & nouercam suam perderent, ac Bernardum interficerent, compulerunt. Quod præfatus Bernardus sentiens, fugâ lapsus Barcinonam peruenit. Cúmque domno Imperatori illorum consilium denunciatum esset, continuò obuiam illis ad Compendium perrexit. Ibíque veniens Pippinus cum multitudine populi, consensu Hlotharij omnem potestatem Regiam vxorémque eius tulerunt, ac velantes eam miserunt Pictauis ad Monasterium Sanctæ Radegundis. Cuius etiam fratres, Conradum videlicet atque Rodulfum, tonsurantes, per Monasteria retruserunt. Post octauas autem Paschæ Hlotharius de Italia perueniens, Placitum illic habuit, & HERBERTVM fratrem BERNARDI excæcari iussit, aliquósque fideles domni Imperatoris in custodiam misit. His omnibus ita peractis, alium Conuentum domnus Imperator cum filio suo Hlothario circa Kalendas Octobris Nouiomago condixit, vbi Saxones & Orientales Franci conuenire potuissent. Nam illuc ex vtraque parte, scilicet domni Imperatoris, & Hlotharij, multorum congregatus est exercitus. Ibíque domnus Imperator recuperato Imperio, iussit auctores illius facti, quorum fraus detecta, & conspiratio patefacta erat, propter illorum controuersiam in custodiam mitti vsque ad aliud Placitum, quod Aquisgrani erat habiturus. Verùm ab omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, ac ceteris Francis, iudicatum est, vt coniux eius, quæ iniustè & sine lege ac iudicio ei ablata fuerat, ad memoratum conditum Placitum reduceretur: & si quislibet aliquod crimen illi obiicere vellet, aut se legibus defenderet, aut iudicium Francorum subiret. Et inde domnus Imperator ad hyemandum Aquis properauit anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXI.

B

DCCCXXXI.

NAM circa Kalendas Februarij sicut conditum fuerat generale Placitum habuit, eósque, qui anno superiori propter seditionem prius in Compendio, & postea in Niumago domnum Imperatorem offenderant, venire iussit: vt illorum causa discuteretur, & diiudicaretur. Primúmque à filiis eius, ac deinde à cuncto qui aderat populo iudicatum est, vt capitalem subirent sententiam. Tunc domnus Imperator solita pietate vitam & membra illis indulsit, ipsósque per diuersa loca ad custodiendum commendauit. Hlotharius verò, propter quod magis illis consenserat quàm debuisset, genitoris pium commouit animum. Ad quod Placitum domna Imperatrix, sicut iussum fuerat, veniens, & in conspectu domni Imperatoris ac filiorum eius assistens, de cunctis se obiicientibus purificare velle aiebat. Percunctatúsque est populus, si quislibet in eam aliquod crimen obiicere vellet. Cúmque nullus inuentus esset, qui quodlibet illi malum inferret, purificauit se secundum iudicium Francorum de omnibus quibus accusata fuerat. Peractóque Placito Hlotharium in Italiam, Pippinum in Aquitaniam, Hludoicum in Baioariam ire permisit. Ipse autem circa Calendas Maij ad Ingulehem veniens, Hlotharium illic ad se venientem honorificè suscepit. Hi quoque, qui in exilium missi fuerant, adducti & absoluti, gratiámque domni Imperatoris adepti sunt. Tertium verò generale Placitum in Theodonis-villa habuit, ibíque ad eum Legati Amiralmummin indè per fidè venientes, pacem petiuerunt. qua mox impetrata, reuersi sunt. Nec non Missi Danorum eadem exorantes venerunt, & fœdere firmato ad propria repedarunt. Multæque Legationes Sclauorum ad eum venientes, auditæ, dispositæ, & absolutæ sunt. Bernardus Comes aduenìens, de quibus accusatus fuerat domno Imperatori filiisque suis iureiurando satisfecit. Filij quoque eius, qui adfuerant, ad sua remearunt. Pippinum inibi diutius expectans, plures ad eum Legatos direxit, vt veniret. Qui se venturum promisit, & venire distulit. Ipse verò ad hyemandum post Missam Sancti Martini Aquis venit. Ibi Pippinus paucis diebus ante Natalem Domini ad eum venit. Quem domnus Imperator, propter inobedientiam illius, non tam benignè suscepit, quàm antea solitus fuerat.

831.

C

DCCCXXXII.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXXXII. Indignatus PIPPINVS, quòd à patre non fuerat honorificè susceptus, inito consilio, in vigilia Innocen- 832.

LVDOVICVS PIVS. tium, prima noctis horâ cum paucis suorum fugâ lapsus est, & sub omni festinatione Aquitaniam petiit. At domnus Imperator grauiter indè commotus est, nunquam æstimans filio suo talia debere contingere, aut patris præsentiam fugere. Tunc igitur conuocatis vndique Consiliariis, habitóque cum eis consilio, quid de his agendum esset, statutum est vt suum generale Placitum in Aurelianis ciuitate habendum denuntiaretur: illúcque Hlotharium de Italia, Ludoicum verò ad Aquis venire, paritérque cum patre ad conditum Placitum pergere. Quibus ita consideratis, & vbique ad hoc adnunciandum Legatis directis, subitò peruentum est ad aures piissimi Imperatoris, Ludoicum cum omnibus Baioariis liberis & seruis, & Sclauis, quos ad se vocare poterat, Alemaniam, quæ fratri suo CAROLO à patre iamdudum data fuerat, ingredi velle, eámque vastare & diripere, ac suo Regno adunare, cunctúmque populum Regni illius ei fidelitatem promittere: & his peractis, in Franciam cum ipso exercitu hostiliter venire, & de Regno patris sui quanto plurimum potuisset inuadere, sibíque subiicere. Cúmque hoc compertum esset, statim domnus Imperator mutato Placito, omnes Francos Occidentales, & Australes, necnon & Saxones obuiam sibi XIV. Kalend. Maij Maguntiam venire præcepit. Hoc audientes omnes alacriter ad domnum Imperatorem venire festinauerunt, ei in omnibus auxilium præbere cupientes. Quo etiam tempore eclypsis Lunæ XIV. Kalend. Maij post Solis occasum facta est. Domnus Imperator cùm Maguntiam venit, vbi & ad Placitum quod eis constituerat omnis populus occurrit, mox in crastinum cum valida Francorum & Saxonum manu Rheno & Moin fluminibus transitis, circa Tiburim* villam castra metatus est. LVDOICVS verò filius eius iuxta VVormatiam in villa quæ vocatur *Langbardheim** cum suo exercitu residebat, vanis pollicitationibus spem suam habens intentam, quia hoc illi à suis promissum est, nec non & ab aliis, qui cum eo erant, Comitibus & Vassallis domni Imperatoris, & Caroli: vt omnes Australes Franci & Saxones ei auxilium ferre deberent. Et hoc maximè MATHFRIDVS dolosè meditatus & machinatus est, cui domnus Imperator anno priore, cùm ad mortem diiudicatus fuerat, vitam, & membra, & hereditatem habere concessit. Cúmque LVDOICVS patrem suum cum tanta fidelium copia Rhenum transisse cognouit, minorata est eius audacia, & expetitæ iniustæ potentiæ spes ablata est. Nec mora cum suis hominibus Baioariam per eandem viam qua venerat festinanter reuersus est, plurimíque eorum qui cum illo erant ad domnum Imperatorem regressi sunt. Audiens domnus Imperator subitaneam eius reuersionem, perrexit ad locum de quo ille redierat, ibíque plurima deuastata inuenit, quæ omnia aduersa sicut ei mos est patienter tulit: & lento gradu non filium persequendo, cum omni exercitu in Alemaniam perrexit, peruenitque ad *Augustburg* super Lech. Ibíque filium suum, qui taliter seductus fuerat, ad se venire fecit, ac solita pietate quæ contra se facta fuerant omnia illi indulsit. Qui tamen iureiurando promisit, ne vltra talia perpetraret, neque aliis ad hoc consentiret. Peracto itaque Placito, filium suum cum pace Baioariam redire permisit, & exercitu dimisso ipse per Austriam ad Salz venit: ibíque illi domna Imperatrix obuiam occurrit. Qui vnà nauali itinere Moguntiam venerunt, vbi & LOTHARIVS patri occurrit: vbi etiam denuò annunciatum est Placitum generale Kalendas Septembris Aurelianis habendum, ibíque vnumquemque hostem liberè aduenire. Cúmque illuc peruenit, dona annualia more solito suscipiens, mox indè ad Lemodicas festinauit. Tunc filium suum PIPPINVM ad se vocans, inter cetera increpauit eum, cur de eius præsentia sine licentia aufugisset. Paternóque illũ affectu corripere cupiẽs, in Franciam ire præcepit: vt in loco, quo eum esse iniunxit, moram faceret quousque sua emendatione patris animum mitigaret. Ille verò se factur ũ simulans, & de incœpto itinere regrediens, paternam iussionem implere contempsit: domno Imperatore per alias partes Aquitaniæ in Franciam reuertente. Dúmque hoc illi nunciatum esset, non tam citò in Franciam venit, sicut dispositum habuerat: sed propter hoc aliquantis diebus illis in partibus moras faciens, tandem ante Natalem Domini Cinomannis peruenit anno DCCCXXXIII.

* al. Tiburim.
* al. Langardhim.

DCCCXXXIII.

833. NAM ibi celebratis sanctis diebus, recto itinere Aquis peruenit. vbi non multis diebus demoranti, nunciatum est illi, quòd iterum filij sui adunati pariter in

A illum insurgere, & cum multa copia hostium inruere vellent. Qui consilio inito VVormatiam ante initium Quadragesimæ peruenit, ibique peractis illis diebus, Sanctæ Paschæ & Pentecostes festiuitates celebrauit: conuocatóque exercitu, obuiam illis ire disposuit, vt si eos verbis pacificis ab hac audacia auertere nequiuisset, armis ne Christianum populum læderent compesceret. Denique filij eius cœptum peragere cupientes, in pago Helisaciæ, in loco qui dicitur *Rotfelth*, id est *rubeus Campus*, iuxta Columb, qui deinceps Campus-mentitus vocatur, se coniunxerunt: id est LOTHARIVS de Italia Gregorium Apostolicum secum adducens, PIPPINVS de Aquitania, & LVDOICVS de Baioaria, cum plurima hominum multitudine. Quibus cùm domnus Imperator occurrisset, nullatenus eos ab eadem pertinacia compescere potuit; sed prauis persuasionibus & falsis promissionibus populum, qui cum domno Imperatore venerat, deceperunt, ita vt omnes illum dimitterent. Drogo verò frater Imperatoris, & Modoinus ac VVilliricus, atque præfatus Aldricus Episcopi, cum nonnullis Episcopis aliis, Abbatibus, Comitibus, ac reliquis suis fidelibus, cum illo remanserunt. Nam aliqui ex illis, in quos eorum ira maximè sæuiebat, abscesserunt, & in locis amicorum ac fidelium se contulerunt. Ablatáque illi coniuge, & in Italiam apud ciuitatem Tartonam in exilium directa, Lotharius arrepta potestate Regia Apostolicum Romam, Pippinum in Aquitaniam, & Ludoicum in Baioariam redire permisit. *Lvdovicvs Pivs.*

B Ipse verò patrem secum sub custodia per Mettis vsque ad Suessionis ciuitatem perducens, illic eum Monasterio Sancti Medardi in eadem custodia reliquit: & filium eius CAROLVM ei auferens, ad Monasterium Prumiæ transmisit. Vnde patrem nimium contristauit. Deinde condictum Placitum Kalendas Octobris LOTHARIVS in Compendio habuit. Ibique Episcopi, Abbates, Comites, & vniuersus populus conuenientes, dona annualia ei præsentauerunt, fidelitatémque promiserunt. Nam illuc quoque Legati ex Constantinopoli, qui ad patrem fuerant destinati, ad Lotharium peruenerunt, eíque Epistolas & munera detulerunt. In quo Conuentu multa in domnum Imperatorem crimina confixerunt. Inter quos Ebo Remorum Episcopus falsarum obiectionum incentor extiterat. Et tamdiu illum vexauerunt, quousque arma deponere, habitúmque mutare cogentes, liminibus Ecclesiæ pepulerunt: ita vt nullus loqui cum eo auderet, nisi illi qui ad hoc fuerant deputati. Postea verò metuentes, ne ab ipso loco à quibusdam suis fidelibus eriperetur, ipse Lotharius ad idem Monasterium veniens, patrem illo nolente secum adduxit, atque in Compendio sub eadem excommunicatione retinuit. Tunc peracto Placito, Lotharius ad hiemandum Aquis properauit, & patrem suum ire sub prædicta custodia fecit, ac vigiliâ Sancti Andreæ Aquis peruenit. Post paucos autem dies accidit, vt ob quasdam causas Lotharius & Ludoicus Mogontiâ colloquium haberent. Vbi Ludoicus fratrem suum Lotharium obnixè deprecatus est, vt patri illorum mitior fieret, nec tam stricta custodiâ illum teneret.

C Quod illo renuente, Ludoicus tristis abscessit, deinceps cum suis meditans qualiter patrem suum ab eadem custodia eriperet. Lotharius autem paucis diebus ante Natale Domini Aquis peruenit anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXIV.

DCCCXXXIV.

ET domnus quidem Imperator in Aquis seruabatur, nihilque humanum erga illum fiebat: sed multò crudelius aduersarij eius in illum sæuiebant, die noctúque satagentes tantis afflictionibus illius animum emollire, vt sponte seculum reliquisset, & se in Monasterium contulisset. At ille numquam se facturum aiebat, quamdiu de se nullam potestatem haberet, aliquod votum. Verùm cùm LVDOICVS comperisset, quòd nihil eius petitio apud germanum præualeret, vt mitiùs apud patrem egisset, misit Legatos ad fratrem suum PIPPINVM, eíque innotuit omnia quæ erga patrem gesta fuerant: deprecans illum, vt reminiscens paterni amoris ac reuerentiæ, vnà cum illo patrem de illa tribulatione eriperet. At ille statim conuocauit exercitum Aquitanorum & Vltra-Sequanensium, Ludoicus Baioarios, Austrasios, Saxones, Alemannos, necnon & Francos qui citra Carbonariam consistebant: cum quibus etiam ad Aquis properare cœperunt. Cúmque hoc LOTHARIVS cognouisset, de Aquis abscessit, & patrem suum vsque ad Parisius sub memorata custodia deduxit, ibique iam Pippinum cum exer- 834.

LVDOVICVS PIVS.

citu repperit Sequanæ insolita exuberatione transire prohibitum. Nam nimium A
ceterorum quoque fluminum inundatio, & vltra alueos insueta progressio multis
non paruum intulit impedimentum. Verùm, cùm firmiter cognouisset, Ludoicum
etiam cum tanta populi multitudine in easdem partes properare, inde perterritus,
in eodem loco patre dimisso, primo Kalendarum Martiarum die cum suis aufu-
git. Illo abscedente venerunt Episcopi, qui præsentes aderant, & in Ecclesia san-
cti Dionysij domnum Imperatorem reconciliauerunt, & Regalibus vestibus ar-
misque induerunt. Deinde filij eius Pippinus & Ludoicus cum ceteris fidelibus
ad eum venientes, paterno animo gaudenter suscepti sunt; & plurimas illis à cun-
cto populo gratias egit, quòd tam alacriter illi auxilium præbere studuissent. Ha-
bitóque cum illis Placito, Pippinum & reliquum populum domum redire permi-
sit, Ludoicum autem secum vsque ad Aquis venire fecit. Et peractis festis diebus,
conuocauit suos Consiliarios atque Optimates, qui in circuitu erant, & cum eis
tractare studuit qualiter filium suum Lotharium ad se vocare potuisset. Et missis
Legatis in vnamquamque partem Regni sui, vt de sua liberatione populo adnun-
ciarent, & admonerent vt fidelitatem quam ei promiserant adimplere studerent,
& quidquid contra illum deliquerant ob amorem Dei illis indulsisset. Lotharius
verò cùm de Parisio proficisceretur, in Prouinciæ vrbem Viennam peruenit, ibi-
que commorans multa incommoda illarum partium hominibus intulit. Domnus
autem Imperator vt eum illic esse comperit, misit Legatos qui ei nunciarent, quòd B
omnia quæ contra patrem egerat illi concessisset, & vt cum pace ad eum reuerte-
retur. Quod spernens, venire distulit, sed in eadem pertinacia perdu[illegible]t. Factum
est autem, cùm sentirent qui fideles erant domno Imperatori in Italia, Ratholdus
videlicet Episcopus, Bonifacius Comes, PIPPINVS consanguineus Imperato-
ris, aliíque quamplures, quòd coniugem eius quidam inimicorum morti tradere
vellent, miserunt sub omni celeritate qui illam eriperent, ereptámque vsque ad
præsentiam domni Imperatoris in Aquis incolumem perduxerunt. Eo etiam tem-
pore in expeditione, quæ contra Lantbertum & Matfridum, aliósque Lotharij
complices, directa fuerat, interfecti sunt Odo & VVilhelmus frater eius, ac Ful-
bertus, Comites, & Theoto Monasterij sancti Martini Abbas, & alij quamplures.
Interim etiam classis de Danis veniens in Frisiam, aliquam partem ex illa deuasta-
uit, & indè per vetus Traiectum ad emporium, quod vocatur Dorestadus, venien-
tes, omnia diripuerunt: homines autem quosdam occiderunt, quosdam captiua-
tos abduxerunt, partémque eius igni cremauerunt. Lotharius verò cum suis Ca-
uillonem veniens, eam expugnauit, ignísque succendit, & Comites qui ibi ade-
rant comprehendit, ex quibus tres interfecit. Alios autem secum indè sub custo-
dia duxit, ac sororem Bernardi Sanctimonialem in cupa positam in Ararim flu-
uium demergi fecit, & deindè Aurelianis venit. Quibus domnus Imperator audi-
tis, conuocauit exercitum Lingonis medio mense Augusto, ibique annualia do- C
na suscipiens, continuò ad liberandum populum contra inuasores Regni iter per
Tricassinorum & Carnotum ac Dunensium regiones iuxta Blisum castellum vnà
cum filio suo Ludoico peruenit, illicque castra metatus est. Ibi etiam Pippinus fi-
lius eius cum exercitu in auxilium patri occurit. Nam Lotharius haud procul in
castris residens eum suis, minitabatur. quod tamen minimè efficere potuit. Tunc
domnus Imperator solita clementiâ motus, misit ad illum vt pacificè ad se veniret:
quia vniuersa, quæ contra illum dicta habuerat, ei suisque omnibus concederet.
Et Lothario quidem Italiam, sicut tempore domni Karoli Pippinus germanus
domni Imperatoris habuerat, concessit. Ceteris verò vitam, membra, heredita-
tem, & multis beneficia perdonauit. Quem pater ad se cum suis venientem forti-
ter iuramento constrinxit, ne talia facere, aut alicui sentire in postmodum tam
ipse quàm sui deberent. Quibus confirmatis, eum in Italiam regredi fecit cum
his qui eum sequi maluerunt. Ipse verò circa Aurelianis perueniens, Pippino &
Ludoico, cunctóque exercitui redeundi licentiam tribuit: & per Parisius ad At-
tiniacum veniens, ibi Placitum cum suis Consiliariis circa Missam sancti Marti-
ni habuit. Ibíque negociis Regni dispositis, ad Theodonis-villam ad hiemandum
profectus est.

DCCCXXXV.

835. ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXXXV. Dominicæ Natiuitatis festum

A hilariter, à Drogone fratre suo & Metensis vrbis Episcopo decentissimè susceptus, in eadem ciuitate celebrauit. Ibique festis peractis diebus, ad suum Palatium in Theodonis-villam reuersus est. In quo etiam circa sanctæ Mariæ Purificationem Conuentum generalem habuit omnium penè totius Imperij sui Episcoporum, & Abbatum, tam Canonicorum quàm Regularium. In quo inter cetera Ecclesiasticæ instituta disciplinæ summoperè ventilatum est, quòd annis prioribus idem religiosissimus Imperator maliuolorum Deóque aduersantium tergiuersatione immeritò depositus paterno hereditarióque Regno, & honore, & regio nomine fuerat. Tandémque ab omnibus concorditer atque vnanimiter inuentum atque firmatum, vt illorum factionibus diuino auxilio cassatis, ipse auito restitutus honori, decorique regio meritò reformatus, deinceps fidelissima firmissimáque obedientiâ & subiectione Imperator & Dominus ab omnibus haberetur. Quam inuentionis suæque confirmationis seriem & vnusquisque proprio scripto comprehendit, propriæque manus scriptione roborauit. Plenius autem & copiosius communi cunctorum descriptione in vnum corpus in modum Libelli comprehensa totius rei patratio qualiter acta, ventilata, inuenta, & omnium subscriptione denuò dignéque fuerit roborata, deuotissima sincerissimáque beneuolentia, & tantis Patribus auctoritate dignissima, cunctorum notitiæ manifestissimum facere non distulerunt. Nam venientes in memoratam vrbem in Basilica beati Stephani B protomartyris, Missarúmque celebratione peracta, & vniuersis qui aderant rei ordine publicè patefacto, Coronam insigne Imperij à sacrosancto altario subleuatam sacri ac reuerendi Antistites eius capiti cum maximo omnium gaudio propriis manibus restituerunt. Sed & Ebo Remorum pridem Archiepiscopus, qui eiusdem factionis velut signifer fuerat, conscenso eminentiori loco in eadem Ecclesia, libera voce coram omnibus professus est, eundem Augustum iniustè depositum, & omnia quæ aduersus eum patrata fuerant, iniquè & contra totius tramitem æquitatis fuisse machinata: & tunc meritò, iustè dignéque proprio Imperij solio reformatum. Quibus solemniter transactis, ad sæpedictum Palatium regressi sunt. Ibique Ebo in plenaria Synodo capitale crimen confessus, séque tanto, id est Episcopali ministerio indignum proclamans, propriáque scriptione confirmans, sese omnium consensu atque iudicio ab eodem ministerio reddidit alienum. His & aliis Regni vtilitatibus iure dispositis, omnibúsque ad propria absolutis, ipse Imperator sanctum Quadragesimæ tempus in eodem Palatio, sacrosanctam festiuitatem Paschæ in sæpedicta vrbe apud memoratum Drogonem Archiepiscopum celebrauit. Ac deinde ad Placitum suum generale, quod in Stremiaco prope Lugdunum ciuitatem se habiturum indixerat, profectus est. Quo in mense Iunio habito, & donis annualibus receptis, dispositisque Markis Hispaniæ, Septimaniæ, siue Prouinciæ, ad Aquisgrani reuersus est. Verùm, dum in eodem Placito moratur, Nordmanni secunda inruptione Dorestadum irruentes, vastauerunt atC que hostiliter deprædati sunt. Imperator autem grauiter ferens, Aquis perueniens, disposita omni maritima custodiâ, Arduennâ autumnalem venationem exercuit, ac deinde Aquisgrani ad hiemandum rediit anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXVI.

DCCCXXXVI.

VBI Natalis Domini festiuitate celebrata, Missos iterum ad Lotharium direxit, monentes eum reuerentiæ ac obedientiæ paternæ, pacisque illi concordiam multipliciter inculcantes. Ad quod manifestius agnoscendum, iussum est vt suos, quibus maximè fidebat, Legatos ad patrem dirigeret, cum quibus tractari de suo honore atque salute posset: & qui paternam erga illum voluntatem audire, sibíque fideliter nunciare valerent. Qui patris iussionibus non vsquequaque refragans, mense Maio in villa Theodonis ad Imperatoris præsentiam direxit VValonem Abbatem. cum quibus * de aduentu eius tractatum est, ac nostra ex parte firmatum, vt incolumis vnà cum suis ad patris veniret præsentiam, & deinceps redire potuisset. Sed & à suis similiter sacramento promissum est ei, ad genitoris sui præsentiam statuto Placito absque dilatione venturum. Quibus absolutis, ipse circa Rumerici montem diebus aliquot venatione patrata, tandem mense Septembri ad indictum Placitum VVormatiam venit. In quo cùm dona annualia more solito reciperet, ac Lotharium operiretur, nunciatus est febri correptus nullate-

836.

* quo-

LVDOVICVS PIVS.

nus aduenire posse. Ad quem directis denuò Hugone Abbate, & Adalgario Comite, de infirmitate ac recuperatione eius, & voluntate in posterum veniendi quæsitum est, necnon de restitutione rerum Ecclesiis Dei in Francia constitutis, quæ in Italia sitæ à suis pro libitu fuerant vsurpatæ. Verùm & de Episcopis atque Comitibus, qui dudum cum Augusta fideli deuotione de Italia venerant, vt eis & sedes propriæ, & Comitatus ac beneficia, seu res propriæ redderentur. Ad hæc Lotharius per Missos suos, oppositis quibusdam conditionibus, non in omnibus se assentiri posse mandauit. Eodem tempore Nordmanni Dorestatum & Frisiam rursum depopulati sunt. Sed & Horich * Rex Danorum per Legatos suos in eodem Placito amicitiæ atque obedientiæ conditiones mandans, se nullatenus eorum importunitatibus assensum præbuisse testatus, de suorum ad Imperatorem Missorum interfectione conquestus est, qui dudum circa Coloniam Agrippinam quorũdam præsumptione necati fuerant. Quorum necem etiam Imperator, missis ad hoc solum Legatis, iustissimè vltus est. Peracta autumnali venatione in Franconofurd Palatio, ad Aquisgrani reuersus est, vbi etiam Missi eiusdem Horich venerunt, quærentes summam eorum, quos ipse captos ex his interfici fecerat, qui in nostros fines talia iamdudum moliti sunt. Azenarius quoque citerioris VVasconiæ Comes, qui ante aliquot annos à PIPPINO desciuerat, horribili morte interiit: fraterque illius Sancio-Sanci eandem regionem negante Pippino occupauit. Tunc etiam VValo Abba, cuius consiliis Lotharius plurimùm vtebatur, in Italia obiit.

* al. Rhoric

DCCCXXXVII.

837. IMPERATOR autem post Natalitiæ celebritatis solemnia, Purificatione beatæ semper virginis Mariæ Episcoporum Conuentum in Aquis habuit, in quo de sanctis Dei Ecclesiis plurimum tractatum est, & quid cuique ordine proprio conueniret patefactum atque descriptum est, qua eum salutis suæ magnopere monuerunt, & insuper vt memor moris progenitorum suorum, præcipuè piissimi genitoris sui, res Ecclesiarum Dei pridem à suis inuasas atque direptas integritati earum restitueret: ne tali etiam occasione diuinam contra se iracundiam ardentiùs incitaret. Qui tantorum Patrum assensus consilio cuncta restituit, ac singulis Ecclesiis easdem rescriptionibus annulo suo roboratis propriè resignauit. Igitur Imperator disposita Frisiæ maritimáque custodiâ, mense Maio ad Theodonisvillam veniens, & annualia dona recipiens, iter suum Romam, defensionis sanctæ Romanæ Ecclesiæ atque orationis gratiâ, indixit: directis interim ad Lotharium Legatis, monentibus vt eum paternâ reuerentiâ susciperet, atque itineris apparatum decenter opportunéque procuraret. Ea tempestate Nordmanni irruptione solita Frisiam inruentes, in insula quæ VValacria dicitur, nostros imparatos aggressi, multos trucidauerunt, plures deprædati sunt. Et aliquamdiu inibi commorantes, censu prout libuit exacto, ad Dorestadum eadem furiâ peruenerunt, & tributa similiter exegerunt. Quibus Imperator auditis, prætermisso memorato itinere, ad Nouiomagum castrum vicinum Dorestado properare non distulit. Cuius aduentu Nordmanni audito, continuò recesserunt. Imperator verò generali Conuentu habito, publicè cum his quæstionem habuit, quos principes ad eandem custodiam delegauerat. Qua discussione patuit, partim impossibilitate, partim quorumdam inobedientiâ eos inimicis non potuisse resistere. Vnde & ad comprimendam Fresionum inobedientiam strenui Abbates ac Comites directi sunt, & vt deinceps illorum incursionibus faciliùs obsisti queat, classis quaquauersus diligentiùs parari iussa est. Lotharius autem Clusas in Alpibus muris firmissimis artari præcepit. Et LANTBERTVS fautorum Lotharij maximus, & Hugo socer illius, defunctus est. Interea Brittones quadã insolentiâ moti, rebellari conati sunt. Quorum motus Imperator directa expeditione citò compressit, redditáque nostris terrâ, & datis obsidibus, fideles sese polliciti sunt permansuros. Post hæc adueniente atque annuente LVDOICO, & Missis Pippini, omníque populo, qui præsentes in Aquis Palatio adesse iussi fuerant, dedit filio suo CAROLO maximam Belgarum partem, id est à mari per fines Saxoniæ vsque ad fines Ribuariorum, Comitatus Moilla, Ettraham *, Melant, Mosagao. Deinde verò quidquid inter Mosam & Sequanam vsque ad Burgundiam vnà cum Viridunense consistit: & de Burgundia Tullensem, Odornensem, Blesinsem, Pertinsem, vtrosque Barrenses, Brionensem, Tricassinum, Altiodrensem, Senonicum, VVastmensem, Milidu-

* & Traham

A Milidunensem, Stampensem, Castrinsem, Parisiacum. Et deinde per Sequanam vsque in mare Oceanum, & per idem mare vsque ad Frisiam: omnes videlicet Episcopatus, Abbatias, Comitatus, fiscos, & omnia intra prædictos fines consistentia, cum omnibus ad se pertinentibus, in quacumque regione consistant. Sicque iubente Imperatore, in sui præsentiâ Episcopi, Abbates, Comites, & vassalli dominici in memoratis locis beneficia habentes, Carolo se commendauerunt, & fidelitatem sacramento firmauerunt. LVDOVICVS PIVS.

DCCCXXXVIII.

POST hæc peractis sacræ Natiuitatis, Apparitionis, atque Oblationis Dominicæ solemnitatibus, inchoatisque Quadragesimæ Ieiuniis, Imperatori sermo innotuit Lodoicum fratris Lotharij intra Alpium septa colloquium expetisse. Quod quia se inscio inconsultóque præsumpserat, ægrè tulit: directisque quàm celerrimè quaqua versum cursoribus, generaliter fideles accersit, properéque vndique adcurrentibus filiorum suspectum colloquium patefacit: & si ita necessitas postulet, ad resistendum paratissimos monet. Quo Ludoicus cognito, octauarum sanctæ Paschæ ebdomadâ iubente patre aduenit: subtilitérque discussus, tandem sacramento cum sibi maximè credulis nihil fidelitati patris atque honori aduersum illo colloquio meditatum firmauit. Sicque remisso ad propria, vt mense Maio Imperatori in Nouiomago occurreret iniunctum est. Nam illò iuxta condictum Imperator progredi disponebat, quatenus sua præsentiâ damnum, quod annis præteritis pyratarum importunitate, nostrorúmque desidiâ contigerat, vitaretur. Habitóque Conuentu fidelium, copiosus circa maritima apparatus distributus est. Inter quæ Danorum pyratæ patriâ egressi, ortóque subitò maritimorum fluctuum turbine, vix paucissimis euadentibus submersi sunt. Lodoicus autem patris præsentiæ secundum quod iussum fuerat sese offerre non distulit, habitáque secus quàm oportuerat conflictatione verborum, quidquid vltra citráque Rhenum paterni iuris vsurpauerat recipiente patre amisit: Helisatiam videlicet, Saxoniam, Thoringiam, Austriam, atque Alamaniam. Interim Sarracenorum pyraticæ classes Massiliam Prouinciæ irruentes, abductis Sanctimonialibus, quarum illic non modica Congregatio degebat, omnibus, & cunctis masculini sexus clericis & laïcis, vastatáque vrbe, thesauros quoque Ecclesiarum Christi secum vniuersaliter asportarunt. Igitur Imperator ad Placitum suum generale, sicut condixerat, mediante Augusto in Carisiacó peruenit. Quò Pippino paternis obsequiis assistente, atque fauente, fratri CAROLO tunc cingulo insignitó pars Niustriæ ad præsens data est, Ducatus videlicet Cenomannicus, omnisque occiduæ Galliæ ora intra Legerim & Sequanam constituta. Absolutóque Conuentu, ipse orationis gratiâ Parisius, sanctorúmque Martyrum Basilicas curauit inuisere. Directóque Carolo in partes Cenomannicas, ipse in Verno, Compendio, ceterisque circumiacentibus locis venationi congruis statiua habuit, atque inuitante Hugone fratre, & beati Quintini Martyris Monasterij Abbate, eiusdem Martyris festiuitate honorificè alacritérque celebrata, Attiniacum perueniens, Carolum redeuntem suscepit. Vbi etiam Missi Horich venientes, pyratarum in nostros fines dudum irruentium maximos à se ob Imperatoris fidelitatem captos, atque interfici iussos retulerunt, petentes insuper sibi dari Frisianos, atque Abodritos. Cuius petitio quantò Imperatori indecens siue incongrua visa est, tantò viliùs spreta, & pro nihilo ducta est. Verùm pridem Imperatore in Verno venationem exercente, Adalgarius & Egilo Comes ad Abodritos & VVilzos à fide deficientes dudum directi, reuersi sunt, adductis secum obsidibus, Imperatori deinceps subditos fore nunciantes. Imperator verò cœptum peragens iter, ad Franconofurd hiemandi gratiâ profectus est. Eclypsin Luna quintadecima medio noctis Nonas Decembris passa est. PIPPINVS filius Imperatoris Rex Aquitaniæ Idus Decembris defunctus est, relictis duobus filiis, PIPPINO & CAROLO. Proficiscenti igitur Imperatori nunciatus est Ludoicus filius eius Franconofurd hostilibus vallatus agminibus insedisse, sibique non solùm eiusdem Palatij sessionem ad hiemandum, verùm etiam Rheni fluminis moliri transitum inhibere. Quo Imperator nuntio haud mediocriter motus, quaqua versum fideles acciri decernit. At ipse vt cœperat Maguntiam peruenit anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXIX.

LVDOVICVS PIVS.

DCCCXXXIX.

839. VBI Natiuitatis atque Apparitionis Dominicæ festiuitatibus emensis, directis celerrimè fidelibus, ad pacis concordiam Ludoicum hortatus est. Sed nequaquam valuit reuocare; quin insuper consistenti Maguntiæ Imperatori ipse ex aduerso in castella vltra Rhenum posita pertinaciter atque hostiliter immorans, transitu fluminis cohibebat. Imperator autem sanguinem communis populi fundi admodum metuens, ad loca alia transpositioni opportuna diuertere nullatenus dedignatus est. In quibus omnibus econtra ripis insistentem, & transfretare conantibus obsistentem filium conspicatus. Eratque videre miseriam hac pio patre, illac impio filio digredientibus. Qua necessitate Imperator compulsus Maguntiam repedat, fideliúmque hinc indè properè confluentium ob asperitatem hiemis incommoditatem diutiùs non ferens, tribus fermè infra memoratam vrbem millibus, Rheno transposito, Saxones obuios suscepit. Lodoicus verò comperto patris eatenus sibi inopinato transpositu, deficientibus quos ex Austrasiis, Thoringis, atque Alemannis illexerat, secúmque adduxerat, concitus aufugit: Noreiámque, quæ nunc Baioaria dicitur, Regnum videlicet sibi olim à patre traditum, reuertitur. Imperator paternæ pietatis non immemor filium persequi supersedit, receptisque qui ab illo ad Imperatoris clementiam fugerant, ac sacramento firmatis, & insuper discordiarum incentoribus fautoribúsque pro merito criminum partim rebus, partim exilio damnatis, Franconofurd peruenit. Vbi aliquot diebus perendinans, Marcas, populósque Germanicos disponere, suæque fidei arctiùs subiugare non distulit: ac deinde in partes Alemanniæ tempore Quadragesimæ ad villam regiam quæ Bodoma dicitur, properauit. Interea lacrimabile nimiumque cunctis catholicis Ecclesiæ filiis ingemiscendum famâ perferente innotuit. Bodo Diaconus Alemanica gente progenitus, & ab ipsis penè cunabulis in Christiana Religione Palatinis eruditionibus, diuinis humanisque litteris aliquatenus imbutus, qui anno præcedente Romam orationis gratiâ properandi licentiam ab Augustis popósceraт, multisque donariis muneratus impetrauerat, humani generis hoste pellectus, relicta Christianitate ad Iudaismum sese conuertit: & primùm quidem consilio proditionis atque perditionis suæ cum Iudæis inito, quos secum adduxerat paganis vendendos callidè machinari non timuit. Quibus distractis, vno tantummodò secum, qui nepos eius ferebatur, retento, abnegata (quod lacrimabiter dicimus) Christi fide, sese Iudæum professus est. Sicque circumcisus, capillisque ac barbâ crescentibus, & mutato, potiúsque vsurpato Eleazari nomine, accinctus etiam cingulo militari, cuiusdam Iudæi filiam sibi matrimonio copulauit: coacto memorato nepote suo similiter ad Iudaismum translato. Tandémque cum Iudæis miserrima cupiditate deuinctus, Cæsaraugustam vrbem Hispaniæ mediante Augusto mense ingressus est. Quod quantum Augustis, cunctisque Christianæ fidei gratiâ redemptis luctuosum extiterit, difficultas, qua Imperatori id facilè credendum persuaderi non potuit, patenter omnibus indicauit. Præterea die septimo Kalendas Ianuarij, die videlicet passionis beati Stephani protomartyris, tanta inundatio contra morem maritimorum æstuum per totam penè Frisiam occupauit, vt aggeribus arenarum illic copiosis, quos *dunos* vocitant, ferè coæquaretur: & omnia quæcumque inuoluerat, tam homines quàm animalia cetera, & domos absumpserit. Quorum numerus diligentissimè comprehensus, duorum millium quadringentorum triginta septem relatus est. Acies quoque in cœlo igneas, colorúmque aliorum, mense Februarij; sed & stellas igneos crines emittentes crebrò videri contigit. Verùm post sanctum Pascha Imperatori in Francia repedanti Rex Anglorum Legatos misit, postulans per Franciam pergendi Romam orationis gratiâ transitum sibi ab Imperatore tribui, monens etiam curam subiectorum sibi erga animarum salutem sollicitiùs impendendam: quoniam visio cuidam apud illos ostensa non minimum animos eorum terruerat. Cuius seriem visionis Imperatori mittere studuit, habentem hunc modum.

VISIO cuiusdam religiosi Presbyteri de Terra Anglorum, quæ post Natalem

A Domini ei rapto à corpore ostensa est. Quadam nocte cùm idem religiosus Presbyter dormiret, quidam homo ad eum venit, præcipiens illi vt eum sequeretur. Tunc ille surgens secutus est eum. Ductor verò illius duxit eum ad Terram sibi ignotam, vbi varia & mira ædificia constructa vidit. Inter quæ Ecclesia facta erat, in quam ille ductor eius introiuit, ibidémque plurimos pueros legentes vidit. Cúmque ductorem suum interrogaret, an inquirere auderet, qui nam pueri essent: respondit ei, Interroga quod vis, & libenter tibi indicabo. Et cùm ad illos appropinquaret, vt videret quod legerent, perspexit Libros eorum non solùm nigris litteris, verumetiam sanguineis esse descriptos: ita videlicet vt vna linea nigris esset litteris descripta, & altera sanguineis. Cúmque interrogassem, cur libri illi sanguineis lineis descripti essent, respondit ductor meus. « Lineæ sanguineæ, quas in istis Libris conspicis, diuersa hominum Christianorum peccata sunt: « quia ea, quæ in Libris diuinis illis præcepta & iussa sunt, minimè facere & adimplere volunt. Pueri verò isti, qui hîc quasi legendo discurrunt, animæ sunt Sanctorum, quæ quotidie pro Christianorum peccatis & facinoribus deplorant, & pro illis intercedunt, vt tandem aliquando ad pœnitentiam conuertantur. Et nisi istæ animæ Sanctorum tam incessanter cum fletu ad Deum clamarent, iam aliquatenus finis tantorum malorum in Christiano populo esset. Recordaris quia anno præsenti fruges non solùm in terra, verumetiam in arboribus & vitibus abundanter
B ostensæ sunt, sed propter peccata hominum maxima pars illarum periit quæ ad vsum atque vtilitatem humanam non peruenit. Quòd si citò homines Christiani de variis vitiis & facinoribus eorum non egerint pœnitentiam, & diem Dominicum meliùs & honorabiliùs obseruarint, citò super eos maximum & intolerabile periculum veniet. Videlicet tribus diebus & noctibus super terram illorum nebula spissíssima expandetur, & statim homines pagani cum immensa multitudine nauium super illos venient, & maximam partem populi & terræ Christianorum, cum omnibus quæ possident, igni ferróque deuastabunt. Sed tamen, si adhuc veram pœnitentiam agere volunt, & peccata illorum iuxta præceptum Domini ieiunio & oratione atque elemosynis emendare studuerunt, tunc has pœnas & pericula per intercessionem Sanctorum euadere poterunt.

VENERVNT etiam Legati Græcorum à Theophilo Imperatore directi, Theodosius videlicet Calcedonensis metropolitanus Episcopus, & Theophanius Spatharius, ferentes cum donis Imperatore dignis Epistolam. Quos Imperator quintodecimo Kalendas Iunij in Ingulenheim honorificè suscepit. Quorum Legatio super confirmatione pacti & pacis, atque perpetuæ inter vtrumque Imperatorem eique subditos amicitiæ & caritatis agebat, necnon de victoriis quas aduersus exteras bellando Gentes cœlitus fuerat assecutus, gratificatio, & in Domino exultatio ferebatur. In quibus Imperatorem sibique subiectos amicabiliter datori victoriarum omnium gratias referre poposcit. Misit etiam cum eis quosdam, qui se, id est
C Gentem suam, Rhos vocari dicebant. Quos Rex illorum Chacanus vocabulo ad se amicitiæ, sicut asserebant, causâ direxerat. Petens per memoratam Epistolam, quatenus benignitate Imperatoris redeundi facultatem atque auxilium per Imperium suum totum habere possent: quoniam itinera, per quæ ad illum Constantinopolim venerant, inter barbaras & nimiæ feritatis Gẽtes immanissimas habuerant, quibus eos, ne fortè periculum inciderent, redire noluit. Quorum aduentus causam Imperator diligentiùs inuestigans, comperit eos gentis esse Sueonum, exploratores potiùs Regni illius nostríque, quàm amicitiæ petitores ratus, penes se eo-vsque retinendos iudicauit, quoad veraciter inueniri posset, vtrùm fideliter eò necne peruenerint. Idque Theophilo per memoratos Legatos suos atque Epistolam intimare non distulit, & quòd eos illius amore libenter susceperit ac si fideles inuenirentur, & facultas absque illorum periculo in patriam remeandi daretur, cum auxilio remittendos: sin aliàs vnà cum Missis nostris ad eius præsentiam dirigendos, vt quid de talibus fieri deberet, ipse decernendo efficeret. Quibus peractis, Imperator vrbem Vangionum iuxta condictum tertio Kalendas Iunij peruenit, ibi susceptis quibusdam, quos adhuc specialiter properare iusserat fidelibus, Lotharium filium suum ab Italia venientem paterno suscipere affectu minimè renuit. Quo palam omnibus ad genitoris vestigia suppliciter procidente, & præteritorum excessuum veniam humiliter postulante, Imperator misericordiâ quâ

LVDOVICVS PIVS. incorporaliter semper viguit flexus, quidquid in eum præcedentibus annis ipse A
suíque deliquerant, paterna benignitate concessit. Ita tamen si deinceps nihil aduersus eum prauis machinationibus molirentur. Suorum quoque complures non solùm proprietatibus, verumetiam beneficiariis donauit honoribus. Insupérque descriptione Regni sui æqualibus penè partibus discreta, optionem illi quam earum mallet offerre non dedignatus est. Cuius diuisionis formula ita se habuit. Quarum altera Regnum Italiæ, partémque Burgundiæ, id est

Vallem Augustanam.

Comitatum Vallissiorum,

Comitatum VValdensem vsque ad mare Rhodani, ac deinde Orientalem atque Aquilonalem Rhodani partem vsque ad Comitatum Lugdunensem,

Comitatum Sucdingium,

Comitatum Vuirascorum,

Comitatum Portisiorum,

Comitatum Suentisiorum,

Comitatum Calmontensium,

Ducatum Mosellicorum,

Comitatum Arduennensium,

Comitatum Condorusto, indè per cursum Mosæ vsque in mare,

Ducatum Ribuariorum, VVormazfelda, Sperohgouvvi, B

Ducatum Helisatiæ,

Ducatum Alamanniæ, Curiam,

Ducatum Austrasiorum, cum Sunalafelda, & Norogo Vuiechessi,

Ducatum Toringubæ cum archis suis,

Regnum Saxoniæ cum archis suis,

Ducatum Fresiæ vsque Mosam,

Comitatum Hamarlant,

Comitatum Batauorum,

Comitatum Testrabenticum, Dorestado.

Alteram partem Burgundiæ, id est Comitatum Genauensem,

Comitatum Lugdunensem,

Comitatum Cauallonensem,

Comitatum Amaus,

Comitatum Hatoariorum,

Comitatum Lingonicum,

Comitatum Tullensium,

Et sic per decursum Mosæ vsque in mare, & inter Mosam & Sequanam, & inter Sequanam & Ligerim, cum Marcha Britannica. Aquitaniam, & VVasconiam cum Marchis ad se pertinentibus, Septimaniam cum Marchis suis, & Prouinciam habuit. Quo superiorem potiùs eligente, Imperator CAROLO filio C
suo inferiorem contulit, ea conditione vt viuenti fideliter obsequentes, eo decedente memoratis portionibus potirentur. Sacramentísque multifariam à LOTHARIO susceptis, eum in Italiam redire permisit.

IMPERATOR autem indicto generali Placito Kalendas Septembris erga Cauallonem, Legatos ad LVDOICVM direxit, præcipiens vt fines Baioariæ nullatenus egredi nisi sese iubente præsumeret, idque sacramento firmare iuberet. Sin aliàs, circa initia Septembris ad Augustburg hostiliter sibi occursurum minimè dubitaret. Descriptis itaque atque destinatis, qui secum Baioariam, si necessitas compelleret, quíque cum filio suo CAROLO Cauallonem contra motus Aquitanicos, quibus cum PIPPINO Pippini filio quidam Aquitanorum nuper ab Imperatore defecerant, compescendos, etiam cum Saxonibus aduersus Danorum Sclauorúmque qui ferebantur incursus, occurrerent: Ipse in Cruciniaco castro sese venationibus alacriter exercendo, Missorum in Baioariam directorum reditum statuit operiri. Qui reuersi, Missis LVDOICI ad Imperatoris vsque præsentiam comitantibus, nuntiauerunt paternis eum iussionibus non admodum obuiasse: sed ea se pariturum conditione spopondisse, si sacramenti firmitas, quam quærebat, ab Imperatoris fidelibus sibi etiam fieret. Verùm quia tunc contigit defuisse Primates, per quos eandem firmitatem fieri deposcebat, il-

A lius fidei Imperator atque supplicibus promissionibus potiùs committendum delegit, quousque à partibus Aquitanicis adepta diuinitus victoriâ rediens, mandatis perseuerantem benignè susciperet, secus verò molientem pro viribus insequi non tardaret. Sed & ipso petente, necessit * quibusdã propter motus illius nuper in se separatis, verùm proprietate multatis, vt sua cuique restituerentur, eo dumtaxat pacto, si fidem inuiolabiliter Imperatori seruare studerent, & nullam penitus Regni fideliúmque sollicitationem quoquo modo, aut tergiuersationem machinarentur. Directis interim ad hoc specialiter Missis, qui ab his huiusmodi firmitatem sacramento susciperent, dispositis quoque Saxonum aduersus Soraborum & VVltzorum incursiones, qui nuper quasdam ipsius Marchæ Saxoniæ villas incendio cremauerant, & Austrasiorum Toringorúmque contra Abodritorum, & qui dicuntur *Lino*, defectiones, expeditionibus, ipse per Arduennam venatu sese delectabiliter exercens, ceteros totius Regni sui fideles circa Calendas Septembris Cauallonem, vt condixerat, sibi obuios adesse præcepit. Quidam etiam pyratæ in quandam Frisiæ partem irruentes, non parum incommodi nostris finibus intulerunt. Direxit & Oricus Missos ad Imperatorem, quendam videlicet, cuius consiliis præ cunctis fidere, & omnia agere videbatur, & cum eo nepotem suum, munera gentilitia deferentes, pacis amicitiæque arctiùs stabiliúsque gratiâ confirmandæ. Quibus hilariter susceptis atque muneratis, quia propter quædam incommoda super Frisionibus querebantur, Duces strenui destinati sunt, qui tempore constituto illis de omnibus iustitiam adimplerent. Imperator autem Cauallone receptis fidelibus, in Aquitaniam exercitum omnem conuertit: pariterque tertio fermè ab vrbe Aruernorum miliario castra ponens, Aquitanos obuios habuit, quos filio suo sacramenti interpositione firmauit, & Augustam quidem cum filio ad Pictauos sese præcedere decreuit. Ipse verò ad castrum, quod vulgo Cartilatum dicitur, contendit, quoniam eo quidam complicum PIPPINVM consistere ferebantur. Quod castrum nihil quidem manu artifici additum naturali, tantùm rupe editum, hinc indè præcipitio vallium muniebatur: præter orientalem dumtaxat partem, qua paruo admodum interuallo continenti dirimitur. In quo tamen consistentes obsidione ad deditionem coegit, eisque consuetissima pietate vitam, membra, & hereditatem concessit. Indè in partes Torennæ, quo infideles eius delitescere, frustráque resistere moliebantur, abitum diuertit. Verùm his in diuersa vagantibus, sparsimque quaqua versum fugitantibus, Imperatoris exercitus continua autumni serenitate, solisque inclementiâ, non parum incommoditatis expertus est. Nam febre maxima ex parte correptus, partim occubuit, partim difficillima regressione reuersus est. Qua Imperator necessitate compulsus, & asperitate hiemis imminentis detentus, absoluto reliquo exercitu ad Pictauos in hiberna concessit. Saxones interea contra Sorabos, qui *Colodici* vocantur, apud Kesigesburch dimicantes, cœlestibus auxiliis fulti victoriam adepti sunt, Régeque ipsorum Cimusclo interfecto, eandem vrbem & vndecim castella ceperunt: receptis etiam sacramentis à Rege inter eosdem tumultus repente creato, insuper obsidibus, multam Terræ indixerunt. Sed & Legati Imperatoris ad Corich pacis gratiâ directi, receptis sacramentis indissolubilem pepigerunt.

(B and C are printed in the left margin beside the lines beginning "per Frisionibus" and "que ipsorum Cimusclo".)

DCCCXL. 840.

IMPERATOR autem Natiuitatis atque Apparitionis Dominicæ festum, sed & beatæ Mariæ semper Virginis Purificationem in vrbe Pictauorum celebrans, motus Aquitanicos componere satagebat. Cùm interim propinquante Quadragesimali obseruatione, sinistrum quippiam illi nunciatum est: LVDOICVM videlicet filium suum consueta iamdudum insolentiâ vsque ad Rhenum Regni gubernaculum vsurpare. Quo admodum nuncio motus, relictis Augusta & filio CAROLO cum non pauca parte exercitus in vrbe memorata, ipse ad Aquis Palatium veniens, Resurrectione Dominica inibi celebrata, Germaniam transposito Rheno ingreditur. Fugatóque filio, & paganorum exterarúmque Gentium adminicula, etiam sui præsentia, compluribus datis muneribus expetente, eum vlteriùs persequi destitit. Eclypsis Solis III. Nonas Maij ante nonam diei horam multis in locis à plurimis visa est. Imperator verò à persequendo filio rediens, correptus morbo in insula Rheni infra Maguntiam ad prospectum Ingulenheim Palatij sita XII. Kalendas Iulij defunctus est.

LOTHARIVS, comperto genitoris obitu, ab Italiâ Gallias ingressus, iura naturæ transgressus, Imperatorio elatus nomine, in vtrumque fratrem, HLVDOVVICVM videlicet & CAROLVM, hostiliter armatur, & nunc hunc, nunc illum prælio impetit: sed vtrumque minùs prosperè secundum suam dumtaxat insolentiam. Patrato negotio, quibusdam conditionibus vsque ad tempus ab vtroque discessit: nec tamen contra eos seu clam seu manifestè prauitatem suæ cupiditatis atque crudelitatis destitit machinari. A

DCCCXLI.

CAROLVS CALVVS.

HLVDOVVICVS autem & CAROLVS, alter vltra, alter citra Rhenum, partim vi, partim minis, partim honoribus, partim quibusdam conditionibus, omnes partium suarum sibi vel subdunt, vel conciliant. Et LOTHARIVS quidem diebus Quadragesimæ Moguncia vsque aduersus Hludouuicũ procinctum ducit; sed obsistēte ipso à transitu fluminis diu abstinetur. Verùm astu quodam atque perfidiâ populi Hludouuico inhærentes, Lothario transeunte, Hludouuicus Baioariã petiuit. Carolum quoque à Sequanæ transitu Lotharij multiplex populus nititur inhibere. Qui tamen virili prudentiâ prudentíque virtute transposito flumine, omnes in fugam bis térque coëgit. Lotharius auditâ suorum fugâ, Carolíque aduentu, iterum Rhenum transponit: dispositísque aduersus Hludovvicum custodiis, obuiam Carolo proficiscitur. Hludovvicus in Lotharij aduersus se dispositas turmas irruens, magnáque ex parte internecioni donans, ceteros in fugam egit: ac deinde Carolo fratri opem laturus, properare festinat. Interea pyratæ Danorum ab Oceano Euripo deuecti Rotumam irruentes, rapinis, ferro, igníque bacchantes, vrbem, Monachos, reliquúmque vulgum & cædibus & captiuitate pessumdederunt: & omnia Monasteria, seu quæcumque loca flumini Sequanæ adhærentia aut depopulati sunt, aut multis acceptis pecuniis territa relinquunt. Hludovvico denique propinquante, Carolus frater summo desiderio atque amore obuius venit, paritérque coniuncti sicut fraterna caritate, ita etiam castrorum metatione, conuiuij etiam consiliorúmque vnitate, apud fratrem Lotharium super pacis & vnanimitatis, totius quoque populi & Regni gubernatione, celeberrimis Legationibus satisagunt. Qui tamen sæpissimis eos Legatis & iuramentis ludens, tandem recepto ab Aquitania PIPPINO Pippini dudum defuncti fratris filio, in pago Altiodorensi, in loco qui dicitur Fontanidus, vtrumque fratrem Regni portionibus hostili apparatu priuare contendit. Cúmque ad pacis fraternitatísque concordiam minimè reuocari posset, obuiis fratribus septimo Kalendas Iulij die Sabbato manè interceptus, multis vtrimque cadentibus, compluribus profligatis, turpiter victus aufugit. Palantium autem cædes passim agitabatur, donec Hludovvicus & CAROLVS pietate feruentes, ab eorum interfectione cessandum decreuerunt. Quinetiam longiùs à castris obtentu Christianitatis fugientes persequi desierunt, Episcopísque mandatum, vt die crastina, qua eiusdem rei gratiâ in loco eodem statiua habuerunt, mortuorum cadauera, prout corporis opportunitas sineret, sepulturæ mandarent. In quo prælio Georgius Rauennatis Episcopus à Gregorio Romano Pontifice ad Lotharium fratrésque eius pacis gratiâ directus, sed à Lothario detentus, neque ad fratres venire permissus, captus est, & cum honore ad propria remissus. Lotharius terga vertens, & Aquasgrani perueniens, Saxones ceterósque confines restaurandi prælij gratiâ sibi conciliare studet: intantùm vt Saxonibus, qui *Stellinga* appellantur, quorum multiplicior numerus in eorum Gente habetur, optionem cuiuscumque legis, vel antiquorum Saxonum consuetudinis, vtram earum mallent, concesserit. Qui semper ad mala procliues, magis ritum paganorum imitari, quàm Christianæ fidei sacramenta tenere delegerunt. Herioldo, qui cum ceteris Danorum maritimis incommoda tanta sui causâ ad patris iniuriam inuexerat, Gaula * Crusalia, quæ vicina loco, huius meriti gratiâ in beneficium contulit. Dignum sanè omni detestatione facinus, vt qui mala Christianis intulerant, iidem Christianorum Terris & populis Christíque Ecclesiis præferrentur: vt persecutores fidei Christianæ domini Christianorum existerent, & dæmonum cultoribus Christiani populi deseruirent. B C

HLVDOVVICVS partim terroribus, partim gratiâ, Saxonum quidem complures, Austrasiorum, Toringorum, atque Alemannorum, suæ omnes subiugat

A ditioni. CAROLVS dispositis quantum opportunitas siuit Aquitanicis partibus, per Cenomannos, Parisios, atque Bellouagos, Franciam permeans, Hasbanienses adit, sibique plus amore quàm timore conciliat. CAROLVS CALVVS.

LOTHARIVS Rheni amne transposito, Hludovvicum bello impetere moliens, cogitatuum suorum frustratus, in CAROLVM subitò vertitur: ratus eum longiùs à fratre Hludovvico separatum, aggressum, faciliùs euincendum. CAROLVS, Lotitiam Parisiorum regressus, transito Sequana flumine, Lotharij molitionibus diu obsistit. Lotharius transpositione fluuij prohibitus, superiores ipsius expetens partes, per Mauripensem * pagum Senones penetrat. Vnde & Cenomannos nullo negotio adiens, cuncta rapinis, incendiis, stupris, sacrilegiis, sacramentisque adeò iniuriat, vt ne ab ipsis adytis temperaret. Nam quoscumque saluandi gratiâ repositos vel in Ecclesiis, vel in earum gazophylaciis thesauros, etiam Sacerdotibus, & ceterorum Ordinum Clericis iuramento deuinctis, reperire potuit, auferre non distulit. Ipsas quoque Sanctimoniales diuinis cultibus deditas feminas in sui sacramenta coëgit. CAROLVS apud Parisius diutiùs diuersatus, vrbem Catalaunis, Dominicæ Natiuitatis festum ibi celebraturus, aduenit.

* Hauripensem.

DCCCXLII.

INDE Trecas adiens, per Alsensem pagum & Tullum ciuitatem Vosegi saltu transposito, penes Argentoratum vrbem fratri Hludovvico coniungitur. Lotharius nulla penitus sua suorúmve vtilitate, inferiores Galliæ partes tantoperè populatus, erga Parisiorum Loticiam fluuium Sequanæ transiens Aquasgrani rediit: 842.
B fratrúmque coniunctionem audiens, ægrè tulit. Hludovvicus & CAROLVS, quò sibi firmiùs populos vtrique subditos necterent, sacramento sese alterutro deuinxerunt. Fideles quoque populi partis vtriusque pari se iuramento constrinxerunt: vt vter eorumdem fratrum aduersus alterum sinistri quippiam moliretur, relicto prorsus auctore dissidij, omnes sese ad seruatorem fraternitatis amicitiæque conuerterent. Quibus patratis, ad Lotharium pacis gratiâ dirigunt. Qui, Legatis eorum à sui præsentia atque conloquio inhibitis, ad obsistendum fratribus se suósque hostiliter præparat. Quo Hisentiaco Palatio à Mosella flumine octo fermè millibus constructo, & eiusdem transeundi facultatem dispositis custodiis denegante: Hludovvicus nauali, CAROLVS equestri apparatu, castrum Confluentes perueniunt, ibíque Mosellam transire inchoantibus, omnes Lotharij excubiæ velociter aufugerunt. Lotharius inopinato fratrum aduentu territus, cessit, sublatísque cunctis ab Aquisgrani Palatio, tam sanctæ Mariæ quàm regalibus thesauris, disco etiam miræ magnitudinis ac pulchritudinis argenteo, in quo & Orbis totius descriptio, & astrorum consideratio, & varius planetarum discursus, diuisis ab inuicem spaciis signis eminentioribus sculptâ radiabant, particulatim præsciso, suísque distributo, à quibus tamen, quamuis tali mercede conductis, per contubernia turmatim deferebatur; per Catalaunis fugiens, apud Trecas Paschali solemnitate
C peracta, Lugdunum petiit. Hludovvicus penes Coloniam Agrippinam, CAROLVS in Heristallio Palatio, eandem festiuitatem celebrantes, homines ipsarum partium ad sese refugientes suscipiunt, fratrem persequi desistentes. Quibus multipliciter receptis, fratris abitum gradu tardiusculo insequuntur: quia apud fratres super pacis fœdere licèt inuitus satagens, Legatos quibus plurimùm nitebatur dirigit. Electo ad hoc negocium Matasconis vrbis vicinio, illuc vtrimque coitur, & vtriusque partis castra Arare fluuio dirimente, in quandam Insulam eiusdem fluminis ad commune colloquium aspectúmque coëunt. Vbi veniâ de præteritis perperam gestis vicissim postulata atque accepta, sacramentum quoque alter alteri veræ pacis fraternitatísque iurauerunt, & de Regni totius æquis portionibus diligentiùs faciendis, Kalẽdis Octobribus in vrbe Mediomatricorum Metis vocabulo decreuerunt. Ea tempestate Normannorum classis in emporio, quod Quentouicus dicitur, repentino sub lucem aduentu deprædationibus, captiuitate, & nece sexus vtriusque hominum adeò debacchati sunt, vt nihil in eo præter ædificia precio redempta relinquerent. Maurorum etiam pyratæ per Rhodanum prope Arelatum delati, cuncta passim deprædati impunè, oneratis nauibus regressi sunt. CAROLVS autem à Matascone Aquitaniam ingressus, atque peruagatus, ad memoratum Placiti locum & tempus venire non distulit. Lotharius apud Augustam Treuerorum Legatos Græcorum suscipit, eísque absolutis eius-

CAROLVS CALVVS. dem Placiti tempore, Palatio quod Theodonis-villa dicitur resedit. A

HLVDOVVICVS peragrata omni Saxonia * cunctos sibi eatenus obsistētes sui, atque terrore ita perdomuit, vt comprehensis omnibus auctoribus tantæ impietatis, qui & Christianam fidem penè reliquerant, & sibi suísque fidelibus tantopere obstiterant, CXL. capitis amputatione plecteret, XIV. patibulo penderet, innumeros membrorum præcisione debiles redderet, nullúmque sibi vllatenus refragantem relinqueret. Interea Beneuentanis inter se dissidentibus, Sarraceni ab Africa ab eis inuitati, primò quidem auxiliatores, postmodum verò violenti insecutores, plurimas ciuitatum vi obtinent. CAROLVS mense Octobri ab vrbe Mediomatricorum Vangium profectus, Hludouuico fratri coniungitur. Quibus inibi diutius immorantibus, & missis alternatim ad Lotharium intercurrentibus, ac de Regni portionibus multùm diúque consultantibus, tandem inuentum est vt Missi trecitini * per vniuersum suæ ditionis Regnum deligerentur, quorum industriâ diligentior descriptio fieret, cuius serie trium fratrum æquissima Regnorum diuisio irrefragabiliter statuto tempore patraretur. Quibus destinatis, Hludouuicus Germaniam repedat, Lotharius medioximus regni Francorum immoratur. CAROLVS Carisiacum Palatium veniens, ERMENDRVD neptem Adalardi Comitis vxorem ducit, atque Augustam Viromandorum, ad memoriam videlicet beati Quintini Martyris, Natiuitatis Domini & Apparitionis festum celebraturus proficiscitur. Inter hæc terræmotus in inferioribus Galliæ factus est. B

DCCCXLIII.

843. LOTHARIVS & Hludouuicus intra fines Regnorum suorum sese cohibentes, pacificè degunt. CAROLVS Aquitaniam peruagatur. Quo illic constituto, Nomenogius Britto, & Lantbertus, qui nuper ab eius fidelitate defecerant, Rainaldum Namnetorum Ducem interficiunt, complures capiunt. Emergentibus igitur hinc indè tot tantísque incessabiliter malis, vastante passim cuncta raptore, coacti sunt per multa totius Galliæ loca homines terræ mixtam paucitatem farinæ, atque in panis speciem redactam comedere. Erátque lacrimabile, imò execrabile nimium facinus, cùm iumenta raptorum pabulis abundarent, & homines ipsius terrenæ admixtionis crustulis indigerent. Pyratæ Nordmannorum vrbem Nannetum adgressi, interfectis Episcopo & multis Clericorum atque laicorum, sexúsque promiscui, deprædata ciuitate inferioris Aquitaniæ partes depopulari adoriuntur. Ad postremum insulam quandam ingressi, conuectis à continenti domibus hiemare velut perpetuis sedibus statuerunt. CAROLVS ad condictum fratribus obuians, penes Virodunum coniungitur, vbi distributis portionibus Hludouuicus vltra Rhenum omnia, citra Rhenum verò Nemetum, Vangium, & Moguntiam ciuitates pagósque sortitus est. Lotharius inter Rhenum & Scaldem in mare decurrentem, & rursus per Camaracensem, Hainnaum, Loëmsem, Castritium, & eos Comitatus qui Mosæ citra contigui habentur, vsque ad Ararem Rodano influentem, & per deflexum Rodani in mare, cum Comitatibus similiter sibi vtrimque adhærentibus. Cetera vsque ad Hispaniam Carolo cesserunt. Factísque sacramentis, tandem altrinsecus est discessum. Ea tempestate concordantibus ad inuicem Beneuentanis, Dei auxilio de illis partibus Sarraceni expulsi sunt. C

DCCCXLIV.

844. HIEMS mollissima vsque ad Kalendas Februarij quadam temperie modificata. Bernardus Comes Marcæ Hispanicæ iamdudum grandia molliens, summísque inhians, maiestatis reus, Francorum iudicio, iussu CAROLI in Aquitania capitalem sententiam subiit. Gregorius Romanæ Ecclesiæ Pontifex decessit. Cui Sergius succedens in eadem Sede substituitur. Quo in Sede Apostolica ordinato, Lotharius filium suum HLVDOVVICVM Romam cum Drogone Mediomatricorum Episcopo dirigit, acturos ne deinceps decedente Apostolico quisquam illic præter sui iussionem, Missorúmque suorum præsentiam, ordinetur Antistes. Qui Romam venientes, honorificè suscepti sunt. Peractóque negotio, Hludouuicum Pontifex Romanus vnctione in Regem consecratum cingulo decorauit. Drogonem verò Episcopum sui Vicarium Galliarum Germaniarúmque partibus designauit. Siginulfus Beneuentanorum Dux ad Lotharium cum suis omnibus sui deditionem faciens, centum millium aureorum mulctâ sese ipsi fecit obnoxium

A Quibus Beneuentani, qui pridem alias versi fuerant, compertis, ad eundem Siginulfum sese conuertentes, Sarracenorum reliquias à suis finibus expellere moliuntur. Landbertus cum Britonibus quosdam CAROLI Markionum Meduanæ ponte interceptos perimit. Pippinus Pippini quondam Regis filius, exercitu ex Francia ad Carolum Tolosam ciuitatem obsidione vallantem properanti in pago Ecolesimo occurrens, ita breui & absque suorum casu profligauit, vt primoribus interfectis ceteros fugam etiam ante congressum ineuntes, vix paucis euadentibus, aut caperet, aut spoliatos sacramentóque adstrictos ad propria redire permitteret. Qua inopinata congressione HVGO Presbyter & Abbas filius Caroli Magni quondam Imperatoris, & frater Hludovvici itidem Imperatoris, patruúsque Lotharij, Lodoici, & Caroli, Regum, necnon Richboto Abbas & ipse consobrinus Regum, nepos videlicet Caroli Imperatoris ex filia: Eckardus quoque & Rauanus Comites, cum aliis pluribus, interfecti. Capti verò, Ebroinus Pictauorum Episcopus, Ragenarius Somarobricæ Ambianorum Episcopus, & Lupus Abbas, ac filij Eckardi Comitis duo: item Lokardius*, Guntardus, & Richuinus, Comites: Engilvvinus etiam, aliique non pauci Nobilium. Nomenogius Britto eadem tempestate fines sibi suísque antecessoribus distributos insolenter egrediens, Cenomannos vsque cuncta longè latéque populando, ignibus etiam plurima cremando, peruenit. Vbi audita Nordmannorum in fines eius B irruptione, redire compulsus est.

* Leuthà-rius.

HLVDOVVICVS Rex Germanorum populos Sclauorum & terras aggressus, quosdam in deditionem cepit, quosdam interfecit: omnes penè illarum partium Regulos sibi aut vi aut gratiâ subegit. Nortmanni Britanniam Insulam ea quam maximè parte, quam Angli-Saxones incolunt, bello impetentes, triduò pugnando victores effecti, prædas, rapinas, neces passim facientes, terrâ pro libitu potiuntur. Interea fratrum, id est Lotharij, Hludovvici, & CAROLI, alternatim fraterno affectu Legatis multifariam discurrentibus, mense Octobri iidem penes Theodonis-villam conueniunt. Habitóque diebus aliquot amicabili pernecessarióque conloquio inter se, fraternitatis & caritatis iura in posterum non violanda confirmant. Omnes quoque discordiarum satores cauturos sollicitiùs, exsecraturósque, & statum Ecclesiarum imminentibus necessitatibus fœdissimè rebus dilaceratum, ac personis minùs congruis, id est laicis, vulgò contraditum, redintegraturos sese promittunt. Vnde & ad Pippinum, Landbertum, atque Nomenogium pacis gratiâ Missos pariter destinant, vt fratri CAROLO, vt obedientes fideles de cetero permansuri, occurrere non differant. Sin aliàs, eis tempore opportuno viriliter conglobati, eorum infidelitatibus vlciscendis se interminando profecturos pronunciant.

NORTMANNI per Garrondam Tolosam vsque proficiscentes, prædas passim impunéque perficiunt. Vnde regressi quidam, Galliciámque adgressi, partim C balistariorum occursu, partim tempestate maris intercepti, dispereunt. Sed & quidam eorum vlterioris Hispaniæ partes adorsi, diu acritérque cum Sarracenis dimicantes, tandem victi resiliunt.

DCCCXLV.

HIEMS asperrima. Nordmannorum naues centum viginti mense Martio per Sequanam hinc & abindè cuncta vastantes, Loticiam Parisiorum nullo penitus obsistente peruadunt. Quibus cùm CAROLVS occurrere moliretur, sed præualere suos nullatenus posse prospiceret; quibusdam pactionibus, & munere septem millium librarum eis exhibito, à progrediendo compescuit, ac redire persuasit. Fulcradus Comes, & ceteri Prouinciales ab Lothario deficiunt, sibique potestatem totius Prouinciæ vsurpant. Nortmannorum Rex Oricus sexcentas naues per Albim fluuium in Germaniam aduersus Hludovvicum dirigit. Quibus Saxones occurrentes, commisso prælio, Domini nostri IESV CHRISTI auxilio victores efficiuntur. Vnde digressi, Sclauorum quandam impetunt & capiunt ciuitatem. Fames valida Galliæ interiora consumit, adeo vt multa hominum millia eadem inualescente absumpta sint. CAROLVS agrum Floriacum, in quo sancti Benedicti Monasterium consistit, duodecim ab Aurelianorum vrbe leugis, veniens, Pippinum Pippini filium suscipit, & receptis ab eo sacramentis fidelitatis, quatenus ita deinceps ei fidelis sicut nepos patruo existeret, & in quibuscumque neces-

845.

CAROLVS GALVVS. sitatibus ipsi pro viribus auxilium ferret, totius Aquitaniæ dominatum sibi permisit, præter Pictauos, Sanctonas, & Ecolimenses. Vnde & omnes Aquitanici, qui eatenus cum CAROLO fuerant, ad eundem Pippinum continuò sui conuersionem efficere studuerunt. A

BENEVENTANI cum Sarracenis, veteri discordiâ recrudescente, denuò dissident. Normanni alueo Sequanæ remenso maria repetunt, cuncta maris loca finitima diripiunt, vastant, atque incendiis concremant. Sed licèt peccatis nostris diuinæ bonitatis æquitas nimium offensa, taliter Christianorum Terras & Regna attriuerit: ne tamen etiam pagani improuidentiæ, aut certè impotentiæ Dominum omnipotentissimum ac prouidentissimum impunè diutiùs insimularent, cùm à quodam Monasterio Sithdiu nomine direpto incensóque oneratis nauibus repedarent, ita diuino iudicio vel tenebris cœcati & insaniâ sunt perculsi, vt vix perpauci euaderent, qui Dei omnipotentis iter ceteris nunciarent. Vnde, vt fertur, commotus animo Rex Oricus, ad Hludovvicum Regem Germanorum Legatos pacis gratiâ destinat, captiuitatem * absoluere, thesaurósque paratus pro viribus restituere. Lotharius Prouinciam ingressus, Bretotiam * suæ potestati recuperat. Dani, qui anno præterito Aquitaniam vastauerant, remeantes Sanctonas inuadunt, confligentes superant, quietisque sedibus immorantur. Karolus Britanniam Galliæ cum paucis minus cautè aggressus, deficientibus suis rebus sinistra fortuna vniuersis, Cenomannos festinatò reuertitur, reparatóque exercitu, eandem parat impetere. B

* captiuos.
* ferè totam.

DCCCXLVI.

846. PIRATÆ Danorum Fresiam adeuntes, recepto pro libitu censu, pugnando quoque victores effecti, tota penè prouinciâ potiuntur. Ventus Aquilo per totam hiemem vsque ad ipsa ferè Maij mensis initia, acerrimè segetibus & vineis incumbit. Luporum incursio inferiorum Galliæ partium homines audentissimè deuorat. Sed & in partibus Aquitaniæ in modum exercitus vsque ad trecentos fermè conglobati, & per viam facto agmine gradientes, volentibúsque resistere, fortiter vnanimitérque contra stare feruntur. Carolus apud villam Sancti Remigij Sparnacum nomine contra morem Conuentum populi sui generalem mense Iunio habuit. In quo Episcoporum Regni sui pernecessaria admonitio de causis Ecclesiasticis ita flocci pensa est, vt vix vmquam reuerentia Pontificalis Christianorum duntaxat temporibus sic posthabita legatur. Quadam die Iuniorem * cum equa coiens repertus iudicio Francorum viuus incendio crematur. Inde partes Britanniæ Carolus cum exercitu petens, pacem cum Nomenogio Duce Brittonum, interuenientibus hinc & abindè sacramentis, paciscitur. Huius anni mense Maio tanta apud Altiodorum ciuitatem inundatio pluuiarum fluxit, vt parietes penetrans, ipsas etiam cupas plenas vini in fluuium Icaunam retulerit: sed & quod est mirabilius, quandam vineam cum terra, vitibus, & arboribus omnibus, in nullo disruptam, ita vt erat, solidam à parte Icaunæ fluminis in alteram eiusdem fluuij partem transposuerit, ac si in eodem agro naturaliter fuerit. C

MENSE Augusto Sarraceni Maurique Tiberi Romam aggressi, Basilicam beati Petri Apostolorum Principis deuastantes, ablatis cum ipso altari, quod tumbæ memorati Apostolorum Principis superpositum fuerat, omnibus ornamentis atque thesauris, quendam montem centum ab vrbe millibus munitissimum occupant. Quos quidam dudum Hlotharij minus religiosè adorsi, atque deleti sunt. Pars autem hostium Ecclesiam beati Pauli Apostoli adiens, à Campaniensibus oppressa, prorsus interfecta est. Hludovvicus Rex Germanorum aduersus Sclauos profectus, tam intestino suorum conflictu, quàm hostium victoriâ conterritus, reuersus est. Hlodoicus Hlotharij filius Rex Italiæ, cum Sarracenis pugnans, victus vix Romam peruenit.

DCCCXLVII.

847. LEGATI Abdirhaman Regis Sarracenorum à Corduba Hispaniæ ad CAROLVM pacis petendæ fœderisq; firmandi gratiâ veniunt. quos apud Remorum Durocortorum decenter & suscepit, & absoluit. Bodo, qui ante annos aliquot Christiana veritate derelicta ad Iudæorum perfidiam concesserat, in tantum mali profecit, vt in omnes Christianos Hispaniæ degentes, tam Regis quàm gentis Sarracenorum animos concitare statuerit, quatenus aut relicta Christianæ fidei Reli-

A gione ad Iudæorum insaniam Sarracenorúmve dementiam se conuerterent, aut certè omnes interficerentur. Super quo omnium illius Regni Christianorum petitio ad Carolum Regem, Regnique sui Episcopos, ceterósque nostræ fidei ordines lacrimabiliter missa est, vt memoratus Apostata reposceretur, ne diutiùs Christianis illic versantibus aut impedimento, aut neci foret.

DANI partem inferioris Galliæ, quam Britones incolunt, adeuntes, ter cum eisdem bellantes superant. Nomenogiúsque victus cum suis fugit. Dein Legatos muneribus à suis eos sedibus amouit.

SERGIVS Romanus Pontifex VI. Kalend. Februarij defungitur, & Leo in eius locum eligitur. Sarraceni oneratis thesaurorum multitudine, quos ex Basilica beati Petri Apostoli asportarant, nauibus, redire conati, cùm inter nauigandum Deo & Domino nostro Iesu Christo, eiúsque Apostolis ore pestifero derogarent, orto repente ineuitabili turbine, conlisis in sese nauibus, omnes pereunt. Quædam thesaurorum in finibus defunctorum, quos mare littoribus reiecerat, inuenta, ad beati Petri Apostoli memoriam reuehuntur. Scotti à Normannis per annos plurimos impetiti, tributarij efficiuntur: Insulis circumquaque positis nullo resistente potiti, immorantes.

HLOTHARIVS, Hlodovvicus, & Carolus, Legatos ad Oric Danorum Regem destinant, mandantes vt suos Christianorum infestationibus cohiberet, sin B aliàs, bello se impetendum nullatenus dubitaret.

EA tempestate Mauri & Sarraceni Beneuentum inuadunt, & vsque ad Romana confinia populantur. Dani Aquitaniam maritimam impetunt & prædantur, vrbémque Burdegalam diu oppugnant. Alij quoque Danorum emporium, quod Dorastadum dicitur, & Insulam Batauam occupant, atque obtinent. Hlodovvici Germanorum Regis exercitus aduersus Sclauos prosperè dimicant, ita vt quod ante annum amiserat reciperet.

DCCCXLVIII.

SCLAVI in Regnum Hlodovvici hostiliter irruentes, ab eo in Christi nomine superantur. CAROLVS Normannorum Burdegalam oppugnantium partem aggressus, viriliter superat. Exercitus Hlotharij contra Sarracenos Beneuentum obtinentes dimicans, victor efficitur. Dani Burdegalam Aquitaniæ Iudæis prodentibus captam depopulatámque incendunt. Aquitani desidiâ inertiáque Pippini coacti, CAROLVM petunt, atque in vrbe Aurelianorum penè omnes nobiliores cum Episcopis & Abbatibus in Regem eligunt, sacróque chrismate delibutum, & benedictione Episcopali solemniter consecrant. Piratæ Græcorum Massiliam Prouinciæ nullo obsistente vastantes, impunè recedunt. Nortmanni Metallum vicum populantes, incendio tradunt. Scotti super Normannos irruentes, auxilio Domini nostri Iesu Christi victores eos à suis finibus propellunt. Vnde & Rex Scottorum ad Carolum pacis & amicitiæ gratiâ Legatos cum muneribus C mittit, viam sibi petendi Romam concedi deposcens. Mauri denuò Beneuentum inuadunt. 848.

GVILHELMVS filius Bernardi Impurium * & Barcinonam dolo magis quàm vi capit.

* Empurium.

DCCCXLIX.

HLOTHARIVS & Carolus sanioribus vsi consiliis, in pacem germanámque concordiam redeunt. Apud Galliam XIII. Kal. Martij nocte sequenti, Clericis nocturnas preces Domino soluentibus, terræmotus validè, sed nulla quorumlibet ædificiorum ruinâ factus est. Godescalcus Gallus quidam Monasterij Orbacensis, parœciæ Suessionicæ Monachus & Presbyter, scientiâ tumidus, quibusdam superstitionibus deditus, Italiam specie religionis aggressus, indè turpiter eiectus, Dalmaciam, Pannoniam, Noreiámque adorsus, quædam nostræ saluti valde contraria, præcipuè sub nomine prædestinationis, pestiferis dictis & scriptis adstruens, in præsentiâ Hludovvici Germanorum Regis Episcopali Concilio detectus atque conuictus, tandem ad dioceseos suæ vrbem metropolim Remorum Durocortorum nomine, cui Ingmarus vir venerabilis præsidet, redire compellitur: quatenus illic dignum suæ perfidiæ *. Strenuissimus cultor Carolus aduocato Sanctorum memoratæ dioceseos Episcoporum Conuentu, suis aspectibus præsentari decreuit. Quò perductus, publicè flagellatus, Librósque suarum adsertionum igni cre- 849.

* Desunt aliqua.

CAROLVS CALVVS. mare compulsus est. Hlodovvicus & Carolus germana caritate conuenientes, tanto fraterni amoris vinculo deuincti patuerunt, vt alter alteri baculos publicè tribuendo, Regum vxores & liberos superstiti commendaret. A

CAROLVS Aquitaniam aggreditur. Nomenogius Britto consueta perfidiâ Andegauis & vicina eis circumquaque loca inuadit. Nortmanni Petrocorium Aquitaniæ ciuitatem populantes incendunt, atque impunè ad naues remeant. Mauri & Sarraceni Lunam Italiæ ciuitatem adprædantes, nullo obsistente maritima omnia vsque ad Prouinciam deuastant. KAROLVS filius Pippini relicto Hlothario fratrem suum Pippinum in Aquitania vagantem adire cupiens, à fidelibus Caroli Regis comprehensus est, & ad eius præsentiam perductus. Qui merito perfidiæ in eundem patruum suum & patrem ex fonte sacro, sententiam quidem capitalem meruerat. sed clementiæ respectu seruatus est. Vnde & mense Iunio apud vrbem Carnutum Carolo Rege Conuentum habente, post Missarum solemnia ambonem Ecclesiæ conscendens, innotuit omnibus voce propria, se ob diuinæ seruitutis amorem Clericum nullo cogente velle fieri. Ibique ab Episcopis, qui præsentes aderant, benedictus, & ad Clericum tonsus est. Hludovvicus Rex Germanorum ægrotans exercitum suum in Sclauos dirigit. Qui turpiter profligatus, quid dispendij sibi absentia Ducis intulerit, cadendo, fugiendóque expertus est. Carolus Aquitaniam ingressus, penè omnes, Christo sibi propicio, conciliando, subiugat. Marcam quoque Hispanicam pro libitu disponit. Nomenogius Britto consueta sibi insolentiâ bacchatus est. B

DCCCL.

850. GVILHELMVS Bernardi filius in marca Hispanica Aledramnum & Isembardum Comites dolo capit. sed ipse dolosiùs captus, & apud Barcinonem interfectus est.

MAVRI vsque ad Arelatum, nullo obsistente, cuncta deuastant. Sed cùm redirent, vento contrario reiecti & interfecti sunt. Lotharius filium suum LVDOICVM Romam mittit. Qui à Leone Papa honorificè susceptus, & in Imperatorem vnctus est. Orich Rex Normannorum, impugnantibus sese duobus nepotibus suis, bello impetitur. Quibus partitione Regni pacatis, Rorich nepos Herioldi, qui nuper à Lothario defecerat, assumptis Nortmannorum exercitibus, cum multitudine nauium, Fresiam, & Batauum Insulam, aliáque vicina loca per Rhenum & Vahalem deuastat. Quem Lotharius cùm comprimere nequiret, in fidem recepit, eíque Dorestadum, & alios Comitatus largitur. Ceterorum verò pars Menapios, Taruisios, aliósque maritimos deprædantur: pars Britanniam Insulam Anglósque impetentes, ab eis auxilio Domini nostri Iesu Christi superantur.

DCCCLI.

851. NOMENOGIVS Britto moritur. Hlotharius, Hludovvicus, & Carolus apud Marsnam Palatium conueniunt. Vbi etiam fraternè paucis diebus morati, hæc communi Procerum suorum consilio atque consensu decernunt, propriorúmque nominum monogrammatibus confirmant. C

» CAP. I. VT omnium præteritorum malorum, & contrarietatum, & supplan-
» tationum, ac malarum machinationum, seu nocimentorum in inuicem actorum
» abolitio ita inter nos fiat, & à nostris cordibus penitus auellatur, cum omni ma-
» litia & rancore, vt nec in memoriam ad retributionem mali, vel contrarietatis,
» vel improperij, de cetero exindè quiddam fiat.
» CAP. II. VT tanta inter nos Domino cooperante veræ caritatis benigni-
» tas abhinc semper maneat de corde puro, & conscientia bona, & fide non fi-
» cta, sine dolo & simulatione, vt nemo suo pari suum Regnum, aut suos fideles,
» vel quod ad salutem & prosperitatem ac honorem regium pertinet discupiat, aut
» forconsiliet, aut per occultos susurrones libenter composita mendacia seu detra-
» ctiones acceptet.
» CAP. III. VNVSQVISQVE fideliter suum parem, vbicumque necessitas
» ei fuerit, & ipse potuerit, aut per se, aut per filium, aut per fideles suos, & con-
» silio & auxilio adiuuet: vt Regnum, fideles, prosperitatem, atque honorem re-
» gium debitè valeat obtinere, & veraciter vnusquisque erga alterum certatim de-
» monstret, quia in fratris sui aduersitate, si euenerit, fraterno modo contristatur,

& in

A & in prosperitate illius lætatur: & talem fidem, sicut inter nos modò abhinc in ante conuersaturos confirmatum habemus, sic vnusquisque infantibus fratris sui, si obierit, qui superfuerit conseruabit.

CAP. IV. ET quia per vagos & irreuerentes homines pax & tranquillitas Regni perturbari solet, volumus vt ad quemcumque nostrum talis venerit, & de his quæ egit, rationem & iustitiam subterfugere velit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat, vel retineat, nisi vt ad rectam rationem & debitam emendationem perducatur. Et si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune, in cuius Regnum venerit, illum persequamur, donec aut ad rationem perducatur, aut de Regno deleatur.

CAP. V. SIMILITER & de eo agendum est, qui pro aliquo capitali & publico crimine à quolibet Episcopo corripitur, vel excommunicationis crimen faciens, Regnum & Regis regimen mutat, ne debitam pœnitentiam suscipiat, aut susceptam legitimè peragat, interdum etiam incestam propinquam suam, aut Sanctimonialem, vel raptam siue adulteram, quam illic ei non licebat habere, fugiens secum duxit. Hic talis, cùm Episcopus, ad cuius curam pertinebat, nobis notum fecerit, diligenter perquiratur, ne morandi, vel latendi locum in Regno alicuius nostrum inueniat, & Dei ac nostros fideles suo morbo inficiat. Sed à nobis, vel à ministris Reipublicæ constringatur, vt & simul cum diabolica præda, quam secum B duxit, ad Episcopum suum redeat, & de commisso crimine publico debitam pœnitentiam suscipiat, aut susceptam legitimè peragere compellatur.

CAP. VI. VT nostri fideles vnusquisque in ordine & statu veraciter sint de nobis securi, quia nullum abhinc inante contra legem & iustitiam, auctoritatem, ac iustam rationem, aut damnabimus, aut dehonorabimus, aut opprimemus, vel indebitis machinationibus affligemus, & illorum, scilicet veraciter nobis fidelium communi consilio, secundum Dei voluntatem & commune saluamentum, ad restitutionem sanctæ Dei Ecclesiæ & statum Regni, & ad honorem Regum, atque pacem populi commissi nobis pertinenti assensum præbebimus in hoc, vt illi non solùm non sint nobis contradicentes & resistentes ad ista exequenda; verumetiam sic sint nobis fideles & obedientes, ac veri adiutores ac cooperatores, vero consilio & sincero auxilio ad ista peragenda, quæ præmisimus, sicut per rectum vnusquisque in suo ordine & statu suo Principi & Seniori esse debet.

CAP. VII. VT sic simul coniuncti & nos fratres ad inuicem, & nos cum fidelibus nostris, & fideles nostri nobiscum, & omnes simul cum Deo nos reconiungamus, & vt nobis sit propitius illi pro deuoto munere offeramus, vt vnusquisque omnium nostrûm absque sua propria excusatione, aut iustificatione, recognoscamus. In quibus aut singulatim aut communiter contra illius mandata & decreta suorum fecimus aut consensimus in ordine Ecclesiastico & statu Regni, & per singula, in medium illa producamus, & nemo nostrûm suo aut amico, aut propinquo, C vel considerato, imò nec sibi ipsi seculariter parcat, vt spiritaliter & salubriter parcere possit. Quin, sicut præmisimus in præcedenti Capitulo, vero consilio & sincero auxilio illa in commune certatim emendare totis viribus procuremus, quantociùs rationabiliter poterimus.

CAP. VIII. ET si aliquis ex subditis in quocumque ordine & statu de hac conuenientia exierit, aut se retraxerit, vel huic communi decreto contradixerit, seniores cum veraciter fidelibus suis, hæc secundum Dei voluntatem & legem, ac iustam rationem, velit nolit ille, qui diuino consilio & decreto, & huic conuenientiæ resistens & contradicens fuerit, exequantur. Et si aliquis de senioribus de hac conuenientia exierit, aut se retraxerit, cùm plures seniorum nostrorum fideles, & Regnorum primores conuenerint in vnum, eos qui hæc obseruauerint seniorum consilio, & Episcoporum iudicio ac communi consensu, qualiter de eo, qui debitè admonitus incorrigibilis perseuerauerit agendum sit, fauente Domino decernemus. Et vt obnixiùs supradicta Capitula à nobis auxiliante Domino inuiolabiliter obseruentur, & nos illa obseruaturos certiùs credatis, manibus propriis subterfirmauimus.

POST hæc pyratæ Danorum Fresiam & Batauos populantur. Sed & vsque ad Monasterium sancti Bauonis, quod Gant dicunt, debacchantes, idem Monasterium incendunt. Venientésque vrbem Rotumum vsque ad Beluacum pedestri

CAROLVS CALVVS. gradu perueniunt. Qua incensa, cùm redirent, à nostris intercepti, & aliqua ex parte profligati sunt. Respogius filius Nomenogij ad Carolum veniens, in vrbe Andegauorum datis manibus suscipitur, & tam Regalibus indumentis, quàm paternæ potestatis ditione donatur: additis insuper ei Redonibus, Namnetis, & Ratense. A

SARRACENI Beneuentum & alias ciuitates quieta statione possident. LVDOVICVS Rex Sclauos penè omnes populatur, & suæ subiugat ditioni. Leo Apostolicus Sarracenorum inruptiones metuens, Ecclesiam beati Petri hinc indè muro communiens, eundem murum vsque ad ciuitatem perducit, Romanæque vrbi contiguum efficit.

DCCCLII.

852. NORMANNI CCLII. nauibus Fresiam adeunt, acceptísque multis, prout ipsi statuerunt, ad alia diuertunt.

MAVRI Barcinoniam Iudæis prodentibus capiunt, interfectísque penè omnibus Christianis, & vrbe vastata, impunè redeunt. Carolus fratrem Lotharium ad sui conloquium inuitans, apud Augustam Viromandorum, quæ beati Quintini Martyris corpore insignitur, fraternè suscipit, honorificè afficit, germanè tractat, regaliter munerat, redeuntémque benignè deducit.

LANDBERTVS & Guarnarius fratres, pars vel maxima discordiarum, alter dolo, alter iudicio interficiuntur. Salomon Britto Carolo fidelis efficitur, tertiáque Britanniæ parte donatur. SANCIVS Comes Vasconiæ Pippinum Pippini filium capit, & vsque ad præsentiam Caroli seruat. Quem Carolus captum in Franciam ducit, ac post conloquium Lotharij in Monasterio sancti Medardi apud Suessiones tonderi iubet. Lodovvicus Lotharij filius Beneuentum adiens, Bairam ciuitatem oppugnat, interruptóque muro pessimis vsus consiliis à cœpto resilit. Nam dicentibus Consiliariis suis, magnam illic partem esse thesaurorum, qua penitus fraudaretur, si passim omnibus intrandi copia daretur, in castra sese recipit, prohibitis omnibus ab irruptione vrbis. Quibus recedentibus, Mauri ita noctu muri interrupta trabibus muniunt, vt venientem in crastinum hostem nullatenus formident. Proindè in cassum tanto labore deducto, Ludoicus cum exercitu suo ad propria remeat. Abdirham Rex Sarracenorum in Hispania consistentium Cordubæ moritur, Regnúmque eius filius ipsius adsequitur. Godefridus Herioldi Dani filius, qui quondam sub Imperator Ludovvico Maguntiaci fuerat baptizatus, à Lothario deficiens ad suos se confert. Vnde conrogata manu valida Fresiam cum multitudine adgreditur. Deinde vicina Scaldis fluminis ad postremum ingreditur. Quò occurrentibus Lothario & Carolo, cum omni suo exercitu vtramque ripam eiusdem fluminis obsident. B

DCCCLIII.

853. IN qua obsidione Dominicæ Natiuitatis festiuitatem celebrant. Sed nolentibus qui ex parte CAROLI erant inire bellum, absque vtilitate recessum est. Carolus eundem Godefridum quibusdam pactionibus sibi conciliat. Ceteri Danorum vsque ad mensem Martium inibi absque vlla formidine resident, cuncta eò furiosiùs quò liberiùs diripiunt, cremant, atque captiuant. Lothariúsque filiam Caroli à sacro fonte suscipit, & paucos post dies ad sua remeare contendit. Dani mense Iulio, relicta Sequana Ligerim adeuntes, Namnetim vrbem, & Monasterium sancti Florentij, ac vicina loca populantur. Carolus mense Aprili Synodum Episcoporum iuxta vrbem Suessionum in Monasterium sancti Medardi adgregans, duos Presbyteros Monachos eiusdem Monasterij ipse Synodo præsidens, Episcopis iudicantibus, degradari fecit, eò quòd PIPPINVM furari, & cum eo in Aquitaniam fugere disposuissent. Ingmarus Remorum Episcopus omnes Ecclesiæ suæ Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, quoscumque Ebo post depositionē suam ordinauerat, Synodo iudicante deposuit. Pippinus Carolo sacramentum fidelitatis iurat, & insuper habitum Monachi suscipit, Regulæque obseruationem more Monachi solito promittit. Carolus indè ad Carisiacum veniens cum quibusdā Episcopis & Abbatibus Monasticis, quatuor Capitula edidit, & propria subscriptione roborauit. Quorum primum est, A Deo neminem prædestinatum ad pœnā, vnámq; esse Dei prædestinationem, quæ aut ad donū pertinet gratiæ, aut ad retributionē iustitiæ. Secundum, Liberum arbitrium, quod in primo ordine perdi- C

A dimus, nobis, præueniente & adiuuante Christi gratiâ, redditum. Tertium, Velle Deum generaliter omnes homines saluos fieri, licèt non omnes saluentur. Quartum, Christi sanguinem pro omnibus fusum, licèt non omnes passionis mysterio redimantur.

AQVITANI penè omnes à Carolo recedunt, atque ad LVDOVVICVM Regem Germaniæ Legatos suæ deditionis cum obsidibus mittunt. Idem Ludovvicus pro quibusdam conditionibus tempore perturbationum inter se & Carolum factis, aduersus Carolum acriter permouetur. Gunedes contra Ludoicum solitis sibi perfidiis mentiuntur.

LOTHARIVS Imperator, defunctà ante biennium ERMENGARDA Christianissima Reginâ, duas sibi ancillas ex villa Regia copulauit, ex quarum altera Doda vocabulo filium genuerat, quem KAROLOMANNVM vocari iubet. Aliíque filij eius similiter adulteriis inseruiunt. Pyratæ Danorum à Namnetibus superiora petentes, mense Nouembri, VI. videlicet Idus, vrbem Turonum impunè adeunt, atque incendunt, cum Ecclesia sancti Martini, & ceteris adiacentibus locis. Sed quia euidenti certitudine hoc præscitum fuerat, corpus beati Martini ad Cormaricum Monasterium eius Ecclesiæ, ac indè ad ciuitatem Aurelianorum transportauerunt.

BVLGARI sociatis sibi Sclauis, &, vt fertur, à nostris muneribus inuitati, aduersus Lodovvicum Germaniæ Regem acriter permouentur. Sed Domino pugnante
B vincuntur. Græci verò non minus contra Ludovvicum filium Lotharij Regem Italiæ concitantur, propter filiam Imperatoris Constantinopolitani ab eo desponsatam, sed ad eius nuptias venire differentem. Romani quoque artati Sarracenorum Maurorúmque incursionibus, ob sui defensionem omninò neglectam apud Imperatorem Lotharium conqueruntur.

DCCCLIV.

CAROLVS super fratris sui Ludoici fide suspectus, ad Lotharium in vico 854.
Leutico venit, vbi diu de communi amicitiâ atque indissolubili tractantes, tandem coram omnibus qui aderant, identidem super Sancta iurando, vicissim firmauerunt, commendatis alternatim filiis, Proceribus, & Regnis. Interea LVDOICVS adolescens filius Lodoici Regis Germanorum ab Aquitanis à patre expetitur, Ligerim transit, & ab eis, à quibus fuerat postulatus, suscipitur. Carolus profectionem in Aquitaniam tempore Quadragesimæ celebrat, in qua vsque Paschalem festiuitatem demoratur: eiúsque populus prædis incendiis, hominúmque captiuitatibus totum suum laborem impendit, nec ab ipsis Ecclesiis & altaribus Dei suam cupiditatem & audaciam cohibet.

LOTHARIVS fratrem suum Lodoicum super Rhenum de fraternitate erga Carolum alloquitur. Sed priùs acriter sese mordentes, tandem ad concordiam redeunt, pacísque nomine fœderantur. Vnde non modicè Carolus sollicitus, ab
C Aquitania, nullo peracto negocio, repedans, fratrem Lotharium ad Palatium suum Attiniacum inuitat. Quò conuenientes, quod dudum pepigerant firmauerunt.

DANI in Ligere consistentes vsque ad Blisium castrum veniunt, ipsúmque incendunt: volentes indè Aurelianis peruenire, eadem patraturi. Præparantibus verò aduersus eos nauigia & bellatores, Episcopo Aurelianensium Agio, & Carnutum Burdiardo*, ab intentione desistũt, & inferiora Ligeris repetunt. Alij quoque pyratæ Danorum Fresiam Saxoniæ adiacentem populantur. Lotharius & Carolus Legatos ad fratrem Lodoicum pro pacis concordia, & vt filium suum ab Aquitania reuocet, mittunt. Carolus iterum Aquitaniam adit. Pippinus Pippini filius, qui in Monasterio sancti Medardi tonsus habitum Monachi susceperat, & iuramentum permansionis fecerat, Aquitaniam ingreditur, pársque maxima populi terræ ad eum conuolat. Karlus Rex, Pippini causâ posthabita, Lodovvicum nepotem ab Aquitania fugatum ad patrem in Germaniam redire compellit. KARLVS Pippini frater iam Diaconus ordinatus à Corbeiensi Monasterio recedit. Karlus Rex KARLOMANNVM filium suum tonsurâ Ecclesiastica dedicat. Dani intestino inter se prœlio dimicantes, adeò tridui concertatione obstinatissima bacchati sunt, vt Orico Rege & ceteris cum eo interfectis Regibus, penè omnis nobilitas interierit. Pyratæ Nordmannorum Ligere insistentes, denuò ciuitatem Andegauorum incendio concremant.

* Burchardo.

DCCCLV.

CAROLVS CALVVS. LOTHARIVS totam Fresiam filio suo LOTHARIO donat. Vnde Roric
855. & Godefridus patriam, id est Daniam, repedant, spe potestatis Regiæ nanciscendæ. Lotharius infirmatur, qua de re occasio data est Ludoico & Carolo fratribus, ad concordiam redeundi.

NORDMANNI Burdegalam Aquitaniæ ciuitatem inuadunt, & hac illácque pro libitu peruagantur. Karlus Aquitanis petentibus KARLVM filium suum Regem designatum attribuit. Karlus etiam Edilvvlfum Regem Anglorum Saxonum Romam properantem honorificè suscipit, omni regio habitu donat, & vsque ad Regni sui terminos cum obsequiis Rege dignis deduci facit. Lotharius aduersus Karlum occasione suspectæ fidei queritur. Multa Catholicæ fidei contraria in Regno Karli, ipso quoque non nescio, concitantur.

MENSE Augusto Leo Apostolicæ Sedis Antistes defunctus est, eíque Benedictus successit.

EODEM mense duæ Stellæ maioris & minoris quantitatis visæ sunt à parte Occidentis Orientem versus incedere, & hoc per decem vices adeò alternatim, vt maiore permanente, minor aliquoties nullatenus appareret. Lotharius Imperator morbo correptus, vitámque desperans, Monasterium Promeæ in Arduenna constitutum adiit, seculóque & Regno penitus abrenuncians tonsus est, vitam habitúmque Monachi humiliter sumens. Dispositóque inter filios qui secum morabantur Regno, ita vt LOTHARIVS cognomen eius Franciam, KARLVS verò Prouinciam obtineret, intra sex dies vitâ decessit IV. Calendarum Octobrium, atque in eodem Monasterio sepulturam, vt desiderauerat, consecutus est.

AQVITANI vrbem Lemouicum mediante Octobri mense conuenientes, KARLVM puerum filium Karli Regem generaliter constituunt, vnctóque per Pontificem Coronam Regni imponunt, Sceptrúmque attribuunt. Nortmanni Ligerim ingressi, relictis nauibus pedestri itinere vrbem Pictauorum adire moliuntur. Sed occurrentibus Aquitanis adeò profligati sunt, vt vltra trecentos pauci euaserint. Roric & Godefridus nequaquam arridentibus sibi successibus Dorestado se continent, & parte maxima Fresiæ potiuntur. Ludoicus Rex Germanorum crebris Sclauorum defectionibus agitatur.

DCCCLVI.

856. HIEMS asperrima & sicca, pestilentia valida, qua magna pars hominum absumitur. Ludoicus Rex Italiæ filius Lotharij super portione Regni paterni in Francia apud patruos suos Ludovvicum & Karlum conquiritur: Italiam largitate aui Ludoici Imperatoris se asserens assecutum. Aquitani KARLVM puerum, quem nuper Regem constituerant, spernentes, PIPPINVM ex Monacho, qui de Monasterio sancti Medardi aufugerat, eductum custodiâ Regem simulant. Karlus Rex cum RESPOGIO Britonum paciscens, filiam eius filio suo LVDOICO despondet, dato illi Ducatu Cenomannico vsque ad viam, quæ à Lotitia Parisiorum Cæsaredunum Turonum ducit. Proceres quondam Lotharij filium eius LOTHARIVM Regem Franciæ * etiam sacra ratione constituunt. Pyratæ Danorum XIV. Kalend. Maij ciuitatem Aurelianis adeunt, prædantur, & impunè reuertuntur. Comites penè omnes ex Regno Karli Regis cum Aquitanis aduersus eum coniurant, inuitantes Ludoicum Regem Germanorum ad suum consilium perficiendum. Quo diutiùs in expeditione Sclauorum detento, vbi & magnam partem sui exercitus amisit, isti moras illius non ferentes, Karlo Regi reconciliantur.

* media scilicet, id est Lotharingia.

EXAQVI spreto Pippino, KARLVM puerum filium Karli Regis, quem antea pepulerant, recipiunt, & in Aquitaniam reducunt. Iterum piratæ Danorum alij mediante Augusto Sequanam ingrediuntur, & vastatis direptisque ex vtraque fluminis parte ciuitatibus, etiam procul positis Monasteriis atque villis, locum, qui dicitur Fossa-Giualdi, Sequanæ contiguum, stationique munitissimum deligunt, vbi hiemem quieti transigunt. Edilvvlf Rex Occidentalium Anglorum Româ rediens IVDITH filiam Karli Regis mense Iulio desponsatam Cal. Octobribus in Vermaria Palatio in matrimonium accipit, & eam Ingmaro Durocortori Remorum Episcopo benedicente, imposito capiti eius diademate, Reginæ nomine insignit.

A Quod sibi suæque genti eatenus fuerat insuetum. Patratóque regiis apparatibus vtrimque atque muneribus matrimonio, cum ea Britanniam Regni sui ditionem nauigio repetit. LVDOICVS Imperator Italiæ, & Lotharius frater eius Rex Franciæ, cum Karlo puero germano suo, apud Vrbam conueniunt. Vbi adeò pro Regni paterni portionibus dissident, vt penè armis inter sese decernant. KARLO tamen fratri suo Prouinciam & Ducatum Lugdunensem iuxta paternam dispositionem distribuunt: eripientibus eum à fratre Lothario Optimatibus, qui illum moliebatur in Clericum tonsurare. Sarraceni de Beneuento Neapolim fraude adeuntes vastant, diripiunt, & funditus euertunt. CAROLVS CALVVS.

DCCCLVII.

PIRATÆ Danorum v. Kalendas Ianuarias Loticiam Parisiorum inuadunt, atque incendio tradunt. Hi verò, qui apud inferiora Ligeris morabantur, Turones & omnia circumquaque loca vsque ad Blisum castrum deprædantur. Aquitanorum aliqui persuasione occultè conspirantium Francorum quorumdam in Karlum à Karlo admodum puero deficientes, Pippino sociantur. 857.

KARLVS Rex & Lotharius nepos eius sacramentis vicissim exhibitis fœderantur. Similiter Ludoicus Rex Germaniæ, & Ludoicus Imperator Italiæ. Pippinus Danorum pyratis sociatur, Pictauorum ciuitatem deuastat, & multa alia Aquitaniæ loca depopulat. Lotharius concubinis abutens, vxorem suam Reginam abiicit.

B IN vrbe Colonia Agrippina Gunthario Episcopo adstante in Ecclesia beati Petri, nubes densissima desuper crebris fulminibus incubat: cùm subitò fulgor in modum ignis per subgrundia eiusdem Ecclesiæ intrans, vnum Sacerdotem, & vnum Diaconum, vnúmque ex laicis interficit, ac terræ abditis reconditur.

IN Augusta etiam Treuirorum Teotgaudo Episcopo cum Clero & populo celebrante, nubes teterrima superincumbens, tonitruis fulminibúsque Ecclesiam territans, turrem campanarum sonantium comminuit, tantáque tenebrositate Ecclesiam impleuit, vt vix alterutrum sese cognoscere valerent, visúsque est canis nimiæ enormitatis in circuitu altaris discurrere, subito terræ hiatu.

DANI Sequanæ insistentes cuncta liberè vastant, Lutetiámque Parisiorum adgressi, Basilicam beati Petri & sanctæ Genouefæ incendunt, & ceteras omnes, præter domum sancti Stephani, & Ecclesiam sancti Vincentij atque Germani, prætérque Ecclesiam sancti Dionysij. Pro quibus, tantummodò, ne incenderentur, multa solidorum summa soluta est. Alij Danorum emporium, quod Dorstatum dicitur, vi capiunt, totámque Batauorum insulam, & cetera loca contermina diripiunt. Respogius Dux Britonum à Salomone & Almaro Britonibus diu contra se dissidentibus interimitur. Quidam Procerum Karli Regis Aquitanis sociati, multas prædas, pluráque incommoda perpetrant. Frotbaldus Episcopus Carnotum, insistentibus sibi Danis in eadem ciuitate pedibus fugiens, fluuiúmque Auduram natatu petens, aquis interceptis moritur.

C

DCCCLVIII.

QVANDO ipse Karolus intrauit in Insulam Sequanæ dictam Oscellum, vbi magnum sustinuit periculum, sicut à multis tunc fuit cognitum, & quando frater suus Ludoicus super illum venit cum omni hostili apparatu. Sed largiente misericordiâ Dei cum honore non recessit. Dominicæ Natiuitatis festo noctu & interdiu Moguntiæ validus & celeberrimus terræmotus efficitur. quem etiam valida hominum mortalitas insequitur. 858.

IN territorio ...... mare quandam arborem radicitus euulsam, & Gallicanis Prouinciis ante ignotam eiecit, carentem foliis, sed loco frondium habentem ramusculos similitudine herbæ partim latæ, sed longioris: loco verò foliorum quædam triangula specie, colore autem vnguium humanorum, vel oscium piscium, quæ in eis tenuia sunt, & hæc ita summitati earumdem herbarum inhærentia, acsi extrinsecus adposita viderentur: more eorum, qui ex diuersis metallis in ornamentis cingulorum vel hominum, vel equestrium falerarum, extrinsecus adfigi solent.

IN pago Senonico, in Ecclesia sanctæ Porcariæ die Dominico celebrante Missas Presbytero, lupus subitò introiens, plebémque assistentem discurrendo perturbans, tandem inter feminas identidem faciens, disparuit.

CAROLVS CALVVS.

EDILVVLF Rex Occidentalium Saxonum moritur. relictam eius Iudith Reginam Adalboldus filius eius vxorem ducit. Berno Dux partis Pyratarum Sequanæ insistentium ad Karlum Regem in Vermeria Palatio venit, eiúsque se manibus dedens, fidelitatem statim iurat. Pars altera eorumdem Pyratarum LVDOICVM Abbatem Monasterij sancti Dionysij, cum fratre ipsius GVAZLENO capiunt, eisque redemptionis suæ grauissimam multam imponunt. ob quam multi thesaurorum Ecclesiarum Dei ex Regno Karli ipso iubente exhausti sunt. Sed his minimè sufficientibus, ab eodem Rege, & omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, ceterísque viris potentibus, multa ad suppletionem prædictæ summæ certatim conlata sunt. Comites verò Karli Regis cum Britonibus iuncti, deficientes à Karlo, filium eius LVDOICVM, eiúsque sequaces, à partibus Cenomannicis deterritum Sequanam transire, atque ad patrem refugere compellunt. Lotharius Rex cum fratre suo Karolo Prouinciæ Rege amicitiam firmat, datis ei duobus Episcopatibus ex Regno suo portionibus, id est Bilisio, & Tarantasia. Similiter Karlus eidem fratri suo Lothario Regnum suum ea conditione tradidit, vt si antequam vxorem acciperet, & filios generaret, ab hac vita decederet, ei Lotharius iure hereditario succederet. A

MENSE Maio in vico Leudico, in quo corpus sancti Landberti quiescit, tanta subitò pluuiarum inundatio effusa est, vt domos & muros lapideos, seu quæcumque ædificia, cum hominibus, & omnibus quæcumque illic inuenit, vsque ad ipsam Ecclesiam memoriæ sancti Landberti violenta irruptione in Mosam fluuium præcipitauerit. B

DANI Saxoniam adgrediuntur, sed repelluntur. Benedictus Romanus Pontifex moritur. Nicolaus præsentiâ magis ac fauore Ludoici Regis & Procerum eius, quàm Cleri electione substituitur. Lotharius Rex, cogentibus suis, vxorem quam abiecerat recepit, nec tamen ad thorum admittit, sed custodiæ tradit.

KARLVS Rex insulam Sequanæ vocabulo Oscellum, Danos in ea commorantes obsessurus, mense Iulio adgreditur. Vbi ad eum KAROLVS puer filius eius ab Aquitania peruenit. Cum quo Pippinum iam laicum suscipit, & ei Comitatus ac Monasteria in Aquitania tribuit. Lotharius etiam Rex ad eamdem Insulam mense Augusto properat, auunculo adiutorium conlaturus. Vbi vsque IX. Kalendas Octobris absque profectu obsidionis demorantes, tandem ad propria remeant. Interim Comites ex Regno Karoli Regis Ludoicum Germanorum Regem, quem per quinque annos inuitauerant, adducunt. Qui Kalendas Septembris Ponteonem regiam villam adueniens, per Catalaunos & Cupedenses Aiedincum Senonum peruenit. Indè Aurelianensem pagum adiens, receptis ab Aquitania & Niustria, atque Britonibus, qui ad eum se venturos spoponderant, eadem penè via vsque ad Cupedenses remeat. Quibus Karolus Rex compertis, per Catalaunos vsque ad Breonam villam festinus graditur. Vbi concurrentibus ad eum Burgundiæ Primoribus, Ludoicum insequentem præstolatur. Sed intercurrentibus nunciis, cùm nulla pacis compositio fieret, tertiò tandem die, id est pridie Idus Nouembris, præparatis hinc indè aciebus, videns Karlus se à suis deseri, recessit, & partes Burgundiæ petiit. Ludoicus verò receptis his qui à Karlo defecerant, Augustam Tricorum adit, ibíque distribuens inuitatoribus suis Comitatus, Monasteria, villas regias atque proprietates, ad Attiniacum Palatium reuertitur. Quò Lotharius Rex ei occurrit, & confirmatis inter se pactionibus ad sua repedat. Ludoicus verò per Durocortorum Remorum, & Laudunensem pagum, ad Augustam Veromandorum, in Cœnobio videlicet sancti Quintini Martyris, Dominicæ Natiuitatis festum celebraturus ingreditur. Interea quidam Monachus ex Monasterio S. Vincentij Martyris, vel S. Germani Confessoris, à Corduba ciuitate Hispaniæ rediens, corpora beatorum Martyrum Georgij Diaconi & Aurelij, capútque Nathaliæ secum detulit, atque in villa Acmanto in loculis seruanda collocauit. C

DCCCLIX.

859. DANI loca vltra Scaldem populantur. Vulgus promiscuum inter Sequanam & Ligerim inter se coniurans aduersus Danos in Sequana consistentes fortiter resistit. Sed quia incautè suscepta est eorum coniuratio, à potentioribus nostris facilè interficiuntur. Karlus Rex recuperatis viribus fratrem suum Ludoicum nec opinantem adgreditur, & de Regni sui finibus pellit. Lotharius Rex ad Kar-

CAROLVS CALVVS.

A lum patruum suum festinat, & die Dominico initij Quadragesimæ in Arcas Palatio publicè sacramentis vicissim per seipsos datis sese iterum confirmant. Karlus quædam Monasteria, quæ antea Clerici habere solebant, laicis distribuit. Pyratæ Danorum longo maris circuitu, inter Hispanias videlicet & Africam, nauigantes, Rhodanum ingrediuntur: depopulatisque quibusdam ciuitatibus ac Monasteriis, in Insula, quæ Camarias dicitur, se disponunt. Karlus Rex per diuersa loca Conuentus Episcoporum agit. Sed quarto à Tullo Leucorum milliario in villa Saponarias cum Lothario & Karlo nepotibus suis Regibus Synodo Episcoporum adsistens, libellum accusationis aduersus Guanilonem Agedinci Senonum Metropolitanum Episcopum porrigit. Quæ tamen actio propter absentiam eiusdem Guanilonis Episcopi dilata est. Inde ad conloquium fratris sui Ludoici Regis in Insula Rheni inter Autunnacum & Confluentes properat. Cuius colloquij effectus differtur vsque ad VIII. Kalendas Nouembris apud Basiliam ciuitatem. Quò Ludoico adueniente, Karlus propter Lotharij absentiam ab itinere cœpto reuertitur. Aquitani ad Karlum puerum omnes penè conuertuntur. Pippinus ROTBERTO Comiti & Britonibus sociatur.

ACIES in cœlo mense Augusto, Septembri, & Octobri, nocturno tempore visuntur, ita vt diurna claritas ab Oriente vsque in Septentrionem continuè fulserit, & columnæ sanguineæ ex ea discurrentes processerint. Dani nouiter aduenientes Monasterium sancti VValarici, & Samarobricam Ambianorum ciuitatem, aliáque circumquaque loca rapinis & incendiis vastant. Alij quoque eorum Insulam Rheni Patauum simili furore inuadunt. Hi verò, qui in Sequana morantur, Nouiomum ciuitatem noctu adgressi, Immonem Episcopum cum aliis nobilibus tam Clericis quàm laicis capiunt, vastatáque ciuitate secum abducunt, atque in itinere interficiunt. Qui etiam ante duos menses Ermenfridum Beluagorum in quadam villa interfecerant. Sed & anno præterito Blatfridum Baiocassium Episcopum necauerant.

B

OSSA beatorum Martyrum Dionysij, Rustici, & Eleutherij, metu eorumdem Danorum in pagum Mauripensem, in villam sui iuris Nouientum deuecta sunt, atque XI. Kalendas Octobris in loculis diligenter conlocata.

LOTHARIVS fratri suo Ludoico Italorum Regi quandam Regni sui portionem attribuit: ea videlicet quæ vltra Iuram montem habebat, id est Genuam, Lausonnam, & Sedunum ciuitates, cum Episcopatibus, Monasteriis, & Comitatibus: præter Hospitale, quod est in monte Iouis, & Pipincensem Comitatum.

GVANILO Episcopus Senonum absque audientia Episcoporum Karlo Regi reconciliatur.

NICOLAVS Pontifex Romanus de gratia Dei & libero arbitrio, de veritate geminæ prædestinationis, & sanguine Christi, vt pro credentibus omnibus fusus sit, fideliter confirmat, & Catholicè decernit.

C

DCCCLX.

HIEMS diutina, & continuis niuibus ac gelu dira, à mense videlicet Nouembri vsque ad Aprilem. Lotharius Reginam suam Teutbergam irreuocabili odio habitam *, vt ipsa coram Episcopis confiteretur, fratrem suum Hucbertum sibi sodomitico scelere commixtum. Vnde & pœnitentiæ continuò addicta est, atque in Monasterium retrusa. Karlus Rex inani Danorum in Somna consistentium pollicitatione pellectus, exactionem de thesauris Ecclesiarum, & omnibus mansis, ac negociatoribus etiam paupertinis, ita vt etiam domus eorum, & omnia vtensilia adpreciarentur, & indè statutus census exigeretur, fieri iubet. Nam idem Dani promiserant, vt si eis tria millia librarum argenti pondere examinato tribueret, se aduersus eos Danos, qui in Sequana versabantur, ituros, eósque indè aut expulsuros, aut interfecturos. 860.

PRIDIE Nonas Aprilis nocte sequenti, noua videlicet Luna iam inchoata, fertur quædam obscuritas corniculata eodem scemate, quo Luna splendebat, per medium eiusdem Lunæ apparuisse, ita vt hinc indè luceret, sed in medio obscuraretur. Similiter dicitur VIII. Idus Aprilis Sol ortus quandam in medio sui orbe tenebrositatem passus: qua ad inferiora eius delabente, mox alia à superioribus ei ingruerit, eiúsque orbem vsque ad infima similiter percurrerit. & hoc Luna X.

DANI in Somna consistentes, cùm eis non daretur supradictus census, rece-

CAROLVS CALVUS. ptis obsidibus ad Anglosaxones nauigant. A quibus profligati atque repulsi alias A
partes petunt. Hi verò Dani, qui in Rhodano morabantur, vsque ad Valentiam ciuitatem vastando perueniunt. Vnde direptis quæ circa erant omnibus, reuertentes, ad Insulam, in qua sedes posuerant, redeunt.

LVDOICVS, Karlus, & Lotharius, Reges, Kal. Iunias apud castrum, quod Confluentes vocatur, conueniunt: ibique de pace inter se diu tractantes, tandem concordiam atque amicitiam ipsi per se iuramento firmant. Ludoicus Imperator Italiæ suorum factione impetitur, & ipse contra eos ac contra Beneuentanos rapinis atque incendiis desæuit.

DANI, qui in Rhodano fuerant, Italiam petunt, & Pisas ciuitatem aliasque capiunt, deprædantur, atque deuastant. Lotharius Rex metuens auunculum suum Karlum, Ludouico Regi Germaniæ sociatur, atque ob eandem societatem partem Regni sui, id est Helizatiam, tradit. Vxor Lotharij timens odium viri sui, atque insidias, ad fratrem suum Hucbertum in Regno Karli aufugit.

KARLVS Rex Monasterium Sancti Martini filio suo LVDOICO largitur.

DCCCLXI.

861. DANI mense Ianuario Lutetiam Parisiorum, & Ecclesiam S. Vincentij Martyris & S. Germani Confessoris incendio tradunt. Negociatores quoque per Sequanam nauigio sursum versus fugientes, insequuntur & capiunt. Alij quoque Danorum pyratæ Taruanensem pagum adeunt, & deuastant. B

QVARTO Kalendas Aprilis Luna post horam noctis octauam tota in nigredinem vertitur. Karlus Rex filium suum LOTHARIVM claudum in Monasterio S. Iohannis Clericum fieri iubet.

GALINDO cogomento Prudentius Tricassinæ ciuitatis Episcopus, natione Hispanus, adprimè litteris eruditus, qui ante aliquot annos Gotescalco Prædestinatiano restiterat, post felle commotus contra quosdam Episcopos secum heretico resistentes, ipsius heresis defensor acerrimus: indéque non modica inter se diuersa & fidei aduersa scriptitans, moritur. Sícque licèt diutino languore fatigaretur, vt viuendi ita & scribendi finem fecit.

CAROLOMANNVS Ludoici Germaniæ Regis filius cum Resticio Vuinidorum Regulo fœderatur, à patre deficit, & Resticij auxilio magnam sibi partem vsque ad Hin fluuium paterni Regni præsumit. Hlodovvicus socerum Karlomanni filii sui ARNVSTVM honoribus priuat, & nepotes ipsius à Regno suo expellit. Qui cum ADALARDO Irmintrudis Reginæ auunculo, suo autem propinquo, quem Hlotharius patrui sui Hludoici factione insequebatur, Karolum adeunt. à quo benignè suscipiuntur, & honoribus consolantur. Sed & penè omnes, qui nuper à Karolo ad Ludoicum defecerant, ad Karolum reuertuntur, & ab eo familiaritate & honoribus redonantur.

DANI, qui pridem Morinum ciuitatem incenderant, de Anglis reuertentes duce Vuelando, cum ducentis & eo ampliùs nauibus per Sequanam ascendunt, & C
castellum in insula, quæ Oscellus dicitur, à Nortmannis constructum, & eosdem Nortmannos obsident. Ad quorum obsidentium videlicet locarium quinque millia libras argenti, cum animalium atque annonæ summa non modica, de Regno suo, ne deprædaretur, exigi Karolus præcepit, & Sequanam transiens Meidunum super Ligerim adit, RODBERTVM cum placitis honoribus recipit. Qua occasione Guntfridus & Gozfridus, quorum consilio Karolus præfatum Rodbertum [illegible]ceperat, cum suis complicibus, gentilitia mobilitate & inolita consuetudine à Karolo ad Salomonem Brittonum Ducem deficiunt. Interea Danorum pars altera cum sexaginta nauibus per Sequanam in fluuium Tellas ascendunt, indéque ad obsidentes castellum perueniunt, & eorum societate iunguntur. Obsessi autem famis inedia & miseria omni squallore compulsi, sex millia libras inter aurum & argentum obsidentibus donant, eisque sociantur. & sic per Sequanam vsque ad mare descendunt. Quos imminens hiems ingredi mare prohibuit. Vnde se per singulos portus ab ipso loco Parisius vsque secundum suas sodalitates diuidunt. Vuelandus autem per Sequanam vsque ad castrum Milidunum cum sociis suis ascendit. Castellani verò cum Vuelando filio Fossatis Monasterium occupant. Hincmarus Durocortori Remorum Archiepiscopus Synodo comprouinciali apud Martyrium Sanctorum Crispini & Crispiniani, secus ciuitatem Suessionis

A Rothardum ipsius vrbis Episcopum Regulis Ecclesiasticis obedire nolentem, Episcopali priuat communione secundum decreta Canonum, donec obediat.

Karolus dimisso filio suo LVDOICO sub Adalardi IRMINTRVDIS Reginæ auunculi baiulatione ad custodiam Regni, contra Nortmannos à quibusdam inuitatus, quasi Regnum Prouinciæ adepturus, quoniam KAROLVS Lotharij quondam Imperatoris filius inutilis atque inconueniens Regio honori & nomini ferebatur, cum vxore Burgundiam vsque ad ciuitatem Matescentium peragrat: Vbi rebus parùm prosperè gestis, & deprædationibus plurimis populo terræ ingestis, Pontigonem Palatium redit, ibique missaticum ex parte Ludoici fratris sui, & Lotharij nepotis sui, ab Aduentio Mettensium ciuitatis Episcopo & LEVTARDO Comite delatum audit, eósque absoluit, & diem Natalis Dominicæ festiuè, vt moris est, celebrat.

DCCCLXII.

KAROLVS per Remi ciuitatem Suessionis venit, vbi non incerto nuncio comperit, quia filia eius IVDITH, relicta scilicet Edelboldi Regis Anglorum, (quæ possessionibus venditis, quas in Anglorum Regno obtinuerat, ad patrem rediit, & in Siluanectis ciuitatem debito Reginæ honore sub tuitione paterna & regia atque Episcopali custodia seruabatur, donec si se continere non posset, secundum Apostolum, scilicet competenter ac legaliter, nuberet,) BALDVINVM 862.

B Comitem, ipso lenocinante, & fratre suo Ludoico consentiente, mutato habitu est secuta. Sed & quia LVDOICVS filius eius à præfatis Guntfrido & Gozfrido sollicitatus, relictis fidelibus patris, cum paucis noctu aufugit, & transfuga ad se sollicitantes peruenit. Vnde Rex Karolus Episcopos, & ceteros Regni sui Primores consulens, post mundanæ legis iudicium canonicum in iamdictum Balduinum, & Iudith, quæ cum fure cucurrit, & adulteri portionem se fecit, secundum edicta beati Gregorii, Vt si quis viduam in vxorem furatus fuerit, & consentientes ei, anathema sint, depromi sententiam ab Episcopis petiit. Abbatiam quoque S. Martini, quam inconsultè præscripto filio suo Ludoico donauerat, non satis consultè HVCBERTO Clerico coniugato donauit. Indéque Siluanectum perrexit. Vbi dum moraretur, exspectans vt ad eum populus conueniret, quatenus aciebus dispositis ex vtrisque suis ripis, singulæ aquæ, Isata scilicet, Matrona, & Sequana, custodirentur, ne Normanni in prædam ire valerent: nuncium accepit, quia Danorum electi de his qui in Fossatis resederant, cum paruis nauibus Meldensium ciuitatem adirent. Ipse autem cum eis, quos secum habuit, illò pergere maturauit. Et quoniam pontibus à Nortmannis destructis, & nauibus occupatis, eos adire non poterat, necessario vsus consilio, pontem ad insulam secus Treiectum reficit, & Nortmannis descendendi aditum intercludit. Scaras nihilominus ex vtraque ripa Matronæ ad custodiam deputat. Qua de re Nortmanni valde constricti obsides electos, & Carolo missos, ea conditione donant, vt omnes

C captiuos, quos ceperant postquam Matronam intrauerant, sine mora aliqua redderent, & aut cum aliis Nortmannis constituto die Placiti à Sequana recedentes, mare peterent: aut si alij cum eis redire non vellent, vnà cum exercitu Caroli retractantes ire bello appeterent. Sicque datis decem obsidibus sunt ad suos redire permissi. Et post viginti circiter dies ipse VVelandus ad Carolum veniens, illi se commendauit, & sacramenta cum eis, quos secum habuit, statim præbuit. Indéque ad naues regressus, cum omni Danorum nauigio vsque ad Gemeticum, vbi illorum naues statuerunt reficere, & vernale æquinoctium exspectare, descendit. Refectis nauibus, Dani mare petentes per plures classes se diuidunt, & prout cuique visum est in diuersa velificant. Maior autem pars Britannos, qui SALOMONE Duce habitant in Niustria, petit. Quibus & illi iunguntur, qui in Hispania fuerant. De quibus RODBERTVS duodecim naues, quas Salomon in contrarietatem eius locario iure conduxerat, in fluuio Ligeri capit: omnésque, qui in illo fuêre nauigio, interfecit, præter paucos, qui fugâ lapsi delituerunt. RODBERTVS autem Salomonem sustinere non valens, cum præfatis Nortmannis, qui de Sequana exierunt, antequam illos Salomon sibi aduersus eum adscisceret, datis vtrimque obsidibus, in sex millibus argenti contra eundem Salomonem conuenit. Vuelandus cum vxore & filiis ad Carolum venit, & Christianus cum suis efficitur.

CAROLVS CALVVS.

CAROLOMANNVS Ludoici Regis Germaniæ filius, concessa sibi à patre Regni portione, quam pridem inuaserat, & dato sacramento, ne ampliùs indè sine patris voluntate inuaderet, cum patre pacificatur. Ludoicus denique filius Caroli Regis consilio Gunfridi atque Gozfridi Salomonem adit, validam Brittonum manum obtinet, & cum eis ROTBERTVM patris fidelem impetit: Andegauum, & alios quos adire potuit pagos, cæde, igni, deprædatione deuastat. Rotbertus siquidem Britones redeuntes cum maxima deprædatione aggreditur, & plusquam ducentos Britonum primores occidit, & prædam excutit. Quem iterum Ludoicus bello quærit, in fugam ab eo vertitur, & dispersis sociis vix euasit. A

CAROLVS Rex Aquitanorum Caroli Regis filius, necdum quindecim annos complens, persuasione STEPHANI relictam HVMBERTI Comitis sine voluntate & conscientia patris in coniugem ducit. Sed & sæpefatus LVDOICVS frater ipsius Caroli e uestigio in ipso Quadragesimæ sanctæ initio filiam HARDVINI quondam Comitis, sororem scilicet ODONIS sui multum complaciti, sibi coniugem copulat. Carolus horum pater omnes Primores Regni sui ad locum qui Pistis dicitur, vbi ex vna parte Andella, & ex altera Audura, Sequanam influunt, circa Iunij Kalendas cum multis operariis & carris conuenire facit, & Sequanâ munitiones construens, ascendendi vel descendendi nauibus propter Nortmannos aditum intercludit. Ipse cum vxore super Ligerim, in loco qui Maidunus dicitur, datis per suos sacramentis, cum Carolo filio loquitur: & eo quasi subitò, sed voce submissa & animo contumaci, erecto, in Aquitaniam remeante, ipse ad Pistis, quò Placitum simul & Synodum antè condixerat, redit, & inter operandum de sanctæ Ecclesiæ ac Regni negociis cum fidelibus suis tractat. Vbi Rothadus Suessorum Episcopus, homo singularis amentiæ, in Synodo prouinciali regulariter Episcoporum communione priuatus, cum sua se contumacia quatuor Prouinciarum Concilio præsentauit. Quem fraternus Conuentus, ne deponeretur penitus, sub appellatione Sedis Apostolicæ seruare disposuit. Sed isdem post eiusdem Concilij iudicium indè appellauerat, expetens*, constitutis XII. ab eadem Synodo iudicij exequendi Iudicibus, nouus Pharao propter sui cordis duritiam, & vetera secula repræsentans, homo mutatus in beluam propter designatos excessus gestorum* Siriæ continentur, quoniam corrigi noluit, in suburbio Suessorum ciuitatis deponitur. B

* Locus corruptus.

INTEREA contigit miraculum in ciuitate Morinensi. Nam cuiusdam ciuis ipsius vrbis mancipium mane in die Assumptionis Sanctæ Mariæ vestitum lineum, quod *camisium* vulgo vocatur, leuigare incipiens, vt illud Dominus suus ad Missam procedens paratum portare quiuisset, ad primum initium, quo leuigam imprimens traxit, vestimentum sanguineum est effectum. Sicque quotiens idem mancipium leuigam traxit, sanguis est subsecutus: vsquequo vestimentum illud totum reiacenti sanguine est infectum. Quod vestimentum Hunfridus ipsius ciuitatis Episcopus ad se fecit deferri, & in eadem Ecclesia ad testimonium reseruari. Et quoniam eadem festiuitas ab incolis parochiæ illius non feriabatur, & celebrari & feriari debito honore ab omnibus eandem solemnitatem præcepit. C

LVDOICVS, qui à patre dudum defecerat, ad eum redit, & veniam ab eo, sed & ab Episcopis, pro suis excessibus postulans, patri de cetero fore fidelem districtissimis sacramentis se obligat. Cui pater Comitatum Meldensem & Abbatiam S. Crispini donans, cum vxore de Niustria ad se venire præcepit. Hunfrido, super quem Vuarengaudus in fidelitatem miserat, petentibus suis fidelibus ne confligat bello, concessit, ipsúmque & Vuarengaudum pacificat.

LVDOICVS Rex Germaniæ Lotharium nepotem suum apud Moguntiam accersiens, petit vt cum eo contra Vuinedos, qui appellantur aduersus * Regulum, cum apparatu hostili pergat. Qui se primùm iturum promisit, post verò à promissione sua defecit. Ludoicus autem, relicto in patria filio CAROLO, quoniam nuper vxorem, ERCANGARII Comitis filiam, duxerat, LVDOICVM filium suum secum ducens, aggreditur Vuinedos. Vnde amissis quibusdam primoribus, & nihil prosperè gestis, sub obtentu obsidum ad Francofurd Palatium super Mœnum fluuium*. Dani magnam Regni eius partem cæde & igni vastantes, prædantur. Sed & hostes antea illis populis inexperti, qui Vngri vocantur, Regnum eiusdem populantur.

* Sensus obscurus.

* Deest aliquid.

A LOTHARIVS Vualdradam concubinam, maleficis, vt ferebatur, artibus dementatus, & ipsius pellicis, pro qua vxorem suam Theotbergam abiecerat, cœco amore illectus, fauentibus sibi LVITFRIDO auunculo suo, & Vultario, qui vel ob hoc maximè illi erant familiares, quod nefas est dictu, quibusdam etiam Regni sui Episcopis consentientibus, coronat, & quasi in coniugem & Reginam sibi, amicis dolentibus atque contradicentibus, copulat.

HINCMARVS Remorum Episcopus, veniente Carolo Rege in eandem ciuitatem, accitis comprouincialibus suis Episcopis, matrem Ecclesiam ipsius Prouinciæ in honore Sanctæ Mariæ, sicut & antiqua fuerat sacrata, venerabiliter dedicat.

LVDOICVS Rex Germaniæ, directis missis blandiloquis ad fratrem suum Carolum, obuiam sibi in territorium Tullensem venire petit. Et quia Carolus cum Lothario ante alloqui noluit, quàm fratri suo causas diceret, quæ ei in Lothario displicebant, non mediocri querela indè sermonibus est conflictum. Tandem Carolus cum Episcopis qui secum erant, Ludoico & Episcopis qui erant cum eo, scripto capitulatim ostendit, pro quibus Lothario communicare nolebat, nisi profiteretur quòd indè aut certam redderet rationem, aut secundum auctoritatem dignam ostenderet emendationem. Postquam professione sub hac conuenientia Carolus & Episcopi, qui cum eo erant, in communionem Lotharium receperunt, & B scriptas, ac Consiliariis recitatas adnunciationes, quas de illorum Conuentu debuerunt populo nunciare, vsi consilio præcipuè Ludoicus & Lotharius CHVONRADI sui Consiliarij, Caroli autem auunculi, qui superciliosa, sed friuola, & nec sibi ad eò nec pluribus proficua more sueta scientiâ nitebatur, ne innotescerentur populo causæ, quas Carolus Lothario reputabat, penitus reiecerunt. Verùm Carolus contra eorum vota omnibus pleniter notum fecit, quia pro vxore contra Euangelicam & Apostolicam auctoritatem relicta, altera ducta est: & quia vxori Bosonis, & BALDVINO, qui filiam eius furatus fuerat in vxorem, excommunicatis communicauerunt, Lothario ante prædictam professionem communicare nolebat. Sicque condicentes Placitum sui Conuentus in futuro mense Octobrio in confinio Mosomagensis & Vonzensis Comitatus, ab inuicem secesserunt. Ludoicus ad reconciliandum, vel ad resistendum filio suo Carlomanno, qui auxiliante Refeccio* Vuinidorum Regulo contra patrem rebellauerat, Baioariam petiit. Carolus de Tullensi territorio per Pontigonem, indè secus littora Matronæ fluminis Carisiacum reuertitur. Ibique Dominici Natalis diem reuerentissimè celebrat.

*leg. Restticio

DCCCLXIII.

DANI mense Ianuario per Rhenum versus Coloniam nauigio ascendunt, & depopulato emporio, quod Dorestatus dicitur, sed & villam Nonmodocam*, ad quam Frisij confugerant, occisis multis Frisiorum negociatoribus, & capta non C modica populi multitudine, vsque ad quandam insulam secus castellum Nouesium perueniunt. Quibus Lotharius ex vna parte Rheni cum suis, & Saxones ex alia parte aggrediuntur, & vsque circa Kalendas Aprilis consident. Vnde iidem Dani consilio Rorici sicut accesserant, & recedunt. 863.

CAROLVS Lotharij Imperatoris filius, & Rex Prouinciæ, diu epeleutica infirmitate vexatus, moritur. LVDOICVS frater eius Italiæ vocatus Imperator Prouinciam venit, & quos potuit ipsius Regni Primores sibi conciliauit. Hoc audito, Lotharius illuc pergit, & mediantibus inter eos domesticis & amicis illorum, Placitum, quò simul redeant, & de ipso Regno apud se tractent, Ludoicus Italiam, Hlotharius in Regnum suum reuertitur.

CAROLVS Rex Cinomannis ciuitatem adit, indéque vsque ad Monasterium, quod Interamnis dicitur, procedit. Vbi SALOMON Dux Britonum, cum Primoribus suæ gentis illi obuiam venit, séque illi commendat, & fidelitatem iurat, omnésque Primores Britanniæ iurare facit, & censum illius terræ secundum antiquam consuetudinem illi exsoluit. Cui Carolus ob fidelitatis suæ meritum partem terræ, quæ Inter-duas aquas dicitur, & Abbatiam Sancti Albini in beneficium donat. Gozfridum, & Roricum, atque Heriueum, cetero̍sque, qui ab eo nuper, sicut & sæpè, defecerant, recipit, & cum indulgentia honoribus donat. Indéque Cenomannis reuertitur, & Pascha Domini celebrat.

CAROLVS CALVVS. HVNFRIDVS Gothiæ Marchio sine conscientia Caroli Regis, factione solito more Tolosanorum, qui Comitibus suis eandem ciuitatem supplantare sunt soliti, Tolosam REIMVNDO subripit, & sibi vsurpat. Carolus Rex de partibus trans-Sequanis regrediens, Lutardum Papiæ Episcopum de parte Ludoici Imperatoris Italiæ, & Gebahardum Spirensem Episcopum de parte Ludoici fratris sui Regis Germaniæ, & Nantharium Comitem de parte Lotharii nepotis sui, accipit pro pace petentes: quam idem Carolus semper seruare voluit, quantum infestatio contrariorum sibi permisit. Sed & alium Missum fratris sui Ludoici nomine Blitgarium accipit, petentem vt Carolomannum filium eius à Restitio Vuinido desertum, & à se fugatum, si ad illum venerit, non recipiat. Quem non longo pòst tempore deceptum, atque desertum à suis, sub conditione sacramenti pater suus Ludoicus recepit, & secum in libera custodia tenuit. A

CAROLVS Missos domni Apostolici Nicolai, Raduoldum scilicet Portuensem Episcopum, & Iohannem Ficoclensem Episcopum, satis honorificè Suessionis in Monasterio S. Medardi recipit. Quos aliquamdiu secum retinuit, & concessa Balduino, qui ad limina Apostolorum confugium fecerat, indulgentiâ, pro cuius obtentu venerant, cum Epistolis ad Apostolicam Sedem redire, muneratos absoluit. Iidem autem Apostolicæ Sedis Legati Mettis adeunt, Synodum habituri ex delegatione Apostolica circa medium mensem Iunium pro diuortio, quod inter Lotharium & vxorem suam Theotbergam acciderat, & pro superinductione concubinæ Vualdradæ, quam contra leges Ecclesiasticas & mundanas in vxorem sibi asciuerat. In qua Synodo præfati Missi corrupti muneribus, Epistolas domni Apostolici occultantes, nihil de his, quæ sibi commendata fuerunt, secundum sacram auctoritatem egerunt. Vt autem aliquid viderentur egisse, Guntharium Coloniensem Archiepiscopum, & Theutgaudum Treuerensem æquè Archiepiscopum, cum veniis, quas in eadem Synodo subscripserunt Episcopi, Romam ire iusserunt, vt iudicio domni Apostolici ipsa causa diffiniretur. Domnus Apostolicus quæ acta fuerant plenè cognoscens, & Rodoaldum similiter cupiditate in Constantinopoli cum Zacharia socio suo Episcopo nuper corruptum damnare volens, Synodum conuocauit. Quod sentiens Rodoaldus, noctu fugâ lapsus disparuit. Gunthatius verò & Theutgaudus Romam peruenientes, primùm in Synodo, & postea in Ecclesia S. Petri, sicut habetur in subditis, ab Apostolico sunt damnati. B

» NICOLAVS Episcopus seruus seruorum Dei, reuerentissimis & sanctissimis » confratribus nostris, Hincmaro Remensi, & Vuaniloni Rothomagensi, seu om» nibus confratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis in Regno Caroli gloriosi » Regis consistentibus. Scelus, quod Lotharius Rex, si tamen Rex veraciter dici » possit, qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrenat, sed lubrica ener» uatione magis ipsius illicitis motibus cedit, in duabus feminis, Theotberga scili» cet & Vualdrada commisit, omnibus manifestum est. Sed & dudum Episcopos » Theotgaudum & Guntharium in tali facto eum habuisse auctores atque factores, » penè totus nobis orbis vndique ad limina seu Sedem confluens Apostolicam re» ferebat: absentibus quoque id ipsum nostro scribentibus Apostolatui. Quod nos » tantò credere renuimus, quantò de Episcopis tale quid audire nullatenus spera» bamus. Donec ipsi Romam tempore Concilij venientes, coram nobis & sancta » Synodo tales inuenti sunt, quales fuerant à multis sæpissimè prædicati. Ita vt scri» ptura, quam suis stipulauerant manibus, quámque volebant vt nostro roborare» mus chirographo, caperentur, & dum muscipulam innocentibus opponere sa» tagerent, insidiis suis illaqueati sint. Sicque completum est, Deo auctore, quod » in Prouerbiis legitur: *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum*. Siquidem ipsi obli» gati sunt, & ceciderunt. Nos verò, qui in hoc flagitium falsò cecidisse dicebamur, » faciente Domino cum iustitiæ propugnatoribus resurreximus, & erecti sumus. » Igitur decernente nobiscum sancta Synodo, in præsentia depositi, & ab officio sa» cerdotali excommunicati, atque à regimine Episcopatus alienati indubitanter » existunt. Vnde vestra fraternitas Canonum normam custodiens, & decretorum » sanctiones obseruans, caueat ne hos quos abiecimus recipere in Sacerdotum ca» talogo præsumat. Depositionis autem sententia, quam in prædictos Theot» gaudum & Guntharium protulimus, cum ceteris Capitulis, quæ sancto Concilio C

cilio

A cilio nobiscum sanciente promulgauimus, inferiùs annexa monstrabitur.

CAP. I. *De Synodo in Mettensium vrbe à Theotgaudo & Günthario Archiepiscopis congregata penitus abolenda.* Synodum, quæ nuper, id est sub piissimo Imperatore LVDOICO per Indictionem vndecimam mense Iunio in Mettensium vrbe ab Episcopis, qui nostrum præuenerant iudicium, collecta est, quique Apostolicæ Sedis instituta temerè violarunt, ex tunc & nunc & in æternum iudicamus esse cassatam, & cum Ephesino latrocinio reputatam, Apostolica auctoritate in perpetuum sancimus esse damnandam, nec vocari Synodum, sed tanquam adulteris fauentem prostibulum appellari decernimus.

CAP. II. *Depositio Theotgaudi & Guntharij Archiepiscoporum.*

TEOTGAVDVM Treuirensem Primatem Belgicæ Prouinciæ, & Guntharium Agrippinæ Coloniæ Episcopos, nunc coram nobis & sancta Synodo sub gestorum insinuatione, qualiter causam Lotharij Regis, & duarum mulierum eius, Theotbergæ scilicet & VValdradæ, recognouerint, & iudicauerint, Scriptũ super hoc propriis roboratum manibus offerentes, nihilque se plus vel minus aut aliter egisse, ore proprio multis coram positis affirmantes, & sententiam, quam à Sede Apostolica in INGILDRVDEM vxorem Bozonis sanctissimus frater noster Mediolanensis Archiepiscopus Tado & ceteri Coepiscopi nostri petiuerant emittendam, & nos diuino succensi zelo sub anathematis obtestatione canonicè protuleramus, publicè viua voce se violasse confitentes, in quibus omnibus inuenimus
B eos Apostolicas atque Canonicas Sanctiones in pluribus excessisse, & æquitatis normam nequiter temerasse, omni iudicamus Sacerdotij officio manere penitus alienos: Spiritus sancti iudicio, & beati Petri per nos auctoritate, omni Episcopatus exutos regimine consistere diffinientes. Quòd si iuxta præcedentem consuetudinem tanquam Episcopi ausi fuerint aliquid de sacro ministerio contingere, nullo modo liceat eis nec in alia Synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis: sed & communicantes eis omnes abici de Ecclesia, & maximè si, postea quàm didicerant aduersus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentauerunt.

CAP. III.

CETERI autem Episcopi, qui complices horum, Theotgaudi scilicet & Guntharij, vel sectatores esse feruntur, si cum his coniuncti seditiones, coniurationes, vel conspirationes fecerint, vel si à capite, id est à Sede Petri, illis hærendo dissenserint, pari cum eis damnatione teneantur obstricti. Quòd si cum Sede Apostolica, vnde eos principium Episcopatus sumpsisse manifestum est, sapere de cetero per semetipsos, vel missis ad nos Legatis cum scriptis suis se professi extiterint, nouerint sibi à nobis veniam non negandam: ne amissionem honorum suorum pro retroactis præsumptionibus, aut subscriptionibus, quas in profanis fecerunt gestis, per nos vllo modo formidandam.

CAP. IV.

C INGILDRVDEM filiam quondam MACTIFREDI Comitis, quæ Bozone proprio viro relicto ecce iam per septem circiter annos hac atque illac vagabunda discurrit, nuper cum factoribus suis regulariter anatematizauimus. Sed propter contumaces eam iteratò anathematis duximus vinculis innodandam. Sit igitur à Patre & Filio & Spiritu sancto, vno & vero Deo, & ab omnibus sanctis Patribus, & ab vniuersa sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, & à nobis penitus anathema, cum omnibus complicibus, communicatoribus, atque auxiliatoribus suis. Ita vt, sicut iam decernimus, si quis ei communicare vel fauere in aliquo præsumpserit, siquidem Clericus fuerit, eodem vinculo constrictus officium Clericatus amittat. Monachi verò & laici, si inobedientes decreto præsenti fuerint, similiter anathematizentur. Sanè si eadem mulier ad virum suum reuersa fuerit, vel Apostolicam beati Petri Sedem Romam properans accesserit, veniam ei post dignam satisfactionem proculdubiò non denegabimus. Verumtamen sub priori vinculo anathematis, quo illam priùs & nunc obligauimus, interim constricta permaneat. Si quis autem eidem Ingeldrudi ad Apostolicam beati Petri Sedem Romam specialiter properanti, vel occurrenti, nescius communicauerit, aut sciens apem in veniendo præstiterit, nullo pro hoc vinculo teneatur annexus.

CAP. V. *De sententiis atque interdictis Sedis Apostolicæ.*

SI quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro Catholica

CAROLVS CALVVS. fide, pro Ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium vel futurorum malorum, à Sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit. Optamus sanctitatem vestram in Christo benè valere. A

CAROLVS VIII. Kalend. Nouembris Synodum in Vermeria Palatio habuit, ibique Abbatiam Sancti Carilephi super Rotbertum Episcopum Cinnomannicæ vrbis, qui eam per Apostolicam commendationem iuri sui Episcopatus mancipatam tenere volebat, legaliter euindicauit: & Rothadum nuper depositum, sicut domnus Papa ei mandauerat, cum suis & Episcoporum Litteris atque Vicariis Romam misit. IVDITH filiam suam per deprecationem domni Apostolici ad pacem, & Legatum Mahomet Regis Sarracenorum, cum magnis & multis muneribus, ac Literis de pace & fœdere amicali loquentibus, solemni more suscepit. Quem cum honore & debito saluamento, ac subsidio necessario, in Siluanectis ciuitate opportunum tempus, quo remitti honorificè ad Regem suum posset, operiri disposuit. Indéque cum valida manu ad recipiendum virtute filium suum CAROLVM, si aliter nollet venire, hostiliter versus Aquitaniam pergit, & ad Autisiodorum ciuitatem vsque peruenit. Ibique filiam suam Iudith, sicut domnus Apostolicus eum petierat, consilio fidelium suorum BALDVINO, quem sequuta fuerat, legaliter coniugio sociari permisit. Inde Niuernum ciuitatem perrexit, vbi filium suum Carolum ad se venientem recepit, & sibi fidelitatem & debitam subiectionem promitti sacramento præcepit, & omnes Primores Aquitaniæ iterum sibi iurare fecit. Duo quoque Nortmanni, qui nuper cum Vuelando Christianitatem dolo, vt tunc dicebatur, & pòst claruit, postulantes, de nauibus exierunt, super eum infidelitatem miserunt. Quorum vnus secundum gentis suæ morem cum eo negante armis coram Rege contendens, illum in certamine interfecit. Interea tristi nuncio comperit, quòd Nortmanni Pictauis venerant, & sub redemptione ciuitate seruata, Ecclesiam S. Hilarij magni Confessoris incenderint. Natale autem Domini in eodem loco secus Niuernum ciuitatem, vbi filium suum receperat, celebrauit. B

DCCCLXIV.

864. CAROLVS Aquitanos hostiliter contra Nortmannos, qui Ecclesiam Sancti Hilarij incenderunt, disposito exercitu ire præcipiens, filium & æquiuocum suum CAROLVM secum ducens, Compendium rediit. Missos suos ad recipiendas ciuitates & castella in Gothiam misit. Nortmanni Aruernum ciuitatem petunt, vbi STEPHANVM Hugonis filium cum paucis suorum interfectum, impunè ad suas naues redeunt. PIPPINVS Pippini filius ex Monacho laicus & apostata factus se Nortmannis coniungit, & ritum eorum seruat. Carolus iuuenis, quem pater nuper ab Aquitania receptum Compendium secum duxerat, noctu rediens de venatione in sylua Cotia, iocari cum aliis iuuenibus & coæuis suis putans, operante diabolo, ab Albuino iuuene in capite spatha percutitur penè vsque ad cerebrum. quæ plaga à tẽpore sinistro vsque ad malũ dextræ maxillæ peruenit. C

LOTHARIVS Lotharij filius de omni Regno suo quatuor denarios ex omni manso colligens, summam denariorum cum multa pensione farinæ, atque pecorum, necnon vini ac siceræ, Rodulfo Nortmanno Herioldi filio ac suis locarii nomine tribuit.

LVDOICVS Imperator Italiæ nominatus incentore Gunthario ad suam iniuriam referens, quoniam Legatos sui fratris Lotharij per ipsius fiduciam & interuentionem Romam directos Apostolicus, vt suprà monstrauimus, degradauit: séque ipsum furore non capiens, comitantibus secum eisdem Legatis Theutgaudo atque Gunthario, cum coniuge, Romam ea intentione pergit, quatenus aut Papa Romanus eosdem restitueret Episcopos, aut hoc facere non volenti noxiè quodammodo manum mitteret. Quod audiens Apostolicus, cum Litaniis generale ieiunium sibi & Romanis indixit, vt Deus Apostolorum suffragiis præfato Imperatori mentem bonam & reuerentiam erga diuinum cultum, & Apostolicæ Sedis auctoritatem donaret. Imperatore autem perueniente Romam, & secus Basilicam B. Petri degente, Clerus & populus Romanus cum crucibus & Letaniis ieiunium celebrantes, beati Petri memoriam adeunt. & ab hominibus Imperatoris, cùm gradus ante Basilicam beati Petri cœperunt ascendere, in terram

A prostrati, & variis ictibus flagellati, & crucibus ac vexillis confractis, qui euadere potuerunt fugati sunt. In quo tumultu & Crux mirabilis & veneranda à sanctæ memoriæ Helena decentissimè fabricata, in qua lignum mirificæ Crucis posuit, & Sancto Petro munere maximo contulit, confracta & in lutum proiecta est. Vnde à quibusdam, vt fertur, Anglorum gentis hominibus collecta, & custodibus reddita est. Quæ flagitia vt Apostolicus in Lateranensi Palatio degens comperit, & paulò pòst illum capiendum non incerto nuncio didicit, latenter nauem intrauit, & per Tyberim ad Ecclesiam Sancti Petri se contulit: vbi duobus diebus ac noctibus sine cibo ac potu mansit. Interea homo, cuius præsumptione præfata Crux veneranda confracta fuerat, moritur, & Imperator febre corripitur. Quapropter coniugem ad Apostolicum mittit, cuius fidei iussione Apostolicus ad Imperatorem venit, & habita mutua sermocinatione, sicut inter eos conuenit, Apostolicus Romam ad Lateranense Palatium rediit. Tunc Imperator Guntharium & Theutgaudum degradatos, vt secum venerant, Franciam redire præcepit. Tunc Guntharius hæc diabolica Capitula, & hactenus inaudita, quæ cum hac præfatione, quando Romam, vt præmisimus, in Ludoici obsequio rediit, Episcopis Regni Lotharij misit, per HILDVINVM fratrem suum Clericum, adiunctis ei suis hominibus, Apostolico misit: dans illi in mandatis, vt si Apostolicus illa nollet recipere, super corpus beati Petri ea iactaret.

B SANCTIS ac venerandis Fratribus & Coepiscopis, Guntharius atque Theotgaudus in Domino salutem. Rogamus suppliciter carissimam fraternitatem vestram, vt nobis pro vobis assiduè orantibus, sanctarum precum solatia instanter impendatis, & ne turbemini, neque terreamini pro his, quæ fama sorte de nobis ac vobis sinisteriùs nunciat. Confidimus de Domini nostri clementissima bonitate, quia neque in Regem nostrum, neque in nos, opitulante Deo, inimicorum præualebunt insidiæ, neque gaudebunt de nobis aduersarij nostri. Nam quamuis domnus Nicolaus, qui dicitur Papa, & qui se Apostolum inter Apostolos adnumerat, totiúsque mundi Imperatorem se facit, ad illorum instinctum & votum, quibus conspiratus fauere dinoscitur, nos damnare voluisset: tamen modis omnibus Christo propitio suæ insaniæ renitentes inuenit, & quidquid inde fecit non mediocriter illum postmodum pœnituit. Misimus vobis hæc subscripta Capitula, quibus cognoscatis nostram aduersus præfatum Pontificem querimoniam. Nos autem egressi à Roma, longiúsque recedentes, iterum ad Romam reuocati sumus. Quò nos incipientes reuerti, has vobis Litterulas scripsimus, vt non miremini quòd longiores agimus moras. Dominum Regem nostrum tam per vos ipsos, quàm per vestros Missos & Litteras sæpiùs visitate, & confortate, eíque quoscumque potestis amicos & fideles conciliate: maximè Hludouicum Regem admonendo semper inuitate, & cum illo de communi vtilitate diligenter inquirite, quoniam in pace eorum Regnum erit

C pax nostra. Æquo animo estote, & tranquillo corde, domini fratres, quia Deo volente talia vobis nunciare speramus, in quibus absque errore poteritis aduertere spiritum Domini docentem quid & quomodo agere debeatis. Tantùm omnimodis præfatum Regem commonere curate, vt inter varias suggestiones ita maneat immobilis, donec & ipse rerum causas cognoscat. Ceterùm, desiderantissimi fratres, necessarium vobis est, & laude dignum, vt promissam Regi nostro fidem coram Deo & hominibus inuiolabiliter conseruemus. Deus omnipotens vos in suo sancto seruicio conseruare dignetur.

CAP. I. AVDI domne Papa Nicolae, Patres & Fratres Coepiscopi nostri ad te nos direxerunt, & nos sponte venimus consulere videlicet tuum Magisterium super his, quæ pariter, prout nobis visum fuit, & adiicientibus & approbantibus notum esse potuit, iudicauimus, auctoritates rationésque, quas secuti fuimus, scriptis ostendentes: vt tua sapientia, perscrutatis omnibus, quid indè sentiret, & quid vellet, nobis demonstraret. Et si illud melius tua Sanctitas inueniret, vt nos instrueres & doceres hoc humiliter postulamus: parati quidquid rectiùs & probabiliter insinuares, vnà cum confratribus nostris sanis acquiescere documentis.

CAP. II. SED nos per tres hebdomadas tuum exspectantes responsum, nihil certitudinis nihilque doctrinæ nobis expressisti, sed tantum quodam die in

CAROLVS CALVUS. publico dixisti, nos excusabiles apparere & innocentes iuxta nostri adsertionem Libelli. A

» CAP. III. AD vltimum nos euocati ad tuam præsentiam deducti sumus, » nihil aduersitatis suspicantes. Ibique obseratis ostiis, conspiratione more latroci- » nali facta, & ex Clericis & laicis turba collecta & permixta, nos opprimere inter » tantos violenter studuisti, atque sine Synodo & Canonico examine, nullo ac- » cusante, nullo testificante, nulláque disputationis districtione dirimente, vel au- » ctoritatum probatione conuincente, absque nostri oris confessione, absentibus » aliis Metropolitanis & diocesanis Coepiscopis & confratribus nostris, extra om- » nium omninò consensum, tuo solius arbitrio ex tyrannico furore damnare nos- » met voluisti.

» CAP. IV. SED tuam maledictam sententiam à paterna benignitate alienam, » à fraterna caritate extraneam, aduersum nos iniustè & irrationabiliter contra le- » ges canonicas prolatam, nequaquam recipimus: immò omni cœtu fraterno, quasi » maledictum frustra prolatum contemnimus, atque abiicimus. Teipsum quoque, » damnatis & anathematizatis, sacrámque Religionem abiicientibus ac contem- » nentibus fauentem & communicantem, in nostram communionem nostrúmque » consortium recipere nolumus: contenti totius Ecclesiæ communione, & fra- » terna societate, quam tu arroganter te superexaltans despicis, téque ab ea » elationis tumore indignum faciens, sequestras. B

» CAP. V. IGITVR ex tuæ leuitatis temeritate propria tibimet sententiâ ana- » thematis pestem inflixisti, exclamans, *Qui Apostolica præcepta non seruat, anathema* » *sit.* quæ tu multipliciter violare, & violasse dinosceris, diuinas simul leges & sa- » cros Canones, quantum in te est, euacuans, prædecessorum tuorum Pontificum » Romanorum vestigia sequi nolens.

» CAP. VI. NVNC ergo, quia fraudulentiam & calliditatem tuam experti » sumus, non quasi ad illatam nobis contumeliam prouocati sumus: sed contra » tuam iniquitatem zelo accensi, nec nostræ vilitatis personam attendentes, sed om- » nem nostri Ordinis vniuersitatem, cui vim inferre conaris, præ oculis ha- » bentes.

» CAP. VII. QVID nostræ specialis propositionis summa fuerit, in paucis re- » plicamus. Lex diuina & canonica aptissimè probat, etiam venerandæ seculi leges » adstipulantur, quòd nulli licet ingenuam virginem alicui viro tradere in concu- » binatum, maximè si illa puella nunquam illicitæ adsentire voluit copulæ. Et quia » suo viro parentum consensu, fide, affectu, ac dilectione coniugali sociata est, vxor » profectò, non concubina habenda sit.

APOSTOLICVS autem præcognitus hæc recipere noluit.

SVPRASCRIPTVS autem HILDVINVS armatus cum hominibus Guntharij, Ecclesiam beati Petri Apostoli sine vlla reuerentia intrans, diabolicum Scriptum, sicut suus frater Guntharius ei præceperat, si Apostolicus illud nollet recipere, super corpus beati Petri iactare voluit, & à custodibus pohibitus, eosdem custodes cum fustibus tam ipse quàm & sui complices verberare cœperunt, adeò vt vnus ibidem occisus fuerit. Tunc ipsum Scriptum super corpus beati Petri iactauit, séque isdem, & qui cum eo venerunt, euaginatis gladiis protegentes, de Ecclesia exierunt, & ad Guntharium peracto lugendo negocio redierunt. Imperator post paucos dies patratis à comitatu suo multis deprædationibus, & mansionum destructionibus, ac Sanctimonialium ceterarúmque feminarum constuprationibus, atque hominum cædibus, necnon & Ecclesiarum infractionibus, Româ exiens Rauennam venit, ibique Pascha Dominicum cum tali sicut meruit Dei & Apostolorum gratiâ celebrauit. Guntharius autem in ipsa Cœna Domini Coloniam veniens, Missas celebrare, & sacrum chrisma conficere vt homo sine Deo præsumpsit. Theutgaudus verò à ministerio, sicut ei fuerat præceptum, se reuerenter abstinuit. Ceteris denique Episcopis apud Lotharium id satagentibus, Episcopatum à Gunthario Lotharius tulit, & suo tantùm consilio HVGONI CONRADI Caroli Regis auunculi, & materteræ suæ filio, tonsurâ Clerico, & ordinatione tantummodò Subdiacono, moribus autem & vitâ à fideli laico discrepanti, donauit. Vnde motus Guntharius, quidquid de thesauro Ecclesiastico in eadem ciuitate fuit residuum auferens, Romam C

A iterum, vt omnia Lotharij & sua figmenta de Theutberga & Vualdrada Apostolico ex ordine pandat, regreditur. Sed & Episcopi Regni Lotharij Legatos suos cum libellis pœnitentiæ, & professionibus canonicis, quoniam ab Euangelica veritate, & Apostolica auctoritate, sacrisque regulis in causa Theutbergæ ac Vualdradæ non mediocriter deuiauerant, ad Apostolicum dirigunt. Lotharius verò, Ratoldo Argentoratensis vrbis Episcopo cum Scriptis falsa more suo de sua excusatione & voluntaria correctione loquentibus præmisso ad Apostolicum, ipse per Gundulphi-villam & Romerici montem obuiam fratri suo ad locum qui Vrba dicitur vadit. Carolus cum Epistolis per Rodbertum Cinomannicæ vrbis Episcopum Romam, sicut Apostolicus iusserat, Rothardum dirigit. Sed & Episcopi Regni eius Vicarios suos cum Synodicis Litteris de causa ipsius Rothadi ad Apostolicam Sedem mittunt, quibus Ludoicus transitum denegat. Ipsi autem Legati tam Regis quàm Episcoporum, impossibilitatis suæ causas Romam veniendi clanculò Papæ cognitas faciunt. Rothadus simulata infirmitate Vesoncio ceteris patriam repedantibus remanet, & post aliorum regressum per Curiam, suffragantibus sibi Lotharij & Ludoici Germaniæ Regis fautoribus, Ludoicum Imperatorem Italiæ adijt, quatenus ipsius solatio Romam valeat peruenire. Missi Regis Caroli parum pro quibus missi fuerant vtilitatis agentes, à negocio reuertuntur, & HVNTFRIDO dimisso Tolosâ ac Gotiâ per Prouinciam in partes Italiæ transeunte, iterum alios Missos ad recipiendas ciuitates & castella Carolus ad Tolosam & in Gotiam mittit. Hludovvicus Rex Germaniæ hostiliter obuiam Bulgarorum Cagano nomine, qui Christianum se fieri velle promiserat, pergit: inde ad componendam Vuinidorum Marcam, si se prosperari viderit, perrecturus. Nortmanni, qui cum plurimo nauigio in Flandris appulerunt, resistentibus sibi pagensibus, per Rhenum ascendunt, & vicina Regnorum Lotharij ac Hludovvici ex vtraque ripa ipsius fluminis vastant. Carolus Kalendas Iunij in loco, qui Pistis dicitur, generale Placitum habet, in quo annua dona, sed & censum de Britannia à Salomone Britannorum Duce sibi directum more prædecessorum suorum, quinquaginta scilicet libras argenti, recipit: & firmitates in Sequana, ne Nortmanni per eundem fluuium possint ascendere, ibidem fieri iubet. Capitula etiam ad triginta & septem consilio fidelium suorum, more prædecessorum ac progenitorum suorum Regum constituit, & vt legalia per omne Regnum suum obseruari præcepit.

B PIPPINVS Apostata à Nortmannorum collegio ab Aquitanis ingenio capitur, & in eodem Placito præsentatur, & à Regni primoribus vt patriæ & Christianitatis proditor, & demùm generaliter ab omnibus ad mortem diiudicatur, & in Siluanectis artissima custodiâ religatur. BERNARDVS Bernardi quondam tyranni carne & moribus filius, licentiâ Regis accepta, de eodem C Placito quasi ad honores suos perrecturus, super noctem armata manu regreditur, & in sylua se occulens, vt quidam dicebant, Regem, qui patrem suum Francorum iudicio occidi iusserat, &, vt quidam dicebant, RODBERTVM & Ramnulfum Regis fideles maliciis occidere, locum & horam exspectat. Quod Regi innotuit, & mittens qui eum caperent, & ad præsentiam illius adducerent, fugâ sibi consuluit. Vnde iudicio suorum fidelium honores, quos ei dederat Rex, recepit, & RODBERTO fideli suo donauit.

EGFRIDVS, qui transactis temporibus cum Stephano filium & æquiuocum Regis ab obedientia paterna subtraxerat, à RODBERTO capitur, & Regi in eodem Placito præsentatur. Cui Rex deprecatione ipsius Rodberti, ceterorúmque suorum fidelium, quod in eum commiserat perdonauit: & sacramento firmatum, ac sua gratiâ muneratum, inlæsum abire permisit. Carolus à loco, qui Pistis dicitur, reuertens intrat Compendium circa Kalendas Iulij, Missum Mahometh Regis Sarracenorum, qui ante hyemem ad se venerat, muneratum cum plurimis & maximis donis per suos Missos ad eundem Regem satis honorificè remittit. CAROLOMANNVS filius Hludovvici Regis Germaniæ, qui in libera custodia cum patre suo morabatur, simulans se venatum ire, à patre fugâ labitur, & Marcas sibi à genitore ablatas cum consensu Marchionum, qui eum tradiderant, reoccupat. Quem pater euestigio insequens, sub firmitatum conditio-

nem ad se venire facit, & ei honores donat. Indéque reuertens versus Palatium Franconoford, in quodam broilo ceruum venans de caballo cadit, & costis læsus in vicino Monasterio iacet, filiúmque suum Ludoicum ad prædictum Palatium, vbi vxor eius erat, præmittit: ipséque in breui conualescens subsequitur. A

NICOLAVS Papa denuò Epistolas per omnes Archiepiscopos & Episcopos Galliarum, Germaniarum, & Belgicæ Prouinciæ mittit, pro confirmatione depositionis Theutgaudi Treuerorum, & Guntharij Coloniensis Archiepiscoporum. Sed & aliis Episcopis, qui ex Regno Lotharij in diuorcio Theutbergæ, & superinductione concubinæ VValdradæ consenserunt, & ad eum cum professione sua miserunt Epistolas suas, indulgentiam largiendo, sicut in scripto superius continente promiserat, dedit. Synodum Romæ conuocat circa Kalendas Nouembris, indicans se in ea eorumdem olim Archiepiscoporum depositionem denuò confirmaturum, & tractaturum de causa Lotharij, & Ignatij Constantinopolitani Episcopi præcedenti anno depositi. In cuius loco quidam laicus attonsus, & mox Episcopus est ordinatus. Ad quam Synodum prædicti Theutgaudus & Guntharius spontè perrexerunt, putantes Ludoici Imperatoris interuentu ab Apostolico posse restitui.

HLVDOVVICVS Italiæ Imperator nominatus à ceruo, quem in rugitu positum sagittare voluit, grauissimè vulneratur. A Nicolao Romanæ Sedis Pontifice per Arsenium Apocrisiarium petitur, vt eidem Papæ Legatos suos liceat pro quibusdam causis Ecclesiasticis ad Carolum mittere. Sed credens, quia non sincera intentione aduersus eum velit in Franciam Missos suos dirigere, contradicit. B

HVGBERTVS Clericus coniugatus & Abbas Monasterij Sancti Martini, qui Sancti Mauricij Abbatiam, & alios honores Ludoici Imperatoris Italiæ contra voluntatem ipsius tenebat, ab hominibus eius occiditur: & Theotberga soror eius abiecta Lotharij ad fidem Caroli venit. Cui Carolus Auenniacum Monasterium donat, & Abbatiam Sancti Martini Ingeluuino Diacono Palatij sui committit. RODBERTVS Comes Andegauensis rediens, duos cuneos de Nortmannis, qui in Ligeri fluuio residebant, vnum quidem exceptis paucis euadentibus interfecit, & altero maiore retro superueniente vulneratur. Vnde paucis suorum amissis sibi secessu consuluit, & post paucos dies conualuit.

DCCCLXV.

865. CAROLVS Rex Natiuitatem Domini in Carisiaco Palatio celebrat. Vernum villam veniens, circa medium Februarium mensem fratrem suum Ludoicum in villa Tusciæ cum filiis venientem satis honorificè suscepit: ibique cum omnibus illorum fidelibus consideratis, Missaticum per Episcopos, Altfridum videlicet, & Erchanratum, Lothario nepoti suo transmittunt: mandantes, vt quia sæpè dicebat se Romam iturum, priùs secundum domni Apostolici & eorum hortamentum emendaret quod contra leges diuinas & humanas commiserat in Ecclesia, quam sua temeritate scandalisauerat. & tunc ordinato Regno suo, si vellet, pro indulgentia petenda & obtinenda ad Apostolorum limina properaret. Lotharius verò putans, quòd sibi Regnum subripere, & inter se vellent diuidere, LVITFRIDVM auunculum suum ad fratrem & Italiæ Imperatorem transmittit, petens illum apud Apostolicum obtinere, quatenus pro eo patruus suus Epistolas mitteret: vt pacem seruantes, de Regno suo nullum ei impedimentum facerent. quod & Ludoicus Imperator obtinuit. C

INTEREA Nortmanni residentes in Ligeri, cum maximo impetu, faciente diuino iudicio, secūdo vento per eundem fluuium vsque ad Monasterium Sancti Benedicti, quod Floriacus dicitur, nauigant, & idem Monasterium incendunt, & in redeundo Aurelianis ciuitatem, & Monasteria ibidem & circum circa consistentia igne cremant, præter Ecclesiam sanctæ Crucis, quam flamma, cùm indè multum laboratum à Nortmannis fuerit, vorare non potuit. Sicque per amnis alueum descendentes, & vicina quæque depopulantes, ad stationem suam reuersi sunt. De Tusiaco Ludoicus Baioariam pergens, Carolomanno filio sibi familiariter reconciliato, Marcas quas ab eo tulerat reddidit, & ad Franconoford Palatium rediit. Carolus autem per Attiniacum ad Siluiacum veniens, ibidem sacrum Quadragesima & Pascha Domini celebrat, & BERNARDVM ex quodam Bernardo &

A filia Rorigonis Comitis natum in Gothiam mittens, partem ipsius Marchiæ illi committit. Et sic demum Vernum villam veniens, Episcopos ac cæteros Aquitaniæ primores ibidem obuius suscepit. Ad quorum multam petitionem filium suum CAROLVM necdum benè spassatum in Aquitaniam cum Regio nomine ac potestate redire permittit.

NICOLAVS Papa Arsenium Ortensem Episcopum, & Consiliarium suum, cum Epistolis ad Hludovvicum & Carolum fratres, sed & ad Episcopos ac Primores Regnorum illorum, ea quæ Lotharius per fratrem petierat continentes, non cum Apostolica mansuetudine, & solita honorabilitate, sicut Episcopi Romani Reges consueuerant in suis Epistolis honorare: sed cum malitiosa interminatione transmittit. Isdem autem Arsenius per Curiam & Alemaniam ad Hludovvicum Germaniæ Regem in Franconofurd Palatium veniens, Epistolas Apostolici ei tradidit, & indè in Gundulfi villam ad Hlotharium venit. Cui, & Episcopis, ac Primoribus Regni sui, Epistolas Papæ dedit continentes, quia nisi vxorem suam Theotbergam reciperet, & Vualdradam abiiceret, renunciante sibi Arsenio, illum ab omni Christianorum societate debuisset reiicere: quem in pluribus Epistolis his præcedentibus excommunicatum, & à consortio Christianorum eiectum multotiens prædicauerat. Et sic de Lothario ad Carolum circa medium Iulium mensem in Attiniacum Palatium Arsenius veniens, vniformes sicuti Ludoico & Lothario Regibus, Epistolas suas satis honorificè tradidit, & Rothadum
B canonicè à quinque Prouinciarum Episcopis deiectum, & à Nicolao Papa non regulariter, sed potentialiter restitutum, secum reducens, Carolo præsentauit. Et cùm sacri Canones dicant, vt si Episcopus à gradu deiectus ab Episcopis Prouinciæ ad Episcopum Romanum confugerit, scribat Romanus Episcopus finitimæ & propinquæ Prouinciæ Episcopis, vt ipsi omninò diligenter causam inquirant, & iuxta fidem veritatis diffiniant. Eodem die ipsam Theotbergam Reginam Arsenius Episcopus & Legatus Apostolicæ Sedis cum prænominatis omnibus Archiepiscopis in manibus Lotharij Regis reddiderunt atque dederunt, non solùm sub eadem obtestatione, vt suprà, verumetiam sub adiuratione & excommunicatione, vt si in omnibus, vt superiùs legitur, non obseruauerit atque impleuerit, non solùm in præsenti vita, sed etiam in æterno Dei terribili iudicio, cum beato Petro Principe Apostolorum redditurum rationem, & ab ipso æternaliter in eodem iudicio damnandum, & igne perpetuo concremandum.

INTEREA Lotharius Missos suos ad Carolum dirigit, volens & petens vt mutua firmitate inter eos amicitiâ fœderarentur. Quod & IRMENTRVDE Regina interueniente obtinuit, & veniens in Attiniacum, amicabiliter & honorificè à Carolo est susceptus, & in fœdere postulato receptus. Quò & Arsenius rediens, Epistolam Nicolai Papæ plenam terribilibus, & à modestia Sedis Apostolicæ antea inauditis maledictionibus, detulit super eos, qui ante hos annos eidem Arse-
C nio multam thesauri summam prædantes abstulerant, nisi satisfaciendo quæ tulerant ei reddere procurarent. Et relecta eadem Epistola, sed & altera de Ingiltrudis excommunicatione, quæ virum suum Bozonem reliquerat, & cum quodam adultero in Lotharij Regnum aufugerat: ac recepta sub defensione Caroli villa, quæ Vendopera dicebatur, quam piæ memoriæ Ludoicus Imperator sancto Petro tradiderat, & VVIDO quidam Comes per plures annos tenuerat: Arsenius Episcopus impetratis apud Carolum, pro quibus ad eum venerat, ad Gundulfi villam cum Lothario, quò Theotberga eum præcesserat, pergit. Ibi quoque per aliquot dies morans propter Vualdradam, quæ illuc ad eum deduci, & ab eo in Italiam deduci debebat, Lothario & Theotberga Regio cultu paratis & coronatis, in die Assumptionis sanctæ Mariæ Missas celebrat: & indè cum præfata Vualdrada versus Vrbam, quò dicebatur Hludovvicus Italiæ Imperator obuiam Lothario venturus, pergit. Indè per Alemanniam, & Baioariam, pro recipiendis patrimoniis Ecclesiæ sancti Petri in eisdem regionibus coniacentibus, Romam redit. Carolus ab Attiniaco contra Nortmannos, qui cum nauibus quinquaginta in Sequanam venerant, hostiliter pergit. In quo itinere custodum negligentiâ tres coronas optimas, & armillas nobilissimas, & quæque alia preciosa perdidit: & post non paucos dies omnia reinuenit, exceptis paucis gemmis, quæ tumultuaria direptione amissæ fuerunt. Nortmanni verò residentes in Ligeri liberè Picta-

CAROLVS CALVVS. uum ciuitatem pedestri ordine pergunt, eandémque ciuitatem incendunt, & impunè ad naues suas reueniunt. RODBERTVS autem de eisdem Nortmannis, qui sedebant in Ligeri, ampliùs quàm quingentos sine damno suorum occidens, vexilla & arma Nortmannica Carolo mittit. Carolus autem perueniens vsque ad locum qui dicitur Pistis, vbi immorabantur Nortmanni, fidelium suorum consilio pontes super Isaram & Matronam refici curat, in locis quæ dicũtur Aluernis & Carenton: quoniam ab incolis, qui ex antiquo ipsos pontes fecerant, propter infestationem Nortmannorum refici non valebant. Ab eis ergo, qui ex longinquioribus partibus ad operandum deputati erant, vt perficerent firmitates in Sequana, ea conditione refici iubet propter imminentem necessitatem ipsos pontes, ne vnquam per ventura tempora inde qui nunc eosdem pontes refecerint, in operando ad hoc opus dispendium patiantur. Et deputatis custodibus, qui vtrasque ripas custodirent, ad Odriacam villam medio mense Septembrio venandi gratiâ pergit. Ipsi autem Nortmanni, quoniam adhuc citra Sequanam custodes non venerant, ex se circiter ducentos Parisius mittunt. Vbi quod quæsierant vinum non inuenientes, ad suos, qui eos miserant, sine indemnitate sui reueniunt. Indéque ampliùs quàm quingenti vltra Sequanam vsque ad Carnotum prædatum ire disponentes, à custodibus ripæ ipsius fluminis impetuntur: & quibusdam suorum amissis, quibusdam etiam vulneratis, ad naues regrediuntur. A

CAROLVS Ludoicum filium suum in Neustriam dirigit, nec reddito, nec interdicto sibi nomine Regio: sed tantùm Comitatum Andegauensem, & Abbatiam Maioris-Monasterij, & quasdam villas illi donauit. RODBERTO, qui Marchio in Andegauo fuerat, cum aliis honoribus, quos habebat, Comitatum Autissiodorensem & Comitatum Niuernensem donauit. Hludovvicus Germanorum Rex hostem suam contra Vuinedos directam, & prosperè agentem, recepit. Cuius filius & æquiuocus contra patris voluntatem filiam ADALARDI despondit. vnde satis animum patris offendit. Carolus obuiam fratri suo Hludovvico, eius conloquio fruiturus, Coloniam pergit, & in talia conlocutionum suarum verba patrem & filium de iamdicta præsumptione pacificat, ea conditione vt iam vltrà Adalardi filiæ non copuletur. Hludovvicus ad VVormatiam, & Carolus ad Carisiacum reuertitur. Cui nunciatur in via, quia Nortmanni XIII. Kalendas Nouembris Monasterium sancti Dionysij intrauerunt. Vbi viginti circiter diebus immorantes, & quotidie prædam exindè ad suas naues ducentes, post multam deprædationem sine contradictione cuiusquam ad castra sua non longe ab eodem Monasterio sunt reuersi. Interea Nortmanni residentes in Ligeri, commixti cum Britonibus, Cinomannis ciuitatem petunt, & impunè deprædantes eam, ad suas naues reuertuntur. Aquitani confligentes cum Nortmannis, qui in Carento Sigefrido Duce resident, quadringentos circiter ex eis occiderunt. ceteri autem fugientes ad naues suas redierunt. B

CAROLVS Missos suos, quos præcedenti anno Cordubam ad Mahomet direxerat, cum multis donis, camelis videlicet lecta & papiliones gestantibus, cum diuersi generis pannis & multis odoramentis, in Compendio recipit. Inde ad Rosiacum villam veniens, ADALARDO, cui custodiam contra Nortmannos commiserat, sed & suis propinquis HVGONI & BERENGARIO, quia nihil vtilitatis contra Nortmannos egerant, collatos honores tollit, & per diuersos eosdem honores disponit. Nortmanni, qui præfatum Monasterium deprædati sunt, vario modo infirmantur, & quidam in rabiem versi, quidam autem scabie correpti, quidam intestina cum aqualiculo per anum emittentes, moriuntur. Carolus dimissis custodibus contra eosdem Nortmannos, Siluanectis reuertitur, Natiuitatis Dominicæ solemnia celebraturus. Vbi ei LOTHARIVS filius suus & Abbas Monasterij sancti Germani mortuus nunciatur. C

DCCCLXVI.

866. IV. Kalendas Ianuarias de Nortmannis in Ligeri residentibus, quædam pars prædatum exiens in Neustriam, GAVZFRIDVM & HERIVEVM, atque RORIGVM, Comites congredientes offendit. In qua congressione Rorigus frater Gauzfridi occubuit, & quamplurimis Nortmanni suorum amissis, fugiendo ad naues reueniunt.

RODVLFVS Caroli Regis auunculus passione colica moritur: Nortmanni

A per alueum Sequanæ ascendentes, vsque ad castrum Milidunum, & scaræ Karoli ex vtraque parte ipsius fluminis pergunt: & egressis eisdem Nortmannis à nauibus super scaram, quæ maior & fortior videbatur, cuius præfecti erant RODBERTVS & ODO, sine conflictu eam in fugam mittunt, & onustis prædâ nauibus ad suos redeunt. Karolus cum eisdem Nortmannis in quatuor millium libris argenti ad pensam eorum paciscitur, & indicta per Regnum suum conlatione ad idem exsoluendum tributum, de vnoquoque manso ingenuili exiguntur sex denarij, & de seruili tres, & de accola vnus, & de duobus hospitiis vnus denarius, & decima de omnibus quæ negociatores videbantur habere, sed & à Presbyteris secundùm quod vnusquisque habuit vectigal exigitur, & heribanni de omnibus Francis accipiuntur. Indè de vnoquoque manso tam ingenuili quàm & seruili vnus denarius sumitur: & demum per duas vices iuxta quod vnusquisque Regni Primorum de honoribus habuit coniectum tam in argento, quàm & in vino ad pensum, quod ipsis Nortmannis pactum fuerat, persoluendum contulit. Præterea quoque & mancipia à Nortmannis prædata, quæ post pactum ab eis fugerant, aut reddita, aut secundùm eorum placitum redempta fuerunt. & si aliquis de Nortmannis occisus fuit, quæsitum precium pro eo est exsolutum. LVDOICVS Italiæ Imperator vnà cum vxore sua INGELBERGA in Beneuentum contra Sarracenos mouit. Hlotharius interuentu, vt quidam autumant, Hludouvici Imperatoris & fratris sui, Episcopium Coloniense ab HVGONE receptum HILDVINO fratri
B Guntharij sub prouisionis obtentu committit. Sed reuera dispositio illius, excepto Episcopali ministerio, penes Gunthariam manet. Ipsaque Metropolis, sed & Ecclesia Treuerensis diutino tempore contra sacras regulas, cum magno & multorum periculo Pastore vacant. Carolus RODBERTO Comiti Abbatiam sancti Martini ab Engiluuino ablatam, donat: & eius consilio honores, qui vltra Sequanam erant, per illius complices diuidit. Comitatum quoque Augustidunensem à BERNARDO filio Bernardi super RODBERTVM occupatum LVDOICO filio suo ipsius Rodberti consilio ad eum ditandum committit.

NORTMANNI mense Iulio ab insula secus Monasterium sancti Dionysij mouent, & descendentes per Sequanam vsque ad locum sibi aptum ad reficiendas suas, & nouas faciendas naues, perueniunt, ibique quod eis persoluendum erat exspectant. Carolus hostiliter ad locum, qui dicitur Pistis, cum operariis & carris ad perficienda opera, ne iterum Nortmanni sursum ascendere valeant, pergit. Hludovvicus Germaniæ Rex contra quosdam suorum in Marca aduersus VVinidos rebellionem molientes hostem mouit. quam præcedens in breui, rebellantes sine conflictu domat, & hostem nondum penè promotum domi residere mandauit.

NORTMANNI mense Iulio mare intrant, & pars quædam ex ipsis aliquandiu in pago Italiæ resedit, & libitibus suis, excepta publica Lotharij coniunctione
C perfruitur. Carolus ad villam Abbatiæ sancti Quintini, quæ Orti-vineas dicitur, cum vxore obuiam Lothario pergit, & pro quibusdam conuenientiis, vt dicebatur, firmitatibus inter se factis, Abbatiam sancti Vedasti donante sibi Lothario suscipit. Carolus mense Augusto Suessionis ciuitatem adit, & Synodo à Papa Nicolao conuocatæ considet. Vbi secundùm prædicti Apostolici commendationem, quæstione dirempta de Vulfado & Collegis eius ab Ebone quondam Remorum Archiepiscopo post depositionem suam ordinatis, quoniam regulæ sacræ non poterant apertè conuelli, pro sui reuerentia, & quorumdam respectu, & Rege ac quibusdam pro Vulfado nimium satagentibus, scisma & scandalum aliter vitari non potuit, inuentum est vt quia Synodi Episcoporum quinque Prouinciarum regularis definitio ex præfatorum deiectione, Benedicti Papæ & Nicolai subscriptionibus fuerat confirmata, secundùm indulgentiam Nicenæ Synodi, de his quos damnatus ordinauit Meletius, & iuxta traditionem Africani Concilij de Donatistis, in gradibus reciperentur: si tamen Nicolao Papæ placeret suam immutare quam confirmauit sententiam. Indéque Synodus congregata per Egilonem Senensem Archiepiscopum, cum aliis, pro quibus perrexerat, præscripta conditione Nicolao Papæ Literas mittens, sine Sacerdotum discordia est soluta. Et licèt iuxta Innocentij decreta, quod de huiusmodi necessitas temporis quondam repperit, cessante necessitate debuisset vtique cessare pariter quod vrgebat. quia alius

CAROLVS CALVVS. est ordo legitimus, alia vsurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit, quoniam nil aliud. Sed hoc summoperè querebatur, vt quocumque modo Vulfadus fieri posset Episcopus, tolerabilius quibusdam est visum propter vitandam seditionem hanc necessitatem, quæ nunc, sicut & tunc vrgebat, iterum in medium deuocaret: ac si consilio Iacobi & seniorum Hierusalem, etiam post legis abolitionem circumciso Timotheo cum Paulo legis cerimonias exercere, quàm tumultus in Ecclesia & in potestate regia concitare. His ita dispositis, Carolus iamdicto Vulfado Bituricensem Metropolim, nuper defuncto Rodulpho Archiepiscopo, ante causæ diffinitionem arbitratu suo committit. Sed antequam iidem Episcopi ab ipsa recederent vrbe, Carolus eos petit vt vxorem suam HIRMINTRVDEM in Reginam sacrarent. quod & ipso attestante in Basilica sancti Medardi fecerunt, & vnà cum eo illi Coronam imposuerunt. De quo loco idem Rex cum Regina Attiniacum Palatium obuiam Lothario adit. Quò Teutbergam nomine tantùm Reginam Hlotharij, quæ Romam pergendi licentiam habuit, reuocant: & Missaticum communiter ordinantes, Carolus per Egilonem Senensem Archiepiscopum, & Hlotharius per Adonem Viennensem Archiepiscopum, ac per VVALTARIVM suum à Secretis domesticum, Papæ Nicolao quæ sibi visa sunt secretiùs mandant. A

POST hæc Carolus ad consignandam Bituricensem Metropolim Vulfado, filium suum Carolomannum Abbatem Monasterij sancti Medardi transmittit. Quò peruenientes post solutam, vt præmissum est, Synodum, atque post Literas ex eadem Synodo per Egilonem Archiepiscopum Nicolao Papæ directas, statim in mense Septembrio à quibusdam Episcopis legibus Ecclesiasticis minus necessariò peritis, factione prædicti Vulfadi emendicatis, & minis à Carolomanno ex auctoritate patris sui flexis, contra omnes leges Ecclesiasticas sæpefatus Vulfadus pro ordinatione Episcopali maledictione indutus est sicut vestimento. Cuius exordinator potiùs quàm ordinator Aldo Lemouicensis Episcopus, in ipsa ordinatione febre correptus, in breui moritur. B

CAROLI filius nomine CAROLVS, & Aquitanorum Rex, plagâ, quam in capite ante aliquot annos acceperat, cerebro commoto, diutiùs epelemtica passione vexatus, III. Kalendas Octobris in quadam villa secus Bosentiacas moritur, & à Carolomanno fratre suo, atque à Vulfado, in Ecclesia sancti Sulpitij apud Biturigum sepelitur.

CAROLVS VVILHELMVM sobrinum suum, ODONIS quondam Comitis Aurelianensis filium, à quibusdam suorum in Burgundia captum, quasi contra Rempublicam agentem, secus Siluanectum ciuitatem decollari fecit.

NORTMANNI commixti Britonibus circiter quadringenti de Ligeri cum caballis egressi, Cinomannis ciuitatem adeunt. Qua deprædata, in regressu suo vsque ad locum, qui dicitur Brieserta, veniunt: vbi ROTBERTVM, & Ramnulfum, Godtfridum quoque & Heriueum Comites, cum valida manu armatorum, si Deus cum eis esset, offendunt. Et conserto prœlio Rotbertus occiditur, Ramnulfus plagatus, cuius vulnere postea mortuus est, fugatur: & Heriueo vulnerato, & aliis quibusdam occisis, ceteri ad sua quique discedunt. Et quoniam Ramnulfus & Rodbertus de præcedentium se vindicta, qui contra suum ordinem alter Abbatiam sancti Hilarij, alter Abbatiam sancti Martini præsumpserat, castigari noluerunt, in se vltionem experiri meruerunt. HLVDOVVICVS Hludovvici Germaniæ Regis filius consilio VVARNARII ac ceterorum, à quibus pater eius propter infidelitatem suam honores tulit, rixam contra patrem suum mouit, concitato Restitio Vuinido, vt vsque ad Baiouuariam prædatum veniat, quatenus in illis partibus occupato patre, vel eius fidelibus, ipse liberiùs quod cœpit prosequi posset. Sed KAROLOMANNO, cui pater ipsam Marcham dederat, satagente, Restitius intra sua se cohibet. Hludovvicus autem senior in talibus experientiâ prudens, concitè ad Palatium, quod Franconofurd dicitur, properat: & datis mutuò dextris, eundem filium suum ad se venire facit, ipsæque dexteræ vsque v. Kalendas Nouembris manere inuicem promittunt. Sicque Hludovvicus ad confirmandam Marcham suam contra Restitium velociter repedat, reuersurus octauo die ante Missam sancti Martini obuiam fratri suo Karolo, & nepoti suo Lothario secus ciuitatem Metensium. Quò Carolus hostiliter cum tali hoste C

A confecta maximè de Episcopis, sicut tunc coniectare potuit, se perrecturum suis denuncians, HVGONI Clerico, auunculi sui CHONRADI filio Comitatum Andegauensem, cum Abbatia sancti Martini, & cum aliis etiam Abbatiis donat, eúmque in Neustriam loco ROTBERTI dirigit. De Abbatia sancti Vedasti, sicut & pridem de Abbatia sancti Quintini fecerat, caput cum electioribus villis sibi retinens, cetera quæque per quoscumque suos, non cum tanto illorum profectu, quàm cum animæ suæ detrimento, diuidit. Sicque hostiliter quod denuntiauerat conficiens, per Remorum ciuitatem Metensium partes cum sua vxore aggreditur, & vsque ad Viridunum peruenit. Ibíque obuios fratris sui Hludovvici Missos habuit, nunciantes quia non erat ei necesse ad suum * pro quacumque necessitate cum hoste ire, quoniam suum filium sicut ipse disposuit receptum habebat, & seditionem, quæ contra eum commota fuit, vsquequaque sedatam. Et illi tunc non erat commodum, obuiam illi vsque ad Mettis venire, quoniam pro quibusdam Regni sui necessitatibus in Bajouuariam festinabat. Carolus autem residens in Viriduno, per viginti circiter dies eandem ciuitatem, atque illius vicina hostili more deprædans, præstolatus est aduentum Lotharij, qui apud Treuerim cum sui Regni Episcopis satagebat, vt iterum Theotberga se falsò crimine insimularet, & velamentum reciperet. quod obtinere non potuit. Tandem Carolus per viam, qua perrexerat, deprædantibus suis loca per quæ redierunt, iterum B Romanam ciuitatem adit, indéque Compendium venit, vbi Natiuitatem Domini celebrauit.

CAROLVS CALVVS.

REX Bulgarorum, qui præcedente anno Deo inspirante, & signis atque afflictionibus in populo Regni sui monente, Christianus fieri meditatus fuerat, sacrum baptisma suscepit. Quod Proceres sui molestè ferentes, concitauerunt populum aduersus eum, vt illum interficerent. Quotquot igitur fuerunt intra decem Comitatus, adunauerunt se circa Palatium eius. Ille verò, inuocato Christi nomine, cum quadraginta tantùm octo hominibus, qui erga Christianam deuotionem feruentes sibi remanserant, profectus est contra omnem illam multitudinem: & mox vt portas ciuitatis exiit, apparuerunt eis & his qui cum eo erant, septem Clerici, & vnusquisque eorum tenebat cereum ardentem in manu sua, sícque præcedebant Regem, & illos qui cum eo erant. Eis verò, qui contra eum insurrexerant, visum erat, quòd magna villa ardens super eos caderet, & equi eorum, qui cum Rege erant, sicut contrariis videbatur, erecti incedebant, & cum anterioribus pedibus eos percutiebant. Tantúsque timor eos apprehendit, vt nec ad fugiendum, nec ad defendendum se præpararent, sed prostrati solo se mouere nequibant. Rex autem ex Proceribus, qui populum maximè aduersus eum incitauerunt, interfecit numero quinquaginta duos. Reliquum autem populum inlæsum abire permisit, & mittens ad Hludovvicum Regem Germaniæ, qui ei fœdere pacis coniunctus erat, Episcopum & Presbyteros postulauit, & ab eo Mis- C sos cum debita veneratione suscepit. Ludoicus autem ad Carolum fratrem suum mittens, in ministerium Clericorum apud fratrem suum vasa sacrata, sacrásque vestes ac libros petiit. Vnde Carolus ab Episcopis Regni sui non paruam summam accipiens, ei ad dirigendum Regi Bulgarorum Rex filium suum, & plures ex Proceribus Regni sui Romam direxit: & arma, quibus indutus fuerat, quando in Christi nomine de suis aduersariis triumphauit, cum aliis donis sancto Petro transmisit, & plures quæstiones de sacramentis fidei consulendo, Nicolao Papæ direxit, & Episcopos atque Presbyteros mitti ab eo sibi poposcit. quod & obtinuit. Hludovvicus verò Italiæ Imperator hoc audiens, ad Nicolaum Papam misit, iubens vt arma, & alia quæ Rex Bulgarorum sancto Petro miserat, ei dirigeret. De quibus quædam Nicolaus Papa per Arsenium ei consistenti in partibus Beneuentanis transmisit, & de quibusdam excusationem mandauit.

DCCCLXVIII.

ANNO Domini DCCCLXVII. HLVDOVVICVS Abbas Monasterij sancti Dionysij, & nepos CAROLI Imperatoris ex filia maiore natu ROTRVDE v. Idus Ianuarij obiit: & Carolus Rex Abbatiam ipsius Monasterij sibi retinuit. Causas Monasterij & conlaborationem per Præpositum, & Decanum, atque Thesaurarium, militiæ quoque curam per Maiorem-domus sua commendatione geri disponens. Et circa mediam Quadragesimam super Ligerim fluuium ad vil- 867.

CAROLVS CALVVS. lam, quæ Bellus-Pauliacus dicitur, perrexit: vbi Primores Aquitaniorum sibi obuiam accersiuit, & filium suum LVDOICVM, ordinatis illi ministerialibus de Palatio suo, eisdem Aquitanis Regem præfecit. Indè reuersus, Pascha Domini in Monasterio sancti Dionysij celebrauit. Deinde pergens Mettis ad conloquium fratris sui Hludovvici Regis Germaniæ, XIII. Kalendas Iunij obuium habuit in Palatio Salmuntiaco Egilonem Sennensem Archiepiscopum, cum Epistolis Nicolai Papæ de restitutione Clericorum Remensis Ecclesiæ, Vulfadi scilicet, & collegarum eius. Pro quibus valde satagens, vt in suis habeantur gradibus restituti, multa Hincmaro Remorum Archiepiscopo imposuit in eisdem Epistolis, quæ non esse vera manifesta ratione constabant. Attulit etiam præfatus Archiepiscopus eidem domno Carolo Epistolas prædicti Papæ ad Lotharium & Episcopos Regni eius, de causa vxorum illius, Theotbergæ videlicet, atque Vualdradæ, eandem Vualdradam mitti Romam præcipiens. Quas Carolus Lothario obuiam sibi ad Attiniacum Palatium venienti ex parte ipsius Apostolici dedit. Indéque ad conloquium fratris sui perrexit: & ab eo reuertens, per Lotharium in saltu Arduennæ consistentem rediit. Et generaliter per omne Regnum suum hoste denunciata, Placitum suum Kalend. Augusti in Carnutum ciuitate condixit. in Britanniam super SALOMONEM Ducem Brittonum perrecturus. Interea Missis intercurrentibus, eo vsque paciscendæ pacis est perducta conditio, vt à Carolo datis obsidibus, PASVVITHEN gener Salomonis, cuius consilio plurimum vtitur, ad Carolum in Compendium circa præfatas Kalendas Augusti veniat, & quod tunc ibi inuentum & confirmatum vtrimque fuerit, teneatur. Populus autem in hostem denunciatus interim paratus domi resideat, vsquequò si necesse fuerit, & Rex dèmandauerit, VIII. Kalendas Septembris Carnutum hostiliter veniat. Hludovvicus Rex Germaniæ Hludovvicum filium suum cum Saxonibus & Toringis aduersus Abodritos hostiliter dirigit, & reliquum populum Regni sui paratum esse præcipit, quatenus mox vt ipse iusserit præparati, mouere hostiliter possint.

LOTHARIVS suspectum habens Carolum ad Ludoicum reuertentem, à Mettis ciuitate versus Franconofurd pergit, & cum eo pridem sibi satis aduerso se pacificat, filióque suo de Vualdrada HVGONI Ducatum Elizatium donat, cúmque Hludovvico commendat, ac ceterum Regnum suum, quasi Romam perrecturus, & Vualdradam præmissurus, committit. Inde reuertens, hostem ad patriæ defensionem per Regnum suum indicit, quasi contra Nortmannos: putans Rorigum, quem incolæ, qui Conkingi nouo nomine dicuntur, à Fresia expulerant, cum auxiliatoribus Danis reuerti. Carolus datis obsidibus Pasuuithen Salomonis Legatum Kalend. Augusti in Compendio suscipit, & ei, Vicario scilicet Salomonis, Comitatum Constantini cum omnibus fiscis & villis regiis & Abbatiis in eodem Comitatu consistentibus, ac rebus vbicumque ad se pertinentibus, excepto Episcopatu donat, & sacramento Primorum suorum confirmat: & ex parte Salomonis à præfato ipsius Vicario fidelitatis, & pacis, atque præstandi adiutorium contra inimicos suos, sacramentum ea conditione suscipit, vt Salomon, & filius eius, cum his quæ antea habebat, hoc donum etiam habeant, & Carolo ac filio eius fideles existant. Quo patrato negocio, Carolus Synodum apud Trecas VIII. Kalend Nouembris auctoritate Nicolai Papæ indicit, & causâ venandi, ac expendendi autumnale tempus, in Abbatia sancti Vedasti, & in Audriaca villa, ac circumcirca morandi, disponit.

Ad verbum hæc in Frodoardo, lib. III. Hist. Eccles. Rem. c. XVII. qui illa hinc desumpsit.

SYNODVS Prouinciarum, Remensis, Rothomagensis, Turonensis, Sennonum, Burdegalensium, atque Bituricensium, apud Trecas VIII. Kalend. Nouembris conuenit. Vbi quidam Episcopi, vt assolet, gratiâ Regis Caroli Vulfado fauentes, quædam contra veritatem, ac Canonum sacram auctoritatem aduersus Hincmarum moliri cœperunt. Sed isdem Hincmarus eorum molitionibus ratione & auctoritate obuians, plurimorum sententiâ præualente, rerum gestarum ordinem, de quibus agebatur, communi consensu Epistolâ scriptum per Actardum venerabilem Namnetensem Episcopum Papæ Nicolao, Episcopi qui conuenerant transmiserunt. Cuius Epistolæ tenor idem extitit qui fuit in Epistola Hincmari Remorum Episcopi, quam per Clericos suos sub peregrinorum habitu propter contrariorum vitandas insidias præcedente Iulio mense Romam miserat Epistolam autem in præscripta Synodo factam, & Archiepiscoporum qui conuenerant sigillis

A sigillis signatam, Actardus perferendam suscipiens, cum quibusdam Episcopis ad Carolum, sicut ipse praeceperat, rediit. Carolus autem immemor fidelitatis atque laborum, quos pro eius honore, & Regni obtentu, saepefatus Hincmarus per plures annos subierat, eandem Epistolam sibi ab Actardo dari exegit, & Archiepiscoporum sigilla confringens, gesta Synodi relegit. Et quia sicut voluerat in eadem Synodo Hincmarus non extitit confutatus, Epistolam suo nomine ad Nicolaum Papam dictari in contrarietatem Hincmari fecit, quam & bullâ sui nominis sigillauit, & cum Epistola Synodali per ipsum Actardum Romam direxit. Praefati autem Hincmari Clerici in mense Augusto Romam venientes, Nicolaum Papam iam valde infirmatum, & in contentione, quam contra Graecorum Imperatores Michaëlem & Basilium, sed & contra Orientales Episcopos habebat, magnoperè laborantem inuenerunt. Quapropter vsque ad mensem Octobrium ibidem sunt immorati. Nicolaus verò Papa gratanter suscipiens quae Hincmarus scripserat, ei de omnibus sibi satisfactum esse rescripsit. Sed & alteram Epistolam eidem & ceteris Archiepiscopis & Episcopis in Regno Caroli constitutis transmisit, innotescens praefatos Graecorum Imperatores, sed & Orientales Episcopos calumniari sanctam Romanam Ecclesiam, immò omnem Ecclesiam quae Latina vtitur linguâ, Quia ieiunamus in Sabbatis. Quòd Spiritum sanctum ex Patre Filióque procedere dicimus. Quia Presbyteros sortiri coniuges prohibemus. Dicentes ipsi Graeci, Quòd Chrisma ex aqua fluminis Latini conficiamus. Reprehendentes nos Latinos. Quòd octo hebdomadibus à casei & ouorum esu more suo non cessamus. Dicentes etiam, Quòd in Pascha more Iudaeorum super altare pariter cum Dominico corpore Agnum benedicamus, & offeramus. Succensentes etiam nos, Quia Clerici apud nos Barbas suas radunt. Dicentes, Quia Diaconus non suscepto Presbyteratus officio apud nos Episcopus ordinatur. De quibus omnibus per singulas Prouincias à Metropolitanis cum eorum Coëpiscopis sibi rescribi praecepit. alloquens eundem Hincmarum in Epistolae fine hoc modo. Tua, inquit, frater Hincmare, caritas cùm hanc Epistolam legerit, mox vt etiam ad Archiepiscopos, qui in Regno filij nostri Caroli gloriosi Regis consistunt, deferatur, summoperè agere studeat: & vt de his singuli in diocesibus propriis vnà cum Suffraganeis suis, in cuiuscumque Regno sint constituti, conuenienter tractare, & nobis quae repererint suggerere curent, eos incitare non negligant. Ita vt eorum omnium, quae praesentis Epistolae nostrae circumstantiae continent, tu & strenuus executor illic existas, & apud nos verax & prudens Scriptorum tuorum serie relator inueniaris. Data x. Calend. Nouembris, Indictione I. Quam Epistolam Hincmarus Idus Decembrias primae Indictionis suscipiens, in Corbonaco Palatio consistenti Regi Carolo cum pluribus Episcopis relegit, & per alios Archiepiscopos, sicut in mandato acceperat, dirigere studuit. Nicolaus Papa Idus proximè praecedentis mensis Decembris obiit. Cui successit Adrianus Papa electione Clericorum, & consensu Ludoici Imperatoris, in Pontificatu. Quem Actardus Romam veniens cum suprà scriptis Epistolis, in Apostolica Sede iam ordinatum inuenit.

CAROLVS CALVVS.

Huc vsque Flodoardus.

C ARSENIVS autem magnae calliditatis, & nimiae cupiditatis homo, spe falsa seducens Theutgaudum & Guntharium, de restitutione ipsorum, vt ab eis exenia acciperet, Romam venire fecit. Qui diutiùs ibi manentes, penè omnes suos amiserunt. Tandem autem Theutgaudus ibidem mortuus est, & Guntharius vix corporis mortem euasit.

LOTHARIVS Theutbergam vxorem suam Romam misit, vt seipsam criminaretur, quatenus ab eius coniugio separari valeret. Sed Adrianus Papa atque Romani talibus naeniis non credentes, iussa est ad virum suum reuerti.

CAROLVS consensu fratris sui Ludoici quosdam Episcopos ad Autissiodorum in futuris Kalendis Februarij conuenire praecepit, vt de causa Lotharij quaedam tractarent. Carolus denique, quoniam ab ACFRIDO Abbatiam S. Hilarij cum aliis plurimis honorabilibus beneficiis habente, sicut quidam dixerunt, exenia non modica suscipiens, Comitatum Bituricum sine praesentia illius, vel culpae alicuius reputatione, à GERARDO Comite abstulit, & praefato Acfrido dedit. Sed isdem Acfridus super Gerardum eundem Comitatum euindicare non valuit. Quapropter Carolus per ciuitatem Remorum transiens, Trecas venit, indéque Autissiodorum adiit, vbi Natiuitatem Domini celebrauit.

DCCCLXVIII.

CAROLVS CALVVS. 868. ANNO DCCCLXVIII. Carolus ab Autissiodoro, super Ligerim fluuium ad villam quæ Bellus-Pauliacus dicitur, peruenit. Interea homines Gerardi Comitis Acfridum in quadam villa bello conueniunt. Et quia de casa firmissima Acfridus exire noluit, in qua se recluserat, igne ipsi casæ admoto Acfridum ex ipsa expellunt, & truncato illi capite corpus in ignem reiiciunt. Tunc Carolus quasi ad hoc vindicandum flagitium pagum Bituricum adiit, in quo tanta mala & in Ecclesiarum confractione, & in pauperum oppressione, atque in omnium flagitiorum commissione, atque terræ deuastatione, commissa sunt, vt dici ore non possint, sicut multorum millium hominum fame mortuorum pro ipsa depopulatione attestatio demonstrauit. Vindicta autem in Gerardum & eius comites non solùm vlla non extitit, verùm nec ipsi de pago Biturico à quoquam expulsi sunt. Ablatis denique à ROTBERTI filio his, quæ post mortem patris de honoribus ipsius ei concesserat, & per alios diuisis, sed & à filiis Ramnulfi tultis paternis honoribus, & data sancti Hilarij Abbatia, quam isdem habuit, Frotario Burdegalensium Archiepiscopo, Caput Ieiunij ante sanctum Quadragesima ad Monasterium sancti Dionysij rediit, & indè Siluanectis perrexit. Nortmanni verò per Ligerim ascendentes, Aurelianis perueniunt, & accepta prædâ impunè ad suum diuersorium redeunt. Carolus verò Sabbato ante Palmas ad Monasterium sancti Dionysij rediit, ibique Pascha celebrauit. Et indè antequam Siluacum adiret, secunda die Rogationum Aduentio Metensium Episcopo, & Grimlando Lotharij Cancellario deferentibus Epistolas Adriani Papæ, accepit vnam sibi directam, in qua isdem Apostolicus præcepit, vt Regno Hludovvici Imperatoris, ac Regno Lotharij nullam molestiam ingerat. Alteram autem Epistolam de absolutione Vualdradæ ad Episcopos Regni ipsius Caroli detulerunt, similes dicentes missas Episcopis Regni Hludovvici atque Hlotharij. Absolutio autem ipsius Vualdradæ ea conditione est facta, vt Hlothario nullo pacto cohæreat. Siluacum autem Carolus perueniens, Actardum Namnetensem Episcopum Româ venientem suscepit, sibi deferentem Epistolas, quarum vnâ responsum reddidit de his quæ Nicolao in contrarietate Hincmari mandauit: inter cetera ei inculcans, vt de cetero ac perpetuo talis inutilis quæstio sopita maneret. Alteram autem Epistolam Hincmaro detulit, laudibus & fidelitatis directionibus repletam, & vt eius vice in istis partibus de Lothario fungeretur. Tertiam autem Archiepiscopis aliisque Episcopis Cisalpinis detulit, vt quia isdem Actardus pro paganorum infestatione & Brittonum oppressione in sua ciuitate manere non poterat, si locus eueniret, etiam de Metropoli isdem Actardus in vacante ciuitate Pastore, auctoritate Apostolica ab Episcopis Prouinciæ ipsius incardinetur.

QVARTA autem feria post initium Quadragesimæ factione Arsenij filius eius Eleutherius filiam Adriani Papæ ab alio desponsatam dolo decepit & rapuit, sibique coniunxit. Vnde idem Papa nimium est contristatus. Arsenius ad Ludouicum Imperatorem pergens in Beneuentum, infirmitate corripitur, & thesaurum suum in manus Ingelbergæ Imperatricis committens, &, vt dicebatur, cum dæmonibus confabulans, sine communione abiit in locum suum. Quo mortuo, Adrianus Papa apud Imperatorem Missos obtinuit, qui præfatum Eleutherium secundum leges Romanas iudicarent. Isdem verò Eleutherius consilio, vt fertur, fratris sui ANASTASII, quem Bibliothecarium Romanæ Ecclesiæ in exordio ordinationis suæ Adrianus constituerat, Stephaniam vxorem ipsius Pontificis, & eius filiam, quam sibi rapuit, interfecit, & isdem Eleutherius à Missis Imperatoris occisus est. Adrianus verò Papa congregans Synodum, supradictum Anastasium hoc modo, sicut subsequitur, post damnationes in eum latas, iterum condemnauit.

Hæc in imagine in dextra parte scripta sunt.

» IMPERANTIBVS Dominis nostris Imperatoribus Lothario & Ludouico
» Augustis, mensis Decembris die dexima sexta, Indictione XIV.

A

Excommunicatio, quam fecit Leo Episcopus de Anastasio Presbytero, & postea Adrianus.

Leo Episcopus seruus seruorum Dei. Anastasius Presbyter Cardinis nostri, quem in titulo beati Marcelli ordinauimus, quique secedens ab eo ad alienas parochias absque nostra Pontificali scientiâ demigratus est, quem per Missos & Litteras nostras vocauimus, & pro quo dominos Imperatores supplicati per Missos nostros, vt eum ad suam parochiam redire iuberent: qui nunc illuc latitando in ipsa demigratione per biennium moratus est, & ad duo vocatus Concilia nostra minimè venit, sed neque inuentus est. quia, vt prædiximus, veluti ouis errans extraneis regionibus suadente diabolo occultè inhabitat. Secundum Canonica instituta ex Dei omnipotentis & beati Petri Apostoli, nostráque simul Apostolica auctoritate, ab hodie sit communione priuatus, donec ipse meæ speciali præsentiæ in Canonico iudicio fuerit præsentatus. & si non venerit, numquam communicet. Post Romanum Pontificem in hac excommunicatione consenserunt Archiepiscopus Rauennatis, & Mediolanensis, alíique numero LXXV.

Hæc in imagine in sinistra parte scripta sunt.

B Leo Episcopus seruus seruorum Dei. Omnibus Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & vniuersis Clericis, cunctóque populo Christiano. Quòd benè ac pleniter vobiscum simus, carissimi fratres, scitis. Nunc iterum pro cautela & memoria temporum futurorum, dilectioni vestræ cognitum esse volumus, quomodo instigante ac suadente diabolo Anastasius Presbyter Cardinis nostri, quem nos in titulo beati Marcelli ordinauimus, contra statuta Patrum prouinciam Ecclesiámque deserens, ecce iam per quinquennium tempus in alienas parœchias velut ouis errans discurrit: quem etiam auctoritate suffulti canonica Apostolicis Litteris per tertiam quartámque vicem vocauimus. At vbi redire distulit, duo pro eo Episcoporum Concilia congregauimus, quorum conuentu, cùm eius non potuissemus videre vel habere specialem præsentiam, communi eum decreto sancta communione priuauimus: volentes siquidem suam per huius excommunicationis censuram ad gremium sanctæ, à qua discesserat, matris Ecclesiæ personam reducere. Sed Apostolica monita, sanctíque Concilij, pro nihilo ducens, erroris irretitus caligine, redire nullatenus voluit. Proinde, sicut Rauenna nobis degentibus, de eo in Ecclesia beati Vitalis Martyris mense Maio die XXIX. Indictione prima, ore proprio, nunc iterum in Ecclesia beati Petri Apostoli mense Iunio die XIX. Indictione superiùs annotata similiter promulgauimus, sit ille à sanctis Patribus & à nobis anathema, & omnes qui ei siue in electione, quod absit, aut Pontificatus honore, adiutorium præstare vel solatium quodcumque voluerint, simili anathemate subiaceant.

C

Post Romanum Pontificem in hoc anathemate consenserunt, Iohannes Archiepiscopus Rauennatis, Nottingus & Sigilfredus Episcopi domni Imperatoris, & sex Episcopi ad prædictum Archiepiscopum pertinentes, quorum notitiam non recolimus, & alij tam ex Romana vrbe quàm ex aliis numero LVI. absque Presbyteris & Diaconibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Super valuas aegenteas hæc scripta sunt.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Incipit sancta ac veneranda Synodus, quæ per Domini gratiam, & eius diuinum consilium, congregata est in Ecclesia beati Petri Apostoli, anno scilicet Pontificatus sanctissimi ac coangelici & vniuersalis quarti Papæ Leonis septimo, atque inuictissimorum Lotharij ac Ludovvici Imperatorum anno Imperij quadragesimo * secundo, mense Decembri die octauo, Indictione II. In hac siquidem sancta ac venerabili Synodo, Domini solatiante gratiâ nobiliter celebrata, post diuersas Episcoporum Sacerdotúmque vel Clericorum, atque omnium Christianorum pias ac salutiferas admonitiones

CAROLVS CALVVS. & exhortationes, depositus est iustè atque canonicè Anastasius Presbyter tituli sancti Marcelli, eò quòd contra auctoritatem Canonicam propriam paræchiam deseruisset per annos scilicet quinque, & in aliena ad vsque hodie demoratur. Et neque vocatus, neque excommunicatus, & ad vltimum anathematizatus, sicut de eo in hac Synodo veridica pictura demonstrat, ad congregata duo pro eo Episcoporum Concilia venire noluit. Ideo tam à summo Pontifice, quàmque ab vniuersis Episcopis tunc Synodo præsidentibus, videlicet numero LXVII. ob suam stultam audaciam meritò, vt prædiximus, est depositus, & sacerdotali honore priuatus, anno denique, mense, ac die, atque Indictione, vt suprà. A

Huc vsque Leo Pontifex scribi iussit.

POST mortem verò iamdicti Leonis dignæ memoriæ Præsulis, ipse anathematizatus atque depositus Anastasius, seculari potentiâ rediens ab abditis, quibus sicut fur latitauerat, locis, diabolica fraude seductus, inretitúsque caligine, latronum more, hanc, quam non debuerat introire, Ecclesiam inuasit, velut ethnicus atque barbarus, ad perditionem suæ animæ atque periculum, huius venerandæ Synodi cum suis nequissimis consentaneis atque sequacibus picturam destruxit, imáque deiecit. Quam beatissimus Papa Benedictus atque egregius restaurauit, & lucifluis coloribus decorauit.

ADRIANVS Episcopus seruus seruorum Dei. Omni Dei Ecclesiæ notum est, quid Anastasius tempore prædecessorum nostrorum Pontificum gesserit, sed & qualiter ab eis de illo sanctæ recordationis Leo & Benedictus eximij Præsules instituerint, palam est cunctis. Quorum vnus eum deposuit, excommunicauit, & anathematizauit: alter verò sacerdotalibus exspolians vestimentis, inter laicos in communione recepit. Decessor itaque noster sanctissimus Papa Nicolaus eum postea, si fideliter erga sanctam Romanam Ecclesiam incederet, in gremio pari modo recepisset Ecclesiæ. Sed infidelitas eius nunc intantùm apparuit, vt post deprædationem Patriarchij nostri, ablationémque Synodalium Scripturarum, quas tam super se, quàm super huiusmodi, à sanctissimis Præsulibus diuersis temporibus decretas repperrerat, institutionem quoque venerandæ Synodi ab ipsis sanctis Pontificibus factam, atque sub interpositione anathematis retactam, violari nobis subripiendo fecerit, & homines ad seminandum inter piissimos Principes & Ecclesiam Dei discordias, per muros huius ciuitatis more furis exire coëgerit, quendámque Adalgrimum ad Ecclesiam confugium facientem, oculis & linguâ priuari suggesserit. Modò verò, sicut multi vestrûm mecum à quodam Presbytero consanguineo eius nomine Adone audistis, & aliis modis nobis reuelatum est: beneficiorum quoque nostrorum immemor, hominem ad Eleutherium misit, exhortans homicidia perpetrari, quæ, sicut scitis, proh dolor! facta sunt. Et ideò pro his omnibus, & pro aliis multis, quibus Ecclesiam Domini perculit, atque læsit, quam etiam subdolis machinationibus hactenus tundere non desistit, auctoritate Dei omnipotentis, omniúmque sanctorum Patrum, ac venerandorum Conciliorum, prædictorúmque Pontificum, simul & Iudicij nostri sententiâ sancimus, illum eundem Anastasium esse tenendum, quemadmodum de eo iidem domni Pontifices Leo & Benedictus solemniter & Synodicè statuerunt, nihil in eius anathemate vel causâ penitus adiungentes, vel minuentes, nisi vt omni communione Ecclesiastica priuatus existat, donec de omnibus, quibus impetitur, nobis coram Synodo rationem ponat, & qui cum eo in locutione, cibo vel potu communicauerit, pari excommunicatione cum eo teneatur annexus: quia pro eo quòd altiora se petens, quod sibi totiens interdictum fuerat temerè vsurpauit, ac vetitum locum conscendit, satis nostra Ecclesia murmurauit & murmurat. Sanè si vel ab vrbe Roma quantisper discesserit, vel Sacerdotium, vel Clericalem aliquem Ordinem, siue ministerium quodlibet repetere aut recipere præsumpserit, qua contra statuta præfatorum Præsulum, contráque iusiurandum, quod pollicitus est, numquam se ab vrbe plus XL. millibus abscessurum, Sacerdotium vel gradum Clericalis esse ministerij petiturum, facere videbitur, cum omnibus factoribus, consentaneis, & sequacibus suis, anathemate perhenni subiaceat. Prolata in conspectu totius sanctæ Romanæ Ecclesiæ ante hunc eundem Anastasium B C

A apud sanctam Praxedem positum, anno Pontificatus domni Adriani summi Pontificis & vniuersalis Papæ I. per IV. Idus Octobris Indictione II.

LOTHARIVS suspectum habens Carolum, ad Ludoicum se iterum contulit, & obtinuit vt sacramentum illi fieri ex sua parte faceret, quatenus in nullo nocumento illi foret, si in coniugem Vualdradam acciperet. Sicque ad Palatium Attiniacum ad conloquium Caroli venit, ibique placitum accepit, vt post futuras Kalendas Octobris simul iterum loquerentur. Carolus autem per Curtes regias in pago Laudunensi consistentes pergens, Hincmarum Laudunensem Episcopum, nullo Episcopo suæ prouinciæ conscio, iussit vt ad causas suas, id est ad seculare iudicium, Aduocatum suum daret, pro eo quòd beneficia quibusdam suis hominibus abstulit. Isdem autem Episcopus se reclamans, quòd relicto Ecclesiastico iudicio non auderet seculare adire iudicium, sicut ei iussum fuerat, ad locum nominatum secularis iudicij non venit, sed causas suæ impossibilitatis Regi mandauit. Rex autem Carolus iubens indè quasdam iudicare etiam infames personas, quia personam præfatus Episcopus non misit, qui iuraret quòd illuc venire non posset, & quoniam Aduocatum suum de se in iudicio seculari non dedit, prædictarum personarum iudicio quidquid isdem Episcopus de rebus & facultatibus Ecclesiasticis in vsibus Episcopij specialiter habebat, proscriptum est. Sicque idem Rex ad Pistas medio mense Augusto veniens, annua dona sua ibidem accepit: & castellum mensurans, pedituras singulis ex suo Regno dedit.

B HINCMARVS autem Remorum Archiepiscopus Hincmarum Episcopum Laudunensem secum ducens, apud Pistas cum aliis Episcopis scriptis & verbis Regem adiit, ostendens quantum præiudicium & Episcopalis auctoritas, & vniuersalis Ecclesia in tali facto patiebatur. Et obtinuit, vt reuestito Episcopo quibus fuerat spoliatus, sicut sacræ leges præcipiunt in Prouincia, vbi hæc causa iudicanda erat, electorum Iudicum iudicio, & si necesse foret post hoc Synodali terminaretur examine. Sed & eodem Placito Rex Markiones, Bernardum scilicet Tholosæ, & iterum Bernardum Gothiæ, itémque Bernardum alium suscepit. Missum etiam Salomonis Britonum Ducis ibi obuiam habuit, per quem Salomon illi mandauit, vt haut ipse pergeret ad expugnandos Nortmannos qui residebant in Ligeri, quia isdem Salomon cum valida manu Brittonum paratus erat illos aggredi, tantùm vt adiutorium ex parte Caroli haberet. Ad quem idem Rex præmittens ENGELRAMNVM Camerarium & Hostiariorum Magistrum, atque à secretis Consiliarium suum, cum corona auro & gemmis ornata, sed & cum omni paramento Regio cultu exculto, CAROLOMANNVM filium suum Diaconum & Abbatem cum scara euestigio, sicut Salomon ei mandauerat, misit. & indè Audriacam villam gratiâ venandi perrexit. Scara, quæ cum Carolomanno à Carolo Rege trans Sequanam missa, terram quidem vastauit, sed nullius vtilitatis effectum ex Nortmannis, ad quos resistendum missa fuerat, faciens,

C iubente Rege Carolo rediit. & sic vnusquisque ad sua perrexit. Pictauenses autem vota facientes Deo & S. Hilario, tertiò eosdem Nortmannos fuêre aggressi, quorum plures occiderunt, ceteros verò in fugam miserunt: & de omni præda, excepta voluntaria oblatione, decimam sancto Hilario contulerunt. Carolus Rex Kalendas Decembris Carisiacum veniens, quosdam Primores tam ex Episcopis, quàm ex aliis Regni sui, obuiam sibi accersiuit: & commotus contra Hincmarum Laudunensem Episcopum, quia Romam sine illius conscientia miserat, & Epistolas, pro quibus non conuenerat, obtinuerat. Eidem verò Episcopo contumaciter sibi resistenti valdè infensus erat. Vnde isdem Episcopus sine illius licentiâ, cùm sæpè ab eo euocatus fuerat, & ad illum venire distulisset, ad Sedem suam perrexit, & ampliùs quàm Episcopalis grauitas postulat, eundem Regem cõtra se excitauit. Carolus autem Compendium veniens, ibidem Natiuitatem Domini celebrauit.

DCCCLXIX.

ET quoniam isdem Episcopus etiam per alios Episcopos euocatus, vt ad illum veniret, iussionem illius implere detrectauit, scaram ex quamplurimis Comitibus Regni sui cõfectam Laudunum misit, vt ipsum Episcopum ad eum violenter perducerent. Isdem autem Episcopus cum Clericis suis iuxta altare resedit, & quibusdam Episcopis satagentibus, actum est vt ipsi, qui missi fuerant, de Ecclesia eum non extraherent. sed sine illo ad Carolum redierunt, omnésque homines ipsius 869.

CAROLVS CALVVS.

Episcopij liberos sibi sacramenta fieri fecit. Carolus autem valde commotus, Synodum omnium Episcoporum Regni sui VIII. Kalend. Maij secundæ Indictionis apud Vermeriam condixit, quò eundem Hincmarum Episcopum vocari præcepit. Ipse autem ad Conadam vicum nimis incongruenter & pro qualitate temporis, & pro nimietate famis, perrexit: vbi quosdam Aquitanos obuios habuit. Sed Markiones tres, videlicet Bernardos, quos sibi occurrere putauit, non habens obuios, non sine sollicitudine, & sine vtilitatis effectu, ad Siluanectum rediit. Indéque quarta feriâ ante initium Quadragesimæ ad Monasterium S. Dionysij perrexit, ibíque sanctum Quadragesimæ Ieiunium exegit, & Pascha Domini celebrauit. & castellum in gyro ipsius Monasterij ex ligno & lapide conficere cœpit. Et antequam ad Conadam pergeret, per omne Regnum suum Litteras misit, vt Episcopi, Abbates, & Abbatissæ, breues de honoribus suis, quanta mansa quisque haberet, futuras Kalendas Maij deferre curarent. Vassalli autem Dominici Comitum beneficia, & Comites vassallorum beneficia inbreuiarent, & prædicto Placito ædium breues indè deferrent: & de centum mansis vnum haistaldum, & de mille mansis vnum carrum cum duobus bobus, cum aliis exeniis, quæ Regnum illius admodum grauant, ad Pistas mitti præcepit: quatenus ipsi haistaldi castellum, quod ibidem ex ligno & lapide fieri præcepit, excolerent & custodirent. Lotharius mittens ad eum, sed & ad Ludoicum, petiit vt in suo Regno nullum impedimentum ei facerent, donec ipse Româ rediret. A Carolo autem nullam firmitatem accepit. Sed à Ludoico, sicut dicitur, firmitatem indè suscipiens, Romam perrexit, locuturus priùs cum Ludoico fratre suo Imperatore: vt tunc, si posset, per eum apud Adrianum Papam obtineret, quatenus Theutbergam reiceret, & Vualdradam resumeret. Ipsámque Theutbergam post se Romam ire præcepit. Sed, vt dicebatur, Ludoicus Imperator ab obsessione Sarracenorum pro fratris sui petitione non debuisset discedere, cui ampliùs quàm ducentas naues Rex Græcorum in auxilium contra eosdem Sarracenos festinatò mittebat. Lotharius iter, quod tempore inconuenienti, scilicet mense Iunio, causâ vxorum suarum in parte Romæ cœperat, contendens perficere, vsque Rauennam venit, vbi Missos fratris sui obuios habuit, per quos ei contradixit, vt nec inantea procederet, nec diutiùs in eodem Regno immoraretur, sed ad suum Regnum rediret, & tempore commodo & opportuno loco simul conuenirent, & de quibus vellet cum eo satageret. Lotharius autem Romam rediens à latere ad suum fratrem in Beneuentum vsque peruenit, & apud eum per Engelbergam multis petitionibus & muneribus, atque inconuenientiis * obtinuit, vt ipsa Engelberga cum eo vsque ad Monasterium S. Benedicti, quod in Monte Cassino situm est, rediret. Quò etiam Adrianum Papam eidem Engelbergæ & sibi ex iussione Imperatoris venire fecit, & apud eum, datis illi multis muneribus, per ipsam Engelbergam obtinuit, vt idem Papa illi Missam cantauerit, & sacram communionem hac conuenientiâ ei donauerit. Si, postquam Nicolaus Papa Vualdradam excommunicauit, nullum cum ea contubernium, vel carnalis copulæ mercimonium, quin nec conloquium quoddam habuerit. Ipse autem infelix more Iudæ simulata bona conscientiâ, & impudenti fronte, eandem sacram communionem sub hac conuentione accipere non pertimuit, nec recusauit. Sed & sui fautores cum eo ab ipso Papa percepêre communionem. Inter quos & Gunthàrius, auctor & incentor huius publici adulterij, communionem inter laicos ab eodem Adriano Papa accepit, data illi priùs coram omnibus professione, quæ ita habetur.

» PROFITEOR ego Guntharius coram Deo & Sanctis eius vobis domino meo Adriano summo Pontifici & vniuersali Papæ, ac venerandis tibi subditis Episcopis, reliquóque Conuentu, quoniam iudicium depositionis in me à domno Nicolao canonicè datum non reprehendo, sed humiliter porto. Vndè nec vlteriùs sacrum ministerium contingere præsumo, nisi per misericordiam mihi subuenire volueritis. Nec aliquando contra sanctam Romanam Ecclesiam, aut eius Pontificem, aliquod scandalum, vel quidquam aduersi mouere volo: sed deuotum me eidem sanctæ matri Ecclesiæ eiúsque Præsuli exhibere, atque obedientem permanere protestor. Ego Guntharius huic professioni à me factæ manu propria subscripsi. Data Kalendas Iulij, Indictione II. in Ecclesia sancti Saluatoris, quæ est in Monasterio S. Benedicti in Cassino.

A ACCIPIENS autem isdem Papa à Gunthario consistente inter laicos hanc professionem, relectam inter laicos ab ipso publicè coram omnibus, dixit illi: Et ego tibi concedo laicam communionem, ea conditione vt ita quamdiu vixeris obserues, sicut modo professus fuisti. «

ENGELBERGA denique redeunte ad suum Imperatorem, Adrianus Papa Romam reuersus est. Quem euestigio Lotharius est prosecutus. Et Adriano Papa Romam ingrediēte, Lotharius ad Ecclesiam beati Petri venit, vbi nullum Clericum obuium habuit: sed tantùm ipse vsque ad sepulcrum S. Petri cum suis peruenit. indéque solarium secus Ecclesiam beati Petri mansionem habiturus intrauit, quem nec etiam scopâ mundatum inuenit. Putauitque in crastina, subsequente videlicet Dominica, (nam Sabbato ad Basilicam S. Petri peruenit) sibi cantari debere Missam. Sed à præfato Pontifice hoc obtinere non potuit. Inde secunda feriâ Romam ingrediens, in Palatio Lateranensi cum ipso Apostolico prandidit, & datis ei muneribus in vasis aureis & argenteis, obtinuit vt ei ipse Pontifex leenam, & palmam ac ferulam daret, sicut & fecit. Quæ munera ita ipse & sui interpretati sunt, videlicet vt per leenam de Vualdrada reuestiretur, per palmam victorem se in his quæ cœperat demonstraret, per ferulam Episcopos suæ voluntati resistentes obsistendo distringeret. Sed aliter ab eodem Papa & Romanis fuêre disposita. Nam idem Pontifex Formosum Episcopum, & alium etiam cum eo Episcopum, in has Galliarum partes mittendos disposuit: vt cum pluralitate Episcoporum de his,

B quæ Lotharius petebat tractarent, & illi Kalend. Martij quæ inuenta forent in Synodo renunciarent, quam Romæ in ipsis Kalendis Martij denunciauit. Quò etiam quatuor Episcopos ex Regno Ludoici Regis Germaniæ, cum ipsius Legatis; & quosdam Episcopos ex Regno Lotharij, cum Epistolis suis hac conditione venire præcepit, vt quæ in Synodo vel examinanda, vel gerenda forent, in personis aliorũ confirmarent, tam ex Occidentalibus partibus, quàm ex Orientalibus. Vnde Missos suos, quos nuper Constantinopolim pro contentione, quam Orientales cum Nicolao Papa habebant, miserat, tunc venturos sperabat.

LOTHARIVS verò Româ lætus promouens, vsque Lucam ciuitatem venit, vbi febre corripitur: & grassante clade in suos, quos in oculos suos coaceruatim mori conspiciebat, sed iudicium Dei intelligere nolens, vsque Placentiam VIII. Idus Augusti peruenit. Ibique Dominica die superdiurnans, circa horam nonam inopinatè exanimis penè effectus est, & obmutuit, atque in crastina hora diei secunda moritur: & à paucis suorum, qui à clade remanserant, in quodam Monasteriolo secus ipsam ciuitatem terræ mandatur. Quod Carolus apud Siluanectis ciuitatem degens, (vbi tam ipse quàm & vxor sua thesauros, quos in quibuscumque rebus habuerant, per loca sancta in suam eleemosynam dispensantes, à Pistis reuersi, Domino, de cuius manu illos acceperant, reddiderunt) non incerto comperiens nuncio, ab ipsa ciuitate mouens, Attiniacum venit. Vbi à quibusdam Epi-

Sequentia extant apud Aimoini Continuat. Lib. 5. cap. 21. & deinceps vsque ad caput 41. paucis tantũ exceptis. Et hinc ab ipso Continuatore desumpta sunt.

C scopis, sed & ab aliquibus Primoribus Regni quondam Lotharij Missos directos suscepit, vt ibi resideret, & in Regnum quod Lotharij fuerat non intraret, donec frater suus Ludoicus Rex Germaniæ ab expeditione hostili de Vuinedis, cum quibus præsenti & præterito anno sæpè cominus sui congredientes, aut nihil aut parũ vtilitatis egerunt, sed damnum maximum retulerunt, reuerteretur. Petierunt ergo vt in Palatio Ingiliheim residens ad eum Missos suos dirigeret, & ei mandaret vbi & quando simul conuenirent, & de Regni ipsius diuisione tractarent. Plures autem saniori consilio illi mãdauerunt, vt quantociùs commodè posset vsque Mettis properare satageret, & ipsi tam in itinere quàm ad ipsam ciuitatem ei occurrere maturarent. Quorum consilium Carolus acceptabilius & salubrius esse intelligens, iuxta eorum suggestionem agere festinauit. Veniens ergo vsque Viridunum, plurimos de eodem Regno, sed & Hatonem ipsius ciuitatis Episcopum, & Arnulphum Tullensis vrbis Episcopum sibi se commendantes suscepit. Indéque Mettis Nonas Septembris veniens, Aduentium ipsius ciuitatis Præsulem, & Franconem Tungrensem Episcopum, cum multis aliis, in sua commendatione suscepit. Sicque V. Idus ipsius mensis ab Episcopis qui adfuerunt, coeuntibus omnibus, in Basilica beati Stephani hæc quæ sequuntur denunciata & gesta fuêre hoc modo.

ANNO Incarnationis Dominicæ DCCCLXIX. Indictione secunda, V. Idus Septembris, Mettis ciuitate in Ecclesia Sancti Stephani Martyris hæc quæ se- 869. «

CAROLVS CALVVS.

quuntur Capitula Aduentius Episcopus ipsius ciuitatis coram Rege & Episcopis qui adfuerunt publicè populo scripto & verbis denuntiauit. A

» Vos scitis, & multis in plurimis Regnis est cognitum, quantos & quales euentus tempore Senioris nostri, quem hactenus habuimus, pro causis notissimis communiter sustinuimus: & quanto dolore, quantáque angustia de illius infausta morte nuper cordibus perculsi sumus. Vnde vnicum refugium, & singulare ac salubre consilium, Rege & Principe nostro destituti, ac desolati, nobis omnibus esse considerauimus, vt ieiuniis & orationibus ad eum nos conuerteremus, qui est adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, & cuius est consilium, cuiúsq; est Regnum, & vt scriptum est, *cui voluerit dabit illud*: & in cuius manu sunt corda Regum, & facit vnanimes habitare in domo, soluens medium parietem, & faciens vtraque vnum. Deprecantes ipsius misericordiam, vt daret nobis Regem ac Principem secundum cor suum, qui in iudicio & iustitia nos in omni ordine & protectione regeret, saluaret, atque defenderet iuxta voluntatem eius, & corda omnium nostrûm vnanimiter ad eum declinaret atque vniret. Quem ipse ad salutem & profectum nostrum præscitum & electum atque prædestinatum habebat secundum misericordiam suam.

» Qvia denique voluntatem Dei, qui voluntatem timentium se facit, & deprecationes eorum exaudit, in concordi vnanimitate nostra videmus, hunc Regni huius hæredem esse legitimum, cui nos sponte commisimus, Dominum videlicet & præsentem Regem, ac Principem nostrum Carolvm, vt nobis præsit & prosit: videtur nobis, si placet vobis, vt sicut post illius verba vobis manifestabimus, signo certissimo demonstremus, quia illum à Deo electum & nobis datum Principem credimus, & vt eidem largitori Deo ex suis beneficiis non simus ingrati, sed gratiarum actiones illi referentes oremus, quatenus & eum nobis ad salutem & defensionem sanctæ suæ Ecclesiæ, & ad auxilium atque profectum omnium nostrûm, cum salute & pace, atque tranquilitate, nobis conseruet diutiùs, & nos fideli deuotione illi obsequentes, atque optata saluatione fruentes sub illius administratione in suo gubernet seruitio. B

» Et si illi placet, dignum ipsi & necessarium nobis esse videtur, vt ex eius ore audiamus quod à Christianissimo Rege fideli & vnanimi in seruitio illius populo vnicuique in ordine suo conuenit audire, ad deuota mente suscipere.

Post hæc Carolvs Rex hæc quæ sequuntur per se in eadem Ecclesia cunctis qui adfuerunt denunciauit, dicens: Quia sicut isti venerabiles Episcopi vnius ex ipsis voce dixerunt, & certis indiciis ex vestra vnanimitate monstrauerunt, & vos acclamastis, me Dei electione ad vestram saluationem & protectionem, ac regimen atque gubernationem huc aduenisse: sciatis me honorem & cultum Dei, atque sanctarum Ecclesiarum Domino adiuuante conseruare, & vnumquemque vestrum secundum sui ordinis dignitatem & personam, iuxta meum scire & posse honorare & saluare, & honoratum & saluatum tenere velle: & vnicuique in suo ordine secundum sibi competentes leges tam Ecclesiasticas quàm mundanas, legem & iustitiam conseruare, in hoc vt honor regius & potestas, ac debita obedientia atque adiutorium ad Regnum mihi à Deo dátum continendum & defensandum, ab vno quoque vestrum secundum suum ordinem, & dignitatem atque possibilitatem, mihi exhibeatur, sicut vestri antecessores fideliter, iustè, & rationabiliter meis antecessoribus exhibuerunt. Et post hæc Hincmarus Remorum Episcopus hæc quæ sequentur Capitula, iubente ac postulante Aduentio ipsius Episcopo ciuitatis, & ceteris Episcopis Treuerorum Prouinciæ, Hattone scilicet Ecclesiæ Viridunensis Episcopo, & Arnulfo Tullensis ciuitatis Episcopo, cohærentibus Prouinciæ Remorum Episcopis, coram reliquis Episcopis & Rege, cunctisque qui adfuerunt in eadem Ecclesia, publicè denuntiauit. C

» Ne alicui fortè videatur incongruè ac præsumptuosè me, ac Prouinciæ nostræ venerabiles Episcopos facere, quoniam de altera Prouincia ordinationi & causis huius Prouinciæ nos immiscemus, sciat nos contra Canones sacros non agere: quoniam Remensis & Treuerensis Ecclesiæ in hac regione Belgica, cum sibi commissis Ecclesiis, sorores & comprouinciales habentur, sicut auctoritas Ecclesiastica, & antiquissima demonstrat consuetudo. Ac per hoc vnanimi consensu & Synodalia iudicia exercere, & quæ à sanctis Patribus constituta sunt debent

A concorditer custodire: hac priuilegij conditione seruata, vt qui prior de Remensi & Treuerensi Episcopo fuerit ordinatus prior etiam habeatur. Et lex diuinitus inspirata præcipit, dicens: *Si transieris per messem amici tui, colligens spicas, manu confricabis ad manducandum. Falcem autem non mittas, vel falce non metas.* Messis est populus, vt Dominus demonstrat in Euangelio, dicens: *Messis quidem multa est, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* Quia vos pro vestris Episcopis debetis orare, vobis digna possimus loqui. Messis autem amici est populus in Prouincia alteri Metropolitano commissa. Vnde vos hortando, quasi manum operis confricando, ad Dei voluntatem & vestram in corpus vnitatis Ecclesiæ valemus & debemus traiicere. In parrochianos autem Prouinciarum aliis Metropolitanis commissarum falcem iudicij non mittimus, quia nec est vnde nec nostrum esse consideremus. Est & alia causa, quia isti venerabiles domni & fratres nostri Prouinciæ istius Episcopi non habentes Metropolitanum Episcopum, exiguitatem nostram sic in suis, sicut & in specialibus nostris causis, nos fraterna caritate iubent & commonent agere. Est ita domni fratres? Et responderunt ipsi Episcopi: Ita est. — CAROLVS CALVVS.

PRÆTER ea, quæ domnus Episcopus & frater noster Aduentius vobis ex sua & ceterorum suorum ac nostrorum fratrum & venerabilium Episcoporum voce dixit, in hoc etiam animaduertere potestis, voluntatem Dei esse, vt præsens domnus & Rex noster, qui in parte quam hactenus tenet & tenuit, & nobis Ecclesiisque nostris, & populo sibi commisso, vtiliter præest ac præfuit, & salubriter prodest & profuit, indè ad hunc locum Domino ducente peruenerit, quòd etiam vos eius inspiratione confluxistis, & ipsi vos sponte commendastis, cuius instructione animata omnia in arca Noë significantia Ecclesiæ vnitatem, nullo cogente conuenerunt. Quia sanctæ memoriæ pater suus domnus LVDOICVS pius Imperator Augustus, ex progenie LVDOICI Regis Francorum inclyti per beati Remigij Apostolicam & Catholicam prædicationem cum integra Gente conuersi, & cum tribus Francorum millibus, exceptis paruulis & mulieribus, vigiliâ sancti Paschæ in Remensi Metropoli baptizati, & cœlitus sumpto chrismate, vnde adhuc habemus, perun&cti & in Regem sacrati, exortus per beatum ARNVLPHVM, è cuius carne idem Ludouicus pius Augustus originem duxit carnis, & à Stephano Papa Romano ante sanctæ Dei genitricis & semper Virginis Mariæ altare Remi in Imperatorem est coronatus, & demum factione quorumdam terreno Imperio destitutus, in prædictam Regni partem vnanimitate Episcoporum & fidelis populi ante sepulchrum Sancti Dionysij eximij Martyris Ecclesiæ sanctæ est redditus, & in hac domo ante hoc altare prothomartyris Stephani, cuius nomen interpretatum resonat, *coronatus*, per Dei Sacerdotes acclamatione fidelis populi, sicut vidimus qui adfuimus, coronâ regni est Imperióque restitutus. Et quia, vt in Historiis sacris legimus, Reges, quando Regna obtinuerunt, singulorum Regnorum sibi diademata imposuerunt: non incongruum videtur venerabilibus Episcopis, si vestræ vnanimitati placet, vt in obtentum Regni vnde vos ad illum conuenistis, & vos ei commendastis, Sacerdotali ministerio ante hoc altare coronetur, & sacra vnctione Deo consecretur. Quod si vobis placet, propriis vocibus consonate. Et in hoc conclamantibus omnibus, dixit idem Episcopus: Agamus ergo vnanimiter Domino gratias, decantantes, *Te Deum laudamus.* Et post hæc ab Episcopis cum benedictione sacerdotali est idem Rex coronatus. Indéque Florinkengas veniens, quæ ordinanda sibi visa sunt ordinauit. Indéque in saltum Arduennæ autumnali venatione exercitandum se contulit. Ludoicus autem frater eius pacem sub quadam conditione apud Vuinidos obtinere procurauit. Ad quam confirmandam filios suos cum Marchionibus terræ ipsius direxerat, ipséque infirmus in Ragenisburg ciuitate remansit. Et mittens Missos suos ad Carolum, mandauit illi de firmitatibus quæ inter eos factæ fuerunt, sed & de portione Regni quondam Lotharij, vnde Carolus illi congruam responsionem mandauit.

B

C

INTEREA Basilius, quem Michael Græcorum Imperator sibi in sortem Imperij asciuerat, eundem Michaelem dolo interfecit, & Imperium sibi asciuit. Qui Patricium suum ad Bairam cum CCCC. nauibus miserat, vt & Ludoico contra Sarracenos ferret suffragium, & filiam ipsius Ludoici à se desponsatam de eodem — *Cap. XXII. in Aimoini supplemento.*

 Ludoico susciperet, & illi in coniugio sibi copulandam duceret. Sed quadam occasione interueniente displicuit Ludoico dare filiam suam Patricio. Vnde idem Patricius molestus Corinthum rediit, & reuertente Ludoico ab obsidione Sarracenorum de partibus Beneuentanis, iidem Sarraceni de Barra egredientes, & hostem Ludoici post tergum sequentes, plusquàm duo millia caballorum ipsius hostis prædati sunt, & cum eisdem caballis duos ex se ipsis ordinantes cuneos, ad Ecclesiam Sancti Michaelis in monte Gargano perrexerunt: & Clericos eiusdem Ecclesiæ, multósque alios, qui ad orationem illuc conuenerant, deprædantes, cum multa spolia ad sua redierunt. Quod factum valde Imperatorem atque Apostolicum, sed & Romanos turbauit. A

CAP. XXIII. LVDOVVICVS Ludovvici Regis Germaniæ filius cum Saxonibus contra Vuinidos, qui in regionibus Saxonum sunt, bellum committens, cum multa strage hominum ex vtraque parte quoquo modo victoriam est adeptus. Indéque reuersus, Rotlandus Arelatensis Archiepiscopus Abbatiam Sancti Cæsarij apud Ludouicum Imperatorem & Engelbergam non vacua manu adeptus, in insula Camaria nimis vndecumque ditissima, in qua res ipsius Abbatiæ plurimæ coniacent, & in qua portum Sarraceni habere solebant, castellum opere tumultuario de sola terra ædificans, audito Sarracenorum aduentu, in illud satis inconsultè intrauit, & appulentibus ad ipsum castellum Sarracenis, amplius quàm CCC. suorum interfectis, ab eisdem Sarracenis est captus, & in eorum naue deductus est ac religatus. Vnde CL. libris argenti, & CL. mantellis, & CL. spatis, & CL. mancipiis, præter illa quæ in placito data sunt, ad redemptionem eius concessa sunt. B

INTEREA idem Episcopus in nauibus moritur XIII. Kalend. Octobris. Sarraceni autem ingeniosè accelerantes, de redemptione illius quasi non possent ibi amplius immorari, si illum vellent recipere, redēptores illius redemptionem pro eo dare accelerarēt edicunt. Quod & factum est. Et Sarraceni suscepta omni redemptione, miserunt eundem Episcopum sedere in cathedra indutum vestimentis sacerdotalibus, cum quibus captus fuerat: & velut pro honore deportauerunt eum in terra à nauibus. Redemptores autem illius volentes cum eo colloqui, & congratulari ei, inuenerunt eum mortuum. Quem cum maximo luctu exportantes, sepelierunt eum X. Kalendas Octobris in sepulchro, quod sibi ipse parauerat.

SALOMON Dux Brittonum pacem cum Nortmannis in Ligeri residentibus fecit, & vinum partis suæ de Pago Andegauensi cum Brittonibus suis collegit. HVGO-Abba, & Gauzfridus cum trans-Sequanis confligentes cum Nortmannis in Ligeri residentibus, LX. circiter indè interfecerunt. Et capientes quemdam apostatam Monachum, qui relicta Christianitate se Nortmannis contulerat, & nimis Christianis infestus erat, decollari fecerunt. CAROLVS verò ciuitates trans-Sequanam ab incolis firmari rogauit, Cinomannis scilicet ac Turonis, vt præsidio contra Nortmannos populis esse possent. Nortmanni autem hoc audientes, multam summam argenti, frumenti quoque & vini, ac animalium, ab incolis terræ ipsius quæsierunt, vt cum eis pacem facerent. C

CAP. XXIV. CAROLVS in villa Duciaco VII. Idus Octobris certò comperiens obiisse HIRMENTRVDEM vxorem suam II. Non. Octobris in Monasterio sancti Dionysij, vbi & sepulta est, exequente BOSONE filio BVVINI quondam Comitis hoc missaticum apud matrem & materteram suam Theutbergam Lotharij Regis relictam, sororem ipsius Bosonis nomine RICHILDEM mox sibi adduci fecit, & in concubinam accepit. Qua de re eidem Bosoni Abbatiam sancti Mauritij cum aliis honoribus dedit: & ipse Aquis Palatium eandem concubinam secum ducens festinare accelerauit: quatenus ibi residuos illius partis homines, qui Lotharij fuerant, sicut ei mandauerant, in sua ditione susciperet. Denuntians se abinde Palatium, quod Gundulfi-villa dicitur, in Missa Sancti Martini venturum, vt de Prouincia, & de superioribus partibus Burgundiæ ad se venturos suscipiat. Veniens autem Aquis, nullum obtinuit quem antè non habuit, & indè vt denunciauerat ad Gundulfi-villam peruenit. Vbi Missos Adriani Papæ Paulum, & Leonem Episcopos suscepit, cum Epistolis missis sibi & Præsulibus ac Regni Primoribus in his Galliarum partium regionibus consistentibus. In quibus continebatur, vt Regnum quondam Regis Lotharij, quod Ludouico Imperatori spiritali filio eius hereditario iure debetur, & quod ad eum post mortem ipsius Lotharij rediit,

A vel homines in eo degentes, mortalium nullus inuaderet, nullus commoueret, nullus ad se conaretur inflectere. Quod si quis præsumeret, non solùm per suæ auctoritatis ministerium infirmaretur, verùm etiam vinculis anathematis obligatus, nomine Christianitatis priuatus cum diabolo locaretur. Et si quis de Episcopis tam nefariæ temeritatis auctorem vel tacendo fugeret, vel non resistendo consentiret, non iam Pastoris, sed mercenarij nomine se nosset fore censendum. Et quia iam non pertineret ad eum de ouibus, non pertineret consequenter de pastoralibus dignitatibus. Cum quibus Episcopis & Missus Ludouici Imperatoris venit nomine Boderadus, de his nihilominus satagens. CAROLVS autem absolutis Apostolici & Imperatoris Missis, deceptus vanis suasionibus falsorum Missorum, qui ei suggerebant quòd frater suus Ludouicus vicinus morti foret, iter in Elisiacas partes arripuit, vt HVGONEM Luitfridi filium, & BERNARDVM Bernardi filium obtineret, sicut & fecit. Indéque Aquis veniens, ibidem Natiuitatem Domini celebrauit. DCCCLXX.

INDE ad Rorici Nortmanni colloquium apud Nouiomagum Palatium perrexit, quem sibi fœdere copulauit. Et in die festiuitatis Septuagesimæ prædictam concubinam suam RICHILDEM desponsatam atque dotatam in coniugem sumpsit, & insperatè à fratre suo Ludouico Germaniæ Rege sibi nunciantes Missos accepit: vt si quantocius Aquis non egrederetur, & Regnum quondam Lotharij penitus non desereret, idémque Regnum, sicut Lotharij homines tempore obitus eius habebant, eis tenere pacificè non concederet, sine vlla retractatione illum bello appeteret. Vnde inter eos Missis discurrentibus, eò vsque causa perducta est, vt inter vtrumque huiusmodi sacramenta fierent. 870.

B

SIC promitto ex parte Senioris mei ill. quòd Senior meus ill. fratri suo ill. « Regi talem portionem de Regno Lotharij Regis consentit habere, qualem aut « ipsi iustiorem & æquiorem, aut communiter fideles eorum inter se inuenerint: « nec eum in ipsa portione, vel in Regno quod antea tenuit, per aliquam fraudem, « vel subreptionem decipiet, aut forsconciliabit: si frater suus ill. eandem firmitatem « & fidelitatem, quam ex parte Senioris mei ill. habeo promissam, frater suus ill. « Seniori meo ex sua parte quamdiu vixerit inuiolabiliter seruet. Et hac infirma fir- « mitate patrata, CAROLVS Aquis egrediens, vno itinere Compendium venit: « vbi & duodecim Missos fratris sui Ludovvici pro diuisione Regni accepit, qui superciliosè tam de sanitate corporis Ludovvici, quàm de prosperitate, (quia Restitium Vuinidum sibi diutino tempore infestissimum tam dolo quàm bello captum vicerat) elati, minus debito sacramenta inter eos facta duxere seruanda. Quæ diuisio multifariè multísque modis hinc & illinc agitata, & per diuersos Missos alterutrum directa, ad hunc finem ex Caroli mandato peruenit, vt in illud Regnum, quod inter eos secundum sacramenta præstita diuidendum erat, pacificè conuenirent: & sicut illi cum consensu & vnanimitate communium fidelium ipsorum

C inuenirent, secundum sacramenta inter eos præstita illud Regnum diuiderent. Interea postquam de multis causis impetitus, præcipuè autem de subiectione Regiæ potestatis, & inobedientia erga suum Archiepiscopum, Hincmarus Laudunensis Episcopus, vt se ab impetitis expediret, in Synodo Episcoporum x. Prouinciarum libellum propria manu subscriptum porrexit hæc continentem.

EGO Hincmarus Ecclesiæ Laudunensis Episcopus amodò & deinceps domno « Seniori meo CAROLO Regi fidelis & obediens ero secundum ministerium « meum, sicut homo suo Seniori, & Episcopus quilibet suo Regi esse debet: ac pri- « uilegio Hincmari Metropolitani Prouinciæ Remorum Ecclesiæ secundum sacros « Canones & decreta Sedis Apostolicæ promulgata pro scire & posse me obedire « velle profiteor. «

CAROLOMANNVS etiam Caroli Regis filius, & plurimorum Monasteriorum Pater reputatus, quoniam insidias infideliter erga patrem suum moliebatur, Abbatiis priuatus in Siluanectensi ciuitate est custodiæ mancipatus.

CAROLVS Missos suos, Odonem scilicet Belgiuagorum Episcopum, & Odonem atque Harduinum Comites, ad fratrem suum Ludoicum ad Franconofurt dirigens, petiit vt ad Regnum Lotharij diuidendum simul conuenirent. Ipséque Pontigonem petens, ibi Missos fratris sui accepit, nunciantes illi vt ad Heristallium pergeret, & frater suus Ludoicus ad Marsnam venturus foret: & in medi-

CAROLVS CALVVS. tullio eorumdem locorum Kalendas Augusti colloquerentur, & vnusquisque eorum quatuor Episcopos & decem Consiliarios, & inter ministeriales & vassallos xxx. tantummodò ad idem colloquium ducerent. Quò Ludouicus dum pergeret, ad *Flameresbem* in Pago Ribuario venit, & de quodam solario vetustate confecto sub lignis cecidit, & aliquantulum naufragatus in breui conualuit, indéque Aquisgrani peruenit. Et discurrentibus inter vtrosque fratres & Reges Missis, tandem v. Calendas Augusti ad locum colloquij conuenerunt, & hoc modo regnum Lotharij inter se diuiserunt. Et hæc est diuisio, quam sibi Ludoicus accepit. A

COLONIAM, Treuiris, Vttrecht, Stratburg, Basulam, Abbatiam Siuestre, Berch, Niu Monasterium, Castellum, Indam, Sancti Maximini, Ephterniacum, Horream, Sancti Gangulfi, Fauerniacum, Pollemniacum, Luxoium, Luteram, Balmam, Offonis-villam, Meieni Monasterium, Sancti Deodati, Bodonis-Monasterium, Stiuagium, Romerici-montem, Morbach, Sancti Gregorij, Mauri-Monasterium, Eboreshem, Homouua, Masonis Monasterium, Hombroch, Sancti Stapni, Stratburch, Erenstem, Sancti Vrsi in Salodoro, Grandiuallem, Altam-petram, Lustenam, Vallem-Clusæ, Castellum Carnones, Heribodesshem, Abbatiam de Aquis, Hoenchirche, Augstchirche, Commentestebant, Batua, Hattuarias, Masiau subterior de ista parte, item Masiau superior, quod de illa parte est, Liugas, quod de ista parte est, districtum Aquense, districtum Treċtis. In Ripuarias Comitatus V. Megenensium, Bedagouua, Nitachouua, Sarachouua subterior, Blesitchouua, Selme, Albethouua, Suentisium, Calmontis, Sarachouua superior, Odornense quod Bernardus habuit, Solocense, Basiniacum, Esischouue, Vuarasch, Scudingum, Emaus, Basalclouua. In Elisiatio Comitatus II. de Frisia duas partes, de Regno quod Lotharius habuit. Super istam diuisionem propter pacis & charitatis custodiam superaddimus istam adiectionem. Ciuitatem Mettis cum Abbatia Sancti Petri, & Sancti Martini, & Comitatu Moslensi, cum omnibus villis in eo consistentibus tam dominicatis quàm & Vassallorum. De Arduenna sicut flumen Vrta surgit inter Bislanc & Tumbas, ac decurrit in Mosam, & sicut recta via pergit in Bedensi, secundum quod communes nostri Missi rectiùs inuenerint. Excepto, quod de Condrusto est ad partem Orientis trans Vrtam, & Abbatias Prumiam & Stabolau, & omnibus villis dominicatis & Vassallorum. B

ET hæc est diuisio quam Carolus de eodem Regno sibi accepit. Lugdunum, Vesontium, Vienna, Tungris, Tullum, Viridunum, Cameracum, Viuarias, Veceriam, Montem-Falconis, Sancti Michaelis, Gillini Monasterium Sanctæ Mariæ in Bisantione, Sancti Martini in eodem loco, Sancti Augentij, Sancti Marcelli, Sancti Laurentij Leudensi, Sennonem, Abbatiam Niellam, Molburium, Laubias, Sancti Gaugerici, Sancti Saluij, Crispinno, Fossas, Marilias, Hunulfcurt, Sancti Seruatij, Maalinas, Ledi, Sunniacum, Antonium, Condatum, Mesrebecchi, Tidiuinni, Lutosa, Calmontis, Sanctæ Mariæ in Deomant, Echa, Andana, VVasloi, Altum-montem, Comitatus Texandrum. In Bracbanto Comitatus quatuor, Camatensem, Hainourn, Lomensem. In Hasbanio Comitatus quatuor, Masau superior de ista parte Mosæ, Masau subterior de illa parte, Liugas quod de ista parte est Mosæ, & pertinet ad Veosatum, Scarponinse, Viridunense, Dulmense, Arlon, VVaurense. Comitatus II. Mosminse, Castricium, Condrust, de Arduenna sicut flumen Vrta surgit inter Bislanc & Tumbas, ac decurrit ex hac parte in Mosam: & sicut recta via ex hac parte Occidentis pergit in Bedensi, secundum quod Missi nostri rectius inuenerint. Tullense, aliud Odornense quod Tetmarus habuit, Barrense, Portense, Salmoringum, Lugdunense, Viennense, Viuarias, Vcecricium. De Frisia tertiam partem. Et in crastina, scilicet IV. Idus eiusdem mensis, simul conuenerunt, & valefacientes se mutuo ab inuicem discesserunt, Ludovvicus videlicet Aquis rediens, & CAROLVS Liptinis vxorem suam obuiam sibi venire iubens, partem ipsius Regni quam accepit sicut placuit sibi diuisit. Indéque per Monasterium Sancti Quintini ad Siluacum, & indè per Carisiacum Compendium veniens, autumnalem venationem in Cotiæ saltu exercuit. C

CAP. XXVI. LVDOICVS læsionem contusionis, quam ex suprà dicto casu de solario perpessus fuerat, minus necessario curari à Medicis sustinens, computrescentem carnem

A carnem ab eisdem Medicis secari fecit. Vnde & longiori quàm sperauerat tempore in Aquis decubuit, vbi & penè desperatus vix mortem euasit. Ibique Apostolici Adriani Missos Ioannem & Petrum Cardinales Episcopos, itémque Ioannem Ecclesiæ Romanæ Presbyterum, sed & Missos Ludoici Imperatoris, VVibodum scilicet Episcopum, & Bernardum Comitem suscepit: sibi denunciantes vt de Regno Lotharij nepotis sui, quod fratri suo Ludouico Imperatori debebatur, non præsumeret. Et in breui absolutos ad fratrem suum CAROLVM eos direxit, & ipse mox vt aliquantulum conualuit, ad Reginisburg pergens, Restitium VVinidorum Regulum à CAROLOMANNO per dolum nepotis ipsius Restitij captum, & aliquandiu in custodia detentum, post iudicium mortis excæcari, & in Monasterium mitti præcepit, suosque filios HLVDOVVICVM & CAROLVM ad se venire præcepit. Qui sentientes satagente matre inclinatiorem esse voluntatem patris erga Carolomannum quàm erga se, ad illum venire detrectauerunt. Ludoicus ad Placitum suum, quod in Franconofurd condixerat, ante Quadragesimæ initium venit: & satagentibus Legatis inter eum & filios suos, vtrinque factæ sunt firmitates, vt vsque futurum Maium mensem & ipsi ex parte patris securi manere possent, & illi vastationem Regni quam incœperant dimitterent, & pacificè vsque ad idem Placitum degerent. Et hoc ita patrato negotio, Ludoicus ad Regínsburg rediit.

CAROLVS CALVVS.

B CAROLVS peracta autumnali venatione, ad Monasterium Sancti Dionysij, festiuitatem ipsius sancti celebraturus, perrexit. Vbi ipsa die inter Missarum solemnia præfatos Apostolici Missos cum Epistolis ad se & ad Episcopos Regni sui directos, terribiliter sibi Regnum quondam Lotharij, quod fratri suo Imperatori debebatur, interdicentibus, molestè suscepit. Et deprecantibus eisdem Missis cum aliquantis fidelibus suis, Carolomannum filium à custodia ex Siluanectis ciuitate absoluit, & secum manere præcepit. Ipsos autem Missos Domni Apostolici & Imperatoris vsque Remis deduci fecit. Et vndique plurimos fidelium suorum illic conuenire faciens, & per octo dies ibidem immorans, eosdem Missos absoluit. Postea Legatos suos, Ansegisilum videlicet Presbyterum, Monasterij sancti Michaelis Abbatem, & Lotharium laicum, cum Epistolis ad Domnum Apostolicum, sed & pannum ad altare sancti Petri de vestimentis suis aureis compositum, cum duabus coronis aureis & gemmis ornatis misit, & ipse vsque ad Lugdunum peruenit. Vnde Carolus noctu à patre aufugiens, in Belgicam prouinciam venit, & congregatis secum pluribus satellitibus, ac filiis Belial, tantam crudelitatem & deuastationem secundum operationem Sathanæ exercuit, vt credi non possit nisi ab ipsis, qui eandem depopulationem viderunt atque sustinuerunt. Quod Carolus nimiùm ægrè tulit. Non tamen iter suum deseruit, sed Viennam, in qua BERTA vxor GERARDI erat, obsessurus, quantociùs adiit. Nam Gerardus in altero morabatur castello. In qua obsidione circumiacentes regiones nimis fuêre vastatæ. Carolus autem ingeniosè cogitans, magnam partem eorum qui in Viennia erant sibi conciliauit. Quod C sentiens Berta, post Gerardum direxit. Qui veniens, Carolo ciuitatem dedit, in qua idem Rex vigiliâ Natiuitatis Domini intrans Natiuitatem Domini celebrauit. CAP. XXVII

DCCCLXXI.

CAROLVS Vienna in potestate sua suscepta, à Gerardo sibi obsides dari pro aliis castellis suis Missis tradendis coegit, & tribus nauibus Gerardo datis per Rhodanum cum sua vxore Berta & mobilibus suis à Vienna permisit abscedere, & ipsam Viennam BOSONI fratri vxori suæ commisit. Ipséque per Autissiodorum & Senones ad Monasterium Sancti Dionysij quantociùs proyt potuit venire maturauit. Quod audiens CAROLOMANNVS, cum suis complicibus ad Mosomum perexit, & ipsum castellum cum villis circumiacentibus deuastauit. Vnde quatuor Missos suos fictè ad patrem suum direxit, mandans quòd sine honoribus ad illum fidei suæ credens veniret, & Deo & illi de quibus commiserat satisfacere vellet. Tantum vt de his, qui cum eo erant, misericorditer tractaret, qualiter salui esse valerent. Non tamen à malè cœpto vel aliquantulum destitit. Carolus autem Rex ad eundem filium suum Carolomannum cum duobus illius Missis, (nam alios duos secum retinuit) Gauzlinum Abbatem, & Balduinum Comitem ipsius Carolomanni sororium misit: mandans illi conuenientiam, qua ad eum securè posset venire si vellet. Ipse autem Carolomannus dolo se simulans ad 871.

CAROLVS CALVVS. patrem suum venturum, alios Missos impossibilia quærentes ad eum direxit, & ipse in partes Tullenses perrexit. Carolus autem iudicium quærens de talibus, qui filium suum, scilicet Diaconum & Ecclesiæ sanctæ ministrum, à se Domino traditum furati fuerunt, & tanta ac talia flagitia atque facinora, & depopulationes in Regno suo fecerunt. Post iudicium verò mortis omnia quæ illorum erant infiscari præcepit, & ordinatis scaris quæ eundem Carolomannum cum suis complicibus de Regno propellerent, iudicium Episcopale de illis expetiit. Et quoniam Apostolus præcipit cum huiusmodi nec cibum sumere, eosdem Episcopi, in quorum parochiis tanta mala commiserant, secundum sacros Canones communione priuarunt, sicut in Epistolis continetur, quas indè iuxta sacras regulas ad alios Episcopos transmiserunt. De Carolomanno autem, quia diocesios Sennensis erat Diaconus, & post præstita per duas vices sacramenta, de quibus periurus erat, sicut pater eius publica denuntiatione omnibus qui adfuerant intimare curauit, & tantam rebellionem & infidelitatem contra illum, tantáque flagitia in Regno suo commiserat, iudicium Episcoporum ipsius Prouinciæ expetendum decreuit. Deinde Carolus ad Monasterium Sancti Dionysij imminente Quadragesimali tempore, vsque ad sanctum Pascha ibidem immoraturus, regreditur: vbi & Pascha Domini celebrauit. A

Quæ sequuntur in Supplemento Aimoini desunt.

KAROLOMANNVS insequente se à patre post eum scara directa, Iurum trãsiit, & sicut in Belgicis & Gallicis regionibus egerat, mala cœpta exequi non emisit. Hincmarus Laudunensis nomine tantùm Episcopus, homo insolentiæ singularis contra Euangelicam veritatem, & Apostolicam atque Ecclesiasticam auctoritatem, contra Regem rebellans, & in vicinos ac sibi commissos tam Clericos quàm laicos sine vlla reuerentia sæuiens, & Metropolitano suo se indè regulariter commonenti obedire contemnens, adeo & Regem suum, & Archiepiscopum suum, atque Episcopos totius Regni erga se commouit, vt Rex Synodum in mense Augusto apud Duciacum condiceret: quatenus de illius prauitatibus regulare ibi agitaretur iudicium. Ipse autem Rex Carolus petentibus nepotibus suis, Ludouici fratris sui filiis, Ludouico & Carolo, per Viridunum obuiam eis locuturus cum illis perrexit, & indè ad Synodum in Duciaco rediit. B

INTEREA HVGO Abba Monasterij Sancti Martini, & Gozfridus cum ceteris trans-Sequanis, incautè adeuntes insulam Ligeris, in qua Nortmanni firmitatem suam habebant, cum maximo damno & multorum occisione vix euaserunt. Hincmarus verò tandem cum multa superbia in Synodum venit, in qua à Rege Carolo secundum regulas Ecclesiasticas porrecta petitione de causis certissimis regulariter accusatus atque conuictus, depositionis iudicium regulare suscepit, sicut in gestis continetur ipsius Synodi: quas eadem Synodus per Actardum venerabilem Episcopum, qui eidem Synodo interfuit, ad Apostolicam Sedem direxit. Prædicti quoque nepotes Regis in Duciacum venerunt ad eum, petentes vt eos cum patre suo pacificaret. Sed & Missi Ludouici fratris sui ad eum venerunt, postulantes vt obuiam illi secus Treiectum municipium ad colloquium illius veniret, sicut & fecit: ducens secum Missos nepotum suorum, qui ea quæ petierunt apud patrem suum ex illorum voce narrarent. Vbi etiam Missos Carolomanni filij sui, interueniente LVDOVICO fratre suo, Carolus Rex audiuit, & sicut antea sub conditione suæ correctionis eum redire ad se inuitauit. quæ inuitatio nihil profecit. In quo aliquandiu colloquio Ludouicus & Carolus immorantes, aut parum aut nihil profecerunt. Sicque ab inuicem in capite mensis Septembris separati, quisque ad sua repedare curauit. Ludouicus scilicet ad Rainisburg perrexit, quia maximum damnum à nepote Resticij, qui Principatum VVinidorum post eum susceperat, habuit: in tantum vt Markiones cum plurima turba suorum perdiderit, & terram quam in præteritis annis obtinuerat perniciosè amiserit. Carolus autem per Liptinas versus Audriacam villam venandi gratiâ repedauit. In quo itinere Missos ab Italia plurimorum suscepit, qui eum inuitabant Italiam ire: quoniam nepos suus LVDOVICVS in Beneuento ciuitate cum vxore & filia à Beneuentanis occisus foret. Qui per Rhemum ciuitatem pergens, vsque Vesontionem vrbem peruenit. Karolomannus verò audiens patrem suum post se ire, suadentibus suis ad illum conficta humilitate peruenit. Quem pater quidem recepit, & secum manere præcepit vsque dum ad suos fideles in Belgicam veniret, C

A & eorum consilio inueniret qualiter eum honorare debuisset. Sed & Ludoicus Rex Germaniæ audiens præfatum nepotem suum Ludouicum Imperatorem mortuum, filium suum CAROLVM in terram, quam vltra Iurum habebat, direxit: vt quos posset sacramento ad eius fidelitatem constringeret, sicut & fecit. Dum autem Carolus in Vesontio moraretur, Missi sui, quos in Italiā præmiserat, nunciauerunt ei quòd ipse Imperator Ludouicus viueret, & sanus corpore esset. Nam Adalgisus cum aliis Beneuentanis aduersus ipsum Imperatorem conspirauit, quoniā idem Imperator factione vxoris suæ eum in perpetuum exilium deducere disponebat. Et cùm idem Adalgisus noctu super ipsum Imperatorem irruere disposuisset, isdem cum vxore sua, & cum eis quos secum habebat, quandam turrem valdè altam munitissimam ascendit, & ibi per tres dies cum suis se defendit. Tandem Episcopus ipsius ciuitatis obtinuit apud Beneuentanos, vt acceptis ab eodem Imperatore sacramentis, illum viuum & sanum abscedere permitterent. Iurauit autem ipse, & vxor eius, & filia eius, ac omnes sui, quos secum habebat, quia nunquam vel nusquam pro eadem causa vllam vindictam aut per se, aut per quemcumque, de ipsa causa erga se perpetratra requireret, & numquam cum hoste in Beneuentanam terram intraret. Sicque egressus per Spoletium versus Rauennam iter arripuit: mandans Apostolico ADRIANO, vt obuiam illi in transitu itineris sui veniret, quatenus de ipso sacramento illum & suos absol-

B ueret. Interea Landbertus cum alio Landberto sentientes sibi reputari ab Imperatore de his quæ in eum facta fuerant, ab eo discesserunt, & in partes Beneuenti, quia præfatus Adalgisus eis coniunctus erat, perrexerunt. Quos idem Imperator insequens, vxorem suam Rauennam, vbi Placitum suum tenere disposuerat, direxit, & Primores Regni Italici ad eam venire mandauit: vt de his quæ præceperat tractarent, donec ipse ab expeditione illa rediret. Sed quia Landbertos quos insecutus fuerat consequi non poterat, reuerti Imperator quò disposuerat studuit. Carolus autem audiens occasionem, qua putabatur Ludouicus Imperator occisus, & quia viuus erat, à Vesontio recto itinere per Pontigonem, & indè per Attiniacum vsque ad Siluacum venit: quo Placitum cum suis Consiliariis habuit, & eorum consilio CAROLOMANNVM iterum Siluanectis custodiæ mancipauit, & eius complices sacramento suæ fidelitatis per singulos Comitatus constringi præcepit. Sicque accipientibus senioratum quemcumque vellent de suis fidelibus, & in pace viuere volentibus, in Regno suo habitare permisit. Deinde à Siluaco Compendium venit, ibique Natiuitatem Domini celebrauit anno Domini DCCCLXXII.

CAROLVS CALVVS.

DCCCLXXII.

COMPENDIO denique mouens XIII. Kalendas Februarij iter arripuit ad Monasterium, locuturus cum Rorico & Rodulpho Nortmannis, rediturus in C initio Quadragesimæ iterum ad Compendium. Et Sabato ante Palmas ad Monasterium Sancti Dionysij veniens, ibi Pascha Domini celebrauit. 872.

POST Pascha obuiam INGELBERGÆ Imperatrici, sicut & per suos Missos mandauerat, ad Sanctum Mauritium perrexit. Sed incerto comperiens nuncio, eandem Ingelbergam apud Trientum cum Ludoico Rege Germaniæ in mense Maio locuturam, à condicto deflexit itinere, & ad Siluacum venit. Ibique Adalardus ex parte HLVDOVVICI fratris sui veniens, petiit vt cum eodem fratre suo Hludovvico locuturus secus Treiectum veniret, cùm idem Hludovvicus ad Renisburg post emissam hostem cum CAROLOMANNO filio suo aduersus VVinidos Aquis rediret. CAROLVS autem filio suo Hludovvico BOSONEM fratrem vxoris eius Camerarium & Hostiariorum Magistrum constituens, cui & honores Gerardi Comitis Bituricensis dedit, cum Bernardo, itémque cum alio Bernardo Markione in Aquitaniam misit, & dispositionem ipsius Regni ei commisit. Bernardo autem Tholosæ Comiti post præstita sacramenta Carcasonem & Rhedas concedens, ad Tholosam remisit.

Iterum sequentia hinc ab Aimoini Cōtinuatore desumpta sunt.

PRÆDICTVS autem Hludovvicus Rex Germaniæ filios suos Hludovvicum & Carolum ad se vocans, vt eos cum Carolomanno pacificaret, dolosè illis iurare fecit. Sed & iidem filij sui, & homines eorum, dolosè nihilominus Hludovvico sacramenta præbuerunt. Et volens idem Hludovvicus pater, vt ipsi filij sui cum fra- Ca. XXVIII.

CAROLVS CALVVS. tre illorum Carolomanno aduersus VVinidos pergerent, obtinere non potuit. Vnde hostem quàm magnum potuit cum Carolomanno direxit, & ipse vt prædictū est apud Trientum cum Ingelberga loquens, partem Regni Lotharij, quam contra Carolum accepit, neglectis sacramentis inter eos pactis, sine consensu ac conscientia hominum quondam Lotharij, qui se illi commendauerunt, clam reddidit. Vnde vtrimque sacramenta prioribus sacramentis, quæ cum fratre suo pepigerat, diuersa & aduersa inter eos sunt facta. Quibus patratis, Ingelberga Missum suum ad Carolum direxit, mandans illi sicut prius, vt ad Sanctum Mauricium illi occurreret. CAROLVS verò compertis his, quæ inter eum & fratrem suum acta fuerunt, noluit illuc ire: sed nuncios suos ad eam direxit, qui nihil certi ab ea ei renunciauerunt. A

ADRIANVS Papa secundùm quod Nicolaus decessor eius disposuerat, Missos suos, Donatum scilicet Ostiensem Episcopum, & Stephanum Nepesinum Episcopum, & Marinum Diaconum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad Basilium Imperatorem, & ad filios eius Constantinum & Leonem Augustos, Constantinopolim direxit. Cum quibus & Anastasius Bibliothecarius Romanæ Sedis, vtriusque linguæ Græcæ & Latinæ peritus, perrexit. Et Synodo congregata, quam octauam vniuersalem Synodum illuc conuenientes appellauerunt, exortum scisma de Ignatij depositione & Focij ordinatione sedauerunt: Focium anathematisantes, & Ignatium restituentes. In qua Synodo de imaginibus adorandis aliter quàm orthodoxi Doctores antea diffinierant, & pro fauore Romani Pontificis qui eorum votis de imaginibus adorandis annuit, & quædam contra antiquos Canones, sed & contra suam ipsam Synodum constituerunt, sicut qui eandem Synodū legerit patenter inueniet. B

HLVDOVVICVS autem Imperator vigiliâ Pentecosten Romam venit, & in crastinum coronatus ab Adriano Papa, post celebrata Missarum solemnia, vna cum eo ad Lateranense Palatium cum pompa equitando coronatus perrexit. Et hoste collectâ, Româ iterum in partes Beneuentanas perrexit. Et quia Primores Italiæ Ingelbergam propter suam insolentiam habentes exosam, in loco illius filiam VVuinigisi Imperatori substituentes, obtinuerunt apud eundem Imperatorem, vt Missum suum ad Ingelbergam mitteret: quatenus in Italiam degeret, & post illum non pergeret, sed eum in Italia reuersurum expectaret. Ipsa autem non obaudiens illud mandatum, post eum ire maturauit, & VVibodum Episcopum ad Carolum quasi amicitiæ gratiâ misit: putans nescire Carolum quæ inter illam & Hludovvicum Regem Germaniæ facta fuere. VVibodus autē ad pontem Liudi ad Carolum venit. Nam illuc pro quibusdam in Burgundia causis componēdis perrexerat. Vbi ei nuciatur ab hominibus Bernardi filij Bernardi, Bernardus qui Vitellus cognominabatur occisus: & eius honores prædicto Bernardo sunt dati. Carolus autem à Burgundia ad Gondulphi-villam, Placitum ibi antea condictum habiturus, Kalendas Septembris reuertitur. Vbi aliquantisper immoratus, & quæ sibi visa fuere dispositis, venandi gratiâ Arduennam petiit. Et Octobrio mense nauigio per Mosam vsque Treiectum veniens, cum Rorico & Rodulpho Nortmannis, qui obuiàm ei nauigio venerant, locutus, Roricum sibi fidelem benignè suscepit, & Rodulfum infidelia machinantem, & superflua expetentem, inanem remisit, & contra ipsius insidias fideles suos ad munitionem parauit. Indéque per Attiniacum itinere equestri reuertens, Natiuitatem Domini in Monasterio Sancti Medardi celebrauit. C

ADRIANVS Papa moritur, & Ioannes Archidiaconus Romanæ Ecclesiæ XIX. Kalendas Ianuarij in locum eius substituitur.

DCCCLXXIII.

873. CAP. XXIX. QVIA ergo multi erant in Regno Caroli, qui exspectabant vt per Carolomannum adhuc rediuiua mala agerentur in sancta Dei Ecclesia, & in aliis Regnis, de quibus regio ministerio cum consilio fidelium suorum, secundum morem prædecessorum ac progenitorum suorum, leges pacis Ecclesiæ & Regni soliditati congruas promulgauit, & ab omnibus obseruari decreuit. Iubet ergo conuocari Episcopos Regni sui apud Siluanectis ciuitatem, in qua idem Carolomannus morabatur: quatenus sacros Canones, à quibus nulla, vt Leo dicit, aut negligentia, aut præsumptione licet eis discedere, Episcopale ministerium de illo exequerentur. Sicuti & fecerunt, deponentes illum secundùm sacras regulas ab omni gradu Ecclesiastico, laicali sibi communione seruata. Quod cùm factum fuisset, antiquus & callidus aduersarius illum & suos complices ad argumentum aliud excitauit: vide-

A licet quia liberius ad nomen & potentiam regiam conscendere posset, & quia ordinem Ecclesiasticum non haberet, & quia Episcoporum iudicio Ecclesiasticum gradum amisit, etiam tonsuram Ecclesiasticam licentiùs amittere posset. Vnde post depositionem eius, complices illius ardentiùs cœperunt se ei iterum reconiungere, & alios quos volebant in societatem suam abducere: quatenus mox vt locum inuenire possent, illum à custodia in qua seruabatur educerent, & sibi Regem constituerent. Quapropter necesse fuit etiam illa, de quibus ab Episcopis iudicatus non fuerat, in medium reuocare, & secundum sacrarum legum decreta pro admissis suis iudicio mortis addictum, mitiori sententiâ, vt locum & spatium pœnitendi haberet, & grauiora admittendi facultatem sicut meditabatur non haberet, luminibus acclamatione cunctorum qui adfuerunt orbari: quatenus perniciosa spes pacem odientiũ de illo frustrata foret, & Ecclesia Dei ac Christianitas in Regno eius, cum infestatione paganorũ, seditione exitiabili perturbari non posset. CAROLVS CALVVS.

HLVDOVVICVS Germaniæ Rex ante Natiuitatem Domini ad Franconofurd Palatium venit, ibíque Natiuitatem Domini celebrauit, & Placitum suum ibidem circa Kalendas Februarij condixit. Quò filios suos Hludovvicum & Carolum cum aliis fidelibus, homines quoque qui de Regno quondam Lotharij illi se commendauerunt, conuenire præcepit. Et dum ibi degeret, venit ad Carolum filium eius diabolus, transfigurans se in Angelum lucis: & dixit illi, quòd pater eius, qui illum causa Carolomanni fratris sui perdere moliebatur, Deum offensum haberet, & Regnum in breui amitteret, & eidem Carolo Deus illud Regnum habendum dispositum haberet, & quòd illud in proximo obtineret. Ipse autem Carolus timore perterritus, quia domui in qua latebat adhærebat, Ecclesiam est ingressus. quò eum diabolus est insecutus. Cui iterum dixit, Cur times, & fugis? Nam nisi ex Deo venissem, tibi adnuntians quæ in proximo sunt futura, in hanc domum Domini te sequens non intrarem. His & aliis blanditiis ei persuasit, vt communionem à Deo sibi missam de manu illius acciperet, sicut & fecit. Et post buccellam ipse sathanas intrauit in eum. Veniens autem ad patrem suum, & residens in Consilio eius cum fratre & aliis fidelibus tam Episcopis quàm & laicis, subitò inuasus surrexit, & dixit quia seculum vellet dimittere, & quia vxorem suam carnali commercio non contingeret. Et discindens se spatâ, cadere in terram illam permisit. Et cùm se vellet baltheo discingere, & vestimento exuere, cœpit vexari. Comprehensus autem ab Episcopis & ab aliis viris, turbato patre & omnibus qui adfuerunt, vehementíque stupore perculsis, ductus est in Ecclesiam. Et Luitbertus Archiepiscopus induens se Sacerdotalibus vestibus, Missam cantare cœpit. Cúmque ventum fuisset ad locum Euangelij, cœpit magnis vocibus patria linguâ clamare. Et sic continuis vocibus væ illud clamauit, vsque dum Missa celebrata fuit. Quem pater eius Episcopis & aliis fidelibus committens, per sacra loca Sanctorum Martyrum deduci præcepit: quatenus illorum meritis & orationibus à dæmone liberatus, ad sanam mentem Domino miserante redire præualeret. Deinde disposuit illum Romam dirigere. Sed quibusdam interuenientibus causis, iter illud dimisit. CAP. XXX.

HLVDOVVICVS Imperator Italiæ in Capua residens, mortuo iam Landberto Caluo, & peruento Patricio Imperatoris Græcorum cum hoste in ciuitate, quæ Hidrontus dicitur, in auxilium Beneuantanorum, qui censum quod Imperatoribus Franciæ eatenus dabant illi persoluturos se promittebant: quoniam aliter Adalgisum obtinere non poterat, mandauit Apostolico Ioanni compatri Adalgisi, vt ad eum ad Campaniam veniret, & sibi Adalgisum reconciliaret. Volens ostentare, quòd quasi intercedente beati Petri Vicario, ipsum Adalgisum reciperet. De quo iurauerat, quòd nunquam de illis partibus rediturus esset, antequàm illum caperet, quem reuera virtute sua obtinere non posset.

CAROLVS hostem denuntiat versus Britanniam, vt Nortmanni, qui Andegauis ciuitatem occupauerant, non autumarent se aduersus eos illuc iturum: ne ad alia loca, in quibus ita constringi non possent, aufugerent. Dum autem illuc pergeret, in ipso itinere nunciatum est ei quòd factione fratris sui Hludovvici Germaniæ Regis CAROLOMANNVS cœcus per homines quondam suos, consentientibus duobus pseudo-monachis de Corbeio Monasterio, sublatus, & ad Hludovvicum fuerit, cohærente ac interueniente Adalardo, in suam contrarietatem perductus. Vnde non magnopere est Carolus cõturbatus. Sed iter cœptũ peragens, cum hoste CAP. XXXI.

CAROLVS CALVVS. collecta ciuitatem Andegauis, (in qua Nortmanni depopulatis quibusdam vrbibus, euersis castellis, Monasteriis, & Ecclesiis incensis, & agris in solitudinem redactis, iam diuturno tempore residebant) obsedit, & sepe fortissima circumdedit: Salomone Duce Brittonum vltra Meduanam fluuium cum hoste Brittonum in eius auxilio residente. Et dum Carolus Rex in hoc negotio occupatus esset, Salomon filium suum nomine VVigon ad eum cum Primoribus Brittonum misit. Qui filius eius se Carolo commendauit, & fidelitatem coram fidelibus suis illi iurauit. Interea Rodulfus Nortmannus, qui multa mala in Regno Caroli exercuerat, in Regno Hludovvici cum quingentis & eo amplius complicibus suis occisus est. Carolo verò residente secus Andegauis ciuitatẽ, non incerta relatione hoc nunciatur. Multitudo siquidem locustarum per Germaniam in Gallias, maximè autem in Hispaniam adeò se effundit, vt Ægyptiacæ plagæ potuerit comparari. Hludovvicus Rex Germaniæ apud Mettis ciuitatem Placitum suum tenere disponens, nuncium accepit quòd nisi citissimè filio suo Carolomanno in Monarchia contra VVinidos subueniret, illum vlteriùs non videret. Qui statim reuersus, Renisburch pergens, CAROLOMANNVM cæcum Liutberto Archiepiscopo pascendum in Monasterio Sancti Albani apud Moguntiam commendauit. Euidenti demonstrans indicio, qualiter illi displicuerint mala quæ isdem Carolomannus in sancta Dei Ecclesia, in populum Christianum, & contra patrem suum egit, quandocumque vel vbicumque præualuit. Ad Renisburg autem perueniens, per Missos suos VVinidos sub diuersis Principibus constitutos modo quo potuit sibi reconciliauit. Legatos autem ab illis qui Behin dicuntur cum dolo missos suscipiens, in carcerem misit. Carolus viriliter ac strenuè obsidionem Nortmannorum in gyro Andegauis ciuitatis exequens, adeò Nortmannos perdomuit, vt Primores eorum ad illum venerint, seseque illi commendauerint, & sacramenta qualia iussit egerint, & obsides quos & quantos quæsiuit illi dederint: vt de ciuitate Andegauis constituta die exirent, & in Regno suo quamdiu viuerent nec prædam facerent, nec fieri consentirent. Petierunt autem vt eis in quadam insula Ligeris fluuij vsque in mense Februario residere, & mercatum habere liceret. Atque in mense Februario, quicumque iam baptizati essent ex eis, & Christianitatem de cetero veraciter tenere vellent, ad eum venirent: & qui adhuc ex paganis Christiani fieri vellent, ipsius dispositione baptizarentur. Ceteri verò ab illius Regno discederent, vlteriùs sicut dictum est ad illud in malum non reuersuri.

POST hæc vna cum Episcopis & populo, cum maxima religionis deuotione corpora Sanctorum Albini & Licini, quæ effossa timore Nortmannorum de tumulis suis fuerant, suis in locis cum muneribus magnis restituit. Sicque eiectis ab Andegauis ciuitate Nortmannis, acceptisque obsidibus, Carolus mense Octobrio per Cinomannis ciuitatem & Ebrocense oppidũ, ac secus Castellum-nouum, apud Pistas Ambianis Kalendas Nouembris peruenit. Indéque apud Audriacam villam ac circumcirca venationem exercens, ad Monasterium Sancti Vedasti peruenit, ibique Natiuitatem Domini celebrauit anno Domini DCCCLXXIV.

DCCCLXXIV.

874. HIEMS prolixa & fortis, & nix tanta fuit nimietate perfusa, quantam nemo se vidisse meminerit.

CAROLVS in Purificatione Sanctæ Mariæ cum suis Consiliariis Placitum in Monasterio Sancti Dionysij peragens, ibidem Pascha Dominicum celebrauit.

GENERALE quoque Placitum Idus Iunij in villa Duciaco tenuit, vbi & annua dona sua accepit. Indéque per Attiniacum & consuetos mansaticos Compendium adiit. Æstas longa siccitatem fœni & messium inopiam reddidit.

SALOMON Dux Brittonum, qui nunciabatur interea dubiis nuntiis quandoquidem infirmus, quandoquidem mortuus, certa relatione Carolo apud Compendium nunciatus est hoc ordine mortuus. Videlicet insecutus à Primoribus Brittonum, Pascuitan, & Vurnahat, VVigon filio Riuilin, nec non & Francis hominibus quos valde afflixerat, & capto ac custodiæ mancipato filio eius VVigon, fugâ lapsus in Paucherum secessit, & quoddam Monasteriolum ingressus vt se liberare valeret, circumuentus à suis, quòd à nemine Brittonum quidquam mali sustinere deberet, traditus est Francis hominibus Fulcoaldo & aliis. Sicque ab eis excæcatus, in crastinum mortuus est repertus: dignam vicem recipiens, qui Seniorem

A suum Herispogium in Ecclesia eius persecutionem fugientem, & inuocantem Dominum, super altare occidit.

HLVDOVVICVS Rex Germaniæ ad fratrem suum KAROLVM filium suum Carolum cum aliis Missis suis direxit, petens vt simul loquerentur secus Mosellam. Ad quod Placitum cùm Carolus pergeret, ventris solutione detentus, ad illud Placitum sicut fuerat condictum peruenire non potuit. Vnde conlocutio eorum, Hludovvici scilicet & Caroli, secus Mosam apud Heristallium circa Kalendas Decembris fuit. De qua conlatione Carolus per Monasterium S. Quintini rediens, Natiuitatem Domini Compendij celebrauit. Et Hludovvicus eandem solemnitatem Aquis agens, indè ad Palatium Franconofurd vltra Rhenum rediit. CAP. XXXII

DCCCLXXV.

CAROLVS circa initium Quadragesimæ Monasterium sancti Dionysij adiit, vbi & Pascha Domini celebrauit: & RICHILDIS vxor eius noctu ante quartam feriam Paschæ aborsus filium peperit, qui baptisatus mox obiit. Illáque dies Purificationis post parturitionem in eodem Monasterio exspectante, Carolus ad Basiuum perrexit. Indéque ad Letanias celebrandas ante Ascensionem Domini ad Monasterium sancti Dionysij rediit, & vigiliâ Pentecostes ad Compendium venit. 875.

B HLVDOVVICVS Rex Germaniæ mense Maio in Triburas Placitum suum tenuit. Et quia ibi quæ meditatus fuerat perficere non potuit, iterum Placitum suum in mense Augusto ad eundem locum denunciauit.

CAROLVS mense Augusto ad Duciacum secus Arduennam peruenit, vbi certo nuntio Hludovvicum nepotem suum Italiæ Imperatorem obiisse comperit. Quapropter mox indè mouens, ad Pontigonem peruenit, & quoscumque potuit de vicinis Consiliariis obuiam sibi venire præcepit, & à quibuscumque valuit suppetias in itinere suo accepit. Et indè Lingonas peruenit, & eos quos secum in Italia ducere prædestinauit, operuit. Sicque Richildem vxorem suam per ciuitatem Remensem ad Siluacum remittens, & filium suum HLVDOVVICVM in partem Regni, quam post obitum Lotharij nepotis sui contra fratrem suum accepit, dirigens, Kalend. Septembribus iter suum incœpit, & per Sancti Mauritij Monasterium pergens, Montem Iouis transiit, & Italiam ingressus fuit.

HLVDOVVICVS Rex Germaniæ frater eius filium suum CAROLVM in Italiam, vt fratri suo aduersaretur, transmisit. Quem Carolus Rex fugam accipere, & inde abscedere coëgit. Hludovvicus autem Rex Germaniæ, alium filium suum CAROLOMANNVM cum quibus potuit in aduersitatem fratris sui, in Italiam direxit. Quod prænoscens Carolus Rex, obuiam ei cum validiori manu perrexit. Et quia Carolomannus prænouit se patruo suo non posse resistere, pacem petens cum eo locutus fuit, & sacramentis vtrimque confirmatis ad propria rediit.
C Hludovvicus verò persuadente Engelranno quondam Caroli Regis Camerario & domestico, suasione Richildis Reginæ ab honoribus deiecto, & à sua familiaritate abiecto, cum hoste & filio ac æquiuoco suo Hludovvico vsque ad Attiniacum venit. Ad quem obsistendum Primores Regni Caroli iubente Richilde Regina sacramento se confirmauerunt. Quod non attenderunt, sed ex sua parte Regnum Caroli pessundantes hostili more deuastauerunt. Similiter & Hludovvicus cum suo exercitu idem Regnum pessumdedit. Sicque Natiuitatem Domini in Attiniaco agens, per placitamenta Primorum Regni Caroli deprædatione facta, cum quibusdam Comitibus ex Caroli Regno, qui ad eum se contulerant, rediit: & per Treuerorum ciuitatem transiens ad Palatium vltra Rhenum Franconofurt peruenit. Ibique dies Quadragesimæ & Pascha Domini celebrauit. Vbi & certo nuncio EMMAM vxorem suam apud Reginisburg Palatium obiisse nuper post Natiuitatem Domini comperit. Carolus autem quibusdam de Primoribus ex Italia ad se non venientibus, pluribus autem receptis, Romam inuitante Papa IOANNE perrexit, & XVI. Kal. Ianuarij ab eo cum gloria magna in Ecclesia sancti Petri susceptus est.

DCCCLXXVI.

ANNO Domini DCCCLXXVI. in die Natiuitatis Domini, beato Petro multa & pretiosa munera offerens, in Imperatorem vnctus & coronatus, atque 876.

CAROLVS CALVVS. Romanorum Imperator appellatus est. Et Nonas Ianuarij Româ exiens, Papiam rediit: vbi & Placitum suum habuit, & Bosone vxoris suæ fratre Duce ipsius terræ constituto, & corona Ducali ornato, & Collegis eius, quos idem Dux expetiit, in eodem Regno relictis, per Montem Iouis, & per Monasterium sancti Mauricij, & per Vesontium, ac Lingonas, Catalaunis & Remis ciuitates, & per Compendium Palatium transiens, ad Monasterium sancti Dionysij peruenit, ibique Pascha Domini celebrauit. Quò accersiens Legatos Apostolici, Iohannem Tuscanensem, & Ioannem Aretinum, atque Ansigisum Senensem, Synodum auctoritate Apostolica, & illorum consilio, atque sanctione sua indixit medio futuro mense Iulio apud Pontigonem. Quò per Remis & Catalaunis ciuitates peruenit. A

BOSO, postquam Imperator ab Italia in Franciam rediit, Berengarij Euerardi filij factione filiam Hludovvici Imperatoris HIRMENGARDEM, quæ apud eum morabatur, iniquo conludio in matrimonium sumpsit.

CLXXXIII. VNDECIMO Kalendas Iulij, Indictione IX. Episcopis ceterisque Clericis vestibus Ecclesiasticis indutis, & domo ac sedilibus palliis protensis, atque in gremio Synodi, & prospectu Imperialis sedis, lectorio superpositis, venit domnus Imperator CAROLVS in vestitu deaurato, habitu Francico cum Legatis Apostolicæ Sedis in Synodum. Et Cantoribus Antiphonam, *Exaudi nos Domine*, cum Versibus & *Gloria* cantantibus, post *Kyrie eleyson*, & data oratione à Ioanne Tuscanense Episcopo, resedit domnus Imperator in Synodo. Et legit Ioannes Tuscanensis Episcopus Epistolas à domno Apostolico missas. Cum quibus & legit Epistolam de Primatu Ansegisi Episcopi Sennensis, vt quoties vtilitas Ecclesiastica dictauerit, siue in euocanda Synodo, siue in aliis negotiis exercendis, per Gallias & per Germanias Apostolica vice fruatur, & decreta Sedis Apostolicæ per ipsum Episcopis manifesta efficiantur: & rursus quæ gesta fuerint eius relatione, si necesse fuerit, Apostolicæ Sedi pandantur, & maiora negotia ac difficiliora quæque suggestione ipsius à Sede Apostolica disponenda & enucleanda quærantur. Petentibus autem Episcopis, vt eis permitteretur ipsa legi Epistola quibus erat directa, non acquieuit Imperator: sed responsum quæsiuit ab eis, quid de his iussis Apostolici responderent. Quorum responsio talis fuit, vt seruato singulis Metropolitanis iure priuilegij secundum sacros Canones, & iuxta decreta Sedis Romanæ Pontificum, ex eisdem sacris Canonibus promulgata, domni Iohannis Papæ Apostolici iussionibus obedirent. Et cùm Imperator & Legati Apostolici satis egerint, vt absolutè Archiepiscopi responderent se obedituros de Primatu Ansigisi, sicut Apostolicus scripsit, aliud nisi vt prædictum est responsum ab eis extorquere non potuit: excepto quòd Frotarius Burdegalensis Episcopus, quoniam à Burdegala ad Pictauis, indéque ad Bituricum fauore Principis contra regulas se contulit, per adolationem respondit, quòd Imperatori placere cognouit. Tunc motus Imperator dixit, quòd dominus Papa ei suas vices commisit in Synodo, & quod isdem præcepit ille exequi studeret. Et accepit ipsam Epistolam inuolutam vna cum Ioanne Tuscanensi & Ioanne Aretino, & dedit illam Ansegiso. Et iussit sellam plectilem ponere ante omnes Episcopos Cisalpini Regni sui iuxta Ioannem Tuscanensem qui ad dextram illius sedebat. Et præcepit Ansegiso vt supergrederetur omnes ante se ordinatos, & sederet in eadem sella, reclamante Remorum Archiepiscopo, audientibus omnibus, hoc factum sacris regulis obuiare. Imperator tamen in sua sententia permansit. Et petentibus Episcopis vt liceret eis vel exemplar de Epistola sibi directa sumere, nec hoc valuerunt vllo modo impetrare. Et sic soluta est Synodus in illa die. B C

DECIMO Kalendas præfati mensis iterum conuenerunt Episcopi. In quo conuentu lectæ sunt Epistolæ à domno Apostolico laicis Missæ, & lecta est electio domni Imperatoris, ab Episcopis & ceteris Italici Regni firmata: sed & Capitula quæ in Palatio Ticinensi constituit, & ab omnibus confirmari præcepit. Quæ & ab Episcopis Cisalpinis præcepit confirmari. Et sic soluta est Synodus in die illa.

QVINTO Nonas Iulij conuenerunt Episcopi sine Imperatore, & habitæ sunt contentiones de Presbyteris ex diuersis Parochiis reclamantibus ad Missos Apostolici. Et sic soluta est Synodus in die illa.

QVARTO Nonas eiusdem mensis, iterum conuenerunt Episcopi. Et Impe-

A rator in Synodo residens audiuit Missos fratris sui Hludovvici Regis, VVillebertum Archiepiscopum Coloniæ, & ADALARDVM ac MEINGAVDVM Comites: per quos petiit partem de Regno Hludovvici Imperatoris filij Lotharij fratris eorum, sicut ei competere dicebat ex hereditate, & illi firmatum fuerat sacramento. Et legit Ioannes Tuscanensis Epistolam à Ioanne Papa Episcopis Regni Hludovvici directam, & dedit exemplar VVilliberto Archiepiscopo, vt deferret illud præfatis Episcopis. Et sic soluta est Synodus in illa die.

VI. Idus Iulij conuenerunt Episcopi, & circa horam nonam venerunt Missi domni Apostolici, Leo Episcopus & Apocrisiarius ac nepos Apostolici, atque Petrus Foro-Simpronij Episcopus, deferentes Epistolas Imperatori & Imperatrici, & salutationes Apostolici ad Episcopos. Et sic soluta est Synodus in die illa.

V. Idus Iulij conuenientibus Episcopis, lecta est Epistola Apostolici de damnatione Formosi Episcopi, Gregorij Nomenclatoris, & consentientium eis: & præsentata sunt Imperatori ab Apostolico transmissa dona: inter quæ fuerunt præcipua, Sceptrum, & Baculus aureus. Sed & Imperatrici dona sunt ab eo missa, pallia, & armillæ cum gemmis. Et sic soluta est Synodus in illa die.

PRIDIE Idus Iulij conuenerunt Episcopi, & misit Imperator Vicarios Apostolici increpare duriùs Archiepiscopos, reliquósque Episcopos, qui pridie non conuenerant sicut præcepit. Illi autem canonicè rationabili reddita ratione, sopita est increpatio. Et lecta est à Iohanne Tuscanensi iterum Epistola iubente Imperatore pro Primatu Ansigisi, & quæsita est ab Episcopis denuò indè responsio. B Et respondentibus singulis Archiepiscopis, quoniam veluti sui antecessores illius antecessoribus regulariter obedierunt, ita eius decretis vellent obedire. Et faciliùs est illorum admissa responsio, quàm fuerat in Imperatoris præsentia. Et sic iterum post multas contentiones de Presbyteris diuersarum parochiarum reclamantibus ad Missos Apostolici, lecta est proclamatio Frotarij Burdegalensis Archiepiscopi, quia non poterat consistere propter infestationem paganorum in ciuitate sua, vt liceret ei Bituricensem Metropolim occupare. Cuius petitionibus vnanimitas Episcoporum non acquieuit, & iubentibus Legatis Apostolici, vt XVII. Kalendas Augusti conuenirent Episcopi, mane circà horam nonam venit Imperator Græcisco more paratus & coronatus, deducentibus eum Apostolici Legatis more Romano, ac Episcopis Ecclesiasticis vestimentis indutis, & ceteris secundùm modum primæ diei quando inchoata est Synodus præparatis. Et vt priùs cantata Antiphona *Exaudi nos Domine*, cum Versibus & *Gloria*, post *Kyrieeleyson*, data oratione à Leone Episcopo, resederunt omnes. Et legit Iohannes Aretinus quandam scedulam ratione & auctoritate carentem. Post quam legit Odo Belgiuagorum Episcopus quædam Capitula à Missis Apostolici, & ab Ansigiso & eodem Odone sine conscientia Synodi dictata, inter se dissonantia, & nullam vtilitatem habentia, verùm & ratione ac auctoritate carentia. Et idcirco hîc non habentur subiuncta. C Iterum autem mota est interrogatio de Primatu Ansegisi, & post multas ab Imperatore & Legatis Apostolici contra Episcopos querimonias habitas, tantum in nouissima quantum & in prima die Synodi, exinde Ansigisus obtinuit.

POST hæc perrexit Petrus Episcopus Foro-Simpronij, & Ioannes Tuscanensis, ad cubiculum Imperatoris: & adduxerunt Richildem Imperatricem coronatam in Synodum. Et stante illa iuxta Imperatorem, surrexerunt omnes stantes quique in gradu suo. Tunc incœperunt laudes Leo Episcopus & Ioannes Tuscanensis Episcopus. Et post laudes peractas, in domnum Apostolicum & domnum Imperatorem, ac Imperatricem, & ceteros, iuxta morem data oratione à Leone Gauinense Episcopo, soluta est Synodus.

POSTEA Imperator muneratis Missis Apostolici Leone & Petro, remisit eos Romam, & cum eis Ansegisum Episcopum, & Adalardum Augustudunensem Episcopum. Interea baptizati sunt quidam Nortmanni, ab HVGONE Abbate & Marchione propter hoc ad Imperatorem adducti, & munerati ad suos redierunt. Et vt ante, ita & postmodum vt Nortmanni more pagano peregerunt. Et Imperator v. Kalend. Augusti mouit à Pontigone, & tertio Kalendas venit ad Catalaunis. Ibique propter quandam molestiam corporalem moratus est vsque ad Idus Augusti.

Et xix. Kalendas Septembris venit Remis, indéque recto itinere venit ad Siluacum. Et v. Kalendas Septembris misit Legatos Apostolici, Ioannem, itémque Ioannem, & Odonem Episcopum, cum aliis Missis suis ad fratrem suum Hludovvicum & filios eius, ac Episcopos atque Primores Regni sui. Quibus Missis in via Imperatori in Carisiaco nunciatum est, præfatum Hludovvicum Regem in Franconofurt Palatio v. Kalendas Septembris obiisse, & iv. Kalendas eiusdem mensis in Monasterio sancti Nazarij sepultum fuisse. Imperator verò directis Missis suis ad Primores Regni quondam fratris sui, à Carisiaco mouit, atque ad Satanacum villam venit: dispositum habens Metensem ciuitatem adire, & Episcopos ac Primores Regni quondam fratris sui ad se venientes recipere. Sed repente mutato consilio perrexit Aquis, indéque Coloniam venit, & Legati Apostolici cum eo. Prædantibus autem omnibus sine vllo diuino respectu qui cum illo ibant, Nortmanni cum c. circiter nauibus magnis, quas nostrates *bargas* vocant, xvi. Kalendas Octobris Sequanam introierunt. Quod cùm apud Coloniam Imperatori nuntiatum fuisset, nihil propter hoc à negotio quod cœperat immutauit. Hludovvicus autem nepos illius cum Saxonibus & Toringis ex altera parte Rheni fluminis contra eum venit, & Missis ad patruum suum Imperatorem directis benignitatem eius expetiit, quam non impetrauit. Tunc ipse ac Comites eius ieiuniis & litaniis misericordiam Domini petierunt, inridentibus eos illis qui erant cum Imperatore. Hludovvicus Hludovvici Regis filius decem homines aqua calida, & decem ferro calido, & decem aqua frigida ad iudicium misit coram eis qui cum illo erant: petentibus omnibus vt Deus in illo iudicio declararet, si plus per rectum ille habere deberet portionem de Regno quam pater suus illi dimisit ex ea parte, quam cum fratre suo Carolo per consensum illius & per sacramentum accepit. Qui omnes inlæsi reperti sunt. Tunc ipse Hludovvicus cum suis ad Andrnacum castrum Rhenum transiuit. Quod cùm Imperatori nunciatum fuisset, Richildem Imperatricem prægnantem cum Hildvvvino Abbate, & Francone Episcopo, ad Haristallium misit. Ipse autem secus Rhenum hostiliter contra nepotem suum perrexit: præmittens ad eum Missos, vt quosdam de Consiliariis suis obuiam illius Consiliariis mitteret, & tractarent de pace inter eos habenda. Quod Hludovvicus humiliter & obedienter suscipiens, securus mansit, quòd bello aggredi non deberet donec ipsa cautio finiretur.

Imperator Nonas Octobris dispositis scaris suis nocte surrexit, & leuatis vexillis per strictas & arduas vias, quin potiùs inuias, super nepotem suum, ac super eos qui cum illo erant, subitò irruere moliens, secus Andrnacum peruenit: fatigatis hominibus & equis de graui & stricto itinere, & pluuia quæ super eos nocte tota effluxit. Et ecce subitò nunciatum est Hludovvico & suis, Imperatorem cum valida manu hostiliter super eum venire. Ipse autem cum eis quos secum habuit è regione stetit, & irruentibus Imperatoris cuneis super eos, & illis fortiter resistentibus, hostis Imperatoris terga vertit, & fugando super Imperatorem venit. Sed & Imperator cum paucis vix fugâ lapsus, euasit. Multi autem qui effugere poterant impediti sunt, quoniam omnes sagmæ Imperatoris, & aliorum qui cum eo erant, sed & mercatores ac scuta vendentes, Imperatorem & hostem sequebantur: & in angusto itinere fugientibus viam clauserunt. Fuerunt autem in ipsa congressione occisi Ragenarius & Hieronymus Comites, & multi alij. Capti autem in eodem campo & silua vicina fuerunt, Ottulfus Episcopus, Gauzlenus Abbas, Aledramnus & Adalardus, Bernardus & Euertvvinus * Comites, & plures alij. Omnes autem sagmas, & ea quæ mercatores portabant, hostis Hludovvici accepit. Et impletum est dictum propheticum, vbi ait: *Qui prædaris, nónne & ipse prædaberis?* Omnia quæ prædatores qui erant cum Imperatore habuerunt, sed & ipsi præda fuerunt: adeo vt qui adminiculo equorum effugere poterant, animas suas haberent pro spolio. Ceteri autem ita sunt à villanis despoliati, vt fœno & stramine inuoluti verecunda celarent, & nudi profugerent quos insequentes occidere noluerunt. Et facta est plaga magna in populo prædatore. Richildis autem audiens vii. Idus Octobris de fuga hostis Imperialis, & ipsius Imperatoris, ab Heristallio mouet, & fugiens subsequenti nocte galli cantu in via peperit filium, quem post partum famulus suus ante se portans, fugiendo vsque ad Antennacum detulit. Imperator vii. Idus Octobris vesperi ad Monasterium sancti

* al. Ebroinus.

CAROLVS CALVVS.

A Landberti peruenit. Ad quem Franco & Hilduvvinus Abba à Richilde VI. Idus
redierunt, & cum eo fuerunt, vsque dum post Richildem ad Antennacum perue-
nit. Inde Duciacum adiit, vnde ad Antennacum rediit, & Placitum suum in Sal-
montiaco XV. die post Missam sancti Martini condixit. HLVDOVVICVS Hlu-
dovvici quondam Regis filius de Andrnaco per Sinciacum Aquis rediit, ibique
tribus diebus stetit. Indéque obuiam fratri suo CAROLO apud Confluentes ve-
nit. Vbi simul locuti, Carolus versus Mettis, indéque in Alemanniam infirmus
rediit: & Hludovvicus vltra Rhenum perrexit. Carolomannus frater eorum nec
ad eos, nec ad patruum suum Carolum Imperatorem, sicut ei mandauerat, venit,
occupatus in belligeratione contra VVinidos.

CAROLVS Imperator CHVONRADVM & alios Primores ad Nortman-
nos, qui in Sequanam venerant, misit, vt quocumque modo possent fœdus cum
eis paciscerentur, & ad condictum Placitum ei renuntiarent. Domnus Impera-
tor Carolus ad Placitum suum in Salmontiaco, sicut condixerat, venit: ibique
homines de parte Regni quondam Hlotharij, quam frater suus Hludovvicus con-
tra eum acceperat, ad se post fugam de Andrnaco veniens suscepit, & quasdam
Abbatias, sicut erant, integras dedit: quibusdam de Abbatia Martianas, quam di-
uiserat, beneficia donauit. & sic à se abire permisit.

SCARAS quoque, quæ contra Nortmannos secus Sequanam in procinctu
essent, disposuit. Ipse autem ad Vinzinniacum villam veniens, grauiter passione
B pleurisis est infirmatus, adeò vt viuere desperaret. Ibique Natalem Domini cele-
brauit anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXVII.

DCCCLXXVII.

CONVALESCENS autem, per Carisiacum ad Compendium venit. Vbi dum 877.
moraretur, filius eius, qui antequam Richildis ad Antennacum veniret in via na-
tus fuerat, infirmatur: & à Bosone auunculo suo de fonte susceptus CAROLVS
nominatus moritur, & ad Monasterium sancti Dionysij sepeliendus defertur *.

CAROLVS autem Imperator in Compendio Quadragesimam peragens Pas-
cha Domini celebrauit, & Missos Apostolici Ioannis Petrum Episcopum Foro-
Simpronij, itémque Petrum Episcopum Senogalliæ suscepit. Per quos tam ver-
bis quàm Litteris eum Iohannes Apostolicus Romam vocauit: quatenus, sicut
promiserat, sanctam Romanam Ecclesiam à paganis, quibus infestabatur, eripe-
ret atque defenderet.

* His ab Aimoini Continuatore plura de Monasterio S. Germani Paris. addita sunt, quæ in Annalibus non habentur.

Cap. XXXV.

KALEND. Maij Episcopos Remensis Prouinciæ, sed & aliarum Prouincia-
rum, Compendio conuocauit: & Ecclesiam quam in eodem Oratorio construxe-
rat cum multo apparatu in sua & Nunciorum Apostolicæ Sedis præsentia ab eis-
dem Episcopis consecrari fecit. Inde Placitum suum generale Kalendas Iulij ha-
buit, vbi per Capitula qualiter Regnum Franciæ filius suus Hludovvicus cum fi-
delibus eius & Regni Primoribus regeret, vsque dum ipse Româ rediret, ordina-
uit: & quomodo tributum de parte Regni Franciæ, quam ante mortem Lotharij
C habuit, sed & de Burgundia exigeretur, disposuit: scilicet vt de mansis indomini-
catis solidus vnus, de vno quoque manso ingenuili quatuor denarij de censu Do-
minico, & IV. de facultate mansuarij. De manso verò seruili II. denarij de cen-
su Dominico, & duo de facultate mansuarij. Et vnusquisque Episcopus de Pres-
byteris suæ parochiæ secundum quod vnicuique possibile erat, à quo plurimùm
quinque solidos, à quo minimùm quatuor denarios Episcopi de singulis Presby-
teris acciperent, & Missis Dominicis redderent. Sed & de thesauris Ecclesiarum,
prout quantitas loci extitit, ad idem tributum exsoluendum acceptum fuit. Sum-
ma verò tributi fuerunt quinque millia libræ argenti ad pensam. Illi verò tam
Episcopi, quàm & alij, qui trans Sequanam sunt de Neustria, tributum illis Nort-
mannis qui in Ligeri erant, secundum quod sibi ab eis fuit impositum, vndecum-
que valuerunt reddere procurauerunt.

DOMNVS autem Imperator CAROLVS de Carisiaco Compendium, in-
déque per Suessionem ad Remum ciuitatem: & sic iter suum per Catalaunos &
Pontigonem atque Lingones peragens, cum vxore & maxima auri & argenti, ca-
ballorúmque ac facultatum aliarum copia, de Francia Italiam petiit. Et veniens
vltra Iurum vsque ad Vrbam obuiam habuit Adalgarium Episcopum, quem men-
se Februario Romam direxit pro agenda Synodo à Papa Iohanne: cuius exemplar

CAROLVS CALVVS. isdem Adalgarius pro munere magno Imperatori detulit. Summa verò eiusdem Synodi post multas & multiplices laudes Imperatoris hæc est, vt electio & promotio ad Imperialia Sceptra anno præterito Romæ celebrata ex tunc & nunc & in perpetuum firma & stabilis maneat. Quam si quis perturbare aut violare tentauerit, cuiuscumque sit ordinis, aut dignitatis, vel professionis, anathemate vsque ad satisfactionem teneatur omni tempore adnexus. Patratores & incitatores huius consilij, siquidem Clerici fuerint, deponantur, laici verò & Monachi perpetuo anathemate feriantur: vt quia Synodus anno præterito apud Pontigonem hinc habita secus Andrnacum nil profuit, vsquequaque ista debeat præualere. Nunciauit etiam inter alia isdem Adalgarius Imperatori, quoniam Ioannes Papa obuiam illi Papiam veniret. Quapropter præmisit Odacrum secundi Scrinij Notarium, Goiramnum Comitem, & PIPPINVM atque HERIBERTVM, ad procuranda ipsius Papæ seruitia. Ipse autem festinato perrexit ad eum, quem obuiam habuit apud Vercellis ciuitatem. Et eo recepto cum honore maximo, perrexerunt simul vsque Papiam. Vbi eis nunciatum est non incerta relatione, Carolomannum Hludovvici fratris sui filium cum maxima multitudine bellatorum super eos venire. Quapropter relinquentes Papiam, venerunt ad Tardunam. Et consecrata Richildis à Papa Ioanne in Imperatricem, mox retrorsum fugam arripuit cum thesauro versus Moriennam. Imperator autem aliquandiu vna cum Ioanne Papa in eisdem locis immorans, expectauit Primores Regni sui, HVGONEM Abbatem, Bosonem, Bernardum Aruernicum Comitem, itémque Bernardum Gotiæ Markionem, quos secum ire iusserat. Qui vnà cum aliis Regni Primoribus, (exceptis paucis, & Episcopis) aduersus eum conspirantes coniurauerant. Et comperiens eos non venturos, vt audierunt ipse & Papa Ioannes appropinquare Carolomannum, Imperator post Richildem fugam arripuit, & Papa Ioannes versus Romam concitè festinauit. Per quem Carolus Imperator imaginem Saluatoris in cruce fixi ex auro multi ponderis fabrefactam, & gemmis preciosis ornatam, sancto direxit Petro Apostolo.

CAROLOMANNVS verò mendaci nuncio audiens, quòd Imperator & Papa Iohannes super eum cum multitudine maxima bellatorum venirent, & ipse fugam arripuit per viam quam venerat. Sicque Deus more misericordiæ suæ Conuentum illum dissoluit. Carolus verò febre correptum puluerem bibit, quem sibi nimium dilectus ac credulus Medicus suus Iudæus nomine Sedechias transmisit, vt ea potione à febre liberaretur, insanabili veneno hausto inter manus portantium transito Monte Cinisio perueniens ad locum qui Brios dicitur, misit pro Richilde, quæ erat apud Moriennam, vt ad eum veniret. sicut & fecit, & vndecimo die post venenum haustum in vilissimo tugurio mortuus est II. Nonas Octobris. Quem aperientes qui cum eo erant, ablatis interaneis, & infusum vino ac aromatibus quibus poterant, & impositum locello, cœperunt ferre versus Monasterium sancti Dionysij, vbi sepeliri se postulauerat. Quem pro fœtore non valentes portare, miserunt eum in tonna interiùs exteriúsque picata, quam coriis inuoluerunt. Quod nihil ad tollendum fœtorem profecit. Vnde ad cellam quandam Monachorum Lugdunensis Episcopij, quæ Nantoadis dicitur, vix peruenientes, illud corpus cum ipsa tonna terræ mandauerunt.

CAROLOMANNVS pene vsque ad mortem infirmatus, & lectica delatus ad propria, per annum ita iacuit, vt à multis fuerit desperatus.

Ca. XXXVI. LVDOVICVS II. LVDOVICVS accepto nuncio in Audriaca villa de morte patris sui, quos potuit conciliauit sibi: dans eis Abbatias & Comitatus, ac villas, secundum vniuscuiusque postulationem. Et iter agens per Carisiacum & Compendium vsque Aduernum *, quatenus ad sepulturam patris sui apud Monasterium sancti Dionysij perueniret: vbi audiuit patrem suum sepultum, & Regni primores tam Abbates quàm Comites indignatos, quia quibusdam honores dederat sine illorum consensu, & ob id aduersus se conspiratos esse, reuersus est Compendium. Ipsi autem Primores cum Richilde diripientes omnia quæ in via illorum erant, vsque ad Auennacum Monasterium peruenerunt, & Conuentum suum ad Montem VVitmari condixerunt, indéque Missos suos ad Ludoicum direxerunt. Sed & Ludoicus Legatos suos ad eos direxit. Et discurrentibus inter eos Missis, ad hoc peruentum est, vt Richildis & ipsi Primores ad eum Compendium venirent, & suum

* fort. ad Vernum.

A suum Conuentum ad Casnum in Cotia condixerunt. Richildis Compendium ad Ludouicum veniens in Missa sancti Andreæ attulit ei Præceptum, per quod pater suus illi Regnum ante mortem suam tradiderat, & spatam quæ vocatur sancti Petri, per quam eum de Regno reuestiret. Sed & regium vestimentum, & coronam, ac fustem ex auro & gemmis. Et discurrentibus Legatis inter Ludouicum & Regni Primores, & pactis honoribus singulis quos petierunt, VI. Idus Decembris consensu omnium tam Episcoporum & Abbatum, quàm Regni Primorum, ceterorúmque qui adfuerunt, consecratus & coronatus est in Regem LVDOVICVS ab Hincmaro Remorum Episcopo, & Episcopi se suásque Ecclesias illi ad debitam defensionem & canonica priuilegia sibi seruanda commendauerunt: profitentes secundum suum scire & posse, iuxta suum ministerium, consilio & auxilio illi fideles fore. Abbates autem, & Regni Primores, ac Vassalli regij, se illi commendauerunt, & sacramentis secundum morem fidelitatem promiserunt.

LVDOVICVS II.

QVANDO Ludouicus Rex filius Caroli Imperatoris fuit coronatus in Compendio, hoc petierunt Episcopi apud ipsum sicut hîc subsequitur. A vobis perdonari nobis petimus, vt vnicuique de nobis & Ecclesiis nobis commissis, secundum primum Capitulum quod nouissimè in Carisiaco domnus Imperator pater vester à se & à vobis seruaturum, consentientibus fidelibus suis ac vestris, atque Apostolicæ Sedis Legatis, legente Gozleno, denunciauit, canonicum priuile-

Sequentia vsque ad annum 871. obmisit Aimoini Continuator.

B gium ac debitam legem atque iustitiam conseruetis: & defensionem exhibeatis sicut Rex in suo Regno vnicuique Episcopo & Ecclesiæ sibi commissæ iustè exhibere debet. Ipse autem Ludouicus talem promissionem fecit illis Episcopis.

PROMITTO & perdono vobis, quia vnicuique de vobis & Ecclesiis vobis commissis secundum primum Capitulum, quod nouissimè in Carisiaco domnus Imperator pater meus se seruaturum, consentientibus fidelibus illius ac nostris, atque Apostolicæ Sedis Legatis, legente Gozleno, denunciauit, canonicum priuilegium, & debitam legem atque iustitiam conseruabo: & defensionem quantum potuero exhibebo, adiuuante Domino, sicut Rex in suo Regno vnicuique Episcopo & Ecclesiæ sibi commissæ debitor est exhibere. Hoc est Capitulum, quod hîc commemoratur.

DE honore quoque & cultu Dei atque sanctarum Ecclesiarum, quæ auctore Deo sub ditione & tuitione regiminis nostri consistunt, Domino mediante, decernimus: vt sicut tempore beatæ recordationis domni genitoris nostri excultæ & honoratæ, atque rebus ampliatæ fuerunt, quæ à nostra liberalitate honoratæ atque ditatæ sunt, de cetero sub integritate sui seruentur: & Sacerdotes atque serui Dei vigorem Ecclesiasticum, & debita priuilegia iuxta reuerendam auctoritatem obtineant, & eisdem principalis potestas, & illustrium virorum strenuitas, seu reipublicæ administratores vt suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter & iustè concurrant. Et filius noster hæc supradicta similiter Deo adiuuante conseruet.

C

Commendatio Ansegisi Episcopi & aliorum Episcoporum qui adfuerunt apud Compendium, quando benedixerunt LVDOVICVM *filium Caroli Imperatoris.*

ME ac Ecclesiam mihi commissam vobis commendo ad debitam legem & iustitiam conseruandam, & defensionem exhibendam, sicut Rex Episcopos Ecclesiæ suæ iusto iudicio conseruare & exhibere debet.

Professio ipsorum.

EGO ille ipse sic profiteor: De ista die & deinceps isti Seniori & Regi meo Ludouico Caroli & Hermentrudis filio, secundum meum scire & posse, & meum ministerium, auxilio & consilio fidelis & adiutor ero: sicut Episcopus rectè Seniori suo debitor est, in mea fide & meo sacerdotio. Ad suprà scriptam verò Episcoporum petitionem, hæc quæ sequuntur Rex Ludouicus professus est Episcopis, & istam ipsam donationis scripturam manu sua eis dedit in Compendio, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVII. II. Kalendas Decembris.

LVDOVICVS II. A

Professio istius Ludouici filij Caroli.

» Ego Lvdovicvs misericordiâ Domini Dei nostri & electione populi Rex
» constitutus, promitto teste Ecclesia Dei omnibus Ordinibus, Episcoporum vide-
» licet, Sacerdotum, Monachorum, Canonicorum, atque Sanctimonialium, regulas
» à Patribus conscriptas, & Apostolicis attestationibus roboratas, ex hoc in futurum
» tempus me illis ex integro seruaturum. Polliceor etiam me seruaturum leges &
» statuta populo, qui mihi ad regendum misericordia Dei committitur, pro commu-
» ni consilio fidelium nostrorum, secundum quod prædecessores mei Imperatores &
» Reges gestis inseruerunt, & omninò inuiolabiliter tenenda & obseruanda decre-
» uerunt. Ego igitur Ludouicus rectitudinis & iustitiæ amore hanc spontaneam
» promissionem meam relegens, manu propria firmaui.

DCCCLXXVIII.

878. Anno DCCCLXXVIII. Ludouicus Rex secus Suessionis in Monasterio sancti Medardi Natiuitatem Domini celebrauit. Indéque ad Audriacam villam perrexit, & Pascha Domini in Monasterio sancti Dionysij celebrauit. Ac suadente Hugone Abbate & Markione perrexit vltra Sequanam, tam pro auxilio Hugonis contra Nortmannos, quàm & pro eo quòd filij Gozfridi castellum & honores filij Odonis quondam Comitis inuaserunt: ac ideò * quia frater Bernardi Markionis Ebroecensem ciuitatem vsurpans, multas deprædationes circum circa in illis regionibus exercebat. Insuper & Eiricum more Nortmannico deprædari præsumpsit. Et veniens Ludouicus vsque Turonis, infirmatus est vsque ad desperationem vitæ. Sed miserante Domino, aliquantulum conualescens, satagentibus quibusdam Consiliariis suis, & amicis Gozfridi, venit ad eum isdem Gozfridus: adducens secum filios suos, ea conditione vt castellum & honores quos inuaserant, Ludouico Regi redderent, & postea per concessionem illius haberent. Tunc Gozfridus partem de Brittonibus ad Regis fidelitatem conuertit: sed ipsi demum fecerunt vt Brittones. B

** In Suppl. Aimoini legitur, & Immo, quasi sit nomen proprium fratris Bernardi Marchionis: sed malè.*

Ca. XXXVII. Ioannes Papa irascens contra Landbertum & Adalbertum Comites, quia villas & ciuitatem eius prædati sunt, eis horribiliter excommunicatis, Româ exiit, & nauigio Arelatum in die sancto Pentecostes appulit, suósque Nuncios ad Bosonem Comitem misit: & per eius auxilium vsque Lugdunum venit, & indè Missos suos ad Regem Ludouicum Turonis misit: mandans vt ei obuiam veniret quò sibi commodum foret. Ludouicus autem mittens ei obuiam quosdam Episcopos, petiit vt vsque Trecas veniret, ipsique ab Episcopis istius Regni stipendia dari fecit. Et quia propter suam infirmitatem ante non potuit, Kalendas Septembris apud Trecas ad eum venit. Interea Papa Ioannes generalem Synodum cum Episcopis Galliarum & Belgicarum Prouinciarum agens, qualiter Landbertum & Adalbertum, Formosum quoque & Gregorium Nomenculatorem, ac complices illorum Romæ excommunicauerit, relegi fecit in Synodo: & consensum Episcoporum in eadem excommunicatione quæsiuit. Vnde qui adfuerunt Episcopi petierunt, vt sicut ipse excommunicationem quam fecerat per scripturæ lectionem recitari fecit in Synodo, ita & eis concederet vt per scripturam illi suam consensionem proferrent. Et concedente ita fieri Papa Ioanne, in crastina Episcopi hoc quod sequitur diploma Papæ in Synodo porrexerunt. C

» Domne sanctissime ac reuerendissime Pater Patrum Ioannes, Catholicæ
» atque Apostolicæ Ecclesiæ, sanctæ videlicet Romanæ primæ Sedis Papa. Nos
» famuli tui, ac discipuli vestræ auctoritatis, Galliarum & Belgicarum Episcopi, his
» quæ super vulnera dolorum vestrorum maligni homines ac ministri diaboli ad-
» dentes in sanctam matrem nostram ac magistram omnium Ecclesiarum commise-
» runt compatimur, & dolori vestro consentes condolemus: atque iudicium vestræ
» auctoritatis, quod priuilegio beati Petri & Sedis Apostolicæ in eos & complices
» illorum iuxta sacros Canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentiâ
» consecratos, ac secundum eiusdem sanctæ Romanæ Sedis Pontificum decessorum
» vestrorum decreta protulistis, voto, voce, & vnanimitate nostra atque auctorita-

A te sancti Spiritus, cuius gratiâ in Episcopali ordine sumus consecrati, gladio spiritus, quod est verbum Dei, eos interimentes, prosequimur. Scilicet quos, sicut suprà diximus, excommunicatis, excommunicatos tenemus: quos ab Ecclesia abiecistis, abiicimus, quos anathematizastis, anathematizatos esse iudicamus. Et quos regulariter satisfacientes vestra auctoritas Apostolica Sedes receperit, recipiemus. Sed & vt in sacra Historia de plaga Egyptiaca dignè à Deo inlata legimus, quia non erat domus in qua non iaceret mortuus, & non erat qui alium consolaretur, quoniam in domo sua vnusquisque quod lugeret habebat: nos in nostris quoque Ecclesiis lugenda lugemus. Et ideò vestra auctoritate nobis subueniri cum omni mentis humilitate deposcimus: petentes vt promulgetis Capitulum vestræ auctoritatis, qualiter nos erga Ecclesiarum nostrarum peruasores agere debeamus; vt censura Apostolicæ Sedis muniti robustiores ac promptiores deinceps, Domino opem ferente, contra peruersos Ecclesiasticarum rerum ac facultatum raptores ac vastatores, sacrique ministerij Episcopalis contemptores, nos, successoresque nostri, persistere concordi sententia valeamus. Vt iuxta egregij Prædicatoris vocem, & vestræ auctoritatis promulgationem, traditi Sathanæ spiritu salui fiant in die Domini nostri IESV CHRISTI.

LVDOVICVS II.

Excommunicatio Ioannis Apostolici, & ceterorum Episcoporum, qui conuenerunt apud Trecas, de peruasoribus rerum Ecclesiasticarum.

B DE peruasoribus quippe rerum Ecclesiasticarum, quos sacri Canones spiritu Dei conditi, totius mundi reuerentiâ consecrati, & decreta Pontificum Sedis Apostolicæ, sub anathemate vsque ad regularem satisfactionem esse debere constituerunt: sed & de raptoribus, quos Apostolus Christo in se loquente, Regnum Dei non possidere testatur, & cum huiusmodi hominibus veraciter Christiano nec cibum sumere præcipit, quandiu in ipso crimine permanent, per virtutem Christi & iudicio Spiritus sancti decernimus, vt si ante proximas Kalendas Nouembris easdem res, quas quique vsurpatores iniustè peruaserunt, Ecclesiis suis regulariter satisfacientes non restituerint, à communione corporis & sanguinis Christi vsque ad restitutionem rerum Ecclesiasticarum, & satisfactionem, alieni habeantur. Et sacri Episcopalis ministerij ac excõmunicationis Ecclesiasticæ contemptores secundum Euangelicam & Apostolicam auctoritatem ab Episcopis, quorum interest, communione, si regulariter satisfacientes non resipuerint, anathematis vinculo innodati vsque ad satisfactionem permaneant. Et si in ipsa pertinacia permanentes obierint, nemo corpora illorum cum Hymnis & Psalmis sepeliat, nec memoria illorum ad sacrum altare inter fideles mortuos habeatur. Dicente Apostolo & Euangelista Iohanne: *Est peccatum ad mortem? pro illo non dico vt quis oret.* Peccatum enim ad mortem est perseuerantia in peccato vsque ad mortem. Et C sacri antiquorum Patrum Canones de his, qui sibi mortem voluntariè inferunt, & qui pro suis sceleribus puniuntur, sancto inspirante spiritu decreuerunt, vt cum Hymnis & Psalmis eorum corpora non deferantur ad sepulturam. Quorum decreta sequentes, ea quæ præmisimus de peruasoribus & raptoribus rerum & facultatum Ecclesiasticarum, si non resipuerint, iudicio sancti Spiritus decernimus: sicut beatus decreuit Gregorius dicens, quia tales Christiani non sunt, quosque ego & omnes Catholici Episcopi, imò vniuersalis Ecclesia anathematizat.

Deest in Supplemento Aimoini.

QVOD diploma Iohannes Papa suæ excommunicationi adscribi fecit, & manu sua confirmans ab omnibus Episcopis in Synodo subscribi fecit. Deinde ipso iubente lecti sunt in Synodo Canones Sardicensis Concilij, & Decretum Papæ Leonis de Episcopis sedes suas mutantibus: sed & Africani Canones, & vt non fiant Episcoporum translationes, sicut nec rebaptizationes vel reordinationes, pro Frotario Burdegalensi Episcopo, qui de Burdegalis, Pictauis, indéque ad Biturigensem ciuitatem exilisse dicebatur.

ET coronatus LVDOVICVS à Ioanne Papa VII. Idus Septembris inuitauit eundem Papam ad domum suam, & oppiparè pascens honorauit eum multis donis ipse & vxor sua, & remisit eum ad Trecas ciuitatem. Postea verò per Missos suos petiit eundem Papam, vt vxorem illius in Reginam coronaret. Sed obti-

LVDOVICVS II. nere non potuit. Frotarius autem & Adalgarius Episcopi attulerunt in conuentum Episcoporum Papæ Ioanni Præceptum, per quod pater suus Ludouico Regnum tradiderat, petentes ex ipsius parte, vt priuilegio suo ipsum Præceptum confirmaret. A

TVNC Papa Iohannes protulit exemplar quasi facti Præcepti à CAROLO Imperatore de Abbatia sancti Dionysij Romanæ Ecclesiæ, quod compilatum consilio præfatorum Episcoporum, & aliorum Consiliariorum Ludouici Regis à plurimis credebatur, vt à Gozleno ipsam Abbatiam velut ex ratione tolleret, & sibi habere posset. Et dicente Papa Iohanne, vt si vellet Ludouicus Rex, vt super illius Præceptum priuilegium faceret, suo Præcepto illud patris sui Præceptum firmaret. Quod argumentum, sicut factio, & non ratio, imperfectum remansit.

DENIQVE IV. Idus præfati mensis Ludouicus Rex quorumdam Primorum compulsus petitionibus venit ad Apostolici mansionem, & cum eo familiariter locutus, vna cum illo reuersus est ad conuentum Episcoporum in exedram iuxta mansionem Apostolici. Et post excommunicationem HVGONIS Lotharij filij, & Immonis, ac complicum eorum vim facientibus quibusdam Episcopis, & consentiente Rege, dixit Papa Iohannes vt Hedenulfus sua auctoritate ordinatus Episcopus Sedem suam teneret, & Episcopale ministerium ageret, & Hincmarus cœcus si vellet Missam cantaret, & partem de rebus Episcopij Laudunensis haberet. B Et cùm Hedenulfus apud eundem Papam peteret, vt eum ab illa Sede absolueret, dicens se esse infirmum, & velle intrare Monasterium, hoc obtinere non potuit. Sed præceptum est illi ab eo, consentiente Rege atque Episcopis Hincmari fautoribus, vt Sedem suam teneret, & Episcopale ministerium ageret. Qui fautores Hincmari audientes quòd Papa Ioannes dixerit, vt si vellet Hincmarus cœcus Missam cantaret, & Rex consentiret vt partem de Episcopio Laudunensi haberet: insperatè aliarum prouinciarum Episcopi, sed & aliarum regionum Metropolitani, sine præceptione Papæ Hincmarum vestimentis sacerdotalibus indutum in præsentiam ipsius Papæ adduxerunt. Indéque sublatum, cantantes in Ecclesiam illum duxerunt, & signum benedictionis super populum dare fecerunt. Sicque Synodus illa soluta est.

IN crastina LVDOVICVS Rex inuitatus à Bosone, ad domum illius perrexit cum quibusdam primoribus Consiliariis suis. Et pastus & honoratus ab illo, sed & ab vxore ipsius, desponsauit filiam Bosonis CAROLOMANNO filio suo: & cum consilio ipsorum Consiliariorum suorum dispartitus est honores Bernardi Gothiæ Markionis per Theodoricum Camerarium & Bernardum Comitem Aruernicum, & per alios secretò dispositos.

PAPA Ioannes Trecas mouens, Cauillonem petiit, indéque per Moriennam iter agens, per clusas montis Cinisij Italiam, à Bosone & vxore illius deductus, introiuit. C

Ca. XXXVIII LVDOVICVS Rex Trecas Compendium reuersus, audita renunciatione Legatorum suorum, quos ad sobrinum suum Ludouicum pro pace inter se obtinenda direxerat, cum quibusdam Consiliariis suis venit vsque ad Heristallium. Et Kalendas Nouembris simul conuenientes apud Marsnam, vtrimque pax firmata est inter eos. Et condixerunt Placitum in Purificatione sanctæ Mariæ, vt simul iterum conuenirent: Ludouicus Caroli filius ad Gundulfi-villam, & Ludouicus Ludouici filius circa eundem locum in commoditate sua. In ipso quidem Placito hæc quæ sequuntur inter eos consensu fidelium illorum seruanda conuenerunt.

CONVENTIO, quæ inter gloriosos Reges LVDOVICVM filium Caroli Imperatoris, itémque LVDOVICVM filium Regis Ludouici in loco qui vocatur Furonis Kalend. Nouembris, ipsis & communibus fidelibus ipsorum fauentibus & consentientibus, facta est anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVIII. » Indictione XI. dicente Rege Ludouico filio Caroli: Sicut inter patrem meum » Carolum & patrem vestrum Ludouicum Regnum Lotharij diuisum fuit, volu» mus vt ita consistat. Et si aliquis nostrorum fidelium de Regno patris sui ex hoc » aliquid vsurpatum habet, iussu nostro illud dimittat. De Regno verò, quod Lu» douicus Imperator Italiæ habuit, quia nec dum ex illo aliqua diuisio facta est,

LVDOVICVS II.

A quicumque modò illud tenet, ita teneat: donec Domino volente iterum simul venientes cum communibus fidelibus nostris, inueniamus & diffiniamus quid ex hoc melius & iustius nobis visum fuerit. De Regno autem Italiæ quia modò nulla ratio esse potest, omnes sciant quia partem nostram de illo Regno & requisiuimus & requirimus, & Domino auxiliante requiremus. Ista sequenti die statuta sunt.

CAP. I. VT quia firmitas amicitiæ & coniunctionis nostræ modo quibusdam præpedientibus causis esse non potuit, vsque ad illud Placitum quò simul conueniamus statutum habemus. Talis enim amicitia inter nos manebit Domino auxiliante de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: vt nemo suo pari vitam, Regnum, aut fideles suos, vel aliquid quod ad salutem siue prosperitatem ac honorem Regni pertinet, non velit, aut fortè consiliet.

CAP. II. VT si in cuiuscumque nostrum Regno pagani siue pseudochristiani insurrexerint, vnusquisque veraciter suum parem, vbicumque necesse fuerit, & ipse rationabiliter potuerit, aut per semetipsum, aut per suos fideles, & consilio & auxilio prout melius potuerit adiuuet.

CAP. III. VT si ego vobis superstes fuero, filium vestrum LVDOVICVM adhuc paruulum, & alios filios vestros, quos vobis Dominus donauerit, vt Regnum paternum hereditario iure quietè tenere possint, & consilio & auxilio prout melius potuero adiuuabo. Si autem vos mihi superstes fueritis, filios meos LVDO-
B VICVM & CAROLOMANNVM, & alios quos diuina pietas mihi donare voluerit, vt Regnum paternum quietè tenere possint similiter & consilio & auxilio prout melius potueritis vt adiuuetis rogo.

CAP. IV. VT si aliqui susurrones & detractores, & qui paci nostræ inuident, & quietum Regnum esse non patiuntur, inter nos lites & contentiones atque discordias seminare voluerint, nullus nostrûm hoc recipiat aut libenter acceptet: nisi fortè hoc ad rationem coram nobis vtrisque & communibus fidelibus nostris perducere voluerit. Si verò hoc noluerit, cum nullo nostrûm aliquam societatem habeat. Sed omnes illum sicut mendacem & falsatorem, & inter fratres volentem seminare discordias, communiter à nobis abiiciamus: ne de cetero quisque talia mendacia auribus nostris inferre audeat.

CAP. V. VT communiter prout citiùs potuerimus Missos nostros ad CAROLOMANNVM & CAROLVM gloriosos Reges dirigamus, qui ad Placitum, quod octauo Idus Februarij statutum habemus, inuitentur: vt nullatenus venire differant obsecrentur. Et si secundum quod optamus venire valuerint, communiter nos ad Dei voluntatem, & sanctæ Ecclesiæ saluationem, ac communem honorem nostrum, ac profectum atque saluamentum totius populi Christiani nobis commissi, Domino cooperante, ita coniungamus: vt de cetero in eo qui vnus est vnum simus, & vnum velimus: idipsum dicamus, secundum Apostolum, & faciamus omnes vt non sint in nobis vlla scismata.

C CAP. VI. SI autem illi obsecratione nostra vocati, & inuitati, aut Missi eorum ad præfatum Placitum venire distulerint, nos secundum quod statutum habemus illuc omninò venire, & nos secundum Dei voluntatem coniungere omnimodis non omittamus. Nisi fortè talis ineuitabilis necessitas euenerit, pro qua id fieri nullatenus possit: & si hoc acciderit, ad tempus quisque pari suo hoc rescire faciat. Et propterea amicitia nostra nec minuatur, nec immutetur, donec Domino iubente congruo tempore perfectè confirmetur.

CAP. VII. VT res Ecclesiarum, in cuiuscumque Regno caput fuerit, tam de Episcopatibus quàm de Abbatiis sine vlla contradictione rectores ipsarum Ecclesiarum illas possideant. Et si aliquid ibi mali factum à quoquam est, in cuiuscumque Regno illæ res consistunt, regulariter exindè iustitiam reddere faciat.

CAP. VIII. ET quia per vagos, & in tyrannica consuetudine inreuerentes homines pax & quies Regni perturbari solet, volumus vt ad quemcumque nostrûm talis venerit, vt de his quæ egit rationem & iustitiam subterfugere possit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat vel retineat, nisi vt ad rectam rationem & debitam emendationem perducatur. Et si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune in cuius Regnum venerit illum persequamur, donec aut ad rationem perducatur, aut de Regno expellatur, vel deleatur.

LVDOVICVS II. CAP. IX. Volumus vt hi, qui merito proprietatem illorum in Regno nostro perdiderint, ita iudicentur sicut temporibus nostrorum antecessorum inuentum fuit. Qui verò dicunt iniustè se proprietatem suam perdidisse, veniant in nostram præsentiam: & sicut iustum est, ita de illis iudicetur, & sua recipiant. A

Ca. XXXIX. 879. HOC dicto, Ludouicus Ludouici filius ad sua rediit, & LVDOVICVS Caroli filius per Arduennam veniens, DCCCLXXIX. anno Incarnationis Dominicæ in Longlario Natiuitatem Domini celebrauit. Et aliquandiu in Arduenna demorans, indéque iter agens, circa Purificationem sanctæ Mariæ ad Pontigonē venit: vnde volens ire in partes Augustoduni ad comprimendam rebellionem Bernardi Markionis, vsque ad Trecas perrexit. Sed quia ingrauescente infirmitate sua (dicebatur enim veneno infectus) longiùs ire non potuit, filium & æquiuocum suum LVDOVICVM baiulationi Bernardi Comitis Aruernici specialiter committens, HVGONEM Abbatem, & Bosonem, & præfatum Bernardum cum filio suo, sed & THEODERICVM cum sociis suis, Augustudunum misit: quatenus ipsum Comitatum ad opus Theoderici, cui antea illud dederat, euindicarent. Ipse autem cum magna difficultate per Iodrum Monasterium Compendium venit. Et sentiens se mortem euadere non posse, per Odonem Belgiuacensem Episcopum & Albuinum Comitem coronam & spatam, ac reliquum regium apparatum, filio suo LVDOVICO misit: mandans illis qui cum eo erant, vt eum in Regem sacrari, ac coronari facerent. Ipse autem IV. Idus Aprilis in die parasceues iam vespere obiit: & in crastina, scilicet in vigilia sancti Paschæ, in Ecclesia sanctæ Mariæ sepultus fuit. B

LVDOVICVS ET CARLOMANNVS. AVDIENTES autem Odo & Albuinus illum esse defunctum, quæ portauerant Theoderico Camerario dederunt, & cum festinatione reuersi sunt. Illi autem qui cum filio Regis erant, audita morte patris ipsius infantis, mandauerunt Primoribus qui in illis partibus erant, vt apud Meldis conuenirent obuiam eis, & ibi tractarent quid de cetero agere deberent.

INTER Bosonem autem & Theodericum mediante Hugone Abbate conuentum est, vt Boso Comitatum Augustodunum haberet, & Theodericus Abbatias quas Boso in istis partibus habuerat in commutatione acciperet. GOZLENVS denique Abbas memor iniuriarum ac insidiarum suarum, quas à suis æmulis tempore præcedenti sustinuerat, fisus de familiaritate quam cum LVDOVICO Germaniæ Rege, & cum vxore illius, atque cum Primoribus illius terræ, quando captus in bello apud Andrnacum, & trans Rhenum ductus fuerat, obtinuit: cœpit cogitare qualiter talionem suis contrariis redderet, & CHVONRARDVM Parisiaci Comitem spe falsa de præcellenti potestate deludens, & quædam ingenia qualiter id exequi posset enarrans, sibi coniunxit. Et antequam illi qui cum Regis filio erant ad condictum Placitum apud Meldis venirent, accelerauerunt quoscumque potuerunt Episcopos, & Abbates, atque potentes homines, ad Conuentum vocare vbi Thara Isaram influit: eo sub obtentu, vt quia Rex defunctus erat, vnanimiter tractarent de Regni pace atque vtilitate. His autem qui conuenerant persuaserunt, vt LVDOVICVM Germaniæ Regem in hoc Regno conuocarent, & eius largitione honores, quos hactenus obtinere non potuerunt, sine vlla dubitatione haberent. Et miserunt nuncios suos ad prædictum Ludouicum & vxorem eius, mandantes vt vsque Mettis venire accelerarent, & illuc omnes Episcopos & Abbates, ac Primores istius Regni ad illum perducere possent. Sicque per Siluacum & secus Axonam multas deprædationes ac rapinas facientes, vsque ad Viridunum venerunt. Veniente autem Ludouico Mettis, iterum ad illum nuncios miserunt, postulantes vt vsque ad Viridunum veniret, quatenus commodiùs populum istius Regni ad illum perducere possent. Veniens autem Ludouicus vsque ad Viridunum, tanta mala exercitus eius in omnibus nequitiis egit, vt paganorum mala facta illorum vincere viderentur. C

AVDIENTES autem Hugo & Boso, ac Theodericus, & illorum socij, quæ Gozlenus & Chuonradus cum illorum complicibus machinabantur, miserunt VVltarium Episcopum Aurelianensem, & Goiramnum ac Anscherum Comites, ad Ludouicum apud Viridunum, vt ei offerrent partem de Regno Lotharij iunioris, quam Carolus contra fratrem suum Ludouicum ipsius Ludouici patrem acceperat: vt accepta illa portione Regni, in Regnum suum rediret, & quod reli-

A quum de Regno patris sui Caroli Ludouicus habuit, filiis suis consentiret. Ludouicus verò & sui acceptam habentes talem oblationem, cum dedecore Gozlenum & Chuonradum, ac complices illorum reiecerunt. Et accepta Regni parte sibi oblata, Ludouicus ad Palatium suum Franconofurd rediit. LVDOVICVS ET CARLOMANNVS.

AVDIENS autem hoc vxor illius, satis molestè tulit: dicens, quia si illa cum eo venisset, totum istud Regnum haberet. Angustiantes autem Gozlenus & Chuonradus, ad ipsam Reginam fecerunt confugium, querimoniam agentes qualiter essent decepti. Et acceptis Missis qui eos de parte Ludouici confortarent, sed & alios quasi obsides, reuersi sunt: rapinas & deprædationes facientes quocumque peruenire potuerunt. Renuntiantes sociis suis, Ludouicum quantociùs cum magno exercitu venturum, quoniam ad præsens venire non poterat: quia nunciatum est ei, non incerta relatione, fratrem suum Carolomannum paralysi percussum, & iam morti vicinum, suúmque filium de concubina nomine ARNVLFVM partem Regni illius occupasse: & ideò in illa parte festinus pergeret, sicut & fecit. Sopita verò sicut potuit in illis partibus commotione, reuersus est ad vxorem suam. Audientes autem Hugo Abbas & ceteri Primores, qui tum filiis quondam senioris sui Ludouici, LVDOVICO scilicet & CAROLOMANNO, agebant, Ludouicum cum vxore sua in istas partes venturum, quosdam Episcopos, Ansegisum & alios miserunt ad Ferrarias Monasterium, & ibi eos
B consecrari & coronari in Reges fecerunt.

INTEREA Boso, persuadente vxore sua, quæ nolle viuere se dicebat, si filia Imperatoris Italiæ, & desponsata Imperatori Græciæ, maritum suum Regem non faceret, partim comminatione constrictis, partim cupiditate illectis pro Abbatiis & villis eis promissis, & postea datis, Episcopis illarum partium persuasit vt eum in Regem vngerent, & coronarent. HVGO etiam filius iunioris Lotharij ex VValdrada, collecta prædonum multitudine, Regnum patris sui est molitus inuadere.

KAROLVS Ludouici quondam Germaniæ Regis filius in Longobardia perrexit, & ipsum Regnum obtinuit. Cum quo apud Vrbam, antequam Montem Iouis transiret, Ludouicus & Carolomannus loqui perrexerunt. Et illo eunte in Longobardiam, ipsisque reuersis ab eodem itinere, nuntiatum est eis quòd Nortmanni qui erant in Ligeri terreno itinere terras illas deprædabant. Et statim moti in illas partes, in die Missæ Sancti Andreæ eos inuenientes, multos ex eis occiderunt, & plures in Vencenna * fluuio immerserunt: & exercitus Francorum Deo volente cum victoria incolomis remeauit. CAP. XL. * Vigenna

ANNO incarnati Verbi DCCCLXXX. LVDOVICVS Rex Germaniæ, vna cum vxore sua ab Aquis in istas partes iter arripuit, & vsque ad Duciacum venit. Vbi Gozlenus & Chuonradus obuiam illi venerunt: quamplurimis iam de illorum complicibus ab illorum societate retractis. Indéque Ludouicus & vxor sua ad 880.
C Attiniacum, indéque ad Ercuriacum, & sic vsque ad Ribodimontem peruenerunt. Et videntes quia Gozlenus & Chuonradus quod ei polliciti fuerant attendere nequiuerunt, & ipse ac vxor sua quæ sperauerunt obtinere non possent: peractis amicitiis cum filiis Ludouici, & condicto Placito futuro mense Iunio ad Gundulfi-villam, reuersi sunt in patriam suam. Et inueniens Ludouicus Nortmannos in itinere, Domino opem ferente magnam ex illis partem occidit exercitus suus. Sed in Saxonia magnum damnum de fidelibus suis per Nortmannos sustinuit. Filij autem Ludouici quondam Regis reuersi sunt Ambianis ciuitatem, & sicut fideles illorum inuenerunt, Regnum paternum inter se diuiserunt. Id est, vt LVDOVICVS quod Franciâ residuum erat ex paterno Regno, sed & Niustriam cum Marchiis suis haberet: & CAROLOMANNVS Burgundiam & Aquitaniam cum Marchiis suis haberet: & quique de Proceribus secundum conuenientiam, in cuius diuisione honores haberent, illi se commendarent. Inde Compendium redientes, ibi Pascha Domini celebrauerunt. Et post hæc per Remum & Catalaunis ciuitates ad Placitum condictum mediante Iunio apud Gundulfi-villam obuiam suis sobrinis venerunt. Ad quod Placitum Ludouicus infirmitate detentus venire non potuit, sed pro se Missos suos direxit. Karolus autem à Longobardia rediens, illuc venit. In quo Placito communi consensu inuentum est, vt ipsi Reges Ludouici quondam filij ad Attiniacum redirent cum scara Ludouici Germaniæ Regis

LVDOVICVS ET CARLOMANNVS. & Hugonem Lotharij iunioris filium impeterent. Quò venientes, quia Hugonem A non inuenerunt, sororium illius TEVTBALDVM bello aggressi sunt, & multis interfectis illum in fugam verterunt. Indéque cum hoste ex Regnis suis, vnà cum prædictà scarâ Ludouici Regis Germaniæ, prædicti Reges, ordinatis qui Regnum suum contra Nortmannos in Ganto residentes custodirent, in Burgundã versus Bosonẽ per mensem Iulium à Trecas ciuitate perrexerunt: Carolo Rege illuc cum exercitu suo in Bosonem venturo. In quo itinere electis de castro Matescano Bosonis hominibus, ipsum castellum ceperunt, & eum Comitatum Bernardo cognomento Planta-pilosa dederunt. Et perrexerunt simul Carolus, Ludouicus, & Carolomannus, ad obsidendum Viennam, in qua Boso vxorem suam cum filia, & magnam partem de suis hominibus relinquens, fugam ad montana quædam arripuit. Karolus autem, qui se vna cum sobrinis suis Viennam obsessurum promiserat, mox vt quædam sacramenta vtrinque inter eos facta fuerunt, ab ipsa obsidione recessit, & in Italiam perrexit. Indéque Romam veniens, à Ioanne Papa se in die Natiuitatis Domini in Imperatorem consecrari obtinuit.

DCCCLXXXI.

881. ANNO Incarnationis Dominicæ DCCCLXXXI. remanente Carolomanno cum suis contra Bosonis seditionem, Ludouicus frater eius reuersus est in partem Regni sui contra Nortmannos. Qui vastantes omnia, in suo itinere Corbeiæ Monasterium, & Ambianis ciuitatem, aliáque sancta loca occupauerunt: de quibus B non modicam partem occisis, ceterisque fugatis, & ipse Ludouicus vna cum suis retrorsum nemine persequente fugam arripuit. Diuino manifestante iudicio, quia quod à Nortmannis fuerat actum, non humana, sed diuina virtute patratum extiterit. Iterum namque Nortmannis regredientibus in partem Regni sui, isdem Ludouicus cum quibus potuit obuiam eis perrexit, & castellum materiâ lignea quorumdam Consiliariorum suorum hortatu in loco qui dicitur *Stroms* clausit. Quod magis ad munimen paganorum quàm ad auxilium Christianorum factum fuit, quoniam ipse Rex Ludouicus inuenire non potuit cui illud castellum ad custodiendum committere posset. Indéque reuersus, anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXII. apud Compendium Natiuitatem Domini, sed & sanctum Pascha celebrauit.

DCCCLXXXII.

882. VBI nuntiatum est ei, quia sobrinus suus Ludouicus Ludouici Germaniæ Regis filius inutiliter sibi & Ecclesiæ ac Regno viuens, morti succubuit. Venientes autem Primores partis illius Regni, quæ ipsi Ludouico in locarium data fuerat, quatenus quæ pater & auus illorum habuerunt eis consentiret, voluerunt se illi commendare. Sed consilio primorum, propter sacramenta quæ inter eum & Carolum facta fuerunt, non eos in commendationem suscepit: sed scaram hostilem, cui præfecit Theodericum Comitem, quasi in adiutorium illorum contra Nortmannos disposuit. Et ipse vltra Sequanam, ac si recepturus Britonum Principes, C & bellaturus contra Nortmannos, vsque Turones perrexit. Vbi infirmatus est corpore, & lecticâ deportatus vsque ad Monasterium Sancti Dionysij, mense Augusto ibi mortuus est, & sepultus.

CAP. XLI. CARLOMANNVS. PRIMORES autem Regni expeditum nuntium miserunt ad CAROLOMANNVM, mandantes vt relictis qui Viennam obsiderent, & seditioni Bosonis resisterent, ipse quantocius ad eos venire festinaret: quoniam hostiliter ipsi præparati erant in occursum Nortmannorum, qui ciuitates Coloniam & Treuiris cum Monasteriis sibi contiguis iam incensas haberent, & Monasterium Sancti Landberti in Leudico, & Promiæ, & inde Aquis etiam Palatium, omniáque Monasteria parrochiarum, Tungrensis videlicet, Attrebatensis, Cameracensis, & partem Remensis parrochiæ suæ ditioni addicta, & partim cum castello Mosomagensi incensa, & VValam Mettensem Episcopum contra sacram auctoritatem & Episcopale ministerium armatum & bellantem occisum, & socios eius fugatos habebant. Ipsi autem parati erant illum recipere, & se illi commendare, sicut & fecerunt. Dum autem in eodem procinctu degeret mense Septembrio, nunciatum est illi certo nuntio, quia capta Vienna vxorem Bosonis & filiam eius RICHARDVS frater ipsius Bosonis ad Comitatum suum Augustudinensem adductam habebat. Sed & Astingas, & complices illius Nortmanni ex Ligeri egressi, mariti-

A mas partes petierunt. CAROLVS autem nomine Imperator contra Nortmannos venit cum multo exercitu vsque ad illorum firmitatem. Quò veniens, concidit cor eius, & placida mente Gotafridum cum suis vt baptisma susciperet, & Frisiam aliósque honores, quos Roricus habuerat, reciperet, interuentione quorumdam obtinuit. Sigefrido etiam & VVrmoni, illorúmque complicibus plura millia argenti & auri, quæ de thesauro Sancti Stephani Mettensis, aliorúmque Sanctorum locis, arripuit, eis dedit: & ad deuastandam Regni sui atque consobrini sui partem, sicut antea fecerant, residere permisit.* Hugoni autem iunioris Lotharij filio facultates Ecclesiasticas Mettensis Episcopij, quas sacri Canones futuro Episcopo reseruari præcipiunt, ad consumendum remisit. ENGILBERGAM verò Ludouici Italiæ Regis vxorem, quam Imperator in Alemaniam transduxerat, per Leudoardum Vercellensem Episcopum Ioanni Papæ, sicut petierat, Romam remisit. Et sic versus VVarmatiam, Placitum suum Kalendas Nouembris habiturus, à Nortmannis recessit. Ad quod Placitum Hugo Abbas, quibusdam sociis secum assumptis, profectus, CAROLVM adiit, pro petitione partis Regni, quam frater suus Ludouicus in locarium acceperat: vt sicut ipse Carolus olim promiserat, CAROLOMANNO restitueret. Vnde nil certi obtinuit, sed absentia illius in isto Regno maximum detrimentum fecit: quia CAROLOMANNVS non habuit vnde Nortmannis posset resistere, quibusdam Regni Primoribus ab ipsius auxilio se retrahentibus. B Quapropter vsque circa Laudunum castellum venerunt, & quæ in gyro ipsius castelli erant deprædati sunt, & incenderunt: & disposuerunt Remis venire, indéque per Suessiones & Nouiomagum pergentes, ad præfatum castellum expugnandum redire, & Regnum sibi subiicere. Quod pro certo audiens Hincmarus Episcopus, cuius homines de potestate Remensis Episcopij cum Carolomanno erant, vix noctu cum corpore Sancti Remigij & ornamentis Remensis Ecclesiæ, sicut infirmitas corporis eius poscebat, sella gestatoria deportatus, & Canonicis ac Monachis, atque Sanctimonialibus, hac illácque dispersis, vltra Matronam in quadam villa, quæ Sparnacus nominatur, vix fugâ lapsus peruenit. Scara autem de Nortmannis plenitudinem illorum præueniens, vsque ad portam Remi peruenit, qui ea quæ extra ciuitatem inuenerunt deprædati sunt, & villulas quasdam incenderunt. Sed ciuitatem, quam nec murus, nec humana manus defendit, Dei potentia, & Sanctorum merita, ne illam ingrederentur, defenderunt. Carolomannus autem Nortmannorum superuentionem audiens, cum quibus potuit eos aggressus est: & magnam partem de his, qui prædam ducebant, occidit, & partim in Axona necati sunt. Maximè autem ex illis, qui Remum adierunt, volentibus ad socios suos redire, prædam excussit. Maior verò & fortior pars de Nortmannis in quadam villa, quæ vocatur Auallis, se reclusit, vbi eos illi qui erant cum Carolomanno sine periculo sui adire nequiuerunt. Vnde circa vesperam pedetentim retro reuersi, in vicinis villis se collocauerunt. Nortmanni verò C mox vt luna eis illuxit, ab ipsa villa egressi, itinere quo venerant redierunt.

CAROLOMANNVS.

*Iterum hic quadam de Ecclesia S. Germani ab Aimoini Cõtinuatore interiecta sunt, quæ in Annalibus non extant.

Huc vsque Codex Ms. Cœnobij Sancti Bertini.

ANNALES RERVM. FRANCICARVM,

AB ANNO CHRISTI DCLXXXVII. VSQVE ad annum DCCCCIV.

In Monasterio Sancti Arnulfi Metensis scripti.

Ex veteri Codice Ms. Viri eruditissimi Iacobi Sirmondi Societ. Iesu Presbyteri, ac Regis Christianissimi à Confessionibus.

A

Hos Annales orsus est Auctor, ignotus quidem, sed vt videtur Monachus Sancti Arnulfi Metensis, ab initio Regni Francorum. Quia tamen antiquiores Scriptores, quos non tam secutus est, quàm ferè totos ad verbum descripsit, iam Tomo I. fuerunt editi, maiorem quoque Annalium illius partem, ne pluries repetita Lectori nauseam parerent, hîc omitti debere iudicatum est: ab exordio nempe ipso, vsque ad Caput XCIX. *Chronici* FREDEGARII *Scholastici, quod folio 769. Tomi I. habetur. In cuius Capitis fine de suo addidit idem Auctor.* Et quia de PIPPINO mentionem fecimus, quis quantúsve fuerit dicere non pigebit. *Deinde seriem Annalium suorum continuauit, vt sequitur.* B

687. *Marquardus Freherus Consil. Palatinus sequentia vsque ad annũ 692. nomine Fragmenti insignis de Pipino Ansegisi F. Orientalium Francorum Principe edidit pag. 168. Corporis Historiæ Francicæ. Sed ista auctiora, & emendatiora sunt.*

ANNO ab Incarn. Domini nostri IESV Christi DCLXXXVII. PIPPINVS filius ANSEGISELI nobilissimi quondam Francorum Principis, post plurima prœlia magnósque triumphos à Deo sibi concessos, Orientalium Francorum, glorioso genitori feliciter succedens, suscepit Principatum. Cuius memorabilium gestorum commenta, quæ ante Principatum seu in Principatu peregerit, cunctis Francorum populis declarata coruscant. Principium tamen insignis victoriæ, & perpetuæ laudis cumulus extat, quòd adhuc in pueritiæ flore positus, indebitam gloriosi genitoris sui necem auxilio diuinæ virtutis inæstimabili prosperitate vltus est. Auctorem enim infandi facinoris alienis deliciis affluentem subita inruptione interimens, puerili quidem manu, sed heroica ferocitate prostrauit. Haud aliter quàm vt de Dauid legitur, quòd Domino gubernante immanem Goliam puerili ictu proprio gladio vitâ capitéque spoliauit. Interempto itaque crudelissimo tyranno nomine GVNDOVVINO, cum satellitibus suis, opibúsque ipsius suis fidelibus distributis, PIPPINI virtus atque victoria longè latéque vulgabatur. Interea Duces ac Optimates Francorum, quos gloriosus genitor eius nutriuerat, magnisque olim honoribus exaltauerat, audita nequissimi tyranni perditione, immenso repleti gaudio ad PIPPINVM properant, séque cum omnibus, quos gubernabant, suæ ditioni mancipant. Ad solatium autem, præstante Domino, tantæ rei publicæ administrationis, erat ei gloriosa genitrix cunctis laudibus digna nomine BEGGA, filia PIPPINI præcellentissimi quondam Principis, qui populum inter Carbonariam siluam & Mosam fluuium, & vsque ad Fresionum fines vastis limitibus habitantem iustis legibus gubernabat. Sanè quia huic masculini sexus proles defuerat, nepoti suo PIPPINO superstiti nomen cum Principatu dereliquit. Prædicta autem matrona BEGGA repleta omni prudentia, filium suum PIPPINVM cottidie salutaribus alloquiis ammonebat, vt sese Regno futuro inter adolescentiæ erudimenta sine iniquitatis contagione Domino adiuuante seruaret. Ipse verò gratiâ diuina præditus, cunctas salubres suæ genitricis ammonitiones strenuis præueniebat mori- C

A bus. Tanto enim prudentiæ lumine radiabat, vt grandæuis & maioribus natu populis ipsi subiectis maximam admirationem ingereret. Nam iustitiæ rigor, fortitudinis inuicta soliditas, & temperantiæ moderamentum, talem in adolescentis pectore sibi locum sponte adsciuerant, vt non solùm naturali insertione, quod ab indictissima parentum prosapia possederat, sed etiam diuina inspiratione patentes esse crederentur. Ad solidandum quoque ipsius imperij fundamentum, erat ei agnatione auus quidam vir plenus virtutibus ARNVLFVS nomine, Mettensis vrbis Episcopus. Hic omnium Francorum coram Deo & hominibus patronus præcipuus habebatur. Ipse illum nihilominus sacris monitis, diuinis & humanis, frequentissimè, vt ad potiora conualesceret, roborabat disciplinis. Ille verò non tardus auditor in cunctis sese feliciter mandatis & iustificationibus Domini exercebat. Porro matertera ipsius erat virgo Domino consecrata, GERTRVDIS vocabulo, quæ se ab infantiæ cunabulis, gratiâ Dei repleta, immortalis Domini seruicio mancipauit; constructóque Monasterio in loco qui vocatur Niuella in hereditate propria, vnà cum genitrice sua IVBERGA* dignum Domino cum turma plurima virginum seruicium rependebat. Hæc itaque adolescentis animum inter primæuæ ætatis gaudia exultantem cœlestis disciplinæ fructuoso imbre rigabat. Horum igitur, vt ita dixerim, Sanctorum propinquorum monitis sanctissimisque exortationibus confortatus, per iustitiæ semitas ad Regni gubernacula sine offensione gradiebatur. Confluebant autem ad Aulam ipsius vniuersi Optimates

B cunctorum Orientalium Francorum, & factus est illis contra omnes æmulos defensor, & iustissimus in corrigendis moribus dominator.

PIPPINVS DVX.

* al. IDVBERGA.

ANNO ab Incarnatione Domini nostri IESV Christi DCLXXXVIII. PIPPINVS successibus prosperis Orientalium Francorum, quos illi propria linguâ *Osterlindo* vocant, suscepit Principatum. Hinc Suauos, & Baioarios, & Saxones, crebris irruptionibus frequentibusque prœliis contritos suæ ditioni subigauit. Hæ enim Gentes olim, & aliæ plurimæ multis sudoribus adquisitæ, Francorum summo obtemperabant imperio. Sed propter desidiam Regum, & domesticas dissensiones, & bella ciuilia, quæ in multas partes diuisi Regni ingruerant, legitimam dominationem deserentes, singuli in proprio solo armis libertatem moliebantur defendere. Quam obstinationem inuictus PIPPINVS Princeps crebris expeditionibus, vtilissimisque consiliis, & frequentibus populationibus Domino cooperante compescuit, seuerissimasque Nationes diuina comitante virtute propriæ dominationi subegit. Eo tempore THEODERICVS Rex Occidentalium Francorum, quos illi Niuuistrios dicunt, regebat Imperium, habens Maiorem domus EBROINVM nomine, crudelem scilicet virum, & ad plurima vicia pronum. Qui quondam quadam necessitate cogente Monasterium, quod vocatur Luxouium, adiit, ibíque capitis coma deposita, monasticæ vitæ habitum cum voto suscepit. Succedentibus verò annis, cùm Rex alius, qui sibi amicus fuerat, Francorum suscepisset Imperium, rursus Monasterium relinquens, habitúmque tantummodo ton-

688.

C suræ retinens, monachalem habitum abiiciens, vxore recepta, honorem iterum Maioris domatus arripuit. Sed quantum inordinatè & illicitè illius officij administrationem subiit, tantùm peruersiùs & sceleſtiùs ipsius gubernationem exercuit. Nam illos, qui sibi in primi Principatus amissione aduersarij fuerant, ita persecutus est, vt nonnullos vitâ, libertatéque plurimos ac propriis facultatibus spoliaret. In quo furore etiam LEODEGARIVS eximiæ sanctitatis Episcopus, quia ipse solus suam vesaniam redarguere conabatur, martyrio coronatur. Ea tempestate plurimi nobilium Francorum ob sæuitiam prædicti tyranni Niuuistriam relinquentes, in Austriam ad PIPPINVM confugiunt: supplices suam clementiam postulantes, vt sese de manibus crudelissimi hostis eriperet. Quos ille pietatis solitæ affectu commotus misericorditer excipiebat. Sanè, cùm Deus omnipotens huic monstruosæ potestati finem facere decreuisset, Ebroinus ab ERMENFRIDO nobili interimitur, prostratóque immanissimo tyranno ad PIPPINVM con-

D fugium fecit. A quo causa perpetrati homicidij agnita, solita pietate suscipitur, & ceteris profugis iure humanitatis cum honore sociatur. Defuncto igitur Ebroino, Theodericus Rex VVARATONEM virum strenuum atque illustrem Maiorem domus instituit. Erat autem eidem VVaratoni filius lubricus & callidissimus nimis nomine GISILMARVS, qui potestatis cupiditate captus, patrem ab

PIPPINVS DVX. honore deposuit, & ipse improbus potestatem arripuit. Inter quem & inuictum Principem PIPPINVM dissensiones plurimæ extiterunt, quas digna mors Gisilmari maturè terminauit. Quo mortuo, genitor ipsius pristino honoratus est officio. Qui etiam non multo post tempore vita decessit. A

689. IGITVR anno Incarnationis Dominicæ DCLXXXIX. defuncto VVarattone, gener ipsius BERTARIVS nomine, Maior domus à Theoderico Rege constituitur, nihil à moribus impij Gisilmari discrepans, præter ingenij calliditatem, & humani consilij sagacitatem. Igitur profugi, quos PIPPINVS in sua misericordia susceperat, frequentibus eum querimoniis appetebant, obsecrantes vt pro diuino amore iniurias suas vlcisceretur. PIPPINVS verò sedato animo Legatos ad Theodericum pacificè dirigit, suggerens vt profugis, quos Ebroinus pro sua cupiditate proprio solo expulerat, propriisque facultatibus spoliauerat, iure regio suis sedibus reuocatos, æquitatis norma seruata patrimoniis iniustè ablatis restitutis, ipsos reuerti iuberet. Hanc legationem Theodericus suggerente Bertario superbè recepit, suósque profugos seruos, quos PIPPINVS contra ius & legẽ susceperat, quandoque à se requirendos spopondit. Legati verò redeunt, responsúmque Theoderici Pippino referunt, superbiam Regis indicant, minas quas ingerebat adnunciant, leuitatem atque inconstantiam Bertarij manifestant. Pippinus verò, adunatis Optimatibus suis, rem in medium retulit, superbi Regis responsum per ordinem pandit. Lacrimas profugorum, & miserabiles supplicationes, qui in fidem suam sese crediderant, manifestat: minas improbi Principis ad memoriam reuocat. Periculum quoque, quod imminebat suæ patriæ pro receptu exulum, ni priùs sapienter, quàm veniret, vitaretur, exponit; quidque super his agendum sit sciscitatur. B

690. ANNO Dominicæ Incarnationis DCXC. Ducibus PIPPINI omnibus optimè placuit arma capere, pro miseris ac spoliatis, qui dudum tam suam fidem, quàm & defensionem quæsiuerant, dimicare, patriámque non à populante hoste, sed in suis sedibus deterrente requisito defensare, PIPPINVS accepto à magistratu consilio, quod apud se versabat in animo, magno repletus gaudio exercitum congregat, quò obstinati Regis iactantiam præueniret. Adunato igitur exercitu, Pippinus ad Carbonariam siluam peruenit. Qui terminus vtraque regna diuidit. Vbi vocatis Optimatibus suis, imò cuncto exercitu, intentionem suam succincta conuentione innotuit. Ne quis vestrûm, inquit, fortissimi viri, fideles Dei nostri, arbitretur me tyrannidem in tali itinere exercere velle, vel sæuitiam, & non potiùs triplici necessitate coactus vos ad tale certamen prouocare. Sed breuiter me loquentem adtendite, & quid ad hoc me cogit audite. Excitor in primis querelis Sacerdotum & seruorum Dei, qui me sæpiùs adierunt, vt pro sublatis iniustè patrimoniis Ecclesiarum, propter amorem Domini ipsis interpellantibus dimicando subuenirem. Pro quibus per internuncios humiliter frequentiùs Theodericum exoraui, vnde nihil præter tumidum & superbiâ plenum responsum recipere merui. Secunda causa me ad talem prouocauit laborem. Nobilium siquidem Francorum ad nostram fidem confugientium lacrimæ & gemitus, qui tot calamitatum angoribus pressi diuinum semper nos arbitrantur adipisci posse suffragium. Tertia, quia expedit nobis superbissimi Regis obuiare sententiis, & vastationem patriæ nostræ, quam minatur iniustè, in suum potiùs caput auxiliante Domino conuertamus: nostráque regione adhuc incolomi permanente, ipsum in propriis sedibus arrogantem, iudicium Domini subituri, requiramus. Pro cuius amore, & Sanctorum illius, huiusmodi certamina toleramus. His dictis vniuersus populus roboratus, vocibúsque simul & armorum plausu sententiam Ducis firmauerunt. Tunc vnanimiter inuocato Dei auxilio iamdictam Carbonariam siluam transeunt, hostiliter cuncta vastantes. & ad interiores Regni illius partes intrepidi perueniunt, haud procúlque ab oppido Vermandorum, iuxta villam cui vocabulum est Textricium, castra posuerunt. Theodericus igitur cùm audisset hostem in sui Regni penetralibus commorantem, exercitum congregat, aciem contra PIPPINVM construit, ex alia parte prædictæ villæ castra ponit. Inter quos modicus quidem fluuius, sed difficili traiecto defluebat, qui ab incolis Dalmannio nuncupatur. PIPPINVS itaque ab Aquilone eiusdem fluminis, Theodericus ab Austro consederat. Pippinus ergo ad Theodericum Legatos dirigit, C

rigit,

A rigit, ea quæ pacis sunt offerens. Causas aduentus sui indicat, scilicet vt pro Ecclesiis Dei apud illum intercederet. vt quod iniqui tyranni illis abstulerant, hoc ille in commune eorum elemosyna reformaret. vt profugis, qui fidem ipsius expetierant, iustitiam de rebus ablatis facere iuberet. Multa quoque pondera auri & argenti se sibi dare spopondit, si eius suggestionibus adquiesceret, & pacem cum ipso magis quàm prœlium habere eligeret. Ne fortè ipso renuente ciuile bellum existeret, in quo nobilissimus & cognatus sanguis Francorum sub incerto belli impetu funderetur. Nuncij itaq; Legationis officio functi. Theodericus Consiliarios suos alloquitur, & quid super his faciendum sit exposcit. Bertarius more solito iniquo consilio pacem oblatam à Pippino dissipat, hostem armis patriâ pelli suadet: vt damna, quæ in illo itinere perpetrauerant, sanguine piarent. Theodericus ergo bellum indicat, Legatósque pro Pippino proteruè alloquens, ad propria reuerti iubet, & ea quæ pacis erant abnuit. Legati autem PIPPINVM de his omnibus certum reddunt. Qui properè hæc omnia suis Proceribus innotescit, & nihil aliud superesse comperit, quàm cum CHRISTI auxilio arrogantem superborum impetum superare. Tota itaque die illa de commissione prœlij ex vtraque parte non paribus consiliis tractabatur. Nam Theodericus in innumerabilis populi multitudine magis quàm in consiliis prudentiæ confidens, traditum sibi iam PIPPINVM cum vniuerso exercitu suo manibus & verbis gloriabatur. Et ob hoc nihil aliud

PIPPINVS DVX.

B Pippinum pacem postulasse affirmabat, nisi quia pauore perterritus bellũ cum ipso committere non auderet. PIPPINVS contrà Optimates suos dulcibus alloquiis ammonebat, vt sese votis & orationibus Dei omnipotentiæ defendendos commendarent, qui dat honorem & victoriam omnibus timentibus eum, & custodientibus præcepta eius. Se verò non propter cupiditatem Regni, sed propter oppressorum querelas, qui fidem ipsius inuocato nomine Domini adierant, & pro defensione ipsorum, talibus ac tantis periculis se non dubitaret opponere. Fiducialiter autem se ad bellum processurum esse denunciat, quod pro eius amore gerebat, qui potestatem habet saluos facere sperantes in se, & vota omnium & intentiones cordium inæstimabili scientiæ luce rimatur. His igitur & talibus allocutionibus suorum pectora roborauit fidelium. itavt quasi iam cœlitus patrata victoria, alacri corde grates omnipotenti Domino personarent. Itaque vnanimiter sese ad bellum accingunt. PIPPINVS ergo prudentissima prouidentiâ in quodam eminentiori colle locum certamini delegit, & quo ad illum accedendum erat prouida speculatione ostendit. Igitur diem illam cum nocte magno curarum æstu Pippinus Princeps transegit, & inlucescente aurora copias ex castris educit, & magno silentio Dalmannionem fluuium transiit, atque ab Orientali parte castrorum Theoderici, provt pridie constituerat, aciem ordinat. Ducibus singulas legiones commendat, & vt patienter ortũ solis præstolentur adnunciat. vt cum Dei auxilio reuerberantibus radiis solis, hostiũ obtutus titubaret. Orto igitur iam sole, Theoderico sui nunciant

C Pippini castra deserta, & ignibus esse consumpta. Quibus ille auditis, copias ad persequendos hostes è castris educit. Cui intrepidus & præstantior consilio & armis Princeps Pippinus occurrit. Commissóque acerrimo prœlio, Theodericus cũ Consiliario suo Bertario in fugam versus, cunctos Optimates in ore gladij interemptos dereliquit. Nec prius cœpto fugæ cursum terminauit, quàm Sequanæ amnis flucta transiret. Bertarius quoque vagus & profugus, timore perterritus per diuersa loca latitans, ad vltimum à suis suam stultitiam non ferentibus interimitur. PIPPINVS igitur victor castra hostium inuadens, spolia ampla, Deo gratias referens, suis fidelibus impertitur. Plurimi autem ex prœlio fugâ lapsi Ecclesiis & Monasteriis sese defendendos crediderunt. Quorum maxima turba ad beati Quintini Martyris limina, nonnulli ad PERRONAM Scotorum Monasterium, in quo beatus Furseus corpore requiescit, confugium fecerunt. Pro quibus, interuentu Abbatum locorum illorum, mitissimus Princeps Pippinus, acceptis ab his tantummodo sacramentis, cunctis vitam & hereditatem donauit. Profectúsque inde, Theodericum fugientem persequitur, & PARISIVS vsque ciuitatem peruenit. Quam subditione in potestatem redactam, Theodericum quoque recipiens, ne tyrannidem videretur exercere, nomen illi Regis inæstimabili pietate reseruauit. Ipse verò totius Regni gubernacula, thesaurósque regios, & vniuersi exercitus dominationem propriæ facultatis iure disponenda retinuit.

Pippinvs Dvx. 691. Igitvr anno ab Incarnatione Domini dcxci. Pippinvs singularem Francorum obtinuit Principatum. Correctisque omnibus prauitatibus, quæ in illis partibus per cupiditatem & iniquitatem Principum per multos annos adoleuerant, cunctam illam patriam in Christi seruicio florentem pacatissimámque reddidit. Ex hoc ergo tempore iam non de Principatu Francorum, sed de diuersarum Gentium adquisitione, quæ quondam Francis subiectæ fuerant, inuicto Principi certamen instabat, id est contra Saxones, Frisiones, Alemannos, Baiouuarios, Aquitanios, VVascones, atque Brittones. Harum enim Gentium Duces in contumaciam versi, à Francorum se dominio per desidiam præcedentium Principum, iniqua se præsumptione abstraxerant. E quibus quosdam præcellentissimus Princeps Pippinus iam subegerat, quidam adhuc rebelles exstiterant. Dispositis autem prudenter omnibus in Occidentalis Regni gubernaculis, ad Orientalis Imperij sui sedes cum summa gloria & exultatione reuertitur. Ibique prosperis Christo largiente successibus Deo protectori suo gratias referens, residuum illius anni circuli tempus lætus expleuit. A

692. Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesv Christi dcxcii. Pippinvs exercitum vniuersalem Francorum adunare præcepit. Tractatisque de vtilitate Imperij consiliis, occurrit Radbodi Frisionum Ducis obuiare superbiæ, qui tantæ stultitiæ inuolutus caligine fuit, vt contra Pippinum inuictum Principem aciem parare præsumeret. In qua victus atque fugatus, maximam partem exercitus sui perdidit. Seráque tandem pœnitentiâ ductus, Legatos ad Pippinum dirigens pacem postulat, séque cum his quos regebat suæ ditioni subdidit. Obsidibus quoque datis, Pippini tributarius efficitur. His itaque peractis, Synodum adunare præcepit. In qua vtilitatibus Ecclesiarum, orphanorum, ac viduarum, consideratis; sese in opinatissimis Regni sui sedibus cum suis fidelibus ad hibernandum locauit. Singulis verò annis in Kalendis Martij generale cum omnibus Francis secundum priscorum consuetudinem Concilium agebat. In quo ob regij nominis reuerentiam eum, quem sibi ipse propter humilitatis & mansuetudinis magnitudinem præfecerat, præsidere iubebat: donec ab omnibus Optimatibus Francorum donariis acceptis, verbóque pro pace & defensione Ecclesiarum Dei, & pupillorum & viduarum facto, raptúque feminarum & incendio solido decreto interdicto, exercitui quoque præcepto dato, vt quacumque die illis denunciaretur, parati essent in partem quam ipse disponeret proficisci. His peractis, Regem illum ad Mamaccas villam publicam custodiendum cum honore & veneratione mittebat. Ipse verò præcinctus robore, comitante diuino auxilio, Regnum Francorum interiùs iustitiâ & pace, exteriùs prudentissimis consiliis, atque inuictis armorum præsidiis, auxiliante Domino, gubernabat. Confluebant autem ad eum circumsitarum gentium Legationes, Græcorum scilicet, & Romanorum, Langobardorum, Hunorum quoque & Sclauorum, atque Sarracenorum. Exierat enim fama victoriæ & triumphorum eius in omnes Gentes. vt merito propter virtutem & prudentiam eius cunctæ circumsitæ nationes amicitiam illius magnis oblatis muneribus implorarent. Quos ille clementer suscipiens, maioribus remuneratos donis ad propria dirigebat. Ipse quoque haud segniùs oportuno tempore Legatos suos pro vtilitatibus Imperij sui per diuersas regiones dirigens, pacem & amicitiam circumpositarum gentium cum maximo fauore impetrabat. B C

Huc vsque Fragmentũ à Frehero editum.

693. Anno Dominicæ Incarnationis Domini nostri Iesv Christi dcxciii. Pippini verò singularis Principatus super Theodericum. Qui antequam vinceretur à Pippino annis xiv. victus verò sub eodem regnauit iii. annis, moritur. Cui, ob iam dictæ pietatis affectum, filius eius paruulus nomine Clodovevs à Pippino ordinatur in Regem. Qui dum quartum annum in Regno compleuisset, innocentem vitam finiuit. Pippinus verò nihilominus Regem pro eo fratrem ipsius Hildebertvm constituit. Illis quidem nomina Regum imponens, ipse totius Regni habens priuilegium, cum summa gloria & honore tractabat. Labentibus itaque annorum curriculis, subiectis domitisque vicinis Nationibus, Frãcorum imperium Pippinvs mirifico ordine disponebat. Igitur Drogonem primogenitum suum Ducem posuit Burgundionum, tradens sibi vxorem Avstrvdem filiam VVarattonis quondam illustris Maioris domus, derelictam Bertarij, qui de Textriciaco prœlio, vt superiùs retulimus, aufugerat, nec multò post à suis interfe-

A ctus interierat. Hæc Drogoni peperit filium, quem vocauit HVGONEM. Hunc religiosa & strenua matrona ANSFREDIS auia sua, relicta vxor siquidem VVarattonis, ad nutriendum susceperat. Hæc igitur prudentiæ & prouidæ industriæ spiritu plena, animum pueri cottidianis ammonitionibus corroborabat, vt sese cum omnibus quæ habebat Dei seruitio manciparet. Vnde factum est, vt sacrarum litterarum studio imbutus, cunctos suos sapientiâ & religione anteiret. Secundúmque sanctam suggestionem præclaræ nutricis suæ cœpit terrena cuncta despicere, & ad regna cœlestia viriliter anhelare. Remorum verò scilicet & Senonum, ceterarúmque vrbium ad ipsum Ducatum pertinentium; PIPPINVS iuniorem filium suum nomine GRIMOALDVM Maioremdomus cum Hildeberto Rege constituit. Fuit autem idem Grimoaldus vir mitissimus, omníque bonitate & mansuetudine plenus. Qui, vt à patre didicerat, Francos cum summa vigilãtia & pietate regebat. PIPPINVS DVX.

ANNO ab Incarnatione Domini DCXCVII. PIPPINVS Princeps duxit exercitum contra Frisiones, & RADBODEM Ducem ipsorum immitem atque paganum, qui verba Principis Pippini sæpè contempserat, & fines Principatus eius crebris inruptionibus vexabat. Adunato igitur exercitu, iuxta castrum, quod dicitur Dorestadum, castra metatus est. Cui occurit cum valida manu, & pugna commissa est. Vbi Frisiones superba manu Radbodi in aciem properantes, valida pugna commissa est, vbi Frisiones magna clade percussi sunt. Fugatóque Duce eorum B Radbod, Pippinus victor extitit. Captis itaque innumerabilibus spoliis, victor ad propria reuersus est. Hinc annis singulis circumsitas Gentes cum exercitu Pippinus fortiter proterit, & suæ ditioni subegit. 697.

LAPSISQVE post hæc aliquibus annis, anno ab Incarnatione Domini DCC. VIII. DROGO filius Pippini primogenitus defunctus est, & sepultus est iuxta Mettensem vrbem in Basilica beati ARNVLFI Confessoris. Cui in Principatum germanus eius GRIMOALDVS Pippino genitore suo ordinante successit. 708.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCIX. Pippinus contra Alamannos exercitum ducens, magnificè de illis, omníque illa regione triumphauit. 709.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCX. PIPPINVS iterum contra rebelles Alamannos exercitũ duxit. Incensáque eadem regione, captiuisque & spoliis multis adeptis, victor ad propria reuertitur. Eodémque anno aquæ inundauerũt valde. 710.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCXI. Hildebertus Rex obiit. Sepultúsque est CAVCIACO in Basilica Sancti Stephani martyris. Qui gubernante Pippino regnauerat annis XVI. Post cuius decessum Pippinus solita pietate filium eius DAGOBERTVM in Regem ordinauit. In illo tempore Grimoaldus filiam Radbodi Ducis Frisionum duxit vxorem. 711.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCXII. Pippinus iterum obstinatione Alamannorum motus, Rhenum transiens cum valida manu, totam illam regionem subuertit, suæque ditioni subegit. 712.

C ANNO ab Incarn. Dom. DCCXIII. Pippinus Princeps infra Principatus sui terminos ea quæ pacis erant disponens, in nullam partem eo anno exercitum duxit. 713.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCXIV. ægrotante Pippino in Iopila villa publica, quæ sita est super fluuium Mosam, cùm ad visitandum eum Grimoaldus filius eius properaret, & ad orationem in Basilica Sancti Lanberti Martyris processisset, & diutiùs in oratione pronus persisteret, à nequissimo viro nomine RANGARIO gladio percussus occubuit. Pippinus verò Princeps de infirmitate conualescens, omnes qui in illo consilio fuerant iusta vltione interemit. In locúmque Grimoaldi filium eius paruulum ex concubina natum nomine THEODALDVM Maiorem domus cum Dagoberto Rege constituit. Eodem quoque anno PIPPINVS Princeps iterum molestia corporali correptus, circumsitis Gentibus Francorum dominationi subactis, in pace obiit XVII. Kal. Ianuar. Rexit autem populum Francorũ annis XXVII. & mensibus sex. Reliquitque superstitem filium nomine KAROLVM. Defuncto autem PIPPINO, maxima conturbatio orta est in gente Francorum. Nam maiores natu filij eius Drogo & Grimoaldus ipso viuente vitæ discesserant. Theobaldus verò Grimoaldi ex concubina filius adhuc puer erat. Qui etsi patri in Principatu successerat, minimè tamen tãtum Regnum dignè gubernare præualebat. KAROLVS verò, quem solum pater dignum hæredem tantæ potestatis superstitem reliquerat, nouercales insidias grauiter tolerabat. PLECTRVDIS 714.

CAROLVS MARTELLVS. etenim relicta Pippini vidua incōparabili odio contra Karolum succensa, custodiâ eum publica obseruari iubet. Vnde ille diuino auxilio liberatus est. Ipsa verò Plectrudis dum nepoti suo Theodaldo fauere desiderat, Karolum à legitima paterni Imperij gubernatione prohibebat. ipsáque cum infantulo muliebri consilio tanti Regni habenas tractare præsumebat. Quod dum crudeliùs quàm oporteret astu femineo disponere decreuisset, iram Niustrium Francorū in nepotis sui interitum, & Principum qui cum eo erant, celeriter conuertit. Super exercitum enim Theodaldi in Cotia silua repentino impetu irruentes, cæde maxima trucidarunt. Theodaldus verò cum paucis vix euasit. Qui non multo post tempore vitam innocentem finiuit. Cuius in locum RAGINFRIDVM Maiorem domus sub Dagoberto Rege constituunt. Tunc Gens illa omnium beneficiorum inuicti Principis pariter oblita, in Austrasiam toto impetu properantes, vsque ad Mosam fluuium totam illam regionem vastauerunt. Fœdus quoque cum Radbodo Duce Frisionum contra Karolum pacti sunt. Sed Dominus, qui dat & non improbat, Karolum de insidiis nouercalibus eruens, palam eum trepidantibus manifestum produxit. Tunc veluti cùm sol radios præclaros eclipsim ad modicum passos cuncto exerit orbi, sic Pippini KAROLVS dignissimus hæres languentibus & penè desperantibus de salute populis robustissimus defensor illuxit. Vt autem apertè cunctanti plebi apparuit, tanto fauore tantáque gratulatione ab vniuersis susceptus est, ac si dominator eorum Pippinus ad eorum consolationem reuixisset. A B

716. SECVNDO autem anno post discessum patris sui Pippini, KAROLVS Austrasiorum sortitus est Principatum. Nam primo anno post obitum Pippini, RAGINFRIDVS vsque ad Mosam fluuium Austrasios vastauit, & cum Radbodo fœdus iniit. Saxonésque terram Hattariorum vastauerunt. Eodem tempore DAGOBERTVS Rex obiit, qui regnauit annis v. Franci verò nimirum DANIELEM quendam Clericum cæsarie capitis crescente in Regnum stabiliunt, atque CHILPERICVM nuncupant. Cùm ergo audisset idem Chilpericus cum Raginfrido, quòd Karolus solium patris magna iam ex parte conscenderat, inuidiâ, immò terrore ducti, exercitum aduersus eum congregant: Radbodoni suggerentes, vt ipse ex vna parte super eum irrueret, ipsi verò ex altera parte per Arduennam siluam in RIGVARIOS exercitum ducerent, vt ipsum ex vtrisque partibus cohercerent. Karolus autem præcellentissimus Princeps de aduentu Radbodi certior factus, occurrit ei. Initóqu certamine, magna ex vtraque parte clades extitit. Dirimente nocte cædem, hostis vterque suis sese mandauit. Karolo autem visum est ad resistendum hosti copias augere. Indè egressus, missos huc atque illuc dirigens, ad defensionem patriæ congregare exercitum præcepit, vt oportuno tempore hosti occurreret. Dum hæc agerentur, nuncius aduolat, & Chilpericum cum Raginfrido Arduennam siluam cum innumerabili exercitu transisse manifestat. Tunc prouidus Princeps Karolus exercitum suum in multas partes diuidens, insidiari vtroque exercitui inter iniqua loca disposuit. Ipse verò cum quingentis fermè viris Arduennam siluam, Amblauámque villam ascensu superat, & de summa colle hostium castra copiasque considerans, quid illis damni inferre posset prudentissima meditatione tractabat. Erat autem exercitus grandis nimis, cooperiens planiciem, in qua Amblaua villa publica sita est. Erat autem hora prandij, & exercitus Chilperici, æstiuum vt suadebat tempus, in tentoriis & vmbraculis reficiebat corpora sua. Cúmque inuictus Princeps summa de colle imminenti lumine omnia perlustraret, accessit ad eum quidam ex militibus, postulans vt sibi permitteret impetu singulari hostium cuneos perturbare. Cúmque hoc precibus vix tandem impetraret, arrepto cursu medium discumbentium irrupit agmen. Arreptóque eminus clypeo, gladium eduxit, & ab interioribus ad exteriora cursum dirigens, omnes quoscumque eminus inuenit trucidat, adforéque illis Karolum magnis vocibus proclamat. Concurrunt igitur vndique, hostémque bacchantem trucidare nituntur. Ipse verò ad fidum præsidium domini sui capiendum celerrimo cursu properabat. Karolus verò cernens militem suum in extremis periculis vitæ positum, non passus est ipsum perire. Sed impiger socios arma capere iubet, periclitantíque famulo audax liberator occurrit. Ereptúmque, hostem prosternens, innumerabilem inimicorum multitudinem in fugam conuertit. Ex quibus plures ad Ecclesiam, quæ in eadem villa Amblaua sita est, confugerunt. Quam cùm quidam in ipsius fugæ alacritate ingredi properaret, vnus C

A ex persequentibus posteriorem pedem foris limen Ecclesiæ gladio celeriter amputauit. Quem cùm socij piæ mentis affectu, cur basilicæ septa macularet arguerent, respondisse fertur, id quod Ecclesia contineret se obseruasse ne contingeret. Quod autem extra claustra illius celeritate cursus inuenerat, iure se amputasse firmabat. Concessit autem serenissimus Princeps Karolus vitam his qui ad Ecclesiam confugerant, eósque post Hilpericum ad planiciem fugientem inlæsos abire permisit. Ipse verò detractis ab hostibus spoliis, in propriis se sedibus ad tempus continuit. Chilpericus verò cum lasso exercitu ad Coloniam vrbem perrexit. Quam cùm expugnare temptaret, & in ambiguo exitu certaminis perduraret, Karolíque Principis aduentus die noctúque deterreret; acceptis ab oppidanis muneribus, regni sui tutamina non victor, sed profugus celeritate qua potuit penetrauit.

CAROLVS MARTELLVS.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCXVII. KAROLVS Princeps non immemor iniuriæ Chilperici, exercitum ab Oriente commouet, Carbonariámque siluam transiens, Chilperici Regnum magna ex parte depopulatus est. Quo comperto, idem Chilpericus cum Raginfrido Maiore domus ad defendendam patriam sibi in occursum properat. Castrametatus est autem vterque exercitus haud procul à se distantes in pago Camaracense iuxta villam quæ dicitur VINCIACVS. Karolus autem Princeps more maiorum Legatos suos ad Chilpericum dirigit, ea quæ pacis sunt postulans. Et ne fortè nobilium Francorum cruor inter illos B effunderetur, paternum sibi suadet restaurari Principatum. Compertúmque omnibus esse dicit, genitorem suum Pippinum omnibus Occidentalibus Francis olim cum iustitia & pietate dominasse. Nec illum aliquid aliud postulare, nisi vt præesset his quos pater suus quondam iusta ditione gubernauerat. Quod vt audiuit Chilpericus, & Raginfridus, magna indignatione repleti, non solùm sibi hoc imperium denegabant; sed id, quod sibi ex paterno Principatu contigerat, ipsum spoliare minitabant. illúmque, vt crastino die ad bellum præpararet, ammonebant. vt ibi diuinæ iustitiæ iudicium subiret, & quis deinceps Regnum Francorum regere deberet, diuina potestas declararet. Quo audito, Karolus Princeps Ducibus & Optimatibus superbi Regis responsum manifestat. ipse verò alacri animo bellum, quod Rex edixerat, cum Dei auxilio committere non tardabat. Crastino itaque die, cùm sol orbi refulsisset, vterque exercitus non æqua multitudine nec audaciâ acie conserta paratus ad bellum constiterat. Nam Hilpericus cum innumerabili exercitu, sed vulgari quidem commixta plebe, Karoli aduentum expectabat. Karolus verò Princeps cum pauciori quidem agmine, sed probatissimis ad certamen viris aciem in hostem dirigebat. Commissa est autem in illa die crudelissima pugna. Quæ diu sub incerta sorte victoriæ vtraque ex parte dimicauit. Tandem enim ambiguitas * sui succurrente Karolo diuina misericordia, Chilpericus Rex cum suis in fugam versus est. Ragenfridus quoque fugâ lapsus, socios suos cruentæ cædi exterminandos dereliquit. Karolus verò Princeps, diuino auxilio victoriâ patrata, C spolia innumerabilia suis fidelibus distribuit, & ad persequendum Chilpericum Regem & Ragenfridum iter agere cœpit. Persecutúsque est eos vsque in Parisius ciuitatem. Cunctáque illa regione subacta, cum magna lætitia & prosperitate ad Orientales partes sui Imperij est reuersus, Coloniámque vrbem ingressus, paternis thesauris à Plectrude nouerca sua receptis, in solio Regni sui dignissimus hæres resedit. Chilpericus itaque & Ragenfridus legationem ad EODONEM Ducem Aquitaniorum dirigunt, eiúsque auxilium postulant, & vt Karolo cum eis resisteret magnis muneribus inuitabant. 717.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCXVIII. EODO Dux Aquitaniorum, commoto exercitu VVasconum, simul cum Chilperico & Ragenfrido aduersus Karolum Principem arma corripit. Karolus autem intrepidus eis occurrere maturauit. Quod cùm audisset Eodo, Karolum esse in itinere, & paratum esse à finibus Regni sui superbum hostem repellere, territus fugit, Chilpericum secum Regem, thesaurisque regalibus sublatis, euexit. Karolus verò secutus est eum vsque Aurelianis ciuitatem. ibique castra posuit, & legatos ad Eodonem mittit. & vt sibi Regem cum thesauris quos abstulerat transmittere non tardaret, mandauit. Ipse verò Eodo terrore perculsus, verba Karoli Principis contemnere non audens, statim sibi Regem Chilpericum cum thesauris direxit. Suscepto autem Rege, Karolus mi- 718.

CAROLVS MARTELLVS. sericorditer erga ipsum egit, sedémque illi regalē sub sua ditione concessit. Eodem A
autem anno Karolus Princeps vastauit Saxoniam plaga magna, & peruenit vsque ad VViseram fluuium. Omnique illa regione subacta, ad propria victor reuertitur. His temporibus VVINFRIDVS, qui & postea cùm Episcopus ordinaretur BONEFACII nomen accepit, doctor Catholicus, natione Anglus, primùm Romam, deinde cum auctoritate Gregorij Papæ in Franciam ad prædicandum verbum Dei venit. Idémque Bonefacius à Præsule Sedis Apostolicæ Gregorio Magontiæ ciuitati metropoli Germaniæ Archiepiscopus ordinatur, & Legatus Germanicus Romanæ Ecclesiæ in Franciam mittitur. Qui prædicatione sua multos populos, Thuringorum videlicet, Hessionum, & Austrasiorum, ad fidem rectam, à qua diu aberrauerant, conuertit. Monasteria quoque Monachorum & Virginum primus in partibus Germaniæ instituit.

719. ANNO ab Incarnatione Domini DCCXIX. Karolus congregato exercitu Rhenum fluuium transiit, Alamanniámque lustrat, & ad Danubium vsque peruenit. Illóque traiecto, cum thesauris multis & matrona quadam nomine PLECTRVDE*, & nepta sua SONIHILDE, adiuuante Domino victor ad proprias sedes reuertitur.

*al. C. Bilitrvde.

725. ANNO ab Incarnatione Domini DCCXXV. transactis fermè v. annorum cursibus, Raginfridus quondam Maior domus contra Karolum se erigere temptauit. Contra quem Karolus exercitum duxit, & illum in ciuitate ANDEGAVIS B
inclusit. filiúmque eius obsidem ducens, ipsum Comitatum sibi quamdiu vixit solita pietate habere concessit.

731. LAPSIS etiam curriculis annorum VI. anno scilicet DCCXXXI. ab Incarnatione Domini, EODO Dux Aquitaniorum à iure fœderis, quod Karolo Principi promiserat, recessit. Quo comperto, Carolus Princeps exercitum congregans, Ligerem fluuium transiit. Eodone verò fugato, bis eodem anno Aquitaniam populatus est. Multis quoque thesauris sublatis, ad proprias sedes Principatus sui cum gaudio remeauit.

732. ANNO ab Incarnatione Domini DCCXXXII. Eodo dux cernens se esse superatum, & ad defendendam patriam suam contra Karolum se viribus destitutum, gentem perfidam Sarracenorum ad auxiliandum sibi inuitat. Qui cum Rege suo ABDIRAMA nomine Garonnam fluuium transeunt, & Burdigalam vrbem peruenerunt. Ibique Ecclesiis Dei igne concrematis, plurimisque Christianis interfectis, vsque ad Pictauam vrbem profecti sunt. Basilicáque Sancti Hilarij concremata, ad beatissimi Martini Ecclesiam subuertendam summo conamine proficisci contendunt. Contra quos Karolus Princeps iuxta vrbem Pictauam aciem instruxit, & super eos inuocato Christi auxilio intrepidus irruit, & eos cum Rege eorum vsque ad internecionem deleuit. Acceptisque spoliis eorum, nomen Domini glorificans, tota iam Aquitaniâ subacta, ad propria reuertitur.

733. ANNO ab Incarnatione Domini DCCXXXIII. Karolus Princeps Regnum C
Burgundiæ cum valida manu penetrauit, finésque Regni illius fidelibus suis Ducibus probatissimis ad regendum dedit. Indéque victor reuersus, ad propria rediit. in omnibus sese sapienter & fiducialiter agens.

734. ANNO ab Incarnatione Domini DCCXXXIV. Karolus Princeps in Frisiam proficiscitur, omnésque rebelles eius Gentes trucidauit. ceterósque, quos viuos reliquit, acceptis obsidibus suæ ditioni subiugauit.

735. ANNO ab Incarnatione Domini DCCXXXV. Eodo Dux mortuus est. Quod cùm audisset inuictus Princeps Karolus, adunato exercitu Ligerem fluuium transijit, & vsque Garonnam & vrbem Burdegalensem & castra Blauia occupauit. Illámque regionem cepit & subiugauit, cum vrbibus ac suburbanis eorum. Ducatúmque illum solita pietate HVNALDO filio Eodonis dedit. qui sibi, & filiis suis PIPPINO & KARLOMANNO fidem promisit.

736. ANNO ab Incarnatione Domini DCCXXXVI. perfida gens Frisionum fidem, quam dudum Karolo promiserat, fraudare conatur. Contra quos Karolus nauali euectione præparat exercitum. Altúmque mare ingressus, nauium copia adunata, ad VVistriamchi & VVastrachia insulas peruenit. Super Bordinem verò fluuium castra ponens, POPONEM gentilem Ducem illorum interfecit, exercitúmque prostrauit, fana eorum destruxit, & cum innumerabilibus spoliis Chri-

A sto auspice ad propria est reuersus. Eodem quoque anno Karolus Princeps Burgundiam adiit, Lugdunúmque Galliæ vrbem munitissimam suæ ditioni subegit, & vsque Massiliensem vrbem & Arelatem ciuitatem penetrauit, suísque Ducibus omnia in potestate tradens, ad sedem Principatus sui feliciter remeauit. Collectóque exercitu, Saxoniam bello contriuit, sibíque tributarios fecit. CAROLVS MARTELLVS.

ANNO DCCXXXVII. Nunciatum est inuicto Karolo Principi, quòd sæua gens Sarracenorum, obtenta Septimania & Gothia, in partes iam Prouinciæ irruissent, castrúmque munitissimum Auinionem per fraudem quorumdam Prouincialium Comitatum illum obtinuissent. Quapropter exercitum congregans, illuc iter dirigebat. Præmisísque quibusdam exercitus sui Principibus, qui castrum obsiderent, ipse prosecutus est, prædictámque vrbem obsidione circumdat. Machinisq; compositis, vrbem munitissimam diruit, ipsámque cum habitatoribus suis igne & gladio consumit. Rodanum fluuium dehinc transit, Gothorum fines penetrauit, Narbonem vrbem celeberrimam castris circumcinxit, Regem Sarracenorum nomine ADTHIMA cum satellitibus suis ibidem reclusit. Hæc audientes maiores natu Sarracenorum, qui morabantur in regione Hispaniæ, collecto exercitu, cum alio Rege nomine AMORMACHA aduersus Karolum arma corripiunt. Contra quos inuictus Princeps Karolus, ciuitate Narbona sub custodia derelicta, in loco qui vocatur Birra, septimo ab vrbe milliario intrepidus occurrit. Vbi, diuina misericordia succurrente, pugnâ acerrima commissa, Karolus Princeps victor extitit. Regem verò præfatum Sarracenorum interemit, exercitúmque eius penitus vsque ad internecionem deleuit, spoliísque innumerabilibus ditatus, cuncta depopulata Gothia, diruptísque ciuitatibus, deuictísque vniuersis hostibus, præter eos quos in Narbona incluserat vrbe, eadem sub custodia derelicta, cum magno triumpho remeauit in Franciam. 737.

B

ANNO DCCXXXVIII. Karolus Princeps Renum transiens, Saxoniámque hostiliter inuadens, Saxones obsidibus acceptis propriæ ditioni restituit, ipsósque iterum sibi tributarios fecit. 738.

ANNO DCCXXXIX. Karolus commoto exercitu vniuersali, in partibus Prouinciæ iter dirigit, Auinionémque iterum cepit. Totáque Prouincia vsque ad litus maris peragrata, ad Massiliam peruenit. Fugatóque Duce MORONTO, qui quondam Sarracenos in suæ perfidiæ præsidium adsciuerat, nullo iam relicto aduersario, totam illam regionem Francorum imperio subiugauit. Et cunctis strenuè dispositis, ad proprias reuersus est sedes. 739.

ANNO DCCXL. Karolus Princeps præcellentissimus, deuictis in circuitu Francorum hostibus, eo anno interiora Regni sui cum pace disponens, in nullam partem exercitum duxit. 740.

ANNO DCCXLI. KAROLVS Princeps domitis circumquaque positis Gentibus, dum ea quæ pacis erant infra sui regiminis terminos disponeret, bis eodem anno Legationem beatissimi GREGORII Papæ ab Apostolica Sede directam suscepit. Qui sibi claues venerandi Sepulcri Principis Apostolorum Petri, eiusdémque preciosa vincula cum muneribus magnis delatis obtulerunt. quod antea nulli Francorum Principi à quolibet Præsule Romanæ vrbis directum fuit. Epistolam quoque decreto Romanorum Principum sibi prædictus Præsul Gregorius miserat, quòd sese populus Romanus, relicta Imperatoris dominatione, ad suam defensionem & inuictam clementiam conuertere voluisset. Ipse verò, his omnibus cum gaudio & gratiarum actione Domino repensis, cum maioribus muneribus ipsos Legatos ad propria dirigebat. Viros quoque religiosos ex suis fidelibus cum magnis muneribus ad limina beati Petri Apostolorum Principis anno eodem dirigit, GRIMONEM scilicet Corbiensis Monasterij Abbatem, & SIGIBERTVM reclusum Basilicæ sancti Dionysij Martyris, & per eos omnia in responsis quæ sibi visa fuerant, memorato Præsuli scriptis Epistolis destinauit. Eodem verò anno, dum memoratus Princeps Karolus se ægrotare cerneret, congregatis in vnum omnibus Optimatibus suis, Principatum suum inter filios suos æqua lance diuisit. Primogenito suo KAROLOMANNO Austriam, Alamanniam, Turingiámque subiugauit. Filio verò iuniori PIPPINO Niustriam, Burgundiam, Prouinciámque concessit. His ritè peractis, Pippinus iam Princeps factus pro quibusdam causis corrigendis exercitum in Burgundiam ducit, & ea quæ emendanda 741.

C

CARLOMANNVS ET PIPPINVS.

fuerant in Principatu Gentis illius solida gubernatione correxit. Eodem anno in Sole & Luna & stellis signa apparuerunt, & sacratissimus ordo Paschalis turbatus fuit. Karolus prӕterea Princeps ad Parisiacam ciuitatem properans, ad sepulcrum beatissimi Martyris Dionysij orationis causâ peruenit. cui multa munera post actam orationem deuoto animo contulit. Indè verò veniens ad Carisiacam villam super fluuium Isera sitam perrexit. in qua valida febre correptus in pace obiit, cunctis in giro Gentibus positis Francorum ditioni subactis. Rexitque populum Francorum annis XXVI. mensibus VI. Transiit itaque XI. Kal. Nouembris, sepultúsque haud longè à Parisiaca ciuitate in Basilica sancti Dionysij Martyris. KAROLVS autem adhuc viuens, cùm inter filios suos Karlomannum & Pippinum Principatum suum diuideret, tertio filio suo GRIPPONI, quem ex SONIHILDE, quam de Bauuaria captiuam adduxerat, habuit, suadente eadem concubina sua, partem ei in medio Principatus sui tribuit: partem videlicet aliquam Niustriӕ, partémque Austriӕ, & Burgundiӕ. De hac autem tertia portione, quam GRIPPONI adolescenti decessurus Princeps tradiderat, Franci valde contristati erant, quòd per consilium mulieris improbӕ fuissent diuisi, & à legitimis heredibus seiuncti. Consilióque inito, sumptis secum Principibus Karlomanno & Pippino, ad capiendum Gripponem exercitum congregant. Hӕc audiens Grippo, vnà cum Sonihilde genitrice sua fugâ lapsus, cum his qui eum sequi voluerant, in Lugduno Clauato se incluserunt. Karlomannus verò & Pippinus eos subsequentes, castrum obsident. Cernens autem Grippo quòd minimè posset euadere, in fiduciam fratrum suorum venit. Quem Karlomannus accipiens, in noua castella custodiendum transmisit. Sonihildi verò Calam Monasterium dederunt. B

742. ANNO DCCXLII. Karlomannus & Pippinus in partibus Aquitaniӕ cum exercitu aduersus HVNALDVM perrexerunt. Nam eidem Hunaldo Karolus Princeps Aquitaniorum Ducatum tribuit, quando sibi & filiis suis fidem promisit. Defuncto verò Karolo, ab iure fidei promissӕ superba prӕsumptione deceptus recessit. Ipsi verò Ligeram transeunt germani, Aquitaniam vastant, fugientem Hunaldum persequentes. Inter has aliásque firmitates, castrum quod appellatur Lucas viriliter conquisierunt, & misericorditer ciuibus captis pepercerunt. In ipso autem itinere diuiserunt Regnum Francorum, in loco qui dicitur Vetus Pictauis. Eodem quoque anno Karlomannus Alamanniam vastauit.

743. ANNO Dominicӕ Incarnationis DCCXLIII. OGDILO Dux Baioariorum, qui HILTRVDEM filiam Karoli ad se fugientem in coniugium sibi copulauerat contra voluntatem Pippini & Karlomanni, se & etiam Ducatum suum, quem largiente olim Karolo Principe habuerat, à dominatione Francorum subtrahere nitebatur. Qua de causa compulsi sunt gloriosi germani exercitum contra ipsum ducere. Venientes autem super fluuium qui dicitur Lech, castra metati sunt in planicie super ripam prӕdicti amnis. Baioarij quoque ex alia parte contra eos exercitum adunauerunt, conductósque in adiutorium Saxones & Alamannos & Sclauos secum habuerunt. Sedit autem vterque exercitus in eodem loco XV. diebus. Erat autem in eo loco ipse fluuius intransmeabilis. Nam memoratus OGDILO Dux vallum firmissimum fecerat inter se & hostes. Prouocati tandem Franci inrisionibus Gentis illius, indignatione commoti periculo se dederunt, & per loca, per quӕ plaustra ducebantur, nocte inruentes, diuisis exercitibus inprouisos Baioarios occupauerunt. Commissóque prœlio, Ogdilo Dux, cӕso exercitu, vix cum paucis turpiter fugiendo Innum fluuium transiit. & sic manus inuictorum Principum euasit. TEOBALDVS quoque timore perterritus, in aliam partem fugam iniit. Ipsi verò victores cum exercitu suo Baioariam circumeunt, & moram fecerunt in eadem regione quinquaginta duorum dierum. Captus est autem in eodem prœlio SERGIVS Presbyter missus domni ZACHARIӔ Papӕ, qui pridie quàm bellum committeretur ab Ogdilone Karlomanno & Pippino directus fuerat, falsóque ex auctoritate domni Apostolici bellum interdixerat, & quasi ex prӕcepto supradicti Pontificis Francos à Baioariis discedere persuaserat. Patrata itaque victoriâ, in prӕsentiam inuictorum Principum perductus est, vnà cum GAVZEBALDO Episcopo. Cui Pippinus Princeps sedato pectore dixit. C
» O domine Sergi, modo cognouimus, quia non probaris esse sanctus Petrus Apo-»
» stolus, nec Legationem illius ex veritate geris. Dixisti enim nobis hesterna die,»

A quòd domnus Apostolicus ex auctoritate sancti Petri & sua nostram iustitiam de Baioariis contradixisset. Et nos diximus tibi, quòd nec sanctus Petrus, nec domnus Apostolicus te istam legationem misisset dicere. Idcirco autem scias, quia si sanctus Petrus cognouisset quòd nostra iustitia non fuisset, hodie in isto bello nobis adiutorium non præstitisset. Nunc verò certus esto, per intercessionem beati Petri Apostolorum Principis, & per iudicium Dei, quod subire non distulimus, Baioariam Baioariósque ad Francorum Imperium pertinere. Hæc autem dum apud Baioarios agerentur, HVNALDVS Dux Aquitaniæ Ligerim transiens cum manu valida, ad Carnotis vrbem perueniens, ipsa ciuitate diruta, igne eam cremauit, cum Ecclesia Episcopali quæ in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ consecrata fuerat. Hæc autem fecit per suggestionem Ogdilonis Ducis. Qui per internuncios inuicem fœdus inierunt, vt vnusquisque eorum inruentibus Francis ferre alter alteri subsidium debuissent. Eodem anno Karlomannus perrexit in Saxoniam, & cepit castrum quod dicitur Ocsioburg, & THEODERICVM Ducem Saxonum subiugauit.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCXLIV. Pippinus & Karlomannus non immemores iniuriarum Hunaldi perfidi Ducis, & vastationis quam illis in Baioariam dimicantibus perpetrauit, collecto exercitu Ligerim transeunt, & castra in finibus Aquitaniæ ponunt. Videns autem Hunaldus quòd eis resistere non valeret, omnem voluntatem eorum se facere sacramentis & obsidibus datis spopondit, ipsúmque cum omnibus quæ habebat, inuictorum Principum seruicio se mancipauit. Eodem quoque anno rebellantibus Saxonibus, Karlomannus & Pippinus super eos exercitum ducunt, & THEODERICVM perfidum Ducem illorum, ceteris subactis, altera iam vice ceperunt, captiuúmque secum in Franciam deduxerunt. Eodémque anno Hunaldus Dux germanum suum nomine HATTONEM per falsa sacramenta decipiens, de Pictauis ad se venire iussit. cui statim oculos eruit, & sub custodia retrusit. Sed non post multos dies, Hunaldus, coronã capitis deposita, & Monachi voto promisso, in Monasterium quod Radis insolã situm est, intrauit, filiúmque suum VVAIFARIVM in Principatu reliquit. 744.

B

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCXLV. Karlomannus adunata manu valida Saxoniam ingressus est. Captisque habitatoribus, qui suo Regno adfines esse videbantur, absque vllius belli discrimine feliciter conquisiuit. & plurimis eorum CHRISTO duce baptizatis, sacramenta baptismatis consecuti sunt. Eodem anno TEOBALDO rebellante filio GODEFRIDI Ducis Alamannorum, Pippinus cum virtute exercitus sui & Dei auxilio in Alamanniam ingressus, viriliter ipsum in fugam conuertit, & ad obsidionem Alpium fugientem expulit. reuocatóque illo, eiusdem loci Ducatum dedit, & ad propria remeauit. 745.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCXLVI. Karlomannus cùm vidisset Alamannorum infidelitatem, cum exercitu fines eorum irrupit, & Placitum instituit in loco qui dicitur Condistat. Ibíque coniunctus est exercitus Francorum & Alamannorum. Fuítque ibi magnum miraculum, quòd vnus exercitus alium comprehendit atque ligauit, absque vllo discrimine belli. Ipsos verò, qui Principes fuerunt cum Teobaldo in solatio Odilonis contra inuictos Principes Pippinum & Karlomannum, comprehendit, & misericorditer secundum singulorum merita correxit. Eodem quoque anno Karlomannus Princeps germano suo Pippino confessus est, quòd vellet seculum derelinquere, & Dei omnipotentis se seruicio mancipare. Inde vtrique se germani præparauerunt. Vnus videlicet, id est Karlomannus, vt pergeret ad limina Apostolorum Petri & Pauli. Pippinus verò laborabat, vt ipsum cum summo honore & muneribus magnis destinaret. 746.

C

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCXLVII. KARLOMANNVS Princeps suum Regnum derelinquens, ad limina beati Petri Apostoli cum plurimis suis Optimatibus & donis innumerabilibus peruenit, capitisque coma deposita habitum clericalem ordinante beato ZACHARIA Papa adsumpsit, aliquantóque tempore ibidem mansit. Consilio verò accepto eiusdem Pontificis, ad Cassinum Montem & Cœnobium sancti Benedicti perrexit. Ibíque obedientiam regulariter Optato Abbati promittens, monachicæ vitæ professionem spopondit, & in Soracte monte Monasterium ædificauit in honore sancti Siluestri. Ibíque per aliquod tempus moram faciens, exinde ad sanctum Benedictum in Cassinum vsque peruenit, 747.

CARLOMANNVS ET PIPPINVS.

& ibi Monachus effectus est. Fertur autem de hoc sancto viro exemplum memorabile. Cùm adhuc Romæ positus in Monasterio quod sibi ædificauerat, ab omnibus propter regiam nobilitatem, & quod maius est, propter contemptum Regni terreni, & gloriam præsentis seculi, veneraretur, & laudibus extolleretur, timens vir Deo plenus fauorem laudis humanæ, qui tanta pro Christo reliquerat, fugam magis arripere disposuit, quàm vanæ gloriæ subiacere. Et hoc tantummodo vni fido socio confessus, quem ob infantia in omnibus fidelem probauerat, cum eo noctu omnibus insciis aufugit, & ad Cassinum montem vsque peruenit, nihil secum portans ex omnibus bonis quæ corpori erant necessaria. nudus Christum secutus. Et iuxta morem portam Monasterij pulsans, colloquium Patris Monasterij expetiit. In cuius præsentia cùm venisset, mox in terram corruit, se homicidam esse, reum omnium criminum protestans, misericordiam exposcit, pœnitentiæ locum exquirit. Pater cùm hominem peregrinum esse cognouisset, interrogat cuius patriæ aut Gentis esset. At ille confessus est se Francum esse, & ex Francia pro tali scelere migrasse, exilium libenter ferre paratum. tantùm patriam cœlestem non amitteret. Spiritalis Pater eius precibus annuens, præcepit eum in Cella Nouitiorum recipi, vna cum suo collega, ibique probari secundum quod Regula iubet, & tantò artiùs quantò barbaræ & ignotæ Gentis homo erat, implens illud Apostolicum: *Probate Spiritus si ex Deo sunt.* Itaque probatus in omni patientia, sociatus est congregationi vna cum collega. Post emensum anni circulum professus stabilitatem, conuersationem morum, obedientiam secundum Regulam sancti Benedicti. Cœpit autem inreprehensibiliter inter Fratres conuersari, omnibus virtutibus pollens. Accidit autem vt, iuxta quod mos est, ad coquinæ officium Hebdomadarius deputaretur. Quod cùm libenter quidem faceret, sed in multis ignoranter offenderet, coquus vino exæstuans ei alapam dedit dicens: Ita te Fratribus deseruire oportet? Cui ille nil motus, placido vultu respondit: Indulgeat tibi Dominus, Frater, & Karolomannus. Neque enim cuiquam nomen suum prodiderat, ne ex vocabulo agnosceretur. Rursus cùm in quibusdam cibariis administrandis errasset, iterum à coquo percussus est. Cui eadem quæ suprà imprecatus est. Et cùm tertio à coquo crudeliter cæderetur, indignatus ille comes indiuiduus suæ peregrinationis, quòd tantus vir à tam vili persona tam contumeliosè afficeretur, iam ferre non valens, arripuit pilum vnde panis in olera Fratrum mittendus conterebatur, & eum omni annisu percussit dicens: Nec tibi Deus parcat, serue nequam, nec Karolomannus indulgeat. Fratres hoc audito, valdè commoti sunt, quòd homo alienigena, & pro misericordia receptus, talia facere præsumpsisset. Protinus itaque custodiæ mancipatur, vt die sequenti talis præsumptio acriùs vindicaretur. In crastinum verò productus de custodia, in medio Conuentu sistitur. Percunctatus cur manus extendere in Fratrem ministrum ausus fuisset, respondit: Quia, inquit, vidi seruum nequiorem omnibus, virum meliorem & nobiliorem omnium quos in terra conuersari scio, non solùm verbis dehonestare, sed etiam plagis afficere. Furore verò nimio exagitati, quòd eum, qui peregrinus venerat, ceteris prætulisset; interrogant quis esset ille, qui bonitate & nobilitate omnes anteiret, cur saltem Patrem Monasterij non excepisset. Ille verò necessitate compulsus, celare non valens, quod Deus iam manifestare volebat, ait. Iste est Karlomannus quondam Rex Francorum, qui pro Christi amore regnum & gloriam mundi dereliquit. Qui de tanta excellentia ita se humiliauit, vt modo à vilissimis personis non solùm contumeliis afficiatur, verùm etiam verberibus affligatur. Quo audito, tremefacti à sedibus surgunt, pedibus eius se prosternunt, veniam postulant de contemptu, ignorantiam profitentur. Ille contrà in terram prouolutus, cum lachrymis negare cœpit, hæc non esse vera, non se esse Karlomannum, sed hominem peccatorem & homicidam. collegam suum timore perterritum, propter commissum piaculum hæc excogitasse. Quid plura? cognitus ab omnibus, cum magna reuerentia est obseruatus.

EODEM anno Pippinus omnium Francorum generaliter Princeps misericordia motus, fratrem suum Gripponem de custodia, in qua eum germanus suus Karlomannus recluserat, liberauit, & ipsum fraterna dilectione honoratum in Palatio suo habuit. dedítque illi Comitatus & fiscos plurimos.

748. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCXLVIII. Pippinus Princeps placitum

A suum habuit in villa quæ dicitur Duria. In qua Synodum congregare iussit pro Ecclesiarum restauratione, & causis pauperum, viduarúmque & orfanorum corrigendis, iustitiisque faciendis. Grippo verò, quem de custodia fraterno affectu Pippinus soluerat, tyrannico fastu multos sibi nobilium sociauit. & fugâ lapsus, Renum transiens in Saxoniam venit. Quem plurimi iuuenes ex nobili genere Francorum inconstantiâ ducti, proprium Dominum relinquentes, Gripponem subsecuti sunt. Pippinus verò adunato exercitu per Turingiam in Saxoniam veniens, fines Saxonum quos Nordosquauos vocant, cum valida manu intrauit. Ibique Duces Gentis asperæ Sclauorum in occursum eius venerunt, vnanimiter auxilium illi contra Saxones ferre parati. pugnatores quasi centum millia. Saxones verò, qui Nordosquaui vocantur, sub suam ditionem subactos contritósque subegit. ex quibus plurimi per manus Sacerdotum baptizati ad fidem Christianam conuersi sunt. In eodem verò itinere cepit castrum, quod vocatur Hocseburc, & perfidum THEODERICVM Saxonem tertia iam vice à Francis captum comprehendit. Indè proficiscens, peruenit ad fluuium quod dicitur Obacra, & castra metatus est iuxta ripam eiusdem fluminis. Saxones verò cum Grippone ex alia ripa erant, vbi maximam inter se & Francos firmitatem statuerunt. Sed dum viderent quòd eos eadem firmitas minimè defendere posset, per noctem fugâ lapsi castra deseruerunt. Pippinus verò cum exercitu suo totam penè Saxoniam per dies XL. vastauit, & castella eorum destruxit, indéque victor remeauit ad B propria.

PIPPINVS REX.

ANNO Dominicæ Incarn. DCCXLIX. Grippo videns quòd Saxonum armis minimè defendi posset, in Baioariam confugit. Quorum Dux eo tempore ODILO defunctus erat. cui TASSILO filius eius successerat. Quem de Principatu Grippo abegit, & sibi ipse Baioarios subiugauit. cui etiam in solatium LANFRIDVS venit. Hæc audiens Pippinus, cum exercitu illuc peruenit, victísque Baioariis Gripponem secum & Lanfridum indè abducens, Tassilonem in Ducatu Baioariorum collocauit. Solita autem pietate Gripponi fratri suo, & omnibus his qui cum eo confugium fecerunt, misericorditer non solùm pepercit, sed etiam beneficiis ditauit. Nam Gripponi Cinomannicam vrbem cum XII. Comitatibus dedit. Quibus ille solito more despectis, VVasconiam petiit, & ad VVaifarium Ducem perfidum Aquitaniorum peruenit. 749.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCL. ex consultu beati Zachariæ Papæ vrbis Romæ PIPPINVS Princeps à Bonefacio Archiepiscopo vnctus Rex Francorum constituitur. Vnde rumor potentiæ eius & timor virtutis transiit in vniuersas terras. Direxit autem Legatos suos ad VVaifarium, vt sibi fratrem suum fugientem redderet. Quod ille prauo consilio inito facere contempsit. 750.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLI. Grippo cernens quòd in Aquitaniam à facie fratris sui Pippini minimè latere posset, dum ad HAISTVLFVM Regem confugium facere voluisset, occurrit ei THEODOVVINVS vir inlu- C stris, cum aliis Comitibus, qui Alpium transitus tuebantur, in valle qua MORIENNA vrbs sita est. Sed dum ipse Grippo eos vi præterire vellet, pugnam inierunt. In qua ex vtraque parte multi nobiles Franci corruerunt. Inter quos etiam Grippo & Theodouuinus vitam finierunt. Exinde omnis terra Francorum sub Pippini dominatione in summa pace quieuit. 751.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLII. Pippinus Rex exercitum duxit in Gothiam, Narbonámque ciuitatem, in qua adhuc Sarraceni latitabant, obsedit. Temptatis itaque plurimis argumentis, munitissimam ciuitatem capere non potuit. Custodia tamen ibi derelicta, cottidianis irruptionibus illos ciues afflixit, & per triennium bellum Narbonam obtinuit. expulsísque de tota Gothia hominibus illis, Christianos de seruicio Sarracenorum liberauit. SOLINOAN quoque Dux Sarracenorum, qui Barcinonam Gerundámque ciuitatem regebat, Pippini se cum omnibus quæ habebat dominationi subdidit. 752.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLIII. Pippinus Rex exercitum duxit in Saxoniam, firmitatésque eorum destruxit, & plurimos ex eis inito certamine superauit. HILDEGARIVS tamen Episcopus occisus est à Saxonibus, in castro quod dicitur Viberg. Saxones verò, dum aliter facere non possent, sacramenta & obsides Pippino Regi dederunt hoc modo: vt quicumque de Sacerdotibus 753.

PIPPINVS REX. in Saxoniam ire voluisset ad prædicandum nomen Domini, & ad baptizandum eos, licentiam habuisset. Et polliciti sunt se dare annis singulis Regi in censu equos trecentos. Inde verò Rex Pippinus reuertens, audiuit quòd Grippo frater eius, qui in VVasconiam fugerat, occisus fuisset. exercitúmque in Brittanniam duxit, & Venedis castrum conquisiuit, totámque BRITTANNIAM subiugauit partibus Francorum. Eodem anno STEPHANVS Papa, qui beatæ memoriæ Zachariæ Præsuli successerat, molestiam Langobardorum, & superbiam Haistulphi Regis non sufferens, ad Pippini Regis defensionem quærendam veniebat. Quod cùm nunciatum Pippino fuisset, magno repletus est gaudio, filiúmque suum primogenitum KAROLVM obuiam ei ire præcepit, ipsúmque cum honore ad præsentiam eius, in villa quæ dicitur Pons-Hugonis, adducere iussit. Ibíque veniens prædictus Papa, à Pippino Rege susceptus est. Qui multa munera tam Regi, quàm & Optimatibus eius largitus est. Sequenti verò die vnà cum Clero suo aspersus cinere, & indutus cilicio, in terram prostratus, per misericordiam Dei omnipotentis, & merita beatorum Apostolorum Petri & Pauli, Pippinum Regem obsecrat, vt se & populum Romanum de manu Langobardorum, & superbi Regis Haistulphi seruicio liberaret. Nec antea à terra surgere voluit, quàm ei prædictus Rex Pippinus cum filiis suis & Optimatibus Francorum manum porrigeret, & ipsum pro indicio suffragij futuri & liberationis de terra leuaret. Tunc Rex Pipppinus omnem Pontificis voluntatem adimplens, direxit eum ad Monasterium sancti Dionysij Martyris, cúmque ibi cum summo honore & diligentia hiemare præcepit. Porrò Pippinus Rex Legationem ad Haistulphum Regem Langobardorum mittit, hortans eum vt propter reuerentiam beatorum Apostolorum Petri & Pauli Romanas vrbes non affligeret superstitiosè, ac impias præsumptiones contra Pontificem Romanæ vrbis non moueret. Sed iidem Legati super his omnibus, quæ mandauerat piissimus Princeps Pippinus, nihil aliud ab illo superbo tyranno, nisi plena superbiâ responsa, & contumacia verba audire meruerunt.

754. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLIV. Stephanus Papa quod iam diu per consilium absens Pippino Principibúsque Francorum mandauerat, præsens expleuit. Ordinauítque secundum morem maiorum vnctione sacra Pippinum piissimum Principem Francis in Regem, & Patricium Romanorum: & filios eius duos felici successione KAROLVM & KARLOMANNVM eodem coronauit honore. Eodem quoque anno Pippinus Rex Placitum habuit secundum consuetudinem Kalend. Mart. Brennaco villa publica. Accepto inde consilio Optimatum suorum, partibus Italiæ se cum omni apparatu suo profecturum esse indixit. & cum omni multitudine per Lugdunum Galliæ & Viennam pergentes, vsque ad Mauriennam peruenerunt. Eodem quoque tempore Karlomannus germanus domni Regis Pippini ab Abbate suo destinatur, vt pro Longobardis interpellaret; & vt iter regium ab illis partibus impediret, in Franciam venit. Pippinus verò respondit, se non aliud posse facere, nisi ea quæ Romano Præsuli promiserat. Pippinus itaque Alpes transiens, & Legatos suos ad Haistulphum præmittens, postulauit vt sanctam Ecclesiam, cuius ille defensor per diuinam ordinationem fuerat, non affligeret, sed omnem ei iustitiam de rebus ablatis faceret. Haistulphus verò in superbiam elatus, conuicia etiam multa in præfatum Pontificem euomens, nihil ei se facere promisit, nisi viam sibi præbere quatinus ad propria remearet. Illi verò Missi dicebant, non aliter domnum Pippinum à finibus Langobardiæ esse profecturum, nisi priùs Haistulphus iustitiam sancto Petro faceret. Haistulphus autem requisiuit, quæ illa iustitia esset. Cui Legati responderunt: » Vt reddas ei Pentapolim, Nartuas, & Cecanum, & omnia vnde populus Romanus de tua iniquitate conquiritur. Et hoc tibi mandat Pippinus, quòd si iustitiam sancto Petro reddere vis, dabit tibi XII. millia solidorum. Haistulphus autem his omnibus spretis, Legatos absque vllis pacificis verbis absoluit. Pippinus igitur iter cœptum peragens, ad sclusas Langobardorum peruenit. illísque dirutis, Haistulphum cum Langobardis in fugam pulsis, Papiam ciuitatem obsedit. In qua Haistulphum includens, ita per Dei adiutorium illum coartauit, vt omnia quæ sancto Petro abstulerat se redditurum esse promitteret. Pentapolim itaque, Nartuas, & Cecanum, & reliqua debita, quæ sancto Petro abstulerat, Missis

A Missis domni Pippini Regis per vadium reddidit, & xxx. m. solidos Pippino Regi tribuit. spondens se singulis annis in tributum v. millia solidorum partibus Francorum se redditurum. Hæc omnia iureiurando Haistulphus cum suis Optimatibus & omnibus nobilibus Langobardorum se adimpleturum esse spopondit. & pro firmitatis causa dedit Regi Pippino de nobilibus Langobardorum xl. obsides. Pippinus verò accepta benedictione domni Apostolici, in pace eum abire permisit, tradens ei Rauennam, Pentapolim, Nartuas, & Cecanum, & quicquid in illis partibus continebatur. His omnibus peractis, Pippinus victor ad propria remeauit. Quo reuertente in Franciam, Haistulphus perfidus Rex omnia quæ ei promiserat contumaciter postposuit, & Stephanum Papam cum armis à suis finibus expulit. Eodem anno beatæ memoriæ Karlomannus Monachus Vienna ciuitate, in qua cum BERTRADA Regina infirmus remanserat, post multos in infirmitate dies migrauit ad Dominum. Et Bonefacius Archiepiscopus in Frisia verbum Dei nuncians martyrio coronatur. PIPPINVS REX.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLV. Haistulphus Rex Langobardorum fidem quam Pippino Regi promiserat fefellit, & cum exercitu Romanos fines inuadens, etiam vrbem ipsam obsedit. Hæc audiens Pippinus Rex exercitum congregat, & per Burgundiam iter faciens, vsque ad Maurienam vrbem peruenit. Hæc cùm audisset Haistulphus, Langobardos Sclusas firmare, atque B Francis iussit resistere. Pippinus interea traiectis Alpibus, cum robore exercitus sui ipsum vallum vel firmitatem quam Langobardi firmauerant destruxit, exercitúmque eorum in fugam conuertit. Indéque ad Ticinam vrbem peruenit, totam illam regionem deuastans. illámque munitissimam ciuitatem obsedit. Hæc verò Haistulphus cernens, nullam spem euadendi habens, per supplicationem Sacerdotum veniam à præcellentissimo Rege Pippino postulauit. & ea quæ contra ius vel sacramenta perpetrauerat, secundum iudicium Optimatum Francorum se plenissima voluntate emendare spopondit. Rex ergo Pippinus solito more misericordiâ motus, Regnum ei & vitam concessit. Haistulphus autem per iudicium Francorum, thesauri, quod in Ticino erat, tertiam partem Pippino tradidit. Sacramenta iterum renouans, obsidésque tribuens, promisit se partibus Francorum semper esse fidelem: & annuale tributum, quod Francis debuerat, per Missos suos annis singulis esse transmissurum; & ea quæ sancto Petro vel Stephano Papæ annis præteritis promiserat, cuncta reddidit. Pippinus autem victor cum incolomi exercitu gaudens ad propria remeauit, thesauris & obsidibus secum adductis. 755.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLVI. Pippinus Princeps interiora Regni sui pacificè ordinans, tam in Ecclesiasticis rationibus, quàm & in publicis negociis & priuatis, in nullam partem exercitum duxit. Haistulphus verò Rex Langobardorum dum venationem in quadam silua exerceret, diuina vltione percussus, de equo in quo sedebat in terram proiectus, tertia die vitam amisit. Langobardi verò ex consilio Pippini Regis & Procerum suorum DESIDERIVM Regem Langobardorum instituunt. 756.

C

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLVII. Constantinus Imperator misit Regi Pippino inter cetera dona organum, quod antea non visum fuerat in Francia. Eodem anno Rex Pippinus tenuit placitum suum in Compendio villa publica, in qua etiam Tassilo Dux Baioariorum fuit. Quem pro fidei firmitatis causa, & eius homines maiores natu qui cum eo erant, domnus Pippinus iurare fidem sibi fecit supra sacratissima corpora sancti Dionysij, Rustici, & Eleutherij, necnon & sancti Germani & sancti Martini. Spondentes se fideles esse Pippino Regi & filiis eius omnibus diebus vitæ suæ. 757.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLVIII. Pippinus Rex in Saxoniam exercitum ducens, firmitates eorum destruxit. Castra metatus est autem in loco qui dicitur Sithima. in qua vastatione multi Saxones ceciderunt. Et tunc demum polliciti sunt Regis Pippini voluntatem facere, & honores siue dona in suo placito præsentandos, id est per annos singulos equos trecentos. 758.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLIX. Pippinus præter domesticas in- 759.

PIPPINVS REX. terius Regni sui causas corrigendas nullum exercuit iter. Natus est autem ei filius, cui nomen suum imposuit. Qui vixit duos annos, & in tertio defunctus est. Celebrauit autem gloriosus Rex Pippinus eodem anno Natalem Domini in Longlare, & Pascha in Iopila. A

760. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLX. Pippinus Rex cernens VVaifarium Ducem Aquitaniorum minimè iustitias Ecclesiarum, quæ in partibus Francorum erant, facere velle, consilio Optimatum suorum iter in Aquitaniam direxit, & peruenit vsque ad locum qui dicitur Tedoad. Cúmque hæc vidisset VVaifarius, direxit Nuncios ad Regem Pippinum, dedítque obsides, spondens se sub iureiurando, vt quod quondam malo ordine commiserat, secundum iudicium & legem emendare deberet. Hac firmitate suscepta, Princeps Pippinus ad propria reuertitur, & celebrauit Natalem Domini Carisiaco, & Pascha similiter.

761. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXI. Pippinus Rex Conuentum Francorum habuit in Duria villa publica, & de vtilitate Regni Francorum tractans, suos ibi Optimates adunauit. VVaifarius autem prauo consilio exercitum VVasconum in fines Burgundiæ * vastauit. Hoc cùm Pippino Regi nunciatum fuisset, quòd VVaifarius fidem promissam postponeret, cum exercitu ad Ligerim fluuium venit. Quo transiecto, ad castrum, cui nomen est Burbone, in pago Biturico venit. destructóque eodem castro, cunctos quos ibi repperit, captos secum adduxit. Peragratáque Aquitania, vsque ad Clarummontem castrum peruenit, quod non sua voluntate, sed bellatorum vi iniecto concrematum est igne. In quo itinere BLANDINVS perfidus Comes in præsentia PIPPINI Regis captus est. Innumerabilibus itaque spoliis & captiuis totus ille exercitus ditatus, in Franciam reuersus est. Celebrauítque gloriosus Rex Pippinus Natalem Domini in Carisiaca villa, & Pascha similiter. B

* Deest aliquid.

762. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXII. gloriosus Rex Pippinus tertia vice perfidum VVaifarium Ducem persequens in Aquitaniam intrauit. Destructísque castellis & munitionibus, ad vltimum Bituricam munitissimam ciuitatem conquisiuit, & Thoarcis castrum, quo in Aquitania firmior non erat, destruxit. Reuersúsque cum victoria ad sedem propriam Regni sui, in Gentiliaco villa Natalem Domini & Pascha celebrauit.

763. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXIII. Pippinus Rex habuit Placitum generale Francorum in Niuernis. Inde ob infidelitatem VVaifarij perfidi Ducis quartum iter in Aquitaniam direxit. In eodem quoque placito Tassilonem Ducem Baioariorum habuit. Qui postpositis sacramentis, & iusiurando, quod quondam Regi Pippino auunculo suo, vt supra diximus, promiserat, sine licentia eius ad vsque Baioariam fugit, & numquam amplius faciem Regis Pippini videre meruit. Porrò, Rex Pippinus iter agens per Aquitaniam, vsque Cadurcum peruenit, vniúsque ob noxam, perfidi siquidem VVaifarij, totam illam regionem vastauit, & victor in Franciam reuersus est. Facta est autem eodem anno hiems valida. Celebrauit quoque Rex Pippinus Natalem Domini in villa quæ dicitur Longlare, & Pascha similiter. C

764. ANNO Incarnationis Dominicæ DCCLXIV. Pippinus gloriosus Rex Conuentum Francorum habuit in ciuitate quæ vocatur VVormacia. Eodem anno inter fines Regni sui ea quæ pacis sunt disponens, simul & de causis quæ erant inter illum & VVaifarium atque Tassilonem pertractans, in nullam partem exercitum duxit. & celebrauit Natalem Domini in Carisiaco, & Pascha similiter.

765. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXV. Principes Francorum, qui commorabantur in partibus Burgundiæ, multa certamina contra Aquitanios & VVascones habuerunt. Nam VVaifarius MANCIONEM Comitem consobrinum suum ad insidiandum Francis cum manu valida direxit. Cui occurrerunt Pippini Regis Comites, AVSTRAVLDVS & GALIMANNVS. initóque certamine ipsum Mancionem cum plurimis sociis suis interfecerunt. HILPINGVS quoque Comes Aruernorum cum magna multitudine irruit in pagum Lucoui-

A uensem. Cui occurrit, ADALARDVS Comes Cabillonensis cum ceteris Comitibus, fortitérque certamen inierunt. In quo prœlio cum innumerabilibus interfectis, Hilpingus quoque cecidit. AMANVGVS etiam Comes dum in partibus Turonorum vastandis veniret, ab hominibus VVLFARDI Abbatis Monasterij sancti Martini interfectus est. REMISTANIVS verò auunculus VVaifarij ad Regem Pippinum confugit. quem Rex benignè suscipiens, multis muneribus honorauit. Eodem anno Rex Pippinus Conuentum habuit ad Attiniacum villam, & eo anno in nullam partem exercitum duxit. Celebrauit autem Natalem Domini in Aquisgrani, & Pascha similiter. PIPPINVS REX.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXVI. cernens VVaifarius quòd nulla ciuitas nec vlla munitio Pippino Regi & Francis resistere posset, ciuitates quas habuit munitissimas in Aquitania destruere iussit. Hoc Pippinus Rex audiens, Conuentum Francorum in Aurelianis ciuitate adunauit. pergénsque in Aquitaniam, ciuitates & castella quæ VVaifarius destruxerat reædificare præcepit. In quibus custodes posuit, qui VVaifario resistere possent. Reuerténsque in Franciam, celebrauit Natalem Domini in Salmuntiaco, & Pascha similiter. 766.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXVII. Pippinus habuit Synodum in Salmuntiaco, altercantibus inter se Romanis & Græcis de sancta Trinitate, & Sanctorum imaginibus. His ritè peractis, Pippinus Rex perrexit in Aquitaniam, & Narbonam ac Tholosam vrbes cepit, Albiensémque, necnon & VVldanum. victórque reuertens, celebrauit Pascha in Vienna ciuitate. Eodem quoque anno iterum perrexit in Aquitaniam. Ad Bituricam verò vrbem veniens, ibi Conuentum Francorum habuit more solito in campo Magij. Et indè iter dirigens, peruenit ad Garonnam fluuium. in quo itinere multas munitiones adquisiuit, castrum videlicet Scoralium, Thorinnam, & Petraciam, & alias quamplurimas ciuitates. Indéque reuersus est Bituricam, vbi nunciatus est ei obitus PAVLI Papæ. & ibi celebrauit Natalem Domini. 767. B

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXVIII. Pippinus Rex per Aquitaniam iter faciens, perfidum Remistanium cepit, & ad Santonas ciuitatem vsque peruenit. in qua etiam cepit matrem VVaifarij, & sororem eius ac neptes. Indéque ad Garonnam perrexit in loco qui dicitur Montis, ibíque HERVICVS veniens, aliam sororem VVaifarij secum abduxit. Et indè Rex victor reuertens, Pascha celebrauit in castro quod dicitur Sels. Indéque promoto exercitu, assumens secum BERTRADAM Reginam, iterum ad Santonas ciuitatem venit. ibíque Reginam cum reliqua familia dimittens, ad Petragoricam perrexit. Interemptóque VVaifario, cum triumpho victoriæ Santonis est reuersus. Ibíque multis diebus commoratus, ægrotare cœpit. Reuerténsque in partibus Turonorum, ad sacratissima limina sancti Martini orationis causâ peruenit. Indè cùm ad sanctum Dionysium peruenisset, cernens quòd de illa infirmitate euadere non posset, omnes Optimates suos Duces & Comites Francorum, Episcopos quoque ac Sacerdotes ad se venire præcepit. Ibíque vnà cum consensu Procerum suorum æquali sorte inter duos filios KAROLVM & KAROLOMANNVM Regnum Francorum paterno iure diuisit. His ritè peractis, post paucos dies Rex Pippinus in pace obiit VIII. Kalend. Octobris. Sepeliérúntque eum gloriosi filij sui in Basilica beati Dionysij Martyris, vt ipse voluit, cum summo honore. Rexit autem populum Francorum post decessum patris sui Karoli annis XXVI. His ita peractis, prædicti Reges Karolus & Karolomannus cum Proceribus sui & Optimatibus ad sedes Regni sui venientes, mense Septembrio die Dominico XIV. Kalend. Octobris, Karolus Rex in Nouiomo vrbe, Karolomannus in Suessione per consecrationem Sacerdotum, & electionem omnium Optimatum in Regni solium eleuati sunt. 768. C

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXIX. KAROLVS audiens perfidiam HVNALDI, qui iterum fraudulenter Aquitaniæ Principatum arripere volebat, adunato exercitu in Aquitaniam tendit, & per Dei auxilium fraudulentiam Hunaldi consiliis optimis dissipauit. In quo itinere cum germano suo Karolomanno colloquium habuit in loco qui dicitur Ad-duos-Cliuos. & indè Karolomannus ad propria reuertitur. Rex verò Karolus perrexit ad Ecolismam 769.

CAROLVS MAGNVS. ciuitatem, & indè venit ad flumen Dorniniam, & ædificauit castrum quod dicitur FRONCIACVS. Indéque direxit Legatos ad LVPVM Principem VVasconum, vt sibi ad se fugientem Hunaldum mitteret. Hæc audiens Lupus, regio timore perterritus, direxit sibi Hunaldum cum vxore sua. se verò, totámque terram suam Regis ditioni submisit. Castro igitur præparato, Hunaldóque recepto, KAROLVS Rex in Franciam reuersus est. & celebrauit Natalem Domini in villa quæ dicitur Duria, & Pascha in Leodio vico publico, vbi sanctus Lambertus Martyr in corpore requiescit. A

770. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXX. Karolus præcellentissimus Rex habuit colloquium vel Synodum in VVormatia ciuitate. Et Karolomannus cum genitrice sua BERTA Regina colloquium habuit in castro quod dicitur Salussa. Quæ Regina per Baioariam perrexit in Italiam. Karolus verò Rex celebrauit Natalem Domini in Maguntia, & Pascha in Heristallio.

771. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXI. Karolus Rex Synodum habuit ad Valentianas, & eodem anno Karolomannus Rex defunctus est in villa Salmuntiaco, II. Non. Decembris, sepultúsque est iuxta vrbem Remorum in Basilica beati Remigij Confessoris. Venit autem Rex Karolus ad villam Corbiniacum, & ibi venerunt ad eum FOLCARIVS & FOLRADVS Capellani, cum aliis Episcopis & Sacerdotibus; VVIRINVS & ADELARDVS Comites, cum aliis Primatibus qui fuerant Karlomanni. & vnxerunt domnum Karolum super se in Regem, & obtinuit feliciter Monarchiam Regni Francorum. GIRBERGA verò vxor Karlomanni cum duobus paruulis, & paucis Principibus de parte viri sui Italiam petiit, & ad Desiderium Regem Langobardorum peruenit. Rex verò celebrauit Natalem Domini in Attiniaco, & Pascha similiter. B

772. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXII. Karolus Rex Synodum tenuit in VVarmatia, & indè perrexit in Saxoniam prima vice, & Heresburgum castrum cepit, & ad Hermenensul vsque peruenit, & ipsum fanum destruxit, aurúmque vel argentum quod ibi repperit abstulit. Erat autem tunc siccitas magna, ita vt aqua deficeret in supradicto loco. Sed diuina pietas magnum ibi ostendit miraculum. Nam cùm vniuerso populo aqua deficeret, & Rex vellet ibi duorum vel trium dierum moram facere, vt illud fanum ex toto destruere posset, subitò ex arido torrente fons largissimus aquæ erupit. itaut vniuersus populus affluentiâ aquarum abundaret. Ita Deus omnipotens voluntatem gloriosissimi Regis in suo seruicio permanentis misericorditer adimpleuit. His ritè peractis, Karolus Rex super fluuium Ysaram castra posuit. quo in loco cum Saxonibus Placitum habuit. Acceptísque ab illis obsidibus quot voluit, reuersus est cum pace in Franciam. Et celebrauit Natalem Domini in Heristallio, & Pascha similiter. C

773. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXIII. cùm hiemaret Rex Karolus in villa quæ dicitur Theodonis, ibi venit ad eum Missus domni ADRIANI Papæ nomine Petrus, obnixè postulans vt ad defendendam Ecclesiam Romanam festinaret, & vt populum Romanum de manibus superbi Regis Desiderij liberaret. adiungens, quòd ipse legitimus tutor & defensor esset ipsius Ecclesiæ. quoniam illum prædecessor suus beatæ memoriæ Stephanus Papa vnctione sacra liniens, in Regem ac Patricium Romanorum ordinauit. Karolus igitur Rex per consilium Optimatum suorum, voluntatem domini Papæ se adimpleturum esse cum Dei auxilio deuota mente spopondit. Eodémque anno Synodum tenuit in IANVA ciuitate, in quo Conuentu exercitum diuisit. partem secum retinens vt per Cinisium montem transiret, partem verò reliquam, cui præfecit auunculum suum BERNARDVM, cum ceteris fidelibus suis per Iouis montem in Italiam intrare præcepit. Desiderius verò immemor beneficiorum Pippini Regis, per cuius donationem Regnum Langobardorum sortitus est, Sclusas fortiter conrra Regem Karolum & exercitum eius firmare præcepit. Igitur Rex Karolus castra metatus est è regione Sclusarum. Sed vallum Langobardi defendebant. Misit autem Karolus legionem ex probatissimis militibus per difficilem ascensum montis. qui transcenso monte Langobardos cum Desiderio Rege suo in fugam conuerterunt. Karolus verò Rex cum exercitu

A suo per apertas sclusas auxiliante Domino & sancto Petro in Italiam intrauit, & ad Papiam ciuitatem vsque peruenit. In qua Desiderio incluso, ipsam ciuitatem obsedit, & vallo firmissimo circumdedit. Et dum propter defensionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ ibidem resideret, dimissa marca contra Saxones nulla omninò fœderatione suscepta, ipsi Saxones exierunt cum magno impetu super confinia Francorum, & peruenerunt vsq; ad castrum quod nominatur Buriaburg. Attamen ipsi confines de hac re solliciti, cùm hoc cernerent castellum sunt ingressi. Dum verò ipsa gens sæuiens cœpisset domos forinsecas incendio concremare, venerunt ad quandam Basilicam in loco qui dicitur Friedislar, quam sanctus Bonefacius Martyr consecrauit, atque per Spiritum sanctum prædixit quòd numquam incendio cremaretur. Cœperunt autem præfati Saxones nimium sæuire aduersus eandem Basilicam, præmeditantes quomodo possent eam comburere. Dum hæc igitur agerentur, apparuerunt quibusdam Christianis qui erant in castello, similiter & quibusdam paganis qui in ipso erant exercitu, duo iuuenes in albis, qui Basilicam ab igne defendebant, & propterea non poterant neque interiùs neque exteriùs ignem accendere, nec aliquod damnum eidem inferre. Tunc pauore perterriti in fugam versi sunt, nemine persequente. Inuentus est autem postea vnus Saxo mortuus iuxta ipsam Basilicam, genibus curuis adclinis supra pedes, habens ignem & ligna in manibus, velut ore flans vt Basilicam combureret. Celebrauit autem in hisdem castris Natalem Domini, & B Pascha Romæ.

CAROLVS MAGNVS.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXIV. reuertente cum Dei auxilio, intercedentibus beatis Apostolis Petro & Paulo, glorioso Karolo Rege à Romana vrbe, Papiam venit, ipsámque ciuitatem cepit, & Desiderium Regem cum vxore & filia, & omnibus thesauris suis, suæ ditioni subegit. Ibíque venientes vndique Langobardi de singulis ciuitatibus Italiæ, subdiderunt se dominio gloriosi Karoli. ADALGISVS verò filius Desiderij fugiens nauem intrauit, & per mare Constantinopolim vsque peruenit. Hactenus autem stetit Regnum Langobardorum annis CCXIV. Porrò Karolus Rex tota Italia subacta, & ordinata custodia Francorum in Papia, trusóque in exilium Desiderio Rege, & vxore & filia, ipse cum magno triumpho auxiliante Domino in Franciam reuersus est. Et cùm peruenisset in locum, cuius vocabulum est Ingilheim, misit quatuor legiones in Saxoniam. Ex quibus tres cum Saxonibus prœlium inierunt, & adiuuante Domino victoriam obtinuerunt. Quarta verò legio bellum non habuit, sed cum magna præda illæsi reuersi sunt ad propria. Celebrauit autem Rex Natalem Domini eodem anno in Carisiaco, & Pascha similiter. 774.

ANNO Incarnationis Dominicæ DCCLXXV. Rex Karolus Synodum habuit in villa quæ dicitur Duria. Dehine perrexit in Saxoniam, & Sigurgum castrum cepit, Heriburgúmque reædificauit. Indè proficiscens, super fluuium C VVisera castra posuit, in loco qui dicitur Brunisberc. Tunc Saxones armis defendere transitum fluminis conati sunt. Sed Franci transito flumine multos ex eis occiderunt, ceteris in fugam versis. Rex verò partem exercitus sui ibi derelinquens, perrexit vsque ad Ouacrum fluuium. Ibi vna pars Saxonum, qui dicuntur VVestphali, cum Optimatibus suis ad eum venit, sacramentáque & obsides dederunt. iurantes amodò se fore fideles Domino Karolo Regi. Inde proficiscente Rege, venit ad eum altera pars, quæ dicitur Angari, in loco cui vocabulum est Bucki, vna cum BRVNTIONE * Duce suo, & reliquis Optimatibus. dederunt obsides, & iurauerunt se amodo Regi Karolo & Francis esse semper fideles. Interea Saxones cum Francis, qui super fluuium VVisaram remanserant, pugnam inierunt. & Deo largiente Franci victoriâ potiti multos ex eis occiderunt. Hæc audiens Rex, iterum super Saxones cum exercitu irruens, multam stragem fecit, & prædam copiosam cepit super VVestphalos. sícque coacti iterum obsides dederunt. Obsidibus itaque receptis, & præda multa capta, Rex in Franciam est reuersus. Vbi nunciatum est ei quòd ROHTGAVDVS Langobardus postponens fidem & sacramenta aduersus eum rebellare disponeret. statim versus Italiam iter arripuit, & celebrauit Natalem Domini in villa quæ dicitur Sclezistat in Elisatio. 775.

* Brunonem vocat Rhegino.

CAROLVS MAGNVS.

776.

Sequentia vsque ad annũ DCCCIII vbique ferè cum Rheginonis Chronico conueniunt.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXVI. Karolus Rex, vt prædiximus, ad Papiam ciuitatem venit, & ſub feſtinatione in partibus Foroiulienſium iter direxit, improuiſúmquè Rothgaudum cepit, & decollare præcepit. & ad Taruiſium ciuitatem venit, ibique Paſcha celebrauit. Ordinatiſque rebus, & derelictis cuſtodibus ex Francis in ciuitatibus quæ aduerſus eum ſenſerant, in Franciam cum proſperitate reuerſus eſt. Interea Saxones cognita abſentia Regis, more ſolito ruptis ſacramentis in vnum conglobati Hereſburc caſtrum adgrediuntur, fraudulenter Francis ſuadent vt de caſtro exeant, & cum pace in patriam pergant. Sed cùm illi fallacibus monitis aſſenſum minimè præberent, machinas præparant, munitionem obſidione cingunt, & ſummis viribus certant. ſed nihil proficiunt. Quadam itaque die cùm rediuiuo certamine bellum paraſſent, apparuit gloria Dei manifeſtè ſupra domum Eccleſiæ, quæ erat infra ipſum caſtrum, videntibus multis tam Chriſtianis, quàm paganis. Nam duo ſcuta apparuerunt ſupra præfatam Eccleſiam, ſanguineo colore flammantia, & velut in prœlio quibuſdam motibus agitantia. Itaque Pagani hoc ſignum aſpicientes, timore & formidine repleti, mox in fugam conuerſi ſunt, & in tantam amentiam deuenerunt, vt ſtrictis gladiis, mutuis ſe armis confoderent. Quanto magis verò illi pauore perterriti fugiebant, tanto magis Chriſtiani confortati, omnipotentem Deum laudabant, qui ſaluos facit ſperantes in ſe. Ex prædicto igitur loco cum tanta confuſione diſcedentes, venerunt ad aliud caſtrum quod appellatur Deſiigburc, vbi ſimilia voluerunt facere. Sed Deo auxiliante, Franciſque eis viriliter repugnantibus, nihil præualuerunt. Oppidani verò perſecuti ſunt eos vſque ad flumen quod Lippia dicitur, & multos ex eis interfecerunt. Itaque Rex VVarmatiam veniens, Synodum Placitúmque publicum ibi tenuit: & Concilio ſoluto, mox Saxonum fines penetrauit, & velut ingens tempeſtas omnia proſternit, munitiones irrumpit. Saxones perterriti ad locum vbi Lippia oritur venerunt, ibíque ſe, & ſuam patriam Regi tradiderunt, & ſpoponderunt ſe Chriſtianos deuenire. Tunc Rex vna cum Francis reſtaurauit Hereſburc caſtrum, & aliud caſtrum ſuper Lippiam. Vbi venientes Saxones vna cum vxoribus & paruulis, baptiſati ſunt in nomine ſanctæ Trinitatis. Poſt hæc obſides quantos Rex voluit dederunt. Reformatis autem caſtellis, cuſtodiiſque diſpoſitis, Karolus Rex in Franciam reuertitur, & celebrauit Natalem Domini in Heriſtellio, & Paſcha in Niumaga.

777. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXVII. Karolus Rex Saxoniam ingreſſus, Placitum tenuit in loco qui dicitur Padreſburna, vbi omnes Saxones conuenerunt, excepto VVidichindo, qui cum paucis Saxonibus in Nortmanniam fugerat. Ibi etiam venerunt Sarraceni de partibus Hiſpaniæ, & ſe cum omnibus ſuis ditioni Regis Karoli ſubdiderunt. Vbi etiam multitudo Saxonum baptizata eſt, & ſacramenta ſecundum conſuetudinem dederunt, ſcilicet vt perderent ingenuitatem, & omnem hereditatem, niſi conſeruarent ſuſceptam Chriſtianitatem, & promiſſam fidelitatem Regis & filiorum eius. Karolus verò Rex in Franciam reuerſus celebrauit Natale Domini in Duziaco, & Paſcha in Aquitania in villa quæ dicitur Caſinogilo.

778. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXVIII. Rex Karolus motus precibus & querelis Chriſtianorum, qui erant in Hiſpania ſub iugo Sarracenorum, cum exercitu Hiſpaniam intrauit. Venit autem primò ad Pampilonam ciuitatem. dehinc venit ad Cæſarauguſtanam vrbem, vbi innumerabilis multitudo de partibus Burgundiæ, & Auſtraſiæ, vel Baioariæ, ſeu Prouinciæ, & Septimaniæ, pars etiam Langobardorum in auxilium Francorum conuenerunt. His innumerabilibus legionibus Hiſpania tota contremuit. Obſidione itaque cincta Cæſarauguſtana ciuitate territi Sarraceni, obſides dederunt, cum immenſo pondere auri. Poſt hæc eiectis Sarracenis etiam de Pampillona, muriſque eiuſdem ciuitatis dirutis, Hiſpanis, VVaſconibus, & Nauarris ſubiugatis, in Franciam reuertitur. Interea Saxones audientes quòd Carolus cum Frãcis tam longo ſpacio terrarum abeſſet, ſuadente Vuitdichindo, ſecundum conſuetudinem iterum rebellauerunt, & ad Duiam caſtrum, quod Coloniæ ciuitati contiguum eſt, vſque venerunt; cædibus, rapinis, & incendiis omnia deuaſtantes. Quod cùm nunciatum eſſet Regi reuertenti, & commoranti in Autiſiodoro ciuitatè, miſit legionem vnam ex ele-

A ctis militibus, qui eorum proteruiæ resisteret. Saxones audientes incolomitatem Regis, & aduentum Francorum, in fugam conuersi sunt. Quos Franci e uestigio sequentes, repererunt eos super fluuium, qui dicitur Adarna, in loco qui dicitur Lihesi. vbi pugna cœpta & finita, Franci auxiliante Deo victores extiterunt, & multitudo Saxonum ibi occisa est. Et celebrauit Rex Natalem Domini in Heristallio, & Pascha similiter.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXIX. Karolus Rex venit in villa, 779.
quæ dicitur Compendium, vbi se obtulit Hildebrannus Spolitanorum Dux cum multis muneribus, eiúsque dominationi se subdidit. Eodem etiam anno Synodum tenuit in Duria, & post hæc Saxoniam ingressus vsque ad Lippiam venit. Conati sunt autem Saxones resistere in loco qui dicitur Buochol, sed nihil præualuerunt. Aperta autem via Vuestphalos subiugauerunt, & omnes Saxones qui vltra Vuisaram morabantur. Veniens autem Rex in loco qui vocatur Medofulli, accepit obsides & sacramenta à Saxonibus, & reuersus est in Franciam. Et celebrauit Natalem Domini in Vuarmatia, & Pascha similiter.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXX. Karolus Rex Saxoniam ingressus ad Heresburc venit, & inde ad locum vbi Lippia consurgit, & ibi Synodum tenuit. Inde progressus ad Albiam fluuium venit, & in ipso itinere Bardongauenses, & multi de Nortluidis baptisati sunt in loco, qui dicitur Horham, vl- 780.
B tra Obacrum fluuium. & peruenit vsque ad locum, vbi Iora defluit in Albiam. Dispositis itaque tam Saxonibus, quàm Sclauis, in Franciam reuersus est. Inito autem consilio, vt Romam pergeret orationis causa vna cum coniuge Hildegarda, celebrauit Natalem Domini in Papia ciuitate.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXXI. Karolus Rex à Papia egressus celebrauit Pascha Domini Romæ, & ibi baptisatus est filius eius Pippinus ab 781.
Adriano Papa, qui & ipse eum de sacro fonte suscepit. & duo filij eius à supradicto Pontifice vncti sunt in Reges, Pippinus super Italiam, Ludouicus super Aquitaniam. Inde reuersus venit Mediolanum, vbi baptisata est filia eius Gisla ab Archiepiscopo Thoma, quam ipse Episcopus de sacro fonte leuauit. His ita peractis, reuersus est in Franciam. Per idem tempus Legati Apostolici, Formosus & Damasus Episcopi, cum Missis Regis, Sigulfo Capellano, & Euuardo magistro pincernarum, directi sunt ad Thassilonem Ducem, commonentes ex auctoritate Apostolica, vt recordaretur priorum sacramentorum, & non aliter faceret, nisi sicut iureiurando iam dudum promiserat Pippino Regi & filiis eius. His admonitionibus consensit Thassilo, & sumptis obsidibus à Rege, venit Vuarmatiam, vbi renouauit sacramenta, & dedit duodecim obsides. sed non diu seruauit quod promisit. Celebrauit autem Rex Natalem Domini in Carisiaco, & Pascha simul.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXXII. Karolus Rex Cuniam * ve- 782.
C niens, Rhenum transiit, & Synodum tenuit vbi Lippia consurgit, vbi omnes Sa- * al. Coloniam
xones conuenerunt, excepto rebelle Vuidichindo. Illic etiam venerunt Legati Godefridi Regis Nortmannorum, Altdem, & Hosmundus. necnon etiam Legati Auarorum missi à Cagano & Iugorro. Peracto Placito, reuersus est Rex in Franciam. Saxones iterum fidem violant, arma corripiunt, suadente Vuitichindo. Rex autem eo tempore miserat nuncios suos Adelgisum & Geilonem, atque Conradum, viros potentes, vt ducerent exercitum Francorum & Saxonum super paucos Sclauos, qui adhuc rebellabant. Supradicti verò Principes cùm iam in itinere essent, audientes quòd Saxones rebellarent, super eos arma verterunt, & commisso prœlio multos ex eis interfecerunt. In qua pugna duo Duces ceciderunt, Adelgisus scilicet & Geilo, in monte qui dicitur Suntdal. Hoc audiens Rex, cum Francis, quos citò congregare potuit, illuc perrexit, & peruenit vsque ad locum vbi Alara confluit in Vuisaram. Tunc omnes Saxones iterum conuenientes subdiderunt se domno Karolo Regi, & reddiderunt seditiosos, qui illam fecerant rebellionem, vt occiderentur, quatuor milia & quingentos viros. Vuidichindus verò partibus Nortmanniæ aufugit. Interfectis itaque seditiosis, exilióque damnatis, Rex in Franciam reuersus est, & celebrauit Natalem Domini in Theodonis villa, & Pascha similiter.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXXIII. obiit beatæ memoriæ Hil-

CAROLVS MAGNVS. degardis Regina II. Kal. Maij, quod euenit tunc in vigilia Ascensionis Domini, A & sepulta est iuxta vrbem Mettensem in Basilica Apostolorum & beati Arnulfi. Eodem anno iterum Saxones rebelles extiterunt, & Rex cum paucis Francis ad locum qui dicitur Theutmalli venit. Ibi Saxones parauerunt pugnam in campo viriliter. Tunc Rex cum Francis super eos irruit, & magnam stragem ex eis fecit, ita vt perpauci fuga elaberentur. Post peractam victoriam venit Rex ad Paderbrunna, vbi coadunato exercitu, iterum super Saxones irruit, qui conuenerant super fluuium, cuius vocabulum est Hasa. Ibi iterum pugna inita, non minor numerus Saxonum cecidit, quàm in superiori prœlio ceciderat. Tunc Rex Vuisaram transiit, & ad Albiam vsque peruenit. Post hæc in Franciam reuertitur. Eodem anno obiit BERTA Regina IV. Idus Iulij, & sepulta est in Cauciaco. Sed indè translata Parisius, sepulta est iuxta virum suum in Ecclesia Sancti Dionysij Martyris. Et cùm Vuarmatiam peruenisset Rex, sociauit sibi in matrimonium FASTRADAM Reginam, celebrauitque Natalem Domini in Heristellio, & Pascha similiter.

784. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXXIV. Karolus Rex iterum ingressus est Saxoniam, eò quòd iterum rebellassent, & cum eis aliqua pars Fresonum. Et peruenit vsque ad Huccului, circumeundo & vastando omnia. Erat autem nimia inundatio aquarum. Ipse igitur per Turingiam ab Orientali parte intrauit super VVestfalos. Porro filium suum misit cum valida manu contra Vuestfalos. Itaque Rex Turingiam ingressus, peruenit vsque ad fluuium Albiæ, & inde ad Stainfurt, deinde ad Scanninge. ex quo loco reuersus est in Franciam. Vuestfali verò adunauerunt se iuxta Lippiam. Quibus occurrit filius Regis in pago, qui dicitur Dragini, & inierunt pugnam. Quibus viriliter superatis, reuersus est Vuarmatiam ad genitorem suum. Rex itaque cum consilio Procerum suorum iterum hyemis tempore intrauit Saxoniam, & celebrauit Natalem Domini iuxta castrum Kiridrioburc in pago Vuaizzagaim super fluuium Amra, in villa Leutidi. B

785. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXXV. Rex vsque ad Roie peruenit super fluuium Vuisaram, vbi confluit Vuaharna, & propter nimiam inundationem aquarum, inde reuersus est ad Heresburc castrum, vbi vxorem suam Fastradam cum filiis & filiabus venire iussit. ibique per totam hyemem mansit. Vbi etiam Pascha celebrauit. Et multis vicibus exercitum super Saxones misit, & eorum castra destruxit, & in Maio Synodum apud Paderbronnam habuit. & inde iterum pergens, nullo contradicente, totam Saxoniam circuiuit. Et cùm peruenisset in Bardengauui, misit inde post Vuidichindum & Abbionem, & vtrosque ad se fecit venire. Quos sacramento constrinxit, vt in Franciam ad eum venirent. Qui acceptis obsidibus, ad Regem in villa Attiniaco venerunt, ibique baptisati sunt. & sic tota Saxonia subiugata est Francis. Et in eadem villa celebrauit Rex Natalem Domini & Pascha similiter. C

786. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXXVI. Karolus Rex misit exercitum suum in partibus Brittanniæ, cui præfecit Audulfum virum illustrem. Qui victis Brittonibus, totam illam Regionem Francorum ditionibus subegerunt. Principésque Brittonum secum adducentes, apud VVarmatiam Regis obtutibus præsentauerunt. Tunc Rex videns se ex omni parte pacem habere, Romam pergit causa orationis, & vt ibi cum Missis Imperatoris loqueretur. Celebrauitque Natalem Domini in Florentia ciuitate.

787. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXXVII. Carolus Romam venit, & à Papa Adriano honorificè susceptus est, vbi per aliquot dies moratus est. Quod cùm audisset Herigisus Dux Beneuentanorum, timore perterritus misit Romaldum filium suum cum magnis muneribus ad Regem pacem postulans, & promittens se facturum omnem voluntatem Regis. Sed his suasionibus Papa minimè credidit, sed magis hortabatur Regem, vt Beneuenti fines intraret. quod & fecit. Et cùm Capuam venisset, Herigisus reliquit Beneuentum, & in Salernum secessit, ibíque se muniuit. Post hæc misit filium suum Grimoaldum, (nam Romaldum Rex secum retinebat) cum magnis muneribus, offerens obsides, & promittens fidelitatem. tantum vt ab impugnatione cessaret. Tunc Rex cùm consultu fidelium & sacerdotum, ne penitus Episcopia & Monasteria deuastarentur, ele-

A git XII. obsides, & tertiumdecimum filium supradicti Ducis Grimoaldum. Acceptisque muneribus iurauerunt ei omnes Beneuentani fidelitatem, & reuersus est Romam, ibique celebrauit Pascha cum Præsule Sedis Apostolicæ. Venerunt etiam ibi Missi Tassilonis Ducis Arthinus Episcopus, & Hunricus Abba, rogantes Papam, vt pacem faceret, litémque terminaret inter Karolum Regem, & Tassilonem Ducem. quod libenter suscepit Papa. Rex autem ad postulata respondit, se hoc per multa tempora quæsisse, sed minimè obtinere potuisse. Ne tamen inobediens videretur esse monitis Apostolicis, asseruit se in eiusdem Papæ præsentia, cum eisdem Missis pacem velle firmare. Illis autem renuentibus, & dicentibus, non se audere pro suo Domino diffinitiuam suscipere sententiam, neque se ad hoc destinatos esse. videns Apostolicus ficta mendacia, & cognoscens instabilitatem Ducis, iratus anathematizauit ipsum Tassilonem, & omnes illi fauentes, nisi fidelitatem, quam Regi Pippino, & filio eius Karolo promiserant, per omnia obseruarent. Contestans per suos Missos Ducem, & monens, ne per eius perfidiam sanguis Christianorum funderetur, & terra vastaretur. Et si ipse Dux obedire nollet, tunc Rex & exercitus eius absoluti essent à Deo & S. Petro, & quicquid in Ducatu eius factum esset in incendiis & homicidiis, vel qualicumque malicia, totum hoc super Tassilonem & socios eius verteretur, & Rex & Franci essent innoxij. His verbis Missi Tassilonis absoluti. Rex oratione ad limina Apostolorum completa, &
B benedictione percepta, in Franciam cursum dirigit, & VVarmatiam, vbi erat Fastrada coniunx eius, peruenit. Vbi Synodum congregauit, & manifestauit Sacerdotibus & Optimatibus Regni causas itineris, & qualiter versutia Tassilonis coram summo Pontifice esset deprehensa. Misit itaque cum consultu fidelium ad eundem Tassilonem, monens vt Apostolici adhortationibus obtemperaret. Qui cùm nollet obedire, Rex in partibus Baioariæ exercitum mouit, & venit ad locum qui dicitur Lechfelt, super ciuitatem Augustam. & venerunt Orientales Franci & Turingi & Saxones super Danubium in loco qui dicitur Faringa. Porro Pippinus Rex de Italia cum exercitu venit ad Trientum. Tunc perspiciens se Tassilo ex omni parte circundatum, & videns quòd Baioarij magis essent fideles Karolo, quàm sibi, vndique coarctatus venit ad eum, tradens se manibus eius vt seruus. reddens Ducatum à Pippino Rege sibi commissum, & se in omnibus peccasse & malè egisse confessus est. Et denuo renouans sacramenta, dedit duodecim obsides electos, & tertiumdecimum filium suum Theodonem. Rex receptis obsidibus, reuersus est in Franciam, & celebrauit Natalem Domini in Ingelheim, & Pascha similiter.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXXVIII. Rex congregauit Synodum in præfata villa, & ibi venit Tassilo. Cœperunt autem Baioarij eum accusare, quòd fidem promissam violasset, suadente Liutberga vxore. Et obiecta Thassilo denegare non potuit, sed comprobatus est se ad Auaros postea transmisisse, & 788.
C in vitam fidelium Regis consiliasse. Ad vltimum confessus est se dixisse, etiamsi XII. filios haberet, omnes magis vellet amittere, quàm ita maneret, sicut iurauerat. Ex his, & aliis multis, ab omnibus diiudicatus est ad mortem. Et cùm omnes capitalem sententiam proclamarent, Rex misericordiâ motus, eo quòd consanguineus eius esset, obtinuit ab ipsis Dei & suis fidelibus, vt non moreretur. Interrogatus ergo à Rege quid agere vellet, terræ prostratus licentiam in Monasterium intrandi expetiit, vt ibi peccata sua deplorare posset. Similiter & filius eius Theudo fecit. Igitur attonsi sunt, & in Monasterium missi. Pauci verò Baioarij, qui cum Tassilone senserant, in exilium sunt missi. Eodem anno commissum est bellum inter Græcos & Langobardos, Ducibus Hildebrando de Spoleto & Grimoaldo de Beneuento, & Vuinigiso à Rege directo cum Francis. & fugati sunt Græci, & victores extiterunt Franci & Langobardi. Per idem tempus pugna commissa est inter Auaros & Francos, qui in Italia habitabant, & Deo largiente victoriam obtinuerunt Franci. Tertia pugna commissa est inter Auaros & Baioarios in campo Iboræ. & fuerunt ibi Missi Regis Garhamannus, & Eodagar* cum aliquibus Francis, & Deo auxiliante victoria fuit Francorum seu Baioariorum. Hæc omnia supradictus Tassilo & vxor eius Liutberga terminauerunt. Quarta pugna fuit contra Auaros, qui voluerunt vindicare eos, qui in prœlio superiùs dicto ceciderant. sed Deo adiuuante victoria Christianis cessit. Post hæc Karolus

*al. Odoacer

CAROLVS MAGNVS. ad Reganesburc venit, ibique Marcas & fines Baioariorum disposuit. Et inde reuersus est in Franciam. & celebrauit Natalem Domini in Aquis Palatio, & Pascha similiter. A

789. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXXIX. Rex Renum apud Coloniam transiit, & Saxoniam ingressus, vsque Albiam fluuium venit, ibique duos pontes construxit, & ex vtraque parte pontis castra ædificauit ex lignis & terra. Et inde progressus Sclauorum fines intrauit, & Sclauos qui cognominati sunt Vulzi suo dominio subiugauit. Fuerúntque cum eo in eodem exercitu Franci & Saxones. Frisiones verò nauigio venerunt per Albola fluuium. Fuerunt etiam cum eo Sclaui, Surui, & Abotrudi, quorum Princeps vocabatur Vuitzan. Obsidibus itaque receptis, reuersus est in Franciam. & celebrauit Natalem Domini in VVarmatia, ciuitate, & Pascha similiter.

790. ANNO ab Incarnatione Domini DCCXC. Huius anni Principio Rex Carolus primogenitum filium suum CAROLVM vltra Sequanam direxit, dans ei Ducatum Cenomannicum. qui eodem anno æstatis tempore ad patrem reuertitur. Rex autem Conuentum Francorum habuit in VVormatia ciuitate, disposuitque ea quæ vtilia videbantur esse in Regno suo. In illo verò anno in nullam partem duxit exercitum. Celebrauitque in eadem ciuitate Natalem Domini & Pascha.

791. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCXCI. Rex Karolus in partibus Baioariorum perrexit, & ad Reganesburc peruenit. Vbi etiam exercitum suum venire iussit, ibique cum consilio Optimatũ Regni disposuit ire in Regnum Auarorum, propter maliciam intolerabilem, quam in Galliarum populos & in Ecclesias Dei fecerant. Venit ergo cum exercitu vsque ad Anasen fluuium, vbi triduanum ieiunium cum letaniis fecerunt, postulantes à Deo salutem exercitus, & vindictam inimicorum. Rex itaque littora Danubij de Australi parte tenuit. Saxones autem cum quibusdam Francis, & plurima multitudine Fresonum de Aquilonali. Et ita pergentes peruenerunt illuc vbi iam Auares munitiones parauerant. De Australi parte ad Cuunberc, de Aquilonali verò ripa in loco qui dicitur Camp. Sic enim nominatur ille fluuius, qui influit in Danubium. Itaque Auares cùm ex vtraque ripæ parte vidissent exercitum, & classem per medium fluuium venientem, tantus terror, Deo faciente, super eos cecidit, vt dimissis præsidiis munitionum, fugæ latibula quærerent & sic Christo duce vterque exercitus absque læsione in Pannoniam introiuit. Peruenit autem Rex vsque ad fluuium qui dicitur Raba, omnia cædibus, incendiis, rapinisque deuastans. Et inde reuersus Rageneburc, celebrauit ibi Natalem Domini, & Pascha similiter. B

792. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCXCII. Feliciana Hæresis apud Ragenesburc condemnata est. Quem Felicem Engilbertus in præsentiam Adriani Papæ adduxit, & post confessionem hæresim abdicauit. Eodem anno nulla expeditio facta est, sed tantùm pons super naues propter transitum fluminum compactus esse, anchoris & funibus ita cohærens, vt iungi & dissolui posset. Et celebrauit ibi Rex Natalem Domini. C

793. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCXCIII. Karolus Rex Ragenesburc proficiscens, ad Fossatum magnum inter fluuios Alemoniam & Radenzam venit, ibique Missi Domini Papæ cum magnis muneribus in præsentiam eius venerunt. Ibi etiam nunciatum est ei, Saxones iterum more solito fidem & promissa violasse. Inde nauigio per Radenzam Moim *fluuium ingressus, Natalem Domini celebrauit in Vuitziburc apud Sanctum Kilianum.

* al. Mogonum

794. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCXCIV. celebrauit Rex Pascha in Franconofurt, ibique congregauit Synodum magnam Episcoporum, Galliarum, Germanorum, Italorum. Vbi fuerunt Missi Domini Papæ, Theophilus & Stephanus Episcopi. In hac Synodo, tertiò condemnata est hæresis Feliciana, quam damnationem per auctoritatem Sanctorum Patrum in libro conscripserunt. Cui libro omnes Sacerdotes manibus propriis subscripserunt. Eodem tempore obiit FASTRADA Regina, & in Monasterio Sancti Albani honorificè sepulta est. Pseudo-Synodus Græcorum, quam pro adorandis imaginibus fecerunt, ab Episcopis reiecta est. Post hæc Rex diuiso in duas partes exercitu, Saxoniam ingressus est. Ipse per Turingiam, Karolus filius eius apud Coloniam Rhenum transiuit. Saxones verò congregantes se in loco qui dicitur Finisfelt, præparauerunt se ad

A pugnam. Cum verò audissent se ex duabus partibus esse circumdatos, dissipauit Deus consilia eorum. Et quamuis fraudulenter, Christianos se esse, & fideles amodò Regi esse promiserunt. Rex in Franciam reuersus celebrauit Natalem Domini in Aquis Palatio, & Pascha similiter.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCXCV. Rex venit Maguntiam, ibique tenuit Placitum suum in villa quæ dicitur Cuffistein, in suburbio eiusdem vrbis. Audiens verò quòd Saxones secundum consuetudinem promissionem suam, quam de obseruanda Christianitate & fidelitate Regis tenenda fecerant, irritam fecissent, cum exercitu Saxoniam intrauit, & vsque ad fluuium Albiam peruenit ad locum qui dicitur Hluinni, in quo iisdem diebus Vuitzan Abodritorum Rex à Saxonibus occisus fuerat. Ibi etiam venerunt Missi Thudun, qui in Gente & Regno Auarum magnam potestatem habebat: affirmantes quòd idem Thudun cum terra & populo suo se Regi dare vellet, & eius ordinatione Christianam fidem suscipere. Rex itaque afflictis magna ex parte Saxonibus, eorúmque terra vastata, acceptis obsidibus, in Franciam rediit, & celebrauit Natalem Domini in Aquis Palatio, & Pascha similiter. 795.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCXCVI. Adrianus Papa obiit, & Leo mox in Pontificatu successit. Statimque misit Regi Legatos cum muneribus. Claues etiam confessionis Sancti Petri, & vexillum Romanæ vrbis direxit. Sed & Hericus Dux Foroiulianorum missis hominibus suis cum Vuonomiro Sclauo in Pannoniam, Hirigum gentis Auarorum Principem, longis retro temporibus quietum, ciuili bello fatigatis inter se Principibus, improuisè expoliauit. Caganusque & Iugoro intestina clade interempti sunt. Thesaurum verò priscorum Regum multa seculorum prolixitate collectum, idem Dux Carolo ad Aquis Palatium misit. Quo accepto, peracta largitori omnium bonorum gratiarum actione, magnam partem inde Romam ad limina Apostolorum misit per Engilbertum Abbatem. Porro reliquam partem Optimatibus suis Clericis siue laicis, ceterisque fidelibus suis largitus est. Per idem tempus Thudun secundum promissionem suam cum magna parte Auarorum ad Regem venit, & se cum populo suo & patria Regi tradidit. Ipse verò & populus eius baptizati sunt, & muneribus susceptis redierunt ad propria. Eodem tempore Rex cum exercitu Saxoniam ingressus est, & Pippinus Rex in Pannoniam cum exercitu introiuit. Venit autem Legatio Pippini Regis ad patrem, & dixit quia Auari post interfectionem priorum Ducum super se constituissent Regem, nomine Kaiam, & Pippinus contra eum certare disponeret. Rex verò peragrata Saxonia, in Franciam se recepit, & in Aquis Palatio filium suum Pippinum ex Pannonia redeuntem, & partem thezauri quæ remanserat adducentem, lætus aspexit. Et celebrauit in eodem loco Natalem Domini, & Pascha similiter. 796.

B

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCXCVII. Barcinona ciuitas Hispaniæ, quæ iam pridem à Francis disciuerat, per Thudun Præfectum ipsius Francis est reddita. Nam ipse ad Palatium veniens, ciuitatē cum semetipso Regi tradidit. Eodem tempore expeditio facta est in Saxoniam, & vsque ad Oceanum trans omnes paludes & inuia loca pertransiit exercitus. Et Rex de Adulohoc regressus (hoc enim loci nomen est, vbi Oceanus Saxoniam alluit) tota Saxonum Gente in deditionem per obsides accepta, inde Aquis Palatio reuersus esse. Vbi Abdellam Sarracenum, filium Ibinmage Regis, qui à fratre Regno pulsus in Mauritania exulabat, ipso se commendante suscepit. In eodem loco & Legatus Nicetæ, qui tunc Siciliam regebat, nomine Theophilus venit, Imperatoris Epistolam portans. Quem honorificè suscipiens, post aliquot dies absoluit. Ipse verò Nouembri mense mediante, ad hyemandum cum exercitu Saxoniam intrauit. Positisque castris iuxta Vuisaram fluuium, locum castrorum Heristellium vocari iussit. Illuc Legati gentis Auarum cum muneribus magnis venerunt. De eodem loco Abdellam Sarracenum cum filio suo Ludouuico in Hispaniam ire iussit, & filium suum Pippinum in Italiam remisit. Ipse verò ad disponendam Saxoniam totum hyemis tempus impendens, ibi Natalem Domini & Pascha celebrauit. 797.

C

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCXCVIII. Venit ad Regem Legatus Haddefonsi Regis Galliciæ & Austuricæ nomine Frola, papilionem miræ magnitudinis præsentans. Et in ipso Paschæ tempore, Nortluidi trans Albiam sedentes 798.

CAROLVS MAGNVS. seditione commota, Legatos Regios, qui tunc ad iusticias faciendas apud eos A conuersabantur, comprehenderunt. quosdam ex eis trucidantes, ceteros ad redimendum reseruauerunt. Rex itaque collecto exercitu, de Heristellio ad locum, qui Minda dicitur perrexit, & facto consilio in desertores arma corripuit, & totam inter Albiam & Vuisaram Saxoniam depopulando peragrauit. Nortluidi contra Transachonem Ducem Abrothidorum, & Ebroinum Legatum Regis. Commisso prœlio, victi sunt. Cæsa sunt autem ex eis in eo prœlio quatuor millia, cæteri verò qui fugerunt, de pacis conditione tractauerunt. Rex verò acceptis obsidibus à Saxonibus in Franciam reuersus est. Et Aquis perueniens, Legationem Græcorum à Constantinopoli missam suscepit. Erant enim Legati Michael Patritius quondam Phrygiæ & Theophilus presbyter, Epistolam Hirenæ Imperatricis ferentes. Nam filius eius Constantinus Imperator à suis comprehensus, & excæcatus est. Hæc tamen Legatio tantùm de pace fuit. Quos cùm absoluisset, absoluit etiam cum eis Sisinnium fratrem Tharasij Constantinopolitani Episcopi, iam dudum in Italia prœlio captum. Hoc anno sydus Martis in toto cœlo non comparuit. Insulæ Baleares à Mauris & Sarracenis deprædatæ sunt. Haddefons Rex Galliciæ, & Austuricæ, prædata Olisipona vltima Hispaniæ ciuitate, loricas, mulos, captiuósque Mauros Regi per Legatos, Frolam * & Basilicum, hyemis tempore misit. Et celebrauit Natalem Domini in eodem loco, & Pascha similiter.

* al. Fleram

799. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCXCIX. Romani Leonem Papam Letania maiore captum excæcauerunt, ac linguam eius radicitus absciderunt. Qui B in custodia missus noctu per murum euasit, & ad Legatos Regis, qui tunc apud Basilicam Sancti Petri erant, Vuirundum scilicet Abbatem, & Vuinigisum Spoletanorum Ducem veniens, Spoletum ductus est. Rex verò Saxoniam ingressus, apud Paderbronnam castris positis consedit, & indè diuiso exercitu, Karolum filium suum cum medietate ad colloquium Sclauorum, & ad recipiendos Saxones qui ex Northluidis venerunt, in Burdegaui direxit. In eodem loco Leonem Papam summo cum honore suscepit, ibique reditum Karoli filij sui expectans, Leonem Pontificem, simili quo susceptus honore, dimisit. Qui statim Romam profectus est. Receptóque cum prosperitate filio, Aquis repedauit, vbi Legatus Michaelis Siciliæ Præfecti nomine Daniel, ad eum venit, atque inde cum magno honore dimissus est. Eodem anno gens Auarum à fide quam promiserat defecit, & Heinricus Dux Foroiulianorum post tot victorias prosperè gestas iuxta Tarsicam Liburniæ ciuitatem insidiis ciuium oppressus est. Per idem tempus Giraldus Comes Baioariæ Præfectus, commisso cum Auaribus prœlio interficitur, & in Augia sepelitur. De quo in visione Vuettini legitur, quòd inter Martyres sit connumeratus. Insulæ Baleares, quæ à Mauris & Sarracenis deprædatæ sunt, postulato & accepto à Francis auxilio à prædonum incursione defensatæ sunt. Signa quoque Maurorum in pugna sublata Regi præsentata sunt. Vuido Comes, qui Marcam C contra Brittones tenebat, cum suis Brittanniam ingressus, totámque perlustrans, in deditionem accepit, & Regi de Saxonia reuertenti arma Ducum qui se tradiderant inscriptis singulorum nominibus præsentauit. Tota itaque Brittannia, quod nunquam antea fuit, Francis subiugata est. Eodem anno Monachus quidam de Hierosolymis veniens, reliquias multas adtulit Regi ex parte Patriarchæ Hierosolymitani. Azan verò Præfectus ciuitatis quæ dicitur Osca, claues vrbis illius Regi transmisit, eique munera tradidit. Celebrauit autem Rex Natalem Domini in eodem Palatio Aquis.

800. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCC. Rex absolutum Hierosolymitanum Monachum, misit cum eo Zachariam Presbyterum de Palatio suo, & per illum multam pecuniam misit per illa sancta loca, vbi Dominus noster corporaliter est conuersatus. Ipse verò medio Marcio de Aquis egressus, littus Oceani Gallici perlustratus est, & in ipso mari, quod tunc à pyratis infestabatur, classem instituit, præsidia disposuit. Pascha autem apud Sanctum Richarium celebrauit. Indéque iterum per littus Oceani ad Rothomagum ciuitatem peruenit, ibique Sequana amne transmisso, Turonis ad Sanctum Martinum orationis causa profectus est. Ibi omnium Brittonum Duces & Comites cum donis ad eum venerunt. Ibique per aliquot tempus moratus est, propter aduersam Liutgardæ coniugis valitudinem. Quæ ibi & defuncta est, & humata. Obiit autem pridie Non. Iunij. Inde Aurelianis ac

A nis ac Parisium regressus, ad Aquis Palatium venit. Eodem anno, pridie Non. Iulij, contra morem & naturam aspera & gelu concreta fuit pruina, & VII. Id. Iulij similiter. sed tamen nullam incommoditatem fructibus attulit. Mense Augusto Rex Magontiâ Placitū tenuit, & inde mouens cum exercitu Rauennam venit. Vbi VII. dies moratus Romam gressus direxit, filiúmque suum Pippinum cum exercitu in Beneuentum misit. Itaque cùm Romam venisset, occurrit ei pridie Leo Papa, & Senatus Romanorum apud Nomentum, duodecimo ab vrbe lapide, & summa cum humilitate summóque honore suscepit eum. prandens cum eo in eodem loco. Igitur statim eum ad vrbem præcessit, & in crastinum, in gradibus Basilicæ beati Petri Apostoli stans, missis obuiam Romanæ vrbis vexillis cum crucibus, atque reliquiis, ordinatis etiam atque dispositis per congrua loca tam peregrinorum, quàm ciuium turmis, qui venienti laudes dicerent, ipse cum Clero & Episcopis ante gradus Ecclesiæ eum humiliter suscepit. dataque benedictione, in Basilicam beati Petri Apostoli cunctis psallentibus introduxit. Hoc autem factum est VIII. Idus Decembris. Post VII. verò dies Rex concione vocata, cur Romam venisset patenter indicauit, & deinde cottidie ad ea quæ venerat facienda operam dedit. Inter quæ quod maximum erat & difficillimum, de discutiendis criminibus, quæ summo Pontifici obiecta erant. Causa itaque ventilata, cùm nullus probator aut testis legitimus appareret, qui locum controuersiæ subire præsumeret, præfatus B Pontifex coram omni populo in domo Sancti Petri Apostoli Euangelium portans ambonem conscendit, inuocatóque sanctæ Trinitatis nomine, iureiurando ab obiectis se criminibus purgauit. Eadem die Zacharias Presbyter cum duobus Monachis, vno de monte Oliueti, altero de Bethleem, Romam venit. Quos Episcopus Hierosolymitanorum ad Regem direxit, qui benedictionis causa claues Sepulchri Domini ac loci Caluariæ, claues etiam ciuitatis cum vexillo detulerunt. Quos Rex benignè suscipiens, aliquot dies secum detinuit, & mense Aprili remuneratos absoluit. Et celebrauit Rex ibi Natale Domini.

Carolvs Magnvs.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCI. Cùm Rex ipso die Natalis Domini ante confessionem Sancti Petri ab oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, & à cuncto Romanorum populo ter acclamatum est: Karolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria. Et post laudes more antiquorum Principum adoratus est, & ablato Patricij nomine Imperator Augustus est appellatus. Post paucos autem dies iussit eos, qui anno superiore Pontificem deposuerant, exhiberi, & habita de eis quæstione secundum legem Romanam, vt maiestatis rei capitali sententia damnati sunt. Pro quibus tamen Papa pio affectu apud Imperatorem intercessit. Nam & vita & membrorum integritas eis concessa est. Ceterùm pro facinoris magnitudine exilio deputati sunt. Huius factionis fuere principes Pascalis Numiculator *, & Campulus Sacellarius, & multi alij nobiles Romani. Qui C omnes eadem sententia damnati sunt. Ordinatis itaque Romanæ vrbis totiúsque Italiæ non tantùm publicis, sed etiam Ecclesiasticis & priuatis rebus & negotiis, missáque iterum super Beneuentanos, cum Pippino filio suo hostili expeditione, ipse post paucos dies IV. Kalend. Maias à Roma egressus venit Spoletum. Et dum ibi moraretur, II. Kalend. Maias hora noctis secunda terræmotus ingens factus est, quo tota Italia grauiter concussa est. Quo motu tectum Basilicæ beati Pauli Apostoli magna ex parte cum suis trabibus corruit, in quibus locis & montes ruerunt. Eodem anno loca quædam circa Rhenum & in Gallia & in Germania terræmotu tremuerunt, & pestilentia propter mollitiem hyberni temporis facta est. Imperator de Spoleto Rauennam veniens, aliquot dies ibi moratus, Papiam perrexit. Ibi nunciatum est ei Legatos Aaron Amirmunmilin Regis Persarum portum Pisæ intrasse. Quibus obuiam mittens, inter Vercellis & Ebbreiam eos sibi fecit præsentari. Vnus enim ex eis erat Persa de Oriente, Legatus Regis Persarum: alter Saracenus de Africa, Legatus Ammirati Abraham, qui in confinio Africæ in Fossato præsidebat. Qui Isaac Iudæum, quem Imperator ante quadriennium ad Regem Persarum cum Lanfrido & Sigismundo miserat, reuersum cum magnis muneribus nuntiauerunt. Nam Lanfridus & Sigismundus in itinere defuncti sunt. Misit itaque Rex Herchenbaldum Notarium in Liguriam ad naues parandas, vbi Elephans & ea quæ

801.

*al. Primicerius

CAROLVS MAGNVS. deferebantur, subueherentur. Ipse verò celebrato die Natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ apud Eboreiam, Alpes transgressus in Galliam reuersus est. Ipsa æstate capta est Barcinona ciuitas Hispaniæ, iam tunc minus plus biennio obsessa. Zatun verò Præfectus eius, & alij quamplures Sarraceni comprehensi sunt. Et in Italia Theate ciuitas similiter capta, & flammis exusta est, eiúsque Præfectus Rotselmus comprehensus est. Castella verò quæ ad illam ciuitatem aspiciebant, in deditione recepta sunt. Zatúnque & Rotselmus exilio damnati sunt. Mense Octobrio, Isaac Iudæus de Africa cum Elephanto regressus, portum Veneris intrauit. & quia propter niues Alpes transire non potuit, in Vercellis hyemauit. Imperator verò Aquis Palatio Natale Domini celebrauit.

802. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCII. Hirene Imperatrix de Constantinopoli misit Legatum suum nomine Leonem ad Imperatorem, de pace confirmanda inter Francos & Græcos. Imperator verò Constantinopolim misit Iesse Episcopum Ambianensem, & Ingaudum Comitem, vt pacem cum ea statuerent. Pascha verò celebratum est in eodem Palatio. Eodem anno XIII. Kal. Aug. venit Isaac cum Elephanto, & ceteris muneribus à Rege Persarum missis, in præsentiam Imperatoris. Nomen verò Elephantis erat Ambulabat. Ostona ciuitas in Italia in deditionem recepta est. Luceria quoque frequenti obsidione fatigata, & ipsa in deditionem venit, præsidiúmque Francorum in ea positum est. Imperator verò æstatis tempore in Arduenna venationibus operam dedit, & misso in Saxoniam exercitu, trans-Albianos Saxones vastauit. Grimaldus quoque Beneuentanorum Dux in Luceria Vuinigisum Comitem Spoleti, qui præsidio præerat, aduersa valitudine fatigatum obsedit, & in deditionem accepit, captúmque cum magno honore tenuit. Imperator verò Aquis Natalem Domini celebrauit, & Pascha similiter.

Hucvsque Rhegino cum his Annalibus conuenit.

803. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCIII. Terræmotus Aquis Palatio factus est, & mortalitas subsecuta est. Imperator verò post Pascha ab Aquis profectus ad Magonciam venit, ibique solito more Conuentũ Francorum habuit. VVinigisus quoque à Grimaldo redditus est. Missi Imperatoris à Constantinopoli regressi sunt, & venerunt cum eis Legati Nichofori Imperatoris, qui tunc rem publicam regebat, quorum hæc sunt nomina, Michael Episcopus, Petrus Abbas, Calistus & Candidatus. Qui venerunt ad Imperatorem in Germania super fluuium Sala, in loco qui dicitur *Salz.* & pactum faciendæ pacis in Christo susceperunt. Inde dimissi cum Epistola Imperatoris Romam venerunt. inde Constantinopolim regressi sunt. Venit quoque Fortunatus Patriarcha de Grecis, afferens secum inter cetera dona duas portas eburneas, mirifico opere sculptas. Imperator autem Baioariam profectus, venationem bubalorum, ceterarúmque ferarum, per saltum Hircanum exercuit. Inde verò ad Regenesburch, veniens, dispositis his quæ vtilia videbantur esse, aduentum exercitus de Pannonia redeuntis præstolabatur. Quibus reuersis, obuiam illis ad Regenesburch venit. Ibi etiam cum illis ZODAN Princeps Pannoniæ veniens, Imperatori se tradidit. Multi quoque Sclaui & Huni in eodem Conuentu fuerunt, & se cum omnibus quæ possidebant Imperatoris dominio subdiderunt. Constitutisque omnibus vtilitatibus quæ in illis partibus necessaria erant, per Alemanniam & per VVarmatiam hiemis tempore ad Aquis Palatium venit, ibíque Natalem Domini celebrauit.

804. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCIV. Imperator Aquis hiemauit, & ab Aquis proficiscens venit ad Palatium quod dicitur Niumagum. Ibíque veris tempore manens, Pascha etiam ibidem celebrauit. Incipientéque æstatis tempore ad Aquis Palatium reuertens, exercitum in Saxoniam misit. Transitóque Rheno, generalem Conuentum Francorum habuit iuxta Lippiæ fontem. Sumptóque indè itinere, per Saxoniam profectus, castra metatus est in loco qui dicitur *Boldonstat.* In quibus castris etiam Sclauorum Principes adfuerunt. Quorum causis discussis, & secundùm arbitrium dispositis, Regem illis TRASICONEM constituit. Missisque indè exercitibus suis per diuersas partes Saxoniæ, tam perfidos illos, quos vltra Albiam transierat, quàm illos qui in VVigmoti manebant, & frequentibus maleficiis populum Saxonum à via veritatis auerterant, cum mulieribus & infantibus Deo auxiliante sapientissima dispositione de Saxonia per diuersas vias dirigens,

A funditus exterminauit, & per Gallias ceterásq; Regiones Regni sui sine vlla læsione exercitus sui dispersit. Eodem tempore GODEFRIDVS Rex Danorum venit cum classe sua & omni equitatu Regni sui ad locum qui dicitur *Fliesdorp*, in confinio Regni sui & Saxoniæ. Promisit enim se ad colloquium Imperatoris venturum. Sed consilio suorum territus, propiùs non accessit, sed quicquid voluit per Legatos mandauit. Nam Imperator super Albiam fluuium sedebat in loco qui dicitur *Holdonsteti*. & missa ad Godefridum Legatione pro fugitiuis retentis, medio Septembri Coloniam venit. Deinde Arduennam ingressus, venationum locis exercitatus Aquis reuersus est. Medio Nouembrio nunciatum est ei Leonem Papam Natalem Domini cum eo celebrare velle vbicumq; illi placuisset. Quod Rex gratanter suscepit, & statim misso filio suo KAROLO ad Sanctum Mauricium, eum suscipere honorificè præcepit. Ipse verò obuiam illi apud Remorum ciuitatem in Basilica beati Remigij Episcopi & Confessoris profectus est. ibique susceptum ad Carisiacum vsque perductum, cum eo ibi Natalem Domini celebrauit. Inde pariter proficiscentes, peruenerũt ad Suessionis ciuitatem, in qua dimisso Papa, ad colloquium germanæ suæ GISLÆ, quæ in his diebus ægrotabat, ad Calam Monasterium peruenit. Fruitúsque eius colloquio, ad Carisiacum villam Leonem Papam, quem apud Sanctum Medardum dereliquerat, sibi obuiam venire fecit. Deinde Aquis perduxit, & honoratum magnis muneribus per Baioariam ire volentem à suis duci fecit vsque Rauennam. Causa aduentus eius hæc fuit. Nunciatum est Imperatori,

B IESV Christi Domini nostri sanguinem in Mantua ciuitate fuisse repertum. & Imperator ad Papam direxit, rogans vt veritatem rei perquireret Qui accepta occasione à Roma exeundi, primò in Langobardiam quasi pro inquisitione prædicta profectus est. deinde arrepto itinere, subitò ad Imperatorem vsque peruenit. Mansitque apud illum dies octo, & sicut dictum est Romam repedauit. Rex verò reliquam partem hiemis in iamdicto Palatio peragens, Pascha Domini cum gaudio celebrauit.

CAROLVS MAGNVS.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCV. Capcanus Princeps Hunorum propter necessitatem populi sui Imperatorem adiit, postulans sibi locum dari ad habitandum inter Sabariam & Carnuntum: quia propter infestationem Sclauorum in pristinis sedibus esse non poterat. Quem Imperator benignè suscepit, eiúsque precibus fauit. Erat enim Capcanus Christianus nomine THEODORVS. & precibus eius annuens, muneribus donatum redire permisit. Qui rediens ad populum suum, pauco tempore transacto diem obiit. Et misit alter Caganus vnũ de Optimatibus suis, petens sibi honorem antiquum dari, quem Caganus apud Hunos habere solebat. Cuius precibus Imperator adsensum præbuit, & summam totius Regni iuxta priscum eorum ritum Caganum habere præcepit. Eodem anno, cùm esset Imperator in Palatio, quod situm est Aquis, misit exercitum suum cum filio suo KAROLO in terram Sclauorum, qui vocantur Behemi, & per tres vias in eandem regionem exercitum penetrare præcepit. Partem autem exercitus cum Karolo Rege filio

C suo per Orientalem partem Franciæ seu Germaniæ ire præcepit, vt Hircano saltu transiecto, iamdictos Sclauos inuaderet. Aliam verò partem per Saxoniam dirigens, vt ex altera parte cum Saxonibus & innumerabilibus Sclauis transito ab Aquilone iam dicto saltu in Sclauos prorumperet. Tertia quoque ex parte expeditionem totius Baioariæ in eandem regionem intrare iussit. Venientes autem vndique in planiciem Behemi vniuersi Principes diuersarum gentium in conspectu Regis Karoli peruenerunt. Castrametati sunt autem haut procul à se illi innumerabiles exercitus distantes. Karoli autem Regis & Principum qui cum eo erant imperio vsus totus ille exercitus, ipsam regionem inuasit. Sed Sclaui in via & saltus penetrantes, se minimè ad pugnam præparauerunt. Vastata autem & incensa per XL. dies eadem regione, Ducem eorum nomine LECHONEM occidit. Et dum nec iam pabula equis, aut cibaria exercitui superessent, vastata & ad nihilum redacta iam dicta regione, ad propria reuersus est. Imperator verò ipsius æstatis tempus in venatione & iocunditate peragens, per Vosagum siluam iter faciens peruenit ad locum qui dicitur Campus. Ibique aliquot diebus moram faciens, dilectum filium suum Karolum Regem ab expeditione reuersum cum gaudio suscepit. Inde verò mense Iulio de Aquis-Grani profectus, Theodonis-villam peruenit: atque per Mettis transiens Vosagum petiit. Ibique venationi operam dans, post reuer-

805.

CAROLVS MAGNVS. sionem exercitus ad Romarici castellum profectus est. Ibique aliquantum temporis moratus, ad hiemandum in Theodonis villa Palatio suo consedit. Ibique ad eum ambo filij sui Pippinus & Ludouicus venerunt. Celebrauitque ibi Natalem Domini cum gaudio & exultatione. A

806. *Iterum sequentia cum Rheginonis Chronico conueniunt vsque ad annũ DCCCXIII.* ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCVI. venerunt Vuillarius & Beatus Duces Venetiæ, necnon & Paulus Dux Iaderæ, atque Donatus eiusdem ciuitatis Episcopus, Legati Dalmatiæ, in præsentiam Imperatoris cum magnis donis. Et ordinatis tam Veneriis, quàm Dalmatiis, eorúmque Missis absolutis, Imperator cum primoribus & Optimatibus Francorum de pace constituenda & conseruanda inter filios suos, & de partitione Regni Placitum habuit. Et diuisione facta, in tres partes Imperium suum partitus est inter tres filios, vt scilicet vnusquisque sciret quam partem tueri & regere debuisset, si illum superuiuerent. De hac diuisione testamentum fecit, & sacramentis interpositis à Francis confirmatum est, & Leoni Papæ transmissum, vt hæc decreta manu sua firmaret. Quod & factum est. Post hæc Imperator dimisso vtroque filio in Regnum sibi deputatum, Pippino scilicet, & Ludouuico, de Theodonis villa profectus, nauigio per Mosellam Renum ingressus, ad Niumagam in Batua venit. ibique tota Quadragesima fuit, & sanctum Pascha celebrauit. Et inde Aquis rediens, Karolum filium in terra Sclauorum, quæ dicitur Sorabi, super Albiam fluuiũ cum exercitu misit. In qua congressione Miliduoh Sclauus occisus est, duóque castella ab exercitu constructa sunt: vnum super ripam fluminis Salæ, alterum super Albiam. Sclauisque compressis ex hac parte, in Behemicum cum Baioariis atque Alamannis ingreditur, eorúmque terram ex maxima parte vastauit. Eodem anno in Corsicam insulam contra Mauros, qui eam vastabant, classis de Italia à Pippino missa est. Cuius aduentum Mauri non expectantes, abscesserũt. Vnus tamen ex Francis Ademarus nomine, Comes ciuitatis Genuuæ, cùm imprudenter pugnaret, occisus est à Mauris. In Hispania verò Nauarri & Pampilionenses, qui superioribus annis ad Sarracenos transierant, in fidem recepti sunt. Classis à Nicephoro Imperatore, cui Niceta Patritius præerat, ad recipiendam Dalmatiam mittitur, & Legati, qui ferè ante quatuor annos ad Regem Persarum missi sunt, per ipsas Græcarum nauium stationes transuecti, ad Taruisium nullo aduersariorum sentiente peruenerunt. Imperator verò celebrauit Natalem Domini in Aquis Palatio. B

807. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCVII. fuit eclypsis Lunæ, IV. Non. Septemb. Stabat verò Sol tunc in XIII. parte Virginis, Luna autem morabatur in XIII. parte Piscium. Hoc autem anno II. Kal. Febr. fuit Luna XIV. quando stella Iouis quasi per eam transire visa est. Et III. Id. Febr. fuit eclysis Solis media die, stante vtroque sydere in XXV. parte Aquarij. Iterum IV. Kalen. Marcij eclypsis Lunæ facta est, & in eadem nocte apparuerunt acies in cœlo miræ magnitudinis, Sole morante in vndecima parte Piscium, & Luna in XI. parte Virginis. Nam & stella Mercurij XVII. Kal. Aprilis visa est in Sole quasi macula parua, nigra tamen paululum superiùs medio centro eiusdem sideris, quæ à nobis conspicitur dies octo. Sed quando primum intrauit vel exiuit, nubibus impedientibus minimè adnotare potuimus. Iterum XI. Kalen. Sept. eclypsis Lunæ facta est hora noctis tertia, Sole posito in V. parte Virginis, & Luna in V. parte Piscium. Ratbertus Missus Imperatoris, qui de Oriente reuertebatur, defunctus est, & Legatus Regis Persarum nomine Abdella, cum Monachis de Hierusalem, qui Legatione Thomæ Patriarchæ fungebantur; quorum nomina fuere Georgius & Felix. Georgius Abba erat de monte Oliueti, & erat natione Germanus, & à parentibus Engilbaldus vocatus est. Peruenerunt itaque Aquis ad Imperatorem munera ferentes, quæ prædictus Rex Imperatori miserat, scilicet papilionem & tentoria atrij vario colore respersa, miræ magnitudinis & pulchritudinis. Erant enim omnia byssina, tam tentoria, quàm & funes eorum diuersis tincta coloribus. Fuerunt etiam munera præfati Regis pallia holoserica multa, & valde pretiosa, & odoramenta, & balsamum atque vnguenta. Misit præterea Horologium ex aurichalco arte mechanica mirificè compositum, in quo XII. horarum cursus ad clepsydram vertebatur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subiectum sibi cymbalum resonare faciebant. additis in eodem Horologio eiusdem numeri equitibus, qui per XII. fenestras completis horis exiebant, & in cursu C

CAROLVS MAGNVS.

A egressionis suæ totidem fenestras, quæ prius erant apertæ, claudebant. Necnon & alia multa erant in præfato Horologio. Fuerunt etiam inter prædicta munera duo candelabra ex aurichalco miræ magnitudinis & proceritatis. Quæ omnia Aquis reposita sunt. Imperator Legatum & Monachos per aliquot tempus secum retinens, postmodum eos in Italiam direxit, atque ibi tempus nauigationis expectare iussit. Eodem anno, Burchardum Comitem Stabuli sui, (quod corruptè Conestabulum appellamus,) cum classe misit in Corsicam, vt eam à Mauris defenderet, qui prædas illic exercebant. Qui iuxta consuetudinem suam de Hispania egressi, primò Sardiniam appulsi sunt, ibique cum Sardis prœlio commisso, & multis suorum amissis, (nam tria millia ibi cecidisse perhibentur,) in Corsicam recto cursu peruenerunt. Ibi iterum in quodam portu eiusdem insulæ, cum classe, cui Burchardus præerat, prœlio decertauerunt, victique ac fugati sunt, amissis XIII. nauibus, & plurimis suorum interfectis. Adeo illo anno in omnibus locis aduersa fortuna fatigati sunt, vt ipsi sibi idcirco hoc accidisse testati sint, quòd anno superiore contra omnem iustitiam de Patalaria insula LX. Monachos asportatos in Hispania vendiderint. Quorum aliqui per liberalitatem Imperatoris iterum in sua loca reuersi sunt. Niceta Patritius, qui cum classe Constantinopolitana sedebat in Venetia, pace facta cum Pippino Rege, & induciis vsque ad mensem Augustum acceptis, statione soluta Constantinopolim regressus est. Et celebrauit Imperator Natalem Domini Aquis, & Pascha similiter.

B ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCVIII. Hiems mollissima, & pestilens fuit. Vere inchoante Imperator Niumagam profectus est, & celebrato ibi Pascha, iterum Aquis repedauit. Vbi nuntiatum est ei Godefridum Regem Danorum copias in Abrotides traiecisse. Aduersus quem Karolum filium suum cum exercitu misit, iubens vesano Regi resistere, si Saxoniæ terminos aggredi tentaret. Godefridus, expugnatis aliquantis Sclauorum castellis, cum magno copiarum suarum detrimento in patriam reuersus est. Nam licèt Drasconem Ducem Abodritorum loco pepulisset, Godelaibum alium Ducem dolo captum patibulo suspendisset, Abodritorum duas partes sibi vectigales fecisset; optimos tamē militum suorum & manu promptissimos amisit, & cum eis filium fratris sui nomine Reginbaldum, qui in oppugnatione cuiusdam oppidi cum plurimis Danorum primoribus interfectus est. Imperatoris filius Albiam ponte iunxit, & exercitum cui præerat in Linones & Smeldingos, qui & ipsi ad Godefridum Regem defecerant, quanta potuit celeritate transposuit. Populatisque circumquaque eorum agris, transito iterum flumine, cum incolumi exercitu in Saxoniam se recepit. Fuerunt autem cum Godefrido in prædicta expeditione Sclaui qui dicuntur Vuilzi, qui propter antiquas inimicitias, quas cum Abodritis habere solebant, sponte se copiis eorum iunxerunt: ipsóque in Regnum reuertente, cum præda, quam in Abodritis ceperant, & ipsi domum reuersi sunt. Godefridus verò priusquam reuerteretur, destructo emporio quod in Oceani littore constitutum erat, & lingua Danorum *Rerich* dicebatur, & C magnam Regno illius commoditatem vectigalium persolutione præstabat, translatísque inde negotiatoribus, soluta classe ad portum, qui *Liestorph* dicitur, cum vniuerso exercitu venit. Vbi per aliquot dies moratus, limitem Regni sui, qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit, eo modo vt ab orientali maris sinu, quem illi *Ortarsalz* dicunt, vsque ad occidentalem Oceanum, totam Egidoræ fluminis Aquilonalem ripam munimentum valli prætexeret: vna tantum portâ dimissa, per quam carra & equites emitti & recipi potuissent. Diuiso itaque opere inter Duces, domum reuersus est. Interea Rex Nortdanimbrorum de Brittannia insula nomine Eardulf, Regno & patria pulsus, ad Imperatorem dum adhuc Niumaga moraretur venit, & patefacto aduentus sui negotio, Romam proficiscitur. Romáque rediens, per Legatos Romani Pontificis & Imperatoris in Regnum suum reducitur. Fuit autem Legatus Apostolici Adulphus Diaconus de ipsa Brittannia, natione Saxo, & cum eo ab Imperatore missi Abbates duo, Rotfridus Notarius, & Nantharius de Sancto Otmaro. Imperator verò ædificatis per Legatos suos super Albiam duobus castellis, præsidióque in eis contra Sclauorum incursiones disposito, Aquis Natalem Domini celebrauit, & Pascha similiter. 808.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCIX. Classis de Constantinopoli missa, primò Dalmatiam, deinde Venetiam appulit. Cúmque ibi hyemaret, pars eius ad 809.

CAROLVS MAGNVS. Cumaculam insulam venit, commissóque prœlio contra præsidium, quod in ea A positum erat, à ciuibus victi atque fugati sunt. Dux autem qui classi præerat nomine Paulus, cùm de pace inter Francos & Græcos constituenda, quasi sibi hoc esset iniunctum, apud Pippinum Regem agere moliretur, Vuillario & Beato Venetiæ Ducibus omnes conatus eius impedientibus, atque ipsis etiam insidias parantibus, cognita eorum fraude, discessit. Dum hæc in Italia aguntur, LVDOVVICVS Rex in occiduis partibus cum exercitu in Hispaniam ingressus, Tortosam ciuitatem super ripam Hiberi fluminis sitam obsedit, consumptóque in expugnatione illius aliquanto tempore, postquam eam tam citò capi non posse vidit, dimissa obsidione cum incolumi exercitu in Aquitaniam se recepit. Postquam verò Eardulfus Rex Nortdanimbrorum in Regnum suum restitutus est, cum Missi reuerterentur, Adulfus Diaconus captus est à pyratis. sed postea redemptus est, Romámque reuersus. In Tuscia Populonium ciuitas maritima à Græcis, qui Orobitæ vocantur, deprædata est. Mauri quoque de Hispania Corsicam ingressi in ipso sabbato sancto Paschæ ciuitatem quandam deprædati sunt: & præter Episcopum, & paucos senes atque infirmos, nihil in ea reliquerunt. Interea Godefridus Rex Danorum per quosdam negotiatores mandauit Duci qui Fresiam præuidebat, audisse se quòd ei Imperator esset iratus, eò quòd in Abodritos duxisset exercitum, & suas vltus esset iniurias. addens velle se denegare quod ei obiiciebatur, quòd fœdus promissum inrupisset. Mitteret Imperator Missos suos trans Albiam, iuxta teminos Regni sui, & ipse cum suis ibi veniret, inuicémque discussis causis, B quæque emendationis digna erant, absque contradictione ibi corrigerentur. Quod cùm Imperatori nuntiatum esset, non abnuit. Colloquiúmque est habitum cum primoribus Danorum trans Albiam. Multisque hinc indè prolatis, minimè ad effectum res perducta est. Trasco verò Dux Abodritorum, postquam filium suum postulanti Godefrido obsidem dederat, collecta popularium manu, & auxilio à Saxonibus accepto, vicinos suos Vuilzos aggressus, agros eorum ferro & igne vastauit. Regressúsque domum cum ingenti præda, accepto iterum à Saxonibus validiori auxilio, Smeldingorum maximam ciuitatem expugnat, atque his prosperis successibus omnes qui ab eo defecerant ad suam societatem redire coegit. Imperator itaque, cùm ei multa de iactatione & superbia Regis Danorum nuntiarentur, statuit trans Albiam ciuitatem ædificare, Francorúmque in ea ponere præsidium. Cúmque ad hoc per Galliam atque Germaniam homines congregasset, armisque ac ceteris ad vsum necessarium rebus instructos, ad locum destinatum ducere per Fresiam iussisset, Trasco Dux Abodritorum in emporio Rerich ab hominibus Godefridi dolo interfectus est. Imperator verò postquam locus ciuitatis constituendæ fuerat exploratus, Egbertum Comitem huic negotio exequendo præficiens, Albiam traiicere, & locum iussit occupare. Est autem locus super ripam Sturiæ fluminis vocabulo *Esesfleth*. Occupatus est itaque ab Egberto Comite & aliis Comitibus Saxonibus, & circa Idus Marcias muniri cœptus. Dum hæc C circa Danos aguntur, Aureolus Comes, qui in confinio Hispaniæ atque Galliæ trans Pyreneum contra Oscam & Cæsaraugustam residebat, defunctus est, & Amoroz Præfectus Cæsaraugustæ atque Oscæ ministerium eius inuasit, & in castellis illius præsidia disposuit, missáque ad Imperatorem Legatione, se cum suis omnibus eius obsequio traditurum promisit. His ita gestis, Imperator de Arduenna Aquas reuersus mense Nouembrio Concilium de processione Spiritus sancti habuit, quam quæstionem Ioannes quidam Monachus Hierosolymis primò commouit. Cuius diffiniendæ causa, Bernaharius Episcopus VVarmacensis, & Adalardus Abbas Monasterij Corbeiæ, Romam ad Leonem Papam missi sunt. Agitatum est etiam in eodem Concilio de statu Ecclesiarum, & conuersatione eorum qui in eis Deo seruire dicuntur. Nec aliquid tamen definitum est propter rerum vt videbatur magnitudinem. Eclypsis Lunæ accidit VII. Kal. Ianuarij.

810. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCX. Amoroz Præfectus colloquium Imperatoris expetiit in confinio Gallici & Hispanici limitis, in eóque colloquio promisit se cum suis omnibus Imperatoris manibus commendaturum. Quod licèt Imperator annuisset, multis interuenientibus causis remansit infectum. Mauri itaque de tota Hispania maxima classe collecta, primò Sardiniam, deinde Corsicã applicuerunt. Nullóque in ea inuento præsidio, insulam penè totam subegerunt.

A Interea Pippinus Rex perfidia Ducum Veneciorum incitatus, ipsam insulam bello terra & mari vexabat. Subiectáque Venecia, ac Ducibus eius in deditionem receptis, eandem classem ad Dalmatiæ littora vastanda misit. Sed cùm Paulus Cefalaniæ Præfectus cum Orientali classe ad auxilium Dalmatiis ferendum aduentaret, regia classis ad propria regreditur. Ruotrud filia Imperatoris, quæ natu maior erat, VIII. Idus Iunij moritur. Imperator Aquis morabatur, vbi nuntiatum est ei classem ducentarum nauium de Nortmannia in Fresia applicuisse, ternáque prœlia cum Fresonibus commisisse, Danósque victores tributum victis imposuisse. etiam c. libras argenti à Fresonibus esse solutas, Regémque Godefridum hæc omnia agere dixit. Qui nuncius adeò Imperatorem concitauit, vt missis in omnibus circumquaque regionibus ad congregandum exercitum Nunciis, ipse sine mora Palatio exiens, illas in partes tendere cœpit. Transito itaque Rheno flumine in loco qui Lippia dicitur, copias quæ nondum conuenerant statuit operiri. Vbi cùm aliquot dies moraretur, Elephans ille, quem ei Aaron Rex Sarracenorum miserat, subita morte periit. Congregatis tandem copiis, quanta potuit celeritate ad Alaram fluuium contendit, castrísque positis, minarum Godefridi Regis præstolabatur euentum. Nam ille tyrannus superbiæ spiritu inflatus se iactauit arroganter, quòd cum Imperatore congredi vellet. Sed cùm Imperator in loco memorato resideret, diuersarum rerum Legationes ad eum perferuntur. Nam & B classem, quæ Fresiam vastabat, domum reuersam, & Godefridum à quodam suo satellite interemptum, & castellum vocabulo *Hocbuoki*, Albiæ flumini contiguum, in quo Oddo Legatus Imperatoris erat, & erat Orientalium Saxonum præsidium, à Vuilzis captum, & Pippinum filium eius Regem Italiæ VIII. Idus Iulij de corpore migrasse. Duásque Legationes de diuersis terrarum partibus, vnam de Constantinopoli, alteram de Corduba, aduentare pacis causa nunciabatur. Quibus ille acceptis, disposita pro temporis conditione Saxonia, Aquis reuertitur. Tanta enim fuit in ea expeditione boum pestilentia, vt penè nullus tanto exercitui superesset, quin omnes vsque ad vnum perirent. Et non solùm ibi, sed etiam per omne Imperium huius generis animalia perierunt. Aquis verò veniens mense Octobrio memoratas Legationes suscepit, pacémque cum Nichophoro Imperatore, & cum Abulaz Rege Hispaniæ fecit. Siquidem Veneciam Nichophoro reddidit, & Heimericum * Comitem dudum à Sarracenis captum, Abulaz remittente, recepit. Eo anno Sol & Luna bis defecerunt. Sol VII. Idus Iunij, & pridie Kalend. Decemb. Luna XI. Kalend. Iulij, & XIX. Kalend. Ianuar. Corsica insula iterum à Mauris vastata est. Amoroz ab Abdiraman filio Abulaz de Cæsaraugusta expulsus, & Oscam intrare compulsus est. Godefrido verò, vt diximus, mortuo, Hemmingus filius fratris eius in Regnum successit, pacémque cum Imperatore firmauit.

* *al.* Heinricum.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXI. Absoluto atque dimisso Arsafio C Spatario, Legato Nichophori Augusti, eiusdem pacis confirmandæ gratia Legati ab Imperatore Constantinopolim mittuntur, Haido Episcopus de Basala, & Hugo Comes Turonis, & Agio Langobardus de Foroiulio, & cum eis Leo quidam Spatarius natione Siculus, & Vuillarius Dux Veneciæ. Quorum alter ante annos x. Romæ ad Imperatorem, cùm ibi esset, de Sicilia profugit, & redire volens patriam remittitur. Alter verò propter perfidiam honore spoliatus Constantinopolim ad Dominum suum duci iubetur. Condicta verò ab Imperatore & Hemmingo Rege Danorum pax propter hyemis asperitatem, quæ inter partes commeandi viam claudebat, in armis tantùm iurata seruatur: donec redeunte veris temperie, viis apertis, aduenientibus ex vtraque parte, Francorum scilicet & Danorum, XII. Primoribus super fluuium Egidoram, datis vicissim secundum ritum ac morem suum sacramentis, pax confirmaretur. Imperator itaque pace cum Hemmingo firmata, & Placito generali secundum consuetudinem Aquis habito, in tres partes Regni sui totidem exercitus misit. Vnum trans Albiam in Linones, qui & ipsos vastauit, & castrum Hocbuoki superiori anno à Vuilzis destructum restaurauit. Alterum in Pannoniam ad controuersias Hunorum ac Sclauorum finiendas direxit. Tertium quoque super Brittones ad eorum perfidiam puniendam misit. Qui omnes, rebus prosperè gestis, domum reuersi sunt. Ipse autem Imperator ad classem videndam, quam præcedenti anno fieri & fabricari iusserat, Bo- 811.

CAROLVS MAGNVS. noniam venit, farúmque ibi ad nauigantium cursus dirigendos antiquitus constitutam restaurauit, & in eius summitate nocte ignem accendit. Inde ad Scalt fluuium veniens, in loco qui vocatur Gant, naues ad eandem classem ædificatas aspexit, & circa medium Nouembrium Aquas venit. Vbi obuiauerunt ei Legati Hemmingi Regis, Acuin & Hebbi, munera Regi & verba pacifica deferentes. Fuerunt etiam Aquis aduentum eius præstolantes, qui de Pannonia venerunt, Canizauci Princeps Auarum, & Thudun, & alij Principes ac Duces Sclauorum circa Danubium habitantium: qui à Ducibus Francorum, qui in Pannonias fuerunt missi, ad præsentiam Principis iussi sunt venire. Interea Karolus filius Imperatoris, qui maior natu erat, obiit pridie Non. Decembris. A

812. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXII. Hemmingus Rex Danorum moritur. Cui cùm Sigifridus nepos Godefridi, & Anilo nepos Herioldi succedere vellent, neque inter eos de diuisione Regni conueniret, comparatis copiis, & commisso prœlio, ambo moriuntur. Pars tamen Anilonis adepta victoria, fratres eius Herioldum & Reginfridum Reges sibi constituit. Quam necessariò pars victa secuta, eosdem sibi imperare non abnuit. In eo prœlio X. millia nongenti XL. viri cecidisse memorantur. Nichophorus Imperator post multas & insignes victorias, in Messia prouincia commisso cum Burgaris prœlio moritur, & Michaël gener eius Imperator factus, Legatos domni Imperatoris, qui ad Nichophorum Imperatorem missi fuerunt, suscepit in Constantinopolim, & absoluit. Cum quibus & suos Legatos direxit, Michaëlem scilicet Episcopum, & Arsafium, atque Theodnostum Protospatarium, & per eos pacem à Nichophoro cœptam confirmauit. Nam Aquisgrani, vbi ad Imperatorem venerunt, cùm scriptum pacti ab eo in Ecclesia suscepissent, more suo, id est Græca lingua, laudes ei dixerunt, Imperatorem eum & Basileum appellantes. Et in reuertendo Romam venientes, in Basilica sancti Petri Apostoli eundem pacti seu fœderis libellum à Leone Papa denuò susceperunt. Quibus dimissis, Imperator generali Conuentu Aquis solemniter habito, BERNARDVM filium Pippini nepotem suum in Italiam misit, & propter famam classis, quæ de Africa & Hispania ad vastandam Italiam ventura dicebatur, VVALONEM filium Bernardi patruelis sui cum illo esse iussit, quousque rerum euentus securitatem suis afferret. Hæc classis partim in Corsicam, partim in Sardiniam venit. Ea quidem pars, quæ ad Sardiniam venit, penè deleta est. Classis verò Nortmannorum Hiberniam insulam aggressa, commissóque cum Scottis prœlio, multi ex eis interfecti, ceteri fugâ lapsi sunt. A Grimaldo verò Duce Beneuentanorum XXV. millia solidorum auri pro tributo Imperatori soluta sunt. Eodem anno expeditio facta est in Vuilzos, & ab eis obsides accepti sunt. Herioldus itaque & Raginfridus Reges Danorum, missa ad Imperatorem Legatione, pacem petunt, & fratrem suum Hemmingum sibi remitti rogant. Hoc anno Idus Maij post meridiem Solis eclypsis fuit. B

813. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXIII. Imperator Aquis hyemauit, & incipiente vernali temperie Hamalarium, qui Episcopatum Treuerensem tenebat, & Petrum Abbatem Monasterij de Nonantulas, propter pacem cum Michaële confirmandam, Constantinopolim misit. Ac deinde habito generali Conuentu, euocatum ad se de Aquitania LVDOVICVM filium, coronam illi Imperialis dignitatis imposuit. BERNARDVM quoque nepotem suum Italiæ præfecit, Regémque appellari iussit. Concilia quoque iussu eius super statu Ecclesiarum per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt: quorum vnum Moguntia, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabillonis, quintum Arelate congregatum est. Constitutiones verò, quæ in singulis factæ sunt, ab Imperatore confirmatæ sunt. Quas qui nosse voluerit, in supradictis ciuitatibus inuenire poterit, quanquam & earum exemplaria in Archiuo Palatij habeantur. Eodem tempore missi sunt trans Albiam quidam Francorum & Saxonum Proceres ad terminos Nortmannorum, qui pacem cum eis secundum petitionem ipsorum facerent, & fratrem Regum eis redderent. Iuramentis itaque ex vtraque parte datis, pax firmata est. Tamen ea tempestate Reges domi non erant, sed ad *VVestarfalt* cum exercitu perrexerant. Quæ regio vltima Regni illorum erat, inter Septentrionem & Occidentem sita, & contra Aquilonem Brittanniæ summitatem respicit. Cuius Principes ac populus eorum dominationem dedignabantur. Quibus per- C

A domitis, cùm reuersi essent, & fratrem ab Imperatore missum recepissent, filij Godefridi Regis, & nonnulli ex Primoribus Danorum, qui iamdudum relicta patria apud Suecones exulabant, adtractis vndique copiis bellum eis intulerunt, & confluentibus ad se passim ex omni Danorum terra populorum turmis, commisso cum eis prœlio Regno paterno expulerunt. Eodem anno Karolus Imperator moritur, & Aquis in Basilica sancti Saluatoris, & sanctæ Dei genitricis Mariæ honorificè sepultus est. Quam Basilicam ipse mirifico opere à fundamento ædificari fecit.

FVIT enim hic prudentissimus Rex amator peregrinorum, & in eis suscipiendis magnam habebat curam. adeò vt eorum multitudo non solùm Palatio, verumetiam Regno non immeritò videretur onerosa. Ipse tamen præ magnitudine animi huiuscemodi pondere minimè grauabatur. cùm etiam ingentia incommoda laude liberalitatis, ac bonæ famæ mercede compensaret. Corpore fuit amplo atque robusto, staturâ eminenti, quæ tamen iustam non excederet mensuram. Nam septem suorum pedum proceritatem eius constat habuisse mensuram. Apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naso paululum mediocritate excedenti, canicie pulcra, facie læta & hilari. Vnde formæ auctoritas tam stanti quàm sedenti plurima adquirebatur. Quanquam ceruix obesa & breuior, ventérque proiectior videretur; tamen hæc & ceterorum membrorum celabat æqualitas. Incessu firmo, totáque corporis habitudine virili. Voce clara quidem, sed

Vita desumpta sunt ex Vita Caroli Magni per Eginhardum scripta, quæ Tomo II. habetur.

B quæ minus corporis formæ conueniret. Valitudine prospera, præter quod antequàm decederet, per quatuor annos crebrò febribus corripiebatur. Ad extremum etiam vno pede claudicaret. Et tunc quidem plura suo arbitratu, quàm Medicorum consilio, faciebat. quos penè exosos habebat, quòd ei in cibis assa, quibus assuetus erat, dimittere, & elixis aduescere suadebant. Assiduè verò exercebatur equitando, ac venando. quod illi gentilitium erat. Quia vix vlla in terris Natio inuenitur, quæ in hac arte Francis possit æquari. Delectabatur etiam vaporibus aquarum naturaliter calentium. frequenti natatu corpus exercens, cuius adeò peritus fuit, vt nullus ei iustè valeat anteferri. Ob hoc etiam Aquisgrani Regiam extruxit, ibique extremis vitæ annis vsque ad obitum perpetim habitauit. Et non solùm filios ad balneum, verumetiam Optimates & amicos aliquando, satellitúmque & custodum corporis turbam inuitauit: ita vt nonnumquam centum vel eo ampliùs homines vnà lauarentur. Deinde tunicam, quæ limbo serico ambiebatur, & tibialia cum fasciolis crura, & pedes calciamentis constringebat. Et ex pellibus thorace confecto, humeros ac pectus muniebat. Sago Veneto amictus, & gladio semper accinctus, cuius capulus, ac balteus, aut aureus, aut argenteus erat. Aliquotiens & gemmato ense vtebatur. quod tamen nisi in præcipuis festiuitatibus, vel si quando ceterarum Gentium Legati adessent. Peregrina verò indumenta, quamuis pulcherrima, respuebat: nec vnquam eis indui patiebatur. Excepto quòd semel Romæ petente ADRIANO Pontifice, &

C iterum LEONE successore eius supplicante, longa tunica & clamide accinctus, calceis quoque Romano more formatis induebatur. In festiuitatibus veste auro texta, & calciamentis gemmatis, & fibula aurea sagum astringente, diademate quoque ex auro & gemmis ornatus incedebat. Aliis autem diebus, habitus eius parum à communi ac plebeio discrepabat. In cibo & potu temperans, sed in potu temperantior. Quippe qui ebrietatem in qualicumque homine, nedum in se ac suis, plurimùm abhominabatur. Cibo enim non adeò abstinere poterat, vt sæpè quereretur noxia corpori suo esse ieiunia. Conuiuabatur rarissimè, & hoc præcipuis tantùm festiuitatibus. & tunc tamen cum magno hominum numero. Cœna cotidiana quaternis tantùm ferculis præbebatur, præter assam, quam venatores verubus inferre solebant. qua ille libentiùs quàm vllo alio cibo vescebatur. Inter cœnandum numquam lectio deerat. Legebantur Historiæ, & antiquorum res gestæ. Delectabatur & Libris sancti Augustini, præcipuéque his qui de Ciuitate Dei prætitulati sunt. Vini & omnis potus adeò parcus in bibendo erat, vt super cœnam raro plus quàm ter biberet. Æstate post cibum meridianum pomorum aliquid sumens, ac semel bibens, depositis vestibus ac calciamentis, vt nocte solitus erat, duabus aut tribus horis quiescebat. Noctibus sic dormiebat, vt somnum quater aut quinquies non solùm expergiscendo, sed etiam surgendo inter-

rumperet. Cùm calciaretur & amiciretur, non tantùm amicos admittebat: verumetiam si Comes Palatij litem aliquam esse diceret, quæ sine eius iussu diffiniri non posset, statim litigantes introducere iubebat, & velut pro tribunali sederet, lite cognita sententiam dicebat. Nec hoc tantùm tempore, sed etiam quicquid ea die cuiuslibet officij agendum, aut cuiquam ministrorum iniungendum erat, expediebat. Erat eloquentiâ copiosus & exuberans, poteràtque quidquid vellet apertissimè exprimere. Nec patrio tantùm sermone contentus, etiam peregrinis linguis ediscendis operam impendit. In quibus Latinam ita didicit, vt æquè illâ ac patria linguâ orare esset solitus. Græcam verò meliùs intelligere, quàm pronunciare poterat. Adeò certè facundus erat, vt etiam didascalus appareret. Artes liberales studiosissimè coluit, earúmque doctores plurimùm veneratus, magnis honoribus sublimabat. In discenda Grammatica Petrum Pisanum Diaconum senem audiuit, in ceteris disciplinis Albinum cognomento Alcuinum item Diaconum de Brittannia, Saxonici generis hominem, virum doctissimum, præceptorem habuit. Apud quem Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipuè tamen Astronomiæ ediscendæ, plurimum & temporis & laboris impertiuit. Discebat artem computandi, & intentione sagaci siderum cursum curiosissimè rimabatur. Temptabat & scribere, tabulásque & codicellos ad hoc in lecto sub ceruicalibus circumferre solebat: vt cùm vacuum tempus esset, manum Litteris effigiandis assuesceret. Sed parùm successit labor præposterus, ac serò inchoatus. Religionem Christianam, qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissimè & cum summa pietate coluit. Ac propter hoc plurimæ pulchritudinis Basilicam Aquisgrani exstruxit, & luminaribus, atque ex ære solido cancellos & ianuas adornauit. Ad cuius structuram cùm columnas & marmora aliundè habere non posset, à Roma & Rauenna deuehenda curauit. Ecclesiam mane & vespere, item nocturnis horis, & sacrificij tempore, quamdiu valitudo permisit, impigrè frequentauit. Curabátque magnopere vt omnia, quæ in ea gerebantur, cum maximâ fierent honestate. æditous creberrimè commonens, ne quid indecens aut sordidum, aut inferri, aut in ea remanere permitterent. Sacrorum vasorum ex auro & argento, vestimentorúmque Sacerdotalium tantam in ea copiam procurauit, vt in sacrificiis celebrandis ne Ianitoribus quidem, qui vltimi Ecclesiastici Ordinis sunt, priuato habitu ministrare necesse fuisset. Legendi atque psallendi disciplinam diligentissimè emendauit. Erat enim vtriusque admodum eruditus, quanquam ipse nec publicè legeret, nec nisi summissim cantaret. Circa pauperes sustentandos, & gratuitam liberalitatem, quam Græci eleemosynam vocant, deuotissimus. Vt qui non in patria solùm, & in suo Regno id facere curauerit, verùm trans maria in Syriam, & Egyptum, atque Africam, Hierosolymis, Alexandriæ, atque Carthagini, vbi Christianos in paupertate viuere compererat, penuriæ illorum compatiens, pecuniam mittere solebat. Ob hoc maximè transmarinorum Regum amicitias expetens, vt Christianis sub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac releuatio prouenıret. Colebat præ ceteris sacris & venerabilibus locis apud Romam Ecclesiam beati Petri Apostoli. In cuius donaria magna vis pecuniæ tam in auro quàm in argento, necnon & gemmis, ab illo congesta est. multa & innumera Pontificibus munera missa. Neque ille toto Regni sui tempore quicquam duxit antiquius, quàm vt vrbs Roma sua opera, suóque labore, veteri polleret auctoritate: & Ecclesia sancti Petri per ipsum non solùm tuta, & defensa, sed etiam suis opibus præ omnibus Ecclesiis esset ornata atque ditata. Quam cùm tanti penderet, tamen intra XLVII. annorum spacium, quibus regnauerat, quater tantùm illò votorum soluendorum ac supplicandi causâ profectus est. Vltimi aduentus sui non solùm hæ fuêre causæ, verùm etiam quòd Romani LEONEM Papam, erutis oculis, linguáque truncata, fidem Regis implorare compulerunt. Idcirco Romam veniens, propter reparandum, qui nimis conturbatus erat, Ecclesiæ statum, tota hieme Romæ demoratus est. Quo tempore & Imperatoris & Augusti nomen accepit. quod primò in tantùm aduersatus est, vt adfirmaret se eodem die, quamuis præcipua festiuitas esset, Ecclesiam non intriisse, si consilium Pontificis præscire potuisset. Inuidiam tamen suscepti nominis magna tulit patientiâ, vicítque eorum inuidiam magnanimitate, qua eis longè præstantior erat: mittendo ad eos crebras Legationes, & in Epistolis fratres eos appellando. Post susceptum

B

G

A itaque Imperiale nomen, cùm aduerteret multa Legibus populi sui deesse, (nam Franci duas habent Leges in pluribus locis valde diuersas) cogitauit quæ deerant addere, & discrepantia vnire, praua quoque ac perperam prolata corrigere. Omnium Nationum, quæ sub eius dominatu erant, Iura, quæ scripta non erant, litteris mandari fecit. Item barbara & antiquissima Carmina, quibus veterum Regum actus ac bella canebantur, scripsit, memoriæque mandauit. De hoc igitur illustrissimo Imperatore pauca de multis dixisse sufficiat. Anno itaque suæ ætatis LXXII. regni verò XLVII. Imperij quoque XIV. sacra communione percepta, V. Kal. Februarij decessit, horâ diei III. & cum maximo totius luctu populi Ecclesiæ corpus inlatum, atque humatum est: arcúsque supra tumulum deauratus cum imagine & titulo exstructus est. Descriptio verò tituli hæc est: SVB HOC CONDITORIO SITVM EST CORPVS KAROLI MAGNI ATQVE ORTHODOXI IMPERATORIS, QVI REGNVM FRANCORVM NOBILITER AMPLIAVIT, ET REXIT. Quo defuncto, LVDOVICVS, qui solus ex filiis Hildegardæ Reginæ supererat, suscepit Regni Monarchiam. CAROLVS MAGNVS.

* * *

Quæ deinceps habentur in Codice S. Arnulfi, ab anno nimirum DCCCXIV. *vsque ad* DCCCXXIX. *inclusiuè, eadem omninò sunt cum iis, quæ Bertiniani Annales suprà iam editi referunt. Quare hîc illa repetere superfluum & inutile visum est. Post hæc au-*
B *tem verba*, necnon & ipsum sacrosanctum Dominicæ Natiuitatis diem cum magna lætitia & exultatione celebrauit, *subiicitur in eodem S. Arnulfi Codice.*

TRANSACTIS autem Natiuitatis Domini & sanctæ Epiphaniæ inibi solemniter diebus, cum quibusdam Optimatibus suis Placitum memorato Aquisgrani Palatio tenuit. In quo consideratum est, vt instanti hiemali tempore in Brittanniam hostiliter pergeret, pro quibusdam Brittonibus qui eodem tempore rebellabant. Prædictus enim domnus Imperator LVDOICVS habebat quandam Reginam pulchram nimis nomine IVDITH, & sapientiæ floribus optimè instructam, sociatam sibi in coniugio. quæ etiam Imperatrix coronata, & Augusta ab omnibus est adclamata. Ipsa enim Imperatori filium valdè elegantem nomine KAROLVM iam pepererat. Pro quo quidem priuigni eius, atque aliqui ex Optimatibus eis coniuncti odio habebant prædictam Imperatricem, atque suum paruulum filium. timentes ne in Regno patris hæres succederet. Qua de re commoti, cùm Imperator Brittanniam pergeret iuxta maritimos fines, & in Monasterium sancti Otmari, quod dicitur Sidiu, causâ orationis peruenisset: nunciatum est ei quòd prædicti æmuli sui cum filiis, quos de alia vxore olim habuerat, se coniungerent, & eos contra voluntatem suam super se sublimare vellent, & vt prædictum paruulum filium eius eicerent, & Iudith Imperatricem deponerent. Nam vt multis nobilibus & sapientibus, licèt tardè, visum est, causâ seductionis & malæ voluntatis hoc idem facere nitebantur. Dum enim prædictum iter Imperator
C ageret, & ad Redonicum oppidum, vbi suum Placitum condictum habebat, tenderet, memorati insidiatores filios suos, Lotharium videlicet & Pippinum, conuocantes adduxerunt. Sed Pippinum Aquitanicæ regionis Regem primò, quia vicinior eis erat, ad Parisiacam vrbem patre nolente adduxerunt, & postea Lotharium venire fecerunt, vt patri resisterent, eíque suam coniugem auferrent. Quò cùm primùm Pippinus cum antedictis æmulis venisset, vxorem licèt contra legem ingeniosè fecit eum dimittere. Quæ in Pictauensem vrbem compulsa est ire, ibíque in Monasterio sanctæ Crucis est retrusa, vbi & ipsa Domino nostro IESV CHRISTO studiosissimè famulari die noctúque totis nisibus studuit: atque inibi Domino famulantibus ita placuit, vt omnes profiterentur se eam velle imitari. Postea tenuit Imperator Placitum suum mense Octobrio in villa Niumaga. Vbi & quosdam ex illis, qui ei prædictas contumelias fecerunt, in exilium misit, atque eorum honores abstulit. In eodem ergo Placito per auctoritatem Apostolicam, & per consensum Episcoporum, consideratum & canonicè definitum est, vt Imperator suam reciperet coniugem. Qui statim propter eam Optimates Regni sui misit, vt eam honorificè ad eum adducerent. Postea verò Karolum filium suum, & DROGONEM Episcopum fratrem videlicet suum, cum aliis Optimatibus obuiam ei misit, qui eam ad Aquasgrani Palatium cum magno

LVDOVICVS PIVS. 829.

LVDOVICVS PIVS. honore deducerent. Peracto quoque Placito in Niumaga, Imperator inde reuersus, ad Aquasgrani Palatium ad hiemandum peruenit. Vbi & suam coniugem prædictam Iudith Imperatricem recepit, atque eam pristino honori restituit. A

* * *

Rursus quæ sequuntur extant in Annalibus Bertinianis, ab anno nimirum DCCCXXX. *vsque ad hæc verba anni* DCCCXXXVII. & datis obsidibus fideles sese polliciti sunt permansuros. *Post quæ verba Metensium Annalium Scriptor sic prosequitur.*

FVIT enim hic Imperator valde religiosus, mediocri statura, oculis magnis & claris, vultu lucido, naso longo & recto, labiis non nimis densis, nec nimis tenuibus. Forti pectore, scapulis latis, brachiis fortissimis, itaut nullus ei in arcu vel lancea æquiparari posset. Manibus longis, digitis rectis, tibiis longis & ad mensuram gracilibus. pedibus longis, voce virili. Lingua Græca & Latina valde eruditus. sed Græcam meliùs intelligere poterat quàm loqui. Latinâ verò acsi naturali æqualiter loquebatur. sensum verò in omnibus scripturis spiritalem & moralem, necnon & anagogen optimè nouerat. Poëtica carmina gentilia, quæ in iuuentute didicerat, respuit, nec legere, nec audire, nec docere voluit. Erat enim fortis in membris suis, agilis, & impiger. Tardus ad irascendum, & facilis ad miserandum. Quoties mane in cottidianis diebus ad Ecclesiam perrexerat causâ orationis, flexis genibus fronte tetigit pauimentum, humiliter diu orans, aliquando cum lacrimis. & omnibus moribus bonis semper ornatus. Intantum largus, vt antea nec in antiquis libris, nec modernis temporibus auditum est. vt villas regias, quæ erant patris sui, & aui, & trittaui, fidelibus suis tradidit eas in possessionem sempiternam, & Præcepta construxit, & anuli sui impressione cum subscriptione manu propria roborauit. fecerat enim hoc diu tempore. Erat enim in cibo potúque sobrius, & in indumentis suis moderabilis. Numquam aureo resplenduit vestimento, nisi tantùm in summis festiuitatibus, sicut patres eius solebant agere. Nihil illis diebus se induit præter camisam & feminalia nisi cum auro texta. Lembo aureo, balteo aureo præcinctus, & ense aureo fulgente. Ocreas aureas, & clamydem cum auro textam, & coronam auream in capite gestans, & baculum aureum in manu tenens. Numquam in risu exaltauit vocem suam, nec quando in summis festiuitatibus ad lætitiam populi procedebant themelici, scurræ, & mimi, cum coraulis & citharistis ad mensam coram eo. Tunc ad mensuram coram eo ridebat populus, ille verò numquam nec dentes suos candidos in risu ostendit. Cottidie ante cibum eleemosynarum largitionem pauperibus exhibuit, & vbicumque erat xenodochia secum habebat. In mense autem Augusto, quando cerui pinguissimi sunt, venationi vacabat, vsque dum aprorum tempus aduenerat. Omnia prudenter & cautè agens, nihil indiscretè faciens, præter quòd Consiliariis suis magis credidit quàm opus esset. quod ei fecit occupatio psalmodiæ, & lectionum assiduitas. Præfatus verò Imperator mense Iunio Nouiomagi Conuentu generali habito, consiliis quorumdam ex Primoribus Francorum adquiescens, pacti conscriptione LVDOICO filio suo Regnum Orientalium Francorum, quod priùs cum fauore eius tenuit, interdixit. Ille autem intelligens ex inuidia consiliantium talem prodisse sententiam, edicto post habito, III. Kal. Decembris ad Franconofurd venit. Contra quem Imperator quasi sibi aduersantem cum exercitu veniens, Moguncíaci Natalem Domini celebrauit. PIPPINVS quoque filius eius Rex Aquitaniorum mense Nouembrio eiusdem anni defunctus est.

838. ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXXXVIII. Imperator post peractam festiuitatem Natalis Domini, & Theophaniæ, septimis Idibus Ianuariis cum exercitu nauigio Rhenum transiit, obuios habens Saxones, partim minis, partim suasionibus ADALBERTI Comitis abductos. Quo cognito, LVDOICVS nefas esse sciens filium patri repugnare, cedendúmque tempori iudicans, in Baioariam se recepit. Imperator autem in Franconofurd veniens, ibique manens, Ieiunium Quadragesimale inchoauit. Indè verò pergens in Alamanniam, iuxta lacum Briganticum Pascha celebrauit. Post Pascha verò mense Maio VVarmaciam veniens, LOTHARIO filio suo de Italia in fidem eius venienti reconciliatur, Regnúmque Francorum inter eum & KAROLVM filium sum minimum diuidit. Lothario quidem, qui maior natu erat, nominis sui dignitatem & sedem Regni tribuens,

A tribuens, Ludoico verò filio suo minori, pro eo quòd eum offenderat, Baioariorum prouincia tantùm concessa. Post Kalendas autem Iulij Lothario ad Italiam redeunte, Imperator, assumpto secum Karolo, ad disponendas Aquitaniorum res Occidentem proficiscitur. Eodem quoque anno stella cometes in signo Arietis apparuit, & prodigia alia in cœlo visa sunt. Nam & cœlum noctu serenum rubuit, & per aliquot noctes igniculi plurimi instar stellarum per aërem discurrere videbãtur. LVDOVICVS PIVS.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXXXIX. LVDOICVS filius Imperatoris partem Regni trans Rhenum quasi iure sibi debitam affectans, per Alamanniam facto itinere venit ad Franconofurd: multorum ad se Orientalium Francorum animis prudenti consilio conuersis. Quo comperto, Imperator de Aquitania infecto negocio redire compulsus, DROGONEM Archicapellanum, & ADALBERTVM Comitem, cum aliis multis præmisit ad tuendum litus Occidentale Rheni fluminis. Ipse verò secutus, in Aquisgrani Pascha celebrauit. His temporibus per aliquot noctes rubor aëris nimius apparuit, ita vt vnus trames ardens ab Euro, alter à Circio exorientes, in conum coirent, & quasi coagulati sanguinis speciem in summitate cœli monstrarent. Post Pascha autem Imperator, collecto exercitu, filium per Turingiam vsque ad terminos barbarorum persequitur, exclusúmque à finibus Regni per Sclauorum terram cum magno labore Baioariam redire compellit. Ipse verò rebus in partibus illis ordinatis, ad B Salz villam regiam reuersus, dies Letaniorum, & Ascensionis Domini solemnia celebrauit. In ipsa autem vigilia Ascensionis Domini, hoc est in IV. Idus Maij, eclypsis Solis circa septimam & octauam horam diei facta est tam valida, vt etiam stellæ propter obscuritatem Solis visæ sint, rebúsque color in terris mutaretur. Imperator verò illis diebus morbo correptus ægrotare cœpit, & per Menum fluuium nauigio ad Franconofurd, indè post dies paucos in insulam quandam Rheni fluminis prope Ininglihim delatus, morbo inualescente, XII. Kal. Iulij diem vltimum clausit. Corpus verò eius Mettis ciuitatem perlatum, in Basilica sancti Arnulfi Confessoris honorificè sepultum est. 839.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXL. LOTHARIVM de Italia serò venientem Franci loco patris eius super se regnaturum suscipiunt. Hunc enim ferunt Imperatorem morientem designasse, vt post se Regni gubernacula susciperet: missis ei Insigniis Regalibus, hoc est Sceptro Imperij, & Corona. Quod fratres eius non consentientes, contra eum insurgere parant, ac primùm ei in suburbanis Moguncíacis cum exercitu venienti, frater suus LODOICVS cum manu valida Orientalium Francorum, partem Regni ab Oriente Rheni defensurus, occurrit. Initóque pacto, & dilato in aliud tempus Placito, Lotharius contra KAROLVM Occidentem proficiscitur. Ludoicus verò Orientales Francos, Alamannos, Saxones, & Thuringios sibi fidelitatis iure confirmat. 840. LOTHARIVS IMP. LVDOVICVS. CAROLVS CALVVS.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXLI. LOTHARIVS audiens quòd C Ludoicus Orientale litus Rheni defendere pararet, omissa Karoli insecutione, iuxta VVarmaciam clam transiit Rhenum, & Ludoicum penè circumuentum Baioariam redire coëgit. positísque ibidem custodibus denuò ad resistendum Karlo studia conuertit & vires. Sed Ludoico per Nuncios Karli ad auxilium vocato, & per Alemanniam iter facienti, Comites, quos ibidem Lotharius dimiserat, in Reciense occurrunt. Ortóque prœlio, ALBERTVS Comes & incentor discordiarum occiditur, & cum eo innumerabilis hominum multitudo. Itaque post hæc Ludoicus Karolo fratri auxilium laturus in Gallias pergit. Vbi cùm conuenissent tres fratres in regione Alcedronense, iuxta villam Fontaniacum, & de partitione Regni concordare non possent, ferro decernendum decreuerunt. In qua pugna ita Francorum vires attenuatæ sunt, ac famosa virtus infirmata, vt non modò ad amplificandos Regni terminos, verumetiam nec ad tuendos proprios in posterum sufficerent. Tandem non sine graui dispendio suorum LVDOICVS & KAROLVS vicerunt. Lotharius verò ipsa die Aquisgrani reuersus est. Post hæc iterum vndique Lotharius, suis collectis, Magonciam veniens, Saxones cum Lothario filio suo paruulo obuiam sibi Mettis venire præcepit. Ipse verò Rhenum transiens vt Ludoicum fratrem suum persequeretur, infecto negoció rediit VVarmaciam. Vbi celebratis filiæ suæ nuptiis, rursus contra Karolum non pauco hiberni tempore inani labore consumpto, Aquisgrani reuertitur. 841.

LOTHARIVS IMP. LVDOVICVS. CAROLVS CALVVS. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXLII. tres fratres apud Madascoنام Galliæ vrbem conuenientes, consilio fidelium suorum fœdus inire maluerunt, quàm contentionibus diutiùs deseruire. Ea tamen conditione, vt de partibus singulorum XL. ex Primoribus electi in vnum conuenientes, Regnum æqualiter A
842. describerent. quo faciliùs postmodum inter eos sorte diuideretur. Circa autumnum verò cùm KAROLVS fratri Ludoico apud VVarmaciam occurrisset, & Lotharius in Theodonis-villa moraretur, Missi vtrorumque in Confluente castello conuenerunt. Cúmque de partitione Regni concordare non possent, dilato in aliud tempus Placito, singuli ad sua reuertuntur.

843. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXLIII. descripto Regno à Primoribus, & inter partes diuiso, apud Viridunum Galliæ ciuitatem tres Reges mense Augusto conuenientes, Regnum inter se diuidunt. Et Karolo quidem Occidentalia Regna cesserunt, Ludoico verò Orientalia, scilicet omnis Germania vsque Rheni fluenta. Porrò Lotharius, quia maior natu erat, & Imperator appellabatur, medius inter vtrosque incedens, Regnum sortitus est, quod hactenus ex eius vocabulo Lotharij nuncupatur, totámque Prouinciam, necnon & omnia Regna Italiæ, cum ipsa Romana vrbe. Factáque inter se pace, & iuramento firmata, singuli ad disponendas & tuendas Regni sui partes reuertuntur. Karolus Aquitaniam, quasi ad partem Regni sui iure pertinentem affectans, PIPPINO nepoti suo molestus efficitur: eúmque crebris incursionibus infestans, grande detrimentum proprij exercitus sæpè pertulit. GREGORIVS Papa obiit, & SERGIVS in locum eius subrogatus est. & Mauri Beneuentum occupauerunt. B

844. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXLIV. KAROLVS Bernardum Barcilonensem Ducem incautum, & nihil mali ab eo suspicantem occidit. PIPPINI Duces Karoli exercitum superant VII. Idus Iunij. In quo prœlio ceciderunt HVGO Abbas patruus Karoli, & Rihtbodo Abbas, Raban quoque Signifer, cum multis Nobilibus. Ludoicus Abodritos defectionem molientes bello perdomuit, occiso Rege eorum, Terrámque & Populum per Duces ordinauit.

845. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXLV. Normanni per Sequanam vsque Parisius nauigio venerunt, Regnúmque CAROLI vastauerunt: & tam ab ipso quàm ab incolis terræ accepta pecuniâ copiosa, cum pace discesserunt. In Fresia quoque tribus prœliis conflixerunt, & in primo quidem victi sunt, in aliis duobus superiores effecti, magnam multitudinem prostrauerunt. Castellum etiam in Saxonia nomine Hamaburg populati, nec inulti reuersi sunt. KAROLVS cum Britonibus conflixit, & cum grandi damno exercitus sui, ipse cum paucis vix euasit. LVDOICVS XIIII. Duces Boëmanorum cum hominibus suis Christianam Religionem desiderantes suscepit, & in octauis Theophaniæ baptizari iussit. Et in autumno in Saxonia apud Padrabrunno generale Placitum habuit, vbi fratrum suorum, & Normannorum, Sclauorum quoque & Bulgarorum Legationes suscepit, audiuit, & absoluit. Lotharius FOLCRADVM Ducem Arelatensem, & reliquos Comites illarum partium rebellare molientes in deditionem accepit, & prout voluit Prouinciam ordinauit. C

846. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXLVI. GISLEBERTVS quidam miles Karoli filiam Lotharij Imperatoris rapuit, & in Aquitaniam profectus in coniugem accepit. Ludouicus ad Occidentem profectus, mense Martio cum Karolo Placitum habuit, in quo vterque eorum publicè contestatus est, suæ non fuisse voluntatis, quòd Gislebertus filiæ Lotharij iungeretur. Post hæc Ludouicus cum exercitu ad Sclauos Margenses defectionem molientes profectus est. Vbi ordinatis & compositis rebus, per Boëmannos cum magno damno exercitus sui reuersus est. His temporibus Mauri Romam cum exercitu venientes, cùm non possent vrbem irrumpere; Ecclesiam sancti Petri vastauerunt.

847. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXLVII. Hic annus à bellis quieuit, quem Lotharius & Ludouicus mutua familiaritate transegerunt. Nam vterque eorum ad domum alterius inuitatus, conuiuiis & muneribus regiis honoratus est. Sed tamen Ludouicus ita vt voluit Lotharium & Karolum pro raptu filiæ suæ pacificare non potuit. Normanni Dorestadum incendentes vastauerunt. Per idem tempus mulier quædam Thiota de Alamannia pseudo-prophetissa Maguneiam venit. quæ Episcopatum Salomonis Episcopi suis vaticiniis non minimè turba-

A uerat. Nam certum consummationis seculi diem, aliáque perplura Dei solius notitiæ cognita se scire fatebatur, & vltimum diem eodem anno imminere prædicabat. Quare multi vtriusque sexus timore perterriti ad eam veniebant, & ei munera multa dantes, eius se orationibus commendabant. Hæc in præsentiam Episcoporum apud Sanctum Albanum deducta, & diligenter examinata, confessa est quendam Presbyterum sibi ea suggessisse, & se talia quæstus gratiâ dixisse. Quapropter Synodali iudicio publicè flagellis cæsa, ministerium prædicationis tandem cum dedecore amisit. Hetti Episcopus Treuirorum ex hoc seculo transiit, & Tietgaudus Cathedram eius obtinuit.

LOTHARIVS I. LVDOVICVS. CAROLVS CALVVS.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXLVIII. Ludouicus Rex Boëmanos eruptionem molientes per LVDOVICVM filium suum missa aduersus expeditione continuit, Legatos pacis gratiâ mittere, & obsides dare coëgit. Legatos quoque suos ad fratrem suum Lotharium pro Gisleberto, qui eodem anno ad fidem eius venerat, reconciliationis gratiâ direxit. 848.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXLIX. Boëmani more solito fidem mentientes, contra Francos rebellare disponunt. Contra quos ARNVLFVS Dux illarum partium cum multis Comitibus & Abbatibus & copioso exercitu mittuntur. Barbari verò pro pace petenda Legatos ad THACVLFVM præmittunt, cui præ ceteris credebant, quasi scienti leges & consuetudines Sclauicæ gentis. Erat quippe Dux Sorabici limitis, sed in illa expeditione in sinistro genu sagittâ grauiter vulneratus. Et ne eius debilitas deprehenderetur, equo sedens cum Legatis simulata sanitate locutus est. Cúmque ille quibusdam ex Primatibus Legatorum verba nunciasset, indignati aduersus eum, quòd quasi summam rerum gerendarũ in se vellet transferre, citato impetu inconsultis aliis bellum hostibus paci studentibus intulerunt. statímq; experti sunt quòd sine Dei timore parum prosit virtus & audacia. Hostes enim effecti superiores, cædendo persecuti sunt eos vsq; ad castra, & spe euadendi ex toto sublata, coacti obsides dabant, à quibus suscipere dedignati sunt. 849.

B

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCL. Roruc, qui cum fratre Harialdo vicum Dorestadum iure beneficij tenuerat ab Imperatore LVDOVICO, post obitum Imperatoris apud LOTHARIVM, qui patri successerat, proditionis crimine falsò, vt fama est, insimulatus, tentus, & in custodiam missus est. Vndè fugâ lapsus, ad Regem Ludouicum confugit. Cúmque per aliquot annos inter Saxones, qui confines Normannis sunt, maneret, collecta Danigenarum non modica manu, cœpit piraticam exercere, & loca Regni Lotharij quæ sibi erant viciniora vastare. Venítque per ostia Rheni fluminis Dorestadum, & occupauit eam atque possedit. Et cùm à Lothario sine periculo suorum non posset expelli, consilio suorum Legatis mediantibus in fidem est receptus: ea conditione, vt tributis ceterorísque negotiis ad Regis ærarium pertinentibus fideliter inseruiret, & piraticis Danorum obuiando resisteret. Igitur Normanni Godefrido duce per Sequanam ascendentes, Regnum Caroli prædantur. Ad quorum expulsionem Lotharius euocatus, cùm sibi pugnandum esse cum hoste putaret, Carolus clam mutato consilio Godefridum cum suis in societatem Regni recepit, & terram eis ad inhabitandum delegauit. Lotharius aduentum suum illò superuacuum videns, ad propria reuersus est. Eodem anno grauissima fames Germaniæ populos oppressit, maximè circa Rhenum. Morabatur autem Rahtbanus Maguntinus Archiepiscopus eo tempore in quadam villa parochiæ suæ, & pauperes de diuersis locis venientes suscipiens, cotidie plus quàm trecentos sustentabat, exceptis his qui in præsentia eius assiduè comedebant. Venit autem & mulier quædam cum paruulo puero, inter ceteros refocillari cupiens. Quæ priusquàm limen portæ transiret, præ nimia imbecillitate corruens, spiritum exalauit. Puer verò mammillam matris mortuæ de sinu protrahens, & sugere temptans, intuentes flere coëgit. Quidam etiam vir, vt malum inopiæ fugeret, in Thuringiam proficisci volens, vxorem in quadam silua positus ita affatus est: Nónne melius est vt puerum istum occidamus, & moriamur, quàm omnes inediâ consumamur? Illa verò contradicente, vrgente fame filium vi de brachiis rapuit maternis, & voluntatem opere complesset, nisi illum miseratio Dei præuenisset. Nam sicut idem postea retulit, cùm euaginasset gladium vt mactaret filium, & paululum necem distulisset, vidit eminus duos lupos super vnam ceruam stantes, & illam dilaniantes. Statímque parcens filio, ad cadauer ceruæ cucurrit; 850.

C

& lupos indè abigens, tulit de carnibus prægustatis, & cum incolumi filio ad vxorem reuersus est, quæ ab eo paululum declinauerat, ne videret filium interfici. At illa videns recentes carnes cruore perfusas, putans filium occisum, cecidit retrorsum penè exanimis. At ille consolatus eam, ostendit ei puerum sanum. Tunc illa Deo gratias agens, filio recepto valde læta facta est. Nec minus ille gauisus est, quòd eum ab infando opere Dominus liberauit. A

851. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLI. obiit ERMENGARDIS Regina coniunx Lotharij Imperatoris, quæ tres filios Lothario genuerat, Ludouicum scilicet, Lotharium, & Carolum. LVDOVICVS contra Sorabos, qui fines Francorum crebris incendiis infestabant, commotus, cum exercitu per Thuringiam iter faciens, terram eorum grauiter deuastauit, & magis eos fame quàm ferro perdomuit. PIPPINVS Rex Aquitaniæ comprehensus à suis, eò quòd pace soluta multa illic mala patrarentur, CAROLO Regi cum Regno traditur, effectúsque Clericus in Monasterio S. Medardi retruditur. Sed & KAROLVS frater eius iunior, cùm fratrem vellet inuisere, tentus est à Comitibus Caroli Regis, & illo iubente tonsus, in Monasterio Corbeiensi missus est in custodiam. Pippinus itaque, duobus Monachis opem ferentibus, fugâ dilapsus est. Sed iterum captus, in Siluanectis castro munitissimo custodiæ mancipatur. Fuit verò iste Pippinus filius Pippini filij Ludouici Imperatoris. De quo ferunt, quòd eum pater, dum adhuc puerulus esset, voluerit ad Clericatus officium promouere, ac Drogoni Episcopo Metensi auunculo suo commendare erudiendum liberalibus simul & Ecclesiasticis disciplinis. B Sed paternis vocibus Lotharius eiusdem pueri patruus obuians, non permisit eum attõdi, sed vi abstraxit de manu patris. Erat enim isdem puer, vt aiunt, ingentis pulcritudinis. Cui postmodum pater Aquitaniam tantùm prouinciam concessit. Sed non ei in prosperum cessit, quòd à Dei seruicio reuocatus est. Ebrietatibus enim & commessationibus die noctúque vacans, ad vltimum mente captus, in amaniacam incidit passionem, & præsentem vitam cum dedecore finiuit.

852. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLII. LVDOVICVS Rex cum quibusdam Principibus Lotharij fratris sui apud Coloniam habuit colloquium. Deinde profectus est in Saxoniam, vbi quæ corrigenda erant prout voluit & potuit correxit.

853. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLIII. Nortmanni Brittannicum mare nauigio girantes, ostia Ligeris fluminis occupauerunt, & repentina irruptione ciuitatem Namnetis inuadunt. Omniáque cædibus, incendiis, ac rapinis depopulantes, Pontificem ciuitatis ipso die Sabbato sancto Paschæ, cùm baptismum ex more celebraret, in Basilica interficiunt, Clerúmque trucidant. Omnémque circumquaque regionem deuastantes, primùm Andegauensem, deinde Turonicam occupant vrbem, ac velut immanis tempestas cuncta consumunt. Templum etiam præcellentissimi Pontificis Martini incendio cremauerunt. Tunc primum Nortmannorum classis (vt aiunt) Ligeris littora attigit. C

Abhinc denuò vsque ad annum DCCCCIV. Annalium istorum Scriptor vbique ferè Rhegione insequitur.

854. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLIV. Nortmanni, qui continuis viginti annis Regni Francorum fines per loca nauibus accessibilia cædibus, & incendiis atque rapinis crudeliter vastabant, congregati de nationibus, per quas dispersi fuerant, in patriam suam reuersi sunt. Ibique inter Horuc Regem Danorum & Guthurm filium fratris eius, qui pulsus à Regno pyratico more viuebat, orta contentione, ita se mutua cæde mactauerunt, vt vulgus quidem innumerabile caderet: de stirpe verò Regia nonnisi vnus puer remaneret. Domino Sanctorum suorum iniurias vlciscente.

855. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLV. LOTHARIVS conuocatis Primoribus Regni, Imperium filiis suis diuisit. Et LVDOVICO Italiam tradidit, eúmque Imperatorem appellari fecit. Æquiuoco verò suo, id est LOTHARIO, Regnum quod ex suo nomine vocatur concessit. KAROLO autem, qui iunior natu erat, Prouinciæ Regnum largitus est. Dispositis itaque atque ordinatis Regni negotiis, valedicens suis seculum reliquit, atque in Prumia Monasterium veniens, comam capitis deposuit: habitúque sanctæ conuersationis suscepto, in Religionis professione diem clausit extremum III. Kal. Octobris.

856. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLVI. Lotharius Iunior Tiebergam Reginam sibi in matrimonium iunxit. Ex qua coniunctione maxima ruina

A non illi solùm, sed etiam omni Regno eius accidit, sicut in sequentibus apparebit. LVDOVICVS II. IMP. LOTHARIVS II. LVDOVICVS. CAROLVS CALVVS.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLVII. Roruc Normannus, qui præerat Dorestado, cum consensu Domini sui Lotharij Regis Iunioris, classem duxit in fines Danorum, & consentiente Horico Danorum Rege partem Regni, quæ est inter mare & Egidoram, cum sociis suis possedit. 857.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLVIII. CAROLVS Rex filius Lotharij Imperatoris moritur, qui Prouinciam regebat: & ex Regno quod tenuerat facta est non modica controuersia inter Lotharium Regem, & patruum eius Carolum. Tandem lite finita fœdus ineunt, quod vterque eorum iuramento firmauit. In Regno quoque LVDOVICI est quædam villa, vbi malignus spiritus euidens nequitiæ suæ ostendit indicium. Nam lapides iaciendo, & parietes domorum quasi malleo percutiendo, hominibus illius loci erat infestus. Deindè cœpit manifestè loqui, & furtim sublata prodere, & post hæc discordias inter eos seminare. Denique omnium animos contra vnum hominem concitauit, quasi peccatis eius facientibus ceteri talia paterentur. In quamcumq; verò domum ille intrabat, statim malignus spiritus aderat. Hac igitur necessitate compulsus, cum vxore & filiis foris mansit in agris. Sed nec ibi tutus extitit. Nam cùm omnes fruges suas collegisset, dæmon adueniens cunctas incendit. Vicini verò illum occidere volentes, ille coactus ferro feruente de omnibus quæ ei obiiciebantur se ostendit immunem. 858.

B Missi sunt ergo ab vrbe Maguncia Presbyteri & Diacones, qui malignum spiritum ab illo loco expellerent. Illis ergo in quadam domo, vbi maximè sæuiebat, letanias agentibus, & aquam benedictam spargentibus, nonnullos ex villa illa conuenientes iactando lapides cruentauit. tamen modicum temporis à sua infestatione quieuit. Postquàm verò discesserunt qui missi fuerant, idem hostis quendam Presbyterum nominans, se sub cappa illius stetisse professus est ea horâ, quando benedicta aqua spargebatur in domo. Et adiecit: Meus proprius est seruus, quia nuper me suadente cum filia procuratoris istius villæ concubuit. quod factum nullus mortalium antea sciebat. Tribus ergo annis locum illum malignus spiritus taliter infestauit, & ad vltimum omnia ædificia igne concremauit.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLIX. Lotharius HVCBERTO Abbati Ducatum inter Iurum & Montem Iouis commisit, eò quòd tunc fidelissimus putaretur, vt pote affinitate coniunctus propter sororem Tiebergam. 859.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLX. Ludouicus frater Lotharij Imperatoris plurima bella strenuissimè gessit aduersus Sclauorum gentes. Ea tempestate inter Principes Caroli magnum discordiarum ac litium efferbuit incendium. Denique LAMBERTVS, qui Ducatum tenebat inter Ligerim & Sequanam, VIVIANVM potentem virum dolo interfecit. Rursum eundem Lambertum Gozbertus Comes cum aliis multis trucidauit. Isdem Gozbertus iussu Caroli decollatus est. Destitutam terram Principibus, & consilio nudatam perspicientes 860.

C Brittones, arma corripiunt, fines Regni Francorum inuadunt, Ligerim transeunt, & vsque Pictauis procedunt: cædibus, rapinis, ac incendiis omnia depopulantes, oneratíque ingenti præda ad propria redeunt. Ad hanc commotionem compescendam CAROLVS cum magno exercitu Brittanniam intrauit. Pugna committitur. Saxones, qui conducti fuerant ad excipiendos velocium equorum anfractuosos recursus, in prima fronte ponuntur. Sed primo impetu spiculis Brittonum territi, in acie se recondunt. Brittones more solito huc illúcque cum equis ad huiuscemodi conflictum exercitatis discursantes, confertam Francorum aciem impetunt, ac totis viribus in medio spicula torquent: nunc fugam simulantes, insequentium nihilominus pectoribus spicula figunt. Franci, qui comminus strictis gladiis pugnare consueuerant, attoniti stabant, nouitate ante inexperti discriminis perculsi, nec ad insequendum idonei, nec in vnum conglobati tuti. Nox superueniens prœlium diremit. Multi ex Francis interfecti, quamplurimi vulnerati innumerabiles equi perierunt. Sequenti die rursus pugna inchoatur, sed priori infortunio finitur. Quod cernens Carolus, nimio terrore dissolutus, noctu inscio exercitu clam aufugit, derelicto papilione, & tentoriis, & omni regio apparatu. Mane facto, cùm exercitus fuga lapsum Regem comperisset, nimia formidine repletur, nihílque aliud nisi de fuga meditatur. Brittones cum clamore irruunt, & castra Francorum omnibus diuitiis referta inua-

LVDOVICVS II. IMP. LOTHARIVS II. LVDOVICVS CAROLVS CALVVS.

dunt, omnémque belli apparatum capessunt. Fugientia Francorum agmina insequuntur, obuios quosque aut ferro cædunt, aut viuos capiunt. reliquos fugâ seruauit. Ditati itaque Brittones opibus Francorum, armísque instructi, in sua se recolligunt. A

861. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXI. CAROLVS Rex Placitum habuit in Compendio, ibique cum Optimatum consilio ROBERTO Comiti Ducatum inter Ligerim & Sequanam aduersum Brittones commendauit. Quem cum ingenti industria per aliquod tempus rexit.

862. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXII. NVMENEIVS Rex Brittonum moritur, diuino nutu percussus. Nam cùm Ecclesias Dei deuastaret, & confinia crudeliter depopularetur, eò quòd Carolo debitam fidelitatem seruarent, quadam die cùm equum ascendere vellet, vt cœptam maliciam consummaret, repentè vidit ante se sanctum Maurilium Episcopum astare, sibi hæc toruo vultu, & » terribilibus oculis ingeminantem: Desine iam crudelis prædo Ecclesias Dei vastare. His dictis, baculum quem manu gestabat eleuans, eum in capite percussit. Qui à suis in domum reportatus, vitam cum Regno finiuit. Fuit autem iste Maurilius Episcopus Andegauensis vrbis, cuius ciuitatis termini cohærebant finibus Brittanniæ. & idcirco ab eis grauiter depopulabantur. Filius verò Numenei HERISPOIVS Regnum paternum obtinuit.

863. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXIII. CAROLVS iterum cum immenso exercitu fines Brittonum intrauit, sed minimè vt optauerat præualuit. B
Nouissimè autem cum eis pacem fecit. Datis itaque ex vtraque parte obsidibus & sacramentis, Herispoius Rex ad eum venit, & eius dominationi se subdidit. Carolus magnis muneribus honoratum Herispoium in Regnum abire permisit, ipse in Franciam reuertitur.

864. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXIV. Lotharius Rex cœpit occasiones quærere, qualiter TIEBERGAM Reginam à suo consortio separare potuisset, quam exosam habebat propter VValdradam, quæ eius fuerat concubina cùm adhuc adolescens esset in domo paterna. Hanc siquidem diabolo inflammante nimio diligebat amore. Guntharium itaque Coloniensis vrbis Pontificem, qui erat eo tempore Archicapellanus, Rex primo per subintroductos Missos, deinde per semetipsum super huiuscemodi dissidio omni arte aggreditur. Et vt facilius assensum præberet, promisit se eiusdem Episcopi neptem * in matrimonium accepturum. tantùm vt prædictam Tiebergam eius, aliorúmque Episcoporum auctoritate & licentia repudiare quacumque occasione potuisset. Qui, vt erat leuis animo, ac inconsideratus actione, protinus omni intentione in rem introducitur: vana spe, vt postea claruit, seductus. Rursus idem Guntharius Tietgaudum Archiepiscopum Treuirensem hac de causa alloquitur. Et sciens esse virum simplicem, nec in diuinis Scripturis adeo eruditum, Canonicísque sanctionibus exercitatum, ex vtriusque Testamenti paginis quasdam sententias profert, quas aliter, C
quàm Ecclesiastica regula docet, edisserens, virum improuidum secum in foueam trahit, cœcus cœco ducatum præstans. Quid plura? Facta sunt omnia, quæ huic commento videbantur esse necessaria. Concilium Mettis conuocant, Reginam quasi canonicè euocatam in medio statuunt, testes producunt vnà cum scriptis. Qui valde grauia crimina imponentes, inter alia protestati sunt quòd eadem Tieberga confessa fuisset, semetipsam fratris germani incestuoso concubitu esse pollutam. Continuò statuta Patrum de incestuosis recitantur, & non solùm à legitimo viro separatur, verùm omnis copula maritalis inhibetur, pœnitentia iuxta modum culpæ indicitur, & tali nefaria machinatione diu exoptata voluptas Regis adimpletur. Non multo post interiecto tempore, iterum Conuentum Synodalem Aquisgrani coadunant, vbi Rex libellum suæ proclamationis obtulit, vbi continebatur, qualiter in quadam femina Tieberga nomine, factiosis perfidorum hominum argumentis fuerat defraudatus: immò non mediocriter repetiit, quòd iudicio Episcoporum dissidij sententiam pertulisset. Quæ si idonea esset coniugali thoro, & pestifera incestus pollutione fœdata non fuisset, & viuæ vocis confessione publicè non condemnata, sponte eam retineret. Porrò se incontinentem esse professus est, & sine copula iuuenilis ætatis ardorem ferre non posse. Allatis itaque diuersorum Conciliorum voluminibus, multa de incestuosis replicata sunt.

* al. sororem.

A Quibus recitatis, hanc diffinitiuam sententiam protulerunt. Credimus illam non fuisse idoneam ac legitimam coniugem, neque à Deo præparatam esse vxorem, quæ publica confessione incestuoso fornicationis crimine denotata probatur. Quocirca glorioso Principi nostro pro sua in diuino cultu deuotissima assertione, atque victoriosissima Regni tuitione, cui non solùm nos, verùm etiam canonica auctoritas interdixit incestuosum coniugium, legitimum matrimonium à Deo illi concessum non denegamus, iuxta indulgentiam Apostoli dicentis, *Melius est nubere, quàm vri*. His ita patratis, Vualdrada iam in publicum procedit, stipata obsequentium multitudine, omnisque Regia Aula resultat, Vualdradam Reginam esse. Guntharij Episcopi neptis ad Regem accersitur, ac semel, vt aiunt, ab eo stupratur, atque cum cachinno & omnium derisione ad auunculum remittitur. Igitur agentibus fratribus Tiebergæ Reginæ, hæc omnia ad noticiam Nicolai Papæ deferuntur, qui eo tempore Romanæ præsidebat Ecclesiæ.

LVDOVICVS II. IMP. LOTHARIVS II. LVDOVICVS. CAROLVS CALVVS.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXV. Missi sunt Hagano & Rodoaldus Apostolicæ Sedis Legati in Galliam, ad discutiendum, vtrum res ita se haberet, sicut summo Pontifici nunciata fuerat. Qui in Franciam venientes, pecuniâ corrupti, magis fauerunt iniquitati, quàm æquitati. Tamen ad Regem venientes, cùm ei declarassent Legationis suæ causas, tale responsum ab eo acceperunt: Se nihil aliud egisse, nisi quòd Episcopi ipsius Regni in generali Synodo sibi agendum demonstrassent. Legati itaque consilium dederunt Regi, vt illos Episcopos, B qui illi Synodo præfuerant, ad Sedem Apostolicã destinaret, qui verbis ac scriptis vniuersali Papæ satisfacerent. Legati immensis ditati opibus, Romam regressi sunt, nuciauerúntque summo Pontifici quæ in Gallia viderant & audierant. Interea Tietgaudus & Guntharius Archiepiscopi Romam proficiscuntur, ea intentione, vt & Regem demonstrarent innoxium, & vt ceteros Coepiscopos suos ostenderent Ecclesiastica atque Apostolica exercuisse decreta. Stultitiæ elogio denotandi, qui illam Petri Sedem aliquo prauo dogmate fallere posse arbitrati sunt, quæ nec fefellit, nec ab aliqua hæresi vnquam falli potuit. Itaque cùm in præsentia Nicolai Papæ venissent, libellum obtulerunt, in quo continebantur gesta Synodalia, quæ Mediomatrico, & Aquis, ab eis statuta fuerant. Qui cùm à Notario coram omnibus recitatus esset, interrogauit Pontifex, si hæc scripta verbis confirmarent. Responderunt, inconueniens videri, vt quod manibus roborauerant, verbis infirmarent. Et sic nec repulsa nec admissa eorum assertione, iussit eos ad hospitia sua ire, quovsque reuocarentur. Paucis autem interpositis diebus, ad Synodum, quam Papa congregauerat, sunt accersiti. Vbi eorum damnata & anathematisata sunt scripta, & omnibus adiudicantibus, ipsi sunt depositi, & omni Ecclesiastica dignitate priuati. Tunc turpiter dehonestati, LVDOVICVM Imperatorem fratrem Lotharij Regis adeunt, qui eo tempore apud Beneuentum morabatur, vociferantes se iniustè esse depositos. Ipsi Imperatori, & omni sanctæ Ecclesiæ iniuriam esse factam: cùm nusquam auditum sit, vel vspiam lectum, quòd C vllus Metropolitanus sine voluntate Principis, vel præsentia aliorum Metropolitanorum, fuerit degradatus. Adiecerunt insuper multa alia, blasphemantes eundem Papam, existimantes eiusdem se Imperatoris ope, simul & intercessione, obiecti criminis abolere notam, & pristinæ dignitatis recuperare statum. Sed spes eorum frustrata est, quamuis Imperator omnibus votis illis opitulari voluerit. Tietgaudus depositionis suæ à Sede Apostolica prolatam sententiam patienter ferens, iuxta præcedentem consuetudinem nihil omninò de sacro ministerio contingere præsumpsit. Guntharius verò superbiæ spiritu inflatus, vetitum sibi officium vsurpare ausu temerario non expauit, paruipendens Apostolicam excommunicationem. Reuertuntur itaque in Franciam debita confusione respersi. Et dum iterum ac tertiò Sedem Apostolicam ob restitutionis gratiam adissent, nouissimè in Italia infirmitate præuenti, peregrini & exules moriuntur, communione laicali sibi tantùm concessa. 865.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXVI. Arsenius Episcopus Apocrisiarius & Consiliarius Nicolai Papæ, vice ipsius directus est in Franciam. Quò perueniens, tanta auctoritate vsus est & potestate, ac si idem summus Præsul aduenisset. Conuocato denique Episcoporum Conuentu, LOTHARIVM Regem alloquitur, vt vnum è duobus eligat, aut propriæ reconcilietur vxori, abdicato 866.

LVDOVICVS II. IMP. LOTHARIVS II. LVDOVICVS. CAROLVS CALVVS.

Vualdradæ pellicis consortio, aut protinus anathematis gladio feriretur, ipse, & A omnes qui ei in hoc scelere fauerent. Hac necessitate constrictus, vellet nollet, Tiebergam Reginam in matrimonium recepit, interposito iusiurandi sacramento, se illam ita in reliquum habere, sicut æquitatis iura dictant legitimam vxorem esse tenendam, nec eam à se separaret, nec ipsa viuente aliam superinduceret. Post hæc Vualdradam ex auctoritate Dei & Sancti Petri, & verbo domni Apostolici, Romam ire iubet, vt pro se rationem reddat. Engiltrudem etiam vxorem quondam Bosonis Comitis, quæ fuit filia Matfridi Comitis, à Sede Apostolica excommunicatam esse, omnibus declarauit, quia proprium dimiserat maritum, & Vuangerum famulum suum in Gallias secuta fuerat. Quam excommunicationem cum omnibus qui aderant Episcopis renouauit. Post hæc eadem Engiltrudis prædicto Arsenio in Vuarmatia ciuitate se præsentauit. In quo loco præfatus Episcopus Ludouuico Regi occurrerat. Constrinxit itaque se in præsentia ipsius Episcopi Horribili sacramento, quòd ipsa cum eo Romam iret, & quicquid domnus Apostolicus iuberet ex toto perficeret. Sed quod iurauit minimè adimpleuit. Siquidem vsque ad Danubij fluenta cum eodem Arsenio perrexit, ibique ad quandam consanguineam pro equorum amminiculo ire condixit: & ad Augustam ciuitatem ad eundem Missum se reuersuram pollicita est. Tali occasione gressum retorquens, ex Alamannia in Franciam repedauit. Quod cùm præfatus Arsenius cognouisset, Epistolam misit omnibus Archiepiscopis, Episcopis, & omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus Galliæ, Germaniæ, ac Neustriæ commorantibus. Obtestans omnes per auctoritatem Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & vniuersalis Papæ, vt nullus eam in sua parrochia reciperet. Sed eam funditus in omnibus Ecclesiis suis excommunicatam prædicarent, & ab omni Christianorum communione sequestratam, insuper & anathematis vinculo innodatam, & inter impias & sceleratas damnatam, donec de pestiferis actionibus suis, atque perpetrato periurio, ante domni Apostolici præsentiam dignam acceperit pœnitentiam. B

POST hæc Legatus Apostolicæ Sedis, compositis in Gallia rebus, Romam vnde venerat reuersus est. Rursum Vualdrada eiúsque complicibus decertantibus, Regis animus aduersus Tiebergam commouetur. Excitantur iræ, & in sopitis discordiarum & odiorum cineribus denuò copiosus ignis accenditur. Despicitur, abominatur, reiicitur, adulterij crimen impingitur, omníque ingenij arte exquiritur, qualiter puniri quasi rea possit. Illa præuidens imminere sibi mortis periculum, latenter aufugit, & ad CAROLVM veniens, eius se tuitioni commisit. Quod cùm Nicolaus Papa comperisset, misit Carolo Regi Epistolam exhortatoriam & collaudatoriam: simúlque gratias agens, quòd Tiebergam omni solatio destitutam ipse solus suscepisset. Post hæc velut alter Finees zelo Dei accensus, VValdradam in Basilica sanctæ Dei Genitricis ipso die Purificationis eius excommunicauit, & ab omni Christianorum consortio separauit. Destinauitque Episto- C lam omnibus Episcopis per Germaniam & Gallias constitutis, causam & modum excommunicationis continentem. Direxit etiam Lothario Regi aliam Epistolam, in qua eum commonet vt sibi caueat, ne quando secundum Domini præceptum duo aut tres testes adhibeat, & ad vltimum hoc Ecclesiæ dicat, & de cetero fiat sicut ethnicus & publicanus omnibus Christianis & Deum timentibus. Qualem verò exitum huius pestiferi morbi pernicies attulerit, in sequentibus suo in loco demonstrabitur.

CIRCA hæc tempora LVDOVICVS Rex fratris sui Caroli Regnum est ingressus, cupiens etiam Occidentalia Regna suo subiugare dominatui. Præbuerant ad hoc facinus peragendum fomitem talia occasionum incitamenta. CAROLVS, vt præmisimus, quosdam ex nobilioribus Regni, aut publicè adiudicatos gladio percussit, aut dolo deceptos perdidit. Ceteri formidantes ne similia paterentur, Ludouuicum Regem trans Rhenum commorantem sollicitant, eiúsque animum ad obtinendum fratris Regnum illiciunt, promittentes semetipsos vna cum Regno eius ditioni traditurος. Hac persuasione facilè in spem introductus, cum valida manu, vt diximus, terminos Regni Caroli intrauit. Carolus sentiens vires Regni à se defecisse, in vltimis finibus Aquitaniæ fugæ latibulum quæsiuit. Ludouuicus, vt cœperat, Regnum obtinuit, ac vsque ciuitatem Senonis peruenit. Dimisso

A verò exercitu, in Germaniam ad propria redire, cum Optimatibus Regni cœpit negotia disponere. Sed subitò fortuna mutatur. Nam Principes, qui eum in Regnum introduxerant, videntes quòd longè aliter incederet erga eos, quàm æstimauerant, pœnitudine tacti ad Carolum reuertuntur. Carolus ex desperatis rebus vires se recepisse congaudens, contractis vndique copiis, fratrem bello aggredi tentat. Ille intuens, & à suis quos secum adduxerat, & ab his quos ibi acquisisse visus fuerat, se esse destitutum, maturiùs fugam arripuit, & cum debita confusione fines Regni excessit. LVDOVICVS II. IMP. LOTHARIVS II. LVDOVICVS. CAROLVS CALVVS.

HAC tempestate HVMBERTVS * Abbas frater Tiebergæ Reginæ contra Lotharium Regem rebellare exorsus est. Collecta quippe prædonum valida manu, rapinas cœpit exercere. Interfectisque ac fugatis Lotharij fidelibus, qui finitima possidebant loca, agros, villásque eorum suæ factionis complicibus distribuit. Ad huiuscemodi temeritatem reprimendam Lotharius Rex semel, & iterum atque tertiò exercitum produxit. Frequenter etiam cum Ducibus armatorum multitudinem direxit. Sed minimè hanc præsumptionem extinguere potuit, quia loca inaccessibilia inter Iurum & Alpes Penninas seditiosis præbebant receptaculum, & Regi exercituíque eius propter concaua vallium, & prærupta montium artissima itinera difficilem ingressum. Attamen acephala Humbertus nouissimè à CONRADO Comite occisus est iuxta castrum, quod Orba dicitur. * sup. Hucbertus

B EODEM quoque tempore HERISPOIVS Rex Brittonum à suis interficitur, & SALOMON Dux in loco eius subrogatur. Erat enim idem vir strenuus & bellicosus, & tam forma quàm animo ad Regnum gubernandum aptus. Carolus tertiò super Brittones cum exercitu irruere disponit. Sed cùm ad terminos eorum appropinquasset, audito quòd ad resistendum totis viribus parati essent, subitò mutata voluntate magis elegit pacem suscipere, quàm bellum inferre. Facta itaque pactione cum Salomone, quam dudum cum Herispoio fecerat, abscessit.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXVII. Nortmanni ora Ligeris fluminis occupantes, Namnetensem, Andegauensem, Pictauensem, atque Turonicam prouinciam iterato depopulari cœperunt. Contra quos ROBERTVS, qui Marcham tenebat, & Rannulfus Dux Aquitaniæ, collecta multitudine, aciem dirigunt. Illi sentientes se ab exercitu insequi, cum summa acceleratione ad classem repedare contendunt. Sed cùm appropinquare insequentium multitudinem cernerent, cognoscentes se effugere non posse, quandam villam ingrediuntur, vbi se quantum hora permisit communiunt. Erat autem in eadem villa Basilica pergrandis ex lapide constructa, in qua maxima pars Nortmannorum introiuit cum Duce suo nomine Hastingo. Robertus & Rannulfus cum sociis suis super eos irruunt, & quoscunque extra Basilicam reperiunt, necant. Ad Ecclesiam peruenientes, cùm vidissent locum munitum, & animaduertissent non modicam turbam paganorum intrinsecus latitantem, parumper deliberantes, castra in circuitu C statuunt, tentoria figunt: vt in crastinum extructis aggeribus, applicatisque machinis, hostes totis viribus expugnarent. Declinabat quippe Sol iam ad occasum. Robertus nimio calore exæstuans, galeam & loricam deposuit, vt aura collecta paulisper refrigeraretur. Cúmque vnusquisque in positione castrorum intenderet, repente Nortmanni à munitione exeunt, & cum ingenti clamore super Robertum ac socios impetum faciunt. Robertus verò cum sociis arma corripiunt, hostes viriliter excipiunt, & cædentes in Basilicam redire compellunt. Robertus absque galea & lorica accurrens, cùm incautiùs dimicaret, & inimicos insequeretur, interfectus est in introitu ipsius Ecclesiæ. Eius corpus iam exanime Nortmanni intrinsecus trahunt. Iste Robertus nostris temporibus fuit quasi alter Machabeus. Cuius prœlia, quæ cum Brittonibus & Nortmannis gessit, si per omnia scripta fuissent, Machabei gestis æquiparari potuissent. Porrò Rannulfus cùm eminus stans euentum rei specula+retur, à quodam Nortmanno per fenestram Basilicæ sagittæ ictu grauiter vulneratus est, & à suis ex certamine eductus, vix triduò superuixit. Tali infortunio pugna commissa est & finita. Exercitus amisso capite, mœrore repletus, eadem hora soluit obsidionem, & ad propria reuertitur. Nortmanni ouantes ad classem dirigunt gressum. 867

NON multo pòst interiecto tempore HVGO Abba in locum Roberti substituitur, vir strenuus, humilis, iustus, pacificus, & omni morum honestate fun-

LVDOVICVS II. IMP. LOTHARIVS II. LVDOVICVS. CAROLVS CALVVS.

datus. Siquidem ODO & ROBERTVS filij Roberti adhuc paruuli erant, quando pater extinctus est, & iecirco non est illis Ducatus commissus. A

PER idem tempus gens Sarracenorum in Beneuentum ex Africa veniens, vniuersam pene regionem illam inuaserunt: cædibus, rapinis, ac incendiis omnia depopulantes. Contra quos LVDOVVICVS Imperator exercitum contrahit, & veritus ne fortè aduersus innumerabilem hostium multitudinem vires Regni non sufficerent, ad Lotharium fratrem in Gallias Legatos mittit: omninò exposcens vt ad vires Sarracenorum extenuandas sibi cum Dei auxilio opitularetur. Qui nihil cunctatus, exercitum cum ingenti industria contrahit, fratrique quanta potuit celeritate in adiutorium venit. Vbi plurima bella gesta sunt, non solùm fortiter, sed etiam feliciter, Deo opem ferente. Inter hæc exercitus Lotharij graui peste fatigatur. Ex insueto quippe calore, & intemperie aeris dissolutus dissinteriæ vel clienteriæ morbo corripitur. Ex qua plaga innumerabilis multitudo extincta est. Plurimi etiam aranearum morsibus extincti sunt, vt iam tunc daretur intelligi, quòd propter duritiam, & cor in pœnitens, Deus non solùm Lothario, verumetiam omni Regno eius irasceretur. Reuertitur itaque in Franciam non sine graui damno suorum.

868. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXVIII. NICOLAVS sanctissimus & beatissimus Papa, post multos pro Christo labores, multa pro sanctæ Ecclesiæ inuiolabili statu certamina, migrauit ad cœlestia regna, recepturus à largissimo Domino inmarcessibilem gloriæ coronam. De cuius Deo placitis actibus plura poterant dici relatu digna, nisi breuitati studentes, causas rerum magis summatim notare, quàm explicare proposuissemus. Denique post beatum Gregorium vsque in præsens, nullus Præsul in Romana vrbe illi videtur æquiparandus. Regibus ac Tyrannis imperauit, eisque ac si Dominus Orbis terrarum, auctoritate præfuit. Religiosis ac mandata Domini obseruantibus humilis, blandus, pius, mansuetus apparuit: inreligiosis & à recto tramite exorbitantibus terribilis atque austeritate plenus extitit. Huic sanctissimæ memoriæ viro ADRIANVS in Pontificatum successit. Quod cùm Lotharius Rex certa relatione comperisset, direxit ei Epistolam, obsecrans vt ei munus caræ filiationis impertiri dignaretur. Ad hæc Papa rescripsit, Sedem Sancti Petri semper paratam esse dignam satisfactionem suscipere, nec quod diuinæ humanæque leges iustè decernunt vsquam repulisse. Itaque si se immunem ab obiectis sciret, cum omni fiducia Sedem Apostolicam adiret, & expetitam benedictionem perciperet. Si autem culpam recognosceret, nihilominus absque hæsitatione venire festinaret, condigna pœnitentiæ remedia suscepturus. B

HIS temporibus gens Bulgarum ferocissima ac bellicosa, relictis idolis, in Christum ex permaxima parte credidit, & abluta salutari baptismatis vnda, in Religionem Christianam transiit. Directi sunt autem à Sede Apostolica ad eandem Gentem Sacerdotes, ac viri religiosi, qui populum adhuc rudem diuinis informarent præceptis, & incultam barbariem sacris dogmatibus excolentes, Christo gratum præpararent habitaculum. Vt huius verò sanctæ deuotionis opus prosperum obtineret effectum, LVDOVICVS Christianissimus Rex, qui super Germanos regnabat, non mediocre præbuit adiumentum. Ferunt autem de huius Gentis Rege, quòd à tanta perfectione post perceptam baptismi gratiam cœperit, vt diebus ornamentis regiis indutus coram populo procederet, noctibus verò sacco vestitus, latenter Ecclesiam intrans, super pauimentum ipsius Basilicæ, substrato tantùm sibi cilicio prostratus in oratione iaceret. Non post multum tempus diuina inspiratione commonitus, Regnum terrenum dimisit, vt in cœlis æternaliter regnaret cum Christo. Et ordinato in loco suo in Regem maiori filio suo, comam capitis deposuit, habitúque sanctæ conuersationis suscepto Monachus effectus est. Eleemosynis, vigiliis, & orationibus die noctúque intentus. Interea filius eius, quem Regem constituerat, longe à paterna intentione & operatione recedens, prædas cœpit agere, ebrietatibus, comessationibus, & libidinibus vacare, & omni conamine ad Gentilitatis ritum populum nouiter baptizatum reuocare. Quod cùm pater audisset, nimio zelo accensus, sacrum habitum deposuit, & militiæ cingulum resumpsit, & cultu regio indutus, adsociatis sibi Deum timentibus, filium persecutus est. Quem mox absque difficultate cepit, C

A oculósque eius effodit, & in carcerem misit. Deindè conuocato omni Regno suo, filium iuniorem Regem constituit, interminatus coram omnibus similia fore passurum, si in aliquo à recta Christianitate deuiaret. His ita gestis, deposito cingulo, & resumpto sanctæ Religionis habitu, ad Monasterium regressus, in sancta conuersatione reliquum vitæ præsentis tempus duxit.

LVDOVICVS II. IMP. LOTHARIVS II. LVDOVICVS. CAROLVS CALVVS. 869.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXIX. LOTHARIVS Romam profectus est. Quò cùm peruenisset, ab Adriano Papa honorificè susceptus est. Qui ab eodem Præsule sciscitatus, si monita pij Patris domni Nicolai cum omni vigilantia custodisset, deceptus ab eo qui in veritate non stetit, & caput est mendacij, respondit se ita omnia custodisse, ac si diuinitus fuissent imperata. Cúmque Proceres, qui cum eo venerant, eadem testificarentur, nec esset vllus, qui Regiæ potestati contrairet, sanctus Papa talia subinfert: Si vestræ testificationi veritas suffragatur, omnipotenti Deo multiplices gratiarum actiones referimus. Restat ergo, fili charissime, vt ad confessionem Sancti Petri accedas, vbi Deo propitio, hostiam salutarem pro incolumitate corporis & animæ tuæ immolabimus, ex qua te nobiscum participari oportet: vt per hanc participationem membris Christi, vnde exscisus videbaris, merearis incorporari. Post hæc finitis Missarum solemniis, inuitat summus Pontifex Regem ad mensam Christi. Acceptóque in manibus corpore & sanguine Domini, ita eum alloquitur: Si innoxium te recognoscis ab interdicto tibi à domno Nicolao adulterij scelere, & hoc fixa mente retines, vt nunquam diebus vitæ tuæ Vualdradæ pellicis tuæ miscearis nefario concubitu, fiducialiter accede, & sacramentum salutis æternæ ad remissionem peccatorum tibi profuturum accipe. Si autem ita in mente tua proposuisti, vt ad mœchiæ volutabrum redeas, nequaquam sumere præsume: ne fortè ad iudicium tibi adueniat, quod Dominus fidelibus suis ad remedium præparauit. Qui mente captus, absque retractatione communionem de manu Pontificis sumpsit. Deinde Pontifex conuersus ad socios Regis, vnicuique communionem obtulit in hæc verba: Si Regi tuo Lothario consensum non præbuisti, & Vualdradæ & aliis ab hac Sede excommunicatis non communicasti, corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi prosit tibi in vitam æternam. Igitur quisquis in his se læsum sciens ausu temerario communionem suscepit, diuino iudicio mortuus est, antequam subsequentis anni rediret principium. Perpauci, qui se à communione subtraxerunt, vix mortis periculum euaserunt. Porrò Lotharius Româ egressus morbo corripitur, & Placentia ciuitate perueniens, diem clausit extremum VI. Idus Augusti. Tanta autem strages in præfati Regis populo facta est, vt non peste perisse, sed hostili gladio corruisse virtus & nobilitas totius Regni videretur. Quæ eo tempore tantæ fœcunditatis erat, vt in modum densarum segetum pullulans Imperij fines repleuerit.

B

CAROLVS CALVVS comperiens certa relatione Lotharium Regem obisse, mox Regnum illius occupare nititur. Mettisque veniens, ab Aduentio præfatæ vrbis Episcopo, & nonnullis Primoribus fauorabiliter exceptus, in Regnum sublimatur. Indéque digrediens Aquisgrani Palatium ingressus est, eo quòd sedes Regni esse videretur, vbi multò plures ad eum confluxerunt Carebat autem ea tempestate vrbs Treuirorum, & Colonia Agrippinensis, Pontificibus. Siquidem, vt præmisimus, amborum Præsules in Italia ab hac luce subtracti sunt. Inito autem Rex cum Optimatibus consilio, Bertulfum nepotem supradicti Aduentij Ecclesiæ Treuirorum præfecit. Porrò Coloniæ Agrippinæ Rex HILDVINVM Abbatem præficere tentauit, fecitque à Francone Episcopo Tungrensis diœceseos in Aquis Palatio Presbyterum ordinari ad titulum Sancti Petri Coloniensis.

C

DVM hæc in Regno Lothatij aguntur, LVDOVVICVS Rex infirmitate detentus, in Baioariorum finibus lecto decumbebat. Audiens itaque à fratre Lotharij Regnum taliter inuasum, ægrè tulit, & cum omni festinatione Legatos direxit, qui eum obnixè rogarent, vt ab hac temeraria inuasione cessaret, quousque Deo sospitatem reddente, venire posset, vt pariter colloquerentur, & de eiusdem Regni statu quod iustitiæ & æquitatis iura dictabant pari voluntate decernerent. His cum tali mandato præmissis, interim Liutbertum Episcopum Magonciacæ vrbis occultè Coloniam dirigit, hortatúrque vt omni arte satageret ordinationem Hilduini præuenire, & ex ipsius ciuitatis Clero Episcopum consecraret per ele-

LVDOVICVS II. IMP. LVDOVICVS. CAROLVS CALVVS.

ctionem ciuium. Qui assumptis secum aliis Episcopis, recto itinere Diuza castrum peruenit. Et formidans ne fortè insidiæ sibi à Caroli fautoribus molirentur, nequaquam Rhenum transiit: sed destinatis Missis, mandauit vt honestiores ex Clero, & nobiliores ex populo sibi ad idem castrum occurrerent. Illis iussa complentibus, Episcopus ex parte Regis eos alloquitur, vt sibi consulerent, & quantotiùs ex proprio grege Præsulem eligerent. Se ad hoc destinatum esse, vt quemcumque communi consilio præficiendum decernerent, statim consecraret. Ad hæc illi respondent, Hilduino Episcopatum esse datum, iámque Presbyterum ad ipsam Sedem ordinatum, omnesque penè manibus datis eius dominationi se subdidisse. » Nulla ratio permitteret, vt alium eligerent. Quibus ille econtra: Si electionem » vobis à Rege concessam despicitis, in arbitrio & potestate Regis est, quem vobis » velit dare Episcopum. Tamen pro certo scitote, quòd ante triduum alium quàm » Hilduinum habebitis Episcopum. His auditis, vnanimiter elegerunt Vuilibertum venerabilem virum, quem nimium renuentem ordinauit prædictus Antistes, cum aliis Sacerdotibus, & cum omni Clero & populo Rhenisluenta transfretauit, & eum honorificè in Sede Pontificali sublimauit. Omnibúsque ritè peractis, sub omni celeritate recessit. Carolus Caluus comperta ordinatione nimio furore accenditur, ac mox Coloniam proficiscitur. Denique dum hæc agerentur à Missis Ludouuici, Hilduinus apud Aquis Palatium in Regio obsequio morabatur. Vuillibertus Episcopus, & omnes qui in eius ordinationem consenserant, Rhenum transeuntes, sæuitiam Regis declinauerunt. Rex cùm neminem reperisset, in quem suas iniurias vlcisci posset, via qua venerat regressus est. Interea Legati à Ludouuico iterum mittuntur, orantes vt à Regno discederet Carolus. Sed cùm minimè acquiesceret, nouissimè Liudbertum Archiepiscopum, & Altfridum Episcopum de Saxonia prudentissimum virum, Ludouuicus Legatos dirigit: mandans vt vnum è duobus eligeret, aut citò à Regno recederet, aut sibi pugnandum cum fratre foret. Qui eum tanta ingenij arte, tantáque constantia aggrediuntur, vt absque dilatione recederet, & in proprio Regno se reciperet. Post hæc supradicti Reges Conuentum celebrare disponunt in loco qui dicitur Marsana iuxta Mosam.

870. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXX. LVDOVVICVS & CAROLVS CALVVS vnà cum Optimatibus & Proceribus suis ad Marsanã venientes, Regnum quondam Lotharij æquis partibus inter se diuiserunt. Carolus Conuentu absoluto ad Heristellium perrexit, quia ei idem Palatium in parte venerat. Ludouuicus verò ad Aquis Palatium rediit, vbi duobus ferè mensibus lecto decubuit, aduersa inualitudine præuentus. Denique cùm à partibus Orientis veniens Ribuariorum terminos intrasset, in quandam regiam villam, nomine Flameresheim ad hospitium diuertit. Cúmque solarium domus conscendisset, stipatus obsequentium multitudine, repentè ipsum solarium, quod nimia vetustate & putredine resolutum fuerat, trabibus fractis corruit, & inter ruinas eius Rex grauiter attritus est: ita vt duæ costæ eius à sua compage disiungerentur. Et cùm omnes accurrissent, eúmque perisse arbitrarentur, ipse à loco in quo ceciderat surgens, suis se repræsentauit, asserens se nihil mali passum. Et vltra quàm credi potest dissimulato languore, sequenti die contra fratrem ad Marsanam proficiscitur. Tanta fuit huius Principis duritia, tanta animositas, vt cùm etiam fragor fractarum costarum ad se collidentium à nonnullis audiretur, nemo tamen propter hoc audierit eum emittere vel gemitum vel suspirium.

PER idem tempus CAROLVS Carlomannum filium suum oculis priuauit. Siquidem prædictus Rex ex Hirmentrude Regina tres filios susceperat, Carolum scilicet, & Carlomannum, atque Ludouuicum. Sed duo ex his infeliciter perierunt. Nempe CAROLVS leuitate iuuenili ductus, tentare volens Albuini fratris Biuini & Bettonis audaciam, ac sæpè laudatam constantiam, alium se esse simulans, cùm ex venatione vespertinis horis idem Albuinus quadam die reuerteretur, super eum solus impetum fecit, veluti equum in quo sedebat ablaturus. Ille alium existimans quàm filium Regis, euaginato gladio ex aduerso eum in capite percussit, móxque terræ prostrauit. Deinde multis vulneribus confossum semiuiuum reliquit, arma pariter & equum secum auferens. Debilitatus ergo membris, ac vultu deformatus, pauco tempore superuixit. Albuinus, cognito quòd Regis

A Regis filius esset, in quem talia exercuerat, celeriter aufugit, mortísque periculum declinauit. Porrò CARLOMANNVS cùm esset puerulus, iussu patris attonsus, Clericus effectus est. Dehinc procedenti tempore ad Diaconatus officium, quamuis inuitus atque coactus, in præsentia genitoris ordinatus est. Legítque publicè Euangelium, & Pontifici Missam celebranti iuxta morem ministrauit. Post hæc per apostasiam recedens ab Ecclesiastica religione, & abiciens gratiam, quæ data erat ei per manus impositionem, alter Iulianus efficitur. Collecta namque prædonum non modica turba, Ecclesias Dei cœpit deuastare, & cuncta diripere, & inaudita mala perpetrare. Pro quibus cùm crebro à patre correptus fuisset, nec à cœpta prauitate cessaret, nouissimè ex præcepto patris ei oculi eruuntur: iusto Dei iudicio lucem exteriorem amittens, qui interiorem, quæ Christus est, à suo pectore effugauerat. Orbatus itaque Ludouuicum patruum suum adiit, calamitatum suarum ærumnas apud eum lugubriter deplorans. Ille miseratione motus Absternacum Monasterium sancti VVillibrordi ei ad subsidium vitæ præsentis concessit, vbi non multo pòst tempore mortuus est & sepultus.

LVDOVICVS II. IMP. LVDOVICVS. CAROLVS CALVVS.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXI. ADRIANVS Papa migrauit ad Dominum, & IOANNES summi Pontificij culmen adeptus est. His diebus Adalgisus Dux Beneuentanus Græcorum persuasionibus corruptus, aduersus Ludouuicum Imperatorem manum leuauit. Etenim eius hortatu plurimæ ciuitates prouinciarum, Samnij, Campaniæ, & Lucaniæ, à Ludouuico recedentes, Græcorum dominationi se subdiderunt. Quibus cognitis, Imperator in prouincia Samnitica exercitum transfert, petítque harum Prouinciarum caput Beneuentum, ditissimam & opulentissimam ciuitatem. Adalgisus adesse exercitum sentiens, timore perterritus, ad callida argumenta conuertitur, & Beneuento egressus, Imperatori vltrò se offert. Paratum se esse, & semper fuisse ad eius obsequium profitetur, numquam defectoribus se assensum præbuisse iuramento confirmat. Deinde muneribus Regem sibi conciliat, ac mox in pristinam recipitur gratiam. Imperator in Campaniam & Lucaniam ad ciuitates quæ defecerant copias transponit, quas absque difficultate in dedicionem recepit, excepta Capua. Quæ quia quadrato lapide erat constructa, audaciam repugnandi ciuibus præbuit. Cingitur itaque obsidione, omnísque aditus intrandi & exeundi penitus intercluditur, regio in circuitu vastatur, cuncta hostili rapacitate diripiuntur. Nouissimè vites, oliueta, & ceteræ fructiferæ arbores radicitus exciduntur. Capuani desperatis rebus Episcopum ciuitatis adeunt, corpus sancti Germani Episcopi, cuius animam venerabilis Pater Benedictus in spera ignea ab Angelis in cœlum viderat deferri, in feretro leuant. Et sic portis apertis supplices castra Imperatoris petunt, orantes eiusdem Sancti interuentu sibi veniam largiri. Augustus vt totis pietatis visceribus affluebat, misericordiâ motus, erratus atque excessus benignè indulsit, præcepítque exercitui ab excidio retrahere manum. Expulsis itaque Græcis, custodes ex suis in ciuitatibus quas receperat locat, & sic Beneuentum proficiscitur, vbi aliquantisper decreuerat morari. Exercitus verò longa ciuitatum obsidione fatigatus, genitale solum cœpit suspirare, post emensos labores quietem desiderare, coniugum ac liberorum dulces amplexus ante oculos mentis reducere, & hac causa paulatim cotidie diffluere. Interim Adalgisus, vt erat callidus, Imperatorem alloquitur: Cur vires suorum nullis existentibus causis profligaret, cur agros villásque suæ ditioni subditas depopulari permitteret. Oporteret vt & fessis quies concederetur, & regio, quæ iam penè deuastata erat, clementia Principis saluaretur. Flexus his suggestionibus Imperator, exercitum ex permaxima parte ad propria redire permisit. Ipse cum paucis in eodem loco remansit, nil aduersi suspicatus. Adalgisus Imperatorem destitutum suorum viribus cernens, iam dudum conceptam iniquitatem parturit, & cum suis fautoribus Palatium, in quo Imperator meridie quiescebat, occupare nititur. Imperator clamore irruentium excitatus, lecto desilit, arma corripit, & cum perpaucis corporis sui custodibus ad ostium domus turbatus procedit: aditúmque ferro intercludens, hostem à liminibus arcet. Adalgisus sentiens non sine discrimine ostia domus esse penetranda, ab introitu pedem retrahit, Palatiúmque flammis exuri iubet. Interea Imperator dextras sibi dari petit, pacémque obnixè deposcit. Cui

871.

B

C

LVDOVICVS II. IMP. LVDOVICVS. CAROLVS CALVVS.

responsum est, non aliter petita impetraturum, nisi priùs iureiurando promitteret, numquam se diebus vitæ suæ Beneuenti fines intraturum, neque pro calumnia quam tunc patiebatur vindictam aliquando exacturum. Allatis itaque Sanctorum pignoribus, necessitate constrictus, sacramentum quod ab eo exigebatur iurauit, statimque postera die à Beneuento exiit. A

872. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXII. LVDOVICVS Imperator Romam venit, ibique Conuentum celebrans, coram summo Pontifice multa super Adalgisi tyrannide conquestus est. A Senatu Romano idem Adalgisus tyrannus atque reipublicæ hostis declaratur, bellum etiam aduersus eum decernitur. Papa Ioannes Imperatorem à iuramento, quo se obligauerat, auctoritate Dei & sancti Petri absoluit: affirmans nihil sibi obesse, quod ob mortis periculum euadendum coactus fecerat. Nec sacramentum esse dicendum, quod contra salutem reipublicæ, quamuis cum multis execrationibus, fuerit prolatum. His exhortationibus Principis animum ad rediuiua certamina prouocat. Tamen ne à suis periurus diceretur, nequaquam ipse contra tyrannum procedit, sed Reginam cum exercitu dirigit. Adalgisus verò audiens bellum aduersum se summis viribus parari, hostémque se ac tyrannum denuntiatum, metu percellitur, & spem vitæ in fuga ponens in Corsicam insulam secessit, ibíque delituit.

873. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXIII. CAROLVS CALVVS Rex Andegauensem obsedit vrbem, inclusis in ea Normannis. Denique Normanni B postquam Rotbertum & Ramnulfum, & alios nonnullos generosæ stirpis viros, qui patriam armis tuebantur, Deo habitatoribus terræ aduersante occiderunt, sollicitati paucarum ciuitatum vel regionum direptione, & ex præda singularum, quantæ opes vniuersarum essent animo prospicientes, Andegauis ciuitatem, ciuibus fugâ dilapsis, vacuam reperientes, ingrediuntur. Quam cùm munitissimam, & pro situ loci inexpugnabilem esse vidissent, in lætitiam effusi, hanc suis suorúmque copiis tutissimum receptaculum aduersus aduersas sibi Gentes fore decernunt. Protinus nauibus per Medanam fluuium deductis, muróque applicatis, cum mulieribus & paruulis, vt habitaturi in ea intrant, diruta reparant, fossas vallósque renouant, & ex ea prosilientes, repentinis incursionibus circumiacentes regiones deuastant. Quod cùm Carolo tam perniciosa pestis in visceribus Regni interclusa nunciata esset, illicò ex omnibus Regnis, quæ suæ ditioni parebant, ad commune incendium extinguendum exercitum colligit, atque castris in circuitu positis ciuitatem obsidione cinxit. Et quia Medana fluuius à partibus Brittanniæ vrbis murum alluebat, Salomoni Regi Brittonum mandat, vt contractis auxiliis citiùs adesset, vt communem hostem communibus viribus expugnarent. Qui assumptis secum multis Brittonum millibus, super ripam fluminis Medanæ tentoria figit. Igitur ex omnibus partibus vrbe obsidione circumdata, multis diebus vndique summa virtute dimicatur, & noua & exquisita machinamentorum genera applicantur. Sed conatus Regis parum profecit, quia & C loci facies non facilem præbebat accessum, & paganorum valida manus, quia pro vita res erat, summo resistebat conamine. Exercitus verò cum longæ obsidionis tædio, & fame ac peste attereretur, cernentes Brittones vrbem inexpugnabilem, conati sunt fluuium à suo alueo deriuare, vt exsiccato naturali meatu, naues Normannorum inuadere possent. Cœperunt itaque fossam miræ profunditatis ac latitudinis aperire. Quæ res tantum timorem Normannis ingessit, vt absque dilatione ingentem pecuniam Carolo pollicerentur, si soluta obsidione eis ex suo Regno liberum præberet egressum. Rex turpi cupiditate superatus, pecuniam recepit, & ab obsidione recedens, hostibus viam patefecit. Illi conscensis nauibus, in Ligerim reuertuntur, & nequaquam vt spoponderant ex Regno eius recesserunt: sed ibidem permanentes, multò peiora quàm fecerant fecerunt.

874. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXIV. LVDOVVICVS Imperator, qui Romæ imperabat, moritur. Fuit verò iste Princeps pius & misericors, iustitiæ deditus, simplicitate purus, Ecclesiarum Dei defensor, orphanorum & pupillorum pater, eleemosynarum largus largitor, seruis Dei humiliter se submittens, vt iustitia eius maneret in seculum, & cornu eius exaltaretur in gloria.

A EODEM anno Salomon Rex Brittonum à Pasquitano & VVrfando Ducibus suis dolo interficitur. Post cuius mortem cùm hij duo Regnum inter se diuidere vellent, sed in diuisione dissentirent, eò quòd maxima pars PASQVITANI partibus faueret, bellum ab vtrisque summis viribus instauratur. Pasquitanus quamuis maiore multitudine abundaret, Normannorum tamen auxilia pecuniâ conducit, eáque suo exercitui miscet, & mox contra æmulum ad pugnam proficiscitur. VVRFANDI satellites videntes vires Regni ad Pasquitanum concessisse, cœperunt ab eo diffugere, vt vix mille in acie cum eo remanerent. Qui & ipsi cœperunt suadere, vt secederet, mortisque periculum declinaret. Se cum paucis innumeram multitudinem sustinere non posse. Ad hæc ille respondit: Absit, « inquit, optimi commilitones, vt hodie faciam quod nunquam feci, scilicet vt « inimicis meis terga vertam, & gloria nominis nostri infametur. Meliùs est nobi- « liter mori, quàm ignominiosam vitam seruare. Nec diffidendum est de victoria. « Fortunæ vires cum hostibus experiamur. Neque enim salus est in multitudine, « sed potiùs in Deo. Huiuscemodi exhortationibus animatis sociis, super triginta, & eo amplius, vt ferunt, aduersariorum milia irruunt. Clamor in cœlum tollitur, pugna summa virtute conseritur. Vurfandus cum suis confertissimam hostium aciem irrumpit, & veluti herba pratorum recisa ante acumen falcis cadit, ita ferro cædit sternitque omnia. Rarò in illo Regno tantum sanguinis fusum est. Pasquitanus, vt mactari suos more pecudum vidit, cum paucis, quos gladius nondum

B consumpserat, fugit. Porrò Normanni, qui in auxilium fuerant euocati, Monasterium Sancti Melanij Episcopi ingressi sunt, ibique se more solito communiunt. Et succedente nocte fugâ dilapsi, ad naues reuertuntur. Fuit verò gestum hoc prœlium in campis iuxta Redonis ciuitatem. Erat hic Vurfandus genere inter suos clarus, sed virtutum experimentis & nobilitate clarior: quæ tanta in illo fuit, vt animi magnitudine, viriúmque gloria inter suos, vt diximus, nulli videretur esse secundus. Ad cuius mentis audaciam noscendam dicere paulisper placuit. Nam Salomon Rex aliquando hyemis tempore cùm contra Normannos castra posuisset, vt ab eorum incursione fines Regni sui tueretur, prædictus Vurfandus vltra vires præsumens arroganter iactauit, si Rex cum exercitu recederet, se audere cum suis tantummodò in eodem loco remanere, & tribus diebus post discessum Regis ibidem remorari. Distabant verò castra Brittonum à Normannorum classe tantùm octo milibus. Nunciata sunt verba quæ Vurfandus quasi leuiter protulerat, nescio à quo, Hastingo paganorum Duci. Non multo pòst interiecto tempore, Salomon datis quingentis vaccis, pacem cum Normannis fecit. Et acceptis obsidibus, cùm redire in Regnum disponeret, Legatus Hastingi eum taliter alloquitur: Nunciatum est domino meo te tantum virum habere, qui se iactet « quòd te recedente solus cum suis hoc in loco audeat remanere. Si ergo tantus est « quantus sibi videtur, incunctanter remaneat, quia dominus meus vult eum vide- « re, & noticiam eius habere. Interrogatus autem Vurfandus à Rege, vtrum hæc «

C dixisset, respondit se dixisse, & hæc eadem facere velle probare. Protinúsque licentiam remanendi petit. Cùm à Rege argueretur, cur tam fatua obstinatione detentus, pro verbis inaniter in ventum prolatis vellet mori, suósque morti tradere; nullatenus acquieuit. asserens nisi remanendi licentiam daret, nequaquàm illi in reliquum fidelis foret. Sed cùm Salomon irreuocabilem eius animum perspexisset, dare ei solatium ex suis satellitibus voluit. Quod renuit, dicens, si alios quàm suos secum haberet, iam non essent vera quæ spoponderat. Rex cum omnibus copiis in Regnum recessit, & Vurfandus in eodem loco cum ducentis ferè viris remansit, ibique quinque diebus permansit. Sexta nocte Hastingus quendam captiuum à vinculis soluit, & eum ad Vurfandum direxit: mandans, vt sibi ad vadum cuiusdam torrentis inter tertiam & secundam superuenientis diei horam occurreret, ibique mutuis colloquiis fruerentur. Qui nihil cunctatus, arma corripere sociis imperat, & ad condictum locum absque mora pergit. Prospiciénsque vadum torrentis inter suos & aduersarios quasi limitem fore, nullo modo ibi consistere voluit, sed transuadato gurgite vltrò obuiam hostibus procedit. Normanni admirantes animositatem & audaciam viri, ab eo declinauerunt, nec eum bello appetere ausi sunt. Ille vsque ad sextam intrepidus expectans, cùm neminem aduersariorum venire cerneret, cum suis ad propria reuersus est. Nec illi

LVDOVICVS. CAROLVS CALVVS. animus minus in mortem inuictus, quàm in hostem fuit. Denique post peractam victoriam morbo grauiter ad extremum perducitur. Cuius inualetudinem cùm persensisset Pasquitanus, resumptis viribus fautores eius bello aggreditur. Qui timore perterriti ad Ducem confugiunt, & cum lachrymis ei minas Pasquitani aperiunt, petentes consilium contra imminens periculum. At ille hortatur, vt aduersus hostem audacter procedant, suum vexillum ferentes. pollicetúrque victoriam. Qui cùm respondissent, absque eius præsentia non audere congredi, spiritum, qui vna cum viribus corporis iam penè effugerat, resumens, quia nec pedibus, nec equo poterat ire, iubet se in lecto portari, & ante aciem inimicorum exponi, & sic subire certamen. Quod cùm satellites fecissent, mox hostes in fugam versi sunt. Patrata victoria, cùm eum reportare vellent ad domum, inter manus militum spiritum exhalauit. Paucis interpositis diebus & ipse Pasquitanus defunctus est. Post horum duorum continuas mortes IVDICHEIL ex filia Herispoij Regis natus, & ALANVS frater Pasquitani, Brittanniam inter se partiti sunt. Inter quos etiam multa iurgia & bella fuerunt. Sed Iudicheile in prœlio, quod contra Normannos magis audacter quàm prouidè gesserat, interempto, in ditionem Alani omnis Brittannia deuenit, quam etiam strenuè gubernauit. A

EODEM anno CAROLVS CALVVS Romam perrexit, & datis Apostolico Ioanni & Romanis magnis muneribus, Imperator creatur. B

876. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXVI. LVDOVVICVS Rex filius Ludouuici Pij apud Franconofurt Palatium diem clausit extremum v. Kal. Septembris, sepultúsque est in Monasterio Sancti Nazarij, quod *Laureshan* nuncupatur. Fuit autem iste Princeps Christianissimus, fide Catholicus, non solùm secularibus, verumetiam Ecclesiasticis disciplinis sufficienter instructus. Quæ religionis sunt, quæ pacis, quæ iustitiæ, ardentissimus executor. Ingenio callidissimus, consilio prouidentissimus, in dandis siue subtrahendis publicis dignitatibus discretionis moderamine temperatus. In prœliis victoriosissimus, armorum quàm conuiuiorum apparatibus studiosior, cui maximè opes erant instrumenta bellica. Plus diligens ferri rigorem, quàm auri fulgorem. Apud quem nemo inutilis valuit. In cuius oculis perraro vtilis displicuit, quem nemo muneribus corrumpere potuit. Apud quem nullus per pecuniam Ecclesiasticam siue mundanam dignitatem obtinuit: sed magis Ecclesiasticam probis moribus, & sancta conuersatione, mundanam deuoto seruitio & sincera fidelitate. Habuit autem hic gloriosissimus Rex, cuius memoria in benedictione est, Reginam nomine HEMMAM sibi in matrimonium iunctam, quæ nobilis fuit genere: sed quod magis laudandum est, nobilitate mentis multò præstantior. Ex qua tres filios suscepit excellentissimæ indolis, videlicet CARLOMANNVM, LVDOVVICVM, & CAROLVM, qui felici sorte post decessum patris imperij moderati sunt gubernacula. C

CAROLVS CALVVS IMP. CARLOMANNVS. CAROLVS. LVDOVICVS. CAROLVS CALVVS audito quòd frater obisset, nimio (vt aiunt) exultauit gaudio, arbitratus portionem Regni Lotharij, quam frater tenuerat, in suos libitus concessuram. Exercitum ergo quanta potuit celeritate adunauit, & cum omnibus viribus Regnum ingressus, ad Aquis Palatium venit. Vbi paucis diebus moratus, Coloniam profectus est. Dum hæc aguntur in Lotharij Regno, CARLOMANNVS primogenitus Ludouici Italiæ fines intrauerat, cupiens eam paterno suóque subiugare dominio. Siquidem Ludouuicus Imperator iam (vt diximus) ab hac luce subtractus fuerat, & Carolus Caluus Imperatoris nomen reportans ex Italia excesserat. CAROLVS verò frater eius in Alemannia morabatur. Porrò LVDOVVICVS, qui ad patris obitum fuerat, funerisque exequias condigno honore celebrauerat, apud Franconofurt principalem sedem orientalis Regni residebat. Cui cùm nunciatum esset, quòd Carolus patruus eius, iam Regni paterni terminis occupatis, circa Rhenum castra posuisset; nimio furore accenditur. Statimque Legatos ad eum dirigit, orans, vt memor esset germanitatis atque consanguinitatis, memor esset iuramenti, quod fratri suo fecerat. Contentus foret funiculo hereditatis diuinitus sibi collato, & aliena nō inuaderet, sed iustitia, caritas, & concordia inter illum & nepotes summum teneret fastigium. Sed huiuscemodi monita Carolus spreuit, asserens se cum fratre, non cum nepotibus pepigisse. Interim Ludouuicus exercitum ex Saxonia, Turingia, & Orientali Francia congregat,

A & vt in filio non tantum paternos vultus, quantum animi subtilitatem, artiúmque ingenia recognoscens, castra è regione Coloniæ contra castra Caroli super ripam fluminis magno apparatu collocat. Ipse autem cum omni hostili virtute inter Confluentes & Andrenacum Rhenum transiit. Nec defuit quiad aures Caroli perferret, nepotem cum omnibus copiis Rhenum transisse. Tunc primùm animadertit Carolus se à castris Ludouuici esse illusum. Mouit verò absque mora exercitum, & cum quinquaginta, & eo amplius, vt ferunt, millibus in pago Meginense, non longè ab Andrenaco castello, aduersus eum ad pugnam processit. Sed non saluatur Rex in multa virtute. fallax enim equus ad salutem. Si quidem inito certamine Reginarius Comes, qui regium vexillum ferebat, primo impetu extinguitur. confertissimæ acies à Ludouuici sociis irrumpuntur. & sicut ignis in stipula immissus furit, & in momento cuncta deuorat, ita vires aduersariorum ferro conterunt, terræ prosternunt. Exercitus Caroli grauiter cæsus terga vertit, & Ludouuici victoria fuit. Carolus vidēs suos fugere, & ipse fuga vitam seruauit. serò secum reuoluens, quanti discriminis sit, æquitatis iura diuinarum humanarúmque legum institutionibus roborata, immoderatæ cupiditatis ambitione violare velle. Acta est autem hæc strages VIII. Id. Octobris. Post hæc conuenerunt tres supradicti fratres in loco, qui dicitur *Sualifelt*, & ibi diuiserunt paternum Regnum. Carlomannus sortitus est Baioariam, Pannoniam, & Carnutum, quod
B corruptè Carantanum dicitur, necnon & Regna Sclauorum, Behemensium, & Marahensium. Ludouuicus Orientalem Franciam, Thuringiam, Saxoniam, Fresiam, & partem Regni Lotharij. Porro Carolo Alamannia in parte cessit, & aliquæ ciuitates ex Regno Lotharij.

CAROLVS CALVVS. CARLOMANNVS. CAROLVS. LVDOVICVS.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXVII. Carolus senior Romam secundò profectus est, vbi iampridem Imperatoris nomen Præsule à Sedis Apostolicæ Ioanne ingenti pretio emerat, Regnumque Italiæ magis in transcundo vidit, quàm fruendo potitus est. Euolutis deinde paucis diebus, Papiam ingreditur, in qua cùm disponendis publicarum rerum negotiis animum intenderet, repente nunciatum est ei Carlomannum cum ingenti armatorum multitudine Langobardorum terminos introisse. Mox pauore solutus, Ticinum, Padúmque transiit, & summo annisu in Gallias repedare contendit. Sed priusquàm Alpium præeminentia iuga, angustáque itinera attingeret, ægritudine pulsatur. Quam protinus mors subsecuta finem vitæ imposuit. Est autem fama, quòd à quodam Iudæo, qui vocabatur Sedechias, poculum mortis ei propinatum sit. Qui ei familiariùs adhærebat, eo quòd in medendis corporum passionibus singularem experientiam habere videretur. Porrò sicofanta erat, & magicis præstigiis incantationibúsque mentes hominum deludebat. Obiit verò Non. Octobris. Corpus eius leuatum in feretro, à suis extra Italiam deportatur. Sed quia fœtor intolerabilis ex putredine cadaueris baiulantes grauabat, compulsi sunt illud terræ mandare. Post aliquantos annos
C ossa eius translata sunt, & Parisius in Monasterio Sancti Dionysij honorificè sepulta. Cui successit in Regnum filius eius LVDOVVICVS. 877.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXVIII. eclypsis Lunæ magna facta est, mense Octobris, die XV. Item eodem mense eclypsis Solis accidit, die XXIX. circa horam nonam. Paucis interiectis diebus, LVDOVVICVS Rex filius Caroli, qui BALBVS appellabatur, eò quòd impeditioris & tardioris esset eloquij, ab hac luce subtractus est. Fuit verò iste Princeps, vir simplex ac mitis, pacis, iustitiæ, & religionis amator. Habuit autem, cùm adhuc iuuenilis ætatis flore polleret, quandam puellam nobilem nomine ANSGARD, sibi coniugij fœdere copulatam, ex qua duos liberos suscepit, elegantis formæ, ac ingentis animi virtute præstantes. Horum vnus LVDOVVICVS, alter CARLOMANNVS vocabatur. Sed quia hanc sine genitoris conscientia, & voluntatis consensu, suis amplexibus sociauerat, ab ipso patre ei postmodum est interdicta, & interposito iurisiurandi sacramento, ab eius consortio in perpetuum separata. Tradita est autem eidem ab eodem patre ADHELEIDIS in matrimonium, quam grauidam ex se reliquit idem Rex cùm obiret. Quæ, tempore pariendi expleto, enixa est puerum, cui nomen aui imposuit, eúmque CAROLVM vocitari fecit. 878.

LVDOVICVS BALBVS.

ANNO DCCCLXXIX. LVDOVVICVS, qui Austrasiis imperabat, cognita morte æquiuoci sui Regnum illius inuadere disposuit, & transuadato Mosa Imperij fines 879.

LVDOVICVS. CARLOMANNVS.

occupauit. Cui occurrerunt duo memorati fratres cum valida manu. Sed intercurrentibus vicissim Legationibus, nequaquàm pugna committitur, sed pax roboratur. Adolescentes quippe vt fœderatus ab eis recederet Ludouuicus, portionem Regni Lotharij, quam auus patérque tenuerat, ex integro illi concesserunt, addita insuper Attrabatis Abbatia Sancti Vedasti. Facta itaque pactione, datisque sacramentis, cùm in Regnum idem Rex reuerteretur, repente obuiam habuit Normannorum innumeram multitudinem iuxta Carbonariam, in loco qui vocatur Thimum, cum ingenti præda ad classem repedantem. Cum quibus absque mora conflixit, & Deo propiciante maximam ex eis partem gladio prostrauit. Reliqui fugâ dilapsi, in supradictum fiscum regium se communiunt, vbi HVGO filius Regis ex pellice natus, cùm incautiùs dimicaret, grauiter vulneratus, ab hostibus rapitur, & inter aduersariorum manus animam reddidit. Rex verò existimans quòd adhuc filius viuus ab inimicis seruaretur, exercitum ab impugnationis infestatione iubet cessare, vt quocumque pacto illum incolumem recipere posset. Interea nox superueniens, Regem cum suis redire ad castra compulit. Normanni verò cadauera suorum flammis exurentes, noctu diffugiunt, & ad classem dirigunt gressum. Rex diluculo consurgens, cùm filium extinctum reperisset, nimio dolore afficitur. Corpus eius in loculo compositum, ad Loresham Monasterium imperat deferri, ibique tumulari. A

880. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXX. Carolomannus Rex paralisi dissolutus diem clausit extremum VII. Non. Aprilis, sepultúsque est cum debito honore in Baioaria, in loco qui dicitur Hodingas. Fuit verò iste præcellentissimus Rex literis eruditus, Christianæ Religioni deditus, iustus, pacificus, & omni morum honestate decoratus. Pulchritudo ei corporis insignis, vires in homine quoquè admirabiles fuere, nec inferior animi magnitudine. Plurima quippe bella cum patre, plurima sine patre in Regnis Sclauorum gessit, sempérque victoriæ triumphum reportauit. Alloquio blandus, humilitate ornatus. In ordinandis Regni negociis singulari solertia præditus. Prorsus vt nihil ei deesse in Regiæ Maiestatis competentia videretur. Huic ex legitimo matrimonio non est nata soboles propter infœcunditatem coniugis: sed ex quadam nobili femina filium elegantissimæ speciei suscepit, quem ARNVLPHVM nominari iussit, ob recordationem reuerentissimi Arnulphi Mettensis Ecclesiæ Episcopi, de cuius sancto germine sua, aliorúmque Regum Francorum prosapia pullulauerat. Quod non casu accidisse, sed quodam præsagio portentóque futurorum actitatum videtur. Siquidem ab illo genealogia Regum cœlitus prouisa, per interualla temporum, fecundis incrementorum successibus cœpit exuberare, quousque in MAGNO CAROLO summum Imperij fastigium non solùm Francorum, verumetiam diuersarum Gentium Regnorúmque obtineret. Post cuius decessum, variante fortuna, rerum gloria, quæ supra vota fluxerat, eodem quo accesserat modo, cœpit paulatim diffluere, donec deficientibus non modò Regnis, sed etiam ipsa Regia Stirpe partim immatura ætate pereunte, partim sterilitate coniugum marcescente, hic solus de tam numerosa Regum posteritate idoneus inueniretur, qui Imperij Francorum sceptra susciperet. Quod in subsequentibus suo in loco lucidiùs apparebit. B C

LVDOVVICVS comperto quòd frater obisset, Baioariam ingressus, Reganasburc venit, vbi omnes Optimates Regni ad eum confluentes, eius ditioni se subdiderunt. Concessit autem idem Rex Arnulfo Carantanum, quod ei pater iam pridem concesserat, in quo situm est castrum munitissimum, quod *Mosaburch* nuncupatur, eò quòd palude impenetrabili locus vallatus difficillimum adeuntibus præbeat accessum.

881. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXI. CAROLVS de Alemannia egressus, Langobardorum fines occupauit, ac in paucis diebus totam Italiam in deditionem accepit. Et Romam perueniens, à Præsule Apostolicæ Sedis Ioanne, & Senatu Romanorum fauorabiliter exceptus, cum magna gloria Imperator creatus est.

CAROLVS III. IMP.

PER idem tempus Normannorum classis Vualfluuium ingressa, Niumago Palatio Regio applicuit, ibique castra posuit. Quod factum cùm ad noticiam Ludouuici perlatum esset, absque dilatione cum exercitu venit, & munitionem quo-

A sidione clausit. Conserto nonnullis diebus certamine, non adeò præualuit, quia Palatium ingentis magnitudinis, mirique operis, hostibus tutissimum præbebat receptaculum. In qua congressione captus est ab aduersariis EVERHARDVS Saxo filius Meginardi Comitis, & captiuus ductus. Quem postea mater Euesa magno precio dato incolumem recepit. Postremo Rex, accepta pollicitatione, quòd si ab obsidione cessaret Normanni continuo è Regno eius decederent, cum omnibus copiis recessit. Illo recedente, pagani Palatium vna cum munitione flammis exurentes, nauibus accensis ostia Rheni repetunt. Item eodem anno mense Nouembrio duo Reges Normannorum, Godefridus & Sigefridus, cum inæstimabili multitudine peditum & equitum consederunt in loco, qui dicitur *Haslon* iuxta Mosam. Et primo quidem impetu finitima loca depopulantes, Leodium ciuitatem, Treiectum castrum, Tungrensem vrbem incendio cremant. Secunda incursione Ribuariorum finibus effusi, cædibus, rapinis, ac incendiis omnia deuastant. Coloniam Agrippinam, Brunnam, ciuitates cum adiacentibus castellis, scilicet Tulpiacum, Iuliacum, & Nuisam igne comburunt. Post hæc Aquis Palatium, Indam, Malmundarias, & Stabulaus Monasteria in fauillam redigunt.

CAROLVS III. IMP. LVDOVICVS.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXII. Arduennam percurrentes Prumiam Monasterium ingrediuntur ipso die Epiphaniæ Domini. Vbi triduo commorantes, omnem in circuitu regionem depopulati sunt. In quo loco innumera multitudine peditum ex agris & villis in vnum agmen conglobata, eos quasi pugnatura adgreditur. Sed Normanni cernentes ignobile vulgus, non tantum inerme, quantum disciplina militari nudatum, super eos cum clamore irruunt, tantáque cæde prosternunt, vt bruta animalia, non homines mactari viderentur. His itaque patratis, onerati præda ad castra redeunt. Illis autem discedentibus, ignis, qui in diuersis habitaculis accensus remanserat, cùm nullus esset qui eum extingueret, & Monasterium consumpsit. 882.

B

DVM hæc aguntur, LVDOVVICVS Rex morbo grauatus, apud Franconofurt moritur XIII. Kal. Septembris, sepultúsque est iuxta patrem in Loresham Cœnobio. Habuit autem LIVTCARDEM Reginam in matrimonium copulatam, ex qua filium vnicum suscepit, quem nomine suo LVDOVVICVM appellauit. Sed cùm, vt præmisimus, post obitum fratris, ad obtinendum Regnum eius Baioariam intrasset, & Raganesburch moraretur, idem puerulus de fenestra cecidit, & confractis ceruicibus statim expirauit. Quæ non tantum immatura, quantum inhonesta mors, non solùm Regi & Reginæ, verumetiam omni Domo Regiæ maximum luctum ingessit.

NORMANNI, audita morte Regis, nimio exultant tripudio, & iam non de conflictu, sed de præda cogitant. Igitur cum omnibus viribus à munitione exiliunt, & Treuirorum nobilissimam ciuitatem Galliarum Non. Aprilis die sacratissimæ Cœnæ Domini occupant. In qua vsque sanctum diem Paschæ fessa ab itinere corpora recreantes, omne territorium vrbis circumquaque vsque ad solum demoliti sunt. Deinde ciuitatem flammis exurentes, Mediomatrico dirigunt aciem. Quod cùm comperisset eiusdem vrbis Antistes VValo, adiuncto sibi Bertulfo Episcopo, & ADELHARDO Comite, vltro illis obuiam ad pugnam procedit. Inito certamine, Normanni victores extiterunt. Isdem VValo Episcopus in prœlio cecidit. ceteri verò fugerunt. Pagani iter quod ceperant deserentes, cum ingenti præda summa celeritate ad classes reuertuntur.

C

EA tempestate CAROLVS Imperator in Italia morabatur. Vbi diuersis Legationibus Germaniæ ac Galliæ pulsatur, vt ad suscipienda Regna sibi hereditario iure competentia festinaret, & periclitanti Imperio succurreret, quod capite amisso ludibrio hostibus erat. Qui nihil tardatus, cum omnibus copiis in Franciam venit, & cum Langobardis, Baioariis, Alamannis, Thuringis, Saxonibus, Fresonibus, & cum omnibus Regnis suæ ditioni subditis, Normannos in supradicto loco obsidere exorsus est. Sed conatus eius parum effectum obtinuit, quanquàm, vt diximus, ex diuersis Regnis & Gentibus inæstimabilis multitudo in vnum confluxisset, indignatione cœlesti super populum Christianam Religionem profanantem desæuiente. Nouissimè GODEFRIDVS Rex Normannorum ea conditione Christianum se fieri pollicetur, si ei munere Regis Fresia prouincia concederetur, & GISLA filia Lotharij in vxorem daretur. Quæ vt optauit adeptus, ba-

CAROLVS III. IMP. LVDOVICVS III. CARLOMANNVS. ptisatus est, & ex sacro fonte ab Imperatore susceptus. Sigifrido autem & reliquis Normannis immensum pondus auri atque argenti expositum est. Et tali tenore fines Regni excedunt. A

883. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXIII. LVDOVVICVS Rex filius Ludouuici Balbi moritur apud sanctum Dionysium, ibique honorabiliter tumulatur. Quem omnes Galliarum populi nimio planctu lamentati sunt. Fuit enim virtutis maximæ, Regnúmque sibi subditum à paganorum infestatione potenter viriliterque defendit. Inter cetera quæ strenuè gessit, illud præcipuè prœlium commendatur, quod aduersus Normannos in loco qui vocatur *Sodaltcurt* summis viribus exercuit. In quo certamine, vt ferunt, plusquàm octo millia aduersariorum gladio prostrauit. CARLOMANNVS frater Regnum illius obtinuit. Eodem tempore Bertulfus Treuirorum Episcopus migrauit ad Dominum Id. Febr. Cui successit in Pontificali cathedra per electionem Cleri & totius plebis Ratbodus reuerentissimus Antistes VI. Idus Aprilis. His etiam diebus Rotbertus Præsul ab eodem Episcopo Ratbodo in Mettensi Ecclesia consecratur X. Kal. Maij.

CIRCA hæc tempora Hugo filius Lotharij in spem recuperandi paterni Regni ab aliquibus discordiarum ac litium sectatoribus introducitur, omnésque qui iusticiam & pacem execrabantur ad eum confluxerunt. Ita vt paucis diebus innumera multitudo prædonum eius dominationi se submiserit. Inter quos etiam nonnulli ex Primoribus Regni vana spe seducti, manibus datis accedunt: videlicet Stephanus, Rotbertus, VVicbertus, Tiebaldus, Comites: Albricus, & frater eius Stephanus. Tantáque rapina & violentia ab his in Regno fit, vt inter horum & Normannorum maliciam nil differret, præter quod à cædibus & incendiis abstinerent. Sic omnipotens Deus iratus Regno Lotharij aduersabatur, & talibus incrementorum cladibus vires eiusdem Regni radicitus exterminabat. vt prophetia sanctissimi Nicolai Papæ, simul & maledictum, quod super idem Regnum protulerat, adimpleretur. B

HOC etiam tempore idem Hugo VVicbertum Comitem, qui ab ineunte ætate sibi fauerat, interfecit. Paucis dehinc interpositis diebus, Bernarium nobilem virum, sibíque fidelissimum dolo trucidari iussit, pulchritudine illius captus vxoris, quam absque momento sibi in matrimonium iungit. Vocabatur autem mulier Friderada. Quæ antequàm Bernario sociaretur, copulata fuerat Engilranno potenti viro, ex quo filiam peperit, quam postmodum Ricuinus Comes in coniugium accepit, quam etiam propter stuprum commissum idem Comes decollari iussit.

884. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXIV. Normanni, qui ab Hasslon recesserant, Somnam fluuium intrant, ibique consederunt. Quorum creberrimas incursiones cùm CARLOMANNVS sustinere non posset, pecuniam pollicetur, si à Regno eius recederent. Mox auidæ Gentis animi ad obtinendam pecuniam exardescunt, & XII. millia pondera argenti puri atque probati exigunt, totidémque annis pacem promittunt. Accepta tam ingenti pecunia, funes à littore soluunt, naues conscendunt, & marina littora repetunt. Interea Carlomannus venatum perrexit, vbi & ab apro grauiter vulneratus, post modicum vitam cum Regno amisit, sepultúsque est apud sanctum Dionysium. Aiunt autem quidam, quòd à quodam suo satellite improuidè arma ferenti vulneratus fuerit. Et quia non sponte, sed inuitus hoc facinus commiserat, idcirco à Rege celatum est, ne innoxius morti traderetur. C

NORMANNI cognita morte Regis, protinus in Regnum reuertuntur. Itaque Hugo Abba, & ceteri Proceres, Legatos ad eos dirigunt, promissionem & fidem datam violatam esse proclamant. Ad hæc illi respondent, se cum Carlomanno Rege, non cum alio aliquo fœdus pepigisse. Quisquis ille esset, qui in Regnum eius succederet, eiusdem numeri & quantitatis pecuniam daret, si quietè ac pacificè Imperium tenere vellet. Territi huiuscemodi mandatis Optimates Regni, ad CAROLVM Imperatorem Missos dirigunt, eúmque vltro in Regnum inuitant. Eíque aduenienti ad Gundulphi-villam obuiam procedunt, & manibus sacramentísque iuxta morem datis, eius ditioni se subiciunt.

EODEM anno Normanni, qui in Chinheim ex Denimarca venerant, adsen-

A tiente Godefrido, Yhen nauigio ascendunt, & Diusburch oppido occupato, munitionem in eodem loco more solito construunt, & in eo tota hyeme resident. Contra quos Heinricus Dux castra posuit, & nullatenus prædas agere permisit. Redeunte verò vernali temperie, castris exustis, maritimis locis se recipiunt.

His etiam diebus Nortmanni à Somna exeunt, & rursus in Regnum Lotharij reuertentes, in loco qui dicitur Louon, castrametati sunt in confinio eiusdem Regni, & continuis incursionum infestationibus vtraque Regna fatigant. Ad quorum maliciam compescendam, Imperator semel & iterum exercitum misit. sed nihil dignum memoriæ aduersus tantam violentorum rapacitatem actum est.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXV. Hugo rebellare dispo- 885.
nens contra Imperatorem, Legatos ad Godefridum in Fresiam occultè dirigit, eo quòd illi esset affinitate coniunctus, propter sororem quam in coniugium acceperat. Hortatúrque, vt in patriam mitteret, & auxiliorum validam manum vndique contraheret, & cum omnibus viribus sibi opem ferret, quatenus Regnum paternum vendicare armis potuisset. Et si id eius industriâ virtutísque suffragio prosperitatis effectum obtineret, medietatem ipsius Regni pro munere pollicetur. His suasionum promissionibus Godefridus veluti veneno infectus, occasionis fomitem inquirit, qualiter ac si iusta ratione à fidelitate Imperatoris se subducere præualeret. Statimque Gerulfum, & Gardulfum Comites Fresonum, Legatos
B ad Cæsarem dirigit, mandátque si vellet vt in ea, quam pollicitus fuerat, fidelitate perseueraret, finésque Regni sibi commissos ab incursione propriæ Gentis defensaret. Confluentem, Andrenacum, Sincicha, & nonnullos alios fiscos obsequiis Imperialibus deditos sibi largiretur, propter vini affluentiam, quæ in his locis exuberabat: eo quòd terra, quam ex munificentia Principis possidendam perceperat, minimè vini ferax esset. Agebat autem hoc ea animi intentione, vt si petita sibi largirentur, suos in visceribus Regni immiscere posset, & varios euentus speculari. Si autem ei denegarentur, nihilominus offensus in sibi prohibitis, quasi iustitia dictante, rationabiliùs desæuire posset, rebellionísque causas suscipere. Quorum callida machinamenta & factionum conspirationes cùm persensisset Imperator, cum Heinrico viro prudentissimo altiori consilio pertractat, quo ingenio hostem, quem in Regni extremitatibus introduxerat, extinguere posset. Et sciens esse loca inaccessibilia exercitui, propter diuersarum aquarum innumeros decursus, & impenetrabiles paludes, magis id arte quàm ex virtute experiri statuit. Legatos igitur responsis absoluit, & ad Godefridum redire permisit: asserens per suos Missos de omnibus Legationum suarum causis ea responsa redditurum, quæ sibi & eidem Godefrido essent conuenientia. tantùm vt in cœpta fidelitate perseueraret. Post hæc Heinricum ad eundem virum mittit, & vt fraus quæ struebatur occultaretur, cum eo VVillibertum venerabilem Episcopum Coloniæ Agrippinæ. Qui suis satellitibus secretò imperat, vt per Saxoniam properantes,
C non agmine facto, sed sparsim sibi occurrerent loco & die quo eis condixit. ipse cum perpaucis Coloniam venit. Et assumpto secum præfato Episcopo, mox in Batuam proficiscitur. Godefridus audito eorum aduentu, illis obuiam procedit ad locum qui dicitur *Herispich*, in quo Rheni fluenta & VVal vno se alueo resoluunt, & ab inuicem longiùs recedentes Batuam prouinciam suo gurgite cingunt. Hanc insulam ingredientes Episcopus & Comes, multa à Godefrido audiunt, multa ex parte Imperatoris respondent. Dies ad occasum vergitur. Soluto colloquio insulâ excedunt, hospitia repetunt, in crastinum reuersuri. Heinricus Episcopum hortatur, vt die subsequenti Gislam vxorem Godefridi extra insulam euocaret, eámque ad pacis studium prouocare satageret. Interim ipse cum Godefrido causam EVERHARDI Comitis agitaret, cuius rerum possessio ab eo violenter diripiebatur. Deinde persuadet eidem Euerhardo, vt de iniustitia, quam patiebatur, in medio adsurgens se proclamaret. Et cùm à ferocis & barbaræ Gentis homine durius & contumeliosius verbum sibi esset prolatum, absque mora euaginato gladio eum summo annisu in capite percutit, antequam à terra eleuari posset. Quid plura? Ab Euerhardo primò percussus, & à satellibus Heinrici confossus Godefridus moritur. Omnésque Nortmanni, qui in Batua reperti sunt, trucidantur. Non multis pòst interpositis diebus, Hugo eiusdem Heinrici consilio ad Gundulfi-villam promissionibus attractus, dolo capitur, & iussu Im-

CAROLVS III. IMP.

peratoris ab eodem Heinrico ei oculi eruuntur, omnésque fauentes dehonestantur. Post hæc in Alamannia in Monasterio sancti Galli mittitur. indè postea in patriam reuocatur. Nouissimè temporibus Zunentibolchi Regis in Prumia Monasterio manu mea adtonsus est. * Eram enim tunc temporis in eodem loco Dominici ouilis, quamuis non idoneus, tamen custos. Vbi non post multos annos moritur & sepelitur. A

* Hinc patet istorum Annalium Collectorem plurima ex Rhegione ad verbum trãscripsisse: non autem Rheginonem ex istis Annalibus sua desumpsisse.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXVI. Nortmanni à Somna fluuio exeunt, & rursus in Regno Lotharij reuertentes, in loco qui dicitur Louon castra sedésque statuunt, scilicet in confinio vtriusque Regni, & continuis incursionum infestationibus vtraque Regna fatigant. Ad quorum ingenitam malitiam compescendam, Imperator semel & iterum exercitum misit. Sed nihil dignum aduersus tantam violentorum rapacitatem actum est.

887. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXVII. Nortmanni à Louon recedentes, Sequanam ingrediuntur, & Parisius applicantes castra ponunt, & ciuitatem obsidione claudunt. Contra quos Imperator Heinricum Ducem cum exercitu vernali tempore dirigit. sed minimè præualuit. Erant enim, vt ferunt, XXX. & eo amplius aduersariorum millia, omnes penè robusti bellatores. Denuò æstiuo tempore antequam segetes in manipulos redigerentur, idem Heinricus cum exercitibus vtriusque Regni Parisius venit. Et circumstantibus legionibus, ipse cum perpaucis propiùs accedens, munitionem circuit, situm loci contemplatur, aditúmque perquirit, quo exercitui cum hostibus minus periculosus pateret congressus. B Porrò Nortmanni audientes appropinquare exercitum, foderant foueas latitudinis vnius pedis, & profunditatis trium, in circuitu castrorum, eásque quisquiliis & stipula operuerant. semitas tantùm discursui necessarias intactas reseruantes. Pauci igitur latrunculi, qui latitabant in concauis viarum itineribus, videntes Heinricum appropinquare, citò surgunt à locis, quibus delituerant, prouocántque virum telis, & voce lacessunt. Ille animi magnitudine indignitatem rei non ferens, super eos irruit, & mox in cœcis foueis equus cui insidebat impegit, & cum ipso in terram corruit. Hostes verò summa cum festinatione aduolantes, antequam à loco eleuaretur, eum terræ confodiunt, & aspiciente vniuerso exercitu absque mora trucidant. arma auferunt, & spolia ex parte diripiunt. Agminibus autem impetum facientibus, vix cadauer exanime eruitur, & à suis vsque Suessionis deportatum in Basilica sancti Medardi sepelitur. Exercitus verò amisso Duce ad propria reuertitur.

EODEM tempore Hugo Abba magnæ potestatis vir, & magnæ prudentiæ, Aurelianis moritur, & apud sanctum Germanum Autissiodoro tumulatur. Ducatus autem, quem tenuerat, & strenuè rexerat, ODONI filio Rotberti ab Imperatore traditur, qui ea tempestate Parisiorum Comes erat, & cum Gozlino eiusdem vrbis Episcopo contra Nortmannorum assiduam impugnationem ciuitatem totis viribus tuebatur. His etiam diebus prædictus Gozlinus Episcopus inter ipsas obsidionum pressuras migrauit à seculo. C In cuius loco substitutus est ab Imperatore Aschiricus Episcopus. Post hæc Imperator Galliarum populos perlustrans, Parisius cum immenso exercitu venit, ibíque aduersus hostes castra posuit. Sed nihil dignum Imperatoria Maiestate in eodem loco gessit. Ad extremum concessis terris & regionibus, quæ vltra Sequanam erant, Nortmannis ad deprædandum, eò quòd incolæ illarum sibi obtemperare nollent, recessit, & recto itinere in Alamanniam perrexit. Et primò quidem Luduuardum Episcopum Vercellensem, virum sibi percharum, & in administrandis publicis vtilitatibus vnicum Consiliarium, obiecto adulterij crimine, eò quòd Reginæ secretis familiariùs quàm oportebat immisceretur, à suo latere cum dedecore repulit. Deinde paucis interpositis diebus coniugem RICGARDEM (sic enim Augusta vocabatur) pro eadem re in concionem vocat. Et (mirum dictu) publicè protestatur, numquam se carnali coitu cum ea miscuisse, cùm plusquam decennio legitimi matrimonij fœdere eius consortio esset sociata. Illa econtra non solùm ab eius, sed etiam ab omni virili commixtione se immunem esse profitetur, & de virginitatis integritate gloriatur. Idque se approbare Dei omnipotentis iudicio, si marito placeret, aut singulari certamine, aut ignitorum vomerum examine fiducialiter adfirmat. Erat enim religiosa femina. Facto autem dissidio, in Monasterio, quod in proprietate sua

A construxerat, Deo famulatura recessit.

His ita gestis, Imperator corpore & animo cœpit ægrotare. Mense itaque Nouembri circa transitum sancti Martini Triburias venit, ibique Conuentum generalem conuocat. Cernentes verò Optimates Regni, non modò vires corporis, verumetiam animi sensus ab eo diffugere, ARNVLFVM filium Carlomanni vltrò in Regnum attrahunt. Et subitò facta conspiratione ab Imperatore deficientes, ad prædictum virum certatim transeunt: ita vt in triduo vix aliquis remaneret, qui ei saltem officia humanitatis impenderet. Cibus tantùm & potus ex Liutberti Episcopi sumptibus administrabatur. Erat res spectaculo digna, & æstimatione sortis humanæ, rerum varietate miranda. Nam sicut ante secunda fortuna, rebus vltra quàm arbitrari posset affluentibus, tot tantáque Imperij Regna sine laborum sudoribus, sine bellorum certaminibus attraxerat, ita vt post Magnum Carolum maiestate, potestate, diuitiis, nulli Regum Francorum videretur esse postponendus: ita nunc aduersa velut in ostentatione fragilitatis humanæ destruens, quæ fortuna cumulauerat cuncta inhonestè in momento abstulit, quæ prospero arridens successu quondam gloriosè adtulerat. Mittit ergo ad Arnulfum ex Imperatore effectus egenus, & desperatis rebus non de Imperij dignitate, sed de victu cottidiano cogitans, tantùm alimentorum copiam ad subsidium vitæ præsentis supplex exposcit. Dirigit etiam BERNARDVM filium, quem ex pellice B susceperat, cum exeniis, cúmque eius fidei commendat. Miseranda rerum facies, videre Imperatorem opulentissimum, non solùm fortunæ ornamentis destitutum, verumetiam humanæ opis egentem. Concessit autem Arnulfus Rex nonnullos fiscos in Alamannia, vnde ei alimonia præberetur. Ipse verò compositis in Francia feliciter rebus, in Baioariam reuertitur.

(Marginal note: CAROLVS III. IMP. ARNVLFVS.)

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXVIII. Carolus Imperator tertius huius nominis & dignitatis, obiit pridie Idus Ian. sepultúsque est in Augea Monasterio. Fuit verò hic Christianissimus Princeps Deum timens, & mandata eius ex toto corde custodiens, Ecclesiasticis sanctionibus deuotissimè parens, in eleemosynis largus, orationi & Psalmorum melodiis indesinenter deditus, laudibus Dei ineffabiliter intentus, omnem spem & consilium suum diuinæ dispensationi committens. Vnde & ei omnia felici successu concurrebant in bonum: ita vt omnia Regna Francorum, quæ prædecessores sui non sine sanguinis effusione cum magno labore acquisierant, ipse perfacilè in breui temporum spatio sine conflictu, nullo contradicente, possidenda perceperit. Quòd autem circa finem vitæ dignitatibus nudatus, bonísque omnibus spoliatus est, tentatio fuit, vt credimus, non solùm ad purgationem, sed quod maius est, ad probationem. Siquidem hanc, vt ferunt, patientissimè tolerauit. in aduersis sicuti in prosperis gratiarum vota persoluens. Et ideò coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, aut iam accepit, aut absque dubio accepturus est. Post cuius mortem Regna, quæ C eius ditioni paruerant, veluti legitimo destituta herede, in partes à sua compage resoluuntur. Et iam non naturalem Dominum præstolantur, sed vnumquodque de suis visceribus Regem sibi creari disponit. Quæ causa magnos bellorum motus excitauit. Non quia Principes Francorum deessent, qui nobilitate, fortitudine, & sapientia Regnis imperare possent: sed quia inter ipsos æqualitas generositatis, dignitatis, ac potentiæ, discordiam augebat. nemine tantùm ceteros præcellente, vt eius dominio reliqui se submittere dignarentur. Multos enim idoneos Principes ad Regni gubernacula moderanda Francia genuisset, nisi fortuna eos æmulatione virtutis in perniciem mutuam armasset. 888.

IGITVR quædam pars Italici populi BERENGARIVM filium Euerhardi, qui Ducatum Foroiulianorum tenebat, Regem sibi statuunt. Quidam VVIDONEM filium Lamberti Ducem Spoletanorum æque regia dignitate sublimandum decernunt. Ex qua dissensionum controuersia tanta strages ex vtraque parte postmodum facta est, tantúsque humanus sanguis effusus, vt iuxta Dominicam vocem, Regnum in seipso diuisum desolationis miseriam penè incurrerit. Ad extremum VVido victor existens Berengarium Regno expulit. Pulsus itaque Arnulfum Regem adiit, eiúsque patrocinia contra hostem exposcit. Quid verò Arnulfus fecerit, qualiter Italiæ Regnum bis cum exercitu penetrauerit, suo in loco commemorabitur.

ARNVLFVS. ODO. INTEREA Galliarum populi in vnum congregati, cum consensu Arnulfi ODONEM Ducem filium Rotberti, de quo paulò superiùs mentionem fecimus, virum strenuum, cui præ ceteris formæ pulchritudo, & proceritas corporis, & virium sapientiæque magnitudo inerat, Regem super se pari consilio & voluntate creant. Qui rempublicam viriliter rexit, & contra assiduas deprædationes Nortmannorum indefessus propugnator extitit. A

PER idem tempus RODVLFVS filius Chuonradi, nepos Hugonis Abbatis, de quo suprà meminimus, prouinciam inter Iurum & Alpes Penninas occupat, & apud sanctum Mauricium, accitis secum quibusdam Primoribus, & nonnullis Sacerdotibus, coronam sibi imposuit, Regémque se appellari iussit. Post hæc mittit Legatos per vniuersum Regnum Lotharij, & suasionibus pollicitationibúsque Episcoporum ac nobilium virorum mentes in sui fauorem demulcet. Quod cùm nuntiatum esset Arnulfo, illicò cum exercitu super eum irruit. Ille verò per arctissima itinera fugâ dilapsus, in tutissimis rupium locis salutis præsidium quæsiuit. Omnibus itaque diebus vitæ suæ Arnulfus & Zuentibolcus filius eius eundem Rodulfum persecuti sunt, nec tamen eum lædere potuerunt: quia, vt suprà expressum est, loca inaccessibilia, quæ in multis solis hibicibus peruia sunt, insequentium confertas acies procul ab ingressu repellebant.

EODEM anno Nortmanni, qui Parisiorum vrbem obsidebant, miram & inauditam rem non solùm nostra, sed etiam superiore ætate fecerunt. Nam cùm ciuitatem inexpugnabilem esse persensissent, omni virtute, omníque ingenio laborare cœperunt, quatinus vrbe post tergum relicta, classem cum omnibus copiis per Sequanam sursum possent euehere. & sic Hionnam fluuium ingredientes, Burgundiæ fines absque obstaculo penetrarent. Ciuibus autem omni instantia prohibentibus ascensum fluminis, naues per siccum plusquam duorum passuum millibus trahunt, & taliter declinato omni periculo iterum eas Sequanæ fluentis immergunt. Et post paululum Sequanam relinquentes, Hionnam vt disposuerant, & sub omni celeritate nauigantes, Senonis applicuerunt. Ibique castris positis, per continuos sex menses eandem vrbem obsidione claudunt, totámque penè Burgundiam rapinis, cædibus, ac incendiis demoliuntur. Sed ciuibus fortiter repugnantibus, Deo protegente, nequaquam præfatam ciuitatem capere potuerunt. Quamquam omni laborum sudore, omniúmque artium & machinamentorum ingenio id multipliciter pertentassent. B

889. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXIX. gens Hungarorum ferocissima & omni bellua crudelior, retro ante seculis ideò inaudita, quia nec nominata, à Scithicis Regnis, & à paludibus, quas Thanais sua refusione in immensum porrigit, egressa est. Sed priusquam ipsius Gentis acta crudelia persequamur stylo, non superfluum videatur, si de Scithiæ situ, Scitharúmque moribus, Historiographorum dicta sequentes, aliquid commemoremus. Scithia (vt aiunt) in Oriente extensa, includitur ab vno latere Ponto, ab altero Montibus Ripheis, à tergo Asia, & Ithasi flumine. Patet autem multum in longitudinem & latitudinem. Omnibus hanc inhabitantibus inter se nulli fines. Perraro enim agrum exercent. Nec domus illis vlla, aut tectum vel sedes est, armenta & pecora semper pascentibus, & per multas solitudines errare solitis. Vxores liberósque secum in plaustris vehunt. carris imbrium hyemísque causa tectis pro domibus vtuntur. Nullum scelus apud eos furto grauius. Quippe sine tecti munimento pecora & armenta, alimentáque habentibus, quid præter siluas superesset, si furari liceret? Aurum & argentum non perinde vt reliqui mortales appetunt. Venationum & piscationum exercitiis inseruiunt. Lacte & melle vescuntur. Lanæ his vsus ac vestium ignotus. Et quamquam continuis frigoribus afficiantur, pellibus tantùm ferinis ac murinis induuntur. Imperium Asiæ ter quæsiuere, ipsi verò perpetuò ab alieno Imperio aut intacti aut inuicti mansere, nec virorũ magis quàm feminarum virtutibus claruere. Quippe cùm ipsi Parthos Bactrianósque, feminæ autem eorum Amasonum Regna condiderint. Prorsus vt res gestas virorum mulierúmque considerantibus incertum sit, vter apud eos sexus inlustrior fuerit. Darium Regem Persarum turpi à Scithia summouerunt fuga. Cyrum cum omni exercitu trucidauerunt. Alexandri Magni Ducem Sopirionam pari ratione cum vniuersis copiis deleuerunt. Romanorum audiere, non sensere arma. Laboribus & bellis asperi, C

vires

A vires corporis immensæ. Abundant verò tanta multitudine populorum, vt eos genitale solùm non sufficiat alere. Septentrionalis quippe plaga, quantò magis ab æstu solis remota est, & niuali frigore gelida, tantò salubrior corporibus hominum, & propagandis gentibus coaptata. Sicut econtra omnis meridiana regio, quò solis est feruori vicinior, eò semper morbis abundat, & educandis minus est apta mortalibus. Vnde fit vt tantæ populorum multitudines Arctoo sub axe oriantur, vt non immeritò vniuersa illa regio à Tanai fluuio vsque ad Occiduum, licèt & propriis loca in ea singula nuncupentur nominibus, generali tamen vocabulo Germaniæ sæpè nominetur. Ab hac ergo populosa Germania sæpè innumerabiles captiuorum turmæ abductæ, meridianis populis precio distrahuntur. Multæ quoque ex ea, pro eo quòd tantos mortalium germinat, quantos alere vix sufficit, frequenter Gentes egressæ sunt, quæ nihilominus & partes Asiæ, sed maximè sibi contiguam Europam afflixerunt. Testantur hoc vbique vrbes erutæ per totam Illiricum Galliámque: sed maximè miseræ Italiæ, quæ penè illarum omnium est Gentium experta sæuitiam.

Ex supradictis igitur locis gens memorata à finitimis sibi populis, qui Pecinaci vocantur, à propriis sedibus expulsa est, eo quòd numero & virtute præstarent, & genitale, vt præmisimus, rus exuberante multitudine non sufficeret ad habitandum. Horum itaque violentia effugati, ad exquirendas quas possent incolere terras sedésque statuere, valedicentes patriæ, iter arripiunt. Et primo B quidem Pannoniorum & Auarum solitudines pererrantes, venatu ac piscatione victum cottidianum quæritant. Deinde Carantanorum, Marahensium, ac Bulgarum fines crebris impulsionum infestationibus inrumpunt. perpaucos gladio, multa millia sagittis interimunt. Quas tanta arte ex corneis arcubus dirigunt, vt earum ictus vix præcaueri possit. Cominus enim in acie prœliari, aut obsessas expugnare vrbes nesciunt. Pugnant autem procurrentibus equis, aut terga dantibus. Sæpè etiam fugam simulant, nec pugnare diu possunt. Ceterùm intolerandi forent, si quantus est impetus, vis tanta & perseuerantia esset. Plerumque in ipso ardore certaminis prœlia deserunt, ac paulo post pugnam ex fuga repetunt. vt cùm maximè vicisse te putes, tunc tibi discrimen subeundum sit. Quorum pugna, quò ceteris Gentibus inusitatior, eò & periculosior. Inter horum & Brittonum conflictum, hoc vnum interest, quòd illi missilibus, isti sagittis vtuntur. Viuunt non hominum, sed belluarum more. Carnibus siquidem, vt fama est, crudis vescuntur, sanguinem bibunt. Corda hominum quos capiunt particulatim diuidentes, veluti pro remedio deuorant. Nulla miseratione flectuntur, nullis pietatis visceribus commouentur. Capillos vsque ad verticem ferro cædunt. Super illos ire, consistere, metari, ac colloqui solent. Liberos ac seruos suos equitare, ac sagittare magna industriâ docent. Ingenia illis tumida, seditio- C sa, fraudulenta, præcocia. Quippe eandem ferocitatem feminis, quàm viris adsignant. Semper in externos, aut in domesticos motus inquieti, naturâ taciti, ad faciendum quàm ad dicendum promptiores. Huius igitur nefandissimæ Gentis crudelitate non solùm memoratæ regiones, verumetiam Italiæ Regnum ex permaxima parte deuastatum est.

Eodem anno Nortmanni à Senonica vrbe recedentes, denuò Parisius cum omnibus copiis deuenerunt. Et cùm illis descensus fluminis à ciuibus omninò inhiberetur, rursus castra ponunt, ciuitatem totis viribus impugnant. Sed Deo opem ferente nihil præualent. Transactis paucis diebus, iterum Sequanam cum classe ascendunt, & Matronam fluuium ingredientes, Trecas ciuitatem incendio cremant, & vsque Virdunensem ac Tullensem vrbes cuncta circumquaque depopulantur.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXC. Arnvlfvs Rex concessit Zuentibolh Marahensium Sclauorum Regi Ducatum Behemensium, qui hactenus Principem suæ cognationis ac Gentis super se habuerant, Francorúmque Regibus fidelitatem promissam inuiolato fœdere conseruauerant. Eò quòd illi, antequam in Regni fastigio sublimaretur, familiaritatis gratiâ fuerit connexus. Denique filium eius, quem ex pellice susceperat, à sacro fonte leuauit, eúmque ex nomine suo Zventibolh appellari fecit. Quæ res non modicum discordiarum & defectionis præbuit incitamentum. Nam & Behemi à fidelitate diutiùs 890.

ARNVLFVS. ODO.

custodita recesserunt. Et Zuentibolh ex adiectione alterius Regni vires non paruas sibi accessisse sentiens, fastu superbiæ inflatus, contra Arnulfum rebellauit. Quod cùm cognouisset Arnulfus, cum exercitu Regnum Marahensium ingressus, cuncta quæ extra vrbes reperit solo tenus demolitus est. Ad vltimum, cùm & ceteræ fructiferæ arbores radicitus exciderentur, Zuentibolh pacem poposcit, & dato filio obside hanc serò promeruit. A

PER idem tempus Nortmanni à Matrona fluuio exeuntes Parisius reuertuntur. Et quia omnimodis descensus fluminis per pontem prohibebatur, tertiò castra locant, & iterato certamine prædictam vrbem impugnant. Sed ciuibus, qui continuis operum ac vigiliarum laboribus indurauerant, & assiduis bellorum conflictibus exercitati erant, audaciter reluctantibus, Nortmanni desperatis rebus naues per terram cum magno sudore trahunt, & sic alueum repetentes Brittanniæ finibus classem traiciunt. Quoddam castellum in Constantiensi territorio, quod ad Sanctum Loth dicebatur, obsident, & accessum ad fontem aquæ ex toto prohibentes oppidanis siti arescentibus, fit deditio, eo pacto: vt vita tantùm concessa, cetera tollerent. Illis à munitione progressis, Gens perfida fidem & promissa data prophanat, omnésque absque respectu iugulat. Inter quos Episcopum Constantiensis Ecclesiæ interimunt.

ERAT autem tunc temporis inter Alanum, & Iudicheil Duces Brittonum non parua de partitione Regni dissensionum controuersia. In hoc ergo schismate & diuisione non tantum terrarum, quantum mentium, pagani Brittones reperientes, super eos fiducialiter irruunt. Illi dum priuatum singulorum, non commune vniuersorum, bellum ducunt, & auxilium ferre alter alteri recusat, quasi victoria vnius non omnium foret, grauiter ab hoste læduntur. Cæduntur passim, & vsque Blauittam fluuium omnis eorum possessio diripitur. Tunc primùm intelligentes quantam sibi perniciem, quantas aduersariis vires, discordia administraret, per internuncios se inuicem confirmant, tempus & locum eundi condicunt, bellúmque communibus viribus construunt. Itaque Iudicheil, qui erat adolescentior, cupiens gloriam nominis sui exaltare, non expectato Alano cum sociis prœlium conserit, multa millia hostium cædit, reliquos in quendam vicum fugere compulit. Quos cùm vltra quàm oporteret inprouidè persequeretur, ab ipsis extinguitur. Ignarus quia vincere bonum est, superuincere non est. Periculosa est enim desperatio. Post hæc Alanus coadunata omni Brittannia tale votum vouit, vt si aduersarios per diuinam virtutem posset superare, decimam partem omnium bonorum suorum Deo & sancto Petro Romam destinaret. Omnibus autem Brittonibus idem votum spondentibus, ad pugnam procedit: & commisso prœlio tanta strage hostes effudit, vt vix quadringenti viri ex quindecim millibus ad classem repedarent. B

891. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXCI. Nortmanni duobus continuis prœliis in Brittannia grauiter attriti, in Regnum Lotharij classem transferunt, & castris metatis prædas exercent. Contra quos ARNVLFVS Rex exercitum dirigit, iubétque super Mosam tentoria figere, transitúmque fluminis hostibus prohibere. Sed antequam exercitus in vnum colligeretur, ad condictum locum iuxta Treiectensem Nortmanni superiora tenentes circa Leodium Mosam transierunt. Et hostilem expeditionem à tergo relinquentes, in siluis & paludibus Aquis Palatio contiguis disperguntur. Obuios quosque perimunt, plaustra, & vehicula, in quibus alimenta exercitui deferebantur, capiunt. Quæ fama cùm ad exercitum peruenisset, qui iam ipso die Natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ penè in vnum conuenerat, non tam tremor quàm stupor mentes omnium occupauit. Principes verò concione conuocata non tam de periculo, quàm de re dubia consulunt. Incerti vtrum Ribuariorum fines intrantes, Coloniam tenderent, vt per Prumiam transeuntes Treueris dirigerent gressum; vel certè congregata aduersum se multitudine pertimescentes, transuadata Mosa, ad classem festinarent. Inter hæc nox superueniens Conuentum soluit. Postera die cùm aurora radios suæ lucis repræsentaret, omnes armantur, & leuatis vexillis per descensum fluminis ad pugnam gradiuntur. Cúmque torrentem, qui Gulia dicitur, transissent, acies pariter substiterunt. Dehinc deliberant, ne omnis exercitus incassum fatigaretur, quòd vnusquisque Procerum duodecim ex suis mitteret, qui in vnum C

A agmen redacti hostes inuestigarent. Hæc sermocinantibus subitò apparuerunt spiculatores Nortmannorum. Quos cùm omnis multitudo inconsultis Ducibus confuso ordine insequeretur, peditum turmas in quadam villula offendit, qui in vnum conglobati facile sparsim superuenientes repellunt, atque retrorsum redire cogunt. Deinde perstrepentibus secundum morem pharetris, clamor in cœlum tollitur, pugna committitur. Equites Nortmannorum, audito clamore, summa cum festinatione aduolant, & ingrauato prœlio Christianorum exercitus, peccatis facientibus, heu proh dolor! terga vertit. In quo prœlio Episcopus Mogonciacæ vrbis Sunzo, & Arnulfus Comes occubuerunt, necnon & innumera multitudo nobilium virorum. Nortmanni patrata victoria, castra diuitiis omnibus referta inuadunt, & trucidatis quos in bello ceperant, onerati præda ad classem reuertuntur. Fuit verò hæc cædes facta VI. Kalend. Iulij. ARNVLFVS. ODO.

DVM hæc aguntur, ARNVLFVS Rex in Baioariorum extremitatibus morabatur, insolentiam Sclauorum reprimens. Cui cùm nunciata esset suorum strages, hostiúmque victoria, primò pro amissis fidelibus nimiùm tristatur, & querelam cum gemitu deponit, quòd Franci eatenus inuicti aduersariis terga darent. Deinde indignitatem rei animoso in pectore versans, in hostem accenditur. Et congregato ex Orientalibus Regnis exercitu, mox Rheno transmisso, circa littora Mosæ castra statuit. B Interiectis diebus Nortmanni ex superiori pugna elati, cum omni virtute ad deprædandum proficiscuntur. Contra quos Rex cum expeditis ad pugnam procedit. Illi cernentes acies appropinquare, super fluuium qui Thilia dicitur, ligno & terræ congerie more solito se communiunt, & cachinnis & exprobrationibus agmina lacessunt. Ingeminantes cum insultatione & derisu, vt memorarentur Guliæ, turpísque fugæ, cædísque patratæ, post modicum similia passuri. Rex autem felle commotus, exercitum iubet descendere, & pedestri congressione cum aduersariis decertari. Qui dicto citiùs ab equis desilientes, clamore exhortationis dato, præsidium inimicorum irrumpunt, & Deo vires cœlitus administrante eos vsque ad internecionem ferro cædunt, terræque prosternunt. Ita vt ex innumerabili multitudine vix residuus esset, qui ad classem aduersum nuncium reportaret. Rebus verò feliciter gestis, Arnulfus in Baioariam reuertitur.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXCII. mense Februario Nortmanni, qui ad naues remanserant, Mosam transeuntes, Ribuariorum pagum ingressi, & secundum crudelitatem sibi ingenitam cuncta deuorantes, peruenerunt vsque Bonnam. Inde verò digressi occupauerunt quandam villam quæ *Landaluesdorph* nominatur. Vbi occurrit eis exercitus Christianorum. Sed nihil dignum quod virtuti ascribatur egit. Nocte superueniente recesserunt Nortmanni à iamdicta villa, & formidantes hostilem impetum, nequaquam ausi sunt se committere planioribus C atque campestribus locis. Sed siluas semper tenentes, exercitum verò à læua post tergum relinquentes, quanta poterant velocitate ad Prumiæ Monasterium aciem dirigebant. Ipsísque iam irruentibus, Abba, & Congregatio Fratrum vix fugâ dilapsi sunt. At Nortmanni Monasterium ingressi, omnia depopulati sunt, & quosdam ex Monachis interficientes, plurimámque familiam trucidantes, reliquos captiuos abduxerunt. Inde exeuntes Arduennam intrant, vbi quoddam castrum in quodam præeminenti monte nouiter constructum, in quo innumera multitudo vulgi confugerat, adgrediuntur, & absque mora expugnant. Interfectísque omnibus, cum ingenti præda ad classem redeunt, oneratísque nauibus cum omnibus copiis transmarinas repetunt regiones. 892.

IGITVR anno suprà memorato, mense Iulio, VVALTGARIVS Comes, nepos ODONIS Regis, filius scilicet auunculi eius ADALHELMI, aduersus eundem Regem cum consilio quorumdam rebellionis arma leuauit, & Lugdunum-Clauatum ingressus, omni annisu regiæ potestati contraire nititur. Quod cùm cognouisset Odo, ciuitatem obsidione cinxit, quam absque mora in deditionem recepit. Deinde omnibus Primoribus, qui tunc ibi aderant, adiudicantibus, eundem VValtgarium decollari iussit: eò quòd in Conuentu publico contra Regem & Dominum suum gladium euaginasset. Post hæc in Aquitaniam proficiscitur, contra Arnulfum* & fratrem eius Gozbertum, & Ebulonem Abbatem de

* al. Ranulfum.

ARNVLFVS. ODO. CAROLVS SIMPLEX. Sancto Dionysio, & alios nonnullos, qui eius imperiis obtemperare renuebant, vt eorum insolentiam reprimeret. A

ITEM eodem anno Mense Augusto v. Kal. Septemb. MEGINGAVDVS Comes nepos supradicti Odonis Regis, dolo interfectus est ab Alberico & sociis eius in Monasterio sancti Sixti, quod vocatur Rotila.

PER idem tempus Arut VVirtziburgensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus, hortatu & suasione Poponis Thuringorum Ducis, ad pugnam contra Sclauos profectus, in eadem pugna occiditur. Cuius cathedram Ruodulfus frater CVONRADI Comitis obtinuit, & ei in Episcopatu successit.

ARNVLFVS Zuentibolcho filio honores Megingaudi Comitis ex parte largitur. Popo Dux Thuringorum dignitatibus exspoliatur, & Ducatus quem tenuerat CVONRADO commendatur. quem pauco tempore tenuit, & sponte sua eum reddidit. Deinde BVRCHARDO Comiti committitur, qui hunc hactenus strenuè gubernat.

ODONE Rege in Aquitania commorante, Francorum Principes ex permaxima parte ab eo deficiunt, & agentibus Folcone Archiepiscopo, HERIBERTO & PIPPINO Comitibus, in Remorum ciuitate CAROLVS filius Ludouuici, ex Adelheide Regina, vt suprà meminimus, natus, in Regno eleuatur.

893. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXCIII. ARNVLFVS Baioaria egressus Franconofurt venit, & Rhenum transiens, ciuitates quæ in Regno Lotharij sunt ex maxima parte circuiuit. In quo itinere ingentia dona illi ab Episcopis oblata sunt. B

ODO compositis rebus in Aquitania, in Franciam reuertitur, & cum ROTBERTO fratre Carolum fugat, defectores persequitur.

EBVLO Abbas de Sancto Dionysio, cum quoddam castrum in Aquitania situm ardentiùs expugnaret, ictu lapidis periit. Monasterium Sancti Dionysij Odo ad suum seruitium reuocat.

CAROLVS vires ODONIS ferre non valens, patrocinia Arnulfi supplex exposcit. Æstiuo siquidem tempore iam dictus Rex Conuentum publicum VVarmatia ciuitate celebrauit. Vbi Carolus venit, & Arnulfum magnis muneribus sibi conciliat, Regnúmque quod vsurpauerat ex eius manu percepit. Iussum est etiam vt Episcopi & Comites, qui circa Mosam residebant, illi auxilium ferrent, & eum in Regnum inducentes in sede regia intronisarent. Sed neutrum horum illi quicquam profuit. Denique Odo Rex hoc audiens, cum exercitu super ripam Axani fluminis sedit, & copias Arnulfi intrare in Regnum nullatenus permisit. Duces Regis cernentes Odonem viriliter paratum esse ad pugnam, ab eo declinauerunt, & ad propria reuersi sunt. CAROLVS in Burgundiam secessit, & Odone Parisius reuertente, rursus Regni fines occupat, Odonis fideles insectatur, sícque alternatim ex vtraque parte multi pereunt. Ingens malicia, innumerabiles rapinæ, & assiduæ prædæ fiunt. C

894. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXCIV. ARNVLFVS cum valido exercitu Langobardorum terminos intrauit, & circa Purificationem sanctæ Mariæ castrum, quod nuncupatur Pergamum, armis cepit, & Ambrosium Comitem ipsius ciuitatis laqueo ante portam ipsius vrbis in quadam arbore suspendit. Vnde tantus timor super reliquas ciuitates cecidit, vt nullus auderet contradicere, sed omnes obuiam procederent venienti. Peruenit autem vsque Placentiam. Inde conuersus per Alpes Penninas, Galliam intrauit, & ad sanctum Mauricium venit. RODVLFVM, quem quærebat, nocere non potuit, quia montana conscendens, in tutissimis locis se absconderat. Regionem inter Iurum & Montem Iouis exercitus grauiter attriuit. Post hæc VVarmaciam venit, vbi Placitum tenuit, volens Zuentibolch filium Regno Lotharij præficere. Sed minimè Optimates prædicti Regni ea vice assensum præbuerunt.

SOLVTO Conuentu, cùm ad Loresham ísdem Princeps venisset, LVDOVICO filio Bosonis, matre Hirmingarde interueniente, quasdam ciuitates cum adiacentibus pagis, quas Rodulfus tenebat, dedit. Sed & hoc ei in vacuum cessit, quia eas nullo modo de potestate Rodulfi eripere præualuit.

EODEM anno VVIDO, qui Italiam regebat, & Imperatoris tenebat nomen,

A moritur. LAMBERTVS filius eius Regnum obtinuit, & Romam veniens diadema Imperij à Præsule Sedis Apostolicæ sibi imponi fecit. ARNVLFVS. ODO. CAROLVS SIMPLEX.

PER idem tempus Hildegardis filia Ludouuici Regis fratris Carlomanni & Caroli, à quibusdam ad Arnulfum accusata, Regiis possessionibus priuatur, & priuata in exilium destinatur in Monasterio Puellarum, quod *Chemissem* dicitur. Sed non post multum tempus in gratiam rediit, & sua ex maiori parte recepit.

CIRCA hæc etiam tempora Zuentibolch Rex Marahensium Sclauorum, vir inter suos prudentissimus, & ingenio callidissimus, diem clausit extremum. Cuius Regnum filij eius pauco tempore infeliciter tenuerunt. Vngaris omnia vsque ad solum depopulantibus.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXCV. Synodus magna celebrata est apud Triburias contra plerosque seculares, qui auctoritatem Episcopalem imminuere tentabant. Vbi viginti-sex Episcopi cum Abbatibus Monasteriorum residentes, plurima decreta super statum sanctæ Ecclesiæ scripto roborauerunt. 895.

POST hæc Arnulfus VVarmaciam venit, ibique Optimatibus ex omnibus Regnis suæ ditioni subditis sibi occurrentibus, Conuentum publicum celebrauit. In quo Conuentu omnibus assentientibus, atque collaudantibus, Zuentibolch filium Regno Lotharij præfecit. In eodem placito Odo Rex cum magnis muneribus ad Arnulfum venit, à quo honorificè susceptus est. Omnibúsque impetratis pro quibus venerat, cùm in Regnum reuerteretur, Folconem Episcopum, & ADALONGVM Comitem sui mansionarij ad Arnulfum cum exeniis à Carolo missis, venientes in media via offenderunt. Super quos cum clamore impetum fecerunt, Episcopus fuga dilabitur, & Adalongus mortali vulnere sauciatur, sarcinæ diripiuntur. Prædictus Comes in Trigorio, in villa quæ dicitur Belthomus, sepelitur.

B

EODEM anno Zuentibolch collecto immenso exercitu cupiens amplificare terminos Regni sui, quasi CAROLO aduersus Odonem auxilium laturus, Lugdunum Clauatum venit, & ciuitatem obsidione cinxit. Sed minimè eam capere potuit, quamuis multis diebus summis viribus certatim dimicatum esset. Audiens autem Odonem cum exercitu aduenire, qui ea tempestate in Aquitania morabatur, cum omnibus copiis recessit, & in proprio Regno se recepit.

EA tempestate Ludelmus venerabilis vir in Tullensi Ecclesia à Metropolitano Ratbodo ac suis Suffraganeis Episcopus consecratur.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXCVI. Arnulfus secundò Italiam ingressus, Romam venit, & vrbem Romanam cum consensu summi Pontificis armis cepit. Quod retroante seculis ideò inauditum, quia non factum fuit. Excepto quòd Galli Senones, cum Brennone Duce, multo ante Natiuitatem Christi tempore, semel fecerunt. Mater Lamberti, quæ ad præsidium à filio relicta fuerat, cum suis latenter aufugit. Arnulfus ciuitatem ingressus, à Formoso Apostolicæ Sedis Præsule, cum magno honore susceptus est, & ante confessionem sancti
C Petri coronatus, Imperator creatur. Inde reuertens paralysi morbo grauatur, ex qua infirmitate diu languescit. 896.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXCVII. Stephanus, Odacar, Gerardus, & Matfridus, Comites, honores & dignitates quas à Rege acceperant perdunt. Zuentibolch Treueris cum exercitu venit, terram quam præfati Comites tenuerant inter suos diuidit. Monasterium ad-Horrea, & Monasterium sancti Petri, quod Mettis situm est, sibi reseruans. 897.

POST hæc patrem super vxore, quam accipere desiderabat, per Legatos consulit, cuius hortatu ad Ottonem Comitem Missum dirigit, eius filiam nomine Odam in coniugium exposcit. Ille verò petitionibus eius grauiter assensum præbuit, eique filiam tradidit, quam post Pascha celebratis nuptiis sibi in matrimonium sociauit. Eodem anno Arnulfus VVarmaciam venit, ibique Placitum tenuit. Vbi ad eius colloquium Zuentibolch occurrit, & interuentu Imperatoris Stephanus, Gerardus, & Matfridus, cum filio reconciliantur.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXCVIII. ODO Rex ægritudine pulsatur, & mense Ianuario, tertio die eiusdem mensis, diem clausit extremum, & apud Sanctum Dionysium cum debito honore sepulturæ mandatur. Principes autem in vnum congregati pari consilio & voluntate CAROLVM super se constituunt. 898.

ARNVLFVS. CAROLVS SIMPLEX.

EODEM anno Zuentibolch REGINARIVM Ducem sibi fidissimum, & vnicum Consiliarium, nescio cuius instinctu à se repulit, & honoribus hereditatibúsque, quas in suo Regno habebat, interdictis, eum extra Regnum infra XIII. dies secedere iubet. Ille, adiuncto sibi Odacro Comite, & quibusdam aliis, cum mulieribus & paruulis, & omni supellectili, in quendam tutissimum locum, qui *Dursos* dicitur, intrauit, ibique se communiuit. Quod cùm Rex cognouisset, coadunato exercitu, castrum expugnare conatus est. Sed minimè præualuit propter paludes, & multiplices refusiones, quas in prædicto loco Mosa fluuius facit. Rege ab obsidione recedente, præfati Comites Carolum adeunt, & eum cum exercitu in Regnum introducunt. Zuentibolch, quamuis serò, intelligens se circumuentum, cum paucis fugâ dilabitur. Carolus recto itinere Aquis venit, deinde Niumagam perrexit. Interea Zuentibolch ad Franconem Episcopum venit, & eum cum omnibus suis secum adsumens, Mosam transiit, & ad Florthingas venit. vbi omnes Proceres Regni, qui in illis partibus erant, ad eum confluxerunt. Ex desperatis itaque rebus vires se recepisse congaudens, resumpta fiducia, contra æmulum ad pugnam proficiscitur. Carolus à Niumaga reuertens, Prumiam venit, & inde aduersus Zuentibolch copias transfert. Sed appropinquantibus ex vtraque parte exercitibus, nequaquam pugna committitur. Sed intercurrentibus Legatis pax firmatur, sacramenta iurantur, Carolus transuadata Mosa in suum Regnum regreditur. A B

899. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXCIX. Zuentibolch colloquium habuit cum Optimatibus Arnulfi & Caroli, & suis, apud sanctum Goarem. Ex Regno Arnulfi interfuerunt Hatto Archiepiscopus, Chuonradus & Gebehardus Comites. Ex parte Caroli Aschiricus Episcopus, & Odacar Comes. Quid verò in eodem Conuentu seorsum sine præsentia Regis pertractatum sit, postea euentus rei luce clariùs manifestauit.

ZVENTIBOLCH denuò cum exercitu ad Dursos venit, munitionem totis viribus expugnare molitur. Sed cùm minimè conatus eius proficeret, Episcopis iubet vt Reginarium, & Odacrum, & socios eorum anathematisarent. Sed cùm illi anathematis sententiam proferre recusarent, minis, exprobrationibus, & contumeliis vtitur. & sic soluta obsidione vnusquisque ad propria rediit.

CIRCA confinia memorati anni ARNVLFVS Imperator migrauit à seculo III. Kal. Decembris, sepultúsque est honorificè in Odingas, vbi & pater eius tumulatus iacet.

900. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCC. Proceres & Optimates, qui sub ditione Arnulfi fuerant ad Foracheim in vnum congregati, LVDOVVICVM filium præfati Principis, quem ex legitimo matrimonio susceperat, Regem super se creant, & coronatum, regiísque ornamentis indutum, in fastigio Regni sublimant. Dum hæc in Germania aguntur, inter Zuentibolch & Priores Regni inexpiabilis oritur dissensio, propter assiduas deprædationes & rapinas, quæ in Regno fiebant: & quia cum mulieribus & ignobilioribus Regni negocia disponens, honestiores & nobiliores quosque deiiciebat, & honoribus & dignitatibus exspoliabat. Pro huiuscemodi itaque causa, omnibus odiosus efficitur. Certatim igitur ad Ludouuicum transeunt, eúmque in Regnum introducunt. & in Theodonis-villa, manibus datis, eius dominationi se subiciunt. Ludouuico trans Rhenum eunte, Zuentibolch coadunatis quoscumque potuit ciuitates Regni circuit, incendiis & rapinis cuncta deuastat. Arbitratus defectores, qui propter eius insolentiam & immanem maliciam ab eo defecerant, immaniora & peiora faciens, à se reuocari posse. Ludouuicus in Regnum rursus accersitur, & à Comitibus Stephano, Gerardo, & Matfrido, circa Mosam idem Zuentibolch in prœlio interficitur Idus Aug. Eodem anno Gerardus Comes Odam vxorem eiusdem Zuentibolch Regis sibi in matrimonium copulat. C

LVDOVICVS III.

901. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCCI. Gens Hungariorum Langobardorum fines ingressa, cædibus, incendiis, ac rapinis crudeliter cuncta deuastat. Cuius violentiæ, ac beluino furori, cùm terræ incolæ in vnum agmen conglobati resistere conarentur, innumerabilis multitudo ictibus sagitarum periit. Quamplurimi Episcopi & Comites trucidantur. Liuduuardus Episcopus Vercellensis Ecclesiæ, Caroli quondam Imperatoris familiarissimus, & Consiliarius à secreto,

A assumptis secum opibus atque incomparabilibus thesauris, quibus vltra quàm æstimari potest abundabat, cùm effugere eorum cruentam ferocitatem omnibus votis elaboraret, super eos inscius incidit, ac mox interficitur. opes, quæ secum ferebantur, diripiuntur. LVDOVICVS III. CAROLVS SIMPLEX.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCCII. ADALBERTVS cum fratribus Adalhardo & Heinrico, collecta valida manu, aduersus Euerhardum & Rodulphum fratres, de quibus paulo superiùs mentionem fecimus, ex castro, quod Babenberh dicitur, prosiliens ad pugnam processit. Cuius impetum viriliter excipientes, ferro aciem irrumpunt, obuios quosque terræ prosternunt, nec ante desistunt, quàm aduersariorum agmen fugam inire compellant. In quo certamine Heinricus interfectus, & Adalhardus captus, & post modum iussu Gebehardi decollatus est. Euerhardus etiam multis vulneribus confossus in prœlio cecidit. vbi finito conflictu, inter cadauera occisorum à suis inuentus, domum reportatur, & paucis interpositis diebus ipse moritur. 902.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCCIII. Adalbertus Rodulphum Episcopum de Vuirtziburgensi Ecclesia fugat, & res & possessiones præfatæ Ecclesiæ crudelissimè depopulatur. Filios etiam Euerhardi, simul cum matre à propriis hereditatibus & honoribus, regio munere concessis, exire compellens, vltra *Spechtheshart* secedere cogit. 903.

B CIRCA hæc tempora Folco Remorum Archiepiscopus à quodam Vuinemaro satellite BALDVINI Comitis interfectus est. Causa autem huius interfectionis hæc fuisse memoratur. Prædictus Balduinus Atrabatis castrum, videlicet Abbatiam Sancti Vedasti, nullo sibi concedente, inuaserat. Quam Carolus Rex ei auferens, Folconi Episcopo eandem in beneficium largitus est. Quod Balduinus ægrè ferens, misit ad iam dictum Episcopum Vuinemarum, obsecrans ne honores, quos hactenus tenuerat atque possederat, ipse cupiditate ductus sibi vsurparet. Insuper etiam ingentia dona pollicitus est, si eius ope & interuentu præfatam possessionem obtinere posset. Sed cùm Episcopus minimè assensum præberet, & nescio quid durius & amarius quàm oportebat responderet: ille, diabolo instigante, furore nimio succensus, ab eo diuertit, & quandam siluam cum sociis ingressus, cùm idem Folco à Compendio Palatio à Rege reuerteretur, super eum irruit, & eum absque mora trucidauit. In Remorum cathedra Heriueus sublimatus est, qui eundem Vuinemarum cum multis aliis Episcopis excommunicauit, & pro tam inaudito scelere perpetuo anathemate condemnauit.

* * *

Quæ sequuntur addita fuisse videntur ab altero Scriptore, qui ea ex lib. I. Annalium VVitichindi Monachi desumpsit.

ANNO Dominicæ Incarnationis . LVDOVVICVS Rex filius Arnulfi Imperatoris duxit vxorem nomine LIVDGARDAM sororem Brunonis ac
C magni Ducis Oddonis. quæ non post multò hæc vixit tempore. Quorum pater erat LIVDVLFVS, qui Romam profectus transtulit in Saxoniam reliquias beati Innocentij Papæ. Qui moriens, reliquit filio suo ODDONI Ducatum totius Saxoniæ. Mortuo autem Rege Ludovvico absque legitimo herede, omnis populus Francorum atque Saxonum quærebat Oddoni imponere diadema Regni. Ipse verò recusabat suscipere onus Imperij. Eius tamen consultu CONRADVS quondam Dux Francorum vngitur in Regem. Natus est Oddoni Duci filius nomine HEINRICVS. Qui cùm in primæua ætate omni genere virtutum vitam suam adornaret, pater videns prudentiam adolescentis, & consilij magnitudinem, tradidit in manu eius cunctum exercitum suum, & omnia quæ in Ducatu erant agenda illi commisit. Post non multos verò annos, patre eius Oddone Duce defuncto, reliquit filio suo Heinrico Ducatum totius Saxoniæ. Rex igitur Conradus cùm sæpè expertus esset virtutem noui Ducis, veritus est ei tradere omnem potestatem patris. Quo factum est, vt indignationem incurreret totius exercitus Saxonici. Fictè tamen plura locutus, promisit maiora se illi daturum. Saxones verò ista non attendentes, suadent Duci suo, vt Rege inuito occuparet quæ vellet. Rex autem videns vultum Saxonum erga se solito austeriorem, misit fratrem suum cum exercitu in Saxoniam, vt eam deuastaret. Qui inito certamine grauiter à Saxoni- CONRADVS.

CONRADVS.

bus deuicti, fugam inierunt. Audiens autem Rex malè pugnatum à fratre, congregata maxima multitudine Francorum, pergit contra Heinricum. Quem inuentum in præsidio vrbis, quæ dicitur Grona, missa Legatione pro spontanea deditione, spondet se per hoc amicum futurum, non hostem experturum. Interea Franci ante lucem relictis castris, vnusquisque rediit in sua. Rex autem profectus in Baioariam, dimicauit cum ARNVLFO Duce: & ibi, vt quidam tradunt, vulneratus, reuertitur in patriam suam. Cúmque se morbo sentiret laborare, vocat fratrem, qui eum visitandi gratiâ adierat, quemque ita alloquitur: Sentio, » inquit, frater, diutiùs me vitam istam tenere non posse, Deo qui ordinauit ita im- » perante, grauíque morbo id cogente. Quapropter considerationem tui habeto, » & quod ad te maximè respicit, Francorum toto Regno consulito, mei attenden- » do fratris tui consilio. Sunt nobis, frater, copiæ exercitus ducendi atque con- » gregandi. sunt vrbes & arma cum Regalibus Insigniis, & omne quod decus regium » deposcit, præter fortunam atque mores. Fortuna, frater, cum nobilissimis mori- » bus HEINRICO cedit. Sumptis igitur his Insigniis, Lancea sacra, Armillis au- » reis, cum Clamide, & veterum Gladio Regum, ac Diademate, vade ad Heinri- » cum, & facito pacem cum illo: vt eum fœderatum possis habere in perpetuum. » Ipse enim verè Rex erit, & Imperator multorum populorum. His dictis frater lacrimans se consentire respondit. Post hæc Rex ipse moritur, vir fortis & potens, domi militiáque optimus, largitate profluus, & omnium virtutum insigniis clarus. sepelitúrque in Monasterio Fuldensi, cum mœrore ac lacrimis omnium Francorum.

HEINRICVS.

VT autem Rex imperauerat, EVVRHARDVS adiit HEINRICVM, séque cum omnibus thesauris suis illi tradidit. pacem fecit, amicitiam promeruit. Quam fideliter familiaritérque vsque in finem obtinuit. Deinde congregatis Principibus & natu maioribus exercitus Francorum in loco qui dicitur *Fridisleri*, designauit eum Regem coram omni populo Regni. Cúmque offerretur ei vnctio cum diademate à summo Pontifice, non spreuit, nec tamen suscepit. Datis itaque dextris in cœlum, nomen noui Regis cum clamore valido salutantes frequentabant. Eo ordine Rex factus HEINRICVS perrexit cum omni comitatu suo ad pugnandum contra BVRCHARDVM Ducem Alamanniæ. Hic cùm esset bellator intolerabilis, sentiebat tamen, quia valde prudens erat, congressionem Regis sustinere non posse, tradidit semetipsum ei cum vrbibus, & populo suo. Et rebus prosperè gestis, transiit indè in Baioariam, cui præsidebat ARNVLFVS Dux, & obsedit eum in vrbe Ragenesburg. Videns autem Arnulfus quia Regi resistere non posset, apertis portis egressus est ad Regem, tradens seipsum Regi cum omnibus suis. Qui honorificè susceptus, amicus Regis appellatus est. Rex autem de die in diem semper proficiebat. Mouit itaque castra contra CAROLVM Regem Occidentalium Francorum, eiúsque sæpè fudit exercitum, iuuitque virum fortem fortuna. HVGO etenim, cuius pater filius * ODDONIS ab exercitu Caroli occisus est, misit, & dolo eum cepit. posuitque eum in custodia publica, donec vitam finiret. Heinricus autem audiens casum Caroli, doluit, admirans fortunam humanæ mutabilitatis. Erat eo tempore quidam Lotharingus nomine Christianus, qui volens Regi placere, simulata infirmitate vocauit ad se GISLBERTVM Ducem Lotharingorum, cepitque eum arte, & sub custodia transmisit eum Regi Heinrico. Erat autem Gislbertus nobili genere ac familiâ antiqua natus. Quem Rex lætus suscepit, quia per ipsum arbitratus est se adepturum totum Lotharij Regnum. Deindè videns adolescentem valdè industrium, genere ac potestate, diuitiis quoque clarum, liberaliter eum cœpit habere, ac postremò desponsauit ei filiam suam nomine GERBERGAM, cum Ducatu Lotharingio sibi subiecto. Igitur Vngarij totam Saxoniam percurrentes, vrbes & oppida cum Monasteriis incenderunt, & magnam cædem de populo fecerunt. Contigit autem quendam ex Principibus Vngariorum capi, vinctúmque ad Regem adduci. Vngarij verò pro ipso innumera pondera auri & argenti Regi obtulerunt. Rex autem spernens aurum pacem petit, tandémque obtinuit, vt reddito captiuo ad nouem annos pax firmaretur. Cúmque Rex reuerteretur, occurrit ei Legatus Caro- » li, & salutato eo humiliter ait: Dominus meus CAROLVS quondam Rex, mo- » dò priuatus, misit me ad te, dicens nihil ei esse dulcius ab inimicis circumuento,

* *leg.* frater

A B C

A quàm aliquod audire & consolari de tui magnifici profectus gloriâ. Et hoc tibi signum fidei & veritatis transmisit. Protulitque de sinu manum preciosi Martyris Dionysij, auro gemmisque inclusam. Hoc, inquit, habeto pignus fœderis perpetui. Rex autem munus diuinum cum gratiarum actione suscipiens, prosternitur reliquiis sanctis, deosculans eas cum summa veneratione. Igitur Rex Heinricus pace facta cum Vngariis ad nouem annos, repente irruit super Sclauos qui dicuntur *Heuelli*, & multis prœliis eos fatigans, demum hieme asperrima castris super glaciem positis, cepit vrbem quæ dicitur *Brinnaburg*, fame, ferro, frigore, cum tota illa regione. Mox signa vertit contra Dalmatiam, & obsidens vrbem quæ dicitur Gana, vicesima tandem die cepit eam. Post hæc cum omni exercitu adiit Pragam vrbem Boëmiorum, Regémque eius in deditionem accepit. & Boëmias tributarias faciens, reuersus est in Saxoniam. Post hæc Redarij recesserunt à fide, & congregata multitudine impetum fecerunt in vrbem, quæ dicitur *VValleslebeim*, ceperúntque eam, & omnes habitatores eius occiderunt. Quo audito, omnes barbaræ Nationes erectæ iterum rebellare ausæ sunt. Ad quas reprimendas datur exercitus BERNARDO, cui Redariorum prouincia erat subiugata. additúrque huic collega THIAMARVS. & iubentur obsidere vrbem, quæ dicitur *Lunkim*. Quinta obsidionis die nunciatur exercitui, hostes insequente nocte castra
B velle conturbare. Collega igitur moriente, præcepit Legatus, vt sui per totam noctem parati essent, ne qua irruptio barbarorum fieret in castris. Nocte igitur tota pluuia adest ingens, vt consilium pessimum dissiparet. Primo itaque diluculo Saxones dato signo, acceptóque sacramento. * * *

HENRICVS
CAROLVS
SIMPLEX.

Huc vsque vetus Codex Ms. Sancti Arnulfi Metensis.

A

FRAGMENTVM HISTORIAE FRANCICÆ,

A LVDOVICO PIO Imp. vsque ad Regem ROBERTVM Hugonis Capeti filium.

Ex duobus vetustis Codicibus Mss. quorum vnus fuit Viri Cl. Guidonis Loiselij Senatoris Paris. alterius Exemplar ex Libro Monasterij S. Maglorij Paris. descriptum anno 1515. seruatur in Bibliotheca Ioannis-Baptistæ Hautin Regij in Castelleto Paris. Consiliarij.

LVDOVICVS PIVS.

LVDOVVICVS PIVS Karoli Magni Imperatoris filius imperauit annis XX. & VII. Hic fuit vir clementissimæ naturæ. Vnde cùm iuxta suorum lenitatem morum rem publicam regere disponeret, tulit finem multis aduersitatibus plenum: tam à liberis quàm à Regni Proceribus crudeliter impugnatus. Fuit tamen semper præceptorum Domini feruentissimus executor, & Legis sanctæ strenuus propagator. Congregatis nempe Episcopis & nobilissimis viris, fecit componi & ordinari Librum Canonicæ vitæ normam continentem. Ipsius denique tempore cœperunt deponi ab Episcopis & Clericis cingula balteis aureis & gemmis onerata, cultri, & exquisitæ vestes, & secularia pariter ornamenta. Adiecit præterea quædam secularibus Legibus Capitula, quæ nunc vsque pernecessaria comprobantur. Genuit etiam idem serenissimus Imperator filios quatuor, scilicet Lotharium, Pipinum, Ludouicum, & Karolum Pium. Quorum LOTHARIVS cùm à patre in Italiam missus fuisset, rogatu Paschalis Papæ Romam venit, & sancti Paschæ die in Ecclesia beati Apostoli Petri Imperialem ab eo coronam cum nomine suscepit Augusti. Porrò post hæc domnus Imperator Ludouicus fecit PIPINVM Regem Aquitaniæ, & LVDOVICVM Regem Baioarioum. Sed non post multum tempus Pipino defuncto, KAROLVS CALVVS, qui & PIVS, frater eius, Rex est Aquitaniæ constitutus. His præterea temporibus Gundulfo Metensi Episcopo defuncto, domnus DROGO frater Imperatoris in eadem ordinatus est Ecclesia. Interea Romæ Paschali Papæ successit Eugenius. Ad quem misit Hilduinus Abbas S. Dionysij, postulans ab eo sibi transmitti ossa venerabilis Martyris Sebastiani. Quod & impetrauit, & honorabiliter, vt decebat, iuxta corpus collocauit sanctissimi Confessoris Medardi in Suessionica ciuitate. Eodem quoque tempore sanctissimorum Martyrum Hipolyti atque Tyburcij ossa à Roma delata, & in S. Dionysij Ecclesia non longe ab vrbe Parisiaca sunt tumulata. Denique Romæ Eugenio Papæ successit Valentinianus, & Valentiniano Gregorius quartus. C

PER idem quoque tempus humani generis inimicus excitauit Lotharium contra patrem suum Ludouicum Imperatorem, & annuente Papa Gregorio illum cepit, & apud vrbem Suessionum in Monasterio S. Medardi sub arta custodia posuit, & vxorem eius Iudith in Italiam relegauit, Karolúmque castro Prumæ * commendauit. Sed non post multum tempus idem Lotharius suum consilium permutauit, & patrem à custodia liberauit. Tunc Imperator in Ecclesia sancti Dionysij veniens, Episcopali ministerio voluit reconciliari, & per eorum manus armis denuò consensit accingi. Demum etiam coniugem suam ab Italia reuocauit, & sibi copulauit. His peractis, filiis suis, & populis plurimis conuocatis, clementissimus Imperator iterum inter filios suos quatuor diuisit Imperium. Et Lo-

* al. Priuinæ

A thario quidem maiori Imperium Italiæ, Ludouico quoque regnum Germaniæ atque Saxoniæ, Pipino verò regnum Aquitaniæ concessit: Karolo quoque Franciam & Burgundiam delegauit. Porro Lotharius hanc Imperij diuisionem non tulit, sed quandam Regni portionem non modicam, quæ trans Renum erat, sibi vindicauit. Quod statim nunciatum est Imperatori Ludouico, Lotharium scilicet filium suum, assumptis secum quibusdam Saxonibus atque Thoringis, Alemanniam inuasisse. Audiens autem hoc, mox Karolum ordinauit Regem Francorum & Aquitanorum, & aduersus hostes iter arripuit. In quo itinere positus, aduersa valitudine fatigatus, diem clausit vltimum. Corpus autem eius à Drogone Episcopo Mettis delatum, & in Ecclesia S. Arnulfi Confessoris est tumulatum, vbi & mater eius condita fuerat. Decessit verò anno vitæ suæ LXIV. LVDOVICVS PIVS.

QVO defuncto, LOTHARIVS ab Italia egressus, totum sibi supponere temptauit Imperium. Vnde duo reliqui fratres, LVDOVICVS & KAROLVS, apud Fontanidum campum contra Lotharium atrociter dimicauerunt. Vbi Franciæ, Aquitaniæ, Burgundiæ, Britanniæque omnes penè milites mutuis concidere vulneribus. Victoriam tamen Karolus obtinuit. Quibus patratis, Dani piraticam exercentes duce Alstagno Franciam inuaserunt. Qui vt portum attigerunt, Flandrensium terram grauiter deuastauerunt. Taruanense atque Nouiomense territorium ita penitus attriuerunt, vt & S. Quintini Martyris Monasterium flammis exurerent, & nihil extra portam Nouiomensis ciuitatis illæsum & incontaminatum relinquerent. B Sed & S. Medardi Monasterium ab eis est concrematum, & Ecclesia S. Genouefæ in prospectu ciuitatis Parisiacæ sita ab ipsis est conflagrata. Sancti denique Monasterium Dionysij ab eisdem est fauillatum, & omnes ad quas peruenire potuerunt Ecclesiæ extra munitionem locatæ. Nam totam Franciam militum præsidio nudam, cuius robur in bello Fontanido nuper deperierat, tantus metus corripuerat, vt eis nemo posset resistere, nemo posset repellere. Vnde Rex Karolus cum præfato tyranno fœdus pepigit, & hostem quem ferro nequibat auro compescuit. Quo fœdere securus Alstagnus à Francorum terra per Occeanum pelagus Italiam tendens, Lunæ portum attigit, & ipsam vrbem continuò cepit. Qua potitus, per numerosa annorum curricula ibidem deguit, Regíque familiaris postmodum factus est ex inimico amicus. Verùm iste Alstagnus, vulgo Gurmundus verso nomine solet nominari. His etiam temporibus GVILLELMVS inclytus Comes Aluernorum Cluniacense fundauit Cœnobium, & S. Geraldus præclaræ nobilitatis vir Aureliacum extruxit Monasterium. Sed & Ebbo Castelli-Rodulphi dominus Dolensem in Aquitania ædificauit Abbatiam. Hac etiam tempestate Ecclesia Vizeliacensis constructa est à nobilissimo Comite GERALDO, in qua requiescit venerabile corpus S. Mariæ Magdalenæ. Rex quoque Francorum KAROLVS Compendium Galliæ villam ædificauit, & eam Carnopolim suo de nomine vocari præcepit. quam etiam precioso Domini nostri Iesu Christi Syndone nobiliter insigniuit. Obtulit etiam idem serenissimus Rex sancto Martyri Dionysio vnum de clauis, quibus in cruce fuit affixum Dominicum corpus, & quandam ligni sanctæ Crucis portiunculam, cum permaxima * parte spineæ coronæ nostri Redemptoris. CAROLVS CALVVS.

C

* Cod. S. Magl. cum quadam particula.

LVDOVICO verò Imperatori quatuor successere filij. Quorum LOTHARIVS non post multos dies aduersa valitudine correptus, Imperij sui temperamento derelicto, tonsoratus, & Monachus factus, Prumæ Monasterio in S. Saluatoris Basilica est humatus: relinquens filio suo LVDOVICO iuniori Italici dignitatem Imperij. Sub quo Ludouico Segart Beneuentanorum Dux à suis interficitur, & intra Beneuentum Sarraceni ingrediuntur. Quos aggressus Imperator Ludouicus anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXIX. penè omnia castella Beneuentanorum, quæ ab Imperio suo recesserant, & Sarracenis se coniunxerant, sub ditione sua posuit: & loca sancta, quæ impij Sarraceni & perfidi Christiani contaminauerant, Deo adiuuante purgauit, & in melius restaurauit. KAROLVS verò duobus fratribus iam defunctis Romam proficiscens, penè totius fauore populi Imperator & Augustus meruit appellari. Sed cùm indè remearet, apud Papiam Italiæ vrbem vitam veneno finiuit anno ab Incarnatione Domini DCCC. LXXVII. Cui successit in Regno Francorum filius eius LVDOVICVS BALBVS. In Romana verò cathedra Gregorio Papæ successit Sergius, & Sergio Leo quar- 869. 877.

LVDOVICVS BALBVS.

tus, & Leoni Benedictus, & Benedicto Nicolaus, & Nicolao Adrianus, & Adriano Gregorius quintus, & Gregorio Ioannes VII. Floruit etiam his temporibus apud vrbem Aurelianensem Teodulfus Episcopus, qui propter scientiæ prærogatiuam qua pollebat à memorato Imperatore Karolo Magno ab Italia in Gallias adductus, & Floriacensem ab eo Abbatiam, & Aurelianensem simul meruit Episcopatum. Verùm postmodum ab Imperatore Ludouico insimulatus coniurationis, Andegauis est exiliatus. Qui dum in custodia teneretur, die Palmarum ipso Imperatore præsente illos pulcherrimos versus, qui nunc vsque in ipsa die per Galliam in processione cantantur, de turri qua custodiebatur cecinit. Quorum hoc est exordium. A

Gloria, laus, & honor tibi sit Rex Christe Redemptor.
Cui puerile decus prompsit osanna pium.

Vnde priori gratiæ redonatus, dum ad sua festinaret, defunctus est. Cui successit in Episcopatum Ionas vir venerabilis, qui contra Claudium Taurinensem Episcopum Heresiarcham librum de adoranda Cruce edidit. Dogmatisabat enim Claudius, Crucis Dominicæ signum non oportere adorari, ita inquiens: » Si adoratur Crux, adorentur & puellæ, quoniam virgo peperit Christum. Adoretur etiam » præsepe, quia in præsepi puer reclinatus est Christus. Adorentur & asini, eo quòd » asinum sedens Ierosolymam venit idem Christus Dominus. » Quibus assertionibus idem venerabilis Ionas Episcopus satis lucidè Catholicéque libro memorato respondit. B

LVDOVICVS igitur Karoli filius, cuius suprà meminimus, regnauit in Francia annis duobus. Quorum primo anno Ioannes Papa celebrauit apud Trecas Galliæ vrbem magnum Concilium, in quo Himmarus Lauduni-Clauati Episcopus post auulsionem oculorum suo Episcopatui est restitutus. Præcedenti tamen anno, id est Karoli Pij vltimo, Incarnationis verò Dominicæ DCCCLXXVI. gens Danorum per Occeanum pelagus Sequanam ingressa Regnum Francorum secundò cœpit infestare. Præfuit illi profanæ genti Rollo Dux potentissimus, infidelitatis adhuc tenebris inuolutus. qui primo impetu sui aduentus statim Rothomagum sibi subiugauit. Deindè ferè per vnum annum Parisiorum obsedit ciuitatem, sed tamen illam capere non potuit. Interim tamen Baiocas euertit, & vrbem Meldensem expugnauit. Verùm post annum vnum, quo vaginam suæ habitationis egressus fuerat, & omnem oram maritimam incendiis & rapinis contaminauerat, & ab Anglorum Rege inuitatus Insulam illam expetiit, & per triennium ibi demoratus eandem Gentem sibi firmo fœdere colligauit. Interea verò Rex Ludouicus vix duobus annis Regno potitus obiit, relinquens sibi filium suum successorem KAROLVM nondum adultum. Cui etiam reliquit tutorem & Regni gubernatorem virum inclytum ODONEM Burgundiæ Ducem. Qui iuuenem optimè fouit, & adulto Regni gubernacula libenter refudit. A quo etiam parte Regni demum donatus, quamdiu vixit ei fidelis extitit. C

CAROLVS SIMPLEX.

KAROLI denique, qui SIMPLEX dictus est, temporibus Rollo, cuius suprà meminimus, Anglorum fretus auxilio, per Sequanam & Ligerim, pérque Garumnam, tria quæ Occeano fluunt flumina, emergens tripertito exercitu, iam non more pyratico, sed liberè Franciam peruadendo cœpit infestare. Cooperuerunt itaque Dani superficiem terræ sicut locustæ, nec erat cuiquam hominum eos facile prohibere. Igitur die Natalis S. Baptistæ Ioannis vrbem Nanneticam adorsi concremant, & Guruardum Præsulem sacra Missarum solennia peragentem super aram Martyris Ferreoli, quæ est ad læuam ædis beati Petri Apostoli matris Ecclesiæ eiusdem ciuitatis, obtruncant. Denique vrbe succensa ac depopulata, quasi tempestas valida cœperunt hac illàcque discurrere, & omnia per quæ vagabantur prosternere.

His inclusa [] notis addita sunt ex Codice S. Maglorij.

*QVORVM bestialem animositatem Præsul egregius Aletinæ vrbis Ecclesiæ, Saluator nomine, cùm inter alios se nullo iuuamine perferre diffideret, sublato corpore beatissimi Macuti prædecessoris sui, Leonense Monasterium celeri cursu expetiit. Inibi siquidem iam multi sacri Ordinis Ministri huius cladis fragore perterriti confluxerant: quia idem locus non solùm pro sui amœnitate pollebat præcipuus, verumetiam priscorum Regum magnificentiâ magnorum prædiorum copiis præ ceteris nobilior apparebat. maximè cùm ad sui decoris augmentum venerabile

A nerabile sacratissimi MAGLORII Archipræsulis corpus penes se retineret humatum. Grex ergo ibidem deuotus Monachorum, administrante strenuissimo viro Iuuano nomine pastorali cura, cùm æterno Regi indefessis militaret excubiis, fertur eum diuinitus fuisse præmonitum, vt vrgente persecutionis tẽpore Galliarum in partes secederet, vbi tranquilla pace, & tutissima mereretur potiri requie. Quãobrem adhortante venerabili Saluatore Episcopo, sumptis multorum Sanctorum pignoribus, quæ per fidelium manus vndique illuc deuecta fuerant, sacrisque ipsius Ecclesiæ Codicibus & signis, aliisque Ecclesiasticis vtensiliis, exules egrediuntur à finibus suis. Iam metas excesserant patriæ, cùm Dolensis necnon & Baiocensis Ecclesiæ ministri se illorum iunxerunt comitatui: ferentes secum sancti Patriarchæ SANSONIS, insuper & gloriosi Episcopi Senatoris, sanctorúmque Pontificum Paterni & Scubilionis venerabiles artus. vnâ diu multũque per extera & incognita loca peregrinaturi. Prædicti itaque Dani, populata Britannorum regione, ad Andegauensem vrbem deuenerunt.] Qua expugnata, & igne conflagrata, ciuitatem quoque Turonicam obsederunt. Sed tunc ab hostium peruasione beatissimi Martini meritis meruit liberari, cuius corpus paulò antè introductum fuerat intra mœnia ipsius vrbis. Ipsum tamen S. Martini Monasterium, quod iuxta vrbem erat, concrematur, Clerici fugantur, Monachi disperguntur, & venerabile corpus Sancti Martini Autisiodorum postmodum cum honore defertur. Hac etiam sæuiente
B procella, vrbs Cenomannica deuastatur, & Cœnobium sanctæ virginis Scolasticæ extra murum vrbis situm exustum est, & corpus ipsius sacræ virginis intra eiusdem vrbis sinum positum & conseruatum. Sed & in Aquitania Karoli Magni Imperatoris Palatium, quod Cassinogilum vocabatur, dissipatum est & euersum.

QVIBVS patratis Rollo, cuius sæpè meminimus, conscensis nauibus tandem per Sequanam & Sagonnam maxima flumina tendens ad superiora Burgundiæ, & Aruernorum fines subintrauit, & vsque ad Claromontem Aruernorum ciuitatem totam regionem diuersis calamitatibus exinaniuit. & inde rediens per prouinciam Senonensem Floriacum venit. Verùm ante biduum quàm illuc pergeret, eius aduentus ad notitiam Floriacensiũ peruenit Monachorum. Qui statim Aurelianis citissimè fugiendo peruenerũt, & intra ipsam vrbem in Ecclesia sancti Præsulis Aniani S. Benedicti preciosum ac venerabile corpus deposuerunt, donec ille malignantium impetus pertransiret. Impius autem ille cœtus aduenieus, sexaginta ibi sacri desiderij Monachos repperit, & quosdam cum eis Ecclesiæ seruitores. quos mox gladio trucidauit, ipsúmque sancti Patris Benedicti Cœnobium priùs deuastatum effera rabie concremauit. Sed eadem nocte pius Pater Benedictus in somnis apparuit cuidam Comiti nomine Gissilolpho, qui eiusdem Monasterij erat Aduocatus, & dixit ad eum: Eia Comes, quare te tanta timiditas siue ignauia oppressit, vt tuæ « aduocationis locum Floriacum ita dimitteres indefensum, vt serui Domini iaceãt « inhumati, à gentilibus interfecti? Cui Comes: Quis, inquit, es tu, Pater? Ait ille. «
C Ego sum frater Benedictus, qui de Beneuentanis finibus in Galliam translatus, pro- « priam requiem in Cassino monte spreui, & hunc locum Floriacensis Monasterij ele- « gi, vt lucerna disciplinæ Monasticæ per meam corporalem præsentiam vniuersæ « innotesceret Galliæ. Surge ergo quantociùs, & esto vir fortis, & belliger robustus, « & insequere dorsa crudelium paganorum, qui locum meum violauerunt, & igni « combusserunt, insuper & Monachos meos & colibertos interfecerunt, & impunè, « proh pudor! euaserunt. Ad hæc Comes: Quomodo, inquit, possum ego vel inse- « qui quos iubes, vel prædam excutere, qui non habeo tempus congregandi satelli- « tes meos? Cui Pater sanctus: Noli, inquit, anxiari propter paucitatem militum. tan- « tùm accelera, & arripe clypeum cum his qui tibi assunt hominibus, & insequere ve- « lociùs nihil metuens, quia ego ero tecum vt ambiam latera tua, & immunis ab ho- « stium telis victor famosus reuerteris. His dictis, Comes euigilauit, secúmque quæ « viderat & audierat prudenter pertractans, celeriter surgit, & arreptis armis cum suis hostes insequitur, tanti Patris animatus sponsione, maximóque impetu subitò super eos irruit. Hostes aggressus, captiuos emancipauit, prædam excussit, & victor lætabundus absque læsione aliqua est regressus. Qua expleta victoriâ, Floriacum est ingressus, & nõ sine lacrimarum copia interemptorum tumulauit corpora, illud Psalmographi commemorans: *Effuderunt sanguinem Sanctorum, & non erat qui sepeliret.* Quod factum postmodum peruenit ad notitiam KAROLI Regis Francorum,

CAROLVS SIMPLEX.

qualiter Comes Gissilolfus S. Benedicti Aduocatus cum paucis hostium multitudinem prostrauisset, & prædam excussisset, vinctos enodatos reduxisset, & victor illæsus remeauisset. Móxque prædictus Comes Aduocatus ante Regem affuit, rémque per ordinem sicut egerat illi retexuit: testem sibi aduocans Deum, quia in hora congressionis beatissimus Pater Benedictus monachali habitu reuestitus caballum cui insedebat conscendit, & in tota illa congressione vti pius propugnator promiserat frenum tenuit, & illum illæsum cum suis omnibus ab hostili acie reduxit. Quod audiens Rex, Dominum glorificauit, & Floriacum perueniens lamentum desolationis dedit: & post hæc munificentiâ regali copiosum subsidium restaurationis adhibuit. Data denique, vt dignum est, totius restaurationis vberrima copia, in vnius anni spacio penè totum Monasterium in pristinum renouatũ est modum. Porro quædam Ecclesia intra castrum Floriacum erat constructa, & in honore Sancti Petri Apostolorum Principis consecrata, quæ diuina gratiâ ab incendio remanserat inuiolata. Verùm intra annum monachi qui remanserant consilium inierunt, vt beati corpus Benedicti in initio aduentus Domini ab vrbe Aurelianensi nauigio reportarent, & illud in præfata S. Petri Basilica, quæ intacta ab igne remanserat, eousque collocarent, donec eorum officinæ regulari more perficerentur. Statuto igitur die conuentus Episcoporum & Abbatum non minimus Aurelianis aduenit, quatinus thesaurum Domini, sancti corpus videlicet Benedicti, secundum conditum proprium reportarent ad locum. Acceperunt igitur viri timorati sacrum corpus S. Benedicti, & imposuerunt naui. Quæ cùm tantæ sanctitatis onus suscepisset, miro modo totum illud Ligeris spacium, quod ab Aurelianensi ciuitate vsque ad Floriacum protenditur, sursum versus absque gubernatore & humano remige sine offendiculo decurrere cœpit, vt crederes Christum in naui cum Apostolis sedentem, & elementis potestatiuè imperitantem. Ipsa verò dies pridie Nonas Decembris esse dinoscitur, in qua quamdiu huius mundi sphera voluitur, honor & memoria tantæ gloriæ per totam Galliam solemniter celebratur. Verùm vbi nauis portũ Floriacensem impegit, maxima Episcoporum, Abbatum, Monachorum, Clericorúmque, vnà cum plebeiis turmis, multitudo concurrit, psallentes & dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Et cùm ingens frigus, vbi tunc tẽporis solet, cuncta obstrinxisset arua, res contigit mira ac vehementer stupenda. Nam cùm per eã portã, quæ nunc Paschalis dicitur, sanctissimi cineres inferrentur, ac si in medio Aprili ita omnes arbores eiusdem loci tam pomiferæ quàm agrestes, spineta etiam & arbusta in flores eruperunt: vt palam cunctis innotesceret, qualiter Sanctus Benedictus Pater apud omnipotentem Dominum nostrum Iesum Christum gloriâ & honore sublimatus existeret. Nulla vox alia audiebatur, nisi, *Gloria tibi Domine*: quia nunc cognoscimus quid te donante suscepimus. Depositis igitur sacris pignoribus in antefata S. Petri Basilica, celebratóque solemniter diuino mysterio, quique in sua rediêre cum gaudio.

PAVCIS denique euolutis diebus præfatus Rollo tyrannus disposuit obsidere Carnotum. Erat eodem tempore in eadẽ vrbe Sacerdos venerãdus nomine VVantelmus. Qui audiens aduenientium opinionem hostium perfidorum, orabat Sanctam Dei genitricem Mariam, vt illam ab imminenti periculo protegeret ciuitatem. Inuitauit prætereà Burgundionum Comitem Ricardum, necnon & Pictauensem Marchionem Eubalum, vt suo aduentu miseris ciuibus præstarent auxilium. Quid plura? cùm perfidus Rollo prædictam ciuitatem iam crudeliter perurgeret, aduenîens Comes Ricardus cũ Francis & Burgundionibus, cœpit eos repente proterere, & incautos huc illùcque diffundere. VVantelmus etiam sacerdotaliter infulatus, baiulans reliquias sanctæ Dei genitricis, egressus patentibus portis, vnà cum ferratis militibus vrgebat hostes attentiùs. Sicque Rollo Sanctæ Mariæ meritis iterum superatus, Rothomagum est regressus. Verùm tandem XXXVI. quo Francorum Regnum à memorata gente cœperat infestari, Rollo Dux ille potentissimus voluit esse Christianus. Franço quippe Rothomagensis Archiepiscopus illum verbis salutaribus mitigauit, & ad Christi Domini cultum sagaciter inuitauit. Et postquã permissu diuino multa Franciæ bona diripuit, vastauit, incẽdit, euertit, atque consumpsit, factus est fidelissimus Christi cultor, cuius antè fuerat crudelissimus persecutor. ODO, cuius antè meminimus, Burgundiæ Dux, iam decesserat: sed minor frater eius supererat RODBERTVS patrem suum nomine referens. Cuius vsus consilio Rex

A KAROLVS Rollonem per prædictum Pontificem ad colloquium inuitauit, desponsauitque illi filiam suam nomine Gillam*, concedens ei pariter terram, quæ nunc Normannia vocitatur, à fluuio Andellæ vsque ad Occeanum mare: eóque illum secedere compulit, & metas ei Aruam fluuiolum posuit. Baptizatum denique Rollonem præfatus Robertus Burgundiæ Dux à sacro latice leuauit, & imponens ei suum nomen magnificis eum muneribus honorauit. Rex quoque adiecit donationi, quam priùs Rolloni donauerat, totam Britanniam sicut iamdudum possederat; vt per hoc etiam beneficium efficeret illum sibi fidelissimum vassallum. Quibus patratis, Rollo qui & Robertus post paucos dies longa militia fatigatus, & senio prægrauatus decessit, relinquens filium suum Guillelmum, cui cognomen fuit Longa spata, sibi successorem. CAROLVS SIMPLEX.

TRICESIMO denique & sexto anno postquàm Francorum Regnum à memoratis Paganis infestari cœpit, corpus beati Martini ab Autisiodoro ad propria relatum est. Cuius Ecclesiam nuper concrematam Optimates quique reædificauerunt, & ne leuiter ampliùs opprimeretur, muro cinxerunt. Sæpedictus etiam KAROLVS Rex Francorum pontem miræ firmitatis aduersus impetus Danorum, quos nunc Normannos vocamus, super fluuium Sequanam fieri fecit, positis in vtrisque capitibus castellis artificiosè fundatis, in quibus præsidia collocauit. Quibus patratis, auidè materiam quietis arripuit, & otio desidiáque fatigatus, HAGANONEM quemdam militem de mediocribus sibi Consiliarium assumens, Pro-
B cerum suorum consilium spernere cœpit. Igitur Hagano, quem insperatæ opes nimium prouexerant, lateri eius assistens, Regni negotia disponebat. Vnde memoratus Robertus Burgundionum Dux contra Regem rebellare cœpit. Qua occasione omnes penè Francorum Proceres illum etiam apud vrbem Suessonicam reliquerunt. Sed Herueus Remorum Archiepiscopus suscipiens illum, deduxit per hospitia sua, id est in Carisia, & in Crusinacum Remensis Episcopij villas: ac demum Remis illum tandiu tenuit donec illi quosdam Regni Principes reconciliauit. Verùm anno altero venenum discordiæ, quod inter præfatum Burgundiæ Ducem Robertum, & memoratum Regem Karolum paulatim pullulauerat, cœpit manifestiùs exundare. Veniens nempe à Burgundia Dux Robertus cum valida militum manu, super Auxonam fluuium sua tentoria fixit. Karolus verò Monte Lauduno iam perdito, resedit super fluuiolum Saram. Sed cùm cotidie Ducis Roberti virtus excresceret, Regis autem decresceret, Karolus cum amico suo prædicto Haganone trans Mosam latenter proficiscitur. Quod Franci videntes, & indignè ferentes, se ROBERTO commiserũt, & Remis eum perducentes Regem fecerunt. Verùm Herueus, cuius suprà meminimus, Remensis Archiepiscopus, tertia die moritur post consecrationem Regis Roberti. & in eadem sede Seulfus ordinatur Episcopus. Anno autem sequẽti Rex Karolus cum sui Regni Lothariensibus Mosam transiẽs, contra præfatum Regem Robertum ad Attiniacum venit. Robertus etiam Rex contra eum processit. Densóque commisso prœlio, multis ex vtraque parte cadenti- ROBERTVS.
C bus interiit etiam Rex Robertus lanceis perforatus. Hij tamen qui erant ex parte Roberti victoriâ potiti, Hugo scilicet filius eius, & Vermendensis Comes Herbertus, Karolum cum Lothariensibus fugere compulerunt, sed illos longè persequi noluerunt. Lotharienses denique relicto Karolo recesserunt. Tunc Karolus à Lothariensibus derelictus, Herbertum Comitem, & Seulfum Archiepiscopum Remensem, & alios Regni Francorum Proceres, vt ad se reuerterentur multa prece rogauit. Quod illi facere renuerunt, sed pro RODVLFO Ricardi magni Principis filio in Burgundiam transmiserunt. Qui cum multa suorum manu mox affuit. Ipsi verò illi occurrerunt, & apud vrbem Suessionum illum in Regem eleuauerunt. Comes verò Herbertus Regem Karolum ad se mandauit, & venientem in quodam suo videlicet S. Quintini castello honorificè suscepit; & indè eos qui cum eo venerant remittens, illum in alterum castellum, quod Teoderici dicitur super Maternam fluuium situm, fecit deduci, & sub custodia poni. RODVLFVS.

RODVLFVS igitur Rex, adhuc superstite Karolo, primo regni sui anno in Aquitaniam est profectus, eò quòd Comes Guillelmus eiusdem prouinciæ dedignabatur illi se subdere. Igitur tandem peruenere ambo super flumen Ligerim in pagum Augustudunensem, & discurrentibus vtrimque viris nobilibus præfatus Comes Guillelmus Regi se tradidit. Vnde Rex illi Bituricensem pagum cum ciui-

RODVLFVS. tate donauit. In eodem etiam loco dedit Herberto Comiti castellum Perronam, & Hugoni filio defuncti Regis Roberti Cenomannensium ciuitatem. Eodem etiam anno Hunni Berengario Duce Italiam aggressi depopulantur, & Papiam igne succendunt. Inde quoque iuga montium transeuntes, Galliam infestare cœperunt. Sed Rodulfus Cisalpinæ Galliæ Princeps, & Hugo Viennensis Comes, per deuia montium illos inuadentes atque effugantes, Tolosanam prouinciam petere compulerunt. Illi autem ibidem Dei omnipotentiâ præpediti, dissenteriâ & varia clade postmodum periêre. Porro Rodulfi Regis anno secundo, Luna XIV. sabbato sancto Paschæ, die Kalendarum Aprilium passa defectum in pallorem conuersa est, quadam luminis relicta particula, veluti esset secunda. Sicque aurorâ iam incipiente in sanguineum tota mutata est colorem. Et eodem anno corpus S. Remigij, & quorumdam aliorum corpora Sanctorum, Hunorum metu intra Remensis ciuitatis mœnia à suis Monasteriis sunt delata. Cum quibus etiam sanctæ Galburgis reliquiæ, ad quas nonnulla sæpè fiunt miracula, sunt ibidem positæ. Ipso denique anno Normanni pagum Beluacensem depopulati sunt, & ciuitas Ambianensis igne cremata est ab eis. At Parisiaci terram eorum sunt ingressi. Quod audientes Normãni, protinus in sua sunt reuersi. Anno præterea quarto regni Rodulfi Regis, Herbertus Comes Karolum Regem de custodia eiecit, & ad S. Quintinum secum adduxit. Demúmque idem Rex Karolus cum eodem Herberto ad castrum quod Alga vocitatur abiit, & colloquium Normanni Comitis Guillelmi expetiit: & idem Guillelmus Rollonis filius ibi se illi in vassallum commendauit. Inde quoque præfatus Rex cum Herberto Comite Remis remeauit, & Comes Herbertus Monte Laudunо potitur. Anno verò regni Rodulfi quinto, iterum Rex Karolus à sæpedicto Comite Herberto in custodia positus, Perronâ castello defungitur anno ab Incarnatione Domini DCCCCXXIX. Post cuius decessum diuersi motus bellorum agi cœpêre per Franciam, Herberto Comite deficiente à RODOLFO Rege. Vnde Rex iuncto sibi Hugone potentissimo Comite, quoddam Herberti castellum nomine Douuicum cepit ac diruit. Quo diruto, Atrabatem obsidet. Indéque mouens iter, Hamum rursus castellum Herberti capit. Quibus patratis, Raigimundus & Herminigaldus potentissimi Gotiæ Principes, necnon & Lupus VVasconum Comes, Regis vassalli efficiuntur. Sed & Viennæ ciuitas Burgundiæ illi reddita est. Per idem etiam tempus Comes Normannorum Guillelmus Rollonis filius sæpefato Regi Rodulfo se commisit proprio voto. Demum autem, id est anno regni sui ferè XIII. Incarnationis verò Dominicæ DCCCCXXXVII. idem Rex Rodulfus est defunctus, & apud vrbem Senonicam in Ecclesia Sanctæ virginis & martyris Columbæ sepultus. Floruit his temporibus apud Floriacum Monasterium Abbas Lambertus, vir simplex & iustus. Præterea Rex Francorum Karolus, cuius antè meminimus, habuit filium nomine LVDOVICVM ex Ogiua Anglorum Regis susceptum filia. Qui calamitatis paternæ procella inuolui metuens, in Anglorum terra quamdiu Rex Rodulfus regnauit latuit. Sed illo mortuo, misit Rex Anglorum Alstannus ad Guillelmum Principem Normannorum Legatos cum muneribus, vt præfatum Ludouicum cum consilio Procerum Francorum patris reuocaret in Regnum. Quod ille gratanter suscepit, & coadunatis secum Principibus Francorum, rem ad effectum perduxit. Nam Hugo Magnus Regis Roberti defuncti filius, & Comes Herbertus, cum præfato Guillelmo, aliisque multis Francorum Proceribus, Ludouico obuiam processerunt, & apud Boloniam ipsis maris littoribus contiguam illum susceperunt, séque illi continuò commiserunt. Demum verò vsque ad Montem Laudunum perduxerunt, & in Regem illum vngi fecerunt à domno Artaldo Remensi Archiepiscopo, astantibus cum eo XX. fermè Episcopis Franciæ. Interea verò Romæ Ioanni Papæ Leo sanctissimus successit, & post hunc sedit Stephanus, & post Stephanum Marinus*. Marino verò successit Agapitus. Per idem quoque tẽpus mortuus est Transrenensis Henricus, & successit illi Otto filius eius.

A, B, C (margin letters)

929. (margin, at "tione Domini DCCCCXXIX")

937. (margin, at "ferè XIII.")

* Donuucũ (margin note at "Douuicum")

* al. Martinus

LVDOVICVS VLTRAMARINVS.

LVDOVICVS igitur filius Karoli iunioris regnauit annis XXIX. Porro regni huius anno primo Rodulfus Iurensis & Cisalpinæ Galliæ Rex obiit, cuius filius Conradus in regno successit. Tertio denique regni sui anno Rex Ludouicus Laudunum ingreditur, & arcem nouam nuper ibi ab Herberto Comite constructam obsidet, multisque machinis muro suffosso destruit. Quinto quoque regni Ludouici anno Otto Transrenensis Regnum Lothariense à Ludouico suscepit, & Hen-

A rico fratri suo illud commisit. Septimo verò regni sui anno Rex Ludouicus firmatis sibi Aquitanis Laudunum reuertitur, & inde Othoni Regi obuiam proficiscitur, & Gerbergam eius sororem ducit vxorem. Per idem etiam tempus Comes Herbertus obiit, & sepultus est apud S. Quintinum. Eodem etiam anno requieuit in pace domnus Odo Abbas multorum Monasteriorum, religiosus & prudens, litteratus & eloquens, & sepultus est Turonis apud S. Iulianum. Qui inter cetera multa quæ scripsit Opuscula, Sermonē etiam illum de sancto edidit Benedicto, cuius istud est exordium, *Festiua beati Benedicti solemnitas* *. Octauo denique anno regni Ludouici, Arnulfus Comes Flandrensis Guillelmum Rollonis filium Principem Normannorum ad colloquium inuitatum mala fraude apud castellum Pinquiniacum *, iuxta fluenta Somenæ peremit. Rex autem Ludouicus Rothomagum mox ingressus, Ricardum filium Guillelmi, qui ei natus fuerat ex concubina, de terra Normannorum reuestiuit, & postea illum secum vsque Laudunum perduxit. Et non post multum temporis, dum à Rege negligenter tractaretur, quidam miles nomine Osmundus præfatum puerum Ricardum furto sublatum perduxit primùm ad castrum Codiciacum, ac demum illum restituit hominibus atque parentibus suis. Quod Rex molestè ferens Hugonem Magnum euocauit, & Ebroicacensem & Baiocacensem terram illi donauit, vt de reliquo honore Normanniæ, qui citra * Sequanam iacet, illi adiutor existeret, quatinus eius dominio proprio B remaneret. Demum verò condicto termino disposuit Rex obsidere Rothomagensem, & Hugo Magnus Baiocacensem ciuitatem. Verùm Rex Rothomagum veniens, pacificè receptus est à Normannis. Vnde mandauit Hugoni Normannorum rogatu, vt à Baiocacensi obsidione secederet *. Quo secedente, Rex in eam ingreditur, & indè rursum Rothomagum regreditur. Interim verò Normanni miserunt ad Regem Danorum nomine Aigroldum, vt Ricardo Comiti suo consanguineo, quem Rex exheredare volebat, succurrere festinaret. Qui continuò affuit, & Regi Ludouico mandauit, vt sibi obuiam ad colloquium veniret. Deceptus igitur Rex consilio BERNARDI Comitis Siluanectensis, & alterius Bernardi potentissimi viri Rothomagensis, qui fraudem nouerant, venit obuiam pagano Aigroldo Regi Danorum, nihil suspicans mali. Perfidus autem Aigroldus super Regem ad se venientem repente irruit, cúmque imparatum inueniens penè omnes eius milites interemit. Statimque ex Ludouici Regis parte interfectus est Herluinus Monasterioli castri Comes nobilissimus, & cum eo strenuissimi Comites vndeuiginti, militésque non pauci. Quod cernens Rex Ludouicus solus fugere cœpit, sed à Normannis, quos sibi esse fideles sperabat, est retentus, & sub custodia Rothomago * positus. Tunc Regina Gerberga Hugonis Magni expetiuit suffragia. quam ille reuerenter suscepit, & demum de Regis ereptione tractare cœpit. Porro Normanni filios Regis dari sibi obsides quærunt, nec aliter Regem se di-C missuros asserunt. Mittitur ad Reginam pro pueris. Illa minorem mittens, maiorem fatetur se non esse missuram. Datur ergo minor, & vt Rex dimittatur Guido Suessorum Episcopus sese etiam obsidem dedit. Sic igitur Rex à Normannis est liberatus, concedens Ricardo, & firmans sacramento, totum honorem illum integrum quem auus eius Rollo possederat. Hugo autem Regem à Normannis suscipiens, non statim liberum abire permisit, sed Comiti THEOBALDO suo illum commisit vassallo, suum ex illo volens trahere commodum. quod & fecit. Nam montem Laudunum Rex illi tradidit, quod & ipse continuo præfato commisit Theobaldo. Et non multis interiectis diebus Regem suo Regno restituit. Per idem quoque tempus Edmundus filius Alstanni Rex transmarinus defungitur. Domnus etiam Theotilo venerandus Turonicæ vrbis Archiepiscopus in pace quieuit. Qui cùm à Lauduno rediret, ægritudine corporis ipso deprimitur itinere. Cúmque vltimum iam exhalaret spiritum, apparuit signum quoddam luminis per aëra discurrens, cubitum longitudinis habere visum. cuius lumine ad depellendas noctis tenebras sufficienter perfuncti sunt qui funus eius deducebant. Talique potiti solamine per milia ferè, ceu fertur, ducenta Turonicam vsque corpus eius pertulerunt ad vrbem. Sicque in Monasterium S. Iuliani, quod idem vir sanctus summa instituerat religione, iuxta sepulchrum domni Odonis Abbatis reuerenter est humatus. & exindè ipsum templum diuinis miraculis illustratur. Anno denique decimo regni Ludouici, ipse Rex Aquisgrani Palatio cum Othone Transrenensi

LVDOVICVS VLTRAMARINVS.

* al. solemnia.

* Pinchiniacum

* extra

* discederet.

* Rodomo

LVDOVICVS VLTRAMARINVS.

Rege sanctum Pascha celebrauit, & ab eo magnificè muneratus in Franciam remeauit. Ea denique tempestate Synodus magna Viriduni est habita, Agapito Papa præcipiente, & Roberto Treuerensi Præsule præsidente, cum Artaldo Remensi Archiepiscopo, & Odolrico Aquensi, & Alberone Mettensi, & Goslino Tullensi, & Hildebaldo Transrenensi, & Israhele Britone, præsente Brunone fratre Regis Othonis, & Agenaldo, necnon Odone Cluniacensi Abbate, cum quibusdam venerandis Abbatibus. Anno quoque altero post hæc deprecatus est Ludouicus Regem Othonem, vt sibi subsidium ferret contra Magnum Hugonem, quoniam ipse à præfato Hugone dolo fuerat appetitus, & per annum integrum retentus: nec est priùs abire dimissus, donec Laudunum montem illi dimitteret. Quibus petitionibus Otho Rex annuit, & iussit vt Conradus Dux cum exercitu Lotharensium in eius pergeret auxilium. Móxque Lotharienses castrum Mosomum obsident, & capiunt. Obsident etiam Montemacutum, quod præfatus Comes Theobaudus Hugonis Magni vassallus contra Laudunum firmauerat, & denuò capiunt. Quibus patratis, Lotharienses reuersi sunt in sua. Hugo verò Magnus collecta militum multitudine magna Suessonicam aggreditur vrbem, & iniectis ignibus partem ciuitatis incendit, ciuitatem tamen obtinere non potuit. Indéque rediens, munitionem quandam, quam RAGINALDVS Comes Ludouici super Axonam fluuium in loco qui dicitur Rauciacus ædificabat, deuenit, ipsámque adhuc imperfectam castris vallauit, sed capere non potuit. Rursúsque Ludouicus anno regni sui XIII. Laudunum improuisus aggreditur, & nocturno silentio muro machinis latenter ascenso, & diruptis portarum seris, oppidum ingreditur. Turrim tamen, quam ipse nuper ad portam castri fundauerat, capere non potuit, quam ideò à ciuitate seclusit, ducto intrinsecus muro. Hugo verò hoc comperto, ilicò illò cum suis affuit, & introducens in arcem custodes cum sufficiente victu obuiam perrexit Conrado Lothariensium Duci. Dux verò inter Regem & Hugonem treugas posuit vsque ad mensem Augustum. Indéque reuersus Rex Ludouicus Remis reuertitur, vbi Albertus filius Comitis Herberti ad eum veniens, ipsius vassallus efficitur. Anno demum regni sui XV. idem Rex Ludouicus Aquitaniam cum exercitu petiit. Sed antequam ingrederetur eam, Kallus* Constantinus Viennæ Princeps, & Stephanus nominatissimus Aruernorum Episcopus, ad eum venientes, sui efficiuntur. Guillelmus etiam Pictauensis illi obuiam venit: & eius se fidelitati commisit. Hugo denique Magnus eodem anno ad Regem Othonem pergens, duos illi leones præmisit. & indè benè remuneratus remeans à Duce Conrado vsque ad Maternam fluuium deductus est. Anno quoque sequenti Otho Rex Italiam adiit. cuius aduentum Longobardorum Rex BERENGARIVS audiens fugit, & Otho sine mora Papiam ingressus est. Demum verò sequenti anno idem Otho legationem pro susceptione sui Romam dirigit, sed non obtenta regreditur cum vxore sua. Post hæc autem anno regni sui ferè XIX. Rex Ludouicus egressus à Monte Lauduno, Remensem velut ibi moraturus veniebat ad vrbem. Sed antequam ad Axonam fluuium perueniret, apparuit ei quasi lupus gradiens ante illum. Quem insecutus, admisso viuaciter equo, prolabitur, grauitérque conteritur, ac indè Remis defertur. Ibique diu protracto langore decubans elefanciei peste perfunditur. Quo morbo confectus diem clausit extremum, sepultúsque est apud S. Remigium, anno regni sui ferè XIX. Incarnationis verò Dominicæ DCCCCLII.* duobus liberis superstitibus, Lothario, & Karolo paruo. Quorum KAROLVS priuatis in ædibus senuit. In Regno verò patris LOTHARIVS successit, consecratus apud S. Remigium ab Artaldo Remensium Archiepiscopo, fauente sæpenominato Principe Hugone Magno Rodberti Regis filio.

* in Cod. S. Maglorij legitur, Karlus & Constantinus Viennæ Principes.

LOTHARIVS.

LOTHARIVS igitur Ludouici Francorum Regis filius regnauit annis fermè XXX. Quo regnante, Liudulfus Othonis Regis filius Henricum patruum suum à Baioariorum regno expulit, & sibi illud vindicauit. Eodem etiam anno Alberico Romanorum Patricio defuncto, filius eius Octouianus cùm esset clericus Patriciatum est adeptus. Qui postea suggerentibus sibi Romanis, defuncto Agapito, Papa vrbis efficitur. Per idem quoque tempus Hugo Magnus obiit. Cui erant tres filij, scilicet Otho, Hugo, & Odo. Obiit etiam intra eundem annum Liudulfus sæpedicti Othonis Regis maior filius, qui iam penè totam patri resistendo sibi vindicauerat Italiam, & sepultus est Maganciæ ad S. Albinum. Porrò, anno Lotharij Re-

A gis Francorum VI. Otho & Hugo filij Magni Hugonis mediante auunculo ipsorum Brunone Coloniensi Archiepiscopo ad Regem veniunt Lotharium, & sui efficiuntur. Tunc Rex Lotharius constituit Hugonem Ducem, addito illi Pictauensi pago super honorem quem pater eius Hugo Magnus possederat. Othoni verò dedit Burgundiæ terram. & eodem anno Rex Lotharius castellum Diuionum cepit, & intromissis custodibus suis Laudunum reuertitur. Et rursus regni Lotharij anno VIII. Otho Rex Romam proficiscitur, & amicabiliter à Romanis susceptus, Imperiali honore est ibidem sublimatus. Et eodem anno VVlfaldus Abbas Monasterij Sancti Benedicti Floriacensis Præsul efficitur vrbis Carnotensis. Erat enim vir strenuus & sapientissimus. Hic enim Floriacense Monasterium vallo muniuit & muro. Huius & temporibus Mabbo Britannorum Episcopus, ex oppido quod Sancti Pauli dicitur, corpus eiusdem sancti Præsulis Pauli secum ad Floriacense detulit Cœnobium cum multis ornamentis. Et Osualdus nepos Odonis Cantuariorum Pontificis in eodem sancto Monachum professus est Cœnobio. Sed inde demùm assumptus, & ad natiuum solum reuocatus, Eboraci consecratus est Episcopus. Qui vt deuotionem, quam erga patrem habebat animo Benedictum, factis ostenderet, in Insula illa Cœnobium sub eiusdem nomine gloriosissimi Confessoris construxit, quod Ramenesense * nominauit: & multis Floriacensem locum honestis locupletauit muneribus. Præcedenti etiam tempore sub memorato Rege quidam Pontifex de Britannia veniens,

B cui nomen erat Hedrem, & in Floriacensi loco monachilem assumens tunicam, corpus beati Martyris Mauri secum detulit, quem constat Romæ passum sub Celerino Præfecto, imperantibus Imperatoribus Carino & Numeriano. Sed & alter nihilominus ad idem veniens Cœnobium Otto * nomine, & corpus cuiusdam sancti Martyris Frotgencij sancto secum obtulit Benedicto. Abbas quoque Ricardus, qui ante VVlfaldum Floriacensi præfuit loco, attulit ibidem non modicam sacratissimæ Crucis portionem, & partem spongiæ, qua cruce depositum lotum est sacratissimum corpus nostri Saluatoris. Verùm, sequenti anno quo præfatus VVlfaldus Carnotensium meruit Præsulatum, sæpefatus Normannorum Comes Ricardus abiit super Comitem Theobaldum, depopulans & incendens Carnotensem Dunensémque regionem. Theobaldus etiam statim Normannos fines ingressus Ebroicacensem * cepit ciuitatem. Sed dum inde reuerteretur, Ricardus tota nocte clam Sequanam transmeauit, & diluculo super Theobaldum repentinus irruit, ad casas Hermentrudis-villæ, in portu fluuij Secanæ. Congressione denique facta, vtrimque pugnatum est acriter. Sed Ricardus tandem victum de sua terra effugauit Theobaldum. [* Verùm, dum per triennium hæc acerrima perduraret guerra, Ricardus Comes Danos, Alanos, & Deiros in auxilium aduocauit. A quorum infestatione cùm Gallia diuersis concuteretur incommodis, venerandus Saluator Episcopus, de quo longè superiùs sermo habitus est, cum multorum Sanctorum pignoribus, paucis fidelibus suo comitatui iunctis, ob imminentem rabiem barbarorum, Parisius vrbem nobilem munitissimámque abierunt.

C Quam ingressi, cùm, sicut moris est ipsius Gentis, eorum desolationi dulcissimo affectu compateretur, eorum inopia caritate quorumdam fidelium satis abundè supplebatur. Aliquantisper denique ibidem demorati, cùm Paganorum immanitatem in Christianos crebriùs grassari conspicerent, omni spe sibi abscisa in patriam remeandi, prouida dispensatione omnium Rectoris & Creatoris, hinc se nequaquam vlteriùs recessuros elegerunt: si factrice diuinitate, ab ipso ciuitatis Principe, videlicet HVGONE Francorum Duce, locus ad tantorum Sanctorum corpora dignè collocanda largiretur. Et inito consilio ipsum Ducem in hac vrbe demorantem adierunt, secum quorumdam Sanctorum pios cineres deferentes. Ingressi autem Principis Aulam, eum secretiùs de quibusdam negociis repererunt pertractantem. Sed cùm Ducis colloquium diutissimè protelaretur, fortè super mensam sanctorum corporum glebam deposuerunt, Principis præstolantes aduentum. Interim verò horâ prandij imminente, cùm is qui principalibus præerat epulis ad procurandum Ducis conuiuium Aulam fuisset ingressus, ad viros Dei vbi residebant deuenit, & virga, quam manu gestabat, super corpora sancta percutiens, vt egrederentur procacibus verbis admonuit. Nec tanti sceleris temeritatem impunè tulit. Extemplò ergo à dæmone corripitur, & huc illúcque debacchando dis-

LOTHARIVS.

* Ramesense.

* Atto.

* Ebroicensem.

* Sequentia ferè tota sunt in solo Cod. S. Maglorij.

LOTHARIVS. currens furiosus atrociter vexatur. Dúmque alij ab eo pugnis tunduntur, alij diuersis contumeliis afficiuntur, ingens per Regiam tumultus exoritur, & ob hoc dæmoniacus vinculis adhibetur. Sanctorum corpora ab omnibus venerantur, & tanti prodigij nouitas Principis aures aggreditur. Qui illicò nimio terrore compulsus, mox cum suis ad Sanctorum corpora progreditur, atque coram eis humi prostratus, ne sibi quod factum fuerat in peccatum reputaretur, ipsis apud Deum suffragantibus humili deuotione precatur. Sublatis autem indè in Ecclesiam sacris Sanctorum artubus ab ipso HVGONE strenuissimo Duce, quæ Regum antiquitus munificentiâ fuerat constructa, & in honore beati Apostoli Bartholomei consecrata, in qua Canonicorum Ordo diuinum celebrabat officium, sunt deportata, atque ibidem XVI. Kal. Nouembris cum digno honore collocata: Corpus videlicet beati Samsonis Dolensis Archipræsulis, MAGLORII eiusdem Archipræsulis, Macuti Episcopi, Senatoris Episcopi, Leonorij Episcopi, VVeniali Sacerdotis: Reliquiæ Vriomagli & Corentini, Leutherni Episcopi, Leuiani Episcopi, Ciferiani Episcopi: Partes corporum preciosorum, Melorij & Tremori, VViungantoni Abbatis, Scophili Abbatis: Pars corporum Paterni & Scabilionis: Dens sancti Budoci. Erant autem in ipsa eadem Ecclesia aliorum Sanctorum reliquiæ & corpora, quæ tam Regum quàm fidelium manibus, vt in Regali Capella, inantea fuerant delata. His ita explicitis, præfatus Dux ab vrbe egressus ad alia sese procuranda conuertit. Postmodum itaque consilio LOTHARII Regis Procerúmque Francorum pace facta inter Theobaldum Comitem & Richardum Normanniæ Comitem, Ebroicense vrbe reddita, Barbari, à quibus crudeliter populabatur Gallia, ipsa relicta reuersi sunt ad propria. B

PACE itaque in tota Gallia & Normannia vigente, & florente, quidam eorum qui de Britanniis Parisius aduenerant, nutu (vt credimus) diuino sumptis Sanctorum corporibus, quæ illuc secum detulerant, almi videlicet Samsonis, & beati Leonorij, necnon & sancti Guenaili, aliorúmque quorumdam Sanctorum, quidam eorum patriam repedare, quidam ad alia Galliæ loca migrare disposuerunt. Quod cùm Duci nunciatum fuisset, licèt ægrè tulisset, vim tamen eis nolens inferre, retentis quibusdam membris Sanctorum, abire permisit. Qui recedentes, alij Corboilum castrum, alij Bellum-montem expetierunt, vbi & quieuerunt. alij etiam ad alia Galliæ loca abierunt. Sancti verò corporis Samsonis procuratores, quia in Britanniam redire volebant, maxima parte ipsius corporis retenta, & alia cum capite concessa, remeare concessit. Qui abeuntes, cùm per Aurelianensem vrbem iter facerent, in ipsa vrbe quibusdam incommoditatibus detenti diu multúmque morati sunt. Dux autem Ecclesiam beati Bartholomei Apostoli, quæ tantorum Sanctorum reliquiis illustrata videbatur, ampliauit. Quam postmodum in honore prædicti Apostoli, atque beatissimi MAGLORII, eò quòd post beatum Samsonem in Archipræsulatu Ecclesiæ Dolensis meruisset sublimari, dedicari fecit. In qua etiam Monachos ad diuinum officium peragendum constituit, quibus semper Abbatem ex propria Congregatione præesse, tam Regali quàm Sacerdotali auctoritate stabiliuit. Qui etiam cum sua venerabili coniuge ADELAIDE nomine filia Pictauorum Comitis, de progenie KAROLI MAGNI Imperatoris, eidem Ecclesiæ magna dona possessionésque & prædia obtulit: quæ sub nomine LOTHARII Regis, & LVDOVICI filij eius, describi, & confirmari præcepit, Regióque sigillo muniri constituit. C

VNDECIMO autem regni LOTHARII anno, Otho filius Hugonis Magni, qui Burgundiæ præerat, obiit: & Optimates Burgundiæ ad præfatum Hugonem & Odonem Clericum fratres eius se conuertunt. Arnulfo præterea Principe eodem anno decedente, Terram illius Rex Lotharius ingreditur, & Proceres ipsius prouinciæ mediante Roricone Præsule Laudunensi eidem subiciuntur Regi. Anno denique Incarnationis Dominicæ DCCCCXCIV. Ecclesia beatissimi Martini Turonis igne cremata est. Pro qua Herueus Thesaurarius ipsius Sancti Præsulis iecit fundamentum huius Ecclesiæ, quæ hodiéque cernitur. Interim verò iacuit corpus S. Martini in Ecclesia, quæ est intra Claustrum, annis viginti.

LVDOVICVS V. PORRO Lothario Regi successit LVDOVICVS. Sed is immatura morte præuentus, adolescens est defunctus. Tunc eodem anno, id est Incarnationis Dominicæ DCCCCLXXXVII. Franci assumentes HVGONEM memoratum Du-

HVGO.

A cem, Nouiomo illum sublimant in Regni solio. Qui statim ROBERTVM filium suum Aurelianis coronari fecit. Hugo igitur regnauit cum præfato filio suo Roberto circiter annis IX. In quibus ordinari fecit in Floriacensi Cœnobio venerabilem Abbatem Abbonem, tam seculari quàm literali scientiâ præditum. Qui demum Incarnationis Dominicæ anno M. IV. à perfidis VVasconibus in quadam præfati Monasterij Cella martyrisatus occubuit: & nunc vsque ad eius sacrum tumulum diuinâ gratiâ magna fiunt miracula. Præcedenti etiam anno videlicet ab Incarnatione Domini M. II. defunctus est antefatus Comes Normannorum Richardus, relinquens sibi successorem filium suum Richardum. Sed Hugo Rex, expletis nouem annis postquam Rex fuerat creatus, defunctus est. regnauitque pro eo filius eius præfatus ROBERTVS. HVGO.

ROBERTVS itaque defuncto patre regnauit annis ferè XXX. Hic fuit vir mansuetus, & non mediocriter litteratus, ac religiosus. Habuit enim præceptorem Girbertum sapientem, qui postea ab eodem Rege Remensium meruit Pontificatum. Indéque merito scientiæ & sapientiæ suæ ab Othone Transrenensi assumptus, Rauennatium sortitus est Præsulatum. Denuò quoque in Apostolica sublimatus est cathedra, vbi multa operatus est virtutum insignia, sed præcipuè in eleemosyna sancta. Circiter his diebus, Saluatore Episcopo, necnon venerabili Abbate Iuuano, à corpore migrantibus, eorum corpora apud Ecclesiam in honore B preciosi Martyris Georgij necnon & beati Maglorij constructam, extra muros vrbis Parisiacæ sitam, reuerenter sunt tumulata. Eodem etiam tempore inter Richardum Ducem Normannorum & Odonem Comitem Carnotensium orta est seditio, quia Odo ei Dorcassinum castrum dolo extorserat, & suo dominio mancipauerat. Quamobrem Dux Normannorum duos Reges cum paganica multitudine ex transmarinis partibus sui euocauit in auxilium: Olauum scilicet Noricorum, qui postmodum Christianus effectus cum martyrio migrauit ad Deum, & Lacinam Suauorum*. Qui congregantes exercitum suum, pansis nauium velis spumea sulcantes æquora ponti, cursu celeri ad Britannorum finitima littora sunt deuoluti. Britones autem eorum repentinum agnoscentes accessum, à cunctis Regni partibus congregati, eos ad prædam inhiantes incautos præoccupare sunt arbitrati. Pagani verò eorum dolos comperientes, quadam vsi versutiâ per campi planiciem, quò illos nouerant venturos fore, profundissimos foderunt cuniculos, in superficie angustos; vt superuenientes equites cruribus equorum confractis indecenter humo præcipitarentur, sicque gladiis faciliùs perimerentur. Britones autem veniunt, & continuò super hostes atrociter irruunt. Sed Paganorum decipulis prostrati, tantam sæuitiam illico sunt perpessi, vt vix è prœlio elaberentur perpauci. Indè Barbari prolixius progredientes, castrum Doli obsident, & captum igne comburunt, ac incolas eius cum Salomone Aduocato loci interficiunt. ROBERTVS autem Rex Francorum audiens Paganos tanta Britannis probra intu- C lisse, Ducémque Ricardum ad confutandam Odonis Comitis contumaciam eos accersisse, Satrapas regiminis sui conuocauit, ambósque discordes ad se apud Coldras conuenire mandauit. Vbi dum causas dissensionum vtraque in parte audisset, sopitis eorum animis protinus illos concordes reddidit. sicque Barbaros ad sua redire compulit. ROBERTVS. * Sueonũ.

REX insuper ROBERTVS cùm eo tempore in Aurelianensi vrbe quosdam cum maxima parte corporis beatissimi Samsonis demorari, atque velle Britanniam repedare cognouisset; ne vlteriùs ab vrbe discederent monuit. quippe cùm eorum regio barbarica infestatione depopulata, atque cum ipso Dolensi castro incendio fauillata videretur. Illi autem, quibus redeundi facultas denegabatur, ipsa beatissimi Samsonis membra Regi dederunt: quæ ipse gratanter suscepit, & in Ecclesia sancti Symphoriani Martyris cum digno honore collocauit. Præterea idem Rex in ipsa eadem ciuitate Ecclesiam sancti Aniani & sanctæ Dei genitricis Mariæ construxit, necnon & sancti Confessoris Hilarij ante Palatium suum. Extruxit etiam Ecclesiam sancto Leodegario in silua Aquilina, & sancto Medardo in Vitriaco castello. Ædificauit quoque Monasterium sancti Reguli in ciuitate Siluanectensi, & sanctæ Dei genitricis Mariæ in Stampensi castro. Apud Augustidunum denique ædificauit sancti Cassiani Monasterium. Sed & Parisius Ecclesiæ sancti Maglorij, quam Hugo genitor suus fundauerat, villas quasdam attribuit, & san-

ROBERTVS. cto Nicolao in Palatio suo Ecclesiam fecit. Et item Ecclesiam sanctæ Mariæ in Pissiaco castello. A

SVB memorato denique Rege quidam Comes Britannorum BERENGARIVS nomine Parisius aduenit, eundem Principem visurus, militaréque obsequium præbiturus. Quod audientes Monachi Ecclesiæ sancti Maglorij ipsius vrbis, Regem adierunt: rogantes vt suis precibus apud præfatum Comitem obtineret, quatinus Ecclesiam beatissimi Maglorij in Leonensi pago sitam, quæ malignorum crebris infestationibus in absiditate redacta videbatur, cum suis appendiciis Ecclesiæ beatissimi Bartholomei Apostoli atque Maglorij concederet. Quia nimirum decebat, vt sicut hæc ipsius sancti Confessoris corporali præsentiâ illustrari videbatur; sic ipsa Leonensis Ecclesia, quæ tanti patroni mœsta carebat absentia, eidem Parisiensi Ecclesiæ perpetuò subici non denegaretur. Prædictus itaque Comes tam Regis quàm Monachorum piæ petitioni præbens assensum, ipsam Leonensem Ecclesiam, quæ in honore sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, necnon & beati Maglorij, fuerat consecrata, Ecclesiæ prænominatæ in vrbe Parisiaca sitæ cum suis possessionibus benignè concessit: quam ipse etiam postmodum largissimis prædiis propria donatione ampliauit. Directi sunt autem illuc Monachi sex à venerabili Harduino, qui eo tempore Congregationi Parisiaci Cœnobij præerat Abbas, qui ipsum Leonense Monasterium in pristinam constructionem reducerent: quatinus ibidem serui Dei monasticè viuentes, remota seculari pompa cœlibem vitam actitare satagerent. Prædicti autem Monachi iussa Patris complentes, ob multitudinem pro loci amœnitate ibidem confluentium, ociùs in priori renouatum est statu. B

HAC prӕterea tempestate FVLCO Comes Andegauensis ædificauit Cœnobium in territorio suo in honorem sancti Sepulcri. Verùm sæpenominatus Rex ROBERTVS iam senior factus HVGONEM filium suum participem sui constituit Regni. Sed Hugone sexto regni sui anno defuncto, HENRICVM eius germanum, virum armis strenuum, suum iterum post sublimauit in Regnum. Floruit his temporibus in Floriacensi loco Goslinus Abbas egregius, qui propter suorum probitatem morum, & animi sui libertatem, à Rege Roberto cum Abbatia Floriacensi Bituricensem obtinuit Pontificatum. Cuius diebus superiùs nominatum Floriacense Cœnobium casuali conflagratum est incendio. Sed eo insistente, infra biennium est restauratum & enceniatum. Verùm instante obitu memorati Regis Roberti, pluuiarum inundatione diuersis in regionibus flumina suos prӕteriêre terminos. Sed præ ceteris Liger suas præteriit metas, itaut villas penetraret, casas euerteret, & ouilia cum ouibus raperet, & ruricolarum nonnullos pueros interficeret. Cometes etiam ardens apparuit, & sequenti anno magno grandinum imbre Iulio mense vineæ cum sationibus sunt protritæ. Per triennium denique e vestigio subsecuta est tam valida fames, vt mures & canes ab hominibus vorarentur. Præcedenti tamen tempore, duobus Principibus Franciæ inter se dissidentibus, Odone videlicet Carnotensium, & Fulcone Andegauensium, commissum est inter eos prœlium in loco quod Pontileuium nuncupatur. In quo prœlio Comes Fulco victoriam obtinuit. C

* * *

Quæ sequebantur de HENRICO I. *Rege &* PHILIPPO I. *ipsius filio, eadem sunt cum iis quæ Tomo IV. referuntur pag. 97.*

FRAGMENTVM CHRONICI FRATRIS HVGONIS MONACHI FLORIACENSIS COENOBII.

A Carolo Rege dicto Simplice, vsque ad Hvgonem Capetvm.

Ex Codice MS. Bibliothecæ Regiæ.

Diuersa reperiuntur Chronica huius Hvgonis Floriacensis Cœnobij Monachi, qui de sancta Maria cognominatus est. Vnum etenim scripsit ad Yuonem Carnotensem Episcopum, alterum ad Mathildem Anglorum Reginam: vtrumque ab initio Regni Francorum ad sua vsque tempora, eáque satis breuia & succincta. Tertium etiam ad Adelaidem Carnotensem Comitissam, quod ab exordio mundi vsque ad Lvdovicvm Augustum Caroli Magni filium tantùm perduxit. Istiúsque Portio malè sub nomine Yuonis Episcopi Carnot. à Marquardo Frehero Consiliario Palatino publicata est in Corpore Historiæ Francicæ: quamuis ad Francorum Historiam nullo modò pertineat. Quæ verò nunc eduntur, ex Chronico ad Yuonem desumpta sunt, antecedentibus vt nimis vulgaribus consultò obmissis.

Post hæc defunctus est Lvdovicvs Rex Francorum filius Caroli Calui, relinquens filium suum paruulum Carolvm nomine, qui Simplex appellatur, cum Regno in custodia Odonis Principis. Eo tempore gens incredula Normannorum per Gallias sese diffudit, cædibus, incendiis, atque omni crudelitatis genere debacchata. Deinde Franci, Burgundiones, & Aquitanenses congregati in vnum, Odonem Principem elegerunt sibi in Regem. Obeunte verò Odone Rege Kalend. Ianuar. recepit Regnum Carolus Simplex filius Ludouici. Sub ipso tempore venerunt Normanni in Burgundiam ad S. Florentinum. Occurrit autem illis Ricardus Dux Burgundiæ cum suo exercitu in territorio Tornodorense, irruénsque in eos percussit multitudinem ex eis in ore gladij. Et reliqui fugerunt v. Non. Iunij. Tempore illo factus est terræmotus circa Cœnobium sanctæ Columbæ virginis v. Id. Ianuar. Eo tempore Pagani obsederunt Carnotinam ciuitatem. Collecto igitur exercitu, Ricardvs Dux Burgundiæ & Robertvs Princeps irruerunt in eos, peremptis ex Paganis vi. m. dcccc. & à paucis qui remanserunt obsides capientes xiii. Kal. Augusti in Sabbato, auxiliante illis superna clementiâ, per intercessionem sanctæ Dei genitricis Mariæ. Post hæc igitur, mediante mense Martio apparuit stella à parte Circij, emittens radios magnos ferè xiv. Sequenti anno fuit fames magna per totam Galliam. Deinde post v. ferè annos Kal. Febr. igneæ acies visæ sunt in cœlo diuersorum colorum, quod mirum fuit, alternis se insequentes. Ipso anno fuit magna dissensio inter Regem & Principes eius. Ob hanc causam plurimæ strages perpetratæ sunt Christiani populi. sed fauente Deo omnis illa contradictio cessauit.

Tertio autem anno post hanc persecutionem defunctus est Ricardus Dux Burgundiæ Kal. Septemb. sepultúsque est in Basilicâ sanctæ Columbæ virginis, in Oratorio sancti Symphoriani Martyris. Secundo anno post eius mortem Robertvs Princeps rebellauit contra Carolum Simplicem, vnctúsque est in Regem iii. Kal. Iulij. Et nondum anno expleto xvii. Kal. Iulij factum est bellum Suessionis ciuitate inter Carolum Simplicem & ipsum Robertum, qui Regnum Francorum inuaserat, vbi interfectus est ipse Robertus. Karolo verò à cæde belli victore reuertente, occurrit illi Herbertus infidelium nequissimus, & sub fictæ pacis simulatione in castro quod Parrona dicitur, vt hospitandi gratiâ diuerteret, compulit. & sic eum dolo retinuit. Habebat enim idem Robertus sororem istius Herberti in coniugio, de qua ortus est Hugo Magnus.

RODVLFVS. ILLIC itaque positus Carolus RODVLFVM nobilem filium Ricardi Burgundionum Ducem, quem de sacro fonte susceperat, vnà cum consilio Hugonis Magni filij supradicti Roberti, & Procerum Francorum, sublimauit. Idem autem Carolus Simplex post longam carceris macerationem defunctus est in ipsa custodia, & sepultus in Basilica sancti Fursei Confessoris, quæ est in ipso Parrona castro. Vnctus est verò in Regem ipse Rodulfus III. Idus Iulij ciuitate ...... His temporibus Pagani iterum Burgundiam vastauerunt. Factúmque est bellum inter Christianos & Paganos in Monte Chalo, peremptis à Paganis & Christianis VIII. Id. Dec. multis milibus. Igitur defuncto Rodulfo Rege XVIII. Kal. Febr. sepelierunt eum in Basilica sanctæ Columbæ Virginis. A

LVDOVICVS. POST mortem igitur Rodulfi Regis, HVGO MAGNVS vnà cum Francis accersiens VVillelmum Archiepiscopum, misit illum ad Ogiuam vxorem iamdicti Caroli Simplicis, vt idem reduceret LVDOVICVM filium eius. Fugerat enim ad patrem suum Regem Anglorum ob timorem Herberti & Hugonis. Veniénsque VVillelmus Archiepiscopus, datísque obsidibus sub sacramenti titulo Ogiuæ matri eius, reduxit Ludouicum in Franciam. Igitur XIII. Kal. Iulij vnctus est in Regem Ludouicus filius Caroli Simplicis apud Laudunum. Secundo autem anno post hæc XVI. Kal. Martij circa gallorum cantum vsque illucescente die sanguineæ acies per totam cœli faciem apparuerunt. Sequenti autem mense, IX. Kal. Aprilis Hungri adhuc pagani Franciam, Burgundiam, atque Aquitaniam ferro & igne depopulari cœperunt. B Post hæc rebellauerunt Francorum Proceres contra Ludouicum Regem. super omnes autem Hugo Magnus. In ipso anno valida facta est magna fames per totum Regnum Francorum, ita vt modius frumenti venderetur XXIV. sol. Deinde non post multis diebus captus est Ludouicus Rex dolo Baiocas ciuitate à Normannis, multis ex Francorum populo interemptis, consentiente Hugone Magno. Post hæc mense Maio feria VI. pluit sanguis super operarios. & in ipso anno mense Septembri Ludouicus Rex totum tempus vitæ suæ plenum ducens angariarum & tribulationum, diem clausit extremum, sepultúsque est Remis in Basilica S. Remigij.

LOTHARIVS. SEQVENTI quoque mense II. Id. Nouemb. LOTHARIVS iam iuuenis filius eius vnctus est in Regem Remis, & Hugo Magnus factus est Dux Francorum. Secundo autem anno post hoc mense Augusti obsedit supradictus Hugo Magnus Pictauis ciuitatem, sed nihil ei profuit. Dum enim obsederet eandem vrbem, quadam die intonuit Dominus terrore magno, disrupítque turbo papilionem eius à summitate vsque deorsum. stupórque magnus inuasit illum cum exercitu suo, ita vt viuere nequiret. Statímque in fugam versi recesserunt ab vrbis obsidione. Fecit autem hoc Deus per intercessionem beati Hilarij, qui semper tutor & defensor est illius vrbis. In ipso anno defunctus est GILLEBERTVS Dux Burgundiæ, relinquens Ducatum OTTONI filio Hugonis Magni. Habebat namque Otto filiam illius Gisleberti in coniugio. Secundo anno obiit Hugo C Magnus Dux Francorum apud Drodingam villam XVI. Kal. Iulij, sepultúsque est in Basilica beati Dionysij Martyris Paris. Cui successerunt filij eius, Hugo videlicet, Otto, & Henricus, nati ex filia Ottonis Regis. Hugo Dux Francorum effectus est, & Otto Dux Burgundionum. Defuncto Ottone Duce Burgundionum, successit Henricus frater eius. Sub ipso tempore oritur contentio inter Ausegisum Episcopum Trecarum, & Robertum Comitem. Eiectus verò ex ciuitate Ausegisus à Roberto Comite perrexit in Saxoniam ad Ottonem Imperatorem, adductísque Saxonibus mense Octobrio obsedit Trecas ciuitatem longo tempore. Venientes autem contra prædictos Senones, occurrerunt illis Archembaldus Archiepiscopus, & Rainaldus Comes vetulus cum exercitu maximo in loco qui vocatur Villare, interfectísque Saxonibus cum Duce suo Helpone nomine Senonenses exciterunt victores. Dixerat enim Helpo incensurum se Ecclesias & villas, quæ sunt super Venenas fluuium vsque ad ciuitatem, infigeréque suam lanceam vsque in portam sancti Leonis. Interfectus est autem cum populo suo à Senonibus, reportatus in patriam suam Ardennam à seruis suis. Sic enim iusserat mater eius Helponis nomine VVarna. Planxerunt autem eum planctu magno Rainaldus Comes & Archembaldus Archiepiscopus. consanguineus enim illorum erat. Videns itaque Bruno Dux socius eiusdem Helponis, qui obsederat Trecas ciuitatem,

quòd

A quòd mortuus esset socius suus Helpo, cum suis reuersus est in patriam suam. Deinde verò non post multos dies Lotharius Rex congregans exercitum copiosum valde, renouauit in ditione sua Lotharium-Regnum. Veniénsque ad Palatium, quod vocatur Aquisgrani, vbi commanebat Otho Imperator cum vxore hora prandij, ingressúsque Palatium nemine contradicente, comederunt & biberunt quicquid illi ad vsus suos parauerunt. Otho verò Imperator cum vxore sua & populo fugiens reliquit Palatium. Deprædato itaque Lotharius Rex Palatio, & tota prouincia, reuersus est in Franciam cum pace, nemine persequente. Post hæc Otho Imperator congregans exercitum suum venit Parisius, vbi interfectus est nepos ipsius Othonis cum aliis pluribus ad portam ciuitatis, incenso suburbio illius. Iactauerat namque se extollendo dicens, quòd lanceam suam infigeret in portam ciuitatis Parisiorum. Conuocans igitur Lotharius Rex Hugonem Ducem Francorum, & Henricum Ducem Burgundionum, irruit in eos. Fugientibúsque illis persecutus est vsque Suessionis ciuitatem. Illi autem ingressi fluminis alueum, quod dicitur Axona, nescientes vadum plurimi ibi perierunt, vt etiam redundaret cadaueribus mortuorum. Aqua enim impleuerat ripas suas. Lotharius verò Rex constanter persequens illos tribus diebus & tribus noctibus vsque ad fluuium quod fluit iuxta Ardennam, siue Argonam, interfectis ex hostibus maxima multitudine. Desinens autem persequi illos Lotharius Rex, reuersus est in Franciam cum
B magna victoria. Otho autem Imperator cum his qui euaserant cum magna confusione reuersus est ad propria. Post hæc non apposuit vltra Otho Rex, vt veniret nec ipse, nec exercitus eius in Franciam. In ipso anno pacificatus est Lotharius Rex cum Othone Rege Remis, ciuitate contra voluntatem Hugonis & Henrici fratris sui. Dedit autem Lotharius Rex Othoni Regi in beneficio Lotharium-Regnum. quæ causa magis contristauit corda Principum Francorum.

LOTHARIVS.

IN diebus illis Episcopus Aletis ciuitatis nomine Saluator veniens Parisius cum duobus Abbatibus, ferens ibi preciosissimas reliquias, videlicet almi Maglorij Archipræsulis, medietatem sancti Sanxonis Archiepiscopi, cum toto corpore Maglonij Episcopi, Sanatoris Episcopi, Lucerni Episcopi, VVingantonis Abbatis, cum aliis multis. Receptíque sunt à supradicto Rege cum magno honore in Basilica beati Bartholomei Apostoli. * *

Rliqua huius Chronici edita sunt Tomo IV. pag. 142.

C CHRONICON AVCTORIS INCERTI.

Ab anno CHRISTI DCLXXXVIII. vsque ad annum M. XV.

Ex vetusto Codice, qui est in Bibliotheca Viri Clariss. Alexandri Petauij Senatoris Paris.

ANNO ab Incarnatione CHRISTI DCLXXXVIII. PIPPINVS Auster Maior domus Regiæ Principatum Francorum suscepit. 688.

ANNO Domini DCCXI. obiit CHILDEBERTVS Rex Francorum. 711.

ANNO Domini DCCXII. obiit PIPPINVS Senior, & filius eius qui dicitur CAROLVS MARTELLVS Principatum vsurpauit. 712.

ANNO Domini DCCXV. obiit DAGOBERTVS Rex iunior XIV. Kalendas Februarij, qui regnauit in Francia annis V. Secundo anno post mortem eius pugnauit primùm Karolus Martellus Princeps contra Ratbodum ad Coloniam, regnante THEODERICO filio suprascripti Dagoberti iunioris. Eo tempore gens impia VVandalorum Galliam deuastare cœpit. Quo tempore destructæ Ecclesiæ, subuersa Monasteria, captæ vrbes, desolatæ domus, diruta castra, strages 715.

hominum innumeræ factæ, & multus vbique humani generis sanguis effusus est. A
Ea tempestate grauissimè per totam Galliam detonabat, VVandalis omnia flammis & ferro proterentibus. Peruenientésque Senones ciuitatem, ceperunt eam omni arte, iaculis, & machinis infestare. Quod cernens Præsul eiusdem vrbis Ebbo nomine, exiens de ciuitate cum suis, fretus diuina virtute exterminauit illos ab vrbis obsidione. Fugientibúsque illis persecutus est eos vsque dum egrederentur de finibus suis.

741. Anno Domini DCCXLI. obiit Karolus Martellus Princeps sepultus in Basilica sancti Dionysij Parisius. Hic res Ecclesiarum propter assiduitatem bellorum laicis tradidit. Quo mortuo, Karolomannus & Pippinus filij eius Principatum suscipiunt.

750. Anno Domini DCCL. Pippinus electus est in Regem, & Childericus, qui de stirpe Chlodouei Regis remanserat, tonsoratur. Hîc defecit progenies Chlodouei Regis.

768. Anno Domini DCCLXVIII. Pippinus Rex moritur, & filius Karolus, qui dicitur Imperator magnus, & Karolomannus, eliguntur in Regno.

769. Anno Domini DCCLXIX. Karolomannus obiit.

804. Anno Domini DCCCIV. obiit Alcuinus Philosophus, Abbas sancti Martini Turonorum.

813. Anno Domini DCCCXIII. obiit Karolus Imperator magnus, & B
Hludouicus filius eius, qui Pius dicitur, Regnum Francorum & Imperium Romanorum suscepit. Huius igitur in tempore Pagani diffusi sunt in prouincia quæ Pontiuus pagus appellatur. Vicesimo igitur anno regni domni Hludouici piissimi Imperatoris rebellauit contra eum Hlotharius filius eius; auferens illi Regnum Francorum. Ipso anno collecto exercitu copioso valde, Hludouicus pater restituit sibi Regnum, quem illi abstulerat filius.

840. Anno Domini DCCCXL. XII. Kalendas Iulij obiit Hludouicus Pius Imperator. Eodem anno facta est eclypsis Solis feria IV. ante Ascensionem Domini hora diei nona, II. Nonas Maij. Vertente igitur anno in die Ascensionis Domini fit bellum Fontanetum in Burgundia à quatuor filiis ipsius Hludouici, Karolo scilicet, Lothario, Hludouico, & Pippino, vbi multus effusus est sanguis humanus. Ex quibus Karolus qui appellatur Caluus Regnum Francorum, & Imperium Romanorum obtinuit, Lotharius verò partem Franciæ sibi vindicauit, quæ vsque in hodiernum diem ex suo nomine Lotharij-Regnum appellatur. Hludouicus autem Bauariam sibi vindicauit, vnctúsque est in Regem.

877. Anno Domini DCCCLXXVII. Karolus Imperator, qui Caluus appellatur, filius Hludouici piissimi Imperatoris, cùm secunda profectione Romam peteret, tertio Kalendas Octobris in ipso itinere obiit Vercellis ciuitate, ibique sepultus in Basilica beati Eusebij Martyris requieuit annis septem. Post hæc au- C
tem per visionem delatum est corpus eius in Francia, & honorificè sepultum in Basilica beati Dionysij Martyris Parisius. Suscepit autem Regnum Hludouicus filius eius. Sequenti verò anno Iohannes Papa Romanus ad Gallias veniens cum Formoso Episcopo Portuensi, ferens secum pretiosissimas reliquias, primò Arelatum nauigio aduectus, per Lugdunum aliásque ciuitates, vsque ad Tricassinam vrbem accessit. Ibique cum Hludouico Rege filio Karoli Calui locutus, ad Italiam repedauit. Post hæc defunctus est Hludouicus Rex Francorum filius Caroli Calui, relinquens filium suum paruulum Karolum nomine qui Simplex appellatur, cum Regno, in custodia Odonis Principis. Eo tempore gens incredula Normannorum per Gallias sese diffudit, cædibus, incendiis, atque omni crudelitatis genere debacchata. Deinde Franci, Burgundiones, & Aquitanenses Proceres congregati in vnum, Odonem Principem elegerunt sibi in Regem. Obeunte verò Odone Rege Kalendis Ianuariis recepit Regnum Karolus Simplex filius Hludouici. Sub ipso tempore venerunt Normanni in Burgundia ad Sanctum Florentinum. Occurrit autem illis Richardus Dux Burgundiæ cum suo exercitu in territorio Tornodorense, irruénsque in eos percussit multitudinem ex eis in ore gladij, & reliqui fugerunt v. Non. Iunij. Tempore illo factus est terræmotus circa Cœnobium sanctæ Columbæ Virginis v. Idus Ianuar.

A Eo tempore Pagani obsederunt Carnotinam ciuitatem. Collecto igitur exercitu Richardus Dux Burgundiæ & Robertus Princeps irruerunt in eos, peremptis ex Paganis sex millibus octingentis, & à paucis qui remanserunt obsides capientes, XII. Kalendas Augusti in Sabbato, auxiliante illis superna clementia per intercessionem sanctæ Dei genitricis Mariæ. Post hæc igitur mediante mense Martio apparuit stella à parte Circij, emittens radium magnum ferè diebus XIIII. Sequenti anno fuit fames magna per totam Galliam. Deinde post quinque ferè annos Kalendis Februarij igneæ acies visæ sunt in cœlo diuersorum colorum, quod mirum fuit, alternis se insequentes. Ipso anno fuit magna dissensio inter Regem & Principes eius. Ob hanc causam plurimæ strages perpetratæ sunt Christiani populi. Sed fauente Deo omnis illa contradictio cessauit. Tertio autem anno post hanc persecutionem defunctus est Richardus Dux Burgundiæ Kalend. Septembris, sepultúsque est in Basilica sanctæ Columbæ Virginis in Oratorio sancti Symphoriani Martyris. Secundo anno post eius mortem ROTBERTVS Princeps rebellauit contra Karolum Simplicem, vnctúsque est in Regem III. Kalend. Iul. Et nondum anno expleto XVII. Kalend. Iulij factum est bellum Suessionis ciuitate inter Karolum Simplicem & ipsum Rotbertum qui Regnum Francorum inuaserat, vbi interfectus est ipse Rotbertus. Karolo verò à cæde belli victore reuertenti, occurrit illi Herbertus infidelium nequissimus, & sub fictæ pacis simulatione in castro quod Parrona dicitur vt hospitandi gratiâ diuerteret compulit, & sic eum dolo captum retinuit. Habebat enim idem Rotbertus sororem istius Herberti in coniugio, de qua ortus est HVGO MAGNVS. Illic itaque positus Karolus RODVLFVM nobilem filium Richardi Burgundionum Ducem, quem de sacro fonte susceperat, vnà cum consilio Hugonis Magni filij supradicti Rotberti, & Procerum Francorum, in Regnum sublimauit. Isdem autem Karolus Simplex post longam carceris macerationem defunctus est in ipsa custodia; & sepultus in Basilica sancti Fursei Confessoris, quæ est in ipso Parrona castro. Vnctus est verò in Regem ipse Rodulfus III. Idus Iulij Suessionis ciuitate. His temporibus Pagani Burgundiam iterum vastauerunt, factúmque est bellum inter Christianos & Paganos in monte Chalo, peremptis à Paganis ex Christianis VIII. Idus Decembris multis millibus.

Carolus Simplex. — *Robertus.* — B — *Rodulfus.*

IGITVR defuncto Rodulfo Rege XVIII. Kalend. Febr. sepelierunt eum in Basilica sanctæ Columbæ Virginis. Post mortem igitur Rodulfi Regis, Hugo Magnus vna cum Francis accersiens VVillelmum Archiepiscopum, misit illum ad OGIVAM vxorem iamdicti Karoli Simplicis, vt inde reduceret HLVDOVICVM filium eius. Fugerat enim ad patrem suum Regem Anglorum, ob timorem Heriberti & Hugonis. Veniénsque illuc VVillelmus Archiepiscopus, datísque obsidibus sub sacramenti titulo Ogiuæ matri eius, reduxit Hludouicum in Franciam. Igitur XIII. Kalend. Iulij vnctus est in Regem Hludouicus filius C Karoli Simplicis apud Laudunum. Secundo autem anno post hæc XVI. Kalend. Mart. circa gallorum cantum vsque illucescente die sanguineæ acies per totam cœli faciem apparuerunt. Sequenti autem mense IX. Kalend. April. Hungri adhuc pagani Franciam, Burgundiam, atque Aquitaniam ferro & igne depopulari cœperunt. Post hæc rebellauerunt Francorum Proceres contra Hludouicum Regem, super omnes autem Hugo Magnus. In ipso anno facta est fames valida per totum Regnum Francorum, itaut modium frumenti venderetur viginti quatuor solidis. Deinde non post multis diebus captus est Hludouicus Rex filius Karoli Simplicis dolo Baiogas ciuitate à Normannis: multis ex Francorum populo interemptis, consentiente Hugone Magno. Post hæc mense Maio feria VI. pluit sanguis super operarios. Et ipso anno mense Septembrio Hludouicus Rex totum tempus vitæ suæ plenum ducens angustiarum & tribulationum diem clausit extremum, sepultúsque est Remis in Basilica sancti Remigij.

Lvdovicvs.

SEQVENTI quoque mense II. Idus Nouembris HLOTHARIVS iam iuuenis filius eius vnctus est in Regem Remis, & Hugo Magnus factus est Dux Francorum. Secundo autem anno post hæc mense Augusto obsedit supradictus Hugo Magnus Pictauis ciuitatẽ, sed nihil ei profuit. Dum enim obsideret eandem vrbem quadam die intonuit Dominus terrore magno, disrupítque turbo papilio-

Lotharivs.

LOTHARIVS.

nem eius à summitate vsque ad deorsum, stupórque magnus inuasit illum cum A exercitu suo, itaut viuere nequirent. Statimque in fugam versi recesserunt ab vrbis obsidione. Fecit autem hoc Dominus per intercessionem beati Hilarij, qui semper tutor & defensor illius est vrbis. In ipso anno defunctus est GISLEBERTVS Dux Burgundiæ, relinquens Ducatum OTTONI filio Hugonis Magni. Habebat namque Otto filiam illius Gisleberti in coniugio. Secundo anno obiit Hugo Magnus Dux Francorum apud Drodingam villam. XVI. Kalend. Iulij, sepultúsque est in Basilica sancti Dionysij Martyris Parisius. Cui successerunt filij eius, Hugo videlicet, Otto, & Hainricus, nati ex filia Ottonis Regis. Hugo Dux Francorum effectus est, & Otto Dux Burgundionum. Defuncto Ottone Duce Burgundionum successit Hainricus frater eius. Sub ipso tempore oritur contentio inter Ansegisum Episcopum Trecarum, & Robertum Comitem. Eiectus verò ex ciuitate Episcopus Ansegisus à Roberto Comite, perrexit in Saxoniam ad Ottonem. adductósque Saxones mense Octobrio obsedit Trecas ciuitatem longo tempore. Venientes autem in prædam Senones, occurrerunt illis Archembaldus Archiepiscopus, & Rainardus Comes vetulus cum exercitu maximo, in loco qui vocatur Villare, interfectósque Saxones cum Duce suo Helpone nomine, Senonenses extiterunt victores. Dixerat enim Helpo incensurum se Ecclesias, & villas quæ sunt super Venena fluuium vsque ad ciuitatem, infigerétque lanceam suam in portam sancti Leonis. Interfectus autem cum populo suo à Senonensibus, reportatus est in patriam suam Ardennam à seruis suis. sic enim iusserat mater ipsius Helponis nomine VVarna. Planxerunt autem eum planctu magno Rainardus Comes, & Archembaldus Archiepiscopus: consanguineus enim illorum erat. Videns itaque Bruno Dux socius eiusdem Helponis, qui obsederat Trecas ciuitatem, quòd mortuus esset socius suus Helpo, cum suis reuersus est in patriam suam. Deinde post non multos dies Hlotharius Rex congregans exercitum copiosum valde, renouauit in ditione sua Lotharium-Regnum. Veniénsque ad Palatium quod vocatur Aquisgrani, vbi commanebat Otto Imperator cum vxore, horâ prandendi, ingressúsque in Palatium nemine contradicente, comederunt & biberunt quidquid illi ad vsus suos parauerant. Otto verò Imperator cum vxore sua & populo fugiens reliquit Palatium. Deprædato itaque Hlotharius Rex Palatio, & tota Prouincia, reuersus est in Franciam cum pace, nemine persequente. Post hæc Otto Imperator congregans exercitum suum venit Parisius, vbi interfectus est nepos ipsius Ottonis cum aliis pluribus ad portam ciuitatis, incenso suburbio illius. Iactauerat namque se extollendo dicens, quòd lanceam suam infigeret ad portam ciuitatis Parisiorum. Conuocans igitur Hlotharius Rex Hugonem Ducem Francorum, & Hainricum Ducem Burgundionum, irruénsque in eos, fugientibus illis persecutus est vsque Suessionis ciuitate. Illi autem ingressi fluminis alueum quod dicitur Axona, nescientes vadum, plurimi ibi perierunt, & multo plures consumpsit aqua quàm gladius vorasset. Et tanti ibi perierunt, vt etiam aqua redundaret cadaueribus mortuorum. aqua enim impleuerat ripas suas. Hlotharius verò Rex constanter persequens illos tribus diebus & tribus noctibus vsque ad fluuium quod fluit iuxta Ardennam siue Argonam, interfectis ex hostibus maxima multitudine. Desinens autem persequi illos Hlotharius Rex, reuersus est in Franciam cum magna victoria. Otto autem Imperator cum his qui euaserant cum magna confusione reuersus est ad propria. Post hæc non apposuit vltra Otto Rex vt veniret, nec ipse nec exercitus eius, in Franciam. In ipso anno pacificatus est Hlotharius Rex cum Ottone Rege Remis ciuitate contra voluntatem Hugonis & Hainrici fratris sui, contráque voluntatem exercitus sui. Dedit autem Hlotharius Rex Ottoni Regi in beneficio Lotharium-Regnum, quæ causa magis contristauit corda Principum Francorum. B C

886. ANNO DCCCLXXXVI. obiit Hlotharius senex plenus dierum, sepultúsque est in Basilica sancti Remigij Remis. Cui successit HLVDOVICVS filius eius Iuuenis.

887. ANNO DCCCLXXXVII. obiit Hludouicus Rex Iuuenis, qui regnauit in Francia annis IX. Sepultus verò est in Basilica beati Cornelij Martyris Compendio. Cui successit KAROLVS frater eius filius Hlotharij Regis. Eodem anno

A rebellauit contra Karolum HVGO Dux Francorum, eo quòd accepisset Karolus filiam Herberti Comitis Trecarum. Collecto igitur Hugo exercitu copioso valde obsedit Laudunum, vbi commanebat Karolus cum coniuge sua. Exiens verò Karolus de ciuitate fugauit Hugonem cum exercitu suo, incensis hospitiis vbi manebant hospites. Cernens itaque Hugo Dux quòd minimè posset Karolum vincere, consilium habuit cum Ascelino traditore vetulo, qui erat Episcopus falsus Lauduni, & Consiliarius Karoli. Itaque tradens Ascelinus Episcopus Laudunum in nocte vna quiescentibus cunctis Hugoni Duci Francorum, vinctus est Karolus cum vxore sua, & ductus in custodia Aurelianis ciuitate. Nondum autem ipse Karolus erat vnctus in Regem, resistente Hugone Duce. Manens verò idem Karolus in custodia Aurelianis in turri, genuit ei vxor sua filios duos Hludouicum & Karolum. Eodem anno vnctus est in Regem Remis Hugo Dux, & in ipso anno Robertus filius eius Regum piissimus Rex ordinatus est. Hic defecit Regnum Karoli Magni. HVGO.

IISDEM diebus erat in Remensium ciuitate Archiepiscopus vir bonus & modestus, frater Hlotharij Regis ex concubina nomine ARNVLFVS. Hugo autem Rex inuidebat ei volens exterminare progeniem Hlotharij Regis. Congregánsque in vrbe Remensi Synodum isdem Hugo Rex, inuitauit Archiepiscopum Senonicæ vrbis nomine Seuuinum cum Suffraganeis suis. In quo Concilio fecit
B degradare domnum Arnulfum Archiepiscopum Remorum dolo nepotis sui quem tenebat in carcere, dicens non debere esse Episcopum natum ex concubina. In loco verò eius consecrari fecit domnum Gerbertum Monachum Philosophum. Qui Gerbertus Magister fuit ROBERTI Regis filij istius Hugonis, & domni Leoterici Archiepiscopi successoris venerabilis Seuuini. Arnulfum autem fecit mancipari custodiæ Aurelianis ciuitate. Venerabilis itaque Seuuinus Archiepiscopus non consensit in degradatione Arnulfi, neque in ordinatione Gerberti. Iussio autem Regis vrgebat. Alij verò Episcopi licèt inuiti, tamen propter timorem Regis degradauerunt Arnulfum, & ordinauerunt Gerbertum. Seuuinus autem plus timens Deum quàm terrenum Regem, noluit consentire Regis nequitiæ, sed magis in quantum potuit redarguit ipsum Regem. Propter quam causam ira Regis contra eum efferbuit. Cum magno itaque dedecore expelli iussit Rex Arnulfum de Ecclesia beatæ Mariæ Remensis, & sic alligatum retrudi in carcerem. Alligatus autem in carcere Aurelianis ciuitate, vbi detinebatur nepos eius KAROLVS, mansit ibi annis tribus. Nuntiantur hæc omnia Præsuli Romano. Qui valde indignatus super hoc facto interdixit omnes Episcopos qui Arnulfum deiecerant, & Gerbertum ordinauerant. Misit quoque Leonem Abbatem à Sede Apostolica ad domnum Seuuinum Archiepiscopum vrbis Senonicæ, qui vice sua in vrbe Remensi Synodum congregaret, mandans illi vt sine dilatione reuocaret de
C carcere Arnulfum, & degradaret Gerbertum. Collecto igitur Concilio in vrbe Remensi ex iussione Apostolica, reuocatus est Arnulfus de custodia, & cum honore magno receptus in prima Sede. Gerbertus autem intelligens quòd iniustè Pontificalem dignitatem suscepisset, pœnitentia ductus est. Altercationem verò Gerberti Pontificis & Leonis Abbatis valde vtilem pleniùs inuenies in gestis Pontificum Remorum. Post hæc domnus Gerbertus electus est Pontifex in vrbe Rauenna ab Ottone Imperatore, & à populo eiusdem vrbis. Residénsque in eadem vrbe Pontifex quamplurimos annos, defunctus est Papa vrbis Romæ. Statímque omnis populus Romanus sibi dari adclamat domnum Gerbertum. Assumptus autem de vrbe Rauenna, ordinatus est Pontifex summus in vrbe Roma.

ANNO ab Incarnatione Christi DCCCCXCVIII. obiit HVGO Rex, sepultúsque est in Basilica beati Dionysij Martyris Parisius. Cui successit ROBERTVS filius eius Regum piissimus & modestus. 998. ROBERTVS.

ANNO Domini DCCCCXCIX. venerabilis Seuuinus Archiepiscopus ab imo cœpit restaurare Cœnobium sancti Petri Milidunensis, & Monachos ibi mittens Abbatem VValterium eis præfecit. In ipso anno tradidit VValterus miles & vxor eius castrum Milidunum Odoni Comiti. Congregans verò Robertus Rex exercitum copiosum valde, & Burcardus Comes, conuocatósque Normannos cum Duce suo Ricardo, obsedit castrum Milidunum. Castro igitur capto, suspensus 999.

ROBERTVS. est VValterus, & vxor illius in patibulo. Burcardus autem Comes recepit castrum Milidunum sicuti antè possederat. Igitur Rainardus Comes vetulus Senonum post multa mala perpetrata defunctus est, & sepultus in Basilica sanctæ Columbæ Virginis. Cui successit Frotmundus filius eius, habens in coniugio filiam Rainaldi Comitis Remorum. A

1000. ANNO Domini M. Indictione XIII. XVI. Kal. Nouembris transit ad Christum venerabilis Seuuinus Metropolitanus Episcopus. Post transitum verò illius stetit Ecclesia Senonica sine benedictione sacerdotali anno vno. Adclamabat autem omnis populus sibi ordinari domnum Leothericum nobilissimis ortum natalibus, tunc Archidiaconum omni bonitate conspicuum. sed resistebant quamplurimi Clerici cupientes Episcopalem conscendere gradum. Præcipuè verò Frotmundus Comes filius Rainardi vetuli natus ex mala radice hoc non permittebat fieri, eo quòd haberet filium Clericum nomine Brunonem, volens de eo facere Episcopum. Dei autem nutu congregati suffraganei Episcopi Senonicæ Ecclesiæ, cum voluntate & auctoritate Apostolica sublato omni timore humano solemniter ordinarunt domnum Leothericum in sede Pontificali, vt præesset Ecclesiæ Senonensi.

1001. ANNO Domini M. I. obiit Hainricus Dux Burgundiæ sine filiis. Rebellaueruntque Burgundiones contra Regem Rotbertum, nolentes eum recipere. Ingressus itaque Landricus Comes Autissiodorum tenuit ciuitatem.

1003. ANNO Domini M. III. Robertus Rex assumptis Normannis cum Duce suo Ricardo, & exercitu copioso valde, vastauit Burgundiam, obsidens Autissiodorum diebus multis. Burgundiones autem nullo modo ei se subdere volentes vnanimiter ei resistebant. Obsedit verò Auallonem castrum tribus ferè mensibus, & famis necessitate eum cepit. Túncque reuersus est in Franciam. Mortuo itaque Frotmundo Comite Senonum, successit ei Rainardus filius eius infidelium nequissimus. Hic persecutionem intulit Ecclesiis Christi & fidelibus eius, quanta non est audita à tempore Paganorum vsque in hodiernum diem. Archiepiscopus autem Leothericus nimium angustiatus pro hac re, quò se verteret omninò nesciebat. Totum verò se Domino committens, in orationibus & vigiliis exorabat Christum, vt ei superna pietas dignaretur auxilium ministrare. B

IGITVR anno à Passione Domini M. XV. Indict. XIII. X. Kal. Maij capta est ciuitas Senonum ab Archiepiscopo Leotherico per consilium Rainoldi Episcopi Parisiacensis, & Regi Rotberto reddita. Rainardus autem Comes fugiens nudus euasit. Frotmundus verò frater eius & ceteri milites de ciuitate ingressi in turrim, quæ est in ciuitate, obtinuerunt. Rex autem oppugnans eam diebus multis cepit eam, & fratrem Rainardi Comitis Frotmundum, quem duxit in carcerem Aurelianis ciuitate, vbi & defunctus est.

C

CHRONICON FLORIACENSE.

Ex Bibliotheca Regia.

ANNO DCXXCVIII. Pippinus Maior Domus efficitur in Francia annis XXVII.

DCCVIII. Drogo Princeps Francorum obiit.

DCCIX. Primum Pippinus perrexit in Alamanniam contra VVilharium Ducem.

DCCXI. Childebertus Rex obiit.

DCCXIV. Pippinus obiit.

DCCXV. Dagobertus Rex obiit.

DCCXVI. Primum pugnauit Carolus Dux contra Ratbodum ad Coloniam.

DCCXXXI. Beda Presbyter, Doctor Anglorum, obiit.

DCCXLI. Carolus Princeps obiit.

DCCXLII. Carlomannus & Pippinus contra Hunaldum perrexerunt.

A DCCL. Pipinus electus est in Regem, & Hildericus tonsoratus.

DCCLX:::: Pipinus Rex obiit. Carolus & Garlomannus Regnum suscipiunt.

DCCLX:::: Carlomannus obiit.

DCCLXXVIII. Hludouicus natus est.

DCCCIV. Alchuinus Abba obiit.

DCCCVI. II. Non. Iunij, Luna XIII. signum crucis mirabili modo in Luna apparuit prima aurora incipiente, quasi hoc modo ✠

DCCCIX. Ind. II. XVII. Kal. Aug. II. feria, incipiente hora diei V. eclypsis Solis apparuit Luna XXIX.

DCCCXIV. Carolus Imperator obiit, & Hludouuicus Imperium recepit.

DCCCXXIX. Hieremias Archiepiscopus obiit.

DCCCXXXIII. Hludouuicus Regnum amisit, & Hlotharius illud suscepit, item Hludouuicus recepit.

DCCCXL. Hludouuicus Imperator obiit, & eclypsis Solis facta est IV. feria ante Ascensionem Domini, hora diei IX. II. Nonas Maij.

DCCCXLI. Bellum apud Fontanetum.

DCCCXLIX. Anno VIII. Karoli Regis, XII. Kal. Martij extitit terræmotus quasi decima horâ noctis.

DCCCLIII. Adalbertus bonæ memoriæ Monachus XI. Kal. Ian. obiit.

DCCCLXIV. Cometes apparuit circa Kalendas Maias per XX. dies.

B DCCCLXVI. Regnante Karolo Ludouici filio duo filij illius moriuntur, Hlotharius Abbas, & Karolus Rex Aquitaniorum. Auunculus quoque eius Rhodulfus Consiliarius primásque Palatij hominem exit. Necnon & Rhodulfus Archiepiscopus Aquitaniorum. Et duo Principes Aquitaniæ Landricus & Imino inter se dimicantes semet interimunt. Rhotbertus quoque atque Rannulfus viri miræ potentiæ, armisque strenui, & inter primos ipsi priores, Northmannorum gladio necantur.

DCCCLXXVII. Karolus Ludouuici filius II. Non. Octobr. obiit. & Ludouuicus filius eius VI. Id. Decembris Regnum suscepit.

DCCCLXXVIII. Iohannes Papa in Gallias venit, & apud ciuitatem Trecas diu moratus est. Eodem anno Idib. Octobr. eclypsis Lunæ fuit cum....XIV. & eclypsis Solis secuta est eodem mense IV. Kal. Nouemb. Luna XXVIII. vtroque sydere in XV. diebus deficiente.

DCCCLXXIX. Hludouuicus Rex IV. Id. Aprilis obiit.

DCCCLXXX. Hludouicus & Karlomannus apud Ambianas Regnum suscipiunt, & diuidunt mense Martio.

DCCCLXXXII. Hludouicus Karlomanni frater obiit.

DCCCCV. Hoc anno mediante Maio V. feria apparuit stella circa ipsum Septentrionem à parte Circij emittens radium magnum versus Euro-Austrum quasi longissimam hastam inter Leonem & Geminos trans Zodiacum, & visa est ita ferè XXIII. diebus.

C DCCCCXXII. Memorabile bellum apud Suessones, in quo Rothbertus Rex occubuit, licèt exercitus eius victoriam adeptus sit. eodémque anno Rodulfus Regno sublimatur.

DCCCCXXXVI. Gloriosus Francorum Rex Rodulfus obiit.

Prima in totam Galliam Vngarorum irruptio.

DCCCCLII. Vgo Dux Burgundionum, & Alanus Brittonum obiêre.

DCCCCLIII. Ludouuicus Francorum Rex obiit, & Hlotharius in Regem nobiliter Remis eleuatus est.

DCCCCLVI. IV. Non. Septemb. Luna versa est in sanguinem. Eodem quoque anno mense Iunio signum mirabile in cœlo apparuit, draco magnus scilicet, & sine capite. Secuta est statim mors HVGONIS Magni Principis Francorum, Burgundionum, Brittonum, atque Nortmannorum. Eclypsis Solis XI. Kal. Ianuar. & stellæ apparuerunt à prima hora vsque tertiam.

DCCCCLXXIV. Cœnobium S. Benedicti Floriacense combustum est. Sed Dei prouidentiâ procurante, in breui trium spatio annorum in meliorem statum est restauratum, domno Abbate Richardo ordinatore. Octaua sancti crematum est Laurentij.

DCCCCLXXIX. Ludouicus à Francis Compendij Rex est eleuatus. A

DCCCCLXXXVII. Ludouicus Francorum Rex obiit. Eodem anno Hugo Dux Rex Francorum est eleuatus Nouiomi. qui secum Robertum filium suum Regem Aurelianis eleuat.

MIII. Qualitas hiemis longior solitò, pluuiarúmque inundatio extitit grauior, atque diuersis in regionibus flumina suos vltra modum præteriêre terminos. Præ ceteris verò Liger in tantum suas præteriit metas, vt cuncta circum circa posita periculo mortis tremefaceret, valla penetrando, casas vnà cum hominibus eruendo, pontes firmos sepésque eradicando, boues cum bubulcis, ouilia cum ouibus & pecoribus demergendo, itaut diluuiũ esse crederetur. Quo etiam anno prope Aurelianensem vrbem in loco qui dicitur Porcaria, multis vt ferunt est visa ciuitas fantasmate constructa ab hora diei tertia vsque in nonam horam, pratis aquisque cum molendinis vallata, militibus necessariisque rebus adplenè referta. Infantem quoque famâ vulgante audiuimus natum fuisse, omnium animalium pedes habentem, solóque capite, vnóque pede & manu hominem simulantem. Quem parentes dolore & rubore confusi bis térque terra occulentes, dum nequeunt eum perdere, consilio accepto in fluuio demerserunt. Cuius casum tantus fragor sequutus est, vt tota regio eiulasse crederetur. Eodem quoque anno Girbertus Papa obiit. Sequenti anno Abbo Abba martyrio coronatus est.

MXXVI. Iterum sub Gauzlino Abbate Floriacense Monasterium conflagratum est, sed biennio restauratum cum omnibus officiis, & Ecclesia S. Petri. B

MXXVIII. Obiit Gauzlinus Abba.

CHRONICON BREVE.

Ex Codice veteri Bibliothecæ Tilianæ.

A Iustiniano vsque ad Pipinum Seniorem anni II.
A Pipino seniore vsque ad Carolum anni XXVII.
A Carolo vsque ad Pipinum & Carlomanum anni XXVII.
Et à Pipino & Carlomano vsque dum Pipinus Rex constitutus est, anni X.
A Pipino verò vsque ad Carlum & Carlomanum anni IV.
Et inde domnus Carlus solus Regnum suscepit, & Deo protegente gubernat vsque in præsentem annum feliciter, qui est annus Regni eius XLII. Imperij autem IX.

PIPINVS Paruus genuit Karolum Magnum.
Karolus Magnus genuit Ludouicum Pium. C
Ludouicus Pius genuit Karolum Caluum.
Karolus Caluus genuit Clodouicum.
Clodouicus genuit Karolum Simplicem. Mortuo Clodouico remansit triennis Karolus infans. Deinde inito consilio Francorum electus est Odo in Regnum ad tempus. Deinceps Karolus ætate factus sceptrum Regni recepit cum assensu Odonis Regis. Tunc diuisum est Regnum in duas partes. A Rheno vsque ad Sequanam fuit Regnum Karoli. Et à Sequana vsque ad Hispaniam fuit Regnum Odonis: tamen in subiectione prædicti Karoli Regis.

Mortuo Odone, Robertus frater eius sine voluntate sæpedicti Karoli inuasit sceptrum Regni sui fratris. Indè creuerunt multa mala & perturbationes in Regno. Et indè conuenerunt ad prœlium apud Suessionem ciuitatem Karolus Rex cum Hainrico Saxonum Rege, & Robertus cum filio suo Hugone. In eodem prœlio occisus est Robertus Rex. & Hugo adhuc iuuenculus filius prædicti Roberti victor remansit in prœlio. fugauitque Karolum & Hainricum prædictos Reges.

Post modicum verò tempus Herbertus, omnium Principum Francorum pessimus, in compedibus alligauit suum Dominum, scilicet Regem Karolum: & vsque ad mortem in vinculis tenuit eum apud Parronam castrum.

A Deinde prædictus Hugo cum Herberto prædicto, & aliis Principibus Francorum, elegit sibi in Regem Rodulfum Burgundionum Ducem, virum fortem & sapientem.

Post mortem Rodulfi Regis, miserunt Principes Francorum vltra mare ad Aluardum Regem Anglorum, vt redderet eis Clodouicum, scilicet Karoli Regis filium, suúmque nepotem, vt sublimaretur illis in Regem.

Auctoritate verò auunculi sui reuersus est Clodouicus puer in Francia cum Legatis Francorum. Qui deuotissimè receperunt eum, & ordinauerunt illum super se Regem & Dominum.

Clodouicus fuit pater Clotharij.

Clotharius pater Clodouici.

Post mortem Clodouici Hugo Dux Rex factus est. Fuit enim pater Rotberti Regis.

Rotbertus verò genuit Hugonem & Henricum. Quem prædictum Hugonem propter seditionem Principum Francorum adhuc eo viuente sublimauit in Regem: videlicet sapientem iuuenem, iustum, & fortem bellatorem. Quod nequeo dicere nisi cum magno dolore. pubè tenus erat quando mortuus est. Deinde præ timore Francorum, germanum eius præfatum Henricum ordinauit in Regnum.

B Mortuo Roberto Rege, Henricus filius eius adhuc iuuenculus multas insidias & calamitates perpessus est à Principibus Regni sui. Sed auxilio Dei munitus, omnes inimicos suos subiugauit suæ seruituti.

CHRONICON ALIVD BREVE.

Ab initio Regni Francorum vsque ad annum M.C.XXXVII.

Ex Bibliotheca Thuana.

PIPINVS *Princeps filius Ansegili annis* XXVII.
Hic incipit Regnum Francorum.

ANNO Verbi incarnati CCCCXXV. Franci primum habuere Regem FERRAMVNDVM, cuius proles regnauit vsque ad DCLXXXVII. annum Verbi incarnati. Tunc enim Pipinus filius Ansegili Princeps Francorum fuit, cuius progenies est ita. Ausbertus Senator ex filia Clotarij Regis patris Dagoberti Blitilde genuit Arnaldum. Arnaldus genuit Arnulfum Metensem Episcopum. Arnulfus genuit tres, Frodulfum qui genuit Martinum, quem occidit Ebroinus, & Galchisum qui genuit Gandregisilum Abbatem, & Ansigilum qui genuit Pipinum. C Clodoueus filius Dagoberti brachium S. Dionysij abscidit, & regnum eius Francorum concidit pestiferis casibus. Clodoueus omni vicio plenus obiit anno regni sui XVI. principatus verò Pipini anno IV. Lotharius senior filius Clodouei regnauit cum matre Mathilde* ann. IV. Eo mortuo, Theodoricus frater eius regnauit in Francia Ebroino Principe, & Childericus frater eorum regnauit in Austria. Franci verò postea Theodericum de Regno eiiciunt, Childericum fratrem eius Regem facientes, & Hebroinum tondent, & Luxouio Monasterio in Burgundia dirigunt consilio Leodegarij Augustidunensis Episcopi, & Gerini fratris eius. Childericus à Bodilone Franco, quem ad stipitem tensum cædere præceperat, est occisus vnà cum Regina prægnante. Ebroinus egressus à Luxouio cum armorum apparatu Franciam venit, hoc consilium à beato Audoeno audiens. De Fredgunde tibi subueniat in memoriam. At ille hoc intelligens, insidiatores suos occidit, & Principatum recepit, reuocans Regem Theodoricum. Sanctum verò Leodegarium ferire iussit, & Gerinum fratrem eius dura pœnâ damnauit. Martinus, & Pipinus filius Ansigili, & sanguinei Principes Austriæ, à Theodorico & Ebruino fugati sunt. Martinus, Lauduno Clauato inclusus, ab Hebroini nunciis super vacuas capsas deceptus iurantibus, ab eodem Arcreco villa est occisus. Pipinus autem in Austria fugit. Hebroinus ab Ermenfredo occiditur, qui ad Pipinum fugit. Theodoricus obiit anno regni XIX.

* al. Nantilde

KAROLVS *Princeps filius Pipini annis* XXVII. *obiit anno Verbi incarnati* DCCXLI. A

KARLVS Saxones, Alamannos, Suauos, Baugarenses, occupauit. Frixones nauali prœlio vicit, Burgundiam subiugauit. Gothorum vrbes, Narbonam, Nemausam, Agathen vastauit. omnem regionem Prouinciæ adquisiuit. Gregorius Papa claues & vincula S. Petri ad Karlum direxit. quod ante factum non erat. Karlus primogenito Karlomanno Austriam, id est Alamanniam & Toringiam, Pipino iuniori Burgundiam, & Neustriam, & Prouinciam promisit. Karlus dictus Martellus multa munera S. Dionysio tribuens obiit XI. Kal. Nouembris. Sepultus in Basilica S. Dionysij.

PIPINVS *Rex filius Karli Principis ann.* XXVII.

PIPINVS & Karlomannus filij Karli Bouariam & Saxoniam conquisierunt. Anno Ducatus Pipini v. Carlomannus Romam perrexit, & in Serapte monte Ecclesiam in honore S. Siluestri fecit, & apud Cassinum in Ecclesia S. Benedicti Monachus factus est. Pipinus anno principatus x. iubente Zacharia Papa in Regem vnctus est Suessionis à Bonefacio Archiepiscopo. Anno regni Pipini XII. Stephanus Papa in Franciam ad Pipinum venit, adiutorium contra Haistulfum Regem Longobardorum quærens. Et Carlomannus Monachus venit ad Pipinum fratrem iussu Abbatis ad conturbandam petitionem Papæ, & pòst Vienna vrbe obiit. Stephanus Papa Pipinum, & duos filios Karolum & Carlomannum inunxit in Regem, in Ecclesia S. Dionysij. Stephanus Papa ægrotans in Ecclesia S. Dionysij ab Apostolis Petro & Paulo, & Dionysio visitatus, sanatus est. & dedicauit ibi altare in honore Petri & Pauli. Pipinus cum Stephano Papa Italiam pergens, apud Clausas Haistulphum vicit, & Papa à Missis Pipini Romam reductus. & Haistulfus in Papia inclusus, pollicitus est facere iustitiam S. Petro. & XL. obsidibus acceptis Pipinus in Franciam reuersus est. Sed Haistulfo promissa non implente, Pipinus eum iterum apud Papiam obsedit, & iustitiam Papæ repromittere fecit, & Rauennam & Pentapolim Papæ tradidit. Haistulfus volens sacramenta iterum irrumpere, dum venaretur Dei iudicio obiit. Bonefacius Archiepiscopus in Frisia effectus est. Constantinus Imperator misit Pipino cum aliis donis organum. Pipinus sexies contra VVaifarium Ducem Aquitanorum, qui iniuriam Ecclesiis Franciæ inferebat, perrexit, & cepit Burbunnum, Cantelam, Clarmontem, Lemouicas, Bituricas, Thoarcium, Cardurcum, Narbonam, Tolosam, Albiensem. Tassilo Dux Baiorum non tenuit sacramenta quæ Pipino auunculo suo fecerat. Pipinus vltimo anno regni & vitæ suæ apud Sanctonas cepit matrem, & sororem, & neptas VVaifarii: & domna Berthradane Regina vxore sua apud Sanctonas relicta, Petragoricum perrexit. Et occiso VVaifario cum triumpho Sanctonas reuersus, ibi ægrotans, assumpta Regina, per Ecclesiam beati Martini rediens apud S. Dionysium obiit anno Verbi incarnati DCCLXVIII. B C

KAROLVS-MAGNVS *filius Pipini Regis annis* XLV. *Obiit anno Verbi incarnati* DCCCXIII. *Imperij verò sui* XIV.

ALCVINVS à Karolo Ecclesiæ beati Martini prælatus, de Anglia venit Rege Merciorum. Sunt enim in Anglia IV. Regna, Regnum Merciorum, Regnum VVest-Saxonum, Regnum Cantuariorum, Regnum Nortanimbrorum. Sed Regnum VVest Saxonum aliis subiugatis permansit vsque ad Normannos. Anno regni Caroli XXII. adhuc erant Monachi Hiterio Abbate apud S. Martinum. Albinus Abbas Monachos constituit apud Cormaricum, quem Hiterius Abbas prædecessor dederat. In dormitorio beati Matini duo Angeli ingressi sunt, vnus extendebat indicem, alter Monachum quem ille ostendebat percutiebat. Vnus solus vigilans euasit, dicens: Adiuro te per nomen omnipotentis ne me percutias. Monachi illi, vt refert S. Odo, nimis deliciosè viuebant, & sericis induebantur vestibus, calciamenta erant vitrei coloris. Anno regni Karoli XXVIII. iam erant Canonici apud S. Martinum. Karolus dedit beato Martino Solarium, & alias res Italiæ. KAROLVS VII. Idus Octobris in Nouiomo vrbe, & Karlomannus in Suessione, filii Pipini eleuati sunt in Reges. Anno II. Rex Karolus pergens

A in Aquitaniam contra Hunaldum Ducem Aquitaniæ, ipsum cepit cum vxore, & reuersus est in Franciam. Anno III. regni Karolus Synodum habuit apud VVarmatiam. Anno IV. regni Karolus Synodum habuit apud Valentianas. & frater eius Carlomannus apud Salmociacum pridie Nonas Decembris obiit. Vxor verò Carlomanni in Italiam perrexit. Anno regni V. dum Carolus Theodone Palatio esset, Missus Adriani Papæ ad eum venit per mare vsque Massiliam, & inde pedestri itinere, quia viæ erant clausæ Romanis à Longobardis, postulans vt contra Desiderium Regem Longobardorum auxilium Papæ ferret. Qui Concilium apud Ienuam tenens misit Bernardum auunculum suum cum exercitu per montem Iuuem. Ipse perrexit per montem Cenisium, & Desiderio à Clusis fugato obsedit eum Papiæ, celebrans Natale Domini in castra, Pascha verò in Romam. Anno regni VI. Carolus Papiam cepit, & Desiderium, & thesauros eius, & omnem Italiam. Anno regni VII. bis Saxones rebellantes vicit. Natale apud Dociacum in Aquitaniam, Pascha apud Cassinogilum celebrauit.

LVDOVICVS PIVS *filius Caroli Magni ann.* XXVI. *obiit anno Verbi incarnati* DCCCXXXIX.

ANNO Verbi incarnati DCCCXVI. Lodouici anno III. Concilium habitum B Aquisgrani. Lodouicus dedit beato Martino Adrisiacum. Lodouicus ex Ermengarde genuit tres, Lotharium à quo Lotharingia nominata est, Pipinum, Lodouicum: ex Iudith autem Carolum Caluum.

CAROLVS CALVVS *filius Ludouici Pij annis* XXXVIII. *obiit anno incarnati Verbi* DCCCLXXVII.

ANNO Caroli XXXIII. & incarnati Verbi DCCCLXXII. Elfredus filius Ethelulfi Danorum partem Angliam infestantem ad fidem conuertit. ceteri infideles cum Hastem Duce eorum Gallias annis XIII. infestantes beatum Martinum Autissiodorum Canonicos transferre compulerunt. Sed pòst ab Ernulfo Imperatore redire in Angliam compulsi sunt. Rogatu Elfredi Iohannes Scotus rediit à Francia, vbi erat cum Carolo Caluo. Carolus anno regni XXXVI. à Iohanne Papa Imperator factus est. Anno Verbi incarnati DCCCLVI. Caroli autem XVII. Hilduini Abbatis III. facta est descriptio villarum S. Martini, cuius corpus nondum translatum erat Capleiæ. Sed anno eius XXXVIII. adhuc erat ibi, HVGONE Abbate propinquo ipsius Caroli. Carolus dedit B. Martino Capleiam, Miliacum, pro anima Iudith Augustæ matris suæ, & villam Montis. Anno incarnati Verbi DCCC. LXXIII. Carolus Caluus anno regni XXXIV. Normannos apud Andegauim obsedit, Salomone Rege Britonum cum exercitu sibi adiuuante. Sed pecuniâ sibi à C Normannis data, egressum præbuit eis, hoc pacto vt amplius Gallias non infestarent. quod illi nequaquam tenuerunt. Dani Sueuíque, quos Theotisti Norman, i. Aquilonares appellant, à Turoni B. Martini precibus fugati sunt tempore Caroli Stulti. Hi per XL. annos nunc Ligerim, nunc Sequanam inuehebantur, vrbes vastantes. Eo anno emerserunt, quo quatuor fratres, Lotharius, Pipinus, Lodouicus, Carolus Caluus, Fontanidos campos multo sanguine fœdauerunt Christianorum.

LODOVICVS BALBVS *vel Nihil-fecit, filius Caroli Calui, annis* II. *obiitque anno Verbi incarnati* DCCCLXXIX. *Compendium.*

LVDOVICVS dedit beato Martino Mellaum, Saldoam, Nouientum, Hugone Abbate propinquo suo. Corpus B. Martini anno XXXVI. relatum est Turoni.

CAROLVS STVLTVS *vel Capet filius Lodouici annis* XLIII. *Obiit anno Verbi incarnati* DCCCCXXII.

ANNO Verbi incarnati DCCCCI. Eduardus Rex Angliæ Elfredi filius Ediuam filiam suam dedit Carolo filio Lodouici Nihil-fecit filij Caroli Calui. Hic Carolus dedit Normanniam Rolloni cum filia sua Gisla. Hic non est dignatus pedem Caroli osculari, nisi ad os suum leuaret, Cúmque sui Comites illum ammo-

nerent, vt pedem Regis in acceptione tanti muneris oscularetur, linguâ Anglica A
respondit, *Ne se bigoth*, quod interpretatur, non per Deum. Rex verò & sui illum deridentes, & sermonem eius corruptè referentes, illum vocauerunt Bigoth. Vnde Normanni adhuc Bigothi dicuntur. Rollo cùm esset gentilis à Carnoto fugatus est, visa camisia B. Mariæ, quam Carolus Caluus detulit à Bizantio. Rollo obiit Rotomagi anno Ducatus XLII. regnante Carolo. ODO filius HVGONIS frater Roberti Abbatis & Comitis obiit anno regni sui X. & anno Verbi incarnati DCCCXCVII. Guido & Ama vxor eius dederunt beato Martino Votnum in pago Turonico. Petrus & Gaburgis dederunt B. Martino in pago Lemouico Birbiniacum & Betiniuag. Robertus Abbas dedit concessionem præbendarum Decano & Canonicis, quam Abbates soli dare solebant, anno Verbi incarnati DCCCCIV. Anno incarnati Verbi DCCCCIII. pridie Kal. Iulij festo S. Pauli regnante Carolo filio Lodouici Balbi, post obitum Odonis Regis in anno VI. & Roberti Abbatis anno XV. iterum succensa est Basilica B. Martini cum XXVIII. aliis Ecclesiis ab Heric & Baret Normannis cum toto castro. Robertus Abbas frater Odonis Regis vno anno regnans à Carolo Stulto occisus est in prœlio, in quo ante Robertus victor extiterat. Carolus Parronæ iacet. Garnegandus & Elena dederunt S. Martino Ecclesiam S. Martini apud Sodobriam, & Ecclesiam S. Dionysij in villa Voginato, anno Verbi incarnati DCCCXCV.

RODVLFVS *annis* XV. *Obiit anno Verbi incarnati* DCCCCXXXVII. B

HVGO Abbas filius Roberti Abbatis postea Regis dedit S. Martino Castellionum in pago Biturico, & Marciniacum in pago Turonico anno Rodulfi VIII. Rodulfus filius Richardi Ducis Burgundiæ à Carolo viuente Rex constitutus est, consilio Hugonis Magni filij Roberti Regis.

LVDOVICVS VLTRAMARINVS *filius Caroli Stulti ann.* XIX.
Obiit anno Verbi incarnati DCCCCLVI.

HVIVS anno VII. Guillelmus filius Rollonis Ducis Normanniæ à Balzono Curto in medio Sequanæ occisus est, propter mortem Riulfi & filij sui Anchetilli, anno Verbi incarnati DCCCCXLIV. Garumbaldus & vxor eius Ragintrudis dederunt S. Martino Odonis-curtem. Anno Verbi incarnati DCCCCXL. rogatu Tetholonis Archiepiscopi Turonensis præbenda data est S. Iuliano à Nesingo Decano, & Firmano Edituo. Anno III. Lodouici Hugo Abbas dedit S. Mauricio Luchiacum & Sexanas cum Haude vxore.

LOTHARIVS *filius Lodouici Vltramarini ann.* XXXI. *Obiit anno Verbi incarnati* DCCCCLXXXVII.

LOTHARIVS dedit regnum Lothariense Otoni & Henrico filiis Hugonis C
Magni, cuius filius etiam Hugo Capet Dux Francorum.

HVGO CAPET *annis* IV. *Obiit anno Verbi incarnati* DCCCCXC.

HVGONIS anno IV. Richardus filius Guillelmi Ducis Normanniæ filiam suam Emmam dedit Elfredo Regi Angliæ. Obiit anno Ducatus LII. Hic fecit Fiscannum Cœnobium. Hugo Capet fuit filius Hugonis Abbatis B. Martini filij Roberti Abbatis postea Regis.

ROBERTVS *filius Hugonis annis* XL. *Obiit anno Verbi incarnati* MXXXI.

RICHARDVS Dux Normanniæ obiit anno Ducatus XXVIII. anno verò Roberti Regis XXVI. Hic Richardus habuit duos filios, Richardum qui vno anno post patrem vixit, & Robertum, è Iudita filia Conani Comitis Britanniæ. Hic dicitur veneno necasse Richardum fratrem suum. Quare VII. anno Ducatus sui nudipes Hierusalem abiit, & Bithiniæ obiit. Robertus verò genuit Guillelmum ex concubina. Anno Verbi incarnati DCCCCXCVII. anno regni Roberti VI. incensum est castrum B. Martini, & ipsius Basilica cum XXII. Ecclesiis, VIII. Kal. Augusti, ab Oriente à fine S. Hilarij vsque ad S. Mariam pauperculam, & à meridie à porta

A à porta S. Petrutionis vsque ad Ligerim. Anno incarnati Verbi MXVI. prœlium Pontileuis factum est inter Comitem Blesensem & Andegauensem. Anno incarnati Verbi MXV. & anno Roberti XXIV. Ecclesia B. Martini quæ adhuc manet dedicata est. Robertus vir elemosynis deditus fuit, & fecit responsum *Iudæa & Hierusalem*, & Sequentia: *Sancti Spiritus assit nobis gratia*. Hic habuit filios. Odo erat maior *, sed quia stultus erat non fuit Rex. Henricus verò regnauit auxilio matris, & Roberti Ducis Normanniæ.

* *Sic & Guill. Malmesb. ac nonnulli alii. sed perperam.*

HENRICVS *filius Roberti ann.* XXIX. *Obiit anno incarnati Verbi* MLX.

ANNO Henrici XV. Verbi autem incarnati MXLVI. Haroldus filius Cnutonis non ex Emma regnauit annis IV. Hic expulit nouercam, cum ei Godoinus esset auxilio. Hæc apud Balduinum Comitem Flandriæ mansit triennio, qui fuit Philippi filij Henrici tutor. Eduardus quia liberis carebat, Guillelmo Duci Normanniæ cognato suo filio Roberti dedit Regnum, Haroldo filio Goduini huius rei legato. Ferunt quidam Haroldum vento Normanniam actum, finxisse se legatum esse, cùm à Guidone Comite Pontiui captus esset. Sed à Guillelmo liberatus, iurauit ei Regnum Angliæ.

B PHILIPPVS *filius Henrici annis* XLVII. *Obiit anno Verbi incarnati* MCVII.

ARVEGRE Rex Noricorum, & Tostinus Flandrensis, Angliam deuastantes, ab Heroldo deuicti & occisi sunt. Heroldus de præda nil militibus largitus est. Vnde post IX. menses & aliquot dies destitutus à pluribus, à Guillelmo Duce Normanniæ est deuictus. Hic primò in tutela Henrici Regis Francorum, postea multa ab eo perpessus est, & à Gaufredo Martello, qui deuicit Comitem Pictauensem, & Theobaudum Blesensem anno Verbi incarnati MXLII. Turonis pro redemptione accipiens. Hic fuit filius Fulconis, & filios non habuit, sed Comitatum reliquit nepotibus, Barbato, & Fulconi Richin, qui Barbatum in vincula tenuit. Huius Richin vxorem Philippus Rex Francorum abstulit, de qua filium Richin habuerat Fulconem, qui postea Rex fuit Hierusalem, & Gaufridum Martellum ex alia vxore habuit. qui quia probus erat insidiis suorum occisus est Cande castro anno Verbi incarnati MCV. Fulco Rex Hierusalem genuit Gaufridum, qui Mathildem filiam Hainrici Regis Angliæ filij Guillelmi vxorem duxit. Henrico Rege Francorum mortuo, Balduinus Comes Flandriæ tutor fuit Philippi Regis paruuli, cuius amitam duxerat. Hic Balduinus dedit in vxorem filiam suam Mathildem Guillemo. Guillemus Cenomannum concedete sibi Herberto accepit, & Britanniam ab eo Alanus Comes vt à suo domino suscepit. Britanniam quippe calumniabatur, quia Carolus eam Rolloni cum filia sua Gizla dederat. Guillelmus anno Ducatus XXX. vexillo sibi à Papa Alexandro misso, C in Angliam apud Hastingas appulit, XV. diebus ibi se pacificè agens. Heroldum deuicit & occidit. & die Natalis Domini apud Lundoniam coronatus. Anno Philippi VI. & incarnati Verbi MLXVI. Guillelmus in Normannia Monasterium fecit Cathomi in honore S. Stephani, vbi & Lanfrancus fuit Abbas, pòst Cantuariensis Archiepiscopus. Alterum in Anglia apud Hastingas in honore S. Martini, vbi fuit bellum. Filios habuit Robertum Comitem Normanniæ & Richardum qui adolescens obiit, & Guillelmum & Henricum postea Reges. filias verò, Ceciliam Cadomensem Abbatissam, & Constantiam vxorem Alani Comitis Britanniæ, & Adelam vxorem Stephani Blesensis. Mathildis verò vxor Guillelmi IV. annis ante eum defuncta Cadomi in Ecclesia S. Trinitatis, quam ipsa fecerat, sepulta est. Guillelmus ossa patris Niceæ condita transferebat. Sed audita morte eius Apuliam resederunt. Matrem dum vixit honorificè habuit. Fratres ex ea Robertum Comitem Moretonij fecit, Odonem verò Baiocensem Episcopum Comes fecit, Comitem verò Cantiæ Rex. Vnde postea dixit se non Episcopum, sed Comitem prendere. Mortuo Rege Guillelmo, filius eius Guillelmus, natus antequam Rex pater esset, adiuuante Lanfranco Archiepiscopo Cantuariæ festo SS. Cosmæ & Damiani coronatus est. Anno Verbi incarnati MXCV. à Papa Vrbano II. Concilium apud Clarummontem fuit mense Nouembri, vbi ad Hierusalem promissum est, assistento ibi Buamundo filio Guichardi, qui filiam Hen-

rici Regis Francorum accepit. & in medio mense Martij incœptum est iter. Tunc Robertus Comes Normanniam inuadente Guillelmo fratre suo anno Ducatus IX. pro decem milibus marchis argenti ei reliquit, & Hierusalem profectus est. Guillelmus Rex Angliæ Cenomannum ditioni suæ subiecit, & dum in Anglia esset nunciatum est ei eam esse obsessam. qui vento contrario mare turbidum ingressus est, dicens se nunquam audisse Regem naufragio perisse. Heliam Comitem cepit, & eum nocere sibi si posset permisit. Guillelmus Rex Angliæ in silua à Gauterio Tirel insciente pro ceruo sagitta percussus obiit anno Verbi incarnati
1100. MC. regni XIII. maior quadragenario, apud Guintoniam sepultus. Anno Verbi incarnati MXCVII. Philippi Regis XXXVII. VIII. Idus Aprilis combusta est Ecclesia B. Martini cum castro. Henricus anno regni patris sui Guillelmi III. natus est in Anglia. XXI. eiusdem regni, ætatis verò suæ XIX. à patre sumpsit arma in Pentecosten. Mortuo verò fratre Guillelmo Rege, IV. die post obitum fratris, Non. Augusti Londoniæ coronatus est, & die S. Martini accepit Mathildem filiam Malcolmi Regis Scotorum, & abneptem Eduardi Regis Angliæ ex fratre Eadmundo. Eodem anno Robertus frater eius accepta filia Guillelmi de Conuersana rediens à Hierusalem Normanniam recepit. Henrici anno II. Robertus Angliam intrauit mense Augusto, volens eam eripere fratri suo. Sed Henricus facit cum eo pacem, tria milia marcarum argenti quotannis verbotenus daturus, quas posteriori anno Robertus precibus Mathildis Reginæ libens condonauit. Henricus Anselmum Archiepiscopum à fratre Guillelmo eiectum Cantuariæ redire fecit. Henricus anno Regni V. vel VI. die S. Michaelis Robertum fratrem cepit, & Guillelmum Comitem Moretonij, Normanniámque vt suam habuit. De illo bello Robertus de Belesmo euasit, sed à Rege captus est. Roberti Comitis vxor mortua erat antequam captus esset, de qua filium habuit Guillelmum, qui filiam Comitis Andegauensis postea Regis Hierusalem duxit. Sed ab illa propter cognationem separatus sororem Reginæ Franciæ vxoris Ludouici Regis duxit, data ei Flandria post obitum Caroli Comitis. Sed Guillelmus non diu vixit, lancea manu percussus. Vrbanus in Galliam veniens iter ad Hierusalem prædicauit capiendam, & orationis gratiâ limina Sancti Martini expetiit anno Verbi incarnati MXCVII. Pontificatus autem IX. per Apostolica scripta præcipiens, vt nemo in Ecclesia B. Martini præter Papam & Regem, & Archiepiscopum Turononensem, semel in omni vita sua cum processionis honore reciperetur.

LVDOVICVS *filius Philippi annis* XXX. *Obiit anno Verbi incarn.* MCXXXVII.

HENRICVS Rex Angliæ habuit ex Mathilde Guillelmum, qui filiam Fulconis Comitis Andegauis duxit, accepto Comitatu Cenomannico, & Normanniam à Lodouico Rege Francorum facto sibi hominio suscepit. Sed XVII. ætatis suæ anno rediens in Angliam periit, & multi cum eo: Richardus filius Regis nothus, Comitissa Pertici filia Regis notha, & soror Theobaldi Comitis Blesensis, quorum cadauera inuenta non sunt. Henricus Rex Angliæ filiam Mathildem ex Mathilde natam dedit Henrico Imperatori Alemanniæ, qui quintus Imperator eius nominis Paschalem Papam cepit. Ex ea prolem non habuit. Quo mortuo, Mathildis in Angliam rediit, data postea Gaufrido Comiti Andegauis filio Fulconis, de quo prolem viuente patre suo suscepit. Henricus mortua vxore Mathilde, & apud VVestmonasterium sepulta, vbi per XVII. annos & semis relicto Regno vixerat, aliam duxit vxorem Adalam filiam Comitis de Luuanio. Anno Verbi incarnati MCXXXV. regni verò sui XXXV. Henricus Rex Angliæ obiit Rotomagum ante Natalem, sepultus in Anglia. Henrico Rege mortuo, Stephanus Comes Moretonij frater Theobaldi Comitis, nepos eius, die Natalis Domini coronatus est in Anglia, Normanniam etiam in suo dominio retinens. Anno Verbi incarn. MCXXII. Ecclesia B. Martini combusta est, & castrum, propter guerram quæ inter burgenses rebelles & Canonicos fuit in festo S. Gregorij. Ab Eracleo vsque ad hoc tempus additum est à PETRO BECHINI filio. Lodouicus Rex mortuo filio suo Philippo Rege, alterum filium suum Lodouicum Francorum, etiam Ducem Aquitaniæ fecit. Mortuo enim apud S. Iacobum Guillelmo Pictauense Comite, eius filiam duxit. Cúmque in celebrandis nuptiis in Aquitania moraretur, pater eius mortuus est, sepultus apud S. Dionysium. *Explicit.*

A

FRAGMENTVM DE REGIBVS FRANCORVM ET ANGLORVM,

EX LIBRO DE MIRABILIBVS MVNDI, QVI aliàs SOLATIVM IMPERATORIS, seu OTIA IMPERIALIA, nominatur.

Auctore GERVASIO TILLEBERIENSI *Marescallo Regni Arelatensis.*

B AD OTTONEM IV. IMPERATOREM.

DE REGNO FRANCORVM, & eius ortu.

DECVRRIMVS, vt breuiùs potuimus, Regnum Britonum, quod vsque ad Anglos è Germania venientes tunc SAXONES dictos, protraximus. Ex quorum stirpe ab vtroque parente, Princeps serenissime, descendisti: patrem habens illustrem HENRICVM Ducem Saxoniæ, auum verò per matrem illustrissimum Regem Anglorum HENRICVM. Et quia tua Imperialis Maiestas à CAROLO MAGNO Romanum reintegratum Imperium tenet, & ex parte matris Reges Francorum contingis, Comite Theobaldo auo Regis huius PHILIPPI existente, eodémque abaui tui vetustissimi Regis Henrici nepote: REGNVM FRANCORVM quo stemate succreuerit breuiter explicemus: qualiter à Troiano prodierit excidio, & ad CAROLVM vsque peruenerit, edocturi.

C CLODOVEVS igitur Rex Francorum primus baptismum per manus sancti Remigij suscepit. cui dum baptizaretur, ait S. Remigius: *Mitis depone colla Sicamber. Adora quod incendisti, incende quod adorasti.* Hic Burgundiones tributarios fecit. Gothos ab Aquitania expulit, interfecto Alarico Rege ipsorum. Anno v. post Alaricum interfectum mortuo Clodoueo, quatuor filij eius Regnum diuidunt. Theodoricus enim sedem sortitur Metis, Clodomirus Aurelianis, Childebertus Parisius, Clotarius Suessionis.

THEODORICO successit filius eius Theubertus. Theuberto successit Theobaldus filius eius.

CHILDEBERTO apud Parisius defuncto, Regnum eius & thesauros Clotarius accepit. Clotario apud Compendium mortuo, Aribertus, Gundrannus, Chilpericus, & Sigobertus, Regnum patris diuidunt. Aribertus Parisius, Gundrannus Aurelianis, Chilpericus Suessionis, Sigobertus Metis sedem elegit.

SIGOBERTO à duobus pueris dolo Chilperici fratris sui interfecto, Childebertus Regnum patris accepit. CHILPERICO Clotarius eius filius paruulus successit. Gundranno quoque mortuo, Childebertus eius filius* Regnum accepit. qui Italiam ingressus Langobardos suæ ditioni subicit, & post amicitias cum eis iniit.

* *adoptiuus scilicet.*

CHILDEBERTO Theobertus & Theodoricus succedunt anno Regni Clotarii XIV. Theobertus sortitur Austriam, sedem habens Metis: Theodoricus Re-

gnum cepit Gundrani in Burgundia, sedem constituens Aurelianis. Anno A
* Clotarii xvii. Theodorici * Regis, Theodoricus vinctum fratrem suum Theobertum Cauillonem destinauit. Ipséque anno secundo ventris profluuio moritur. Brunichildis eius auia cum filiis Theodorici Metis resedit. Clotarius verò super eam irruens, filios Theodorici interfecit, ipsam diuersis pœnis ad internicionem ducens. Sicque omne Regnum Francorum Clotario iuniori subicitur. Clotarius Longobardis indicta à Childeberto tributa remisit, amicitiæ fœdus cum eis pactus.

Clotario succedunt Dagobertus & Aribertus. Nec post multum Ariberto mortuo, Dagobertus totum Regnum possidet. Et hic Sigobertum filium suum in Austriæ Regnum sublimauit, sedem habens Metis. Filius verò eius
* al. Nantilde Clodoueus post eius obitum sub ætate tenera Regnum patris obtinuit. Egla verò cum Regina Mathilde *, quam Dagobertus reliquerat, condignè Palatium gubernat, & Regnum Francorum. Anno iii. Regni Clodouei Egla moritur. cui succedunt Archinaldus in Neustria, & Flauianus in Burgundia. Eo anno Pipinus Maior domus in Palatio Sigoberti moritur. & Otho, qui Baiulus Sigoberti fuerat, in locum eius substituitur. & ipse ab Eleutherio Alemannorum Duce interficitur. Post hoc Regnum Austriæ, maiórque gradus in Palatio Sigoberti, in manu Grimaldi filij Pipini confirmata sunt. Sed hic Parisius propter quasdam secretas factiones in carcerem truditur, ibique B moritur.

Clodoveo igitur mortuo, successit filius Clotarius. Francíque Ebroinum Maiorem domus eius constituerunt in locum Erchinoaldi, qui fuit Maior domus. Clotario mortuo, succedunt Theodoricus & Childericus fratres. Theodoricus in Francia, habens Maiorem domus Ebroinum: Childericus in Austria cum VVlfardo Duce. Franci verò commoti Ebroinum tonsum Monasterio Lixouiensi tradunt, & Theodoricum crinibus incisis à Regno pellunt. Childericus verò ab Austria vocatus, Regnum Francorum cepit. Erat autem Childericus leuis per omnia, incautè agens. Vnde inter eos odium scandalúmque maximum creuit. Francos quoque plurimum opprimebat. Ex quibus vnum Franconem dictum Odilonem ad stipitem tensum grauissimè cædi sine lege præcepit. Hoc videntes Franci ita sunt turbati, quòd Ingobertus & Amalbertus, ac reliqui Maiores natu Francorum, contra Childericum concitantur. Sícque ab Odilone Rex cum Regina prægnante interficitur. VVlfardus verò vix sibi per fugam consulens, in Austriam redit. Franci verò Leudicium filium Archinoaldi Maiorem domus ac Palatij statuerunt. Ebroinus itaque comam nutriens, & tonsuram deserens, magna turbâ stipatus Isaram transit, insidiatorésque suos potenter occidit. Lodoisus cum Theodorico Rege sociisque plurimis aufugit. Ebroinúsque persequens eos, Bacio villa veniens thesauros regios inuadit, Regnúmque recepit, Lodouico ad se vocato, fraudulentérque C occiso. Sanctum Leodegarium Augustodunensem diuersis pœnis afflictum gladio peremit. Girinum fratrem eius dira pœnâ damnauit. Reliqui verò Franci partim exilio traditi, partim propriis laribus pulsi, fugâ sibi consulunt.

Eo igitur tempore, descendente VVlfardo in Austriam, Pipinus & Martinus dominabantur in Austria. Qui contra Ebroinum arma mouerunt. Quibus Ebroinus atque Theodoricus occurrunt. Maxima inuicem cæde facta, Austri terga vertunt. Martinus per fugam lapsus Lugduni se recipit, Pipino altrinsecus euadente. Martinus falso Ebroini muncio seductus, ad Theodorici colloquium veniens, cum sociis suis dolosè perimitur. Verùm post plurimas fraudes Ebroini, ipse quoque ab Ermenfredo Franco, cui insidias parauerat, occiditur. Ermenfredus in Austriam ad Pipinum fugit. Franci verò VVarathonem virum illustrem Maiorem domus constituunt. Pipinus verò ab Austria cum exercitu veniens, Theodoricum Regem & Bertarium terga vertere compulit. & Pipino victoria cessit. Nec longè post Bertario ab adulatoribus suis interfecto, Pipinus cœpit esse Domus Theodorici Regis Magister. & ex vxore sua plurimùm sapiente duos genuit filios, scilicet Drogvm maiorem, qui Ducatum cepit Campaniæ, & Grimaldvm minorem.

Eo tempore Theodorico morienti successit Clodoueus filius eius puer,

A regnauitque duobus annis. Cui successit Childebertus frater eius. In cuius Domo Maior constituitur Grimaldus filius Pipini. Ex concubina genuit Theobaldum & dictus Pipini primogenitus moritur. Cui adiungitur alius ex alia vxore filius Pipini KAROLVS Vetulus, vir elegans, egregius, atque vtilis. Pipinus autem, multis bellis gestis contra Gentes plurimas, anno Domini DCCX. 710.
migrauit in Alemanniam. Annóque sequenti facta ingenti aquarum inundatione, Childebertus Rex migrauit ad Dominum. Cui successit Dagobertus filius eius. Cuius anno primo Grimaldus Pipini filius interficitur. In cuius locum Theobaldus filius eius erigitur, vt sit Maior Domus Regis. Anno verò Domini DCCXIV. Pipinus moritur. Franci verò denuò in Cocia silua in Theo- 714.
baldum & Austrios irruerunt; & post multam hinc stragem Theobaldus vix fugæ consilio euasit. Quo fugato, Franci Ragumfredum Maiorem Domus elegerunt. Karolus quoque Pipini filius à Plectrude Pipini relicta sub custodiâ tentus, vix euasit. Dagobertóque defuncto, Franci Danielem Clericum relicta tonsurâ Regem constituerunt, quem Chilpericum nominauerunt.

Eo tempore Semia Rex Saracenorum Hispaniam ingressus, deuictis Hispaniæ Gothis, Hispaniâ capta, Narbonam capit: maribus occisis mulieres captiuas in Hispaniam ducit. Et eodem anno Tholosam obsidet. Verùm Eodo-
B ne Principe Aquitaniæ cum Francis præliante, Saraceni fugantur, ex quibus multi perimuntur. Postea quinto anno Ambisa Rex Saracenorum potenter ingressus inuadit Gallias, Carcasonam capit, & vsque Nemausum veniens, eos obsides Barchinonam transmisit.

ANNO Domini DCCXVII. Chilpericus Rex cum Ragumfrido & Fran- 717.
cis Arduenciam siluam ingressus, & vsque ad Rhenum Coloniam vrbem perueniens, terris vastatis, cùm reuerteretur, à Karolo Pipini filio grauiter inuaditur. & cùm iterato bello, Karolo pacem postulante, nec obtinente, fieret congressus, Chilpericus cum Ragumfredo & Francis terga vertit. Karolus in Austriam reuersus victor Coloniam ingreditur, Plectrudem thesauris Pipini patris sui spoliat, illic Clotharium Regem instituens. Chilpericus Eodonem Aquitaniæ Principem contra Karolum dirigit. qui dum fugatur, Parisius reuertitur: & Chilpericus sublatis thesauris multis vltra Ligerim recedit, fugiens Karoli persecutionem. Clotharius tunc in Austria obiit. & Karolo cum Eodone pacem faciente, moritur Chilpericus. Cui successorem Franci erigunt Theodoricum filium Dagoberti.

POST hæc Abderamon Rex Hispaniæ Saracenus in manu forti per Pampilonam transiens, Pyrenæisque montibus decursis, Burdegalim obsidet. Et Eodo Dux Aquitaniæ à Saracenis vincitur. Verùm Karoli Principis Franco-
C rum auxilio, vincit iterato bello Saracenos, Rege eorum perempto. Sicque Karolus reuersus in Franciam, ipsam suo subiecit imperio. Nec mora Iussepibin Abderamonis Regis in Narbona Præfectus Arelatensem ciuitatem inuadit, & Prouinciam vastat. Ob cuius defensionem Gregorius Iunior Papa Karolum ad Primatum Romanum euocat, suadens vt à partibus Imperatoris Græcorum recederet. Quo facto, Karolus Burgundiam ingrediens, Auinionem capit, Saracenis occisis. & indè Narbonam obsidet. Interim cum parte exercitus sui Aucupam Saracenorum Regem vincit, & cum spoliis Franciam regreditur. Magalona destructa, Arenisque Nemausensibus & portis exustis, obsides in Franciam duxit.

De KAROLO *primo vsque ad* KAROLVM MAGNVM.

ANNO Domini DCCXLI. KAROLVS Pipini filius obiit. Cuius Principa- 741.
tum filij PIPINVS & KARLOMANNVS diuidunt. Carlomannus Austriam, Alemanniam, atque Toringiam sortitur: Pipinus Burgundiam, Neustriam, atque Prouinciam. Verùm Carlomannus apud Montem-Cassinum monachatus, filios suos fratri commendat. & Pipinus Regnum fratris suscipit.

INTEREA GAVFARIO Principe Aquitaniæ Narbonam deprædante, Ausi-

mundus Gothus Pipino Nemausum, Magolonam, & Biterris tradit. Francique A
Narbonam infestant. Pipinus Galfarium Principem persequitur, eo quod se
ditioni suæ subtrahebat. Franci Narbonam diu obsessam per Gothos reci-
piunt, peremptis Sarracenis: facta pactione cum Francis, quod illic Gothi pa-
triis legibus, moribus paternis viuant. Et sic Narbonensis Prouincia Pipino
subicitur. Et Galfario mortuo, Pipinus, Aquitania capta, post paucos dies obijt.
Cui succedunt filii, KAROLVS, & CARLOMANNVS. Sed Carlomanno in
breui defuncto, Karolus solus regnauit. Qui congregato exercitu, Desiderium
Regem Longobardorum Papiæ obsessum, & captum, in Franciam misit. Sic-
que Regnum Longobardorum finitur.

KAROLVS Romam venit, susceptóque Patriciatu, redit in Hispaniam,
vbi Rex Sarracenorum Abamaurus Pampaloniam & se ditioni illius subiecit.
Hoc anno Karolo nascitur filius LODOVICVS. Exhinc nascitur & alius, quem
nominabant Franci CARLOMANNVM. Sed Vrbanus * Papa mutauit eius
nomen in PIPINVM. quem etiam Vrbanus vnxit in Regem Italiæ, Lodoui-
co Regnum Aquitaniæ obtinente. Tunc Rotheuida Regis Karoli filia Con-
stantino Imperatori desponsatur. Posthæc Abdelinet Rex Sarracenorum ad va-
standas Gallias veniens, suburbium Narbonæ succendit. multáque Christia-
norum strage facta, ac præda *, dum Carcasonam tendit, à Comite GVIL-
LERMO aliisque Francorum Principibus bello conserto præpeditur. Commis-
so itaque bello graui, cum plurima interitione Christianorum, Comes Guiller- B
mus post diurnam pugnam à bello diuertit: Sarracenis in Hispaniam cum spo-
liis regredientibus.

801. ANNO ergo Domini DCCCI. cùm apud Græcos nomen Imperatoris va-
caret, & feminis cessisset imperandi dominatio, KAROLVS Romæ moram fa-
ciens, accepit à Leone Papa & vniuerso Populo Romano Decretum, vt no-
men Imperatoris indueret, & Augusti: eò quòd Imperatores in Romana Vrbe
sedem pridem habuissent, qui & Augusti vocabantur. In proxima itaque Chri-
sti Natiuitatis solemnitate, KAROLVS cum consecratione nomen Augusti
Imperiúmque à Papa Leone suscepit. Ex hoc igitur tempore Græcorum Im-
perio apud Orientem euanescente, nomen rediit Imperatoris ad quasdam par-
tes Occidentis. Ex quo quædam Romani Imperii facta est confusio, dum duo-
bus nomen vnum tenentibus, diuisio minuit potestatem. Et sicut à solo Deo
Græcorum pendet Imperium, ita à Sede tantum Romana Papa Occidentis
asserit pendere Imperium. Ecce enim noua & inusitata hæc commutatio facit,
vt Papa solus insignia ferat Imperialia, & Imperator Romanus nomen Impe-
riale teneat sub vulgaribus aliorum Regum insignibus. Papa Dominum vrbis
ac Imperialis sedis se monstrat, & Imperator sub nomine dominationis Papæ
minister dicitur, & in temporalibus Apostolorum executor. Hinc ille Vicarius
Christi, & Apostolorum successor nominatur. C

ECCE quàm infelix vrbis permutatio, quæ sub vnitate, vt dicit Papa, domi-
nii, duobus seruire dicitur, vni ex corona, alteri ex potentia. Verùm in hoc an-
tiquæ nobilitatis recordatur efferitatem vtriusque domini Roma. Vtrumque do-
minum nominat, cùm pro suæ voluntatis arbitrio ipsa vtrique dominatur, vtrique
molesta, vtrique ceruicosa, neutrum fugit, & vtrumque paruipendit. Apud Prin-
cipes Almanniæ Imperatoris est electio, apud Papam electi confirmatio ac con-
secratio. & noua discretione Imperator nominatur vt Dominus, consecratur vt
non Dominus. Nempe Imperialia non accipit insignia, quæ sibi soli Papa colle-
cta conseruat, vt ad altare modicum in dextro latere Basilicæ S. Petri in vnctio-
nem suscipiat. Sanè Constantinopolitanus Imperator sede mutata, non dignita-
te; suo iure, non Papali beneficio, Imperialia gestat insignia. Et velut profu-
sæ largitionis donator, donatarium summum Pontificem non euocat, ad adiuto-
rium Domini habens suæ dignitatis plenitudinem. Verùm de hoc querelam po-
test * in benefactum, quod cùm ex Constantini benefacto immensam recepit cum
singulari honore dominationem Principi soli debitam, non debuit vsurpare vt alij
conferret Augusti appellationem. Et nisi os viderer in cœlum ponere, constanter
dicerem, aut Imperium Romanum non posse cuiusuis Imperatoris largitione
exuere: aut si potuit ius Imperii in Pontificem mutare, non potuit in donatoris

A præiudicium donatarius Augusti nomen, quod ipse non habuit, alij conferre. Porrò quiescente contentione, in te videtur Deus, ô Princeps sacratissime, veteris Imperialis dignitatis plenitudinem conflasse, dum ex genere oriundus Imperiali, duplicis electionis, & Papalis confirmationis stolam meruisti, dignóque Dei iudicio restitutus in Regnum, sub cuius acquisitione pugnando diu vacillaueras, & hostem sine tuo consilio ex alieno dolo prostratum vidisti, & ad antiquæ Celsitudinis reintegrationem Monarchiam Constantinopolitanam vendicabis, vitâ comite, Imperij, quod ex propinquitate tuæ debetur Augustæ. Precor itaque, Christianissime Imperator, vt cum tuo consecratore nullam habeas controuersiam. sed velut boni patris prudens filius, conuerte gladium ad gentes quæ te non nouerunt. Et sicut ex sanctissimi Papæ Innocentij III. duplici gratiâ vltimum Imperatoris nomen obtinuisti, sic per bonam innocentiam tuam & eius gratiam Imperium nouum, & à Deo sub Constantino firmatum obtineas, & gaudium tuum impleatur: dum nihil erit quod deesse tibi possit ad gloriam Imperialem: hinc nomine tibi Augustali dato, illinc insignibus Imperialibus, quæ non habes, obuenturis, & vtrobique dominationis augmento crescente.

De Imperatoribus Romanis post Karolum.

B REGNVM Francorum duximus vsque ad Imperium illi coagulatum. Et quoniam Imperium modico tempore per successiones continuas à patre in filium descendit, breuiter qui extunc in Imperio Romanorum imperauerunt annectamus. Vnde ergo KAROLVS strenuè Rempublicam administraret, volens laudabilem fidei Christianæ defensionem ad suos successores transmittere, regnante in Hispaniis Abulaz filio Etham Sarraceno, destinauit contra odiosam sibi gentem filium suum LODOVICVM Regem Aquitaniæ. Qui congregato exercitu Gasconum, Burgundionum, atque Gothorum, Barcinonam capit, Regnóque Francorum subicit. Videns itaque Karolus suæ strenuitatis heredem fore Lodouicum, consilio Episcoporum, & Ducum ac Principum, constituit Lodouicum Imperatorem: tradens illi per coronam auream Imperium. Sicque feliciter migrauit ad Dominum anno Domini DCCCXIII. x. Kal. Februarij, regni eius 813. anno XLVII. Imperij sui XII.

SANE LODOVICVS Imperator apud Aquisgrani in Palatio congregatis Episcopis, Ducibus, & Francorum Principibus, constituit vt vnus ex tribus filiis eius Imperium post eum haberet, qui maior natu erat LOTHARIVS. cui per coronam auream tradidit Imperij dignitatem. Hoc grauiter ferens Bernardus Rex Italiæ Pippini filius, & Lodouici ex fratre nepos, contra Ludouicum & filios eius insidias parat. Sed à Francis præuentus & captus, iussu Imperatoris excæcatus est, & eius fautores iusto iudicio puniti sunt. Imperauit ergo Ludouicus cum filio suo Lothario, quem alij Clotarium nominant. Ipsóque mortuo, imperauit solus Lo-
C tharius; & processu temporis filium suum Ludouicum Imperatorem erexit. Cui successit KAROLVS II. in Imperatoria dignitate. Nempe ante Karolum patrem Ludouici, Patricij tantum erant Francorum Reges Senatus Romani, non Imperatores. Karolo II. successit Karolus III. Cui Ludouicus. Cui Berengarius. Cui Hugo. Cui Berengarius II. Cui Lotharius. Cui Berengarius cum Aldeberto filio. Cui Otto I. Cui Otto II. cum Ottone filio. Mortuo quoque Ottone II. solus imperauit filius eius Otto III. Post quem Henricus. Post quem Cunradus. Post quem Henricus II. Post quem Henricus III. Post quem Henricus IV. Rex Teutonicorum. A quo primo anno eius Imperij captus est Paschalis Papa II. Et factum est scisma, Imperatore tuente Antipapam Galterinum: tempore Paschalis & Vrbani II. perseuerante scismate. Imperauit quoque memoratus Henricus sedentibus Gelasio II. & Calixto II. & Honorio II. & Innocentio II. Cuius tempore moritur Henricus Imperator, & succedit ei LOTHARIVS Imperator proauus tuus, Princeps serenissime. Qui sicut ab Innocentio consecratur, ita deuotus & innocens Romanus erga Romanam semper extitit Ecclesiam. Hic legem feodorum primus instituit, sanciens vt nullus feodum vel partem feodi audeat vendere, seu impignorare, vel quocumque modo alienare sine permissione maioris Domini, ad quem feodum spectare dignoscitur. Huic

sanctæ constitutioni, quia futuris tantùm, & non præteritis formam dabat nego-
» ciis, FREDERICVS Imperator addidit hæc: Nos autem ad pleniorem Regni
» vtilitatem prouidentes non solùm in posterum, sed etiam omnes huiusmodi primò
» factas alienationes cassamus, & in irritum duximus, nullius temporis præscriptio-
» ne impediente. quod & mihi & nostris contulisti.

PIISSIMO LOTHARIO successit Conradus vir quidam strenuus, qui & ipse iuncto sibi piissimo Rege Francorum LVDOVICO patre Regis huius PHILIPPI, vltramarinam fecit peregrinationem, comitatus nepote suo milite strenuissimo Frederico, cuius miliciam & audaciam Damascus testatur. Conrado successit FREDERICVS, plus ad hoc operante strenuitate sua, quàm electione Teutonicorum. Hic cùm regnasset tempore Papæ Eugenij genere Tusci, necnon Anastasij III. Adriani quoque genere Angli Rufensis Canonici, ab ipso Adriano in Imperatorem consecratur. Cúmque mortuo Adriano Papa Alexander succederet III. genere Senensis, Fredericus scisma longissimo tempore suscitauit, ac defendit. Verùm Alexander, vt erat vir summi ingenij, & inter constantiæ ac patientiæ semitas discretissimus, dum potuit exhortando, dum locus fuit gladio spirituali feriendo, omnia pro tempore sustinens, & pro tempore vindicans, ad vltimum Imperatorem vicit, & quem atrocissimis morsibus in gregem Dominicum sæuientem vidimus, in breui victum conspeximus catastis regni cœlestis. In Concilio siquidem Veneto pœnitentem Imperatorem ad sinum matris Ecclesiæ regressum intuiti sumus, cum summa humilitate per manus sanctissimi Papæ Alexandri, quem dedit pater pœnitenti filio, recepisse. Tunc Mediolanum in manu forti diutina obsidione pressum, lassatum ac deditum, in plures vicos distrinxerat, deiectis turribus & quassatis munitionibus, tribúsque Magis Coloniam Agrippinam quoque perlatis, quasi fugiens victor Italiam declinauit. Verùm in Italiam rediens, resumptis viribus, Alexandriam, quam ciuitatem nouam à Lombardis constructam suo nomine Alexander Papa Alexandriam nominans decorauit, obsidet. nec in impugnando proficit. Quinimò inde rediens, in confinio Comitatus Mediolanensis à ciuibus Mediolani grauem iacturam conserto prœlio sustinuit. Ideóque, vt præmisimus, viribus humanis deficientibus, coactus est immortali Regi indomita colla submittere. Quid plura? Tunc erecto in Regem Teutonicorum, Arelatensium, & Lombardorum, filio suo primogenito HENRICO, salutato summo Pontifice, cum innumera strenuorum militum multitudine Fredericus ad pridem consuetas paganorum pugnas repetendas peregrinationis iter arripuit. Decursis Hunis, transito Danubio, Meothidísque paludibus transactis, vbi se in mare Euxinúmque Pontum deiciunt, ad brachium sancti Georgij vulgo dictum, Iconium venit. Ibique multiplici paganorum resistentium pugnâ fatigatus, terram Antiochenam ingressus, cùm suæ felicitatis consummationem iocundam suscepturus, Terram promissionis accederet, lauacrum in satis modico amne sui corporis faciens, diem clausit extremum.

EXACTIS ergo post Alexandrum Papam sub Regno Henrici filij Frederici summis Pontificibus, Lucio, Vrbano III. Mediolanense facundissimo, ac in animositate & constantia Mediolan. sapiente Gregorio, qui se citiùs vidit morientem ferè quàm Pontificem, Clemente, tempore Celestini HENRICVS Romæ coronatus, ab eo nomen suscepit Augusti. dato Tusculano ad intericionem ob fauorem Senatus, ad inspiciendum *. Erat autem Henricus vir apud moderatos modestus, apud rebelles atrocissimus, hostibus inuictus, contumacibus seuerus, proditoribus immisericors. Litteratis ipse litteratior, quod in armorum minus erat exercitio, supplebat ingenio. Facundus & munificus, gratiosus apud bonos, expositus apud simplices. contra superbos ceruicosus, pace sapiebat, non gladio. Quoscumque seditiosos praua faciebat intentio, præueniebat consilio. Hic legem instituit apud Teutones, vt militiæ more Gallorum & Anglorum successionis iure deuoluerentur ad proximiores cognationis gradus, cùm antea magis penderent ex Principis gratiâ. Ideóque ad suum refundens commodum quod aliis impertitus est beneficium, impetrauit à subditis, vt cessante pristina Palatinorum electione, Imperium in ipsius posteritatem, distincta proximorum successione, transiret. & sic in ipso terminus esset electionis, principiúmque successiuæ dignitatis. Hic Regem RICARDVM non tam Anglorum Regem, quàm fidei

Christianæ defensorem, consilio Philippi Regis Francorum, dum ab vltramarina peregrinatione post plurima incredibiliter ac strenuè gesta rediret, capit, & redemptioni pecuniariæ adicit: vt non timeat depauperatum, quem timebat affluentem. Recipit Imperator minus honestè redemptionis precium, non vt arbitror voto cordis assueto satisfaciens, sed instantiæ suæ ac necessitati consulens. Quippe, vt antiquitati cognitum est, pridem è Normannia venientes Robertus Guiscardus & Rogerus fratres, Campaniæ partem, quam Principatum dicimus Capuanum, aut Terram Laboris, inuadentes, pigritiam ac pusillanimitatem Longobardorum persecuti vsque ad extremos cineres, auctore gladio, dolóque interdum intercurrente, Apuliam, Calabriam, Siciliam, Africámque superiorem suæ ditioni subiciunt. Vnde Rex Rogerus in gladio suo inscribi iussit illud triumphale & apophoreticum,

Apulus & Calaber, Siculus mihi seruit, & Affer.

Hæc indignè possessa indignanter sustinens magnanimus Imperator Fredericus, quibus potuit modis Imperio Romano terras illas reddendas vendicat. Verùm, strenuissimus Rex Rogerus, eiúsque successores, Regis Guillermi paterno vsi consilio, semper eos vt attemptent in Imperatorem, precio clam dato, corruptos excitant ad arma in Imperatorem mouenda: vt illorum labor & inquies, & eorum commotio, sit ipsorum inter suos fortitudo. Tandem exquisito Frederici consilio B amitam Regis Guillermi, qui materteram tuam, Princeps excellentissime, Reginam Ioannam duxerat in vxorem, Henrico, de quo res agitur, filio suo copulat Constanciam: spe concepta, quòd deficiente prole legitima ex Rege Guillermo, amita tanquam propinquior succedentis iura Imperij reintegraret. Deficientéque illustri Rege Guillermo, per multos Regulos sparsa dominatione tanti Principis, Imperator Henricus amore quærendæ pecuniæ, qua sumptus tantæ quæstionis explicet, Regem illustrem auunculum vestrum, vt præmisimus, captum precio subiecit redemptionis. Cúmque per multos labores tristésque angustias, post tam Clericorum quàm Principum atrocissimas purgationes, quicquid cordi fuerat subiecisset Imperio, familiari potatus veneno positus est ad patres suos.

Exhinc tua procedit electio, restituta tibi ex proaui tui piissimi Imperatoris Lotharii successione debita imperandi dominatione. Sanè successibus felicitatis tuæ inuidit hostis antiquus. Et licèt Constitutione pridem cum Principibus Teutonicis facta ab Henrico de successione Imperij per sanctissimum Papam Innocentium cassata, quia vis eligendi Principibus adempta per hanc fuerit, tum quia permutatio beneficiorum damnosa fieri posset Imperio, tum quia si filius paruulus, aut minus discretus, iure successionis Imperium vendicaret, pendente ætatis perfectiore consilio totius Imperij ruina immineret. Tum quia ius Romanæ Ecclesiæ circa confirmationem Imperatoris, ac consecrationem, aut reprobationem, pateretur diminutionem. Licèt, inquàm, tua in expedito esset dominatio, C intuens Rex Francorum scilicet Philippus strenuitatem auunculi tui maiestati tuæ Celsitudinis ad inarcessibilem potiendi paritatem adiuuari, Philippum Henrici fratrem, Ducem tunc Sueuorum, velut suæ cogitationis instrumentum mouet ad vendicandum Regnum. Enimuerò post multos arridentis tibi fortunæ applausus, & victoriam de hoste poscebat, iam rota tuæ prosperitatis ad decliuium flecti videbatur, cùm Dominus omnium moderator & rector, fraude suorum præuentum Philippum de medio exemit; dans iterata electione, nouáque domini Papæ Innocentij confirmatione tibi præcedentis, quinimò iam prope labentis dominationis statum.

De successionibus Regum Francorum post Karolum.

Explicuimus Imperatorum Romanorum catalogum. Consonans erit Operi cœpto Reges Francorum suis nominibus designare, qui post Karolum in Regno Francorum regnauerunt. Regnauit ergo post Karolum Magnum Ludouicus Pius filius eius. Cui successit Karolus Caluus. Cui successit Ludouicus, qui Nihil fecit. Cui successit Karolus Stultus. Cui successit Ludouicus Vltramarinus, Cui successit Lotharius. Lothario successit Ludouicus, qui adhuc puer Blanchiam duxit vxorem. Exhinc Reges de Familia Karoli defecerunt. Ludoui-

cus enim iste HVGONEM militem strenuissimum in Maiorem Domus suæ elegit. Cui vna nocte duo Sancti apparuerunt, videlicet VValricus & Richarius, proponentes se loco minus honorato sepultos esse. Rogabant itaque Hugonem, vt ossa eorum cum debita reuerentia transferret, & in loco honesto recondita sepeliret: sub huiusmodi spe mercedis, quòd ei daretur Regnum Francorum, & vsque in septimam generationem apud suos successiuè perseueraret. Visioni repentè fidelis affuit executor, & dum talia solemniùs agerentur, ac deuotiùs, Ludouicus Rex ægritudine graui correptus decubuit. Nec diutinam passus langoris instantiam, testamentum conditurus, Reginam sibi vnicè dilectam, & Hugonem, ad iuranda mandata quæ daret coëgit, iureiurando hinc indè præstito. Donat Regnum vxori suæ, sub præstiti sacramenti fide Hugonem obtestans, vt post datum legibus diem ducat in vxorem Blanchiam, Regno suo potiturus, & dominio. Sepulto Rege cum pietate & reuerentia Regi debita, Hugo Blanchiam sub tempore & ordine canonico duxit solemniter. Et licèt Regnum viriliter moderaretur, noluit tamen vngi in Regem: vt declinata sua vnctione ad vlteriorem gradum successio decurreret septena. A

SVCCESSIT igitur ei HVGO Hugonis Magni filius. Cui successit Robertus eius filius. Cui Henricus. Cui Philippus. Cui successit Ludouicus Lippus. Cui successit Ludouicus piissimus, amator & verus Dei cultor. Qui à multis deceptus, nullúmque decipiens, in sancta simplicitate transiuit ad Dominum, relicto PHILIPPO filio. Qui paternam postponens simplicitatem, materni generis astutias duxit in vsum. Hic Regni nobilissimos vi atque ingenio suppeditans, ... vice proprietatis, intra sui tamen Regni metas ampliauit. Quid de cetero de futura successione sit per futura tempora venturum, iudicare nescio, cùm apud me spiritus non sit prophetiæ, satísque sit narrasse præterita, & rememorasse futura. B

De Regibus Anglorum à tempore Normannorum.

IAM nunc ad Reges Anglorum enumerandos veniamus, ab eo tempore, quo Regno Britonum profligato Saxones Anglorum Regnum susceperunt: illud celebre vetustissimúmque maioris Britanniæ nomen in Angliæ nuncupationem transsumentes. Verùm, quia opus nostrum ad vtilem protractionem ducere superfluum esset, ac vario otio plenum, omissis multis Regum ac Regni permutationibus, per Regulos & generationes elatè venientes, nunc ab ipsa Anglia, nunc à Dacia procedentibus Regibus, omisso Canuto strenuissimo Rege, eiúsque sequacibus, ad sanctissimum Regem EDOVARDVM veniamus. Cuius fidem & scientiam leges, quas scripsit, sanctæ testantur, & miracula cotidiana loquuntur. Hic in die Apparitionis anno Domini M. XL. cœlos ingressus sub sancta confessione, heredem reliquit Araldum nepotem, virtute corporis incomparabilem, moribus ingenuum, militiâ singularem. Cuius tanta erat magnanimitas, quòd omnia terrena sibi subicienda credebat, & secundum mentis quantitatem successiua ipsi prosperitas arridebat. Dum pueriles ageret annos, ex mandato Regis auunculi sui apud Ducem Neustriæ, quam vulgus Normanniam nominat, educatur: eo quòd apud nobilissimos Anglos vsus tenuerat, filios suos apud Gallos nutriri, ob vsum armorum, & ad linguæ natiuæ barbariem tollendam. Erat Duci illi filius spurius, id est GVILLERMVS nomine, ex subinducta illius ciuis cuiusdam filia genitus, eo consilio, vt quoquomodo soboles ex eo Normannis nasceretur. Cùm ergo more iuuenculorum in Curia heres Angliæ & filius Ducis essent confœderati, tandem venit eis in mentem, vt Araldus sororem Guillermi acciperet in vxorem ac Reginam, & econuerso Guillermus Araldi sororem in coniugem iuraret Ducissam. vnáque pro suo tempore pacta se seruaturos iurantibus. C

MORTVO igitur sanctissimo Rege Edouardo, Araldus Regnum suscepit, & defuncto Duce Guillermus Ducatum Neustriæ partim ad partim quibusdam cum Rege Francorum pactionibus obtinuit. Mandat ergo Dux Regi, vt secundum pristina iurata & vxorem suam recipiat, & Duci debitam non neget. Quorum vtrumque detestatus Araldus, cùm apud castrum Doroberniam in scapha per mare spaciandi causâ faceret se cum paucis vectutari, tandem subito flatu aduectus

A in Flandriam, commentatus est se ad Ducem venisse, vt vxorem pollicitam acciperet, & daret promissam. Gaudenter exceptus, & ad Ducem veniens, spondet firmiùs complere promissa, vt ducat sororem Ducis. Redit in Angliam, vbi suæ redditus potestati, conuertitur in arcum prauum. Spretóque totiens iterato iureiurando, in tantam ex priuilegio cinguli militiæ euehitur superbiam, quòd omnia tentans, & de mala causa nullam capiens diffidentiam, cum Scotis pugnam aggreditur. Et dum inter atrocia vulnera hinc inde inflicta victor existit, audit Ducem Normanniæ conuocatis auxiliariis ex nobili stirpe Francorum partem meridianam Angliæ intrasse, vt contemptum suum, & verecundiam illatam vltore ferro vindicaret.

COMPERIENS talia Rex Araldus, vt erat audacissimus, vix alligatis vulneribus nuper in pugna contractis, occurrit inconsideratè Normannis, exercitu suo non expectato. Eius aduentum sentientes Normanni, de paucitate diffisi, de strenuitate Regis fidentes, aggerem pro muro faciunt. Et cùm instaret dies Sabbati, voto perpetuo se suámque posteritatem obligauerunt, quòd in perpetuum carnibus die Sabbati abstinerent: si de manu fortiorum sine damno liberati secundum iustitiam causæ suæ victoriam reportarent. Miserator & misericors Dominus, qui iustos exaudit, & humiliat sicut vulneratos superbos, quos inter primos insultus paulisper contriuit, in fine cum paucitate victores facit. Araldus vtrum fugâ sibi consuluerit, an in prœlio ceciderit, adhuc dubium reliquit. Dato igitur populo B in dispersionem, Regéque euanescente, Dux Normanniæ Londoniam aduectus, in Regem prouehitur, sorore Araldi in vxorem ducta. Et hinc prodit GVILLELMVS Rex Anglorum per nuptias, & Dux Normannorum per paternam successionem. Hic post multos cum Anglis singulares conflictus, potens bellator, iustus Princeps, & in omnibus tam modestus quàm strenuus, tres filios reliquit: Regem Guillermum, Robertum cognomento Curtamhosam Ducem Normannorum, & Henricum.

DEFVNCTO patre successit GVILLERMVS primogenitus in Regnum, vir impius, Ecclesiarum persecutor, immisericos circa imbelles. Qui Archiepiscopum Cantuariensem plurimum persecutus, ab Angelo percutiente peremptus, Guintoniæ sepultus est sub infamiæ perpetuo monumento. Dux Normannorum ROBERTVS inter illos, qui per manum sanctissimi Vrbani II. vltramarinam peregrinationem susceperunt, primarius cum Comite Sancti Egidij, Raimundo patre Comitis Namfulsi, & Duce Godofredo de Buillum, & Comite Baldvvino Principe, & Comite Stephano, & Episcopo Aniciense, cum multis Proceribus Hierosolymam adiit. Vir in armis strenuissimus, misericordiâ plenus, & sicut sub armis consultissimus, ita depositis armis in perfectione scientiæ defectiuus. Capta Antiochia, receptóque Dominico Sepulcro, Dux Robertus in Regem vltramarinæ acquisitionis eligitur, eò quòd filius Regis Anglorum strenuitate, Procerum stemmate cunctos præcelleret. Iam de morte primogeniti fratris C sui Regis Guillermi Nuncij aduenerant, & spe Regni pacifici obtinendi, Regnum sanctum, in quo pro Christo pugnandum erat, declinauit. Dux quoque Godofredus Regnum suscipiendum in excusationem duxit, prætextu sanctæ humilitatis: asserens se indignum illic corona aureâ insigniri, vbi Christus pro nostra salute coronâ spinea voluit coronari. Cessit ergo diadema Hierosolymitanum Comiti Baldvvino, eo quòd ipse inter tot agones excellentissimo ac singulari ictu paganum armatum per medium in duo frusta diuiserat. Dux verò Robertus post multa mirabiliter acta, spe Regni Anglicani repatrians, HENRICO fratri iuniori, qui iam Regnum inuaserat, obuius factus apud Thenarchebrai infra fines Normanniæ conserto prœlio capitur. Exhinc apud Claudij castrum XIV. annis incarceratus, diem functus est, vtroque Regno priuatus, Hierosolymitano quod contempsit, & Anglicano quod appetiit.

REGNAVIT ergo Rex HENRICVS in pace feliciter. Cuius vnico in mari Britanniæ naufragato, filia filio Imperatoris Romani nuptui traditur. Hic intantum paternam sapientiam imitabatur, quòd cum paucis non dicam suppeditauit Imperium, verumetiam ipsam Romam, quæ caput extat Imperij, ditioni voluntatíque suæ subiecit. Infra paucos annos viro defuncto, dum ad patrem redit in Angliam, occultis insidiis capitur, eodémque furore continuato, ducitur in vxo-

tem à strenuissimo Comite illustri Andegauensi GAVFREDO Regis Fulconis A
vltramarini filio. Ex quo suscepit tres filios: Henricum, Gaufredum Plantegenest, & Guillermum Longam-spatam, Rege Anglorum Henrico raptum filiæ dissimulante, & de violentia faciente voluntatem. Post aliquot annos Comite mortuo Andegauensi Gaufredo, filiáque Regis eadémque Imperatrice retinente iure mariti ex successione filiorum, Andegauensem, Turoniam, & Cenomanniam: tandem auus, sola Imperatrice cum filiis superstite, testamentum condit, in quo filiam cum Henrico filio Comitis Andegauensis instituit heredem. Verùm quia infans nondum trimus, consilium tanto Regno debitum non habebat, muliebrísque sexus constantiam tam ferocissimis Gentibus edomandis oportunam non habebat, necessarium visum fuit tutelæ nomine Regem ad tempus inserere, cuius virtute ac strenuitate motus barbaræ Gentis refrænarentur, & enormia dicta punirentur.

ERIGITVR ergo ex ipsius Henrici Regis deliberatione Comes STEPHANVS in Regem pro tutore Regis Henrici, ex sorore nepos, Comitis Theobaldi frater, illustris Henrici Guitoniensis Episcopi germanus. Vir quidem in fide verax, in promissis fidelis, militiâ singularis, simplicitate pius, omnis cupiditatis ac auaritiæ expers. Hic sacramento constrictus, quòd fideliter Regnum tueatur, & vsque ad præfinita tantùm tempora moderetur, coronatur, inungitur, & prosperè rexit populum in fortitudine virtutis suæ, ab omnibus formidatus, & dilectus. B
Tandem simplicitate bonitatis ductus, circa puniendos compatiens, & ad affligendos emollitus, vt arcus humectus lentescit, & à superbis magnanimibus Anglis iam ex leuitate Regis in insolentiam ductis attemptatur, & impugnatur. Contradictionem sentit potentum, & guerram. Faciebat ad causam seditionis, quòd fide oblita, & sacramento pridem præstito, consilio Procerum suorum postposito, in animo gerit Imperatricem cum filio legitimo Regni herede prorsus exheredem facere, & loco illorum filium proprium substituere EVSTACIVM, virum speciosum formâ, affabilem, gratiosum, militibus placentem, largum, militiâ patrisantem. Huic ad defensionis augmentum in vxorem datur CONSTANCIA Regis LVDOVICI Francorum soror, huius Regis PHILIPPI amita. Sed post modicum tempus euanescente viro, eadem Comiti Tolosano RAIMVNDO nubit, ex qua Comes est ortus iste Raimundus, cuius vitam miseranda testatur afflictio.

DEFVNCTO EVSTACIO Regis Stephani vnico, mota fuit in partem Anglia, nobilibus Regni Regem propter fidem, qua Imperatrici tenebantur, persequentibus. Exindè iam pubescente HENRICO, & in armorum exercitio crescente, Ducatus Normanniæ se mittit in deditione. assumptóque Ducis nomine, Henricus fideles ac potentes Regni excitat in arma. Tandem rebus actis strenuiter, dum conserto prœlio inter Stephanum Regem & Ducem acies hinc indè consisterent, pax fit in hac forma: Quòd Rex Stephanus dum vixerit, Regni teneat gubernacula, & adoptato HENRICO in filium, post eius fata cedat Regnum. C
Nec morâ infra paucos annos defuncto Rege Stephano, Dux coronatur in Regem. Qui ducta Reginâ Franciæ, & à piissimo Rege LVDOVICO dimissa prætextu consanguinitatis probatæ, filia scilicet quondam illustrissimi Ducis Aquitaniæ, & Comitis Pictauiæ, ALIENORE, genuit ex ea filios, congregato sibi dominio Aquitaniæ.

IGITVR Anglorum Rex HENRICVS, Dux Normannorum & Aquitanorum, & Comes Andegauensis, genuit primogenitum, qui velut ros matutinus, nec Solis expectato calore pertransiit. Adicitur Regi filius alter HENRICVS, qui vix plenæ pubertatis effectus vngitur in Regem, & diademate paterno coronatur, minórque Rex appellatur. Hic staturâ procerus, effigie præclarus, vultu debito iocunditatem & maturitatem prætendebat. Speciosus inter filios hominum, affabilis, hilaris, & apud omnes gratiosus. Ab omnibus diligebatur, & omnibus amabilis inimicum habere non poterat. Militiâ singularis, vt corporis venustate omnes antecedebat. Et sic strenuitate, fauore, & morum insigni gratiâ, largitate, & fidei sinceritate omnibus præferebatur. Quid plura? in hoc omnia probitatum & virtutum genera Deus conflauit. Et quæ plus illustribus sors singularibus largitur singulariùs, huic in omnia contendit generaliùs & pinguiùs dare præconia.

A nia. Nihil in eo terrenum fuisse putaretur, si non præmaturè fuisset interceptus. Nempe in ipso adolescentiæ feruore, vt viuens mundo fuit solatium, ita moriens vniuersæ militiæ fuit exitium. Vnde in eius planctu memini me dixisse,

Rosa floret singularis,
Marcet, perit. alter Paris,
Hector alter occubuit.
Alter primò, non secundus:
Illi Troia, huic mundus
Et ius omne periuit.
Cùm obiit Henricus, cœlum esuriit,
Mundo abiit mendicus.

Post hunc genitus floruit ille Rex Regum terrenorum Ricardvs, in strenuitate, magnanimitate, scientiâ, & omnis generis virtute nulli mortalium secundus. Sacri patrimonij Iesu Christi, Terræque sanctæ strenuissimus defensor, timor gentilium, mors hostium, gladius & tutamen Christianorum. Cui mundus ad largitiones non sufficeret, & Orbis velut pugillus erat ad dominandum.

Svccessit proles tertia, Comes aut potiùs Dux Britonum, Arturo fabuloso animali virtute non inferior, strenuus militiâ, pollens liberalitate. In excessu, probitate, & magnanimitate incomparabilis, exactis paucis in virtute immen-

B sa annis obiit.

Adivngitvr quartus illustris Regis filius Iohannes, cuius incrementum ac laudes præsentiali conspectioni commutasse videar, aut ex insufficientia mea minus dixisse de eo quàm est, aut adulationi deseruire in eo quod dixero circa id quod est.

Ecce quòd de leone rugiente quatuor leunculi prodierunt, quorum quilibet in fortissimum creuit leonem, aut itidem spe futuræ nobilitatis imitantem. Nec tacenda sunt insignia illa Learum vbera, quæ solo lacte & strenuitate potentissimas Orbis partes illustrauerunt, dum ex eodem Rege Henrico prodiit hinc Ducissa Saxoniæ, cuius flos tu, serenissime Princeps, vt bonæ arboris dulcissimum beneficium processisti: cum illustri Comite Palatino Henrico, & Gvilelmo Longa-Spata fratribus tuis, vtroque parente coniunctis: necnon nobilissima Comitissa Alienor germana tua.

Ex altera eiusdem Regis Henrici filia nouellæ & insignes plantationes Hispaniæ pullulant, filij illustrissimi Regis Compostellani, quorum initia si medium & finem cœpto prosequuntur, auspicio magis patrum præambuli videbuntur, quàm pedissequi.

Ex tertia, quondam illustrissimi Regis Siculi coniuge, prodiit Raymvndvs Dux Narbonensis, Tolosæ Comes, & Marchio Prouinciæ. Qui vtinam

C vtriusque aui fidem, virtutem, & constantiam imitabitur: vt sub Ducis, Comitis, Marchionis nomine, virtuti & strenuitati Regum auito more æquiparetur.

Hvc vsque, excellentissime Imperator, Regum Angliæ stemma stirpésque produxi, veniámque postulans minus, quia minus dixi: cùm ad veritatem strenuitatémque prædecessorum tuorum recensendam sufficere posset nec calamus.

A

FRAGMENTA
DE REGIBVS FRANCORVM, ET EORVM CIRCA SANCTOS, ET ECCLESIAS AC CVLTVM DEI GESTIS.

A CAROLO MARTELLO Regis PIPINI patre vsque ad ROBERTVM Hugonis Capeti filium. B

Ex Historiis, seu Vitis & Miraculis Sanctorum, qui in diuersis Imperij Francici partibus floruerunt.

DE GESTIS CAROLI MARTELLI.

Ex Libro de diuersis casibus Deruensis Cœnobij, & Miraculis S. Berchari), qui in Promptuario Antiq. Tricass. Nicolai Camusat Tricassini integer habetur.

HAVD longè post transitum gloriosi Martyris (Bercharij) exorta altercatione inter RAGAFREDVM, KAROLVMQVE, qui ob nimiam, & Christianis temporibus antea inuisam inquietudinem MARTELLVS vocitatus est, innumeris Nobilibus penè aporiatis, Ecclesiæ plurimæ sunt ad nihilum penitus redactæ: distributis earum possessionibus, mancipiis quoque, ac sacerdotalibus vasis & rebus, secularia arma & intestina bellorum negocia tractantibus. Huiuscemodi perturbationis euentu compulsi sunt Fratres supradicti Deruensis loci, cum monastico habitu, militaria arma arripere: decernentes proprio arbitrio sibi suisque posteris opprobriosæ fœditatis dedecus adscribi, si causâ talis exercitij paterentur se perpetuò priuari possessionibus rerum variæ oportunitatis, procuratione beati Bercharij eorum stipendiis diuersis in locis delegatis. Hac occasione habitu potiti incongruo, primò à sacri Ordinis tramite expeditionibus studendo deuiare, demum ipsa etiam vestimenta propria velut armorum impedimenta monstruosa habentes, ægrè pati cœperunt. Sicque priori paulò melius adicientes consilium, spretis cuculis, Clericalibus sese indumentis operuêre: iudicantes se decentiùs eo ornamento Deo omnipotenti, mundanis quoque studiis famulari. Tali modo magnificentia ipsius loci facie mutata pessundari, atque in deterius labi, variis impulsionibus cœpit: donec miseratione diuina, & meritis beatissimi protectoris nostri BERCHARII, rumor tantæ perditionis attigit aures Augusti LVDOVICI. Hic adeò omni bonitatis luce refulsit, vt iure proprium sibi PII no- C

A men adſciuerit: cuius prudentiſſimis conſiliis aſſiduè intererant Sacerdotes ſanctiſſimi, Abbates etiam religioſiſſimi. Inter quos ſpectabilis vitæ honeſtate, omniſque ſcientiæ probitate habebatur ODO Abbas loci quem Stabuletum vocitatum, anterioris textus deſcriptio prælibauit exſtructum à ſancto Remaclo Pontifice. Cuius conditioni felix Martyr Bercharius quondam tradidit imbuendos primæuos flores ſuæ adoleſcentiæ, relinquens eo loci conſpicuum memoriale proprij tyrocinij. Cùm itaque Rex memoratus Eccleſiarum Dei cultum variis tribulationibus deprauatum ſatageret in melius reſtaurandum reformare, regalis decreto conſilij ſuprà nominato Abbati curam delegauit Deruenſis Cœnobij: quò eius induſtriâ quiret capeſcere idem locus alimenta & monimenta priſcæ inſtitutionis ac nobilitatis, quam plurimam extitiſſe etiam Annales Regij teſtabantur. Itaque domnus ODO Abbas venerandus memorandæ operationis executione ſuſcepta, Pontificum ac co-Abbatum collegio fultus, præfatum locum adiens, religioſitate omni ab æuo proturbata, Fratribúſque ſui Ordinis ſtrenuiſſimis inibi ordinatis, Eccleſiæ prædia ſiue xenia innumeris caſibus profligata, Regia inſimúlque Pontificum auctoritate, diſtributa etiam precij maxima quantitate, vſibus Fratrum reſtituit: perquirens priſca Priuilegia Imperiali vt decuit munificentiâ roborata. Nec deſtitit, donec ad vnguem polita cuncto Francorum Or-
B bi refulſit religio ipſius loci.

CAROLVS MARTELLVS.

Ex Vita S. Leufredi Abbatis Monaſterij Crucis S. Audoëni, quod de eius nomine poſtea Crux S. Leufredi dictum eſt.

CVM loca Sanctorum circuiſſet (beatus Leufredus) peractis omnibus ad proprium Monaſterium repedauit. Prætereà cùm optimè in Cœnobio ſuo turba Monachorum in lege Dei floreret, & grandi feruore ad ſupernam patriam anhelaret; pro quibuſdam neceſſariis negociis euenit, vt reuerendiſſimus patronus noſter nobiliſſimum Principem CAROLVM MARTELLVM Maiorem-domus adiret: qui eo tempore, quo DAGOBERTVS Rex CHILDEBERTI glorioſiſſimi & æquiſſimi Regis filius Regnum Francorum tenebat, curam reipublicæ nobiliter adminiſtrabat. A quo honorificè ſuſceptus eſt, & humanè tractatus: & quæcumque ſuggeſſit conſecutus eſt. Nam & pro merito ſanctitatis eius idem Princeps familiariſſimè eo vſus eſt: & gauiſus occaſionem ſe inueniſſe, de animæ ſuæ ſalute cum eo diutiùs tractauit. Iámque cùm reuerteretur ad propria, deuenit ad caſtrum Laudunenſe, quod Clauatum vocant. Poſt quem præfatus Princeps feſtinanter direxit, qui eum ad ſe celeriter reducerent. Nam filius eius GRIPHO grauiſſimis febribus torquebatur, cui mortem vicinam adeſſe credebant. Propter quod Princeps multis precibus virum Dei flagitabat, vt ei ſanita-
C tem priſtinam orationibus ſuis reformaret. Cúmque ille negare non poſſet quod paterna deuotio extorquebat, iuſſit vt à miniſtris ſibi offerretur. Igitur manibus miniſtrorum puer ad eum delatus, nocte illa cum eo fuit. Cùm autem aquam ſanctificaſſet, & membra pueri ex ea ſuperfunderet, ſigno Crucis eum muniens, in diuinis laudibus & officiis noctem illam exegit. Inter quæ cœpit puer melius habere, & humores febrium per os effundere. In craſtinum autem ſeruus Dei Chriſtique Sacerdos Miſſarum ſolemnia celebrans, puero corporis Dominici ſacramentum tradidit. Poſt hæc optimè conualuit puer, & ſibi ſalutem ſe reportare gauiſus eſt, & patri gaudium. Porrò vir venerabilis, poſtquàm innotuit populis cuius eſſet meriti, reuerſus eſt in ſua. Venerabantur hunc Principes, diligebat manus plebeia: atque ad imitandum eum non ſolùm ſui, ſed etiam externi de aliis Monaſteriis properabant.

CAP. XVII.

A

DE GESTIS CARLOMANNI ET PIPINI.

Ex Vita & Mirac. S. Maximini Treuirensis Episcopi, Auctore Lupo, qui eam scripsit anno Christi DCCCXXX.

Apud Suriú. Tom. I. REX PIPINVS Magni Caroli genitor, quendam suum Clericum, qui Bruncho vocabatur, impuris obsessum spiritibus, per Herlarium Archidiaconum ad tumulum beati Maximini destinauit. Is per diuersas reliquorum Sanctorum fuerat circumductus memorias, nec illa horribili passione meruerat liberari. Porrò, vt beati viri limina tetigit, ilicò purgatus, Dei circa se clementiam glorificare, & sancti Maximini potentiam cœpit prædicare.

IDEM PIPINVS denuò Ericum genere Alemannum, eadem passione laborantem, quà suprà, direxit. Quem cùm catenâ vinxissent, eámque perfacilè alienis viribus confregisset, vix arte cohibitum, clarissimo Confessori obtulerunt curandum. Ita diu Fratribus pro miseri ereptione certantibus, quadam die, cùm rem diuinam agerent, ille confracta catenâ prorupit se ad tumulum sacri Antistitis. &, Non videtis, inquiens, aduersarios, qui me sibi vendicauerant, vt in fugam versos beatus Maximinus persequitur? Hic ei finis processit insaniæ. B

EIVSDEM PIPINI Regis ex filia nepos, nomine CVNIBERTVS, atrociter à dæmone vexatus, multis ante locis circumitis, vltimò ad sanctum virum perductus, tandem ab ea peste purgatus est.

Ex Vita beatissimi Godehardi Hildeneshemensis Ecclesiæ Episcopi.

CAP. I. IGITVR DCCXLI. Incarnationis Domini anno, quò CAROLVS primus filius Pippini primi, filij Anchisi, filij Arnolphi, ex hac vita demigrans, filiis suis CAROLOMANNO & PIPPINO Regnum reliquit, quo etiam sequenti anno iste Pippinus CAROLVM MAGNVM genuit, initium Altahensis Monasterij à Christi cultoribus sapienter inceptum, & in religiosa monachica institutione feliciter est perfectum, quindecim ferè annis ante distributionem Episcoporum, quæ post annum in Baioaria à sancto Bonifacio Archiepiscopo facta est, ex decreto Zachariæ Papæ, & consensu PIPINI Regis; cui ante tunc temporis triennium frater Carolomannus Romæ tonsuratus, & monachizatus, hereditariam partem Regni & proprietatis dimisit; quando VVillibaldo Eichstadensis, Ioanni Salisburgensis, Eremberto Frisingensis, Garibaldo Ratisbonensis Ecclesia commendatur, & Christiana ibidem Religio dignè Domino corroboratur. In prædicto certè Cœnobio seruimen Christi ab initio feliciter succreuit, & per centenos ferè annos in monachico proposito laudabiliter profecit, vsque in detestabilem illam dissensionem, quæ cœpit inter LVDOVICVM Imperatorem filium Caroli Magni, & filios eius Ludouicum, Lotharium, & Carolum, ac deinde Imperatore defuncto, inter fratres ipsos per multos annos, vt Chronica testantur, permansit. C

Ex Libro II. *de Miraculis sancti Galli, Auctore VValafrido Strabo Augiensi Abbate.*

POST venerandi Patris beati videlicet Galli Confessoris gloriosam depositionem cotidianas excubias apud sacri corporis eius reliquias quidam religiosi Clerici, vel discipulatus eius memoriâ, vel diuino amore succensi, per multa annorum curricula, scilicet quasi à temporibus Dagoberti Regis vsque ad KAROLVM

A patrem Carlomanni & Pippini, ad laudem Christi administrabant. Igitur cùm fama virtutum, quas Dominus per Confessoris sui merita piè quærentibus exhibere dignatus est, longè latéque circumpositorum mulceret aures populorum, cœperunt vndique alacri deuotione ad tanti Patris suffragia postulanda concurrere, eundémque locum ob suæ diurnitatem memoriæ multiplicibus substantiæ & possessionum amplificare donariis. Cúmque res hac largitate fidelium collatæ aliquantulæ Monachorum Congregationi viderentur suppetere potuisse, VValtrammus quidam, ad cuius paternam possessionem termini vastatæ solitudinis, in quibus vir Dei Cellam construxerat, pertinere videbantur, videns res collatas à quibusdam præsumptoribus ordinatè tractari, religiosum quendam Presbyterum OTHMARVM nomine, cui summam earumdem committeret rerum, à Victore tunc Curiensium Comite impetrauit, & ei Cellulam cum omnibus ad eam pertinentibus commendauit. Postmodum consilio cuiusdam Ducis nomine NEBI persuasus, ad præfatum Principem Karolum cum eodem Duce properauit, ipsique eandem Cellam proprietatis iure contradidit, & vt Othmarum Presbyterum eidem loco præficeret, exorauit. Annuens petitioni eius Princeps, Othmaro ad præsentiam suam vocato locum commendauit, & vt regularem inibi vitam instituere studeret præcepit. Qui regressus, arripuit statim boni Pastoris initia, & vndique versum habitacula Monachorum vsibus congrua dispositè construens, eiusdem sancti statum loci vtilitatibus diuersis aptauit. Sed cùm iam dictus Princeps temporaliter B regnandi & viuendi finem fecisset, duobus filiis CARLOMANNO & PIPPINO administrationem Regni reliquit. Carlomannus itáque paucorum decursibus euolutis annorum, ob amorem Regni cœlestis secularis gloriæ pompam deposuit: & cùm causâ quietioris vitæ Romam tenderet, in vicina supradicti loci deueniens ad idem Monasterium causâ orationis accessit. Audiensque assiduis signorum virtutibus eundem locum pro beati viri meritis à Domino illustrari, dixisse fertur: Tenuis quidem hic locus est facultate, sed pro meritis beati Galli celebri diffamatus rumore. Cúmque vellet ibidem degentibus aliquod suæ largitatis conferre solatium, sed retractaret à negociis se Regni disiunctum explere non potuisse, quod voluit fratri rescripsit, vt sui amoris intuitu eidem Monasterio aliquod regiæ largitionis solatium dignaretur impendere. Cùm igitur ab Othmaro Abbate præsentatam PIPPINVS Princeps accepisset Epistolam, annuens petitioni fraternæ, Libellum, quem Benedictus Pater de Cœnobitarum conuersatione composuerat, eidem Abbati tradidit: & alia regiæ dignitatis impertiens dona, id ei sub omni diligentia iniunxit, vt in loco sibi commendato ad supplendas beati Galli excubias regularis Ordinem institueret vitæ. Atque vt melius posset quod iubebatur efficere, concessit illi quosdam tributarios de eodem pago, vt & illis conlaborantibus officinas Fratrum vsibus necessarias construeret, & vectigalia, quæ annuatim regiis redditibus inferre debebant, ad sustentationem Fratrum sub commemoratione largitatis eius haberet. Inter cetera quoque suæ mu- C nificentiæ donaria, rogante Abbate vnum campanum ad sancti loci dedit ornatum, quod ad vsque nostræ ætatis tempora in Cœnobio eodem pro memoria beneficiorum eius permansit. Et ne cuiusquam auaritia tanti incrementis obsisteret boni, diuturnæ firmitatis Epistolam fecit conscribi, & vt moris est circumspecta roborari cautela: quò deinceps tam ipse qui aderat, quàm successores eius, idem Monasterium per regiam obtinerent auctoritatem, & nullius violentiâ pressi solis rerum Principibus subiacerent.

Ex Vita S. Sturmi primi Abbatis Fuldensis Cœnobij: Auctore Aegile eiusdem Cœnobij Abbate.

SANCTVS Bonifacius Episcopus ad KARLMANNVM Francorum Regem perrexit, & humiliter sapienterque ad eum locutus est. Ad perpetuam, inquit, « remunerationem vestram cogito, si Deus omnipotens voluerit, & vestrum af- « fuerit auxilium, in Orientali Regno vestro Monachorum vitam instituere, & Mo- « nasterium fundare, quod præteritis temporibus ante nos nemo inchoauit. Vnde «

PIPINVS. nunc vestrum in hoc pium poscimus adminiculum, quatenus vobis immarcessibile A
» munus coram altissimo Rege Christo in futuro & infinito maneat Regno. Habe-
» mus enim in solitudine, quæ Bochonia nuncupatur, iuxta fluuium, qui dicitur
» Fulda, locum aptum seruis Dei inhabitandum repertum, qui ad vestram pertinet
» ditionem. Nunc vestram pietatem poscimus, vt nobis locus ille donetur, quate-
» nus in eo, per vestram defensionem, Christo seruire queamus. Quo audito, Rex nutu Dei gauisus est, & congregans omnes Principes Palatij sui, petitionem Episcopi collaudans, indicauit, atque coram eis Episcopo sancto locum, quem postu-

* Aichlocha. lauerat, tradidit, dicens: Locus quidem, quem petitis, & qui, vt asseris, Eihloha *
» nuncupatur, in ripa fluminis Fuldæ, quódque in hac diu proprium ibi videor ha-
» bere, totum & integrum de iure meo in ius Domini trado: itaut ab illo loco vn-
» dique in circuitu, ab Oriente scilicet & ab Occidente, à Septentrione & Meridie,
» Marcha per quatuor millia passuum tendatur. Porrò Rex iussit Chartam suæ traditionis scribi, quam ipse propria manu firmauit. Et misit nuncios suos, vt congregarent omnes viros nobiles, qui in regione Grapfelt commorassent, vt eos Regis sermonibus rogassent, vt omnis, quicumque in loco illo aliquid proprium videretur habere, quemadmodum fecit Rex, ita & ipsi tradendo facerent. Cúmque ad condictum diem omnes fuissent congregati, aduenientes Regis Nuncij:
» Omnes vos, inquiunt, Rex suis salutare præcepit sermonibus. Poscebátque & imperabat, vt omnis, qui aliquid proprietatis visus fuisset habere in loco, qui dicitur Eihloha, seruis Dei inhabitandum totum traderet. Qui cùm hoc audissent, B nutu Dei statim cum omni diligentia, quidquid ibidem habere potuerunt, viro Dei Sturmi totum tradiderunt. Igitur hac traditione vndique firmata, & loco illo

* Chrichlar. de iure hominum in ius Domini tradito, beatus Sturmi in Dryhlar * perrexit ad fratres. Inde non post multos dies surgens, assumptis Fratribus secum septem, commigrauit ad locum, vbi nunc sanctum situm est Monasterium, & anno Incar-

744. nationis Christi DCCXLIV. regnantibus in hac gente Francorum duobus fratribus, KARLMANNO atque PIPPINO, Indictione XII. mense I. duodecimo die mensis eiusdem, sanctum & à Deo dudum prædestinatum ingressus est locum.

VERVM, quia vir iustus, & Deo perfectus, apud vniuersos magnus, & maximè apud PIPPINVM Regem habebatur, impetrauit suis apud ipsum Regem sermonibus, (habebat enim locum familiaritatis non modicum) vt fiscum, id est

* Omenostat. Omunstat *, cum omnibus quæ in illa villa antiqui Reges possidebant, ad supradictum sæpius Monasterium, in suam eleemosynam condonaret, atque per conscriptam Chartam, sicut mos fuit, firmaret. Mortuo autem Pippino anno ab In-

768. carnatione Domini DCCLXVIII. sui verò regni XXIII. KARLVS filius eius patri successit in Regnum. Cùm ergo ipse Rex iuuenis cunctos, qui patris sui priùs honoribus prædìti erant, grandibus muneribus in gratiam suam prouocaret, accersiuit quoque venerandum Abbatem Sturmem, illúmque intimis amicitiis sibi coniunxit. Quem cum multis sæpè honoribus atque regalibus munificauit donis. C Quodam tempore immisit Dominus in cor eius, vt pro intuitu retributionis æternæ tractare cœpisset, vocatóque ad se Sturme Abbate, consilium cum eo iniit, & Hamelenburc, cum omnibus quæ ad illum fiscum pertinent, potestatiua manu, de iurè suo in ius Domini, & sancti Bonifacij, ad Cœnobium Fuldæ tradidit. Quam traditionem Fratres gratanter suscipientes, Domino pro illius incommoditate preces vsque hodie fundunt. Vixit deinceps beatus Sturmi in gratia venerandi Regis Karoli omne tempus vitæ suæ. Illis quoque temporibus, suscepta Legatione inter Karolum Regem Francorum, & Thasilonem Noricæ prouinciæ Ducem, per plures annos inter ipsos amicitiam statuit.

772. REGNANTE feliciter Domino Rege Karolo annos IV. Saxonum gens sæua & infestissima cunctis fuit, & paganis ritibus nimis dedita. Rex verò Karolus Domino semper deuotus, cùm ipse Christianissimus esset, cogitare cœpit, qualiter Gentem hanc Christo acquirere quiuisset. Inito seruorum Dei consilio, poposcit, vt precibus Dominum votis suis annuere obtineret. Congregato tam grandi exercitu, inuocato Christi nomine, Saxoniam profectus est, assumptis vniuersis Sacerdotibus, Abbatibus, Presbyteris, & omnibus Orthodoxis atque fidei cultoribus, vt Gentem, quæ ab initio mũdi dæmonum vinculis fuerat obligata, doctrinis sacris mite & suaue Christi iugum credendo subire fecissent. Quò cùm Rex perue-

A nisset, partim bellis, partim suasionibus, partim etiam muneribus, maxima ex parte Gentem illam ad fidem Christi conuertit. Et post non longum tempus totam prouinciam illam in Parochias Episcopales diuisit, & seruis Domini ad docendum & baptizandum potestatem dedit. Tunc pars maxima beato Sturmi, populi & terræ illius, ad procurandum committitur. Suscepto igitur prædicationis officio, curam modis omnibus impendit, qualiter non paruum Domino populum acquireret. Sed temporibus instabat oportunis, sacris eos sermonibus docens, vt idola & simulacra derelinquerent, Christi fidem susciperent, Deorum suorum templa destruerent, lucos succiderent, sanctas quoque Basilicas ædificarent. Quo cùm multum temporis prædicando & baptizando cum suis Presbyteris peregisset, & per regiones quasque singulas Ecclesias construxisset, iterum postea Saxonum gens praua & peruersa, à fide Christi deuians, vanis se erroribus implicauit: congregatóque exercitu vltra fines suos egressa est, & vsque ad Rhenum vastando & depopulando cuncta peruenit. Cúmque indè reuersi essent, infesta cæde, quoscumque inuenire potuerunt, trucidarunt. Quorum cùm exercitus in Loganacinse, quod prope supradictum Cœnobium iacet, consedisset, conspirauerunt, vt lectam virorum multitudinem de exercitu ad ipsum Monasterium mitterent, & cuncta quæ reperirent igni comburerent, & seruos Dei ferro trucidarent. Quod cùm comperisset sanctus Sturmi, statim vocatis ad se Fratribus, periculum quod B eis imminebat innotuit, & consilium dedit, vt sancti Martyris corpore assumpto, ad Hamelenburg properassent. Ipse verò vir Dei Sturmi foras in VVedereiba perrexit, studium habens, si quomodo posset prauorum conspirationem cohibere. Nos autem Fratres discipuli eius, assumpto sancti Martyris corpore de sepulcro, in quo annos XXIV. positum fuerat, à Monasterio cum vniuersis famulis Dei proficisci cœpimus. Mansimus prima nocte ad proximam Cellam, vbi Fuldæ alueo Fledenæ fluenta se miscent. Inde surgentes manè, ad vlteriorem peruenimus Sinuam, ibique fiximus tentorium, in quo sacratissimum Christi Martyris statuimus corpus, & in circuitu milites Christi castra metati sunt. Vbi cùm in tabernaculis tres exegimus noctes, quarto iam die Legati nostri venerunt, qui referebant, de parte & gente nostra nonnullos congregatos contra Saxones bellum inire, eosque victos ad proprias aufugisse terras. Quod cùm audissemus, sacra beati Martyris ossa sustulimus, & gaudentes ad Monasterium, vndè digressi sumus, reuertebamur: & Dei Martyris sancta, sepulcro, quo priùs inerant, ossa humauimus: Christo Domino gratias referentes, quòd pace concessa nostro Monasterio inhabitare sineremur. Tunc iterum Rex KAROLVS, ad confirmationem inchoatæ fidei Christianæ, cum exercitu ad illam terram perrexit, & venerandum Sturmem infirmum iam senectute fessum, in Heresburg, ad tuendam vrbem, cum sociis suis sedere iussit. Dispositis secundum voluntatem suam vniuersis, Rex cùm rediC ret, sanctum virum paucos dies post reditum suum in supradicta vrbe sedere imperauit. Quo expleto, ad Monasterium vir Dei rediit, habito secum Medico domini Regis Karoli, cui nomen VVintarus, qui eius subueniret infirmitati. Dum verò quadam die artis suæ ei nescio quam potionem infuderat, cum qua minuere debuit infirmitatem; sed ita auxit, vt validiùs & acriùs lues acerba augeretur. Et anxius dicere cœpit, quòd ei Medicus, qui minuere morbum debuerat, malum grande irrogasset. Currere citiùs ad Ecclesiam iubet, omnes gloggas pariter moueri imperauit: & Fratribus congregatis obitum suum citò ad futurum nunciare præcepit, & pro se enixiùs orare postulauit.

Ex Libro Ms. de Vita & Passione Sancti Austremonij primi Aruernorum Pontificis.

INTER Francorum Reges vnum diua sublimitas prælegit PIPINVM cognomine, qui, sicut Titan suo iubare, laricomorúmque vibratione, tetrum tegimen nebularum facessit & detegit, ita suo auxilio & labore nocuum destruxit, & proficuum, imò salutiferum cultum auxit. Cui venerandus Rex, nimiúmque solers & industrius Deo gratam iussit aggregari Synodum, in qua fuêre Præsules clarissimi, & Comites innumeri. Cum his ergo iamdictis Rex plurima, prout diuina sublimitas concessit, de fide sanctæ Trinitatis contra Deo contrarios hereticos CAP. XIV.

PIPINVS. disputauit, & incorrigibiles quosque de suo Regno cum suis complicibus exturbauit. Aperto quoque demum proprio ærario, infinita munera Dei fidelibus pro suo libitu ad restaurationem Ecclesiarum, & sartatectorum reparationem deuotissimè contulit. Huic sacratissimo iure interfuit præuius ROTGERIVS, Dúxque maximus, Pytagoreæ linguæ probatus, & signifer egregius. Hic ortus ex Francorum genere, clariórque Agamemnonio germine, in Curia supradicti Regis altus est nobiliter. Qui moriente Aruernorum quodam Comite cognomine HECTORE, à Rege suprafato EVFRASIAM ei suscepit sobolem: cum qua celebrans dulces hymenæos, omnia quæ patris ipsius fuerant suscepit iure. Hic ergo inclytus Comes locum maximum in honore Domini Saluatoris construxit, quem KARROFVLVM, quasi ob offulam dignitatis KAROLI, eius patre iam defuncto, ipsius Karoli adminiculo onoma indidit. Cui loco castrum, quem Incissam-petram vocant, vt condigna repotia ab ipso mundi Saluatore mereretur percipere, tribuit: quem cum iamdicta Eufrasia à iam nominato Hectore iure hereditario adquisiuit. Sed his omissis, cœpta gradiamur semita. Abbates igitur, qui regiæ Maiestatis aderant, ab eo perceptis maximis muneribus, quique gratanter ad propria rediêre. Inter quos extitit quidam præcluus, ipsi Regi admodum dilectus, nomine LANFRIDVS; qui omnigena prece sibi tribui poposcit almi Austremonij corpus, quem diu continuerat humatum VVluicense Cœnobium. -- :. A

Ex Textu Ms. secundæ Translationis eiusdem S. Austremonij. B

EST locus antiqua nobilitate valde eximius, & religione præclarissimus, ab Aruernica vrbe decem distans millibus, vocabulo MAVZIACVS. Quem locum antiquis temporibus CALMINIVS construxit, Romuleæ vrbis Senator egregius, quemque beati Petri Apostolorum Principis, paritérque almi Martyris Caprasij insigniuit pigneribus, auxitque muneribus, & amplificauit agrorum possessionibus; datis simul & præclaris prædiis, cum seruorum mancipiis. Quem locum præfatorum Patrum sub honore sacrari iussit. scilicet, vt quorum sancta continebat pignera, ipsorum interuentu & auxilio suffragaretur per secula. Sed postquam almus Martyr Austremonius illuc Domino fauente est delatus, transiit ad gloriam ipsius sancti nominis & vocabulum eiusdem Cœnobij. Cuius sacri Archisterij inerat Rector æternæ & felicis memoriæ LANFRIDVS cognomine, qui tam Deo, quámque hominibus omnimodis studebat placere. Cuius cordi omnipotens Dominus immisit salubre consilium, scilicet vt cum sibi credito Monachorum grege adiret Regem serenissimum dominum vtique PIPINVM: suppliciter exorans eum, quatenus illi aliquem ex primoribus sanctorum Martyrum Aruernæ ciuitatis ad suum ei liceret transferre Monasterium. Præfatus autem Rex tunc temporis Aruernis ciuitate nimiis florens pompis morabatur, magna suorum Procerum comitatus caterua, & tam Germanorum quámque Aruernorum stipatus frequentia -- :. Idem verò Augustus audita petitione Abbatis, alacer effectus, cum omni illa regia magnificentia, Episcoporum quoque & Abbatum, ac Clericorum haud exiguo numero, VVluico aduenit, & de Sanctorum corporibus illuc tumulatis sciscitatus, didicit beatum Austremonium doctorem & magistrum Aruernici ruris extitisse, & eius incolas ad fidei rudimenta conuertisse, & ab Yciodorense Cœnobio huc delatum fuisse. Qui gaudio magno repletus, diuinóque spiramine tactus, statim iubet Abbati vt celerem nuncium Fratribus dirigat, vt quantociùs properent, & cum Dei iuuamine beatum sibi deferant Maatyrem. Qui statim cum ingenti festinantes exultatione, & ad indicium Regiæ auctoritatis, IOSEPH ipsius Regis Apocrisiarium, qui post eius decessum Abba extitit Tiernensis Cœnobij, secum habentes, noctem illam peruigilem ducunt, & sanctissimi Martyris thecam reserantes, ipsius sacratissimum corpus ad transferendum educunt. Cùm ergo illud aperiretur mausoleum, tanta exindè fragrantia est exorta, vt omnium aromatum excederet suauitatem. C

IN crastinum ergo Phœbo suo iubare omnia sydera obfuscante, terrisque suum lumen serenissimè infundente, Rex inclytus diademate insignitus, & nobilissimo ostro tectus, cum suo illo magnifico comitatu lætus adcurrit, totáque protinus regio obuiam venit. Afferentésque indè Martyrem sanctum, cum plausu & ni-

A mia alacritate populorum deferunt. Augustissimus verò Rex ad instar Dauid Regis, qui olim ante Arcam Domini ludebat, oblita regali purpura, præ gaudio omnem illam insignem vestem lacrimis perfundebat, & ante sancti Martyris exequias exultabat, ipsiusque sacratissima membra propriis humeris euehebat. Denique affatim iungebantur eis innumera populorum agmina, quousque ventum est ad Cœnobium, cui vetustus conditor MAVZIACO nomen indidit, eò quòd inter aquas conditum sit. Est namque isdem locus in tantùm fertilis & amœnus, vt penè nullius rei videatur indigus. Ibi ergo Deo fauente tunc beatus Austremonius cum magno est honore locatus. Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCLXIV. Indictione II. regnante verò Domino PIPINO anno XXIV. facta est hæc translatio. Eodem tempore Imperabat Romanis Constantinus filius Leonis Imperatoris. CAROLVS MAGNVS.

DE GESTIS CAROLI MAGNI.

Ex Vita S. Ludgeri primi Episcopi Monasteriensis.

B EXIENS autem de Roma (Ludgerus) Beneuentum petiit, vt in Monasterio S. Benedicti beati Ordinis conspiceret disciplinam; possetque inibi aliquanto tempore liberiori vacatione quiescere. Etenim Pater illius Monasterij genere illi propinquus erat: mansitque ibi duos annos. Cupiebat autem sancta illa hospitalitate prolixiùs vti. Sed gloriosus Imperator KAROLVS eius famam audiens, prodente eum maximè ALCHVVINO præceptore quondam suo, qui eo tempore de Brittannia in Franciam venit, misit semel & iterum, atque litteris Alchuuini eiusdem ad se eum venire mandauit. CAP. XIV.

CVMQVE ab eodem fuisset Imperatori præsentatus, & commendatus; Duorum, inquit Imperator, Monasteriorum optionem tibi concedo. Vnius maioris, in quo Virginum multitudo consistit; alterius minoris, quod virorum est, sub Canonica Regula Domino famulantium. At ille Imperiali largitati agens gratias, virorum Monasterium dixit conuenientiùs sibi posse committi. Dedit ergo ei Monasterium in pago Bragbante, quod Lotusa nominatur, cum omnibus ad ipsum pertinentibus. XV.

HIS quoque temporibus Orientalis Frisiæ quinque pagi, cum vna Insula, quæ dicitur Bant, Francorum Regno se subdiderunt, promittentes fidem Christianam se suscepturos, si erudiendis eis aliquis daretur, cuius loquelam intelligere possent. Porro Imperator hoc gratanter accipiens, Ludgero opus istud commendauit. XVI.

C EA quoque tempestate, deuicto, siue conuerso VVidukindo, Abbas quidam religiosus nomine Bernardus, Occidentalibus Saxonibus à Rege missus fuerat Doctor. Quo non multo post tempore migrante ad Dominum, difficilè in Regno Francorum potuit inueniri, qui libenter ad prædicandum inter barbaros iret. Dum super his Rex Carolus sollicitus cogitaret, contigit vt eo tempore Treueris ciuitati Episcopus inquiri deberet, obtulitque Ludgero illius Ecclesiæ Pontificatum. Respondit ille, talem Ecclesiam se Episcopo minimè indigere, in qua perplures essent se doctiores & eo digniores honore. Quin potiùs posset ipse rudibus quibuslibet meliùs præfici; &, si Regi placeret, in Saxonum populo voluntarium se subiturum laborem. Hac eius responsione & voluntate Imperator plurimùm gratulatus, in Occidentali Saxonum parte Pastorem eum constituit. XVI.

Ex Vita Ms. Sancti Sereni.

BEATVS athleta Christi SERENVS claris ortus natalibus, patre videlicet ADRIANO, matre verò SERENA, fertur fuisse territorij vrbis Metensis indigena. Quo tempore orta est non parua seditio illis in partibus ab exercitu inclyti DAGOBERTI ob rebelliones terræ ipsius aduersus eum. Quibus victis, captus est vir Deo plenus, atque in captiuitatem ductus. Quem disponente Deo emit

CAROLVS MAGNVS.

Dux & Comes nobilissimus nomine BOSO quinque solid. qui tunc præerat cuidam parti terræ Galliarum, quem diligenter ac tenerè fouit. Sed non post multum tempus requisitus à matre diu est, atque repertus. Quo inuento, summa cum hilaritate cordis præfata matrona voluit quantumcumque placeret precij, vt caram reciperet sobolem dare præfato Comiti. quod sine aliqua dilatione impetrauit ab eo, prorsus gauisa nimium indè effecta. Interea, dum beati viri longè latéque fama percrebuerat, cœpêre nonnulli eius sæpè sacra limina frequentare, ac meritis ipsius illic suorum veniam peccatorum obtinere. Qui rumor tantum excreuerat, donec ad aures gloriosorum Regum KAROLI videlicet ac fratris eius CARLOMANNI omninò peruenerat. Qui properè consurgentes vnà cum matre BERTA scilicet inclyta Regina, perrexerunt visere hominis Dei oratorium, vbi officiosissimè suscepti sunt à seruitoribus eius loci. Ingredientes verò sanctam Basilicam, orauerunt de more Dominum, vt per sanctum suum SERENVM dignaretur eorum abstergere crimina, atque genti Francorum concedere tempora prospera. Vbi longo consistentes tempore, rebus propriis ditauerunt beati viri locum, seipsos ipsi commendauerunt, ac postmodum cum magno gaudio ad proprias reuersi sunt sedes. Euolutis autem diebus imminebat exercitui Francorum maximum prœlium. Cuius pauore vndique concussi ac perterriti congregati sunt præfati Reges apud castrum almi MEDARDI cum cuneo sui exercitus. Quem vnanimes deprecantes, vt dignaretur pro eis flagitare Dominum, dederunt ei in appensionem præfatum locellum; vt amborum precibus adiuti, mererentur de hostibus feliciter triumphari. Inito verò certamine, & hostes per suffragia Sanctorum fugati, & inclyti Reges cum suis in gaudio ad propria sunt reuersi, laudantes ac benedicentes vnigenitum Dominum & Saluatorem nostrum, cui honor & gloria per seculorum secula, amen.

Ex Vita & Miraculis Sancti Remigij Episcopi Remensis, auctore Hincmaro Archiepiscopo.

PROCESSV temporis PIPPINVS Rex KAROLI MAGNI pater volens Episcopij Laudunensis villam, quæ Anisiacus dicitur, accipere quasi sub censu, sicut & alias quasdam fecerat, venit in ea manere. Vbi cùm dormiret, venit ad » eum sanctus Remigius dicens: Tu quid hîc facis? Quare intrasti in hanc villam, » quam mihi homo te deuotior dedit: quámque ego Ecclesiæ Dominæ meæ sanctæ » Dei genitricis donaui? Et flagellauit eum satis duriter, ita vt postea liuores in corpore eius parerent. Et cùm disparuit beatus Remigius, Pippinus surrexit, ac correptus valida febre, quantociùs ab ipsa villa recessit. De qua febre non paruo tempore laborauit. Et deinceps Princeps Regni vsque ad moderna tempora ibi non mansit: sicut nec in Codiciaco, vel Luliaco, nisi HLVDOVVICVS Rex Germaniæ, quando super fratrem suum KAROLVM Regnum eius inuasit in Luliaco mansit. & indè in crastina turpiter ante ipsum fratrem suum fugiens, vix euasit.

QVANDO tres fratres Reges, HLOTHARIVS, HLODOVVICVS, & KAROLVS, Regnum post patris sui obitum inter se diuiserunt, Episcopium Remense, quod tenebat Folco Presbyter, Karolus inter homines suos diuisit. villam Luliacum RICHVINO in beneficium dedit. Cùm autem vxor illius nomine BERTA in cubiculo villæ ipsius iaceret, venit ad eam sanctus Remigius, dicens: Non est iste locus tuus ad iacendum. Alterius meriti & officij debet esse, qui hanc » villam habere, & in hoc cubiculo debet iacere. Surge quantociùs, & hinc abscede. Quod illa paruipendit, putans se visum manè videre. Altera vice venit ad » eam sanctus Remigius, & dixit ei: Cur hinc non abscessisti, sicut tibi præcepi? Vi» de ne ampliùs hîc te inueniam. Quod illa vt priùs pro nihilo duxit. Tertiò venit » ad eam sanctus Remigius, & dixit: Nonne iam semel & secundò tibi præcepi, vt » hinc abscederes? Sed quia contempsisti hinc pergere, aliorum deportatione abscedes. Et percussit illam virgâ, quam tenebat in manu. Quæ toto corpore in maximum tumorem conuerso, quod vidit viro suo RICHVINO & aliis quamplurimis dixit. Et per aliquantos dies seuerissimè cruciata, vitam finiuit. Cuius corpus vir eius in Ecclesiam sancti Remigij deportari, eámque ibidem sepeliri fecit.

Ex Vita beati ALBINI *seu* ALCVINI *Abbatis, ac Magistri* CAROLI MAGNI *Imp. quæ narrante Sigulfo eius discipulo conscripta fuit.*

VIR Domini ALBINVS nobili Gentis Anglorum exortus prosapiâ, nobilior CHRISTI IESV regeneratus vndis extitit vitalibus. Qui cùm matris ablactaretur carnalibus, Ecclesiæ traditur mysticis imbuendus vberibus-- . Cùm iam omnipotens Deus FRANCIAM spiritalibus diuitiis, vt pridem terrenis, glorificare vellet, dans ei Regem secundum cor suum, fide, fortitudine, ac amore sapientiæ, & corporis ineffabili pulchritudine in his præclarissimum KAROLVM, monuit mentem ALBINI consilium & iussionem sui Patris vt impleret. Iussus igitur ab Eanbaldo Archiepiscopo *Eboracensi* successore Elcberti, vt sibi pallium impetraret ab Apostolico, venit Romam. Cúmque reuerteretur accepto pallio, habuit Regem KAROLVM Parmâ ciuitate obuium. Quem magnis Rex alloquens suasionibus & precibus, postulauit vt ad se post expletionem missatici in Franciam reuerteretur. Nouerat enim eum, quia olim à Magistro suo ad ipsam directus fuerat. Fecit autem ALCHVINVS, aliorum deseruire cupiens profectui, vt sibi rogaret cum auctoritate Regis sui proprij, & Archiepiscopi, eo tantùm iure vt iterum ad eos reuerteretur. Peruenitque, CHRISTO ducatum præbente, ad Regem KAROLVM. Quem tenens Rex loco patris amplectitur. A quo Artes introductus in liberales, refrigerari paululum nouerat, sed exsaturari ob feruorem satis nimiùm nequibat. Tempore verò aliquanto cum eo peracto, dedit illi duo Monasteria, Bethleem scilicet, quod alio nomine Ferrarias vocatur, & Sancti Lupi apud Trecas. At denique Albinus nolens sine auctoritate Regis sui & Episcopi proprium deserere locum, quo educatus quoque capitis comam amiserat, ac in Leuitam consecratus fuerat, postulauit Magnum Regem, vt daret ei licentiam remeandi in patriam. Quem KAROLVS voce blandientis alloquitur. Sunt nobis, Magister eximie, terrenæ diuitiæ sufficienter, quibus te vt patrem honorare gaudemus. Tuis nos oramus diu desideratis, & vix aliquando inuentis, tua cum pietatis merce inlustrari. Cui Albinus: Domine mi Rex, tuæ non dispono voluntati renuere, auctoritate Canonum firmata cùm fuerit. Libenter etiam paterna in regione mea non modica hereditate ditatus, hac spreta tibi vt prodesse possim hîc pauper stare delector. Tuum est tantùm hoc à meo Rege & Episcopo impetrare. Tandem igitur ratione victus, consensit vt iret. Requiem non dans animis, iam secundò ad eum reuerso firmiter impetrauit, secum perpetuò vt duraret. Euoluto verò non paruo tempore, postquàm Albinus secundò ad KAROLVM reuersus est, sancti Martini apud Turonis præficitur Pastor Monasterij isdem. Qui dignè Deo istud cum aliis regens Monasteriis, vitam subiectorum quantum valuit corrigere studuit.

INTEREA hæresis inimica Deo, partibus quæ pullulabat Hispaniæ, asserens adoptiuum filium Dei esse secundum carnem, ad aures perducitur KAROLI. Quod vt experimento nouit Rex Magnus & per omnia Catholicus, totis nisibus decertauit, vt destrueretur semen diaboli, zizaniáque de frumento Dei funditus eradicarentur. Aduocans namque ALBINVM institutorem suum Turonis, & miserum felicem hæresis huius adstructorem de Hispaniæ partibus, congregauit Synodum magnam Episcoporum in Aquisgrani Imperiali Palatio. In quorum ipse sedens medio, Felicem, licèt valde repugnantem, de natura Filij Dei secundum carnem cum Albino doctissimo disputando rationabiliter confligere iussit. Tum quantum Episcoporum tunc extitit silentium! O quàm clara & inexpugnabilis KAROLI cum auctoritate Magistri sui fidei confessio atque defensio! Per plura autem Felix fugiens latibula, plurioribus ab Albino confossus est spiculis, intantùm vt penè omnes ciuitates Israel consummaret, quousque filius hominis veniret. Nam à secunda vsque ad septimam sabbati parum aliud gestum est. Omnibus denique eius patefacta socordia, atque ab vniuersis Apostolica auctoritate hæresi confutata, soli sibi latuit deformiter, vsque dum dicta Cyrilli Martyris ab Albino sibi directa legit lamentabiliter: Ea natura, quæ per diabolum vitiata est, super Angelos exaltata est propter triumphum Christi, atque ad dexteram

CAROLVS MAGNVS. Patris collecta. Hanc ergo legens sententiam, tandem se recognouisse, & impiè egisse, voce & nimio fletu testatus est-- ⁖ A

CVM igitur senectute, vnáque infirmitate plus solito se sentiret affectum, diu vt secum tractauerat velle se significauit Regi KAROLO seculum relinquere: postulans licentiam, apud sanctum Bonifacium, monasticam vitam secundùm Regulam sancti Benedicti ducere, Monasteriáque sibi commissa suos vt inter discipulos diuideret, si fieri posset. Sed Rex terribilis & pius, vnum cum omni postulationis affectu denegauit, alterum libenter audiuit: flagitans quietissimè Turonis atque honorificentissimè vt resideret, sibique & omni sanctæ Ecclesiæ commissæ non detrectaret. Onera verò seculi, quæ ipse habuerat, discipulis vt petierat libentissimè dispertiit. Fecit ergo ipse Albinus vt Rex sapientissimus rogauerat, non quærens quod sibi foret vtile, sed quod multis: ac Turonis diem nouissimum præstolatus fuit- ⁖ Discipulorum eius nobilissimus Sigulfus erat Vetulus, magnanimúsque VVithso. Post hos Fredegisus, & eius socij, At tempore iam vltimo hærebant ei assiduò, Raganardus, VValdramnus, qui adhuc supersunt, Adelbertus quoque beatæ memoriæ, quantum poterat, Sigulfi tunc filius, post autem venerandus Pater, & multi alij-- ⁖

REX siquidem magnus Imperatórque iam KAROLVS potens, orationis gratiâ, vnáque desideratæ conlocutionis mutuæ cum ALBINO, sepulchrum sancti Martini suis cum filiis, KAROLO, PIPINO, ac LVDOVICO, visitare studuit. B
» Quo in loco tenens manum Albini, ait secretè: Domine Magister, quem de his fi-
» liis meis videtur tibi in isto honore, quem indigno quanquam dedit mihi Deus,
» habere me successorem? At ille vultum in LVDOVICVM dirigens, nouissimum illorum, sed humilitate clarissimum, ob quam à multis despicabilis notabatur, ait:
» Habebis LVDOVICVM humilem successorem eximium. Hoc tunc solus audiuit KAROLVS. Sed cùm eosdem Reges erecta ceruice, & LVDOVICVM humili pòst orationis gratiâ in Ecclesiam sancti Martini incedere cerneret, sedens in loco quo sepeliri volebat, infit sibi adsistentibus: Cernitis LVDOVICVM fra-
» tribus suis humiliorem? Certè videbitis hunc patris celsissimum successorem. Necnon cùm post communionem corporis Christi & sanguinis manu propria eis misceret, isdem LVDOVICVS humilitate clarissimus præ omnibus Patri sancto se inclinans, eius osculatus est manum. Tunc vir Domini adsistenti sibi, ait Sigulfo:
» Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Certè istum post
» patrem FRANCIA gaudebit habere Imperatorem. Hoc nos iam factum & videmus, & gaudemus. Depositi sunt qui videbantur cedri, & exaltata est oliua fructificans in domo Domini. Ipse denique Pater KAROLVM multa erudiuit curâ Artibus secularibus, Scripturisque diuinis: adeò vt sapientissimus omnium Francorum efficeretur Regum, qui fuerunt ab aduentu Christi. Docuit etiam eum per omne vitæ suæ tempus quos Psalmos pœnitentiæ cum letania & orationibus precibúsque, quos ad orationem specialem faciendam, quos in laude Dei, C quos quoque pro quacumque tribulatione, quemque etiam vt se in diuinis exerceret laudibus decantaret. Quod nosse qui vult, legat Libellum eius ad eundem, de ratione Orationis.- ⁖

Ex Libro Ms. de Reliquiis Ecclesiæ S. Dionysij Episcopi & Martyris.

De Sanctis Martyribus Cucufate, & Hippolyto, quorum corpora CAROLVS MAGNVS *Imp. è Roma in Alamanniam transtulit, & indè* FVLRADVS *Abbas in Ecclesiam S. Dionysij.*

CAROLVS MAGNVS Romanorum Imperator, & Princeps Christianissimus, Deo, vt credimus, inspirante, proponens, vt ita dici liceat, spoliare Egyptios, & ditare Hebræos, quædam sanctorum Martyrum corpora, qui maioris nominis, & auctoritatis præcipuæ in vrbe Roma tunc temporis habebantur, transferre disposuit in partes illas Alamanniæ, quas præ ceteris diligebat: præsertim quia ipsum specialiter ex parte vxoris suæ iure hereditario contingebant. Romani verò tanti viri proposito non ausi sunt contraire, quia si hoc facerent indignationis eius

A eius incurrere dispendia formidabant. Quod igitur iamdudum in animo faciendum conceperat, cum digna reuerentia & honore debito, prout sibi decentius visum est, opere compleuit, secundum quod Imperatoria dignitas exigebat. Transtulit ergo corpus beati ALEXANDRI Papæ & Martyris, qui aquam benedictam cum sale fieri singulis diebus Dominicis per vniuersas Christi Ecclesias primitus instituit. Idem etiam corpus sanctissimum in loco amœnissimo, qui Leprca-vallis dicitur, honorabiliter collocauit: vbi conuocatis Monachis de Ecclesia beati Areopagitæ Dionysij valde delectabilem cõstituit Prioratum, assignans villas, possessiones, & redditus, qui copiosè sufficerent ad supplenda necessaria Monachorum. Corpus verò sancti CVCVFATIS Martyris in eadem villa, in parrochiali Ecclesia poni iussit vt quos simul transtulerat, non longè ab inuicem separaret. Corpus autem sacratissimi Martyris Hippolyti ad villam quandam, quam præfato Prioratui dederat, transferri præcepit, quæ abindè ferè quatuor miliaribus seiungitur: quæ etiam vsque hodie ob reuerentiam eiusdem Martyris Sancti Hippolyti nomine nuncupatur. In præfatis ergo locis supradicta Sanctorum corpora, quamdiu superuixit KAROLVS Imperator, & paulò amplius, quieuerunt. Ipso verò viam vniuersæ carnis ingresso, triennio ferè post eius obitum, FVLRADVS nepos eiusdem CAROLI, Abbas Cœnobii macharij Areopagitæ Dionysij corpora sanctorum Martyrum Cucufatis atque Hippolyti à locis, in quibus eos statuerat B Carolus Imperator, ad præfatum Cœnobiũ cum summa reuerentia transtulit. Qui beatum Cucufatem in capitio satis honestè posuit. Sanctissimo verò Hippolyto in medio nauis Ecclesiæ ante maiorem Crucifixum mausoleum & locum decentissimum præparauit. Facta est autem hæc secunda translatio anno ab Incarn. Domini DCCCXVIII. regnante LVDOVICO PIO Imperatore Romanorum, & Rege Francorum, sæpenominati Caroli Imp. filio, anno Imperij eiusdem III. 818.

De Translatione corporis S. Sacerdotis Episcopi Lemouicensis apud vicum & Monasterium de Sarlato in territorio Petragorico.

REGNANTE & imperante CAROLO MAGNO, & LVDOVICO PIO eius filio sub patris imperio in Aquitania regnante, multa Monasteria in Regno Aquitanico ab eodem Rege Ludouico fuerunt reparata, & quædam à fundamentis constructa. Hoc etiam tempore à religiosis viris restaurata est Ecclesia Saluatoris in vico Sarlatensi in pago Petragorico. Sicque factum est Dei operante clementia, vt Ecclesias quas præfatus Carolus Magnus seu eius exercitus deuastando læserat, dum bellum ageret contra Gaiferium & Vnaldum, qui post mortem Gaiferij Aquitaniam occupauerat, Ludouicus prædictus filius eiusdem Imperatoris repararet, quas ipse pius Imperator Carolus Magnus immensis auri & argenti ponderibus, gemmarúmque preciosarum exornauit muneribus, & sanctarum reliquiarum patrociniis insigniuit. Inter Ecclesias prædictas ac Monasteria, memoratus C Princeps Carolus Magnus honestauit, imò sanctificauit Ecclesiam ac Monasterium de Sarlato non modica portione ligni Dominicæ Crucis. Ea verò tempestate Monachi Monasterij Sarlatensis ad superiùs nominatum vicum Calabrum iam penè in solitudinem redactum abeuntes, nocte vna vtriusque, scilicet sancti Sacerdotis Confessoris, & matris eius sanctæ Mundanæ martyris, sepulchra confringentes, & indè secum apud Sarlatum deferentes, intra Ecclesiam Saluatoris digno cum honore tumulauerunt. Facta est autem prædicti Monasterij Sarlatensis restauratio, & prædicta sanctorum corporum translatio tempore Caroli Magni. Dies autem Translationis istius non inuenitur tradita memoriæ literarum, nec etiam Dominicæ Incarnationis annus annotatus.

Ex Textu Translationis Sanctæ Gudilæ Virginis.

HOC die, quo translatum est corpus beatæ virginis GVDILÆ in Basilicam Morzellensem, virtus Altithroni ad nominis sui laudem, & suæ Virginis ampliandum honorem, patefecit suæ omnipotentiæ ostentationem. Cuius rei rumor circumquaque decurrit, & per cunctorum ora volitans ad Palacium vsque peruenit. In tempore illo sceptrum Monarchiæ Imperialis tenebat KAROLVS, qui ex tropheis frequentibus cognominatus est MAGNVS. Itaque famâ peruigilante

CAROLVS MAGNVS.

volucri, certatim studebant illuc aduentare tam longinqui quàm proximi, & miraculum, quod Christus ad gloriam suæ Virginis monstrauerat, ardebant intueri. Rex autem Karolus tam mirificis auditis miraculis, illuc deuotus aduenit. Qui vt Ecclesiarum Dei amator semper extitit, defensórque strenuus in cunctis deuotissimus, eandem villam Morzellensem sacræ Virgini Testamentis condonauit legalibus, & prædiolum Ham sub pluribus & idoneis tradidit testibus: vt ibi tota villa deinceps subiecta maneret. Adiecit insuper eo in loco Sanctimonialium aggregare cateruam, & decretis regalibus facultatem illis famulandi Deo asscripsit satis oportunam. Quæ singula Testamento mandauit, & subscriptis testibus assignauit, & Ecclesiæ in qua Sancta iacebat in perpetuam hereditatem delegauit. Quæ videlicet traditio vsque VVENEMARVM rata permansit. Cuius vsurpatione iniusta ad posteros suos eadem villa non sine offensa diuina pertransiit. A

Ex Libro Ms. Miraculorum S. VVandregisili Confessoris Christi.

ILLVD autem, quod in Germania & Saxonum tunc gentilium populi terra gestum est, dum magnus Rex CAROLVS eorum terras bellando domaret, silentio præterire non debemus. Quidam namque præfati Monasterij Fontanellæ miles nomine Sigenandus, dum vastando cum aliis militibus diriperet eorundem gentilium opes, comprehensus est ab eis, nonnullique alij. Cúmque duceretur ad locum quo decollandus erat, suffragium sancti protectoris VVandregisili crebriùs deposcebat, vt eius piis precibus imminens mereretur euadere periculum mortis. Sæpiúsque ipsius precibus patroni in prece dum peteret auxilium, quidam ex ipso Saxonum populo, cui nomen erat Abbo, diligenter exquirere cœpit, cur tam creberrimè VVandregisilum nominaret. Respondebat ille: Quia in veritate eius sum famulus, & credo me eius interuentu sanctitatis Deo propitio à periculo præsentis liberari discriminis. At ille, Hac, inquit, nocte mihi astitit VVandregisilus, monens vt tibi nil mali facerem, sed potiùs cum pace ad tuos redire permitterem. Quod si aliter fecissem, audacter contra meam patrarem salutem. Idcirco illæsum te abire permitto, absolutúmque vinculis, & indutum vestibus, armisque munitum ad castra remisit Christianorum. Prædictus autem Abbo Saxonici generis Regi posteà obses datus, & ad Fontanellam perductus, credénsque in sanctæ Trinitatis nomine baptizatus verúsque Christianus effectus est. Ex cuius ore quidam Fratres nostri qui adhuc supersunt narrando hæc referunt, ipsique nobis quæ ab illo didicerunt posteà veraciter narrauerunt. B

ALIVD quoque quod in Geroaldo huius Cœnobij Patre gestum est, narretur miraculum. Is enim Abba iussu CAROLI Augusti quadam Legatione fungebatur in insulâ cui nomen est Augia, quam Britonum gens incolit, & est adiacens pago Constantino, cui tempore illo præfuit Dux vocabulo Amvvarith. Prosperéque gestis & pro quibus directus fuerat impetratis, flante vento secundo, Oceanum in redeundo ingressus, ita subito ventus zephyrus validissimè flare cœpit, fragórque Oceani terribilis exortus est, vt vndarum globi molésque immensi proceritatem magnarum transcendere viderentur arborum. Cúmque omnes, qui cum eo erãt in naui, in desperatione essent supremâ, nulláque esset spes euadendi, omniúmque vultus similes forent effigiei mortis: tandem prædictus venerabilis reminiscens Abba, quas penes se habebat sancti VVandregisili reliquiarum amplectitur, ac deosculatur, cęteríque comites ac nautæ nauis creberrimis precibus flentes Christi implorant clementiam, ac præfati patroni preces, votáque cunctipotenti & ipsi beato vouent Confessori: optantes reddere si à tanto discrimine eius suffragantibus meritis mererentur liberari. Protinúsque meritis & intercessione eiusdem sanctissimi Patris sæua pericula imperata sunt diuinitus cessare, & trãquillitas mira ex templo est reddita discusso turbine maris. Prosperóque cursu Deum collaudãtes, & pro sui ereptione grates omnimodas omnipotenti Deo sanctóque VVandregisilo referentes, optatum perueniunt ad portum. Sic cunctipotens Deus, qui quondam afflictum audiuit Ionam, de ventre cæti, prædictum venerabilem Patrem vnà cum sociis de periculo eruit maris. Vnde cuncti qui illic aderant, & ad quos factum hoc peruenire potuit, Christum filium Dei laudarunt, qui meritis famuli sui tale peregit miraculum. C

TEMPORE igitur quo grauissima Danorum Piratarum lues Deo permitten-

A te flagitiisque exigentibus nostris Oceani littus infestum haberet, Galliarúmque quaqua versum maximè adiacentes & cōtiguas fluuio Sequanæ miserâ cæde vastaret Prouincias, (quod retroactis temporibus, quando misericors Deus illius præcepta seruante suo fuit cum populo nequaquam factum audiuimus, sed neque relegimus) anno videlicet irruptionis suæ in prædictum magnum fluuium Sequanæ octauo-decimo, ex quo verò Oceanum ingressi piraticam exercere aggressi fuerant quinquagesimo octauo, Regis autem præcellentissimi KAROLI septimo decimo sanctissima ossa, piique cineres præfati egregij Confessoris Christi VVandregisili, ac Sancti Præsulis Ansberti, ob metum & conculcationem horum nefandorum Gentilium de Fontanellæ Monasterio propriis effossa sepulchris ad ipsorum Sanctorum prædium, quod dicitur Bladulfi-villa, deportata sunt. Cúmque iam eidem cum ipsis sanctissimis propinquaretur corporibus, venerunt eis obuiam custodes Ecclesiæ, ac aliqua pars Fratrum, & reliquus populus omnis. Quibus elapsis adiectione prædictorum posse fuit, susceperúntque illa cum gloria Deíque laudibus in loco qui dicitur Mitispons super fluuium Alteiæ. Ipso autem fluuij ponte beatissimis cum corporibus transito, in loco vbi pausauerant crux lignea à fidelibus populis ponitur.

NON longo pòst tempore dum in periculo sibi inuocantibus affuit, sequitur clara virtus ac maxima. Illuster namque vir GRIPPO Præfectus videlicet emporij B Quento-vici, iussu præcellētissimi Regis CAROLI quadam legatione functus est in insulâ Brittanica ad Reges gentis Anglorum. Denique strenuè impetratis ac peractis, pro quibus directus fuerat, dum in reuertendo nauim ascendisset, Oceanum æquor ingressus flante vento secundo ferè medium confecerat iter, noctisque spatio ferè transacto antequam roseæ lucis splendor mundum irradiaret, subitò ita sæua exorta est procella, vt nulla spes euadendi præfato Duci suisque comitibus qui cum eo erant in naui remaneret. Cúmque variis ac fortissimis ventorum motibus mare intumesceret, lintrisque huc atque illuc à vi maris pulsaretur ac vagabunda incederet, nullúsque euadendi exitus nullomodo pateret, cùm iam sol lucifluos emitteret radios, & propria totum illustraret lampade mundum, aspexit præfatus Dux farum supra littus maris antiquorum industria ad cursum nauigantium olim ibidem ædificatam, contemplatus est quoque & Basilicam in quâ pretiosi Confessoris VVandregisili summique Pontificis Ansberti posita sanctissima erant membra, completósque lachrymis oculos hæc humili cum voce supplicans aiebat: Sacerdos quondam noster, nunc socius Angelorum, beatissime VVandregisile, precibus piis succurre nunc afflictis, & iam iámque periclitantibus. Te duce ab hac regione progressus sum, te duce externa adij loca. En desertus à te patriæ inductus iam finibus, grauis periculi mole oppressus dignas mei meriti pœnas luo. Noli subtrahere precor liberationem famulorum. Iocundior nobis melle dulcedo, ne sinas gaudia nostra supremæ tristitiæ nubilo maculari. Gaudium & exulta- C tio nostra, quos deduxisti sospites patrio solo redde incolumes. Inter hæc Dux eiúsque socij vota offerunt, omnimodo nisu reddere cupientes. Vix verba præfata finierant, cùm subitò ope atque intercessione almi VVandregisili piâ serenitas redditur mira, & patronum quem quærebant absentem, virtute præclarâ præsentem intelligunt. Lachrymæ denique vertuntur in gaudium, mœror lætitiæ permutatur. Leuatis namque velis motu celeri cum gaudio tripudióque magno lintris cucurrit ad littus, nec subacta inter duras cautes prærupta que & aspera loca contrita est, nec scit pertulisse pericula. Ministeria nempe impleuit itineris, relinquens signa virtutis. Ipse autem præfatus Dux Grippo in ipsa vigiliâ Natiuitatis Domini alacer & sospes ad eandem peruenit Basilicam, in quâ prædicti Christi Confessorum beatissima posita fuerant membra, ibique cunctipotenti Deo pro susceptione laudes multimodas cum magnæ humilitatis reuerentiâ retulit, & vota promissa obtulit.

ANNO Dominicæ Incarnationis octingentesimo nonagesimo quinto, Indictione quarta, sub die 11. Kalendarum Decembrium, venerunt corpora sanctorum VVandregisili & Ansberti Confessorum ad Carnotenam vrbem, & iubente Domino suscepta à venerabili Haimone Episcopo præfatæ vrbis & Domino Haimerico Abbate Monasterij Sancti Careoni Martyris, & collocata in Ecclesiâ in quâ isdem Christi Martyr requiescit. vbi non minimam humanitatem Monachis Sancti

LVDOVICVS PIVS. VVandregisili qui metu Gentilium hæc attulerant exhibuit, & hospitalitatem condignam hilariter tribuit. Ibique XIV. Kalend. Martij pacificè mansimus, videlicet per menses exceptis tribus diebus. Deinde Kalend. Martij metu Gentilium & cooperante præfato Haimone venerabili, aliisque Sanctorum veneratoribus, annuente etiam eiusdem vrbis venerabili clero & plebe Deo deuotâ, cum laudibus & honore prædictorum corpora Sanctorum intra muros præfatæ vrbis venerabiliter suscepta sunt, atque in Oratorium quod olim venerandus Præsul Gislebertus construxerat dignè collocata sunt. In quo omnipotens Deus sanctos suos vt voluit mirificauit, & miraculorum attestationibus multiformiter honorauit, quorum insignia miracula iubente Domino mirabiliter refulgent. A

DE GESTIS LVDOVICI PII.

Ex Vita Sancti BENEDICTI *Abbatis Anianæ, Indæ, &c. quam sanctus Ardo, qui & Smaragdus dictus est, Monasterij Anianæ Monachus, ac eiusdem Benedicti discipulus, ad petitionem Monachorum Indani Monasterij conscripsit. Ex editione Fr. Hugonis Menardi Monachi Benedictini.*

EPISTOLA MONACHORVM INDÆ AD ARDONEM. B

BENEDICTVS igitur Abbas in prouincia Gotiæ exortus sub PIPINO Rege Francorum, & post eius decessum sub CAROLO filio eius, ab infantiæ tempore vsque ad adolescentiam militauit. Post hæc autem relicto Palatio in Monasterio Sancti Sequani in prouincia Burgundiorum habitum veri Monachi suscepit, ibique duobus ac semi annis consistens Deo iugiter militauit. Sed quia ibi regularem vsum minimè reperit, in Gotiæ partibus migrauit, ibique super fluuium Anianum manu propria Cellam primitus, postmodum verò cum ipsis Fratribus, qui ob amorem Christi sub eius regimine venerant, Monasterium ex nouo opere construxit: in quo non longo pòst tempore trecentos sub suo regimine Monachos habuit. Defunctóque Carolo Imperatore LVDOVICVS filius eius Imperium suscipiens Benedictum venerabilem virum vna cum suis quibusdam discipulis in Franciam venire fecit, ac primitus in pago Alsacense Monasterium ei Maurum dedit. Postea verò pro eius amore iuxta Aquis Palatium super fluuium Indam ex nouo opere ei Monasterium ædificauit. Hic est Benedictus, per quem Dominus Christus in omni Regno Francorum Regulam S. Benedicti restaurauit. Hic habuit sub regimine suo Monasteria duodecim, id est Anianam, Gellonem, Casam-nouam, Insulam Barbaram, Menatem, Sanctum Sauinum, Sanctum Maximinum, Massiacum, Cormariacum *, Cellam nouam in Tolosano, Monasterium Maurum in Alsatz, Indam ex iussu Imperatoris ob illius & discipulorum eius vsum ædificatum, & de fiscis regalibus, ditatum. In his omnibus ex doctrina sua Monachos & rectores misit. Curam autem maximam habuit de omni ordine Ecclesiastico, videlicet Monachorum, Canonicorum, atque Laicorum, maximè autem Monachorum. Imperator autem omne eius consilium libenter audiuit, & fecit. Vnde & à quibusdam MONACHVS vocitatur, videlicet quòd Monachos pro eius amore semper suos proprios appellauit, & post eius decessum hactenus Abbatem se Monasterij illius palam esse profitetur. Sanctus igitur vir vsque ad obitum suum in Palatio Regis pro augmento fidelium, non pro terrenis rebus perseuerauit, quia iuxta erat Monasterium in quo degebat. Ante quartam verò exitus sui diem adhuc sanus omnia Imperatori quæ ei solitus erat dicere replicauit; & in ipsa die febre correptus ad mansionem suam vsque peruenit. Altera verò die audientes hoc omnes Magnates Imperatoris, ad eum visitandum venerunt. Tanta autem ibi fuit multitudo Episcoporum, Abbatum, ac Monachorum, vt nobis, qui eum ibi custodiebamus, vix ad eum accedere facultas esset. HELISACAR autem Abbas primus ad eum venit, & cum eo vsque ad obitum perseuerauit. Quinta siquidem feria ægrotauit, in sexta autem feria nocte misit Imperator TANCVLFVM Camerarium, iubens vt eum in ipsa nocte ad Monasterium ferremus. Quem leuantes ante gallorum cantum vna cum Helisacar, & suis ac nostris hominibus, prima hora diei ad Monasterium de- C

* al. Cromaciacum

A duximus. Cúmque esset tertia diei hora, omnes à se exire præcepit, & vsque ad sextam horam solus permansit. Post hæc ingressus supradictus Abbas cum Præposito nostro, percunctati sunt quo modo ageret. Quibus ipse respondit, nunquam se tam benè fuisse, adiunxitque. Vsque modo inter Choros Sanctorum coram Domino adstiti. In crastina autem Fratribus ad se vocatis, eis monita salutis dedit. Et tunc professus est, quia quadraginta anni essent ex quo Monachus fuerat, in quibus annis nullo die antea panem comedit, donec coram Deo lachrymas funderet. In ipsa die breuem admonitionem Imperatori misit, & alia per diuersa Monasteria direxit. Isdem verò venerabilis vir omne officium suum de quinque annis & duobus mensibus ante obitum suum, sicut in eius tabulis post eius decessum reperimus, & ipse viuens quibusdam dixit, cantatum per semetipsum reliquit. Obiit autem septuagenarius tertio Idus Februarij anno ab Incarnatione Domini DCCC. XXI. Indictione decima quarta, Concurrente primo, Epacta decima quarta, anno IX. Imperij LVDOVICI piissimi Imperatoris. Post tertium verò diem sepulchrum eius aperuimus, & eum in vas lapideum, quod Imperator parauerat, mutauimus. Discooperientes autem faciem eius, vidimus in fronte & circa oculos ac labia eius tantum ruborem, quantum nec viuus habuerat. His ita exceptis, & ita se habentibus, nos famuli ex Monasterio In da, videlicet Deidonus, Leuigildus, Bertadus, & Desiderius, tibi ARDONI Magistro nostro salutem in Domino optamus, petimúsque caritati tuæ, vt secundum tuam sapientiam de vita Patris nostri BENEDICTI Libellum componas, & eum nobis dirigas. Salutant vos omnes Fratres nostri, & vos salutate omnes Fratres nostros. Amen.

B

Excerptum Libelli Ardonis de Vita Sancti Benedicti.

IGITVR vir venerabilis nomine & merito BENEDICTVS Abbas, ex Getarum genere partibus Gotiæ oriundus fuit. Nobilibus natalibus ortus, sed eum superna pietas potiori virtutum claritate nobilitauit. Pater siquidem eius Comitatum Magdalonensem quoadvsque vixit tenuit, & Francorum Genti fidelissimus totis viribus extitit, fortis & ingeniosus. Hostibus enim valde erat infestus. Hic nempe magna prostrauit strage VVascones, qui vastandi gratia fines Regni Francorum fuerant ingressi. E quibus nullus euasit, nisi quem pernix fuga saluauit. Hic pueriles gerentem annos præfatum filium suum in Aula gloriosi PIPINI Regis Reginæ tradidit inter Scholares nutriendum. Qui mentis indolem gerens supra ætatem, diligebatur à commilitonibus. Erat quippe velox, & ad omnia vtilis. Post hæc verò Pincernæ sortitur officium. Militauit autem temporibus præfati Regis. Post cuius excessum cùm Regni gubernacula CAROLVS gloriosissimus Rex potiretur, ei adhæsit seruiturus. Interea illlustrante diuina gratia super nos cœpit flagrare amore, & vt seculum linqueret totis æstuare nisibus, periturumque fastidire honorem, ad quem cum labore attingere se posse cernebat, sed adeptum citò amittere. Per triennium autem hoc corde tegens soli Deo secretum tenuit, corpore non mente se seculi actibus inserens. Tentabat igitur infra hoc spatium si continentiæ culmen arripere posset, subtrahere corpori somnum, reprimere linguam, abstinere à cibo, parciùs sumere vinum, & veluti peritus athleta ad futurum se componere bellum. Præmeditabat siquidem in seculari adhuc habitu sistens quæ postea deuotus impleuit. Sed quamquam se à seculi actibus exuere vellet, hæsitabat tamen quibus hoc modis faciendum esset: vtrum peregrini assumeret habitum, an fortè si alicui coniungeret, & hominum oues aut armenta pratis pasceret, an etiam in ciuitate sutoris exerceret artem, & quæ habere posset pauperibus erogaret. Sub tali quippe certamine fluctuante animo, ad amorem se vitæ regularis conuertit. Eo itaque anno, quo Italia gloriosi CAROLI Regis ditioni subiecta est, cùm frater eius incautè fluuium quemdam transfretare vellet, & à tumentibus rape./retur vndis, hic equo sedens periculum conspiciens fratris sese inter vndas præcipitem dedit, vt pereuntem à periculo redderet extorrem: atque natante equo fratris attigit manum, quem cùm tenuit tentus est, vixque qui eripere morientem voluit mortis euasit periculum. Tunc se voto Deo constrinxit, seculo deinceps non militaturum. Patriam petit, sed hoc patri non patefecit. Quidam autem erat Religiosus VVidmarus nomine, corporea luce carens;

C

LVDOVICVS PIVS. sed cordis luce resplendens, cui velle suum ostendit, isque secretum tenuit, & consilium salubre præbuit. Præparatis itaque omnibus, iter quasi Aquis iturus arripuit. Sed vbi Sancti Sequani ingressus est domum, redire suos ad patriam iubet, séque in eodem Cœnobio Christo Deo seruire velle indicauit. A

HACTENVS de vita tanti Patris qualiter diuina illustrante clementia seculum reliquerit, qualitérque in Gottiæ partibus transmigrauerit, ac de nouo opere Monasterium construxerit dicta sufficiant. Nunc opitulante Christo ex præcepto KAROLI quibus modis illud in eodem loco Cœnobium ædificauerit, euidenti ratione pandamus. Anno igitur DCCLXXII. Karoli verò Magni Regis XIV. adiuuantibus eum Ducibus & Comitibus aliam rursus in honorem Domini & Saluatoris nostri Ecclesiam prægrandem construere cœpit, sed & Claustra nouo opere alia cum columnis marmoreis quamplurimis, quæ sitæ sunt in porticibus, non iam stramine domos, sed tegulis cooperuit. Tanta autem sanitate idem locus est præditus, vt quisquis fideliter petiturus aduenerit, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, statim quod poposcerit impetrare licebit. Quia ergo mira religiositate præfulget, ratum duximus si de dispositione eiusdem loci aliquid post futuris pandamus. Siquidem venerabilis Pater BENEDICTVS pia consideratione præuentus, non in alicuius Sanctorum prætitulatione, sed in Deificæ Trinitatis (vti iam diximus) nomine præfatam Ecclesiam consecrare disposuit. Quod vt dico luce clarius agnoscatur, in altari quod potissimum ceteris videtur tres aras censuit supponi, vt in his personalitas Trinitatis typicè videatur significari, & mira dispositio vt in tribus aris indiuidua Trinitas, & in vno altari essentialiter firma demonstretur Deitas. Altare verò illud forinsecus est solidum, ab intus autem cauum; illud videlicet præfigurans quod Moyses condidit in Eremo, retrorsum habens ostiolum, quo priuatis diebus inclusæ tenentur Capsæ cum diuersis reliquiis Patrum. Hæc de altario dicta sufficiant. Ad instrumentum domus, quo ordine, vel numerositate compositum, succinctè pergimus. Cuncta siquidem vtensilia quæ in eadem domo habentur in septenario numero consecrata noscuntur, septem scilicet candelabra fabrili arte mirabiliter producta, de quorum stipite procedunt hastilia, spherulæque, ac lilia, calami, ac ciphi in nucis modum: ad instar videlicet illius facta, quod Beseleel miro composuit studio. Ante altare etiam septem dependent lampades miræ atque pulcherrimæ, inæstimabili fusæ labore, quæ à peritis, qui eas visere exoptant, Salomoniacè dicuntur conflatæ. Aliæ tantundem in Choro dependent lampades argenteæ in modum coronæ, quæ insertis circulis cyathos recipiunt per gyrum: morísque est præcipuis in festiuitatibus oleo repletos accendi. quibus accensis veluti in die, ita in nocte tota refulget Ecclesia. Tria denique altaria in eadem sunt dicata Ecclesia, vel Basilica, vnum videlicet in honorem Sancti Michaëlis Archangeli, aliud in honorem beatorum Apostolorum Petri & Pauli, tertium in honorem almi prothomartyris Stephani. In Ecclesia verò beatæ genitricis Mariæ, quæ primitus est fundata, sancti Martini necnon & beati Benedicti haberi videntur altaria. Illa verò, quæ in Cemeterio fundata consistit, in honorem sancti Ioannis Baptistæ consecrata dignoscitur, quo inter natos mulierum maiorem neminem surrexisse diuina attestarunt oracula. Considerare libet quanta humilitate & reuerentia isdem metuendus sit locus, qui tot principibus videtur esse munitus. Siquidem Dominus Christus Princeps est omnium Principum, Rex Regum, & Dominus dominantium. Beata verò eiusdem Dei genitrix Maria cunctarum Virginum creditur esse Regina. Michael cunctis præfertur Angelorum. Petrus & Paulus capita sunt Apostolorũ. Stephanus prothomartyr principatum tenet in choro testium. Martinus verò gemma refulget Præsulum. Benedictus cunctorum est pater Monachorum. In septem item altariis, in septem candelabris, & in septem lampadibus septiformis gratia Spiritus sancti intelligitur. Cognoscat quisquis ille est, qui hanc cupit legere vel audire vitam, cunctorum hoc caput esse Cœnobiorum, non solùm quæ Gottis in partibus constructa esse videntur, verùm etiam illorum quæ aliis in regionibus ea tempestate & deinceps post huius exempla ædificata, atque de thesauris illius ditata, sicut inantea narratiua est schedula. Dedit autem cor suum ad inuestigandum beati Benedicti Regulam, eámque vt intelligere posset satagens circumiuit Monasteria, peritos quosque interrogans quæ ignorabat, & omnium Sanctorum quascumque

A inuenire potuit Regulas congregauit, normámque vtilem & Monasteriorum salubres consuetudines didicit, suísque eas tradidit Monachis obseruandas. Instituit Cantores, docuit Lectores, habuit Grammaticos, & scientia Scripturarum peritos, de quibus etiam quidam post fuerunt Episcopi. Aggregauit librorum multitudinem, congregauit pretiosa vestimenta Ecclesiastica, Calices argenteos prægrandes, Offertoria argentea, & quidquid operi Dei necessarium esse conspexit, summo cum studio adquisiuit. Notus itaque factus est omnibus, & fama sanctitatis eius Regias Imperialésque penetrauit aures. Abiit deinde ad gloriosissimum Imperatorem CAROLVM ob vtilitatem Monasterij, illique Cœnobium pia consideratione præsentans, ne incommoda à parentibus suis paterentur post eius decessum superstites, per Cartam tradidit possidendum. à quo mox immunitatem percepit.

GVILLELMVS quoque Comes, qui in Aula Imperatoris præ cunctis erat clarior, tanto dilectionis affectu beato Benedicto deinceps adhæsit, vt seculi dignitatibus despectis hunc ducem viæ salutaris eligeret, qua pertingere posset ad Christum. Acceptáque tandem conuertendi licentiâ, magnis cum muneribus auri, argentíque, ac pretiosarum vestium speciebus, subsequitur venerabilem virum. Nec moram in deponendo comam fieri passus est, quin potiùs die natalis Apostolorum Petri & Pauli auro textis depositis vestibus, Christicolarum induit B habitum, seséque cœlicolarum adsciscì numero congaudet. Vallis vero à beati viri Benedicti Monasterio fermè quatuor distat millibus, cui nomen est GELLONIS, in qua construere præfatus Comes in dignitate adhuc seculi positus Cellam iusserat. Illic se vitæ suæ tempore Christo tradidit seruiturum. Et quoniam nobilibus natalibus ortus nobiliorem se fieri Christi amplectendo pauperiem studuit, summum quem iam animo perceperat pro Christo abiecit honorem, ratum puto si de piis conuersationis eius actibus vel nescientibus pandam. Etenim in Cellam præfatam venerabilis Pater Benedictus suos iam posuerat Monachos, quorum exemplo imbutus infra paucos dies eos à quibus edoctus erat virtutibus antecellit. Adiuuantibus quoque eum filiis, quos suis Comitatibus præfecerat, Comitibúsque vicinis, ad perfectum fabricam Monasterij quam cœperat citò deduxit. Qui locus ita secretus est, vt solitudinem non desideret habitator. Cingitur denique nubiferis vndique montibus, neque cuiquam illic accessus est, nisi quem vltroneus orandi causa deduxerit animus. Tanta verò amœnitate est perfusus, vt si Deo seruire decreuerit alia non desideret loca. Siquidem adsunt vineæ, quas præfatus vir plantare præcepit. Hortorum quoque copia variis stipata diuersorum generibus arborum. Possessiones acquisiuit plurimas. Petenti siquidem eo serenissimus Rex LVDOVICVS spatioso hoc dilatauit termino, de fiscis suis ad laborandum concedens loca: vestes sacras perplurimas dedit, calices argenteos, & offertoria præparauit, libros secum perplures attulit, altaria auro argentóque vestiuit. In hanc nempe ingressus Cellam, totum se dedicauit Christo, nihil mun- C danæ pompæ relinquens vestigij. --- :·

PIISSIMVS quoque LVDOVICVS Rex, quo ab insanis magis magísque deridebatur BENEDICTVS venerabilis Abbas, eo sibi eum in dilectionis sociabat multoties amore. sciens malorum esse consuetudinem profectibus obesse iustorum. Regina quoque pio affectu colebat eum, & quia iustum nouerat libenter auscultabat, suísque muneribus sæpissimè honorabat. Et quoniam turba discipulorum eius succreuerat, & locus in quo ipse degebat infœcundus, humúsque sterilis penè, & ardore Solis superustus est, dedit illi Monasterium, quod est Aruerniæ territorio situm, quod sanctus Meneleus regio de semine ortus fundauit, in quo & iacet in corpore. Vbi duodecim direxit Monachos, constituens eis Abbatem summæ reuerentiæ virum nomine AVDOARVM, qui à primæuo tempore conuersionis suæ ei adhæserat, virum probatum, & multis laboribus attritum. Quibus laborantibus, pióque studio decertantibus, fermè septuaginta vel eò ampliùs illis monasticam vitam pro posse seruantes adhæserunt. --- :·

ALIVD demum illi Monasterium gloriosissimus Rex dedit, vbi, vt reor, viginti Monachos misit, Abbatémque illis constituit. Situm verò est Monasterium illud in territorio Pictauensi, & dedicatum in honorem sancti Sauini. In quo positi Fratres dum in piis studiis vigilant, desudántque, turba Monachorum non

LVDOVICVS PIVS. parua eis adiungitur. Rursus ei aliud contulit Monasterium, quod in territorio A Bituricense situm est, illicque quadraginta fermè posuit Monachos, constituítque Abbatem. Et quoniam locus ille nouo opere erat fundandus, adiutorium præstitit, Libros vestésque sacras dedit. At illi in sanctæ Religionis habitu florentes, sanctæque conuersationis normam pandentes, vnitatem quoque spiritus seruantes in vinculo pacis, permaximum intra Christi ouile gregem Monachorum aggregarunt. VLFARIVS etiam quidam nomine, nullum habens consanguineum, vir illuster & nobilis, per Cartam ei ad ædificandum Monasterium locum tradidit in Albiensi confinio, vbi etiam Monachos ordinato illis Abbate ferè duodecim misit: & iis etiam, quoniam nouo opere fabricam Monasterij cœptam perficere satagebat, Libros plurimos contulit, vestes sacras præbuit, Calicem argenteum, ac Offertoria, Crucémque, & omnia quæ illis necessaria fore prospexit administrauit. Ipsi verò tam in ædificiis rerum corporearum, quàm etiam in ædificatione animarum, sanctæque Regulæ institutis decertantes, magnam Christo Deo famulantium congregationem religiosorum Fratrum acquisierunt.

POST obitum quoque serenissimi Imperatoris KAROLI, cùm filius eius LVDOVICVS Rex Aquitanorum Imperij curam suscepisset, Franciæ eum partibus ire iussit, eíque in Alsatia Maurum-Monasterium designauit, vbi plures suæ vitæ sequaces ex Anianæ Monasterio collocauit. Et quoniam magnum à Palatio distat spatium locus præfatus, nec congruo occurrere tempore cùm vocaretur B poterat, & quia Imperatori multis pro causis erat necessarius: placuit Imperatori vt non longè à Palatio prouideret locum aptum sibi, in quo cum paucis quiescere posset. Sícque præfecto Abbate Fratribus Mauro degentibus, ipse cum nonnullis Imperatoris voluntati obtemperaturus accessit. Vallis autem erat vicina, quæ à Palatio, vt reor, sex non amplius millibus distat, quæ viri Dei placuit oculis. Ibíque Imperator iussit construere miro opere Monasterium, quod vocatur INDA, mutuato de riuulo eiusdem vallis nomine. In dedicatione verò Ecclesiæ adfuit Imperator, eámque de suis copiosissimè ditauit fiscis, immunitatémque iussit, atque per Scripturam triginta vt ibidem Deo Fratres Christo famulantes persisterent Monachi, statuit. Qua de re vt numerus impleretur, venerabilis Abbas de notis Monasteriis lectos iubet venire Fratres, quos suo instrueret exemplo, essentque aliis documentum salutis, quousque instinctu diuinæ gratiæ seculari pompa relicta æterno Regi militare desiderantes, ex eadem prouincia in eorum subrogarentur ordinem. Cœpit autem post hæc vir Dei Palatinas terere fores, olímque dimissum ob multorum vtilitatem ferre tumultum. Omnes siquidem, qui aliorùm passi incommoda Imperialia petebant suffragia, cùm ad eum accederent, alacriter susceptos osculabatur, eorúmque querimonias in schedulis impressas tempore oportuno offerebat Imperatori. Ex quibus assuetus aliquoties serenissimus Imperator, mapulam manicásque eius palpans, reperiebat, repertásque legebat, atque vt vtiliùs nouerat decernebat. propter obliuionem quippe talibus in locis C eas ferre solitus erat. Libenter etiam huiusmodi querimonias audiebat Imperator, & ob id quàm maximè sedulò illum in Palatio fore iubebat. Etenim qui eum ex Regni moderamine, ex dispositione Prouinciarum, & ex suis consulerent vtilitatibus, erant perplures. Nullus prorsus afflictorum miseriis ita compatiebatur, nullúsque Monachorum inopiam ita Regi vt ipse pandebat. Erat quippe miserorum aduocatus, sed Monachorum Pater, pauperum consolator Monachorum eruditor. Diuitibus pabulum vitæ præbebat, Monachorum mentibus Regulæ disciplinam inculcabat. Omnium licèt vtilitatibus consuleret, Monachorum tamen necessitatibus sedulò intendebat.

PRÆFECIT eum quoque Imperator cunctis in Regno suo Cœnobiis, vt sicut Aquitaniam Gotiámque norma salutis instruxerat, ita etiam Francos salutifero imbueret exemplo. Multa denique Monasteria erant, quæ quondam regulariter fuerant instituta: sed paulatim tepescente rigore regularis penè deperierat ordo. Vt autem, sicut vna omnium erat professio, fieret etiam omnium Monasteriorum salubris vna consuetudo: iubente Imperatore, aggregatis Cœnobiorum Patribus, vnà cum quampluribus Monachis perplures resedit dies. Omnibus ergo simul positis, Regulam ab integro discutiens, cunctis obscura dilucidans, dubia patefecit, priscos errores abstulit, vtiles consuetudines affectúsque confirma-

A uit. Iudicia igitur Regulæ, cunctáque dubia ad proficuum deducta effectum, quas minus Regula pandit consuetudines assentientibus cunctis protulit. De quibus etiam Capitulare Institutum Imperatori confirmandum præbuit, vt omnibus in Regno suo positis Monasteriis obseruare præciperet. ad quem librum scire cupientem dirigimus. Cui protinus Imperator assensum præbuit, inspectorésque per singula posuit Monasteria, qui vtrum ea quæ visa fuerant, sic obseruarentur, inspicerent, quique etiam formam salubrem ignorantibus traderent. --- :·

CERNENS quoque nonnullos totis nisibus anhelare in acquirenda Monachorum Cœnobia, eáque non tantùm vt precibus obtineant, verumetiam decertare muneribus, suísque vsibus stipendia Monachorum expendi, ac per hoc diruta nonnulla, alia verò fugatis Monachis à secularibus obtineri Clericis: Adiit hac de causa piissimum Imperatorem, precibúsque pulsat, vt ab eiusmodi contentionibus Clericos, Monachos verò ab hoc redderet periculo extorres. Assensum præbet gloriosissimus Imperator, & Monasteria in Regno suo cuncta prænotata, in quibus ex iis regularem Abbatem esse queant decernit, ac per Scripturam, vt inconcussa omni maneant tempore firmare præcepit, suóque annulo signauit. Sícque multorum cupiditatem Monachorum, nihilominus & pauorem extersit. Erant etiam quædam ex eis Monasteria multa, in quibus deessent Monachi. Quæ considerans suggerente præfato viro piissimus Rex, iuxta posse seruire præcepit, itaut B nihil Deo famulantibus deesset: ac per hoc alacrem pro eo, eiúsque prole, totiúsque Regni statu piissimum precarentur Dominum. Hiis verò Monasteriis, quæ sub Canonicorum relicta sunt potestate, constituit eis segregatim vnde viuere regulariter possent. Cetera Abbati concessit. --- :·

Ex Libro de Translatione corporis sancti HVBERTI *Antistitis à Leodio ad Andagium.*

QVOMODO qualiterve monente, imò compellente CHRISTI honore, & amore, crescente etiam atque flagrante erga diuinum cultum, piissimámque Sanctorum Dei venerationem fidelium deuotione sub piissimo Deóque amantissimo HLVDOVICO Imperatore, in transferendo memorati & sæpè memorandi sanctissimi viri corpore sit actum breuiter fideliterque constat esse subnexum. Anno siquidem DCCCXIII. felicissimæ Incarnationis Domini nostri Iesu Christi, 813. exempto rebus humanis famosissimo Imperatore KAROLO victoriosissimo piissimóque Augusto, qui Regni Francorum spacia longè latéque dilatauit, & Christi gloriam in suis finibus ampliauit, insuper & multarum Gentium cæcitatem quanta potuit virtute perculit, ereptásque de profundis tenebris lucis claritate conspicuas reddidit: HLODOVVICVS gloriosus filius eius sceptra Imperialia sibi dedita, C atque à Deo tradita, post eum feliciter suscepit. Decebat namque Christum talem ac tantum Imperio suo præficere Principem, in quo non modò auiti specimen eluceret Imperij: sed & qui mentis nobilitate insignis, prudentiâ singularis, moribúsque innocuis, cunctis sibi subiectis fieret tot virtutum excellentiâ imitabilis. Hic ergo Imperij sui primordia talibus tantísque dedicare auspiciis instituit, vt incorrecta corrigerentur, bona collapsa erigerentur, & stantia solidarentur. Et quisque Ordo in Regno sibi tradito non passim leuitate iactatus à propria regula exorbitaret: sed laicus Ordo iustitiæ deseruiret, atque armis pacem sanctæ Ecclesiæ defenderet. Monasticus Ordo quietem diligeret, orationi instaret, & qui se seculi actibus remouisset, eisdem iterum nec voluntate, nec necessitate semet subderet. Episcopalis autem Ordo vt his omnibus superintenderet, scilicet vt si qui ab his aut voluntate, aut necessitate deuiarent, eorum solerti iudicio, prudentíque consilio, ad lineam rectitudinis correcti redirent.

IN quibus, vt reuera decet, cùm multi imitatione dignissimam talibus eius monitis præberent obtemperantiam, pars horum non minima extitit VVALCANDVS venerandus Episcopus. Is enim partim diuinitatis instinctu, & mercedis intuitu; partim verò huius sacratissimi Principis talibus monitionibus incitatus, studebat magnopere plebem sibi à Domino traditam bonorum operum exercitiis nobilitare, & de bonis ad meliora semper euehere; ac si quid in Episcopio suo resedisset emendatione dignum, totis nisibus in meliorem statum recuperare. --- :·

LVDOVICVS PIVS. VNDE inter cetera, quæ emendationem postulabant, obtulit se eius munificentiæ Cella quædam antiquo nomine vocata ANDAGIVM: quæ olim quidem inhabitatoribus habitus Canonici floruit, sed per excessum temporis vetustate nimia collapsa, & deficientibus habitatoribus, penè fuerat annullata. Ergo se materia quædam obtulit eius munificentiæ, in qua liberalitatis suæ laxatis habenis, quàm vacuus tenacitatis esset, non inanibus verbis, sed executione ostendit operis. Namque hac penè à fundamentis restaurata, in meliorémque statum denuò renouata, posthabita auaritiâ, nobiliter eius statum composuit, ædificiis honestis nobilitauit, & exceptis prædiis, quæ olim religiosorum virorum largitate possedit, alia de Episcopio suo superaddidit, incolásque loci illius Monachos esse voluit. Qui vt nullius rei inopes indigentiæ manus darent, atque à proposito sancto deficerent, vt dictum est, strenuè prauidit, & nobiliter ordinauit. --- A

COEPERVNT igitur vndequaque in eundem locum religiositatis cultores confluere, & maximè nobiles viri ex Monasterio S. Lamberti, Apostolicæ vitæ desiderio accensi, illuc conuolare, viriliterque eiusdem ordinis vitam morum actuúmque probitate tenere. Qui augmenta suæ perfectionis & deuotionis requirentes, adierunt præfatum venerabilem ac deuotum Antistitem VValcandum, vti beatissimi Huberti Præsulis ossa eis à loco eius sepulturæ permitteret transferre, & in Cellulam suæ habitationis, ob sui consolationem, & Confessoris Domini ampliorem honorem, transportare. Qui vocis eorum petitionem, vt pius Pater, clementer exaudiuit, indignúmque locum, quo sancta membra iacebant, B tanto Confessore iudicauit. sed & piam petitionem eorum impleri posse, atque debere, non abnuit. Attamen ne incautè ac passim, leuitatis errore dictante, id fecisse videretur, fermè tribus annis eorum petitionem distulit. Sed cùm ab ipsis venerandis viris magnopere, vt id eis concederet, exigeretur, prudenti consilio cuncta peragens, ADEBALDVM venerabilem virum Metropolitem suum super hac re consuluit. Qui & ipse in tanta re consilium suum, vt decebat summæ humilitatis virum, reputans minimum, ratum duxit, vt vnà Christianissimum atque orthodoxum Principem LVDOVICVM Imperatorem adirent, & quæ eos pulsaret Fratrum petitio pariter edicerent. Qui & ipse gloriosus atque inuictus Augustus considerans rem pergrandem, atque paucorum vires magnitudine sui transcendentem, ad Concilium venerabile Episcoporum, quod tunc temporis apud Aquasgrani congregatum erat, statuit conferendum; & quid de his esset agendum, à sententia sancti Conuentus magnopere flagitandum. Isdem autem venerabilis, ac prorsus Deo amabilis Conuentus, consideratis vndique partibus, scilicet qui, & quam rem peterent, sed & reuerentiâ Domini Confessoris, sanxerunt tot religiosorum virorum voto sancti viri ossa committi, & in Monasterio supradicto, vbi religiosiùs honorarentur, collocari. Quorum sententiæ sæpedictus Pontifex obedientiam præbuit, consilio assensit, & petentibus iamdictis viris venerandis, sanctissimi viri Huberti corpus attribuit. Nam anno ordinationis ipsius C
825. XVI. qui est Incarnationis Dominicæ DCCCXXV. XI. Kalend. Octobris ad beatissimi Confessoris ventum est vrnam, atque à Sacerdotibus cum maxima reuerentia à loco sepulturæ eius effossa, indidémque cum religiosi populi gradúsque Ecclesiastici frequentiâ, in beati Lamberti Ecclesiam sancti viri ossa sunt transuecta. Vbi triduo orationibus & vigiliis prosecuta, pridie Kalendas Octobris ad memoratum Monasterium cum loculo suo sunt perlata, ibidémque Christo annuente, vt tanto Confessori competebat, sunt decenter condita. ---

Ex Libro MS. Miraculorum sancti Theodorici Remensis.

CVM EBO Archiepiscopus Remensis frequenter in Palatio Regis moraretur, huiusmodi visio de eo in Monasterio sancti Remigij reuelata est. Erat ibi Monachus quidam nomine Raduinus, genere Longobardus, qui Abbas quondam extiterat Monasterij, quod in monte Bardonis in Italia beatissimi Remigij celebri pollet memoriâ, Moderanni Rothomagensis Archiepiscopi studio dedicata. In quo Monasterio dum præfatus Raduinus monachicæ professionis gereret officia, ductus amore meritorum beati Remigij, sepulcri eiusdem limina petiit. Qui cum Fratribus eiusdem loci vitam ducens religiosam, dignè sese ad cœlestem satagebat

A præparare militiam. Quadam verò die, sacræ scilicet Assumptionis sanctæ Dei genitricis Mariæ, post exactum matutinæ solemnitatis officium, reliquis Fratribus quietem petentibus, ille precis gratiâ solus remansit in Choro, custodibus Ecclesiæ quiescentibus. At vbi Psalmorum continuatione fatigatus irruenti cœpit soporari somno, vidit à loco sepulcri sancti Pontificis procedere beatissimam Domini Genitricem, nimio lumine coruscantem. Cuius hærebant lateribus Euangelista Iohannes, & ipse sacer Remigius. sicque se visi sunt compositis adire gradibus. Superposita verò manu Virgo gloriosa leuiter eius capiti: Quid hîc, inquit, agis frater Raduine? Quo mox pedes illius osculari procumbente, adiecit: Vbi modo degit Ebo Remensis Archiepiscopus? Quo respondente: Palatina iussu Regis exequitur negocia. Cur, ait, tam sedulò Palatij terit limina? Prorsus hinc nequaquam maiore ditabitur sanctitatis efficacia. Veniet enim, veniet celerrimè tempus, quando non prosperabitur in talibus. Quem nihil ad hæc audentem respondere, tali prosequens affatur allocutione. Quæ vestrorum versatur apud homines Regum disceptatio? Tunc eo respondente: Domina Genitrix Saluatoris mundi, tuæ meliùs nouit hoc sanctitatis incorruptio, ait. Quid tantæ malo cupiditatis illecti vana nunc grassantur audacia? Illud enim tunc aderat tempus, quando filiorum suorum contumeliis agebatur Imperator LVDOVICVS. En, inquit, huic astringens manum, sancti Remigij auctoritas est à Christo tradita Francorum
B perseuerantis Imperij. Equidem sicut hanc gentem sua doctrinâ conuertit ab infidelitate, sic etiam donum semper inuiolabile possidet, eis Regem vel Imperatorem constituendi. Quod beatissima Dei Genitrice dicente, Frater præmemoratus euigilauit repentè. --- :

Ex Vita sancti ANSCHARII *Corbeiensis Monachi, qui primus Bremensis Archiepiscopus extitit, Sueonum ceterorùmque Septentrioni subiectorum populorum Apostolus, & in eas regiones sanctæ Sedis Apostolicæ Legatus. Scripta à sancto* REMBERTO *ipsius Anscharij discipulo, ac in Sede Bremensi successore. Ad Patres & Fratres in sanctissimo Corbeiæ Monasterio Deo militantes.*

POST hæc verò contigit, vt HERIOLDVS quidam Rex, qui partem tenebat Regni Danorum, ab aliis ipsius Prouinciæ Regibus odio & inimicitiâ conuentus, Regno suo expulsus sit. Qui serenissimum adiit Imperatorem LVDOVICVM, postulans vt eius auxilio vti mereretur, quò Regnum suum denuò euindicare valeret. Qui eum secum detentum tam ipse quàm per alios ad suscipiendam Christianitatem cohortatus, quò scilicet inter eos ita maior familiaritas esse posset, populúsque Christianus ipsi ac suis promptiori voluntate in adiutorium sic veniret,
C si vterque vnum coleret Deum: tandem gratiâ diuina tribuente ad fidem conuertit, & sacro baptismate perfusum ipse de sacro fonte suscepit, sibíque in filium adoptauit. *Ex Codice MS. Bibliothecæ Corbeiensis.* CAP. XI.

QVEM cùm iterum ad sua reducere vellet, & eius auxilio munitus Regni sui fines repeteret, cœpit diligentiùs quærere si quem inueniret sanctæ deuotionis virum, qui cum eo ire posset, eique continuò adhæreret, fieretque illi & suis ad corroborandam suscipiendámque fidem Domini magister doctrinæ salutaris. De hoc itaque prædictus Augustus in publico Conuentu Optimatum suorum cum Sacerdotibus, ceterísque fidelibus suis, tractare cœpit, & vt sibi aliquem ad tale opus & voluntarium & condignum inuenirent, sollicitiùs omnes rogare. XII.

QVOD cùm vniuersi abnuerent, nullatenus se quemquam scire tantæ deuotionis virum, qui peregrinationem tam periculosam pro Christi nomine suscipere vellet: extitit tunc temporis venerabilis Abbas Monasterij vestri VVALA, qui memorato Imperatori dixit, vnum se scire Monachum in Monasterio suo, qui multo ardore circa diuinam Religionem ferueret, ac pro Dei nomine multa pati desideraret: cuiúsque pariter institutionem ac mores laudauit, & quòd ad hoc opus satis esset idoneus indicauit. Se tamen nescire testatus est, vtrum ad hanc peregrinationem tolerandam voluntarius esset. Quid plura? iubente Rege euocatus est ad Palatium ANSCHARIVS. Cui Abbas cuncta quæ acta sunt retulit, XIII.

LVDOVICVS PIVS. & ad quid vocaretur aperuit. Qui se ad Dei seruicium in omnibus, quæ in causa obedientiæ iniungerentur, paratum esse respondit. A

XIV. DEDVCTVS itaque ad præsentiam Augusti, cùm ab ipso interrogaretur, Vtrum pro Dei nomine, causâ in Gentibus Danorum Euangelium prædicandi comes fieri vellet. HERIOLDI, omninò se velle constanter respondit. Cui etiam cùm Abbas intulisset, nullatenus se tantum onus iubendo illi imponere. Si ipse tantùm hoc sua sponte eligeret, sibi gratum esse, & suæ auctoritatis ei licentiam dare. Quod ille nihilominus se & eligere, & modis omnibus perficere velle respondit.

XV. DENIQVE cùm hæc publicè protestarentur, essétque cognitum omnibus qui in domo conuersabantur Abbatis, cœperunt multi tantam eius admirari immutationem: quòd scilicet relicta patria, & propinquis suis, Fratrum quoque cum quibus educatus fuerat dulcissima affectione, alienas expetere vellet Nationes, & cum ignotis ac barbaris conuersari. Multi quoque eum super hoc detestari, & improperiis lacessire, quidam à proposito reuocare conabantur. Sed vir Dei in cœpta voluntate immobilis permanebat. Denique cùm Abbas per dies singulos ad Palatium iret, ipse domi residens consortia omnium fugiebat, & in quadam vinea iuxta posita solitarium sibi locum eligens orationi & lectioni vacabat.

XVI. ERAT autem etiam tunc cum domno Abbate quidam Frater Monasterij vestri nomine Autbertus, qui cùm eum sollicitum nimis ac tristem, & quotidie secretiùs sibi consistere, & nullius consortio vel colloquio vti videret, cœpit ei compati. Et quadam die pergens ad locum, vbi in supradicta vinea solus sedebat, cœpit ab eo inquirere, vtrum veraciter peregrinationem illam vellet suscipere. Qui sperans eum hoc non ob compassionem, sed propter astutiam magis inquirere, » respondit: Quid vobis curæ est super hoc? nolite mentem meam tali inquisitione conturbare. Ille verò nihil omninò se deceptionis in hac re protendere testabatur, sed magis veraciter scire velle, vtrum ille in proposita voluntate disponeret » perseuerare. Tunc ipse congratulans eius beneuolentiæ, respondit: Ego inter- » rogatus si pro Dei nomine vellem in Gentes peregrinas ire ad prædicandum Euan- » gelium Christi. Cui propositioni ego nequaquam reniti ausus sum; imò totis » viribus exopto, vt mihi ad hoc detur copia eundi. nullúsque ab hac intentione » mentem meam immutare poterit. Tunc præfatus Frater ei respondit: Et ego te » nunquam patiar solum ire: sed pro Dei amore tecum proficisci cupio, tantum vt » domni Abbatis licentiam mihi impetres. B

XVII. FIRMATA itaque inter eos hac religiosa contentione, redeunti Abbati ipse obuius astitit, & quòd sibi socium inuentum haberet; qui huius profectionis comes esse voluntarius vellet, indicauit. Cuius personam cùm Abbas requireret, & ille Fratrem Ausbertum nominaret, multo miraculo obstupuit: nequaquam putans eum, qui & nobilis prosapiæ in seculo, & apud eum tunc familiaris, ac post eum Domus eius Procurator habebatur, talia velle. Aduocatum tamen eum super hoc interrogauit. Qui respondit, nequaquam se pati posse vt ille solus iret, sed pro Christi nomine se velle ei solatio & adiutorio fieri, si suam & Fratrum haberet licentiam. Cui domnus Abbas se daturum licentiam, si ille spontaneè hanc profectionem eligeret, respondit. Nullum tamen eis ex familia sua comitem deputaturum ad obsequium seruitij; nisi fortè ipsi aliquem ad hoc prouocare possent, vt sua sponte cum eis ire vellet. Hoc autem venerabilis Abbas non de inaffectione faciebat, sed quia abominabile & iniustum videbatur, vt quis inuitus inter Paganos conuersari videretur. C

XVIII. POST hæc itaque ambo deducuntur ad Regem. Quorum voluntati & desiderio condelectatus, ipse dedit eis & Ecclesiastica ministeria, & scrinia atque tentoria, ceteráque subsidia, quæ tanto itineri videbantur necessaria, & cum præfato Herioldo ire præcepit: denuntians vt eius fidei maximam impenderent sollicitudinem, eúmque & suos, qui simul cum eo baptizati fuerant, pia exhortatione ne ad pristinos reducerentur, diabolo instigante, errores, continuè laborarent, simúlque etiam alios ad suscipiendam Christianitatem verbo prædicationis strenuè commonerent.

XIX. DIMISSI itaque ab Imperatore nullum habuerunt socium, qui eis aliquid seruitij impenderet, quoniam nemo ex familia Abbatis cum eis sua sponte ire,

nec

A nec ille quemquam ad hoc inuitum cogere volebat. HERIOLDVS quoque, cui commissi fuerant, adhuc rudis & neophitus, ignorabat qualiter serui Dei tractari debuissent. Sui quoque tunc nuper conuersi, & longè aliter educati, non multa super eos cura intendebant. Cum graui itaque difficultate hanc suscipientes peregrinationem, peruenerunt Coloniam. Vbi tunc temporis venerandus Antistes HADEBOLDVS compatiens eorum necessitati, dedit eis nauem optimam vbi sua reponerent, in qua erant duæ mansiunculæ satis optimè præparatæ. Hanc itaque prædictus Herioldus conspiciens, elegit in eadem naui cum illis manere, vt ipse vnà & illi potirentur altera mansiuncula. Sicque inter eos familiaritas cœpit & beneuolentia crescere, sui quoque exhinc seruitium eis diligentius impendebant. Inde ingressi per Dorstatum & vicinia Frisonum transeuntes, ad confinia peruenerunt Danorum. Et quia interdum pacificè in Regno suo Herioldus Rex consistere non poterat, dedit ei memoratus Augustus vltra Albiam beneficium, vt si quando ei necessarium esset, ibi subsistere posset.

PRÆFATI itaque serui Dei cum eo positi, aliquando inter Christianos, aliquando inter Paganos constituti, cœperunt verbo Dei insistere, & quoslibet poterant ad viam veritatis monere. Multi enim exemplo & doctrina eorum ad fidem conuertebantur, & crescebant quotidie qui salui fierent in Domino. Ipsi quoque diuino inspirati amore ad promulgandam deuotionis suæ Religionem, XX.
B cœperunt curiosè pueros quærere quos emerent, & ad Dei seruitium educarent. Præfatus quoque Herioldus ex suis aliquos sub eorum cura erudiendos posuit. Sicque factum est vt Scholam inibi paruo tempore statuerint XII. aut eo ampliùs puerorum. Alios quoque hinc indè sibi adsciuerunt seruitores & adiutores, cœpitque eorum fama & religio in Dei nomine fructuosiùs crescere. Cùm itaque in hoc sancto proposito biennio aut eo ampliùs morarentur, contigit iam dictum Fratrem Autbertum infirmitatis grauari molestia. Qua de causa inde ad nouam Corbeiam deductus, languore diuino ingrauescente, felici vt credimus, transitu, in tempore Paschæ, sicuti & ipsi antea à Domino reuelatum fuerat, diem inibi clausit extremum.

INTERIM verò contigit Legatos Sueonum ad memoratum venisse LVDOVICVM, qui inter alia Legationis suæ mandata clementissimo Cæsari innotuerunt, esse multos in Gente sua, qui Christianæ Religionis cultum suscipere desiderarent. Regis quoque sui animum ad hoc satis beneuolum; vt ibi Sacerdotes Dei esse permitteret. Tantùm eius munificentiâ mererentur, vt eis Prædicatores destinaret idoneos. Quos religiosissimus audiens Imperator, plurimùm exhilaratus, denuò quærere cœpit quos in illas partes dirigeret, qui probarent vtrum populus ille ad credendum paratus esset, sicuti Missi illi intimauerant, & cultum Christianæ Religionis illis tradere inciperent. Vnde factum XXI.
C est, vt iterum cum memorato Abbate vestro serenissimus Imperator tractare cœperit, si quem fortè de suis Monachis inuenire posset, qui pro Christi nomine in illas partes ire vellet, aut certè qui cum Herioldo moraretur, & is qui cum eo erat seruus Dei ANSCHARIVS illam susciperet Legationem. Qua de re contigit vt regio iussu abhinc ad Palatium vocaretur. Cuique denuntiatum est, ne se raderet antequam ad præsentiam Imperatoris veniret.

VIR autem Dei ad quod vocaretur omninò prænoscens, cœpit toto cordis XXII. feruore in amore Dei exardescere, & omne gaudium existimare, si lucrandis sibi animabus liceret insistere. Si quid quoque in huiusmodi perfectione contrarietatis siue aduersitatis ei potuisset accidere, proposuit animo patienter pro Christo tolerare. --- Cùm itaque ante præsentiam Cæsaris adductus interrogatus ab eo fuisset, vtrum Legationem illam suscipere vellet, libera voce respondit: Se paratum ad omnia, quæ illi pro Christi nomine sua auctoritate decreuisset iniungere.

TVNC Dei prouidentia socium illi ex vestra fraternitate venerabilis Abbas in- XXIII.
uenit Nonum VVimarum, tanto operi satis condignum & voluntarium. Porrò cum Herioldo esse disposuit Patrem deuotissimum Gislemarum, fide & operibus bonis probatum, atque in zelo Dei feruentissimum. Suscepit itaque Legationem sibi à Cæsare iniunctam, vt in partes iret Sueonum, & probaret vtrum populus ille ad credendum paratus esset, sicuti Missi supradicti innotuerant. In qua Lega-

LVDOVICVS PIVS. tione quanta quámque grauia perpessus sit mala, meliùs ipse qui interfuit prædictus Pater VVimarus intimare poterit. Nobis hoc tantùm narrasse sufficiat, quòd dum in medio ferè essent itinere, in pyratas offenderunt. Et cùm negotiatores qui cum eis ibant se viriliter defenderint, & primò quidem victoriam ceperint, in secundo tamen ab iisdem pyratis deuicti, ac superati sunt. itaut naues & omnia quæ habebant eis tulerint, & ipsi vix pedibus ad terram fugientes euaserint. Ibi itaque & munera regia, quæ illuc deferre debuerant, & omnia quæ habuerant, perdiderunt: excepto parum quid, quod fortè prosilientes è naui secum auferre & asportare poterant. Inter quæ & penè quadraginta Libros, quos ad seruitium Dei sibi aggregauerant, illis diripientibus amiserunt. Hoc itaque facto cùm quidam reuerti, quidam inantea ire disponerent, seruus Dei à cœpto itinere nulla ratione flecti potuit: quin potiùs in Dei ponens arbitrio quid illi contingeret, nequaquam redire disposuit antequam nutu Dei dinosceret, vtrum in illis partibus licentia prædicandi fieri posset. A

XXIV. CVM graui itaque difficultate pedibus post hoc per longissimam viam incedentes, & vbi congruebat inter iacentia maria nauigio transeuntes, tandem ad portum Regni ipsorum, qui Byrca dicitur, peruenerunt. Vbi benignè à Rege eorum, qui BEM vocabatur, suscepti sunt: Missis eius referentibus qua de causa aduenerint. Cognita itaque Legatione eorum, & cum suis de huiusmodi negotio pertractans fidelibus, omnium pari voto atque consensu dedit licentiam eis ibi manendi, & Euangelium Christi prædicandi: concessa libertate, vt quicumque vellent eorum doctrinam expeterent. Itaque alacri corde serui Dei videntes prosperè ea quæ optauerunt successisse, populis ibi constitutis verbum salutis adnunciare cœperunt. Plures quoque erant, qui eorum Legationi fauebant. Multi etiam apud eos captiui habebantur Christiani, qui gaudebant iam tandem se mysteriis diuinis posse participari. Probatúmque est omnia ita veraciter constare, sicuti Missi ipsorum serenissimo Cæsari innotuerunt, & baptismi gratiam nonnulli deuotè expetebant. Inter quos Præfectus vici ipsius, & Consiliarius Regis admodum illi amabilis, HERIGARIVS nomine, sacri baptismatis donum suscepit, atque in fide Catholica firmissimus extitit. Ipse namque in hereditate sua Ecclesiam fabricauit, & in Dei seruitio semetipsum religiosissimè exercuit. Huius viri diuersa extant insignia, & eius inuictæ fidei multa probantur indicia, quæ in sequentibus euidentiùs exponemus. B

XXV. PERACTO itaque apud eos altero dimidio anno, præfati serui Dei cum certo suæ Legationis experimento, & cum Literis regia manu more ipsorum deformatis, ad serenissimum reuersi sunt Augustum. Cui, honorificè, & cum maxima pietatis beneuolentia ab eo suscepti, narrauerunt quanta Dominus secum egerit, & quòd ostium fidei in illis partibus ad vocationem Gentium patefactum fuerit. Hoc itaque deuotissimus audiens Imperator, immenso lætificabatur gaudio, pariterque recolens quæ iam olim apud Danos circa Dei cultum concepta fuerant. C Et laudes ac gratias omnipotenti Domino referens, ardore fidei succensus quærere cœpit quomodo in partibus Aquilonis, in fine videlicet Imperij sui, Sedem constituere posset Episcopalem. Vnde congruum esset Episcopo ibi consistenti causa prædicationis illas frequentiùs adire partes, & vnde etiam omnes illæ barbaræ Nationes faciliùs vberiúsque capere valerent diuini mysterij sacramenta.

XXVI. CVM itaque pro huiusmodi sollicitudine cura vigilanti instaret, quibusdam fidelibus suis referentibus ei innotuit, quòd cùm gloriosæ memoriæ pater suus CAROLVS Augustus omnem Saxoniam ferro perdomitam, & iugo Christi subditam, per Episcopatus diuisit, vltimam partem ipsius prouinciæ, quæ erat in Aquilone vltra Albiam, nemini Episcoporum tuendam commisit: sed ad hoc reseruare decreuit, vt ibi Archiepiscopalem constitueret Sedem. Ex qua Domini gratia tribuente etiam successio fidei Christianæ in exteras proficeret Nationes. Qua de re primitus etiam ibi Ecclesiam per quemdam Episcopum Galliæ, AMALHARIVM nomine, consecrari fecit. Postea etiam ipsam parochiam Presbytero Heridach nomine specialiter gubernandam commisit: nec omninò voluit vt vicini Episcopi aliquid potestatis super eum locum haberent. Quem etiam Presbyterum consecrari disposuerat Episcopum. Sed velociter eius de hac luce transitus hoc ne fieret impediuit.

A POST obitum itaque tantæ memoriæ Augusti, filio eius supradicto videlicet Imperatore LVDOVICO in sede Regni eius collocato, suggerentibus quibusdam partem illam prouinciæ, quæ vltra Albiam erat, in duo diuisit, & duobus vicinis Episcopis interim commendauit. Non enim satis attendit patris sui super hoc constitutionem, aut certè omnimodis ignorauit. Ista verò facta occasione, qua iam fides Christi in partibus Danorum atque Sueonum per gratiam Dei fructificare cœperat, cognito patris sui voto, ne quid eius studij imperfectum remaneret, vnà cum consensu Episcoporum, ac plurimo Synodi conuentu, in præfata vltima Saxoniæ Regione trans Albiam in ciuitate Hammaburg Sedem constituit Archiepiscopalem, cui subiaceret vniuersa Nordalbingorum Ecclesia, & ad quam pertinet omnium regionum Aquilonalium potestas ad constituendos Episcopos siue Presbyteros in illas partes pro Christi nomine destinandos. XXVII.

AD hanc ergo Sedem domnum & Patrem nostrum sanctissimum ANSCHARIVM prædictus Imperator solemniter consecrari fecit Archiepiscopum per manus Drogonis Mettensis Præsulis, & summæ sanctæque Palatinæ dignitatis tunc Archicapellani. Adstantibus Archiepiscopis, Ebone Remensi, Heti Treuerensi, & Otgario Magontiacensi, vna cum pluribus aliis in Conuentu Imperij Præsulibus congregatis. Assistentibus quoque, & consentientibus, ac pariter consecrantibus, Helingaudo & VVlgerico, Episcopis: à quibus iam dictas parochiæ illius partes commendatas ceperat. Et quia diocesis illa in periculosis fuerat locis constituta, ne propter barbarorum imminentem sæuitiam aliquomodo deperiret, & quia omnimodis parua erat, quandam Cellam in Gallia *Turholt* vocatam ad eandem Sedem perpetuò seruituram eius Legationi tradidit. XXVIII.

B

ET vt hæc omnia perpetuum suæ stabilitatis retinerent vigorem, eum honorabiliter ad Sedem direxit Apostolicam, & per Missos suos venerabiles Bernoldum & Ratoldum Episcopos, ac GEROLDVM illustrissimum Comitem, omnem hanc rationem sanctissimo Papæ GREGORIO intimari fecit confirmandam. Quod etiam ipse tam decreti sui auctoritate, quàm etiam pallij datione more prædecessorum suorum roborauit, atque ipsum in præsentia constitutum Legatum in omnibus circumquaque gentibus Sueonum siue Danorum, necnon etiam Sclauorum, aliarúmque in Aquilonis partibus Gentium constitutarum, vna cum Ebone Remensi Archiepiscopo, qui ipsam Legationem antè susceperat, delegauit, & ante corpus & confessionem sancti Petri Apostoli publicam euangelizandi tribuit auctoritatem. Et ne horum quidquam in futurum irritum fieret, omnem resistentem, & contradicentem, vel quolibet modo his sanctis studiis piissimi Imperatoris insidiantem anathematis mucrone percussit, atque perpetua vltione reum diabolica sorte damnauit. XXIX.

PORRO vt præmisimus eadem Legatio auctoritate Paschalis Papæ Eboni Remensi Archiepiscopo priùs commendata fuerat. Siquidem ipse, vt credimus, diuino afflatus spiritu pro vocatione Gentium, & maximè Danorum, quos in Palatio
C sæpiùs viderat, & diabolico deceptos errore dolebat, feruentissimo ardebat desiderio, & pro Christi nomine se suáque omnia ad salutem Gentium tradere cupiebat. Cui etiam domnus Imperator locum vnum vltra Albiam, qui vocatur *VVelanao* dederat, vt quoties illas in partes pergeret, locum subsistendi ibi haberet. Multotiens itaque ipse ad eundem venit locum, & pro lucrandis animabus multa in Aquilonis partibus dipensauit, ac plurimos Religioni Christianorum adiunxit, atque in fide Catholica roborauit. XXX.

VERVM post ordinationem domni & Patris nostri Anscharij superiùs comprehensam, visum est illis de eadem Legatione inter se conferentibus, necessarium esse vt aliquis illi ordinaretur adiutor, qui in partibus Sueonum ministerij Episcopalis officio fungeretur: quoniam in regione tam longè posita præsens adesse deberet Pontifex, & ipse solus ad vtrumque locum minus sufficeret. Cum consensu itaque & voluntate prædicti Imperatoris, venerabilis Ebo quemdam propinquum suum GAVTBERTVM nomine ad hoc opus electum, & Pontificali insignitum honore, ad partes direxit Sueonum; cuique ministeria Ecclesiastica & necessarios sumptus tam ex sua quàm ex datione regia abundè tribuit, eúmque, quasi vice sua quidem prædicandi officium priùs auctoritate Apostolica suscepisset, Legatum in gentibus Sueonum esse constituit. XXXI.

LVDOVICVS PIVS. XXXII. CVI etiam postea clementissimus Augustus suggerente eodem venerabili Præsule Ebone, Cellam, quam ipse in loco memorato *VVelanao* construxerat, quasi locum refrigerij tradidit, vt scilicet ad ipsius ministerium officij perpetua stabilitate deseruiret. Prædictus itaque Gautbertus, quem ipsi consecrantes honore Apostolici nominis Simonem vocauerunt, ad partes veniens Sueonum honorificè & à Rege & à populo susceptus est, cœpítque cum beneuolentiâ & vnanimitate omnium Ecclesiam inibi fabricare, & publicè Euangelium fidei prædicare. Fiebátque gaudium salutis Christianis ibi degentibus, & de die in diem numerus credentium augebatur. A

XXXIII. INTERIM quoque Dominus & Pastor noster in diocesi sibi commissa, & in partibus Danorum strenuè suum implebat officium, & exemplo bonæ conuersationis multos ad fidei gratiam prouocabat. Cœpit quoque ex gente Danorum atque Sclauorum nonnullos emere pueros, aliquos etiam ex captiuitate redimere, quos ad seruitium Dei educaret. Quorum quosdam ad Cellam prædictam *Turholt* nutriendos posuit. Fuerúntque cum eo hic ex societate vestra sancti Patres nostri & magistri, quorum doctrina & institutione feliciter nobiscum Religionis diuinæ creuit opinio.

XXXIV. VERVM cùm hæc in vtraque parte laudabiliter & Deo dignè agerentur, contigit ex improuiso pyratas aduenientes Hammaburgensem ciuitatem nauigio circumdedisse. Quod cùm inopinatè & subitaneè accidisset, spatium non fuit pagenses congregandi. B Quippe cùm & Comes, qui eo tempore præfecturam loci illius tenebat, illustrissimus vir BERNARIVS tunc deesset: domnus verò Episcopus ibi positus cum his qui aderant in vrbe ipsa, vel in suburbio manentibus, primo quidem audito aduentu eorum, locum ipsum continere voluit, donec maius eis veniret auxilium. Sed implentibus Paganis, & ciuitate iam obsessa, cùm eis resisti non posse conspicit, quomodo pignora sanctarum reliquiarum asportarentur præparauit. Sicque ipse Clericis suis huc & illuc fugâ dispersis, etiam sine cappa sua vi euasit. Populi quoque à loco ipso exeuntes, & hac illácque palantes, plurimis au fugientibus, quidam capti, plerique etiam perempti sunt. Denique hostes direpta ciuitate, & omnibus quæ in ea, vel in vico proximo erant, spoliatis; cùm vesperti nò tempore eò aduentassent, noctem ipsam consequenti die & nocte ibi consederunt. Sicque succensis omnibus ac direptis, egressi sunt. Ibi Ecclesia miro opere magisterio domni Episcopi constructa, vnà cum claustris Monasterij mirificè compositis, igni succensa est. Ibi Bibliotheca, quam serenissimus memoratus Imperator eidem Patri nostro contulerat, optimè conscripta, vnà cum pluribus aliis Libris, igni disperiit. Sicque omnia quæ inibi aut in Ecclesiasticis ministeriis, aut in aliis thesauris & facultatibus habuerat, aut prædatione, aut igne hostili impetu direpta sunt, vt quasi nudum eum dimiserint. Quippe cùm penè nihil exinde priùs elatum sit, nec tunc quidem aliquid subuentum, nisi quod quisque fugiens casu arreptum secum forsitan exportare potuit. Pro quibus omnibus domnus & Pater C sanctissimus nullatenus vel animo molestabatur, vel labiis peccauit; sed cùm omnia ferè, quæ ab initio Episcopatus aggregare vel in fabricam ædificiorum componere potuerat, vno velut momento perdidit, illud beati Iob sæpius verbis replicabat. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.*

XXXV. HIS itaque ita peractis, cùm domnus Episcopus cum suis in multis esset pressuris & calamitatibus, & Fratres congregationis eius vna cum sanctissimis pignoribus varia loca circumeundo huc illúcque vagarentur, & nusquam sederent quieti. Præualescente iniqui machinatione, contigit etiam diabolico instinctu vt populus Sueonum feruore zeli accensus præfatum Gautbertum Episcopum insidiosè persequi cœperit. Factúmque est vt ad domum in qua manebat vnanima conuentione pars quædam populi causa direptionis irrueret, & nepotem quidem ipsius Hithardum nomine gladio peremerit, & odio Christiani nominis percussum Dei, vt credimus, Martyrem fecerit. Ipsum verò cum ceteris sociis qui simul aderant ligauerunt, & diripientes omnia quæ apud eos inuenire potuerunt, contumeliis & opprobriis affectos à finibus suis expulerunt. Quod tamen non regio iussu factum, sed populari tantùm conspiratione est perpetratum.

A PER idem ferè temporis accidit, vt etiam quidam Rex Sueonum nomine AVOVNDVS eiectus Regno suo apud Danos exul fuerit. Qui fines Regni quondam sui denuò repetere cupiens, cœpit ab ipsis auxilium quærere: spondens quòd si se sequerentur multa eis possent donaria prouenire. Proponebat enim eis vicum nominatum Byrca, quòd ibi multi essent negotiatores diuites, & abundantia totius boni, atque pecunia thesaurorum multa. Ad illum itaque vicum se illos promittebat ducturum, vbi sine exercitus sui damno multo suæ necessitatis fruerentur commodo. Illi ergo promissis muneribus delectati, & thesaurorum adquisitione auidi, in auxilium eius expeditorum ad pugnam hominum viginti & vnam naues impleuerunt, & cum eo destinauerunt. Ipse verò de suis naues habebat vndecim. Exeuntes ergo de Danis, ad vicum insperatè venerunt memoratum, & forte tunc Rex ipsorum longiùs inde aberat, & Principes ac populi multitudo congregari non poterant. Tantùm supradictus Herigarius Præfectus ipsius loci cum eis qui ibi manebant negotiatoribus & populis præsens aderat. In magna ergo angustia positi ad ciuitatem, quæ iuxta erat, confugerunt, cœperunt quoque diis suis, imò dæmonibus vota & sacrificia promittere & offerre, quo eorum auxilio in tali seruarentur periculo. Sed quia ciuitas ipsa non multùm firma erat, & ipsi ad resistendum pauci; miserunt ad eos Legatos dexteram & fœdus postulantes. Quibus Rex præfatus mandauit, vt pro redemptione ipsius vici centum libras argenti persoluerent, sícque pacem haberent. Quod illi vt petebat statim miserunt, & à Rege iamdicto susceptum est. Porrò Dani grauiter huiusmodi conuentionem ferentes; quia non sicuti disposuerant actum fuisset, cœperunt velle super eos subitò irruere, & locum ipsum funditus deprædari atque incendere, dicentes vnumquemlibet negotiatorem plus ibi habere quàm sibi oblatum fuisset, & nullo modo se tantam calumniam sufferre posse. Cùm hæc ergo inter se agerent, & ad diripiendam vrbem in quam confugerant se præpararent; hoc quoque illis innotuit. Vnde rursus pariter congregati, cùm nullo modo vires haberent resistendi, nulláque eis spes esset refrigerij, ad vota & sacrificia maiora diis suis offerenda se inuicem cohortabantur. Contra quos iratus fidelis domini Herigarius: Maledicta sint, inquit, à Deo nostro vota & sacrificia vestra cum idolis vestris. « Quamdiu vultis dæmonibus seruire, & vos ipsos ad perniciem vestri votis inanibus in paupertate redigere? Ecce multa obtulistis, & ampliora vouistis. Insuper « & c. libras argenti dedistis. Quid profuit vobis? Ecce omnia quæ habetis veniunt « diripere. Vxores vestras & filios vestros ducent captiuos; ciuitatem & vicum « igni succendent, & vos gladio peribitis. Quid ergo vobis prosunt simulachra ve- « stra? Ad quam vocem illi omnes perterriti, & quid agerent nescij, vnanimiter « responderunt: Salus nostra & consilium in tua sit deliberatione, & quidquid no- « bis suggesseris sine dubio faciemus. Quibus ille. Si, inquit, vota spondere vul- « tis, vouete & reddite omnipotenti Deo qui regnat in cœlis, & cui ego in conscien- « tia pura, & fide recta deseruio. Ipse omnium Dominus est; in voluntate eius om- « nia sunt posita, nec est qui eius ditioni possit resistere. Si itaque eius auxilium toto « corde petieritis, omnipotentiam ipsius vobis non defuturam sentietis. Accepto igitur ab eo consilio, tunc vnanimes & voluntarij exeuntes sicut sibi consuetudinis erat in campum pro liberatione, sibi ieiunium & eleemosynas Domino Christo deuouerunt. --- :

LVDOVICVS PIVS. XXXIX.

B C

XXIV. VERVM inter hæc superiùs comprehensa, contigit bonæ memoriæ LVDOVICVM serenissimum Imperatorem diuino ordinante iudicio vita præsenti decessisse. Post cuius obitum cùm de Regni diuisione magna fieret perturbatio, Pastoris quoque nostri aliquando labefactari cœpit Legatio. Nam cùm Cella supradicta *Turbolt* in partem concessisset venerandi Regis KAROLI, ipse eam à seruitio quod pater suus disposuerat, amouit; & vobis benè cognito dedit REGINARIO. Pro qua re cùm à fratribus suis gloriosissimis Regibus, & à multis quoque aliis sæpiùs fuisset admonitus, & ipse eorum petitioni nullatenus assentiret, iam dictus Pater noster tunc cœpit atteri necessitatibus & indigentiis. Vnde contigit vt & Fratres vestri, qui tunc cum eo hîc aderant, ad vestram societatem redierint, & multi quoque alij causa paupertatis eum dereliquerint. Ipse tantum cum paucis, qui cum eo substiterant, prout poterat se agebat, & licèt in paupertate degens iniunctum sibi officium nequaquam deserere voluit.

LVDOVICVS PIVS. XLV. DOMINVS quoque humilitatem eius, & patientiæ fortitudinem conspiciens, A quia cor Regis in manu Domini est, clementissimi Domini & senioris nostri LVDOVICI Regis, qui post patrem suum huius Regni gubernacula suscepit, ad hoc animum incitauit, vt quærere inciperet vnde ei solatium subsistendi facere posset, quo Legationis suæ mandatum perficere posset. Et quia in hac prouincia Cellam nullam huic Legationi habebat congruam (erat autem ibi iuxta Episcopatus Bremensis Ecclesiæ tunc desolatus Pastore) illum ei dare disposuit. Vnde in publico Conuentu Episcoporum, ceterorúmque fidelium suorum tractare cum eis cœpit, vtrum hoc ei facere canonica auctoritate liceret. Dominus enim & Pastor noster hoc sibi periculosum esse aliquo modo formidans, & ne à quibuslibet næuo cupiditatis reprehenderetur cautè prouidens, non facilè huic dispositioni assentiebat. Iubente itaque Rege hæc eadem res in consilio Episcoporum ventilata est. Qui multis præcedentibus exemplis probauerunt, benè posse fieri, vt quia diocesis illa, ad quam ipse ordinatus fuerat, admodum parua erat (nam non nisi quatuor baptismales habebat Ecclesias) & hæc ipsa multotiens iam barbarorum incursibus deuastata, ista ei causa solatij adiungeretur. Verùm ne in aliquo scrupulum Ferdensis pateretur Episcopus, quod etiam partem de suo Episcopatu vltra Albiam sumptam, ipse cum Bremensi tota simul parochiam retineret, statuerunt vt sicut tempore domni Ludouici primò fuerant, Episcopatus ipse & Bremensis & Ferdensis restituerentur, & ipse teneret Bremensem, ex qua maior pars diocesis suæ sumpta erat, quæ etiam tunc erat præsentia Pastoris desolata. B Quo decreto ita ab Episcopis constituto, ipse iubente Rege Bremensem suscepit diocesim gubernandam. Porrò partem parochiæ, quæ vltra Albiam ad se pertinere debebat, VVALDGARIVS recepit tunc Ferdensis Episcopus. Quod cùm ita aliquandiu esset, iterum diligentiùs ipsa re in alio Concilio Episcoporum ventilata, visum est eis non bonum esse vt sedes ad quam ille ordinatus fuerat ab alio Episcopo teneretur. Nam Hammaburg tunc in partem cesserat VValdgarij. Potestatem quidem Regis esse dicentes, vt diocesim paruam & admodum captiuatam augeret, locum tamen ad Episcopalem dignitatem auctoritate Apostolica firmatum nullatenus immutandum. Vnanimo ergo consensu cum voluntate Regis prædicti piissimi Ludouici, Episcopi ibi constituti censuerunt vt sedem, ad quam consecratus fuerat Pater noster Anscharius, reciperet, & si quid vltra Albiam ex Ferdensi ipse retineret diocesi, ex Bremensis Ecclesiæ parochia illius sedis restitueret Episcopo. Quod ita & regio iussu, & Synodali Episcoporum decreto, ipsius quoque VValdgarij memorati Ferdensis Episcopi voluntate & assensu perfectum est.

XLVI. PORRO cùm hæc agerentur, Colonia ciuitas, ad quam Bremensis parochia suffraganea erat, eo tempore absque benedictione Episcopali degebat. Quod quia diuturnum extitit, illud etiam sine illius loci Pontificis præsentia necessariò decernendum fuit. Postea tamen consecrato ad eum locum venerabili Præsule GVNTHARIO, hoc ipsum domnus & Pater noster ei suggerere studuit, vt sua quoque auctoritate firmaretur. C Cui tamen rei ipse admodum contrarius extitit. Qua de causa postmodum in VVrmacia ciuitate positis duobus Regibus, LVDOVICO scilicet & LOTHARIO, coram multa Episcoporum vtriusque Regni frequentia, præsente venerabile Patre nostro hæc eadem res exposita est. Quod cùm ab omnibus benè ita ordinatum probaretur, vt prædictus quoque Pontifex Guntharius hoc ipsum sua auctoritate firmaret cuncti rogauerunt. Qui primò quidem fortiter his reniti cœpit, iustum non esse multipliciter ostendens, vt Sedes Suffraganea in Archiepiscopalem Sedem verteretur; nec se debere honorem Sedis suæ in aliquo minuere. Postremo tamen & ipsis Regibus, & cunctis simul Episcopis ibi aggregatis pro hoc ipso eum rogantibus, & omninò causa necessitatis id licitum fore dicentibus, respondit, si Apostolica auctoritate firmaretur ex se quoque ratum esse. Quo responso accepto, cùm etiam omnes Suffraganei eius hæc eadem consensissent, piissimus Rex iamdictus Ludouicus cupiens & Patris sui eleemosynam in omnibus augmentare, & quod ipse disposuerat per omnia ratum fieri, reuerendissimum Salomonem Constantiæ ciuitatis Episcopum pro hoc ipso ad Sedem direxit Apostolicam. Cum quo etiam domnus & Pater noster Anscharius, quia ipse per se non poterat, filium suum fratrem nostrum Nordfridum misit Pres-

A byterum, qui officiosissimè à sancto suscepti Papa Nicolao Legationis suæ mandatum ei planè & dilucidè retulerunt. Qui prudenter & sollicitè ea quæ ab ipsis dicebantur mente pertractans, & Deo inspirante pro lucrandis animabus gentilium hanc constitutionem iustam esse decernens, voluntatem Regis nostri sua auctoritate firmauit. LVDOVICVS PIVS.

DENIQVE vt ipsam rem diligentiùs ab eo elucubratam manifestiùs aperire possimus, verba ipsius interponere decreuimus. Cùm enim causam Legationis eius & cetera superiùs comprehensa plenè & breuiter recapitulasset, denique subiunxit: Cuius delegationis & auctoritatis & pallij acceptionis pagina nobis est à Ludouico filio nostro per SALOMONEM sanctissimum Episcopum destinata, iuxta morem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ bullata. Per cuius tenorem paginæ hæc ita fuisse comperimus, sicut pietas nobis iam fati Regis per fidelem virum Salomonem scilicet Episcopum intimauit. Vnde nos vestigia tanti Pontificis & prædecessoris nostri sequentes Gregorij, omnémque ibi Deo dignam statutam prouidentiam agnoscentes, magnorum Principum votum, LVDOVICI videlicet diuæ recordationis Augusti, & æquiuoci eius filij excellentissimi Regis, tam huius Apostolicæ auctoritatis præcepto, quàm etiam pallij datione more prædecessorum nostrorum roborare decreuimus; quatenus tanta fundatus auctoritate prænominatus Anscharius primus Nordalbingorum Archiepiscopus, & per ipsum successores eius lucrandis plebibus insistentes, aduersus tetamenta diaboli validiores existant. B Ipsum quoque filium nostrum iam dictum Anscharium Legatum in omnibus circumquaque gentibus Sueonum, siue Danorum, nec non etiam Sclauorum, vel in ceteris vbicumque illis in partibus constitutis diuina pietas ostium aperuerit, publicam euangelizandi tribuimus auctoritatem, ipsamque sedem Nordalbingorum Hammaburg dictam in honore sancti Saluatoris, sanctæque eius intemeratæ genitricis Mariæ consecratam, Archiepiscopalem deinceps esse decernimus. Atque vt strenui prædicatoris Episcopi post decessum crebro dicti Anscharij Archiepiscopi persona tanto officio apta eligatur semper successura, sub diuini iudicij obtestatione statuimus. XLVII.

VERVM quia KAROLVS Rex frater sæpè dicti Regis Ludouici post decessum Imperatoris patris sui piæ memoriæ Ludouici abstulit à prænominato loco, qui dicitur Hammaburg, Monasterium quod appellatur TVRHOLT; vtpote quod post partitionem inter fratres suos in Regno suo coniacere videbatur, situm in Occidentali Francia, quod ille genitor suus ad supplementum & victum Episcopo & Clericis eius dederat, cœpere sicut fertur omnes Ministri altaris recedere. Deficientibus quippe necessariis sumptibus, ab ipsis recesserunt Gentibus, & eadem ad Gentes Legatio per huiusmodi factum defecit. Ipsa quoque Metropolis Hammaburg penè deserta facta est. Igitur dum hæc agerentur, mortuus est diocęseos Bremensis Episcopus, quæ huic contigua esse dicitur. Cumque sæpè dictus Rex & hanc diœcesim vacantem, & illam nouellam institutionem cerneret C deficientem, insuper & vtramque hanc Ecclesiam Dei permittente occulto iudicio per barbarorum sæuitiam admodum attenuatam, quærere cœpit qualiter prædicta Bremensis Ecclesia prædictæ nouellæ Archiepiscopali vniretur ac subderetur Sedi, nostro hoc votum roborante decreto. Vnde per sæpè nominatum venerabilem Missum, SALOMONEM videlicet Constantiæ ciuitatis Episcopum, nobis hoc relatum est confirmandum, ac postulatum est nostra auctoritate roborandum. Nos igitur id subtili perpendentes examine, animaduertimus propter instantem necessitatem & animarum lucra in Gentibus demonstrata vtile fore. Omnia enim quæ proficua Ecclesiæ probantur existere, & diuinis non resultant præceptionibus, licita & facienda esse non dubitamus: maximè in tam nouellæ Christianitatis plantatione, in qua varij solent euentus contingere. XLVIII.

QVAMOBREM auctoritate omnipotentis Dei & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & hoc nostro decreto decernimus secundum reuerendissimi Regis Ludouici votum, ipsas prædictas dioceses, Hammaburgensem videlicet & Bremensem, non deinceps duas, sed vnam esse & vocari, subdique Sedi quæ prædecessoris nostri decreto Archiepiscopali est munere sublimata; restituta dumtaxat de Bremensis Ecclesiæ rebus Episcopatui Ferdensi parte inde ablata. Nullus verò Archiepiscopus Coloniensis vllam sibi deinceps in eadem dioceſi vindi- XLIX.

LVDOVICVS PIVS. cet potestatem. Quinimo & ipsi & omnibus omnino suademus veræ religionis cultoribus, vt sacra hac Legatione fungentibus adiutorio & solatio sint, quatenus gratia huius beneficij plenam mercedem recipere mereamur ab eo qui dixit: *Ite, docete omnes gentes, & quicumque receperit vos me recipit.* Itaque omnia à dilecto filio nostro Rege Ludouico ad hoc Deo dignum officium deputata, nostra etiam pia eius vota auctoritate firmamus. Et quia casus præteritorum nos cautos faciunt in futurum, omnem quoque aduersantem vel contradicentem, atque piis nostris his studiis quolibet modo insidiantem anathematis mucrone percutimus, atque perpetuæ vltionis reum diabolica sorte damnamus: vt culmen Apostolicum more prædecessorum nostrorum, causámque Dei pro affectu zelantes, ab aduersis hinc inde partibus tutiùs muniamur. His itaque decretis atque institutionibus Papæ sanctissimi Nicolai Bremensis Ecclesia adiuncta & vnita Sedi Hammaburgensi, quæ priùs Metropolis constituta fuerat, facta est Archiepiscopalis. A

L. VERVM quia de dioceseos illius ratione ita firmata hæc præoccupando diximus (multum enim temporis fuit ex quo Sedem illam gubernandam suscepit, priusquàm auctoritate Apostolicà firmaretur) ad ea quæ priùs gesta sunt redeamus. Namque suscepta Bremensi parochia, iterum spiritu cœpit feruere intimo, quia iam tunc quid daret habebat, si quid posset in partibus Danorum pro Christi elaborare nomine. Vnde frequentius HORICVM adire, qui tunc solus Monarchiam Regni tenebat Danorum, & muneribus eum, & quibuscumque poterat obsequiis conciliare studuit, vt sua licétia prædicationis officio in Regno eius frui valeret. Aliquoties namque regia etiam Legatione ad eum mittebatur, & quæ ad fœdera pacis, & vtriusque Regni vtilitatem pertinebant, strenuè & fideliter peragebat. Qua de re cognita fide & bonitate sancti viri, prædictus Horicus Rex multo eum affectu cœpit venerari, & libenter eius consilio vti, ac familiarissimum in omnibus habere: ita vt & inter secreta sua, dum de negotiis Regni cum Consiliariis tractaret, ipsi liceret interesse. Ea quoque, quæ inter populum huius terræ, videlicet Saxonum, ac Regnum ipsius causa fœderis debebant constitui, non aliter nisi fide illius volebat firmari. Hoc sibi dicens omninò fidissimum esse, quod ille ei & laudasset, & spopondisset. Hac itaque familiaritate potitus, cœpit etiam illi persuadere vt fieret Christianus. Ille quoque omnia quæ ei ex diuina intimabat Scriptura benignè audiebat, & bona prorsus ac verè salutaria esse laudabat, séque his plurimum delectari, ac libenter Christi velle gratiam promereri. Cui post talia vota Pater sanctissimus patenter suggerere cœpit, vt Christo Domino concederet hanc beniuolentiam, quòd ei gratissimum foret vt in Regno suo Ecclesiam fieri permitteret, vbi Sacerdos omni tempore præsens adesset, & verbi diuini semina, ac baptismi gratiam quibuscumque suscipere volentibus traderet. Quod ille benignissimo concessit affectu, & in portu Regni sui ad hoc aptissimo, & huic regioni proximo, *Scheasuuic* vocato, vbi ex omni parte conuentus fiebat negotiatorum, Ecclesiam illi fabricare permisit, tribuens locum in quo Presbyter maneret. Data pariter licentia, vt quicumque vellet in Regno suo fieret Christianus. B C

LI. HAC ergo domnus Episcopus noster accepta licentia, statim quod diu desiderauerat perfecit, & constituto ibi Presbytero gratia Dei in eodem loco fructuosiùs crescere cœpit. Multi namque ibi antea erant Christiani, qui vel in Dorstado, vel in Hammaburg baptizati fuerant. Quorum quidam Primores ipsius vici habebantur, & gaudebant facultatem sibi datam Christianitatem suam obseruandi. Quorum exemplo multi quoque alij & viri & feminæ relicta superstitiosa Idolorum cultura ad fidem Domini conuersi baptizabantur. Factúmque est gaudium magnum in ipso loco; ita vt etiam Gentis huius homines absque vllo pauore, & quod antea non licebat, & negotiatores tam hinc quàm ex Dorstrado vicum ipsum liberè expeterent, & hac occasione facultas totius boni inibi exuberaret. Et cùm multi inibi baptizati superuixerint, innumerabilis tamen albatorum multitudo exinde ad regna conscendit cœlorum. Quia libenter quidem signaculum Crucis recipiebant vt Catechumeni fierent, quò eis Ecclesiam ingredi, & sacris officiis interesse liceret: baptismi tamen susceptionem differebant, hoc sibi bonum diiudicantes, vt in fine vitæ suæ baptizarentur; quatenus purificati lauacro salutari puri & immaculati vitæ æternæ ianuas absque aliqua retar-

A dationе intrarent. Multi quoque apud eos infirmitatibus detenti, cùm se frustra idolis pro salute sua sacrificasse viderent, & à propinquis suis desperarentur, ad Domini misericordiam confugientes Christianos se fieri deuouebant. Cúmque accito sacerdote baptismi gratiam percepissent, statim incolumes diuina largitate fiebant. Sicque creuit in eodem loco Dei miseratio, & ad fidem Domini conuersa est multitudo.

INTER hæc verò domnus & Pater noster Anscharius etiam pro gente Sueonum, eò quòd Sacerdotis præsentiâ tunc desolati essent, nimio condolens affectu, à præfato poscere cœpit Rege HORICO sibi in omnibus familiarissimo, vti suo auxilio fines illius Regni petere posset. Qui cum maxima beneuolentia hanc quoque petitionem eius suscipiens, ita se per omnia facturum promisit. Qua de causa domnus Episcopus noster cum præfato cœpit GAVTBERTO Pontifice de hoc ipso tractare, necessarium esse dicens vt iterum probaretur si fortè gens illa diuinitus monita Sacerdotes secum manere pateretur: ne fides Christi illis in partibus cœpta eorum negligentia aliquando deperiret. Prædictus verò Pontifex Gautbertus, qui & Simon, se inde expulsum rursus locum illum repetere non ausum respondit: nec id valde proficuum fore posse, imo magis periculosum, si denuo priorum reminiscentes aliquid perturbationis circa eum excitarent. Sibi magis congruum videri, vt ille iret qui hanc Legationem primò susceperat, quique be- B nignissimè ibi habitus fuerat. Ipse verò cum eo nepotem suum mitteret, qui ibi si locus prædicandi inueniretur, remaneret, & sacerdotali apud eos officio fungeretur. Hoc itaque ratum inter se decernentes, coram præsentia clementissimi Regis venerunt LVDOVICI, causâmque huiuscemodi ei retulerunt, atque vt eius licentia ita fieri permitteretur exorabant. Qui sciscitatus vtrum ipsi in hac voluntate concordes fuissent, responsum à venerabili Gautberto Pontifice tale accepit. In Dei, inquit, seruitio nos semper concordes & fuimus & sumus, & istud vnanimo consensu ita fieri cupimus. Itaque serenissimus Rex in Dei causa semper voluntarius, secundum quod inter eos conuenerat, Legationem hanc pro Christi nomine Pastori nostro iniunxit religiosissimo, suæ quoque partis sicuti & pater eius fecerat ad Regem Sueonum mandata ei committens. LIII.

PROFECTIONEM itaque hanc suscepturus iam dicti Regis Horici missum pariter & signum secum habuit. Qui Regi Sueonum nomine OLEF partis suæ mandatum tale intimari iussit. Seruum Dei, qui ex parte Regis Ludouici missus fines Regni eius peteret, sibi per omnia cognitum fore, ac se in vita sua nunquam tam bonum vidisse hominem; nec in quolibet mortalium aliquando tantam fidem inuenisse, ideóque cognita eius sanctissima bonitate, omnia quæ illi in Regno suo causa Christianæ Religionis disponere vellet, se ei concessisse, ipsúmque petere vt similiter in Regno suo ei permitteret culturam Christiani- C tatis, quam optabat, statuere, quia ipse nihil aliud quàm quod bonum & rectum foret vellet perficere. LV.

SVSCEPTVM itaque peragens iter, viginti fermè diebus nauigio transactis peruenit ad Byrcam, vbi inuenit Regem & multitudinem populi nimio errore confusam. Instigante enim diabolo aduentum beati viri omnimodis præsciente contigit eo ipso tempore, vt quidam illò adueniens diceret se in conuentu Deorum, qui ipsam terram possidere credebantur affuisse, & ab eis missum, vt hæc Regi, & populis nuntiaret. Vos, inquiunt, nos vobis propitios diu habuistis, & terram incolatus vestri cum multa abundantia nostro adiutorio in pace & prosperitate longo tempore tenuistis, vos quoque nobis sacrificia & vota debita persoluistis, gratáque nobis vestra fuerunt obsequia. At nunc & sacrificia solita subtrahitis, & vota spontanea segnius offertis, & quod magis nobis displicet alienum Deum super vos introducitis. Si itaque nos vobis propitios habere vultis, sacrificia omissa augete, & vota maiora persoluite. Alterius quoque Dei culturam, quæ contraria nobis docetur, ne apud vos recipiatis, & eius seruitio ne intendatis. Porro si etiam plures Deos habere desideratis, & vobis nos non sufficimus, Ericum quondam Regem vestrum nos vnanimes in Collegium nostrum asciscimus, vt sit vnus de numero Deorum. LVI.

HOC ergo diabolicum mandatum publicè denunciatum in aduentu domni Episcopi mentes cunctorum perturbabat, & error nimius ac perturbatio corda LVII.

LVDOVICVS PIVS. eorum omnium confuderat. Nam & Templum in honore supradicti Regis dudum defuncti statuerunt, & ipsi tanquam Deo vota & sacrificia offerre cœperunt. Adueniens itaque illuc domnus Episcopus ab amicis suis quondam ibi cognitis quærere cœpit, quomodo Regem super hac re interpellaret. Qui omnes toto annisu contradicentes asserebant, nihil omnino ea vice Legationem eius proficere posse, sed si quid haberet pretij ea ratione eum dare debere vt viuus inde euaderet. Quibus ille, Non, inquit, pro vitæ meæ redemptione aliquid hîc daturus sum, quia si Dominus meus ita disposuerit pro eius nomine paratus sum hîc & tormenta subire & mortem pati. Cùm ergo pro hac re in maxima esset positus anxietate, tandem accepto consilio Regem ad suum inuitauit hospitium. Cui conuiuium exhibens, dona quæ potuit obtulit, & Legationis suæ mandata retulit. Nam & antea per Missum Horici, & per fideles domni Episcopi, qui ibi manebant, causa aduentus ipsius eidem Regi denuntiata fuerat. Delectatus itaque & charitatis ipsius beneuolentia, & munerum datione, se quidem quæ ille suggesserat gratanter velle respondit. Antea tamen, hîc, inquit, fuerunt clerici, qui populari seditione hinc non regio iussu eiecti sunt. Quapropter & ego hanc Legationem vestram confirmare nec possum, nec audeo, priusquam sortibus deos nostros consulam, & populi quoque super hoc voluntatem interrogem. Sit Missus tuus in placito mecum proximo, & ego pro te loquar populo. Et si quidem diis fautoribus illi tuæ consenserint voluntati, quod quæsisti prosperabitur. Sin autem, & hoc tibi notum faciam. Sic quippe apud eos moris est, vt quodcumque negotium publicum magis in populi vnanima voluntate quàm in regia consistat potestate. Hoc ergo Pastor noster deuotissimus responso Regis accepto, totum se ad Domini conuertit refugium, ieiuniis & orationibus vacans, atque in contritione, & afflictione cordis se ipsum in conspectu Dei humilians.

LIX. DEINDE cùm dies placiti aduenisset, quod in prædicto vico Byrca habitum est, sicut ipsorum est consuetudo, præconis voce Rex quæ esset eorum Legatio intimari fecit populo. Quo illi audito, sicut erant antea errore confusi, diuersa sentire & tumultuare cœperunt. Quibus ita perstrepentibus, consurgens vnus, qui erat senior natu, in medio plebis dixit. Audite me, Rex, & populi. De cultura ipsius Dei pluribus nostrum benè est iam cognitum, quod in se sperantibus magnum possit facere subsidium. Nam multi iam nostrum sæpiùs & in marinis periculis, & in variis necessitatibus hoc probauerunt. Quare ergo abicimus quod necessarium nobis & vtile scimus? Aliquando nempe quidam ex nobis Dorstadum adeuntes, huius Religionis normam profuturam sibi sentientes, spontanea voluntate suscipiebant. Nunc multæ interiacent insidiæ, & pyratarum infestatione periculosum valde nobis iter illud factum est. Quod ergo tam longè positum prius quærebamus, hic nobis modo oblatum, quare non suscipimus? Et qui huius Dei gratiam nobis in multis vtilem probauimus, quare seruos eius nobiscum manere non libenter assentiamus? Attendite populi consilium nostrum, & nolite abiicere vtilitatem vestram. Nobis enim quando nostros propitios non possumus habere deos, bonum est huius Dei gratiam habere, qui semper in omnibus potest & vult ad se clamantibus auxiliari.

LX. Hoc ergo ita perorante, omnis multitudo populi vnanimis effecta elegit, vt secum & Sacerdotes essent, & quæ competebant mysteriis Christi sine vlla contradictione fierent. Rex itaque surgens à placito statim cum Misso domni Episcopi suum direxit nuntium, mandans populi vnanimitatem ad suam voluntatem conuersam, sibique per omnia placere; nec dum tamen se plenam ei licentiam concedere posse, donec in alio placito quod erat in altera parte Regni sui futurum idipsum populis ibi positis nuntiaret. Tunc iterum bonæ memoriæ Pater noster consueta sua sibi requirens subsidia diuinam clementiā intentius exorabat, & ecce placiti tempus aduenit, & Rex præconis voce Legationem domni Episcopi, atque omnia pariter, quæ in priori placito dicta, & acta fuerant, intimari fecit. Diuina ergo prouidentia largiente omnium corda ita adunata sunt, vt prioris placiti consensum cuncti laudarent, & se quoque his assentiri velle modis omnibus faterentur.

LXI. Hoc itaque facto, conuocato ad se Rex domno Episcopo quæ fuerant gesta retulit, sicque omnium vnanima voluntate & consensu decreuit, vt apud eos & Ec-

A clesiæ fabricarentur, & Sacerdotes adessent, & quicumque vellet de populo absque contradictione fieret Christianus. Domnus autem & Pastor noster prædictum nepotem venerabilis Gautberti Episcopi, Erimbertum nomine manibus Regis commendauit, vt suo auxilio & defensione munitus diuina mysteria ibidem ageret. Cui etiam Rex in præfato vico atrium vnum ad Oratorium dedit fabricandum. Domnus quoque Episcopus Presbytero ad habitandum alterum cum domo emit. Præbénsque idem Rex benignissimum circa domnum Episcopum dilectionis suæ fauorem, fidelissimum quoque in omni parte suis circa Christianæ Religionis cultum se fore velle promisit. Sicque per Domini gratiam ritè omnibus peractis, domnus Episcopus ad sua reuersus est. LVDOVICVS PIVS.

NEC prætereundum quoque videtur qualiter virtus Domini post hanc profectionem iam dictis Sueonibus patefacta sit. Gens enim quædam longè ab eis posita, vocata *Chori*, Sueonum Principatui olim subiecta fuerat; sed iam tunc diu erat quòd rebellando eis subiici dedignabantur. Denique Dani scientes tempore supradicto, quòd domnus Episcopus iam in partes Sueonum aduenerat, nauium congregata multitudine ad eandem perrexerunt patriam, volentes & bona eorum diripere, & sibi eos subiugare. Regnum verò ipsum quinque habebat ciuitates. Populi itaque inibi manentes cognito eorum aduentu conglobati in vnum cœpere viriliter resistere, & sua defendere. Datáque sibi victoria, medietate populi Danorum cæde prostrata, media quoque nauium eorum diripuerunt, auro & argento, spoliisque multis ab eis acceptis. LXIII.

B

QVOD audiens prædictus Rex OLEF, populúsque Sueonum, volentes sibi nomen acquirere quod facere possent quæ Dani non fecerant, & quia sibi etiam antea subiecti fuerant, innumerabili congregato exercitu illas adierunt partes. Et primo quidem improuisè ad quandam vrbem regni ipsorum vocatam *Seeburg*, in qua erant septem millia pugnatorum, deuenientes, penitus illam deuastando & spoliando succenderunt. LXIV.

EXINDE confortati animo, dimissis nauibus iter quinque dierum arripientes, ad aliam vrbem ipsorum, quæ Apulia dicebatur, effero corde properabant. Erant autem in ea vrbe quindecim millia bellatorum. Cùm itaque illò aduenissent, conclusis ipsis in ciuitate, isti à foris vrbem debellare, illi deintus cœpere viriliter repugnare. Illi intrinsecus defendebant; isti exteriùs impugnabant. Sicque transierunt dies octo, vt omni die à mane vsque ad vesperam dimicantes bello instarent, & multi hinc & indè caderent: neutra tamen pars victoriam obtineret. LXV.

CVM ecce nono die populus Sueonum diutina cæde fatigatus cœpit angustiari, & timido corde expauescens hoc solùm cogitare quomodo inde euaderet. Hic, inquiunt, non proficimus, & naues nostræ longè absunt. Nam quinque dierum vt prædiximus iter erat ad portum, in quo naues eorum stabant. Cùm ergo quid sibi esset agendum nimium turbati omnimodis nescirent, quærendum sortibus statuerunt, vtrum dij eorum vellent auxiliari, vt vel victoriam caperent, vel viui indè euaderent. Missis itaque sortibus, neminem deorum qui eis subsidio esse vellet reperire potuerunt. Quod cùm denunciaretur in populo, vlulatus & gemitus immensus excitatus est in castris, omnisque virtus ab eis recessit. Quid, inquiunt, infelices acturi sumus? Dij recesserunt à nobis, & nullus eorum adiutor est nostri. quò fugiemus? Ecce naues nostræ longiùs sunt positæ, fugientibúsque nobis isti insequentes vsque ad internecionem nos delebunt. Quid ergo nobis erit? LXVI.

C

CVM itaque in tanta essent angustia positi, quidam negotiatorum memores doctrinæ & institutionis domni Episcopi suggerere eis cœperunt: Deus, inquiunt, Christianorum multoties ad se clamantibus auxiliatur, & potentissimus est in adiuuando. Quæramus an ille nobiscum esse velit, & vota illi placita libenti animo spondeamus. Omnium itaque rogatu supplici missa sors, & inuentum quòd Christus eis vellet auxiliari. Quod cùm publicè denunciatum cunctis innotuisset, omnium corda ita subitò roborata sunt, vt confestim ad vrbem expugnandam intrepidi vellent accedere. Quid, inquiunt, nobis nunc formidandum, quidve pauendum est? Christus est nobiscum, pugnemus, & viriliter agamus, nihil nobis obstare poterit: nec deerit nobis certa victoria, quia potentissimum Deorum LXVII.

LVDOVICVS PIVS. nostri adiutorem habemus. Conglobati ergo omnes læto & forti animo ad debellandam profecti sunt vrbem. A

LXVIII. CVMQVE in circuitu adstantes pugnam inire vellent, ab his qui intrinsecus erant postulatum est, vt copia eis daretur loquendi. Quod cùm Rex Sueonum annuisset, illi subsecuti sunt. » Nobis iam pax magis quàm pugna placet, & fœdus vobiscum inire cupimus. » Et primo quidem quidquid ex spoliis Danorum præterito » anno in auro & armis adquisiuimus, vobis pro munere fœderis damus. » Deinde pro vnoquoque hominum in hac vrbe constitutorum, dimidiam libram argenti » offerimus, & insuper censum quem antea solebamus vobis dare persoluimus, & » datis obsidibus abhinc subiecti & obedientes, sicut antea fuimus, vestro Imperio » esse volumus. Cùm hæc itaque oblata fuerint, nec dum tamen animi iuuenum sedari poterant: verùm alacriores facti, & absque metu imperterriti pugnare tantum desiderantes, se armis vrbem & omnia quæ haberent vastaturos, ipsósque captiuos abducturos dicebant.

LXIX. REX verò & Principes saniori consilio dextras ab iis accipientes fœdus inierunt, & thesauris innumerabilibus, atque obsidibus triginta sibi collatis, cum gaudio ad sua reuersi sunt. Denique pace inter eos fœderata, statim Sueones Christi Domini nostri omnipotentiam collaudantes, eiúsque magnificentiam, quod verè magnus esset super omnes Deos totis viribus prædicantes, quid ipsi per quem tantam obtinuissent victoriam vouere deberent sollicitè quærere cœperunt. B

LXX. VNDE à Christianis edocti negotiatoribus, qui simul aderant, Christo Domino placitum deuouerunt ieiunium, ita vt ad sua reuersi postquam domi septem dies essent, alios septem à carne omnes pariter abstinerent. Sed & post hoc quadraginta diebus euolutis, ipsi quoque vnanima conuentione quadraginta sequentes similiter à carne abstinentiam agerent. Quod & factum est, omnésque qui ibi adfuerant hoc statutum libenti perfecerunt animo; multi etiam post hac reuerentia & amore Christi apud eos ieiuniis, quæ Christiani obseruabant, insistere incipientes & eleemosynis, (namque hoc Christo gratum didicere,) quoslibet pauperes adiuuare cœperunt. Sicque fauore omnium prædictus Erimbertus Sacerdos liberè apud eos quæ Dei sunt agere, & cunctis Christi potentiam laudantibus Religionis diuinæ in illis partibus deuotio augmentum sui ab illo tempore sine vllius contradictione cœpit habere.

LXXI. INTER hæc verò diuino contigit iudicio, vt pyratarum infestatione memoratus HORRICVS Rex, quibusdam propinquis eius Regnum ipsius inuadere conantibus, bello interemptus sit. Cum quo pariter omnes primores terræ illius, qui olim domno Episcopo familiares & amici habebantur, gladio interierunt. Deinde post hæc constituto in Regno ipsius HORRICO iuniore, quidam illorum quos ille tunc habebat Principes, & minus antea domno cogniti fuerant Episcopo, persuadere ei cœperunt vt Ecclesia apud eos facta destrueretur, & Religio Christianitatis ibi cœpta annihilaretur; dicentes Deos suos sibi iratos esse, & quòd ideò tanta eos mala inuenerint, quia alterius & incogniti Dei culturam apud se receperint. Qua de re Comes præfati vici, *Scleauuihe* videlicet, nomine HOVI, qui huic Religioni præcipuè resistebat, & ad destruendam Christianitatis fidem Regem prouocabat, Ecclesiam ibi factam iussit claudi, Religionémque Christianitatis ibidem prohibuit obseruari. Vnde & Presbyter, qui ibi aderat, persecutionis acerbitate compulsus indè recessit. C

LXXII. PRO hac itaque re domnus Episcopus nimiùm sollicitus & tristis effectus fuerat, quia nullum tunc cum HORRICO iuniore de amicis habebat, quos antea largissimis donationibus sibi familiares acquisierat, per quos eum ad Domini voluntatem conciliare posset. Vnde quia humano destitutus fuerat, ad diuinum solito more concurrit auxilium. Nec spes sua eum fefellit. Consolatus est quippe eum Dominus spiritali in animo consolatione, & certus omninò factus est, quòd nullo modo, vt hostes Christi machinarentur, Religio ibi cœpta deperiret. Quod ita, Domino annuente, non multò post contigit. Nam cùm pro hac sola eadem causa ad prædictum Regem ire disponeret, Domini præueniente gratiâ idem Rex, expulso priùs de vico memorato iam dicto Comite, ita vt nunquam postea in eius gratiam redire potuerit, ad domnum Episcopum suum gratis direxit Legatum, mandans vt Sacerdotem suum ad propriam remitteret Ecclesiam. Non se minus

quàm

A quàm seniorem HORRICVM Christi velle gratiam promereri asserens, domníque Episcopi amicitiam obtinere.

QVO facto, cùm ipse quoque reuerendissimus Pater noster ad eiusdem Regis præsentiam cum adiutorio BVRCHARDI illustrissimi Comitis venisset, qui etiam antea apud HORRICVM seniorem adiutor illi in omnibus fuerat, & apud Regem vtrumque benè poterat, quia propinquus erat ipsorum, tanta gratiâ à iuniore susceptus est HORRICO, vt statim ei omnia, quæ antecessor suus causâ Christianitatis in Regno suo fieri permiserat, ipse quoque concederet. Insuper etiam, quod antea nefandum Paganis videbatur, vt cloca haberetur in Ecclesia consensit. In alio quoque vico Regni sui Ripa vocato similiter locum, vbi Ecclesia fabricaretur, tribuit, & vt ibi Sacerdos præsens adesset, suæ potestatis licentiam dedit. LXXIII.

POSTQVAM verò Regio iussu ad Bremensem Ecclesiam venit, & eam in honore sancti Petri consecratam didicit, & nonnullos quoque ibi inuenit, qui eum non libenti reciperent animo, recordatus est visionis suæ. hácque de causa consensit, vt illam regendam susciperet diocesim. Nam aliter numquam se hoc facere voluisse attestando dicebat. Eo quoque tempore, quando Cellam prædictam *Turbolt* habuerat, quoniam omnis ei cura de vocatione Gentium erat, vt eis in sua Legatione prodesse potuisset, nonnullos pueros ex Northmannis B vel Sclauis emptos in eadem Cella causâ discendi ad sacram militiam nutriendos posuerat. Quorum quosdam prædictus REGINARIVS, quando illi Cella ipsa data est, indè abstulit, & ad suum seruicium misit. XCII.

QVA de causa cùm nimium esset domnus Episcopus anxiatus, post paululum visum est illi quòd venisset in quandam domum, inuenissétque ibi & venerandum Regem CAROLVM, & ipsum REGINARIVM. Quos ipse, vt ei videbatur, de iisdem pueris increpauit: asserens quòd eos ad Dei omnipotentis seruicium nutrire disposuerat, non vt Reginario seruirent. Quo dicto, visum est ei quòd idem Reginarius leuato pede suo ad os calcitraret domni Episcopi. Denique hoc facto, mox visum est ei quòd IESVS CHRISTVS prope eum adstaret, diceréteque Regi præfato pariter & Reginario. Cuius, inquit, hîc, hominem vos tam turpiter dehonestatis? Scitote quia iste Dominum habet, & vos de hac causa non eritis immultati. Quo dicto, ipsi exterriti facti conturbati sunt. Domnus verò Episcopus euigilauit. Quod illi ostensum quàm verum fuerit, testatur vltio diuina, quæ super ipsum venit Reginarium. Nam non multò pòst iram Regis meruit, & Cellam ipsam vnà cum omnibus quæ ex parte Regis habebat, perdidit. nec vlteriùs in gratiam pristinam redire potuit. XCIII.

Ex Vita Agilis Fuldensis Abbatis à Candido Monacho scripta.

C RATGARIO Abbate decedente, ob quandam discordiam, quam seminauerunt inter eum & Fratres illius membra capitis omnium iurgiorum, surrexit statim cura & auxilium circa nos HLVDOVVICI serenissimi Augusti, cuius etiam cor nostra miseria adeò commouerat, vt diceret se tantum doloris nunquam expertum, excepto eo, qui ei acciderat ex morte beatæ memoriæ KAROLI genitoris sui. Hic igitur misit nuntios suos Aaron & Adalfridum cum sociis ipsorum, Monachos scilicet Occidentales, qui nos in temptatione temporalis miseriæ consolando subleuarent; &, si quæ de Regulæ institutis apud nos aut incœpta aut dilapsa fuissent, fraterna dilectione præmonendo corrigerent.

CAROLVS CALVVS.

A

DE GESTIS CAROLI CALVI, ET FRATRVM EIVS, AC NEPOTVM.

Excerpta Libri Miraculorum beati Mauri Abbatis, discipuli sanctissimi Benedicti, quem ODO *Cœnobij sancti Mauri Abbas scripsit anno 868. Ex editione Iacobi du Breul Parisini.*

Præfatio Auctoris ad Adalmodum Archidiaconum.

HISTORIAM euersionis seu restaurationis sancti Cœnobij, quod olim à beato Mauro nobiliter ædificatum ex antiquo GLANNAFOLIVM nominatur, quam à venerabilibus & probatissimis, atque adhuc in carne manentibus personis plena fide didici, in corpus vnius Libelli colligere ac ordinare aggrediens, sicut crebrò tuam, venerande vir Adalmode, poposcisse reminiscor fraternitatem, earumdem personarum nomina in ipso exordio narrationis inserere dignum iudicaui: quatenus & scrupulum dubietatis legentibus auferrem, & ad veraciter fideliterque amplectenda quæ narro, ex ipsarum Deo placita & hominibus spectabili probitate, omnes audientes inuitarem. Harum, primus, & ordinis dignitate, & perfectioris vitæ sanctitate, GODEFRIDVS venerandus Abbas Fossatensis Monasterij extat: qui prolixiore tempore sub regimine sanctæ recordationis THEODRADI in eodem sancto deguit Cœnobio. BILECHILDIS quoque Abbatissa, nostro seculo speciale sanctæ viduitatis decus, quæ cum viro suo illustrissimo Comite RORIGONE in reparatione eiusdem Monasterij, iuxta quod illis cœlitus ostensum ac præceptum fuit, longo sollicitè inuigilauit tempore. Cuius & ego plurima quæ refero frequenti didici colloquutione. Sed & Bernegarius Presbyter, his tertius in proferendis substituitur. De cuius verissimis assertionibus nemo nostrûm dubitare permittitur, qui eius probabilem in omnibus, & præcipuè in sanctæ orationis studio, vitam agnoscentes, vt antiquissimorum eum antiquiorem veneramur Patrem. Qui per duodecim continuos annos in iam dicto Monasterio, & primùm cum piæ memoriæ GOZLINO, & postmodum cum fratre eius superius nominato habitauit THEODRADO. His nihilominus copulantur omnes penè illius loci congregationis Fratres, qui gestis ibidem sui temporis miraculis, reuelationibus quoque & visitationibus diuinitus procuratis, concentibus etiam inæstimabili atque ineffabili suauitate angelico ministerio, & præcipuè nocturno tempore, celebratis, nimio se terrore sæpissimè percussos fuisse asseuerant. Aliquotiens verò tantum melos ita se animo captauisse astruunt, vt eiusdem cantilenæ dulcissonis atque tinnulis modulationibus, aure cordis intenti, mihi iam illis nisi tantarum liberet inhærere harmoniarum modis. Ex quibus nonnullos nominatim exprimo, cùm astipulandi opportunitas prosequendi acciderit tenoris. Huius autem series narrationis à tempore diuæ recordationis PIPINI incipit, ad nostram vsque præsentis anni decurrens ætatem, qui est ab Incarnatione Domini octogentesimus sexagesimus octauus. Quo etiam anno eiusdem beatissimi viri sanctissimam corporis glebam iussu serenissimi Regis CAROLI CALVI, in Monasterio sanctæ Dei genitricis & semper Virginis Mariæ, beatique Petri Apostolorum Principis (quod antiquitus Fossatense appellabatur) digno cum honore, populorúmque frequentissimo ac celeberrimo detulimus occursu. Quem sanctus Pontifex ÆNEAS in ipso introitu Monasterij suscipiens, propriisque imponens humeris, cum frequentia venerabilium Monachorum, & numerositate nobilium Canonicorum, ornatu quoque & apparatu Ecclesiasticorum ministeriorum, in Ecclesiam beati Petri festiuo satis deportauit obsequio, atque solenni sanctæ deuotionis in archa ferrea ad hoc ipsum præparata sub die Iduum Nouembrium recondidit officio. Vbi etiam nunc cum superna opitulatione debi-

B

C

868.

A tis & assiduis Monachorum veneratur & colitur seruitiis, ad laudem & honorem nominis Domini. Qui ita præsentialiter mirificat sanctos suos, quos iam æternaliter cœlestium donauit præmiis gaudiorum, conformes eos & cohæredes vnici filij sui constituens. Quorum meritis & interuentionibus veniam consequi commissorum mereamur flagitiorum, qui nos sancti sanguinis Christi gloriamur redemptos effusione. CAROLVS CALVVS.

IGITVR tempore PIPINI gloriosissimi Regis, cùm adhuc Monasticæ Religionis obseruantia in eodem sancto Cœnobio optimè custodiretur, honor etiam & dignitas, atque affluentia rerum omnium copiosissimè exuberaret, numerositas quoque religiosorum Monachorum (vt statutum à beato Mauro fuerat) ibi pleniter haberetur; locum ipsum cum omnium integritate possessionum ad eundem pertinentium idem præcellentissimus Rex GAIDVLFO cuidam Rauennati dedit. Qui barbariem sæuissimi animi, atque efferæ crudelitatis exercens duritiam, execrabili odio Monachos ibidem commorantes persequi aggressus est. Qui eius immanissimam ferre non valentes oppressionem, circumquaque diffugientes, dispersi sunt: ita vt non remanerent ex eis nisi quatuordecim tantùm, qui inopiæ malo compulsi aliud agere non valentes, quotidianam stipem vix emendicando à supradicto tyranno poterant extorquere, excubias semper prout valebant, apud beati Viri corpus sollicitè obseruantes. Cúmque & ipsi tam famis inediâ, quàm ceterarum miseriarum acerrimo afficerentur cruciatu, nec institutionis sanctæ B Regulæ arduam possent ducere vitam: consilio accepto indumenta deponunt monastica, habitum Canonicorum assumentes. Vnde ipsæ tyrannicæ peruersitatis nefandissimus homo occasione contra eos sumpta, omnes de loco expulit: quinque tantùm Clericos, abiectissimæ scilicet vilitatis personas, ibi constituens, à quibus aliquid officiorum diuini cultus apud sancti Viri perageretur corpus. Inde instigatus à dominatore suo diabolo, Monasterium omne solotenus euertit: ita vt etiam fundamenta nonnullorum eruerit ædificiorum. Quod hodiéque inspicientibus liquidò claret, dum diuersarum adhuc officinarum penitus abdita ibi cernuntur fundamenta. Denique nec domibus Ecclesiarum in eodem sancto pepercit loco, dicens: Sicut Dominus cædem interfectionis à Sanctuario suo initiari iussit: ita euersionis nostræ destructio à Sanctis exordium sumens, audaciùs reliqua péruadet ædificia. Post hæc omnia, Testamenta, quorum auctoritate rerum cunctarum eidem loco collatarum constabat delegatio, sollicitè perquirens & inueniens, peiora semper pessimis adiiciendo partim cremauit, partim in Ligerim mersit, nonnulla verò in Monasterio sancti Albini custodienda deposuit. CAP. I.

CVMQVE locus idem penè iam desolatus atque in solitudinem redactus omninò esse videretur, iam tempore piissimi Augusti LVDOVICI cum paucissimo numero villarum (sicut videlicet eum Vnager habuerat) ab ipso Imperatore RORIGONI religiosæ ac nobilis memoriæ Comiti collatus est. Qui C Dei inspiratione corde tactus, ac diuini muneris gratiâ præuentus, cum coniuge sua iam superiùs dicta BILECHILDE sollicitè perquirere cœpit, qualiter seculo renuncians liber ab omni mundana occupatione perfectionem regularis posset adipisci Religionis, vel qualem ipsa super hac re gereret voluntatem. Cúmque ei assensum suum eadem venerabilis mulier in tanto negotio præbuisset, & se eadem facturam secundum sexus sui ordinem pollicita fuisset: de sola iam locorum opportunitate, in quibus id peragere cum superno adiutorio possent, studiosè inuestigare certabant. Sed cùm Deus omnipotens & eundem locum in pristinam Religionem reformare decreuisset, & eosdem religiosos coniuges mercede perfectorum operum, quibus ipsi in restaurando inuigilauerunt loco, à se donandos esse hominibus notum facere voluisset: quadam die cor amborum, vt gratia orationis corpus beati Mauri adirent, manu sancti desiderij tetigit. Qui feruore sanctæ deuotionis concepto, de loco habitationis suæ, qui Boscus vocatur, ascensis equis religioso satis obsequio, illuc tendere festinarunt. Perlustratisque omnibus conuenientiis, quibus locus ipse dignissimo effloruit & florere poterat honore, taliter communi consilio in restructione Cœnobij laborare æstimauerunt. Continuò denique Turonos mittentes, Lambertum religiosæ vitæ virum de Monasterio sancti Pontificis Martini euocant, asci- II.

CAROLVS CALVVS. to nihilominus EBBONE viro satis strenuo affinitate consanguinitatis sibi propinquo. Quibus cùm voluntatem suam de his quæ suprà scripta sunt, venerabilis RORIGO Comes aperuisset: eorum consiliis & exhortationibus in ipso suo sancto desiderio ardentiores effecti, mox summo studio in fabrica Monasterij laborare aggressi sunt: conuenienter coram eis, quos euocauerant, iactis fundamentis. Sed aliquandiu ædificatione tanti operis assiduè occupati cùm fuissent, quorumdam impedimentorum interceptu impediti, Brennonem amplissimum possessionis suæ cespitem petunt. Vbi dum prolixiori tempore moras innecterent, & cœptum ab eis opus eorum absentiâ neglectum non assurgeret: cuidam reuerentissimæ vitæ Abbati, IACOB nomine, Cœnobij Cormericensis, cùm post matutinale officium sanctarum instantiâ precum Diuinitatis, more sibi solito, pulsaret aures: quidam candidissimum Monachi præferens habitum, cuius facies roseo micabat aspectu, canicies verò instar lactis candebat, A
„ astans talia infit: Vade, inquiens, & partes Britanniæ aggrediens, Rorigonem
„ perquire Comitem. Quem cùm inueneris, ista illi tibi diuinitus nunciata prose-
„ quere. Non rectè vir bonorum desideriorum agis, quod segnitie improuidæ men-
„ tis pressus, occupatione terrenarum occupatus rerum, his quæ cælesti inspiratus
„ desiderio perficere cogitaueras, neglectis temporalibus atque caducis operam dan-
„ do inhæres. Sed si tibi Diuinitatem placabilem, & adiutricem fore (vt dudum opta-
„ ueras) concupiscis, religiosè quidem à te cœptis, sed periculosè dimissis, studio- B
„ sissimè insiste operibus: vt meritis viri sapientis, qui ædificauit domum suam su-
„ pra petram, à Deo donatus, cœlestis regni hæres cum Paulo sapiente architecto
„ effici merearis. Cui Abbas respondit: Rorigonem non noui: sed & te qui talia
„ iubes ignoro. At ille subiunxit. Illum quidem ociùs perquirere satage, me autem
„ quis sim vt superno placuerit opifici scire licebit. His peroratis, disparuit. Tunc ille stupens ad ea quæ audierat & viderat, nulli prorsus prodere illa volebat, euentum rei sollicitè expectans. Expleta verò hebdomada, iterum ei idem vir in eodem habitu, hora eadem qua & priùs in ipso apparuit loco: austeriùs arguens, quòd negligentiùs à se iussa ceperit, sibique eum consulere asseruit, si festinanter his quæ audierat obtemperare voluisset. Sed nec quidem ille etiam hac vice animum apposuit, vt executor ostensorum fieret, defectione quadam supra modum torpens: cùm ecce die tertia, horribiliter eum compellans in eodem loco illi astitit, ac tertio illum acerbissimo flagello sicut aclinis residebat, in dorso validissimè percussit, mortem ei minatus si vltra ad explenda quæ audierat tardare præsumpsisset. Qui nimio percussionum excruciatus dolore, siquidem & cutis & carnis molliciem diuinum transiens verber, medullitus, vt sic dictum sit, ossibus inhæsit: timore quoque intentatæ mortis perterritus, illico quò iussus fuerat pertinaciter tendere disponit. Cúmque post longos viarum anfractus, laborioso confecto itinere, tandem vt optauerat Brennonem deuenisset, ac Comiti suprà dicto nunciatus fuisset: mox vt eius ingressus præsentiam adiit, secretiorem ab eo expetens locum, C missum se ad ipsum specialiter indicauit. Et continuò nihil amplius dicens, agiliter se cœpit expoliare. Quem in amentiam versum Comes existimans, prohibere eum
„ reluctando nitebatur. Cui ille: Non, inquit, virorum iustissime, vt tu putas desipio:
„ sed cœlestis oraculi tibi iussa deferens, euidentioribus te indiciis roborare desidero. Et hæc dicens, ac dorsum suum detegens, liuentes adhuc plagas lachrymis perfusus ei ostendebat. Et post hæc rei ordinem pandit. Denique cùm eius vxor ab eo vocata introisset, illi quoque cuncta replicauit, ostensis nihilominus diuinorum vlceribus flagellorum. Igitur tantis ac talibus attoniti miraculis, tractare sollicitè cœperunt quomodo cœpto operi attentiùs inuigilare possent. Deinde Abbatem illum diebus quindecim secum retinuerunt, instantiam deuotionis suæ certatim ei pandentes, ac frequentium fouere iubentes inductione vnguinum. Quem iam obductis cicatricibus ad se euocantes, diuinis se per omnia præceptis parere promittunt. Ita demum non paruis donatum muneribus, ad propria eum lætantẽ & alacri corde remittunt, & post hæc pagum Andegauum repetere decernunt. Cúmque in locum, qui Vernentis dicitur, manendi gratiâ diuertissent: subitò aduersæ valetudinis incommodo, supradicta matrona (vt prægnans erat) ita vehementissimè cœpit atteri, vt de eius vita omnes qui aderant desperare cogerentur. Sed honorabilis Comes vir eius, progressum illius grauiter administrans, iter suum

cornipedum velocitate peragere ad supradictum locum disponit, de sola iam coniugis sepultura lugubri satis mente pertractans. Cùm verò Ligerim nauigio subuehente transmeare cœpisset, iámque media fluminis spatia velox innare videretur, sphæra ignis instar latioris clypei cœlitus emissa illi supra caput affuit. Cuius odoris adeo persensit vigorem, vt comam capitis sui assumi pertimesceret. Attonitus ergò redditus pro his quæ & videbat & sentiebat, huiusmodi oraculum cœlestis percipit vocis: Hîc, inquiens ædifica, hîc ædifica, hîc ædifica. Quod nisi facturum te modo Diuinitati spoponderis, nullomodo deinceps dulcibus dimissæ vxoris frueris osculis, vel prosperè metas tibi concessi attinges æui. Hæc ipse solus in medio fluminis alueo videns & audiens, cuncta se impleturum pollicens, mox vt terram rate appellente arenosum cœpit calcare solum, ociùs beati Mauri corpus cum feruore sanctæ deuotionis reuerenter expetiit. Non longè siquidem ab eo loco fluuium transnauigarat, sed vt æstimari valet passibus quasi ducentis. Denique hora eadem, vt postea simul conferentes inuenerunt, grauissimo pondere infirmitatis coniunx eius exonerata est: quæ iam tribus diebus totidémque noctibus sine cibi vel potus perceptione iacuerat. Cúmque & ipsa nauigio ad eundem locum delata fuisset, absque vllius adminiculo vrnam sancti Viri religioso satis adiit desiderio. Eo adhuc tempore Bertingus quidam, non ignobili ortus familiâ, eorum dono cum coniuge sua Huninga locum ipsum beneficiario possidebat iure. Biduò igitur ibi loci amore & consideratione morati, solitum locum habitationis suæ Boscum reuisere statuunt. Vbi dum quadam die idem venerabilis Comes in Oratoriolo compendiosè ibidem constructo (vt nobilioribus mos est) post matutinos residens hymnos, diuinis intenderet theoris, psalmis ac precibus per contemplationem insistendo: quidam ignoti schematis vir illi visibiliter astans talia protulit: Noli, inquit, de his quæ tibi diuinitùs sunt nunciata vllo modo deinceps tardare: quoniam post Augusti LVDOVICI defunctionem, non ita tibi ab aliis facultas arridebit temporis, vt licenter insistere, sicut nunc, diuinis valeas iussionibus. Vt verò vxor tua à scapulæ & lacerti pleniùs conualescere queat incommodo: sanguisugæ sitibunda ei adhibeatur numerositas. His dictis, abscessit. Porrò ille vxorem suam continuò euocans, cuncta illi quæ viderat per ordinem enarrauit: rursúmque Lambertum & Ebbonem directis conuocantes nunciis, quæ erga se gesta vel sibi ostensa fuerant retulerunt. Qui simul cum eis laudantes & benedicentes Deum, hortati eos sunt, vt ceteris postpositis hoc quod salubriter quidem cœperunt, sed negligentiùs omiserant, secundum diuinum ad se perlatum responsum, perficere quantociùs possent studiosissimæ elaborarent. Qui eorum obsecundantes consiliis INGELBERTVM sanctissimè vitæ virum, Abbatem Fossatensis Cœnobij, vt sibi cooperator efficeretur, vix infatigabilibus emeruerunt obtinere precibus. Tandem ergo deuictus votis eorum, & familiaritatibus, assumptis perfectioribus quibusque congregationis suæ Fratribus, perrexit ad locum. Ex quibus duo specialiter nostro seculo tam in diuinis contemplationibus, quàm in cunctis sanctæ Religionis obseruationibus, velut duo quædam magna luminaria, in nostro ordine emicuerunt: GAVBERTVS scilicet frater ipsius Comitis Rorigonis, atque Vuilermus. Qui quantæ nobilitatis quantæque potestatis extiterint, ac quales secularis claruerint honore dignitatis, & quam perfectam in omnibus vitam duxerint, postquam fugitiui seculi facibus abrenunciantes, atque non segniter præceptis Domini inhærentes, Cœnobialem delegerunt expetere conuersationem, si quis nosse desiderat, ab omnibus qui eos cognoscere potuerunt, & adhuc superstites in carne morantur, veraciter audire valet. Et quia locus ille in omnibus habitaculis, quæ Monasticæ conueniunt obseruationi, instantia bonorum coniugum, sicut nunc habetur, pene iam ædificatus erat: venerabilis Abbas Ingelbertus, cum illis quos suprà diximus, copiosiorem Fratrum numerum dimittens, eósque in sancta Religione corroborans, ad propria reuerti accelerauit. certus vtique de eorum infatigabili sanctæ perfectionis obseruantia.

RORIGO denique venerabilis Comes, ne per succedentia tempora locus ipse habitatorum fortasse negligentiâ à rectitudine regularis tramitis exorbitaret, præceptum Imperialis Edicti à serenissimo Imperatore LVDOVICO ex sacro promeruit Scrinio: quatinus Rectores Fossatẽsis Monasterij semper prouidentiam III.

CAROLVS CALVVS. de eodem loco habentes, instantiam sollicitudinis suæ tam loco quàm congregationi vigilanti cura in omnibus adhiberent. Tales videlicet suæ congregationis eis magistros & præpositos ordinando Fratres, quorum nutu & regimine cuncta illic perficienda & interiùs & exteriùs studiosè disponerentur. Quod qualiter tempore Ingelberti ablatum igníque crematum fuerit, melius reticendum quàm proferendum putamus. Cùm itaque viri illi, quorum superiùs nomina sunt inserta, cum reliquis sibi commissis, locum eundem honorificè satis ac religiosè stabilire & ordinare cœpissent, paruo admodum transacto tempore, nonnullos ibi Deo per sanctæ religionis obseruationem acquirere ac adunare summo studio conati sunt. Siquidem de suo Monasterio iussu Patris sui, omnia quæ in diuinis cultibus necessaria erant, & quibus se in nouiter cœpto indigere timuerant loco, secum detulerunt.

IV. CVM itaque indies augmentatio spiritualis incrementi per eorum Ministerium fructum non modicum animarum ibidem Deo in segetem sanctæ maturitatis proferre non cessaret: augustissimæ recordationis LVDOVICVS PIPINO filio suo, cum reliquis quæ magnitudini Celsitudinis illius visa sunt, etiam Andegauensem contulit Comitatum, cum Abbatiis & fiscis in eodem pago sitis. Vnde factum est, vt consilio & hortatu illustris viri Rorigonis EBROINVS tunc adhuc flore iuuentutis egregiè in Clericatus pollens ordine, postea verò Pontificali cathedra Pictauiensi sublimatus Ecclesia, locum hunc (de cuius restauratione sermo à nobis deducitur) solemni donatione PIPINI gloriosi Regis percipere mereretur: ob id scilicet, ne in alienas decidens manus, regularis vt dudum de eo eliminaretur Religio. Nam & locum tam suæ tumulationis, quàm coniugis & filiorum, ceterorúmque propinquorum, idem nobilissimus Comes illic decreuerat eligendum: vbi etiam ipse Dei dispositione & sua quiescit conditus electione. Affinitate enim carnalis generositatis ipse Ebroinus ei propinquus erat. Hoc ergo cùm apud PIPINVM vt optauerat obtinuisset, accedens etiam ad piissimum Imperatorem LVDOVICVM, iam Episcopus constitutus, locum ipsum cum omnium plenitudine rerum quas eo tempore dignoscitur possedisse, hereditario ac perenni promeruit impetrare dono: vt testatur sacræ auctoritatis eius celebre Testamentum, quod hodiéque scrinij nostri cautissima conseruatur repositione. B

V. DENIQVE Ebroinus Comitis Rorigonis iussionem sequens, eiúsque obtemperans voluntati, Fratribus Fossatensis Cœnobij liberrimam de eodem loco concessit potestatem, quamdiu idem nobilissimus & reuerendus vir in corpore Deo volente permansit. Illo verò præsenti casso lumine, cùm auctoritatem ab eis inquireret, qualiter ipsum Cœnobium in eorum deuenisset potestatem, atque dominium, nec eam illi ostendere quiuissent, (quippe quia iam, vt suprà significatum est, fraudulenter abstracta atque igni mancipata fuerat) ille aliquibus Fratribus de supradicto Monasterio retentis, ceteros locum suum iubet repetere. Et hoc post obitum Augusti LVDOVICI, & iustæ recordationis Rorigonis, introductis à quibusdam non sani cordis viris, agere aggressus est. Accedénsque ad serenissimum Regem CAROLVM, & ostendens ei Testamentum patris eius (cuius auctoritate proprietatis iure eundem retinebat locum) deprecatus est eum vt suis nouis præceptionibus domni genitoris sui roborare dignaretur Edictum. Cuius ille precibus libentissimè annuens, quod à tanto petebatur Pontifice celeberrimis confirmauit scriptis. Quibus etiam continetur, vt quandiu aliquis de progenie nostra inueniri poterit, qui locum ipsum secundùm auctoritatem beati Benedicti regere & gubernare valeat regulariter ipse viuens, nullus alius ibi Rectoris fungatur officio. C

VI. HIS strenuè satis peractis, GAVZLINVM virum eruditissimum, atque in Monastica perfectione religiosissimè institutum, filium scilicet sancti viri GAVZBERTI, Regiæ præsentauit Celsitudini: egitque cum eo, vt illum loco ipsi Abbatis honore præficeret. Quod Rex gratanter accipiens, (valde enim pro sua eruditione, & doctissima locutione diligebat, qua idem vir nobilissimè pollebat) honorabiliter eum coram Optimatibus totius Regni sui Abbatem constituit: ampliora se ei daturum promittens, cùm opportunitas id peragendi se ei obtulisset. Qui suscepta cura pastorali eiusdem loci à Rege sibi iniuncta, nobiliter in sancta Religione cœpit excrescere. Denique in diuinis culti-

A bus suo tempore nemini secundus emicuit. Quin, qualiter corpus beati Mauri de australi climate altaris beati Martini, retrò (vt nostro seculo mos est) ad orientalem scilicet eiusdem mensæ transtulerit partem, ipsius scriptis plenissimè cognosci valet. Ita enim prosequitur. Anno Incarnationis Domini nostri Iesu « Christi octingentesimo quadragesimo quinto, Indictione octaua, feria quinta heb- « domadis nihilominus quintæ in Quadragesima, IV. Idus Martij, translata sunt « ossa beatissimi Leuitæ Mauri à famulo Dei Gauzlino, aliisque Sacerdotibus, in « locum in quo nunc venerantur, in arca ferrea cùm honore recondita. Hac eadem « etiam die, reliquiæ prothomartyris Stephani (quæ à Bertulfo Abbate, tempore « Clotharij Regis, iuxta prædicti Patris Mauri tumulum, ob eius venerationem, in « pixide lignea reconditæ fuerant) ita intactæ & absque macula sunt repertæ: vt « quasi eodem die illic repositæ fuisse crederentur. In qua etiam membranulæ ve- « tustissimæ portiuncula est inuenta: cuius series diuturna obliteratione penè dele- « ta, vix perspicacissima elucidari valuit indagine. Cuius textus tandem enuclea- « tus hæc continere repertus est. Hîc requiescit corpus beati Mauri Monachi & « Leuitæ: qui tempore THEODEBERTI Regis in Galliam venit, & XVIII. « Kalendas Februarij migrauit à seculo. Beati quoque Petri Apostoli patrocinia, « simili modo ibidem sunt reperta: in arcula quæ ad caput eius erecta, & arenoso « aggere cooperta, pro conseruatione eorumdem (vt opinari potest) decenter fue- « rat. Hæc quidem ille. Testati verò nobis sunt Fratres congregationis nostræ, « B qui eo die obsequiis translationis tanti Viri deuotissimè interfuerunt, quòd octo notissimæ personæ ibi à diuersis sanatæ sint infirmitatibus. Ex quibus tres cœci fuerunt, claudi duo, paralyticus vnus, mulieres mutæ duæ. Eodem anno, pridie ante sanctum Pentecostem, III. Kalendas Iunij, ordinatus est famulus Christi Gauzlinus primus Abbas, post restaurationem Monastici Ordinis, in Cœnobio sancti Mauri, in Ecclesia sancti Saluatoris ante altare, quod ipse ædificauerat in honore indiuiduæ ac viuificæ Trinitatis: & à summo Pontifice Turonicæ vrbis VRSMARO & aliis duobus Episcopis consecrari fecerat. Quem etiam ipso anno, primùm quidem Ebroinus Antistes in Ecclesia Pictauensi ad ordinem Diaconatus, Dodo autem Episcopus in Ecclesia Andegauensi ad Presbyterij promouerat dignitatem. Sed iam ad virtutum insignia, quæ per hunc beatissimum virum in hoc eodem loco cœlitus demonstrata sunt, narrationis ordo est conuertendus.

CVM locus idem prouidentia & regimine Monachorum Fossatensium, iustæ VII. videlicet memoriæ GAVSBERTI, & ceterorum, quorum superiùs mentionem fecimus, conuenienter & religiosè gubernaretur, tempore illo quo inter gloriosissimum Regem CAROLVM & eius fratrem CLOTHARIVM longa concertatio pro Regni fastigio exorta est, quam Deo se protegente serenissimus Rex Carolus strenuè satis armis decertando, publicè euendicauit, Cenomannicæ Ecclesiæ Antistes BALDRICVS cuncta, quæ in villa quæ Cauania nuncupatur habe- C bat, prædicto Dei famulo Gausberto ad nostrum adducens Monasterium custodienda commendauit. Quod cùm HAIMERICVS quidam, & eius compar GIRARDVS comperissent, Missos suos illuc dirigentes, cuncta quæ à supradicto Pontifice illic deposita fuerant, se per vim diripere mandauerunt, nisi celerrimè à Fratribus illis traderentur. Cùmque eis de Monasterio remandatum fuisset, certam legem à Domino de depositis constitutam esse, séque omnia pro his custodiendis ac conseruandis, etiam extrema pericula pati paratos; ipsi ira accensi, & cupiditate cœcati, ad Monasterium equis sudantibus aduolauerunt. Suis mandatum dantes, vt dum ipsi cum Fratribus loquerentur, illic omnia ostia domorum, in quibus commendata reposita erant, peruadere absque vllo timore satagerent. Qui eorum impiis iussionibus obtemperantes, mox vt auctores tanti mali introgressi cum Dei famulo Gausberto & ceteris Fratribus de eadem re austeriùs agere cœperunt, strictis gladiis irrumpentes auferre omnia dissectis foribus conabantur. Quod cùm viro Dei nunciatum fuisset, conuocatis Fratribus vt misericordiam omnipotentis Dei attentiùs precarentur, ac sancti Mauri suffragia ociùs sibi affutura crebra deposcerent repetitione, ipse lacrymis perfusus hortatus est. Deinde signis sonantibus, sumptis Sanctorum reliquiis, impositáque Letania, cum omnium Fratrum numero pergit ad locum vbi iam & vinum terræ effundebatur, &

CAROLVS CALVVS. cædes cruentissima exoriebatur. Cúmque & iocundissima esset cœli serenitas, & A apertissima Solis resplenderet claritas, subitò dum beati Mauri in Letaniarum prece à Fratribus cœpisset auxilium inclamari: tantus fragor tonitruorum minaci supra modum concrepuit terrore, tantáque coruscatio emissorum inhorruit fulminum; vt omnes qui rapinæ malo decepti illic aduenerant, vitæ discrimen se subituros iamiámque pertimescerent. Præsertim cùm repentina effusione inundatio subitaneæ pluuiæ consequuta, limina ostiorum eos egredi prohiberet. Vnde factum est vt quatuor ex eis sensu perdito in amentiam versi, reliquos fugæ tantùm sumere præsidium compellerent. Qui miseriores miserrimis effecti, strata viarum plena vasculorum & vtrium relinquentes, nulli deinceps habitatorum loci ipsius molestiam inferre ausi fuerunt. Hæc meritis & intercessionibus beatissimi Confessoris Christi Mauri ita gesta esse affirmat assertio veridica Monachorum, qui se his interfuisse testantur: ex quibus duos tantùm, Bernegarium videlicet & Raimundum, ex nomine designatos esse sufficiat. --- :·

CAP. XVI. IGITVR nostro iam tempore, cùm insequentibus nos Nortmannis huius beati viri corpus à Monasterio asportassemus, plura per eum fieri miracula vidimus, & licèt in tristibus positi, gaudio gauisi fuimus. Nam cùm in villa Scameraco per aliquot dies demorati fuissemus, frequens conuentus populi in Ecclesiam eiusdem loci, in qua Sancti custodiebatur gleba, confluit. --- :·

XVII. EX eo ergo loco, comitante nos populi multitudine, qui vndique ex vicis & B agris nobis obuiam præcipites confluebant, in pagum Sagensem cum sacro deuenimus thesauro. Et quia sanctus Pontifex HILDEBRANNVS, generali expeditione vniuerso populo contra Nortmannos indicta occupatus, ad suscipiendum componendúmque pro tempore hoc sancti viri corpus præsens adesse non potuit, Archidiaconum sanctæ suæ Sedis cum electiori parte sancti Cleri, ad villam, quæ Merula nuncupatur, quam munifica largitate serenissimus Rex CAROLVS ad suggestionem sancti Pontificis Ebroini beato Mauro & eius famulis per magnificentiæ Celsitudinis suæ contulerat Præceptum, cum omni Ecclesiasticorum honore & apparatu ministeriorum destinatum habuit: qui nobiscum sancti viri glebam religioso satis in Ecclesia sancti Iuliani reconderet obsequio. Vbi per annum integrum & dimidium, quanta valuimus hoc sancti viri corpus diligentiâ custodiuimus. Vbi quæ & quanta Dominus per eundem seruum suum operari dignatus fuerit, si quis scripto digerere velit, ante (vt opinamur) tempus ei deficiet loquendi, quàm materia scribendi. Multi enim cœci, surdi, & claudi, aliisque languoribus, ante eius lecticam nobis cernentibus sanitatem recipere meruerunt. Quos ideò nominatim exprimere omittimus: quia & copiosior eorum numerus memoriam nostram excedit, & legentium fastidium summopere cauere certamus. Illud tamen vnum prætereuntes reticere non debemus, quòd nullus febricitantium cuiuscumque typi contritione vexaretur (si plena fide huius sancti viri implorauit auxilium) sine sanitatis gaudio ab eius repedauit tumulo. Sed vt taceamus de re- C liquis, quid nobili viro OTGERIO ibidem euenerit, silere non debemus. Hic cùm iam per tres continuos menses sine intermissione duobus diebus validissima vi febrium irremediabiliter quateretur, adeò vt sensu penitus perdito in amentiam versus æstimaretur: CADILO Comes, qui ei affinitate generis propinquus erat, secum eum ad locum sancti corporis beati Mauri adduxit. Et cùm eum hortaremur, vt cum fiducia fidelis animi ante membra sancti viri nocte integra iaceret, reluctari cœpit: séque conscium peccatorum suorum esse testabatur, pro quibus sibi peiora accidere formidaret. Cuius pusillanimitatem sacræ auctoritatis assertionibus vtcumque roborantes, inuitum eum illic dormire compulimus. Sed vt ostenderet Dominus quantum fides proficiat, & diffidentia officiat, meritis beati Mauri vnius tantum eum diei vexatione soluere est dignatus, vsquequo post non longum tempus pleniori iam fide animatus, cum exeniorum munere regressus, atque iam securus periculorum, peruigilem ante Sancti vrnam summa cum deuotione duceret noctem. Sicque omni illius incommodi valetudine perfectè liberatus, gratias Diuinitati & sancto Mauro referens, ex eo vsque nunc absque vllius viget infirmitatis labore.

XVIII. CVM verò & illic crebertimis & improuisis Paganorum deterreremur eruptionibus, secundum quod in Epistola huic Opusculo præposita continetur, hoc sancti

A Viri corpus citra fluuium Ararim à nobis deportatum, digno cum honore (prout temporis & loci permisit opportunitas) reconditum ac collocatum in fundo AVDONIS Comitis est: vbi per tres semis annos custoditum, sedecim notissimarum personarum sanitate celebre nomen eius circumcirca diuulgatum, assidua populorum frequentatione venerari cœpit & excoli. Nam primo aduentus sui ad eundem locum anno frequentibus claruit virtutibus, quas enumerare longissimum est. In quibus clariùs ea, quæ suprà scripta est, emicuit curatio sedecim personarum, quarum aliquanti cœci, nonnulli claudi, quidam verò surdi, aliquanti autem muti fuerunt.

EXINDE illud iuxta tenorem præfationis huius Libelli in Monasterium Fossatense deportauimus, & (sicut pleniter ibi prosequutum est) venerabiliter in Ecclesia beati Petri Idibus Nouembris collocauimus. Ad quem locum gloriosissimus ac clementissimus Rex CAROLVS à partibus Burgundiæ regrediens, per semetipsum dignatus est accedere, Christi protectionem ante lecticam sancti Viri summa deposcens deuotione, die Nonarum Februariarum, hoc anno, qui est ab Incarnatione Domini octingentesimus sexagesimus nonus, regni verò huius vicesimus nonus, Indictione secunda. Qui ob maiorem deuotionem Christianissimi animi, quam erga Deum & Sanctos eius habet, post non multos dies de Monasterio beatorum Martyrum Dionysij & sociorum eius honorabilia beato Mauro transmisit munera, per Otulfum strenuæ probitatis Monachum: pallia scilicet preciosissima duo, quibus corpus eius in diebus processionum & cunctarum decoratur solemnitatum. Cuius intercessione perennis vitæ à Domino æternaliter recepturus est remunerationem: qui ita præsentialiter venerabilia exornare non desinit poliandra Sanctorum, vt neminem priscorum, qui Regij nominis claruerunt honore, priorem videatur habere in sancta Religione. XIX. 869. B

Ex Libro Miraculorum S. Theodorici Remensis.

CVLTORE Dei & Sanctorum piissimo KAROLO Rege filio HLVDOVICI Imperatoris sceptra Regni Francorum nobiliter gubernante, quidam Procerum eius nome ANGILRANNVS eius munificentiam expetiit, vt eum dato alicuius villæ honore sublimare dignaretur. Exquiritur nomen pagi nomenque villæ, quo honor regius suo fideli postulata concederet. Ignarus petitor, inscius & Rex dator. Quæ multo tempore iam euoluto beatissimo Remigio Remensi Præsuli cum testamento Cartarum fuerat attributa, VENDERAS villa super Maternam sita, à largitate Regis dari postulatur. Remorum Sedem venerabilis HINCMARVS Episcopus tunc regebat. Is audiens villam infiscari iure proprietatis velle, quæ eius Ecclesiæ subiecta dono regali dinoscebatur, protinus Præceptum traditionis per Gerardum eiusdem Ecclesiæ militem electum Regi transmisit: euidentioribus ei monstrans indiciis, contra canonicam fiendum esse legem, si res Ecclesiæ traditas diuelleret, & iuri alterius proprietatis redderet. Quo in Præcepto insertum videbatur, quomodo Rex THEODERICVS pro resuscitatione filiæ à sancto Theodorico sanctissimi Remigij discipulo facta, non solùm eundem Theodericum Dei seruum honore prætulerit, verùm & magistrum præstantissimum sanctum Remigium, cui honoris & magnificentiæ gratiâ villam Venderas tradiderat. Hæc vt Regia Potestas animaduertit, à traditione substitit, Ecclesiæque inesse propriam concessit. C

Ex Libello Translationis sancti Regnoberti Episcopi Baiocensis, cuius ossa translata sunt in Ecclesiam de Varziaco diocesis Autissiod.

anno DCCCXLVI.

EGO IOSEPH peccator & Sacerdos, omniúmque seruorum Christi vltimus, quondam autem Aquitanorum Regis Cancellarius, nunc inclyti Regis LVDOVICI liberalium literarum præceptor, atque eiusdem sacri Palatij Cancellariorum ministerio functus, olim studiis Turonis sub conditione ALMARICI Turonensis Archiepiscopi eruditus, cum PAVLO Rothomagensi Archiepiscopo, 846.

CAROLVS CALVVS. Cuius ego precibus Ioseph peccator Sacerdos indignus ad hoc scribendum prouocatus stylum admoui. Hi vtique prædicti Pontifices semper in mente erant, & tamen non vt debui hæc scribere idoneus curaui: cùm nec idoneus vetustatis eloquentiæ fuerim, sed rusticitatis & insipientiæ errore perfusus. Vnde prouolutus ad cunctorum fidelium pedes iacens humiliter postulo, ne meis sermonibus indignemini. ---

Hic REGNOBERTVS *sanctus iacet intumulatus,*
Baiocensis onus qui rexit Pontificatus.
HVGO *bonus Præsul præsens fuit ad releuamen.*
Qui dormitat ibi, reperit de febre leuamen.

Ex Libro MS. Miraculorum sancti Vincentij Martyris.

SIQVIDEM Northmanni, quorum liuido metu sancti Leuitæ & Martyris Vincentij corpus sublatum recesserat tunc temporis ex Garumna fluuio, à PIPINO conducti mercimoniis, pariter cum eo ad obsidendam TOLOSAM aduentauerant. Hoc itaque contendentes agonizabant qualiter vrbem caperent, terram autem prædæ ignísque plaga vastarent, atque incolas exitiabilis ferri mucrone sanguinis sitibundi perimerent. Vnde non solùm Tolosam, sed reuera Albienses omnes, ne fortè more solito illis superuenientibus insperatè præoccuparentur, graui perculsi formidine huc atque illuc exterriti mortis periculum euadere concertantes diffugiunt. Monachi verò cùm pro se, tum insuper magis solliciti & pauentes pro Sancto, ne in modico perderent quod se cum tanto lætabantur acquisisse labore, prouidi sacrum sumentes corpus ad alium tutiorem locum secedunt. Insistunt rogantes, quatinus illos in tribulatione præsentis angustiæ eius Omnipotens precibus dignaretur adiuuare, cuius victricia membra etiam post mortem pelago immersa ne ponti voragine absorberentur potenti dextera gubernauit. Denique Northmanni post aliquot dies in vanum exactos simul cum conductore inani obsidione fatigati recedunt, non vt conati fuerant excepta in circuitu facta præda, Dei miseratione, sanctíque Leuitæ & Martyris rogatione repulsi, se præualuisse stomacho læsi dolentes. Monasterij verò Fratres mox ad se fama sanctitatis perlata, obuiantibus solis fidelibus secum reuehunt corpus, dignísque eo in loco, vbi priùs fuerat, officiis venerandum reponunt.

Ex Vita MS. sancti HVGONIS *Monachi S. Martini Augustodunensis.*

REGEBAT ergo illis diebus Regnum Francorum CAROLVS Rex cognomento & habitu CALVVS, cum Regina CHRODELCHIDE ipsius coniuge: vtrique Dei omnipotentis timoris pariter & amoris munere insigniti. Idcircò igitur totius Regni ipsorum partes summa pax & tranquillitas gubernabat. Paganorum quoque infestationes, quæ olim patriam debacchauerant, omni ex parte sedatæ erant. Rex ergo pariter & Regina in restaurandis Ecclesiis ac Monasteriis, quæ barbarorum hostilitas atque rabies desolauerat, certatim insistebant. Totum enim penè sui reipublicæ Regni censum in eiusmodi expensis tribuebant. Erat quippe in ipsius Regis Palatio tunc temporis Comes quidam BADILLO nomine, qui veniens ab Aquitaniæ partibus, vir licèt in seculari vitâ positus, correctis tamen & religiosis moribus atque conuersatione sacris viris per omnia consimilis. Extiterat enim opum gratiâ opulentissimus, & auri & argenti ditissimus. Qui cernens Regem, necnon & Reginam in restaurandis Ecclesiis Dei toto conamine inseruire, zelo diuino & ipse ductus, cœpit illorum in hac parte deuotus ac pius æmulator existere. Qui inter ceteras paganorum strages conspiciens apud ciuitatem EDVAM egregij Confessoris Christi Martini Monasterium olim à Regina BRVNECHILDE nimium excellenter atque honorificè constructum, tum tamen miserrimè dirutum, atque omni supellectili nudatum atque dehonestatum: accedénsque incunctanter isdem Comes ad Regem, humiliter petiit, vt sibi ad restaurandum daretur præfatum Monasterium. Dicebat etiam spondens, se in voto habere, vt post Monasterij restaurationem seipsum ibidem, relictis seculi curis, honorúmque sollicitudinibus, Domino mancipaturum. Quod denique postmo-

A dum, annuente Christo, rei probauit euentus. Hoc igitur Rex pariter & Regina comperientes, libentissimè assensum præbuerunt, & vt expetiuerat concesserunt; insuper & iuuamen ei polliciti sunt impensurum in cunctis, quæ illi expedire cernerent. Statim denique vir deuotissimus certatimac summa cum festinatione huiusmodi vtensilia operis apta coadunauit: atque instanter labori insistens, vsque dum ad perfectum duxit, qualiter potuit totum Basilicæ reintegrauit opus. Quà prout valuit reformata, atque per Pontificum manus iterum consecrata, cœpit sollicitè inquirere eiusdem loci possessiones, quæ olim illi largissimè per liberalitatem BRVNICHILDIS Reginæ, seu aliorum Regum priuilegiis concessæ fuerant. Ferturenim primitus ipsius Cœnobij summa fuisse totius possessionis ad centum vsque millia mansos. Extiterat enim præfata Regina in Ecclesiarum Basilicis construendis affluentissima, in memoriis plurimorum Sanctorum, & beatæ Mariæ semper Virginis, sanctique Petri Apostolorum Principis, necnon & beati Leuitæ & Martyris Vincentij: quamuis vulgi fama illam in quibusdam ex parte fuscaret. Interea beatissimum Martinum Confessorem semper vltra omnes extollens, in voto habebat: atque in Dei honore, & ipsius Confessoris nomine ceteris pluriores Ecclesias ac Monasteria ædificari iussit, & de propriis thesauris, necnon & prædiis honorificentiùs ditauit. Statuerat denique ante suæ mentis oculos quoniam Martinus, qui partem sui indumenti pauperi tribuit, Christum vestiuit.
B Præ cunctis tamen istud extulerat Cœnobium, in quo suæ sepulturæ mausoleum habere decreuerat. Nam inter cetera donaria, quæ illi contulerat, columnis etiam marmoreis ac trabibus abietinis formosis illud decenter instituit, & musiuo opere mirificè decorauit. Habebat enim eadem Regina religiosos ac sanctissimos Præsules sanguinitate sibi proximos, affinésque: fratrem scilicet germanum sanctum SIAGRIVM Augustodunensem Episcopum, inter Pontifices egregium, & nepotem quoque beatissimum DESIDERIVM Autissiodorensem Episcopum, inter Præsules Pontificem nobilissimum. Sanctissimus denique Papa vrbis Romæ GREGORIVS in tanto amore ac diligentia illam habebat, vt plurimas ei Epistolas mitteret, atque per ipsam Episcopis & Regni Primatibus de statu Catholicæ fidei & Religione Ecclesiastica commonefaceret: gratulans valde deuotioni ipsius & largitati, qui in honorificentia omnipotentis Dei liberalissimè impendebat. LVPONI quoque primo eiusdem loci Abbati propriam direxit Epistolam, hortans illum qualiter religiositatem gregis sibi commissi custodiret, atque tam Deo quàm hominibus iter iustitiæ gradiens placere studeret. Præcepta etiam Regalia, necnon & priuilegia ipsius loci, isdem Pontifex annuli sui impressione sigillans roborauit. --- ⁖

POSTQVAM denique vir illustris BADILLO, prout posse habuit, loci restaurationem exercuit, cœpit anxiè perquirerę viros sanctæ Religionis imbutos, qui in eadem domo Dei dignanter eidem seruitutis officia persoluerent. Qui dum
C hoc sedulè ageret, reduxit ad memoriam beati Martyris SAVINI Cœnobium, in quo olim nouerat ceteris honestiùs, districtiúsque vigere instituta Monachorum Regulæ. Pergens quoque protinus illuc, adduxit indè viros numero decem & octo Monachorum religiosissimos. Inter quos etiam excellentissimum meritis sanctum ac venerabilem HVGONEM, in quo pendebat cura ceterorum Fratrum totius moderaminis. Alios quoque duos inter ceteros non dispari sanctitate Monachos: domnum scilicet ODONEM virum sagacem & mitissimum, atque IOANNEM admodum humillimum. --- ⁖ Interea nempe elegerunt sibi vnanimes Patrem & Abbatem vitâ & moribus probatissimum, Deóque & hominibus acceptabilem, domnum scilicet ARNVLFVM, cum consensu tamen & voluntate illius protectoris, domni videlicet BADILLONIS: virum per omnia, vt postmodum claruit, vti expediebat, vtillimum. Qui quamdiu in corpore vitam duxit, tam in diuinis rebus quàm humanis, ita omnibus in commune profuit, veluti optimus Pater dulcissimis filiis. Hic tamen in cunctis, quæ agebat, dictatore & consolatore præ cunctis domno fruebatur HVGONE, qui gratiâ humilitatis obediebat Patri vice humillimi didascali. --- ⁖

CAROLVS CALVVS.

A

Ex Historia Vitæ & Miraculorum sancti Faronis Episcopi Meldensis, MS.

CAPVT CXXIII. EXPEDIAM enimverò summatim quantùm nunc tempora nostra sint mœstifica, Paganorúmque desolatione terra dulcis cultoribus suis mœstifica; Regna quoque, quæ olim gloriosa, nunc ingloria; Principúmque virtus ac potentia quàm infirma. Hæc verò, quæ dicimus, testantur adhuc recenti cæde tepentia flumina, quæ purulentis cadaueribus innumerabilium Christianorum inundant tumentia maria. Et illud maximè flumen, cuius nomen sonat Sequana. Albent enim huius insulæ multæ ossibus captiuorum innumerabilium. Postquàm autem transitus bonæ memoriæ HLVDOVICI Imperatoris decimum duxit annum KAROLI filij eius, Regni pars vestigia prioris gloriæ & pacis mutauit in discordiam. Et ob hoc gemere cœperunt flumina illius Regni intrantia maria, sub NORTMANNORVM maxima carina, quæ à principio conditæ Gentis Francorum erant inscia. Tunc primum sulcantes Sequanam, dederunt stragem horrendam cœlo hinc inde habitantibus circa eam. Tandémque, nullo resistente, applicuerunt multitudinem nauium ad vrbem Parisij ipsam. Quantum ibi adtraxerit hoc Regnum populum, cum Rege Karolo suo nequicquam, terrâ vix sustinente, cœlúmque sub pelle sua obumbrante, incertum nobis scire miramur numerum. Cúmque B non tantam audaciam in pectore concepissent Franci, vt vtrasque partes fluminis bello obsedissent, consilium inierunt ad ruinam, & ad interitum, per omnia labentia secula, dato tributo copiosissimo terræ. Cum magna gloria reddiderunt eos opulentissimos omni abundantia auri & argenti, ad confusionem & ignominiam suorum. Post hanc ingloriam huius Regni, & improperium aliorum Regnorum, venit decimus annus, qui iterum crudeliorem atque maiorem multitudinem classium, regente eas gubernaculo Nortmannorum, dedit Sequanæ, mittente eas mare.

CXXIV. HI verò velut Parcæ, Furiæque insatiabiles, ac auiditate crudeli immites, ab egressu maris omnem pulchritudinem regionum illarum, quas fluuius Sequana hinc & inde velut Paradisum Dei irrigabat, gladio impatienti vorauerunt, ac voraci flammæ cuncta tradiderunt: quousque concluderent in hac sæuitione ciuitatem Parisij. Ciuitates verò quædam turribus firmæ, non potuerunt Episcoporum suorum seruare vitam.

CXXV. CLARIOR autem atque potentior Princeps insignis de nomine HLVDOVVICVS Pastor Ecclesiæ S. Dionysij, quæ caput extollit super ceteras Ecclesias terrarum, potentiâ dignitatis, & Principatu, omni honore sapientiæ, ac religionis, impotens fuit ab eorum captiuatione se obseruare. Cuius redemptione, ponderibus inæstimabilibus auri & argenti ablata est omnis gloria, & ornatus, atque decor ab vniuersis Ecclesiis Regni; atque ipsa aurea Roma se spoliatam suo decore aliquomodo sentit. C

CXXVI. INTANTVM enimuerò ira Dei concitata exarsit contra populum, vt nulla ratione quinque anni temporum scirent posse eos superari. Circumsepti sunt namque à KAROLO nauigio mirabili, ac numquam in nostris Regnis simili viso, per reuolutionem duodecim septimanarum, cum toto Regni populo, in quadam insula Sequanæ; adiuncto etiam altero Regno, nepotis sui videlicet LOTHARII. Nec ita etiam defecerunt à potentia suarum virium quam cœperant, sed inualidum duorum Regnorum populum cum suis Regibus ab insula dira fatigatione dimissum, captis omnibus nauibus, quibus obsidebantur, cum delusione prudentissima Regni Gentis Francorum, & retinet insula eos victores, subdita potestate alienorum priuata suorum. Post hæc itaque ad hoc nefandissimum huius Regni malum, vomuit iterum mare ampliorem Nortmannorum multitudinem, quam valde extimuit prior multitudo Nortmannorum. Priores verò à sequentibus Nortmannis obsessi, nomine Regis Karoli sunt deuicti.

CXXVII. STATVTIS tamen donis grauissimis auri & argenti ex Regno, immensáque adhibita ad hæc pro obsidione prioris multitudinis victus abundantia. Sicque tandem aliquando obsessione diutissima, nefandi à nefandioribus visi sunt superati astutiâ acutissima. Ita quoque est ab illis actum, & fide vana illorum acceptum

A ptum est promissum: vt discedendo vtræque partes iam vltra nescirent finium nostrorum introitum.

QVOS cùm mare recepturos speraret, illi infidelitatis itinere flexo, terminos prioris deuastationis adaucti numero prætercurrunt. Saltum namque Briegium insoliti arripiunt; cúmque à suis possessoribus gladio cruenti, ignéque calenti spoliant: & ad vltimum hanc ciuitatem MELDIS nauigio improuiso accelerant. CXXVIII. CXXIX. Prima autem parte noctis eam occupant, & forte igni desolatorio accendere destinant. Flammæ quoque eius incommodè lucentes vertunt noctem quasi in diem, ignotásque vias circumquaque penetrant. Domos etiam gementium, atque diuersas semitas vrbis miserrimæ sanguine humano maculant, Ecclesiásque olim venerandas omni spurcitia fœdant. Pulsat ad hæc clamor confusus cœlum. Terra atque aër gemitibus prægnantium atque lactantium concutiuntur, aureáque sidera flammis eius voracibus subtrahuntur. Audiens autem hæc insperatè hoc Monasterium illi vicinum ciuitati, vix Senatores dimisit à se suos, totum concussum nouo pauore. Custodem tamen potentissimum, ac suum Dominum, beatum scilicet FARONEM, secum retinens; tandem tamen aduenientes ferocissimos recepit vastatores. CXXX. Qui cum equis aduolando, in hac sancta domo adgredi superbè temptassent, equites fixi vno in loco nutu diuino hærebant. Nullis prorsus acribus verberibus, mouendo sessores suos obaudiebant. At B verò cernentes mausoleum tanti Confessoris, incontaminatam hanc ædem sanctam, atque habitationem huius interiorem, pro timore eius magnificentiæ obseruauerunt.

DENIQVE quadam die irâ inordinata à Christianis irritati, habitacula circa hunc locum posita, quæ forensibus studiis patebant, ignis pabulo tradunt. CXXXI. Qui cùm sua voratrici flamma inretractabiliter omnem forensem pulchritudinem huius loci sparsisset, leuibus fauillis in aëre, nullis moderatus habenis, sæuit tandem in ipsis liminibus ostij, quod erat ante porticum atrij huius sanctæ Ecclesiæ: porticum, inquam, omnium viantum. Ibique vigorem virtutis suæ ignis mirabiliter cœpit deponere. CXXXII. Replet quoque totam porticum vi caloris sui, & omnia materiamina lignorum eius flamma amicabili suauitate lambendo innocua percurrit: summáque culmina Ecclesiæ, quatuórque eius partes igneis ictibus pulsans, non solùm inlæsam non seruat; sed nec etiam aliquod vestigium fuliginis eam, neque eos, qui in circuitu ipsius continentur, maculat. Qui victor namque omnia in cinerem resoluendo illuc vsque venerat, meritis tanti Confessoris victum ab ipsis materiaminibus lignorum, quæ paululum antè vicerat, se sentit. Dat quoque ignis honorem loco tanto patrono assignato; disereuítque eum ab aliis locis eius merito. Recognouit enim se non ampliùs valere, nisi iuxta permissum diuini moderaminis, & didicit taliter venerari Sanctos Dei, & intellexit se C non posse in omnibus secundum se; sed ab eo, qui est simplex à se, & omnia ab illo, & non à se, cuius ipsum esse eius est esse.

Ex Libro alio MS. Miraculorum sancti Faronis Episcopi Meldensis.

ACCEDAT & aliud miraculum non minus audientibus delectandum. Italia quippe regio cùm plurimos Comites ex primoribus Magnatorum iuxta regalem potentiam Regis CHLOTARII filij LVDOVICI Imperatoris olim possedisset, specialiùs vnum nouimus ex his ad amorem Dei hereditasse, ad dilectionem, timorémque iustitiæ, sanctitatem in omnibus quæsisse. Hic enimuerò à bonis operibus passim diuulgatis claruit de nomine ROTGARIVS. Vt enim gratia diuina occultum mundo non redderet, magnificauit eum in quodam bello, quod Chlotarius superiùs memoratus exacuit contra Bulgrorum gentem. Ipsius præfati Rotgarij denique relatione frequenti, ac probatione operis, certum mente tenemus, sicut hoc ordine inferemus. Pugnæ siquidem conflictus ex vtrisque partibus Francorum ac Bulgrorum prouocatus, inter mixtos cuneos aduersariorum præfatum sors improuisa attulit, ac de equo fidenti circumseptione resistentium corruere compulit. Cúmque telis aculeatis loricam reluctantem ad eius mortem conarentur penetrare, illius ad memoriam inuocationis in hoc ago-

LOTHARIVS. ne positus accessit solum clarissimi Faronis nomen ex innumerabilibus Sanctorum nominibus. At ipsa momentanea hora voto firmissimo Deo se obligans, vt si adesset liberator tantus præstantissimus Confessor, hoc in loco ad seruiendum ei spreto malefido seculo accederet deuotissimus debitor: ilicò huic voto adfuit diuinum auxilium. quo inuocatione tanti Confessoris mirabiliter liberatus, euasit ab ipsis faucibus crudelissimæ mortis illæsus. Qui postmodum hanc deuotionem obligationis libentissimè executus, quam laudabiliter pompas istius abnegauerit seculi, adhærendo hoc in loco Religioni Monasticali, quàm assiduus in orationibus publicis atque furtiuis, parcus in cibis, continuus in vigiliis, cotidie etiam intentus in renouandis confessionum pœnitentiis extiterit, non similem nobis tempora admirantur nostra, nec ad exemplum vix similem, aut rarissimè largiuntur. ---

Ex Libro Vitæ & Miraculorum sancti Deicoli, qui MS. habetur in veteri Codice Monasterij beatæ Mariæ de Valle.

POSTQVAM venerabilis Pater DEICOLVS Orbe decessit, & vitæ æternæ pascua feliciter intrauit, beatus COLVMBINVS (Abbas & successor eius in Lutrensi Monasterio) in omnibus operam dedit, qualiter vnà cum Fratribus suis paterna vestigia inerrato sequi potuisset. Dedit autem Dominus per merita serui sui Deicoli eidem loco talem profectum, vt multi nobilium atque potentum, relicto vertiginis spiritu secularis, cum omnibus quæ habere poterant, monachicam disciplinam eligerent, & Monasterium satis ditarent, ipsi quoque sacræ subiacerent Regulæ. Cúmque ibidem specialis Scola vigeret per multa annorum curricula, subitò orta est tempestas lacrimabilis, cuius immanitatem penè sensit totus Orbis. Gens quippe Hungrorum ferocissima, cuius rabiem per seculum clamant vrbium mœnia diruta, Ecclesiæ ædificia consumpta vltione diuina, ad afficiendam Ecclesiam, quæ falsis Christianis exuberauit. Ideóque Dominum in multis exacerbauit, numerosis pugnatorum copiis erupit, & veluti acerrima belua, quæcumque inuasit dentibus suis comminuit, cetera verò pedibus conculcauit. Cúmque Burgundionum Regnum exercitus inuaderet copiosus, omnésque indigenæ à minimo vsque ad maximum, per iuga montium, per anfractus vallium, per prærupta scopulorum, viuendi cupidine latitassent; contigit vt viri diabolici Monasterium intrarent beati Deicoli. Quod cùm diligenter fuissent perscrutati, & neminem reperirent, omnia secundum solitam dementiam igni tradere decernentes, absque duobus Apostolorum Oratoriis, diuina clementia eorum prophana annihilauit molimina. Ad sepulcrum verò sancti DEICOLI dum furibundi accedere conarentur, ita sunt diuino timore perculsi, vt æstimarent se sub celeritate periclitari. Tandem egredientes concremare tanti Patris Oratorium studentes, superna eis repugnante potentiâ, nec vnam quidem tegulam perurere valuerunt. Tunc insaniæ naturali furorem adicientes, Oratorium stramine ad summum vsque repleuerunt, & focum perualidum supposuerunt, vt voluntatem suam malignam satiarent. Mira virtus! Quantò magis conati sunt, tantò stramina se magis spreuerunt, & summum tectum illæsum seruauerunt. Quod videntes homines iniqui, pauefacti foras fugerunt. Ecce quomodo Domini clementia contra insensatos pugnauit, & famuli sui tumbam intemeratam seruauit. Tunc liquidò patuit qualis vir esset, qui locum illum in hereditatem à Domino promeruisset. Cúmque viri barbarici omni ferâ crudeliores totam penè Galliam atque Germaniam partim ferro, partim incendio consumpsissent, nullúsque Christianus existeret qui illis occurreret, contóque minaretur, infelices impunitate sui lætati, in sua sunt reuersi, multis opibus onerati. Lamentabile dictu! Videres in sacris locis, vbi antehac Monachorum floruit religio, Clericorum militauit deuotio, vrticas, sentes, atque omnigena arbusta, ac si in solitudine succrescere. Et quia pauci habitatores remanserant, in solitudinem agri vbique redacti sunt. Cúmque & locus beati Deicoli tanti persensisset infortunium dispendij, vt iam nec Monachus ibi nec Clericus haberetur; Comes quidam bellipotens de ALSATIÆ partibus nomine HEBERARDVS, qui Regnum Burgundionum fro-

A quentare erat solitus, locum illum inuasit, & in hereditatem sibi nefariò vendicauit. Et quia non inuentus est qui illi obstitisset, omni tempore, quo post adúixit, manu tyrannica contra fas retinuit. --- ⁝

EODEM verò Comite in tanta mentis obstinatione vitâ decedente, filius eius HVGO nomine, qui & ipse iam Comes effectus fuit, omnia quæ patris sui esse videbantur, siue iure, siue iniuriâ, potestatiuè inuasit, tenacitérque sibi aduendicauit. Inter quæ omnia & locum sancti Patris Deicoli. Qui cùm masculæ prolis fortitudine in omnibus propemodum Regnis famosus haberetur, & in multis negociis acsi miles castrensis inuictus existeret: aliquandiu impunè potitus est prædio sancti Deicoli. Cúmque sacer locus diatim secularibus esset occupatus sordibus, quadam vice dum tres filij eius fessi ac vespertini in eundem deuenissent locum, peractis omnibus quæ ad manum necessaria erant, sani atque incolumes incautè se prope beati Patris sepulcrum collocauerunt. Et quia gloriam Deo, nec sancto suo Deicolo honorem dederunt, impunè eis, Deo gratias, non cessit. --- ⁝ Eadem enim nocte tres filij eius, quorum primogenitus HEBERARDVS erat, secundus HVGO, tertius GVNTRANNVS, cùm post dulcedinem somni euigilassent, ad exercitium venandi semetipsos inuenerunt dissimiles sibi. Videres certè viros Consulares adeò contractos & imbecilles, vt putares eos genuino more omnium membrorum impotentes, & totius valitudinis enerues. Et vt ferè totum dicam ad laudem Christi, & Sancti sui, nisi linguæ solæ,
B quæ pœnitentiam & reatus confessionem palpitabant, membra cetera omnimodis erant inutilia. Cúmque egregij milites diu captiui tenerentur in vinculis piaculi, pater iam maturæ ætatis, ad suæ damnationis spectaculum non segnis venit accersitus, lacrimis plenus. Variis vicatim obicientibus pro talibus incommodis se esse reos, se in multis peccasse testantes, tandem pater senex filiorum dolore intolerabili compulsus his verbis in veritatem prorupit: Audite me, inquit, filij, « intendite verba patris vestri. Scitote pro certo, quia non casu aliquo istud vobis « euenit infortunium, sed iusto iudicio Dei, atque vltione Dominica. Nam pater « meus multotiens mihi narrare solitus fuit, qualiter locum possideret, & quia lo- « cus iste sanctus sancti Domini fuisset Deicoli. Sed, vt video, iniquitas illa mo- « do venit super capita vestra, quia omnipotens Deus inultam abire non sinit iniu- « riam electorum suorum, sed reddet filiis iniquitatem patrum in quartam & quin- « tam generationem. Credo tamen, quia misericordiâ more paterno castigat nos, « ne morti in perpetuum tradat, quia neminem vult perire, sed omnes saluos facere. « Quapropter pura confessione, & dignis pœnitentiæ lamentis, confugiamus ad « Dominum, & Sanctum suum, in quem peccauimus: & fortassis nòn modò restituemini vos pristinis formis, verùm etiam, quod maius est, animarum nostrarum « remedium perfectum promerebimur. Ad hæc filij vnanimes dixerunt: Opti- « mum consilium inuenisti pater. Parati sumus corde perfecto nosmetipsos in ser- « uos tradere sancto Deicolo. Quibus dictis satellites perciti accurrunt, tristem «
C eiulatum agentes, funebríque more bacchantes. Flebile dictu! Cerneres Præfectorios Barones paulò antè aquilis velociores, leonibus ferociores, alienis vti solatiis, & quasi ferro vinctos, ante beati Patris sepulcrum deportari. Cúmque ibidem diutissimè diuinæ supplicarent clementiæ, se errasse, se meritò in hanc miseriam deuenisse, lacrimabiliter acclamantes, interuentu sancti Patris cœlitus sunt respecti, ac pristinæ integritati redditi. Quid ampliùs agerent? Pater cum filiis surgens, communi voto, communíque consensu tradiderunt se Deo, sanctóque suo Deicolo, non ad seruicium militare, sed ad obsequium Monachile. Quo facto, sacramento iusiurandi super tanti Patris sepulcrum se vnanimiter tricauerunt, quatinus eorum nullus se subtraheret, quin in proximo seculo funditus abrenunciaret, & beatissimi Patris nostri Regulæ tonsura, habitu, professione, obedientialiter se subderet, & eiusdem loci stabilitatem fine tenus custodiret. Qua pactione peracta, iterum iterúmque iuramento terribili firmitudinem super sanctum Patrem fecerunt, ne ab illa die & vsquequo cœlum voluitur, locum ipsum, & omnia quæ subiacent illi, vel ipsi pro hereditate cuperent possidere: vel quispiam vsquam de parentelæ eorum successione habiturus esset, vel quantum est pedis spacium, iure hereditario possidendum. Et facta stipulatione coram multis, regressi sunt in sua cum lætitia non modica. --- ⁝

LOTHARIVS. SILERE integrum paginam non censeo, quòd penè omnes Europæ incolas necessariò præsentiscere contigit. Postquam HVGO Comes, & filij eius, quos suprà titulauimus, vellent nollent, sicut vouerunt, Deo & sancto Deicolo locum sanctum liberum reddiderunt, curiosè quærere cœperunt per multas Heremi Cellulas, si vsquam inuenire possent amicum Christi aliquem, & veræ conuersationis institutorem, qui & locum paterno more, & monastico Ordine fulciret, & ipsi sub eius imperio vexillum sacræ ferrent obedientiæ. Extitit autem tunc temporis quidam omnipotentis Dei amicus familiaris, nomine BALTRANNVS, vitæ per omnia laudabilis, qui iam tunc per decem quinquennia vitam heremiticam irreprehensibiliter ab omnibus duxisse fatebatur: tantásque iam virtutes per illum Dominus operatus est, vt nec Adriaticus sinus nomen eius recludere posset, sed etiam apud Danos præconium eius celebre haberetur. nempe pro cœlibatus eius magnitudine. Taceo de Regibus terræ & Optimatibus. Ipse famosissimus Princeps OTTO, qui tunc agebat in sceptro, frequentare illum solitus erat, & maximis donariis locum eius abundanter extulit: adeò vt ipse venerabilis Pater, ob frequentiam hospitum secretum sibi tuguriolum, in quo secum versari posset, construeret. Quod cùm denundinatum percrebuisset apud HVGONEM ac filios eius, lacrimabili precatu virum Domini non segnes petierunt, ne illos desereret quasi orphanos & orbatos. Quibus beatus vir respondit: Nullomodo se ibi ampliùs durare, sed inuidiæ locum dare velle, atque ita sibi à Domino destinatum fuisse. Illi autem luminibus perudis, ampliùs virum Dei perurgere cœperunt, dicentes: » O amice Dei specialis, & columna sanctæ Ecclesiæ inconcussibilis, audi seruos tuos, & ne derelinquas nos desolatos. » Sciat Paternitas tua, nos Monachili vita moribúsque voto diu existere, sed ducem ac Patrem non posse hactenus inuenire. Qua de re, Pater sancte, complaceat tibi nobiscum pergere huc propè, ad locum quendam sanctum, & Monasticæ conuersationi conuenientissimum, qui LVTHRA vocatur. Quibus vir Domini respondit: Quid locus ipse vobis contigit? Aiunt illi. Nihil quippe ad nos pertinet, sed vir quidam beatissimus nomine Deicolus, qui & sancti Columbani fuit discipulus, à Domino promeruit in hereditatem. Ipse quippe locum construxit, & Monasticæ disciplinæ subegit, & sua sancta præsentiâ cotidie ibi miraculis coruscat. Accidit autem occasione quadam, vt parentes nostri locum ipsum non ante plures annos inuaderent, & quasi proprium possiderent. Nunc autem adeò sumus ibi diuinitus perterriti, vt in præsentia tanti Patris sacramentis horrificis nuperrimè nos obligatos habeamus, in proximo Monachicam professionem arripere, & perpetuò ibi stabilitatem custodire. Ad hæc vir pius respondit: Scriptum est, *Omnia quæ facis fac cum consilio, & post factum non pœnitebis.* Si diuinæ prouidentiæ placet, vt moueam de loco isto, & vestro cedam hortamento, talem facite credentiam mihi in conspectu Fratrum nostrorum, ceterorúmque fidelium, vt omnia diuini officij ornamenta, quæ penes me habeo, salua atque intacta illuc deferatis, & ibi mihi inconuulsa reconsignetis. Ea duntaxat conditione, vt priùs illuc dirigam aliquem de Fratribus nostris fidelem vestrum, qui diligenter locum probet in siluis, in agris, in pratis, in piscationibus, & in omnibus quæ Monachorum vtilitas exigit: quia solus non veniam, sed Fratres meos & seruitores mecum deducam. Ad hæc illi: Fiat, inquiunt, iuxta voluntatem tuam, Pater. Et sacramento facto in conuentu multorum, sicut sancto viro placuit, direxit cum illis nepotem suum nomine VVERDOLFVM, quem per se instituit, & in quo tota spes sua post Deum extitit. Qui cùm omni diligentiâ veritatem comprobaret, ad virum Dei reuersus, lætum nuncium retulit. Et postquàm illic locum secretò prodidit, addidit. Cauendum est, inquiens, ne hominibus istis facilè fidem præbeamus. Locus verò ipse, vt omnes fatentur indigenæ, Romanæ subiectus est dominationi, & subscripto censu summo subiacet Pontifici. Quapropter si in præsentia Principis OTTONIS locum redibere voluerint, & pristinæ libertati reddere, ab ipsa Imperatoria manu recipiamus illum: tali videlicet certitudine, vt vsque in perpetuum nemini liceat violare, quod sceptrigera Maiestas diffinit illibatum permanere. Vir Domini ad hæc: Acceptabile, inquit, sit Deo omnipotenti consilium tuum. Nunc ergo accingere, viam obedientiæ arripe, & hæc omnia

A ex parte mea innotescere Imperatori accelera. Qui illicò patris præcepto parere studens, ascensis caballis, prospero itinere Imperatorem adiit, & de quo agebatur innotuit. Quòd si quis mihi liuenti obiciat oculo, eundem Principem tunc temporis Imperatorem non extitisse, facile perstrophatum illum reuincam sillogismum, accidens esse, honor superadditus, essentiam verò in identitate persistere. Et quia effici potuit quod effectus est, potestas illi semper affuit, actus autem ad horam successit. Sed hæc per excessum, iam cœpta prosequamur. Cúmque piissimus Princeps hæc omnia comperisset, rerum repertori grates egit, & post hæc ait: Audite omnes Consiliarij æquitatis, & amici fideles. Cogitaui multotiens illum Patrem nostrum, beatum virum BALTRANNVM, quia præcordialiter illum diligo, si mihi vellet consentire, Pontificali honore sublimare: nunc autem, vt video, magis eligit pauper Christi persistere in agone certaminis sacri, quàm huius sæculi faleramentis prosperari. Et ecce nuncius eius certissimus, per quem mihi fideliter mandat, in peregrinatione se velle mori pro Christo, & locum, quem hactenus incoluit, inuidiæ relinquere. Est autem locus in Burgundiæ partibus sacræ conuersationi satis aptus, quem huc vsque HVGO Comes & filij eius vsurpatiuè possederunt, quem Sanctus à dominatione nostri sibi rogitat liberaliter delegari, & omnia quæ Deus omnipotens illi ad seruicium suum stabiliendum concessit, Imperij nostri auctoritate eidem loco perpetualiter subclinare. Nam
B locus ipse sub Aduocatione Imperij nostri, Romanæ atque Apostolicæ subiacet Sedi. Responderunt Aulici, atque Consiliarij Imperatoris: Si placet Maiestati tuæ, accersiantur ante conspectum tuum viri illi, qui huc vsque contra fas & ius eundem locum sibi vendicauerunt, & lege publica coram reddant, & sacramento firmissimo credentiam talem faciant cunctis militantibus atque priuatis fidelibus tuis, quatinus ex hoc nunc & vsque in seculum, nec ipsi, nec aliquis successionis illorum iniquitatem illam præsumat renouare, aut locum ipsum vi aut potestate audeat inquietare, sed firmiter atque inconuulsè sicut ab initio constructionis loci fuit, Fratribus Deo ibidem & S. Deicolo seruientibus liberum maneat arbitrium eligendi Abbatem secundùm Deum, qui loco potentialiter præsit, absque contradictione aliqua. Quin insuper Imperialis Celsitudo intimare curet Apostolico Episcopo, quatinus cœlestium auctoritate clauium priuilegij Præcepta componat, faciátque sigillo Apostolici nominis firma. Quid tantum morari in singulis necesse est? Omnia secundum quod Diuinitati placuit, Imperator deuotus fidelium consultum impleuit. Sacri inuasores loci iniquos vocauit, iure vniuersali locum recepit, atque mille sub testibus beato viro, secundum quod superiùs dictum est, potestatiuè contradidit. Ipsum quoque RODVLFO Duci atque præfatis Comitibus ad custodiendum sub fidelitatis suæ conditione commisit, atque res sancto Viro cœlitus collatas. Tali igitur tenore vir Domini in locum destructum beati Deicoli inthronizatus est, cum Monachis suis ac seruitoribus, &
C omnibus quæ diuina largitas illi cōcessit. Et valde necesse fuit, vt secum subsidium sumptuum deferret, quia omnibus humanæ vitæ rebus locum destitutum lamentabiliter inuenit. Tunc omnimodis nisum dedit, qualiter locum renouare specialiter posset. Monasterium sanctissimæ Dei genitricis sempérque Virginis Mariæ, quod ante permodicum fuit, honorificè ampliauit, exaltauit, & ad perfectum vsque perduxit. Officinas pro posse in breui construxit, vt monastica disciplina, quæ semper apud illum viguit, à Monachis custodiri inuiolatè posset. Intrauit autem Pater venerandus locum eundem in vigiliis Apostolorum Simonis & Iudæ, atque eodem anno in Assumptionis die perpetuæ Virginis Mariæ, sicut illi ante plures annos diuinitus præsignatum fuit, plenus Spiritu sancto obiit, ac sepultus est in dextris altaris Monasterij, quod ipse in melius renouauit. Ibi quippe frequentiùs, cùm fides credentium exigit, miraculis choruscat. Ipso verò regna cœlestia petente, in regimine Monasterij nepos eius VVERDOLFVS illi successit, qui adhuc superest, & cœlibem vitam ipse ducit, & omnibus rectè conuersari volentibus vt lampas emicat.

SED quia adhuc supersunt nonnulli qui mirantur, & scire gestiunt qualiter locus sancti Patris deuenerit in iniquam manum HEBERARDI Comitis, & filij eius, non piget qualitercumque veraci stylo prodere. Sed dum nitor hoc, videor temporibus præposterum ordinem imponere, quem Græci anastrophe vocant, rationi autem & paginæ quæ subiacet, præsumptionem vel præoccupationem, quam

LOTHARIVS. Græci prolepsin nominant. Póstquàm verò beatus Columbinus peracto laboris sui A cursu cœlestia regna petiuit, in locum eius venerabilis Icha Abbas successit. Qui cùm annis multis strenuè eundem locum gubernaret, & magna vigilantia gregem sibi commissum præuideret, cerneres subitò propter nouæ Herodiadis fraudulentiam Abbatem cum Monachis expelli, & omnia diuinæ Scholæ arma, heu! perditum iri. Hæc autem extitit causa. Eo tempore, quo LOTHARIVS Rex in Alsatia prouincia morabatur, in fisco suo nobili, qui Marelegia vocatur, cuius adhuc dignitatem miri operis mœnia excelsa testantur, repentè antiqui hostis cauterio inustus est, & in tantam præcipitatæ mentis insaniam perductus, vt vxorem suam religiosam Reginam BERTHSINDAM dimitteret, & lupam quandam nomine VVALDERALDAM duceret. Quæ quia præstigiatrix erat opinatissima, ita maleficiis multigenis Regis animum fascinauit, vt omnia quæ ab illo peteret facilè impetraret. Cúmque nefas tale cresceret, & nemo esset qui facillaret, quasi licenter miserum caput tanto vtebatur incestu. Tamen verecundia agente, quia in Palatio versari cum illo nequiuit, Abbatiam sancti Deicoli illi tradidit, atque infernali dote ditauit. Tunc meretrix lætissima effecta, sacrum locum sibi vsurpauit, & in locum, qui dicitur sancti Quintini, consedit, ibíque omnia, quæ sancti Patris erant, funesto more depopulauit, Abbatem iniuriauit, Monachos omnes pepulit. ideò proculdubiò in amaritudine erit anima eius in æternum. Venerabilis autem Regina postquam diuorcium sensit, scortúmque Regis desensit, noluit eum ad palam traducere, sed salubri correptione corrigere. Initóque consi- B lio cum familiaribus, reclamationis gratiâ Romam quantociùs adiit. Quæ cùm immodica veneratione ab omni cœtu Romano suscepta fuisset, secretò Apostolicum Pontificem conuenit, sui Seniorísque dissidium plena lacrimis aperuit. Quod cùm Pastor Ecclesiæ comperisset, Apostolicis Litteris Regem accersiuit ociùs, quatinus tanto sceleri finem imponeret, & decetero emendaret. Cúmque Rex accersitus veniret, vti Regem decuit, honorificè susceptus est. Peracta oratione, in Consistorio Lateranensi Papa cum Rege colloquium habuit, atque digna causatione castigauit. Tunc Rex corde compunctus, terræ prostratus veniam petiit, & se culpabilem reddidit. Acceptáque pœnitentiâ, Papa Reginam in præsentia Regis vocauit, & in Christo reconciliauit, & Reginæ dexteram Regis dexteræ reddidit, atque terribili anathemate illum obstrinxit, vt secundùm Apostolum sicut Christus Ecclesiam, ita & ipse diligeret amodò vxorem suam. Quo peracto, Rex ad Galliam regreditur. Regina autem, sicut femineum iter exigit, protractiùs viam carpsit, adeò vt illam Rex nunc duobus, nunc vno die præcederet. At præfata maga audiens, quia Rex Ecclesiastico tenore reconciliatus esset Reginæ, colubrino sibilo Regem absente Regina aggreditur denuò. Cúmque iam superato monte Pardorum quadam nocte Rex hospitaretur apud castrum Sancti Domnini, præfatæ lupæ missatici noto agiliores superuenêre, vestimenta eius prostibularia Regis oculis inferentes. Quibus inspectis, ita furoris & inuidiæ ignibus in C Reginam confestim exarsit, vt irreuocabili censura secum deliberaret, non ante repatriare quàm illam videret decapitari. Sed præuenit voluntatem eius diuina seueritas, atque dispositionis eius iustissima æquitas. Nam cùm in crastinum de hospitio moueret incolumis, priusquàm cibi aliquid attingeret, ita cum suis omnibus subita aura contagiatus atque plagatus est, vt de tanta multitudine nec inuentus sit vnus, cui inhæreret cutis aut pilus. Tandem reatum cognoscentes, Placentinam vrbem subintrant moribundi. Ibi quippe miserabilis Rex cum suis omnibus sine redemptionis viatico vitam finiuit; exceptis, quodam Clerico, & seruitore morbido, qui veritatem rei vix nuntiarent euasi. Quis apud semetipsum constitutus non videat, hanc euidentem vltionem per merita sancti Deicoli fuisse exertam? Cúmque deuota Regina ad memoratam vrbem perueniret, & tantam stragem mortuorum lacrimolenta videret, Christum Domini Seniorem suum tumulari fecit, ceteros verò prout facultas dedit subterrari iussit: & post hæc in pace repatriauit. Audiens autem VVALDERALDA femina nequissima, omnia quæ acciderant in via Romana, timore venerabilis Reginæ plus territa, quàm proprij sceleris reatu compuncta, quippe quæ de Christianitate quicquam præter solum vocabulum non habuit, fuga potiùs quàm voluntate lapsa, Deum quærere simulauit, Monasteriúmque sancti Romarici hypocrita intrauit. Cúmque ibi ali-

A quadiu velo potiùs quàm mente conuersaretur; post tergum respiciens, doluit locum S. Deicoli sibi penitus auferri, & quasi se exheredatam more femineo cœpit conqueri. Accitóque HEBERARDO Comite consanguinitatis occasione, scelus adhuc immane præsumpsit, eique locum sanctum sub Aduocationis tuitione commisit. Ille autem, vt erat cupidus, & sacrorum inuasor locorum, occasione tali locum inuasit beati Deicoli, & post infandæ mulieris decessum, vnca manu sibi in hereditate asciuit. Et fecisset. Nam nec ipsi impunè cessit. Nempe secundùm Prophetam, Sanguinem admiscuit sanguini, id est scelus addidit sceleri. ADALLINDAM verò legitimam vxorem suam dimisit, repudij libellum dedit, semetipsum autem lupanaribus immiscuit. Nam quandam Nonnam apud Monasterium Ethesthehin sibi applicauit, & iniquitatem illam ad mortem vsque pertraxit. Adallindis autem post hæc quid fecerit, paginæ inserendum honestas non sinit. Comes verò ipse quali morte vitam finierit, propalare exempli causâ non piget. Audenter dico quæ personis fidelibus asserentibus nosse me luce clariùs contigit. Crederes videlicet ipsum penè triennio Herodiana peste percussum, qui secundùm Actus Apostolorum percussus ab Angelo, scatens vermibus exspirauit. Vermes quippe ita sibi à vertice vsque ad talos ebulliebant, vt frequentanei eius maximum indè putorem tolerarent. Sicque miserabiliter cum Herode vitam miserabilem finiuit. Nec dubitandum, quin in tormentis æqualem sortiatur pœnam, B cuius in omni scelere imitatus est vitam. Et quia beato Deicolo præiudicialiter hereditatem suam tulit in terris, ipse se quodammodo æterna hereditate priuauit in cœlis. Sed quia iam in superiori Capitulo satis memorauimus, qualiter Comes HVGO iniquus heres sancti Deicoli sit effectus, nunc restat vt & aliqua mira sancti Patris opera propensiùs calamo pandamus. HILDEGARDIS namque Comitissa eiusdem HVGONIS coniunx, vice quadam curiositatis causâ illecta, sancti Patris Oratorium cum Presbyteris, & cetera fidelium turmula, temerè intrauit, vt aliquid de gleba tanti Patris secum maximo pro munere Alsatiam asportaret. Cúmque multo conamine sacri cooperculum sarcophagi leuare sudarent, tantus terræmotus subitò omnia ædificia concussit, sequentibus tonitruis quàm maximis, & fulminum terroribus, vt omnes amentes effecti, cæcitate densissima quaterentur: adeò vt nemo ferè duabus horis proximum suum videre valuisset. Tunc Comitissa corde compuncta, experta est in breui, quantum valeant apud Deum gloriosa merita Deicoli sui.

LOTHARIVS.

Ex Libro Miraculorum Sanctæ Gudilæ Virginis.

POST multa & magna miracula ostensa Morsellæ, dispensatione Domini collocata illic Sanctimonialium congregatione in honorem dilectæ Deo GVDILÆ Virginis, multiplicata populorum malitiâ, læta & prospera diaboli versutia perturbauit. Inde ascendente ad Dominum clamore nequitiæ Christianorum, C vt similem inuenirent pœnam, fines Lotharingiæ gens inuadit Danorum. Sanctuaria vertebantur in derisum, in prædam substantiæ incolarum. Ita pace turbata, res Cœnobij Morsellensis paulatim diripit aduersariorum insatiabilis cupiditas. Qua tempestate, metu paganorum agente, sacratissimæ Virginis Gudilæ corpus à supradicto Cœnobio in locum, qui dicitur Capræmons, deportatur. Interea Pagani impietatis suæ funiculos latiùs protendentes, atque rapinæ vastationisque fomitem magis ac magis sitientes, quæcumque poterant planè euastarunt. nec etiam à Cœnobio Morsellensi abstinuêre manus. Nam igni ab eis vsque adeò concrematum est, vt nulla nostro tempore eius vestigia supersint. Sed sicut nobis Dominica vox testatur, *Omne Regnum in se diuisum desolabitur:* LVDOVICVS Rex Austrasiorum fines Francorum iniustè inuaserat contra fratres suos. Facta indè pace inter eos, datisque sacramentis, cùm reuerteretur, Northmannis, qui erant progressi vsque ad Carbonariam, in loco qui dicitur *Thimuim*, obuiam venit, & cum illis absque mora conflixit, & Deo propitio ex eis maximam partem gladio strauit: reliqui in fugam dilapsi, in fisco regio se communiunt, deinde noctu ad classem se recipiunt. Postea Vuahalim fluuium ingressi, Nouiomagi ad regium Palatium applicuerunt, ibique castra posuerunt. Quod cùm ad notitiam LVDOVICI perlatum esset, absque dilatione cum exercitu venit, & munitionem obsi-

Apud Surium, Tom. 1.

CAROLVS III. dione cinxit. Conserto cum eis nonnullis diebus prœlio, non adeò præualuit, quòd A Palatium ingentis magnitudinis mirique operis hostibus tutissimum præberet receptaculum. Postremò Rex accepta pollicitatione, quòd, si ab obsidione cessaret, Nortmanni continuò de Regno eius discederent, cum omnibus copiis recessit. Illo recedente, Pagani Palatium vnà cum munitione exurentes flammis, nauibus ascensis, maiori numero congregato, cum inæstimabili multitudine peditum & equitum consederunt in loco, qui dicitur *Haslon*, iuxta Mosam. Et primo impetu finitima loca depopulantes, Leodium ciuitatem, Traiectum castrum, Tungrensem vrbem incendio cremant. Altera incursione Ribuariorum finibus effusi, cædibus, rapinis, ac incendiis cuncta deuastant. Coloniam Agrippinam, Bonnam, ciuitates, cum adiacentibus castellis, Tulpiacum, Vulpiacum, & Nouesium igne comburunt. Post hæc Aquisgranense Palatium, indè & Malmundariense & Stabulense Monasteria in fauillam redigunt. Arduennam percurrentes, Prumiense Cœnobium ingrediuntur ipso die Epiphaniæ Domini. Interfectis omnibus, quos ibi inuenerunt, Monasterium igne consumunt, & onerati præda ad castra redeunt.

DVM hæc aguntur, LVDOVICVS Rex apud Franconofort moritur. Nortmanni, audita morte Regis, nimio exultabant tripudio: & iam non de conflictu, sed de præda cogitabant. Igitur cum omni festinatione exeunt, & Treuirorum ciuitatem nobilissimam die sacratissimo Cœnæ Domini occupant. In qua vsque B ad sanctum diem Paschæ fessa ab itinere corpora recreantes, omne tentorium vrbis circumquaque vsque ad solum demoliti sunt. Deindè ciuitatem flammis exurentes, ad Mediomatrices dirigunt aciem. Quod cùm comperisset eiusdem vrbis Antistes, adiunctis sibi aliis Episcopis vel Comitibus, vltrò illis obuiam ad pugnam procedit. Inito certamine, Nortmanni victores extiterunt, & Episcopo interfecto, ceteri fugerunt. Pagani iter, quod ceperant, deserentes, cum ingenti præda summa celeritate ad classem reuertuntur. Iisdem verò temporibus CAROLVS huius nominis & dignitatis tertius, licèt grauibus & multimodis Regni negociis occupatus, tamen aduersantes Nortmannos, Deo auxilium ferente, Regno depulit.

POSTEA verò gens Hungarorum finibus suis egressa, Regnum Bauarorum ac Lotharingiæ occupat, cædibus, rapinis, ac incendiis omnia vastat: & vsque ad Carbonariam syluam igne & præda demolitur. Sed OTHO senior tunc temporis Imperator, multimodis Regni & suorum Procerum impeditus incommodis, dum aduersantes non cohibet hostes censura regiæ seueritatis, maiorem licentiam iniustè agendi tribuit etiam domesticis. Bellum tamen contra Hungaros susceptum, Deo misericorditer dispensante, & pro suis pugnante, satis feliciter peractum est. Rex ipse Hungarorum cum suis Principibus captus est, ceteri verò interfecti, & funditus sunt extincti.

IGITVR post tanta flagitia recedentibus Paganis, beatæ Gudilæ corpus ad C prædictum Cœnobium, ab Danis iam in nihilum redactum, rediit. Quod quanquam hostium irruptione, suique destructione vilesceret, beatæ tamen Virginis corpus ibidem seruabatur. Eáque reuerentiâ, qua loci eiusdem tulit paupertas, illud venerabantur, donec VVENEMARVS quidam subintrauit. qui vt altera pestis eundem locum iniusto possidendi desiderio vsurpans, omni crudelior belua, specie Christianus, non opere, Paganos ipsos nimia vicit crudelitate. Bona Ecclesiastica in vsus suos & suorum stipendia satis audacter præsumpsit vendicare, & ancillas Christi iniuriis & egestate afflictas compulit fugere, & vt oues sine pastore circumquaque vagantes errare. Si quam autem è numero Deo seruientium mors occupabat, locum eius auaritia VVenemari supplere nolebat. Sed non mirum erat, quippe qui & viuentibus sua negabat. Hoc tandem iusto Dei iudicio tam animæ quàm corporis morte damnato, dolet Ecclesia ipsum reliquisse filios. Quorum vnus HERMENFRIDVS res Ecclesiæ supradictæ inuasas iniustè non timuit mortuo patre suscipere, & quidem per aliquot annos, sine alicuius contradictione vel defensione.

A

Ex Vita S. Meinvverci Episcopi Patherbornensis.

ELECTIONEM quoque Episcoporum inter eiusdem & ab eiusdem Ecclesiæ filiis faciendam, quam eis diuersi Reges diuersis temporibus liberaliter & legaliter concesserunt, KAROLVS videlicet CALVVS*, interuentu videlicet Bisonis Patherbronnensis Episcopi, VI. Idus Decembris anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXV. Indictione IV. anno, ex quo, patre suo LVTHVVICO eiusdem nominis II. mortuo, cum fratribus suis KARLMANNO & HLODOVVICO de Regno altercari cœperat IX. ex quo, Karlmanno mortuo, à Ioanne Papa in Imperatorem vnctus fuerat, V. ex quo, fratre suo HLODEVVICO XIII. Calendas Februarij mortuo, totius Regni Monarchiam nullo resistente suscepit, IV. Otto eiusdem nominis II. XV. Calendas Februarij rogatu Folcmari eiusdem ciuitatis Episcopi anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXIV. electionis suæ XIV. Imperij I. Regni VII. idem Papa suo priuilegio confirmauit.

* *Hic est* CAROLVS *cognomento* CRASSVS, *qui &* CALVVS *dictus est.*

DE GESTIS CARLOMANNI, CAROLI SIMPLICIS, ET SVCCESSORVM.

B

Ex Vita S. Theodardi Confessoris Christi, atque Pontificis Narbonensis, quæ integra extat Lib. V. Hist. Occitanæ Guillelmi Catel Senatoris Tolosani.

SIQVIDEM eo tempore Iudæi prædictæ ciuitatis (scil. Tolosæ) adierunt KARLOMANNVM Francorum Regem, filium LVDOVICI Imperatoris, & questi sunt iniuriam sibi fieri ab Episcopo iamdictæ ciuitatis, & ab omni Clero illius & populo, in colaphizando pariter & cædendo ter in anno vnum ex Aduocatis eorum, nec posse eos ferre diutiùs tam graue iugum impositum suæ ceruici. Post hæc verò genu flexo, & lacrimabili voce petierunt ab eo, vt sua auctoritate illud fieri prohiberet, & à tam graui pondere iniustóque supplicio eos regali institutione subleuaret, ibidémque succedentem per singulas generationes filiorum progeniem, qui in iamdicta vrbe perpetua inhabitatione mansuri erant. Quod si faceret, infinita illi, & valde numerosa auri & argenti pondera traderent. Ad hæc verò venerabilis Rex, & Christianæ fidei plenus respondisse fertur: « Iustæ deliberationis proposito, & Imperialis auctoritatis præcepto tali, támque graui, & penitus « C importabili onere semper estis depressi, ac iudicio diuino condemnati. Et inquantum ad præsens pertinet negocium, prædecessorum meorum traditiones funditus « eruam atque conuellam, quæ ab illis statutæ sunt, & impressionis eorum signaculo « roboratæ? absit hoc, & nunquam vlla stabilitate firmetur. Sed ne videar clementiam miserationémque præponere, & aliquatenus declinare iudicio, per quod Se- « des Regum, ac Principum iura stabiliuntur, & longa per tempora tradita eorum « filiis ac nepotibus conseruantur; mittam huius vestræ querimoniæ causâ Legatio- « nem ad nostræ Maiestatis ac perpetuæ gloriæ fidelissimum atque industrium cul- « torem, Aquitaniæque Prouinciæ Ducem RICARDVM, qui suo vos patrocinio « contra vestræ vrbis Episcopum, contráque omnes aduersarios vestros tamdiu mu- « niat, & ab illorum violentiâ ac depressione tueatur, donec certa examinatione ap- « probet, vtrum Regali Edicto statutum sit hoc & firmatum, vnde magnopere meum « exposcitis lacrimabili voce auxilium; an improbo ausu Episcoporum, Clericorúm- « que, siue prædictæ vrbis ciuium actum sit, vt vestræ ceruici tam graue támque im- « portabile iugum inconsulto Rege imponeretur. At verò ne super hoc vestræ gra- « uis querelæ clamore aliquid iniustè agatur, præcipiam memorato RICARDO « Duci, vt coadunato Episcoporum Septimaniæ Aquitaniæque Conuentu in præ- « dicta ciuitate Tolosa, præsidente eidem venerabili Concilio reuerendissimo Ar- « chiepiscopo Narbonensis Ecclesiæ SIGEBODO, in cuius Diœcesi sæpedicta To- « losa sita esse dignoscitur, eorum iusto terminetur iudicio, quid super querelis Iu- «

CARLOMANNVS.

dæorum agendum sit. Nolo enim quicquam temerè iudicare vel diffinire de Ecclesiasticis causis. Vos autem abite quantociùs, & vestram repedate in vrbem. » Ego enim mittam legatum meum præfatum, vt dicta implere studeat, & nihil ex » eis agere prætermittat. Quod factum est, & diligenter provt Rex mandauerat, at» que opportuno tempore adimpletum. A

CVMQVE Concilium illud strenuè ageretur Tolosæ in atrio Pontificalis Ecclesiæ, essetque inibi grandis frequentia fidelium, & Iudæorum, & ex vtraque parte ipsa, propter quam illuc conuenerant, causa sagaci discussione ventilaretur: dicentibus Iudæis iniustè sibi fuisse olim ab Episcopis eiusdem ciuitatis cædendi eos & colaphizandi impositam sarcinam: & è diuerso contradicentibus Christianis non, sed iusto eos iudicio tali pœnâ esse damnatos: Cùm neutra pars eorum aduersariis cederet, surrexit, annuente præfatæ vrbis Episcopo BERNARDO, iam» dictus egregiæ indolis THEODARDVS, & manu silentium indicens, ait: Si iu» beat celsitudo Pontificalis gloriæ, & maximè domini Sigebodi Archipræsulis, » magníque præterea huius patriæ ac Prouinciæ Ducis RICARDI, qui vicibus » fungens Regalibus huic magno præest Concilio, auctor pariter & dispositor eo» rum, quæ à Rege fieri iussa sunt, & ab Episcopis diligenti curiositate inuestiganda » super Iudæorum querelis, supérque ciuitatis huius Episcopo illato dãno, veridica, » & omnis ambiguitatis vinculo resoluta sermocinatione eos iniustè causari, atque » satis indebita iniuriâ contra Episcopum commoueri, in conspectu vestro conuin» cam, & à querimoniæ pertinacia rationabili allegatione Deo auxiliante desiste» re, penitúsque cessare faciam. Quod cùm omnibus qui aderant valdè placuisset fidelibus, & dicerent singuli: Ita fiat. Iubente Archiepiscopo ac Duce, protulit coram vniuersis idem beatus iuuenis Theodardus duo regalia, vt fertur, Præcepta, CAROLI MAGNI videlicet, eiúsque gloriosissimi filij LVDOVICI, & certa signaculorum eorum impressione diligenter notata, in quibus scriptum erat: Quod propterea ab iisdem Imperatoribus tali pœna, talíque vltione damnati fuerunt, quia præ ceteris qui in toto Orbe erant, ij qui eo tempore Tolosæ degebant Iudæi, Abderam Sarracenorum Regem non coacti, sed sponte adierunt, & multis suasionibus ad hoc illum animauerunt, vt hostiliter cum vniuerso suo exercitu veniens omnem Christianorum multitudinem vsque ad internecionem deleret, eorúmque Regna, & regiones ita suo in perpetuum subiugaret dominio, sicut iam subiugauerat omnem Hispaniam, Iberiámque, atque Hesperiam, & omnes confines earumdem regionum. Continebatur autem in eisdem regalibus Edictis, quòd huius rei causa venerit prædictus Sarracenorum Rex, & ceperit omnem terram, omnésque regiones à Pyrenæis montibus vsque Lugdunum, omnémque Christianorum populum gladio trucidauerit, præter paucos qui vix potuerunt gladium eius percussionémque euadere, fugiendo in exteras Nationes. Principes autem & nobiles natu, omnésque bellatores qui contra illum arma tulerunt, atroci & penitus inhonesta morte damnauit, quoscumque eorum viuos capere potuit. Ea quippe tempestate Vasconiæ, Aquitaniæque Dux, & specialiter Tolosanæ vrbis Præses & Dominus VVEFERIVS, iure prœlij victus est ab eo, & occisus cum omni exercitu suo, & non multo pòst iam dicta ciuitas Tolosa obsessa & capta, & filij prædicti Principis interfecti sunt cum ceteris, qui in eadem vrbe reperti sunt, præter Iudæos tantummodo, qui pactum pridem fecerant cum præfato Sarracenorum Rege viuendi causa, ac liberè commanendi in iam sæpe dicta ciuitate Tolosa. Quod quoque fecerant vsque ad Regnum Magni Regis Francorum CAROLI, qui pridem Abderam tribus magnis prœliis victum fugere compulit cum paucis, qui è prœlio saucij remanserant, in Hispaniam, vnde superbè egressus fuerat. Post hæc ergo cùm ciuitates, oppida, castella præfatus Carolus cepisset, quæ prius à Sarracenis inuasa fuerant, captáque, & in ius proprium retenta, interfectis eorum habitatoribus Sarracenis, tradidit ea Christianæ aut Catholicæ fidei cultoribus. Qui deinde Tolosam adiens, comperto quòd habitatores eius Iudæi fecerant in pepigendo fœdus cum Sarracenis, & eamdem ciuitatem dum obsideretur tradendo, vniuersos eos morte dignos esse adiudicauit. Sed cùm omnes ipsi cum filiis suis & vxoribus scissis tunicis, & cinere capitibus aspersis, obuiam ei processissent, miserationem ac vitam ab eo postulantes, & clamosis voci» bus dicentes; Non nobis reddas secundum malitiam nostram qui morte digni

B

C

A sumus, sed secundum benignitatem & misericordiam tuam quibus adhuc viuere credimus. Flexus ad misericordiam Rex, solummodò eos qui auctores memoratæ pactionis extiterant morte damnauit. Eos autem qui assensum præbuerant, sed non interfuerant prædictæ pactioni, sub talis conditione supplicij viuere, atque in eadem ciuitate habitare permisit, quatenus per vnumquemque annum vnus quilibet tam ex ipsis quàm ex successoribus eorum Iudæus in die Natalis Domini & Passionis eius, & in die Assumptionis, colaphizaretur ante fores illius Ecclesiæ, vbi eiusdem ciuitatis Episcopus iuberet, dumtaxat vno ictu virtuosi hominis: oblato priùs pro censu pondere trium librarum ceræ. Erat autem & hoc in eodem tomo subscriptum: Vt hæc tam sancta támque iusta memorialis conditio, imò Regalis constitutio, signata impressione regij sigilli, & multorum præterea Episcoporum subscriptione anathematis vinculo tali institutione firmata, vt nemo Regum, vel Principum, aut cuiuscumque conditionis, sexus, vel ætatis, illud audeat vel præsumat dissoluere, aut in aliquo quouis violare. Quod quicumque ageret, nouerit se æterna vltione damnandum, & nullam habere partem in regno Christi & Dei. Cúmque à beato & sancto viro Theodardo hæc regalia Præcepta perlecta fuissent in conspectu totius Concilij, & cuncti qui aderant Iudæi stupefacti fuissent, non habentes quid ad hoc responderent: surrexit Dux memoratus, qui erat Aduocatus supradicti KARLOMANNI, & dixit Archiepiscopo, & reliquis

B qui cum eo erant Episcopis: Ecce, domini Sacerdotes & Pontifices, statuta sanctorum Imperatorum, & quare id factum sit, vnde Iudęi coram Rege questi sunt, & hactenus queruntur. Ex ipsa quæ modò recitata est lectione benè nostis, quid vobis indè videatur rectissimo differere iudicio. Ad hoc responderunt omnes pariter, & dixerunt: Absit hoc à nobis, vt contra hanc Imperialem, rectámque ac iustissimam sanctionem aliquid opponamus contrarium. Quis enim ita iniquus, & omnipotentis Dei perpetuus inimicus, qui aliquid ex eis audeat temerare & conuellere? Quibus auditis, Iudæi dixerunt, non sibi rectum factum esse iudicium, nec omninò stare debere in perpetuum: quia si patrès eorum tantum incurrère delictum, filios quoque eorum immunes fieri ab eorum iniquitate constare: iuxta quod scriptum est, *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: sed iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum.* Alioqui friuolum, & instabile omninò hoc decretum iusta examinatione probatur. Præsertim cùm Dominus in Lege non tali iudicio vel supplicio prædixit genus nostrum subiici: cùm cætera quæ ventura erant nobis mala sigillatim exposuerit per Moysem famulum suum. Quibus auditis, egregius vir Theodardus respondisse fertur. Quia semel cœpi, loquar adhuc, & sequenti sermone redarguam Iudæos magnam facere iniuriam Pontifici huius ciuitatis, nec debere eos audiri super huius rei querimonia. Ad hoc enim vocant, vt importuna garrulitate debitum Deo honorem supplantare ac penitus conculcare possint. Vnde non dubium quin eâ pœ-

C nâ damnandi sint, quâ eorum Lex damnari eos rectissimè præcipit, quia Legis suæ testimonia in conspectu totius Concilij proferunt. Cúmque vnus ex Aduocatis Iudæorum nescio quis diceret ei: Vtinam hoc fieret, & secundùm nostræ Legis instituta iudicaremur, & nihil mali præter quàm Lex iubet nobis irrogaretur! Respondit beatus Theodardus, & ait: Vultis vt iuxta Legis vestræ præcepta iudicemini? Volumus, inquiunt, & nimis volumus, & vt fiat supplici obsecratione deprecamur. Neque enim iustum est, iustóque libramine ponderatum, vt innoxij filij noxâ feriantur, vel lædantur paterna, provt paulò superiùs protulimus. *Filius non portabit iniquitatem patris*, Tale quid & in Lege de eadem re scribitur, *Non occidetur pater pro filio, aut filius pro patre, sed vnusquisque suo punietur reatu.* Alias ergo nulla rectitudine aut stabilitate vestrum contrà nos iudicium dignum esse poterit; quia iudicium Dei omnipotentis arbitrio humano, vestræque deliberationis censura omninò contemnitis, & quasi nihil & vacuum existimatis, quod ille ore proprio fieri mandauit. Quod cùm ita sit, nouerit magnus Dux, & vniuersi qui cum eo sunt Principes atque satellites, tantùm adire nos Regem, & deflere coram eo iniuriam, quam irrogatis nobis contra præceptum illius, quoniam iniusto nos iudicatis & condemnatis iudicio. Iudæi enim sumus, & non Christiani: & nobis ac parentibus nostris per se ipsum omnipotens Deus legem promulgauit fidelem, secundum quam volumus iudicari, eo quòd bona sit & sancta, & sem-

LOTHARIUS. per fideliter ab vniuersa gente nostra custodienda. Nam quòd bona sit & sancta A Lex nostra, quidam ex fidei vestræ cultoribus dixit. *Lex quidem bona, & sancta, & mandatum iustum & bonum*. Et Psalmista: *Lex* (inquit) *Domini irreprehensibilis*. Quod enim reprehendi non valet, non dubium quin bonum sit. De vobis autem vester sanctus & fidelis Propheta ait: *In Gentibus non est lex*. Ergo si lex in vobis non est, sicut nec in vllis Gentibus quæ sub cœlo sunt, præter Iudæos, qui semper diuinam Legem obseruant, quomodo secundùm velle & non iuxta diuinæ legis auctoritatem iniustè nos iudicatis? cùm ipsa lex adeo bona sit, vt Christus vester de eadem dixerit: *Non veni legem soluere, sed adimplere*. Cùm ergo, vt fertur, longo verborum protractu Iudæus, vt erat fandi peritus, hæc & huiusmodi multa perorasset, ait beatus Theodardus diuinis pariter ac liberalibus literarum studiis apprimè instructus: Importunitas Iudaicæ perfidiæ, Deo pariter & hominibus semper rebellis, in tantam prorupit insolentiam, vt dicat Christianos nullam habere nos legem: cùm lex vestra à vobis iure ablata sit propter malitiam studiorum vestrorum, & nobis Christianis pleniùs ac perfectiùs quàm vobis aut parentibus vestris tradita. Iuxta quod olim Dominus in Euangelio loquitur dicens: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur Genti facienti verbum eius*. Idipsum & legis dator Moyses, & reliqui post eum Prophetæ hagiographorum scriptores, multis ac diuersis scripturarum documentis, multò priusquàm fieret diuino spiritu protulerunt. Vnde si placet Archipræsuli, ceterisque Coepiscopis eius, & insuper Duci, Principibus, B & satellitibus illius, & vniuersæ huic Synodali frequentiæ, omnis hæc Iudaica plebs mereatur quod iniustè deposcit. Et dicit sibi iniuriam fieri, si non secundum suam iudicetur legem. Ego enim, si Deo placet, & vobis allegator pariter atque sequester vester ero in iis, & omnem molestiam, omnémque iniuriam disceptandi vestræ iussionis licentiâ solus libentissimè feram. Quòd cùm placuisset omnibus Christianæ partis fautoribus, essétque statutum decreto maiorum, & præcipuè Ducis, vt fieret, talibus est Iudæos adorsus beatus Theodardus: Dicite, quæso, Iudæi semper Christianæ fidei ad vestrum nosse posséque hostes, ac perpetui aduersarij, vtrum secundum illud iudicium velitis iudicari, quo lex vestra vnumquemque siue iustum, siue iniustum, cùm adhuc patres vestri inhabitarent terram repromissionis sibi à Deo traditam, iudicandos esse præcipiebat: an aliter postquàm positi sunt in terra hostili, in qua & vos adhuc moramini, viperina eorum soboles atque progenies? Qui dixerunt: Malumus quidem eo iudicari iudicio, quo patres nostri in sua adhuc positi regione iudicabantur, quàm inimicorum iudicio hactenus serui, & nulla libertate erecti, vel ad agendum quæ volumus dimissi. Et beatus Theodardus: Sic, inquit, fiat vt magnopere poscitis. Eligite ex vobis viros sapientes, & gnaros, qui iustè vos iudicent, quoniam nemo alienigenarum debet iudicare secundum legis vestræ præceptum. Et Iudæi ad hæc: Bonum est quod asseris, & recto decernis hodie ac proponis iudicio. Ad quod & beatus Theodardus. Si bonum est (inquit) quod dicitis, C cur non illud implere studetis? Festinate igitur ad id agendum, quoniam valde vexatur omne hoc magnum Concilium huius rei causa, & diutina laboriositate fatigatum abscedit, non valens tantæ dilationis moras æquanimiter tolerare: præsertim cùm iam iámque dies tendat in vesperum, & lucis auctor procliuus, præcépsque vergat admodum in occasum? Ad hæc Iudæi respondisse dicuntur: Scimus quidem quoniam inclinata iam die valde aduesperascit, & ideò si cœperimus iudicare, & certo diffinire iudicio super hoc quod causamus nostræ depressionis negotio, illud quod impenditis nobis iudicandum non poterimus hodie ad perfectum vsque finem perducere: quoniam (vt prædictum est) festinat occumbere Sol, & lucis suæ radios à nostri conspectus intuitu celerrima velocitate subducere, & non est opportunum vt sub huius tam breuis dieculæ paruitate discutiatur. Neque enim tantum támque nefarium valebimus in disceptando contra vos hostes, facilè exoluere hoc iudiciale discrimen. Quare si placet Duci, ceterisque Principibus, differatur hæc agendi prolixitas in crastinum, detúrque nobis locus intra nostræ ambitum Synagogæ ad iudicandum: quoniam intrà tecta vestræ Ecclesiæ nec tractare, neque disputare, neque etiam vllum habitationis ius habere debemus. Quamuis enim exules simus, & peregrini, & à nostræ terræ situ finibúsque procul positi, tamen regali impertione olim parentibus nostris iure

A iure hereditario traditus est locus intra huius ciuitatis mœnia, in quo hactenus constructa est nostræ orationis Synagoga, vbi & nos debita laudum atque orationum vota quotidie Deo persoluimus, & immensas illi gratias provt oportet semper cernuo reddimus cultu. His itaque & huiusmodi assertionibus diù peroratis, cessit eorum petitionibus Dux, atque etiam omnium, qui conuenerant, hominum generalis caterua eorum conditionibus assensum libentissimè præbuit. Vnde factum est vt in crastino iuxta non parua populorum vtriusque sexus concurreret multitudo, vt qualiter se haberet ea res, eiusdémque rei euentus se haberet, nosse pleniter cuperent. Iudæi ergo in atrio suæ Synagogæ parauerunt Duci, & qui cum eo Principibus, sedilia non pauca diuersis ornamentorum tegminibus adoperta: porro Episcopis, & eorum diuersi ordinis Clero nullum cessionis..... aut decorauerunt in sedendo eis locellum; sed officiales eorum ministri pontificalia secum conopæa tulerunt, suisque ea Episcopis dispositè ad sedendum, provt res ipsa iure poscebat, oportunis statuerunt locis. At verò Iudæi in introitu portarum suarum, & iuxta ostia prædictæ Synagogæ suæ gentis Iudicibus palliatas attulerunt cathedras, allatis singulis eorum, positisque super singula epistolia iudicialibus libris, quibus iuxta quod in eis scriptum continebatur credebant se iidem Iudices euenta decernere, ac suo iudicio liberè determinare. Cúmque ad eiusdem rei agendum negotium tempus instaret, dixisse Episcopis qui aderant Dux sæpedictus perhibetur.
B En gloriosissimi Pontifices, opportunum iam imminet tempus agendi, propter quod huc omnes conuenimus, diu à nobis protractum iudiciale Iudæorum examen. Nunc cùm & res ipsa exposcat, & tempus congruum exercendi illud instet, ne prolixiùs huius ciuitatis Episcopi ac Iudæorum causa qualibet differatur dilatione obnixè precamur. Cui cùm & Episcopi illico respondissent vt fieret, ex præcepto Episcoporum surrexisse continuò dicitur beatus Theodardus, & stetisse omnium medius, atque Iudæos ita allocutus fuisse: Video, inquam, video, ô Iudæi, « iudices vestros ex vtraque portarum vestrarum, & in ipsis etiam portis constitu- « tos, sed non video reorum personas qui iudicandi sunt à vobis præter solummodò « vestræ gentis homines. Vnde expedit vobis vt qui iudicandi sunt ab eis præsen- « tentur à vobis, vnà cum accusatoribus eorum ac testibus, qui benè crimina noue- « runt, vnde à vestris Iudicibus meritò subleuandi sunt vel condemnandi. Et Iudæi « ad hoc respondentes dixerunt: Rei igitur quos iudicandos esse dicitis à Iudici- « bus nostris, vos estis qui persecutionem nobis iniustè irrogatis, & vniuersi qui nos « tam graui seruitutis iugo iugiter deprimunt. Ad quod venerabilis Theodardus « respondisse traditur: Quæ lex præcipit, quódve edictum, vt Iudæi iudicet Christia- « nos, & iudiciali decreto sibi subiiciant? nisi fortè illud Psalmistæ impleatur, quo « dicitur, *Quia gladij ancipites ferendi sunt à vobis ad faciendam vindictam in Gentibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.* Quod si ita est, iudicate primùm Ducem, & omnes Principes « eius, & exercete in eis vindictam de malis quibus iniustè vos depresserunt, atque «
C diuersis affecerunt suppliciis, ac deinde alligate Regem in compedibus, & cun- « ctos nobiles ipsius. Quibus auditis, Iudæi responderunt: Vindicta quæ exercen- « da est non in vno tantùm Rege vel Principe facienda est, sed in totius mundi Re- « gibus, atque Principibus. Quod verò dicis neminem Christianorum à parentibus « nostris, vel à gente nostra fuisse iudicatum, lege Euangelij libros, & inuenies « forsitan quòd non solùm reliqui Christiani, sed etiam vester Christus iudicatus « est, & morte damnatus, & discipuli eius durissima morte perempti: reliqui verò « à finibus terræ nostræ expulsi sunt iudicio parentum nostrorum ac principum. « Quod cùm audisset Dux & Principes eius, dixerunt: Ore vestro locuti estis modò « vnde digni estis incendio, ac diuersis tormentis. Sed ne videamur vobis, iniuriam « inferre, vel contra Regis decretum aliquid contra vos iniustè moliri, iudicate quos « vultis, ac vestro iudicio condemnate. Cúmque in Episcopum illius ciuitatis, « & vniuersos clericos eius vellent retorquere iudicium, & dicerent quoniam eâ- « dem pœnâ digni erant, quâ & ipsi Iudæos depresserant, dixisse fertur beatus « Theodardus: Vbi hoc lex vestra præcipit, vt talionem nobis inferatis pro suppli « ciis, quibus vt dicitis affecti estis olim à nobis? Et Iudæi: Nunquid non lex nostra « reos puniendos esse dicit eâdem pœnâ quâ & ipsi alios affecerunt? & est illud: *Oculum pro oculo, dentem pro dente, &c.* Alioqui non rectum poterit esse iudicium, nisi «

CARLOMANNVS.

talia recipiatis, qualia nobis, & parentibus nostris ingessistis. Quibus & beatus A Theodardus: Scio, inquit, & bene scio quòd hæc lex non nisi vestræ gentis hominibus promulgata est. Porro nulli gentili, nulli incircuncifo, nulli à vestræ fidei religione alieno data est. Nam nostræ fidei homines, Christiani scilicet, non debent hac lege vestrâ iudicari, quoniam non sunt intra vestræ telluris regiones positi, neque more vestro cultellari incisione truncati, vel circumcisi sunt, neque iugum legis vestræ portare sunt assueti: maximè cùm hesterno die in conspectu Ducis, & omnium qui aderant Episcoporum, ac totius Concilij dixeritis, nullam nos habere legem, & hoc ipsum prophetico testimonio affirmare conati fueritis, dicendo: *In gentibus non est lex*. Si ergo legem iuxta vestrum testimonium non habemus, quomodo vestro legali iudicio subiacebimus, & iugum quod neque nos, neque patres nostri portare potuerunt, ceruicibus nostris imponi patiemur? præsertim cùm dicat Apostolus. *Nolite iugum ducere cum infidelibus*. Quod autem infideles sitis, & Deo omnipotenti inimici, legisque illius præuaricatores continui, vnde & Mosaicis maledictionibus estis illaqueati, & omnino irretiti, non solùm Lex, & Prophetæ, Psalmorúmque contextus, verùm etiam eiusdem rei pœnalis euidenter pandit effectus. Nam si hoc iugum, vnde sedulò querimoniam Regi ac Duci clamosis vocibus insonatis, ad literam velimus accipere, non tantùm vno virtuosi hominis ictu, sed etiam pro vnoquoque eorum septem vobis colaphi imprimentur. iuxta quod in lege vestra scriptum est Domino dicente. *Augebo pœnas* B *vestras septuplum aduersus incedens contra vos*. His & huiusmodi allegationibus à beato Theodardo peroratis, ait Dux (vt fertur) Iudæis. Quid ad hæc vestra opponat controuersia audiamus. Et Iudæi: Hoc quidem, inquiunt, in terra nostra Dominus nobis iustè pro peccatis nostris inferre minatus est. Nunc autem, quia in terra hostili sumus, non debent nobis talia inferri supplicia vel torméta. Ad hoc Dux iratus in Iudæos protulisse dicitur. Miror admodum importunitatem Iudaicæ perfidiæ. Illi enim supplices, luctuosisque gemitibus precati sunt me, vt eo iudicio iudicarentur intra suæ Synagogæ claustrum, quo secundùm suæ decretum legis, quando in terra sua erant nondum exules iudicabantur. Quod non solùm agere eis libenter concessi, sed etiam ipsos Iudices ac césores eorum vnde querebantur constitui. Qui cùm putarent nostræ fidei homines suo sibi mancipare iudicio, & viderent neminé debere eâ censura iudicare præter suæ gentis homines, quâ iuxtà suæ legis præceptum Iudæi in terra sua iudicabantur, eò quò nullo eis fidei pacto iuncti sunt, & semper à iugo legis eorum, atque à societate mutuæ dilectionis eorum extranei, causantur quoque quia non datur eis facultas vindicandi in Episcopo ciuitatis ipsius, & clero eius, omníque populo, à quibus digno supplicio hactenus mulctati sunt. Qui cùm non habeant iustam allegationem, vnde à se debitas colaphizandi excutiant pœnas, neque quid nostros accusando, séque excusando eis obiiciant, cùm septuplum eis Iudæis augenda sint diuersa supplicia iuxta legis eorum scripturas, mittam de ipsis, eorúmque improba perfidia legationem Imperatori, & quid actum sit, qualiterve in iudicando illos & quæ à nobis obiecta sint. C Neque enim illi innotescere prætermittam quod dixerunt audientibus cunctis, Iudices eos Christianorum iure fieri debere, qui eorum Christum & Dominum suo iudicauerunt iudicio, atque condemnauerunt, vtpote reum mortis crucis supplicio, vt quid super his agendum sit suo determinet regali Edicto. Cúmque iam ad hoc res instaret, vt ex præcepto Ducis eadem scriberetur legatio, & nimio terrore perculsi Iudæi exangues efficerentur, prouoluti genibus pedibúsque Episcoporum, vt eis misericorditer subuenirent, indulgentiam eis à Duce impetrando, moti tandem eorum fletibus adierunt eum petentes, vt fineret eos ipso eodémque mancipatos supplicio, quo ab Imperatoribus prius damnati fuerant, sub silentio ac tranquillitate viuere. Qui cùm vniuersi Ducem adiissent vt misericordiam eisdem ab eodem Iudæis impetrarent, & ipse nollet eis assensum præbere, dixisse perhibetur ad eum beatus Theodardus: In hoc domine & clementissime Dux, postulationibus Episcoporum acquiescere debes, si aliquid ad gloriam Dei omnipotentis ex proposito tuo prædicto Iudæorum adiiciatur supplicio. Erit enim memoriale, & cunctis Christicolis non parum acceptabile, vt is qui colaphizandus est Iudæus priusquàm pugnisetur, coram omnibus sibi circumstantibus ter voce dicat excelsa: Bene quidem & satis iustè decretú est vt ceruices Iu-

A dæorum pugnis subiiciantur Christianorum, eò quòd noluerint subiici Iesu Christo Nazareno Deo Deorum ac Domino Dominorum. Quod si noluerit, referiatur septies: vt impleatur quod in lege eorum scriptum est, *Augebo pœnas vestras septuplum auersus incedens contra vos*. Si enim hoc feceritis, erit vobis in memoriam æternam, & præmium æternæ salutis. Id ipsum autem, quo nulla deleatur obliuione, imprimatur schedulæ, ac deferatur Regi, & ex decreto eius nihilominus membrano tradatur, atque certissima impressione ipsius signetur sigillo. Quod cùm placuisset Duci, & vniuerso Concilio, missa sunt hæc literis compressa ad Regem. Cúmque & illi illud quod gestum erat de Iudæis valde placuisset, scriptum est ex præcepto illius, ac diligenter signatum, atque etiam remissum Duci eius rei gratia vt Pontificalibus..... denuò contraditum, tutè inibi conseruaretur in testimonium perpetuum.-:· CARLOMANNVS. " " " " "

Ex Vita S. Eloquij, quæ est apud Surium Tom. VI.

SANCTISSIMVS Dei famulus Eloquius, relictis omnibus, cum paucis Fratribus super fluuium Isaram nominatum, in loco qui antiquo vocabulo Giriniacus dicitur, vitam eremiticam duxit, tempore S. Eligij Nouiomensis Episcopi.-:· Cuius corpus sepultum fuit à fidelibus in quodam monticulo iuxta aggerẽ publicum

B super fluuiolum nomine Sommeron. vbi postea ædificata est ædicula super tumbam eius, propter crebra miracula ibidem ostensa.-:·

CVM ergo temporibus Regis Francorum ODONIS plurimæ fierent circumquaque strages Christianorum ex crudelitate Danorum, ac multa incendia Ecclesiarum ac villarum agerentur, sancti Eloquij pariter cremata est Ecclesia. Postea sæpiùs in eo loco à transeuntibus auditæ sunt voces suauiter psallentium, & luminaria ardentia de nocte conspiciebantur. Cùm verò huiusmodi signorum fama circumquaque percrebuisset, ac maximè quòd sanctus Dei absque Ecclesiastico cultu sub dio & in deserto loco solus iaceret: HARDERICVS venerandus Comes cum HERESINDE coniuge sua clarissima, accesserunt ad RODOHARDVM tunc temporis Laudunensem Episcopum, petentes vt licentiam daret aliorsum corpus illud sanctum transferre, vbi honorabiliùs possit custodiri. Quo concesso, delatum est sancti Viri corpus ad hanc præsentem Ecclesiam VValciodorensem.·. ODO.

Ex Vita & Translatione corporis Sancti Viuentij Episcopi, Ms.

ANNO Incarnationis Dominicæ DCCCLXVIII. post LVDOVICVM ac 868. ceteros præpotentes Reges regnante CAROLO iuniore, suprà modum grassatæ sunt vndique infestationes Paganorum, deficientibus tam Regum, quàm ceterorum nostrorum Principum ad repugnandum viribus. Ergo vulgali plebe passim gladio & fame pereunte, igne pariter concremabantur hominum res, & ædificia

C quæque, præcipuéque Sanctorum loca, & Ecclesiæ vniuersæ. Eorum verò ministri, id est Clerici & Monachi, crudeliùs damnabantur, altaria funditus euersa dehonestabantur, sepulcra etiam Sanctorum absque reuerentia violabantur. Siquidem hæc clades sicuti primitus, ita acerbiùs in Insulis seu territoriis Occidentalibus ac mari contiguis desæuiit. Tunc innumerabilia sanctorum Confessorum ac Martyrum corpora à propriis mausoleis per fidelium manus sublata, & ad alias confugij gratiâ delata Prouincias. Eo namque in tempore venerandus Confessor & Christi Sacerdos VIVENTIVS in Pictauense territorio, Grauione scilicet castello veterrimo, quod ei deificæ Trinitatis in orbe clarissima tuba Hilarius iubar Pontificum in vita condonans, perpetuo stabiliuit, honorifico quiescebat cultu. Cuius nempe ossa diligenter ipsius Monachi colligentes ob timorem prædictæ cladis, cum maximo vtriusque sexus famulantium comitatu, aliorúmque Sanctorum pignoribus, ad Aruernensem detulerunt vrbem. Erat autem tunc temporis Præsul ipsius vrbis AGILMARVS, vir nobilis ac Deo deuotus, ac cum ceteris huius rei per omnia executione laudabilis. Hic quippe ad instar magni Hilarij, quidquid in dominio beati Viuentij erat dulci auiditate suscipiens, acsi geminos fratres aut filios verbis & opibus consolans, secúmque eis parare condignè diuersorium gestiens, immorari attentiùs hortabatur. Qui venerabilis Pontifex sæ-

CAROLVS SIMPLEX. piùs relegens conuersionem ac actus sancti Viuentij simplices, ac penè incultos, atque inerti sermone descriptos, deosculánsque, dicebat: O beata ac benè docta priorum Sanctorum rusticitas, quæ plus studuit optima operari, quàm loqui, & magis nouit sancta honestáque esse, quàm dicere! Interea erat eidem Præsuli in Burgundiæ partibus, in Comitatu Amaso, possessio à proauis latifundiis propagata, distans sex milibus ab Arari flumine, ita propriis innexa copiis, vt nihil extra se indigeat quærere, solo videlicet opulentissimo, aquis & siluis, pratis ac vineis abundantissima. In qua etiam statuens Monasterium, cum Claustris & Monachorum conuenientissimis habitaculis, nomini beati illud dedicauit Viuentij: simúlque vniuersa, quæ possidere videbatur tam in prædicto Comitatu, quàm in plerisque aliis, cum plurimis auri argentíque donariis, prædicto contulit loco. Ibi deinde beatum Confessorem cum vniuerso comitatu famulantium collocauit. In quo etiam loco per aliquod temporis interuallum honestissimè quieuit.

CONTIGIT etenim post aliquot annorum curricula, repullulante Paganorum sæuitia, atque inuadente Astingo Normannorum Principe cum suis Burgundionum fines, vt prædicta beati Viuentij nuper data possessio cum tota penè Prouincia ab eisdem Normannis depopulata incendio cremaretur. Præterea paulò pòst respectu supernæ misericordiæ fortificati, viribus resumptis quidam Francorum ac Burgundionum primores, Duce RICHARDO præeunte, cùm iam terna cæde quod supererat iidem Normanni delere molirentur, irruerunt in eos in pago Carnotense, tantáque strage illos deleuerunt, vt vlteriùs in exterorum fines minimè raptim exire tentarent. Dehinc extitit quidam militiæ studiis ac seculi industriâ clarus, vir strenuus MANASSES, prædicti scilicet Ducis Richardi amicissimus, atque post illum in totius Burgundiæ indeptus Ducamine, cuius etiam filius GILLEBERTVS eiusdem Burgundiæ Dux postmodum fuit. Qui videlicet Manasses post multa secularis vitæ negocia peracta, suorum memor quærens remedia peccaminum, cum consilio suæ vxoris HERMENGARDIS nomine, fratrisque sui VVALONIS Eduorum vrbis Pontificis, ceterorúmque nobilium amicorum suorum, cœpit ædificare Monasterium in territorio Augustudunensi, tutissimo in loco montis Verciaci castri. Ad quod etiam beati Viuentij ossa cum multorum corporibus aliorum Sanctorum deportari fecit, ac Dei genitricis, ipsiúsque beati Viuentij nomini dedicatus nunc vsque locus isdem & cognominatus habetur. Quem etiam tam isdem Manasses, quàm coniunx ipsius Hermengardis nomine post eius obitum, diuersorum vtensilium cumulis ac possessionibus locupletissimum reddiderunt. Sicque ab omni seculari subiectione liberrimum, vniuersalis Papæ Romani prouidentiæ commiserunt.

Ex Libro de diuersis casibus Deruensis Cœnobij, & Miraculis Sancti Bercharij.

Prompt. Antiq. Ecclesiæ Trecensis. PRIMÆ exorbitationis Deruensis Cœnobij meritis gloriosi Martyris Bercharij statu in melius reformato, per plurima temporum volumina sacræ Religionis tramitem, & antiqui decoris inflexibiliter tenuit gloriam. Sed tranquilitatem tam iocundæ pacis multis abusiuè vertentibus in augmentum impietatis, rursus seueritas animaduersionis Hunnorum rabiei exponit depopulationem Christiani populi: maximè addictis stragi Neustriâ, & pleraque parte Gallici Regni. Tempora huiuscemodi infelicitatis impediebantur regimine KAROLI iunioris, qui SIMPLEX ferebatur nomine, non tam innocentiâ quàm ignauiâ omnis rei ciuilis ac militaris, omninò referens mores LVDOVICI genitoris, qui ob nimiam vecordiam vocitatus est NIHIL-FACIENS. Imperium ergo huius, quippe iusto Dei iudicio instigatus, paruipendens Hunnorum exercitus, quaquauersum debacchando insignes funditus euertens vrbes, gladiis & incendio orationũ domos, plurimarúmque Gentium deleuit populos. Itaque tam immanis crudelitatis frequentibus nunciis territi Fratres supradicti Deruensis Cœnobij, erumpentibus etiam ab Occiduis partibus Astingo duce VVisigothis, qui & Normanni, communi consilio, vt audierant aliarum greges Ecclesiarum, decernunt, sumptis secum ossibus beati Bercharij fugâ perquirere latibulum, hócque statuunt circa ripas Araris fluminis. Quæ regio ipsis temporibus ferebatur immunis omnis inquie-

A tudinis regimine RODVLPHI filij nobilissimi RICHARDI Burgundiæ Ducis, qui iusti tenax, eiúsque famosissimus vltor extitit.- :· RODVLFVS.

QVANTA verò, quibusve in locis hic Pater sanctus diuina dignatione miracula gesserit, nulla nostræ memoriæ retulit scedula vetustatis antiquæ. Tantummodò innumera priscorum astipulatione, priores nostri nobis testati sunt extitisse, tàm per spacia itineris, quàm in loco destinatæ mansionis. Quorum rumore celeberrimo accensus memoratus Princeps RODVLFVS, suscepturus insignia totius Francorum Imperij, supplex locum ipsum reliquiarum beati Martyris adiit, se suámque felicitatem eius committens suffragiis: multisque donatum muneribus, Fratrum necessitates plurimis releuauit largitionibus, & eos benignissimè consolatos, spem properè ac prosperè remeandi, Dei sanctique Martyris auxilio, & sui laboris iuuamine repromisit. Quod feliciter, Deo fauente, contigit. Nam idem memoratus Princeps laturus auxilium præfatæ calamitati, Imperium Francorum subiit, nequaquam tyrannicè, sed diuinæ pietatis prædestinatione, ob meritum suæ probitatis, electus à Pontificibus ac Proceribus totius Gallici Regni, ad effugandam indè rabiem paganæ peruersitatis. Eius itaque formidine potestatis protinus exterrita omni feritate barbarica, restaurata tranquillitate pacis, repedandi ad propria capessunt audaciam, qui ob metum paganorum dispersi, diuersa petierant loca
B exilij.

Ex Vita Sancti Bertulfi Confessoris iussu Folcardi Abbatis conscripta.

CAROLVS Rex Regno Francorum Occidentalium leges dictauit, quem postea HERIBERTVS Comes Viromanduorum dolo captum Peronæ posuit in custodia. Quo adhuc Imperium obtinente, Bononiensium Comes fuit ERKENGARIVS genere & potentiâ non parum egregius, in cuius etiam ditione Rentica fuit, prædium in quo beati Bertulfi corpus tumulatum erat. Qui conspectis ad sepulchrum Sancti virtutibus, eum quantò ob miracula admirabatur magis, tantò cariùs amplectebatur. Sed quia omnem circa regionem irruptioni eorum, quos diximus, pyratarum expositam videbat, de amissione tanti patroni sibi suisque pertimuit. Vnde consilio accepto illò eum transtulit, vbi & ipse tantarum reliquiarum securus esset, & Sanctus ampliori in artubus suis honore afficeretur. Conuocato denique Ecclesiastici ordinis conuentu, animi sui votum religiosorum roborauit consiliis, efficacibúsque perfecit auxiliis. Et admissis ad sacrosanctum tumulum Sacerdotibus, vnà cum Ecclesiæ ministris, in sanctissimorum artuum attrectatione, cum magna animi deuotione assistebat. Sicque membra sancti locello diligenter reposita, de Rentica Bononiam transferri præcepit, vbi ea tutiùs atque deuotiùs seruanda non ignorauit. Erat quippe Bononia sui iuris, munita tunc temporis ciuitas, mari Morinorum propinqua, mercibúsque marinis præcipua, Sede insu-
C per Episcopali & benedictione consecrata. In quo loco vsque ad tempora magni ARNVLFI ea pignora seruabantur.- :· Processit hic à sanguine magnorum Regum, quem BALDVINO CALVO peperit ELSTRVDIS filia EDGERI Regis Anglorum, non minus ingenui sanguinis à patre, quàm à matre: quia à patre Regem Francorum CAROLVM CALVVM proauum, à matre, vt dictum est, EDGERVM Regem Anglorum traxit auum. Qui, quod in viris clarissimis clarissimum est, hanc tantam generis nobilitatem probitatis industriâ decorauit. Successione proindè hereditaria monarchiam sortitus est Flandrorum, quam adeò ampla dicendi & agendi facultate gubernabat, vt pro magna animi corporisque virtute, MAGNI nomen obtinuerit.- :· Successu interea temporum ditioni eiusdem Marchionis Bononia cessit, quam non minus honestè quàm ceteras vrbes maritimas suscepit gubernandam.-- :·

Extat apud Surium Tom. I.

Ex Libro Ms. Miraculorum S. Theoderici Abbatis.

PROPINQVANTE verò tempore, quo Deus omnipotens corpus beati Confessoris THEODERICI veneratione hominum sublimaret in terra, Rege LOTHARIO fauente domnus ADALBERO indutus est infula Remensis Pontificij. Hic alteri ADALBERONI Metensi quidem Episcopo adhærebat propin-

LOTHARIVS. quiori lineâ consanguinitatis, à quo quia fuerat à puero educatus, moribus quoque nec discrepabat Episcopus factus. Suis enim diebus in Ecclesiasticis disciplinis administrandis nemo illo religiosior, simúlque in secularibus iudiciis pertractandis nemo perspicacior inueniebatur. Præterea pluribus aliis virtutum adeptionibus pollebat. vnde nimirum tota Metropolis eum sibi præesse gaudebat.- ⁖ Hic Abbatiam sancti Theodorici de manu cuiusdam ROGERI, qui tunc Comitatus dignitatem circa easdem Regni partes administrabat, licèt plurimum repugnaret, extorsit: eámque sanctæ Remensi Ecclesiæ secundum priorem statum subiectam faciens, Episcopali regimine subinde moderandam destinauit. Vnde vsque hodie spectat ad Sedem eiusdem sanctæ matris Ecclesiæ.- ⁖ Canonicos à loco eiiciens, Monachos restituit: ac AIRARDVM Monachum sancti Remigij illis Abbatem præfecit. A

ANNO DCCCCLXXVI. mense Aprilis, videlicet XIII. Kal. Maij, inuentum est corpus sancti Theodorici.- ⁖ Episcopus ADALBERO quærebat vt Rex LOTHARIVS accersiri posset ad eleuationem huius corporis. Sed Rex toto ferè illo tempore morabatur pro negociis ad exteras partes Regni. Sed circa aduentum Domini Rex venit ad Remorum fines, & cum vxore sua EMMA, & exercitu copioso, eò venit ad eleuationem. Aderat summus Pontifex Remensis. Leuatum est III. Idus Octobris.

Ex Libro Miraculorum sanctæ Gudilæ Virginis. B

POST hæc OTTONE secundo tuente Imperium, KAROLVS frater LOTHARII Regis Francorum in Regno Lothariensi adeptus est Ducatum. Qui statum Imperij dolens perturbari multipliciter, ad melioranda negocia multorum animum aduertit solerter. Vnde inter cetera res cultas Ecclesiæ Morzellensi inuasorum partibus nisus est subtrahere, & sanctæ Gudilæ famulantibus restituere. Sua loco sancto volebat reddere industria Karoli Ducis, sed obstabat auiditas inuasoris, nec Deum timentis, nec hominem reuerentis. Insurgunt testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. ERMENFRIDVM omnes suæ partis clamant esse patris successorem, & paterni boni heredem. Ducis autem præualente potentiâ, Ermenfridus suíque complices amantes terrena, paruipendentes cœlestia, inito consilio inuasas terras retinent sibi: & preciosam margaritam omnibus datis comparandam, corpus scilicet sanctæ Gudilæ, dant bono negociatori, Karolo videlicet glorioso Duci.- ⁖ KAROLVS Dux pro nihilo ducens damna terrarum, felici commercio gaudet se cœlestem suscepisse thesaurum, quem cum debito honore in Ecclesia sancti Gaugerici Bruxellæ intulit. Post hæc verò partem villæ quandam, quæ vocatur Molembecca, sanctæ Gudilæ tradidit, & sex familias addidit, & alia quamplurima altaris vestimenta donauit. Illic non sine magna veneratione quieuit vsque ad tempora Comitis BALDRICI nepotis Karoli Ducis. C

MXLVII. anno Incarnationis Dominicæ, XV. Indictione, Damaso Apostolicam Sedem præsidente summo Pontifice, HENRICO III. regnante, dedicatum est in monte Bruxellæ Templum VI. Kalend. Decembris ad laudem nostri Redemptoris, in honore S. Michaelis Archangeli, à GERARDO Cameracensi Episcopo. LAMBERTVS verò, qui & BALDRICVS, Comes, HENRICO fratri succedens, cuius præsentia tunc cuncta extiterunt illic decenter ordinata, eodem die illud corpus sanctissimum de Ecclesia S. Gaugerici cum Episcopo, ceterisque sacris Ordinibus leuauit, atque cum summo honore in Ecclesia S. Michaelis reposuit. Et annuente in omnibus vxore sua ODA, quæ fuit GOZELONIS ducis filia, ad seruiendum Deo sanctæque Gudilæ virgini XII. Clericos ibi constituit, & ad vsus eorum ipsam Ecclesiam cum decimis, & alia plura legaliter contulit.

A

EXCERPTA HISTORICA EX LIBRIS MIRACVLORVM SANCTI BENEDICTI,

QVOS ADREVALDVS, ADELERIVS, ET AIMOINVS FLORIACENSES MONACHI SCRIPSERVNT.

A CAROLO MARTELLO patre PIPINI Regis, vſque ad HVGONEM & ROBERTVM Reges.

B *Ex Bibliotheca veteri Floriacenſi, quam edidit Ioannes à Boſco Pariſienſis, Celeſtinus Lugdunenſis.*

EX LIBRO I. DE MIRACVLIS S. BENEDICTI, ADREVALDO *Floriacenſi Auctore.*

SANE Iuſtiniano Iuniore poſt mortem CONSTANTINI Imperium aſſumente, decem in Imperio annis exactis, à Leone Auguſtali dignitate priuatur, exilióque relegatur. Aduerſum hunc Tiberius arma corripiens, Imperiali ſarcina releuatum retrudit in carcerem. Porrò illo in tempore, apud Gallias Francorum decidente gloria, à Præfectis Palatij Domus ordinabatur Regia. Regibus ob imperitiam, deſidiámque, ſolùm Regale nomen inaniter geſtantibus. Namque & opes & potentia Regni penes Palatij Præfectos, qui Maiores Domus dicebantur, & ad quos ſumma Imperij pertinebat, retinebantur. Neque aliud Regi relinquebatur, quàm vt Regio nomine contentus, crine profuſo, barba ſummiſſa, ſolio reſideret, ac ſpeciem dominantis effingeret, C Legatos vndecumque venientes audiret, eiſque abeuntibus reſponſa, quæ erat edoctus vel etiam iuſſus, ex ſua velut poteſtate redderet: cùm præter inutile Regis nomen, & precarium vitæ ſtipendium, quod ei Præfectus Aulæ pro vt videbatur exhibebat, nihil aliud proprij poſſideret quàm vnam, & eam perparui reditus, villam, in qua domum, & ex qua famulos ſibi neceſſaria miniſtrantes, atque obſequium exhibentes, paucæ numeroſitatis habebat. Quocumque eundum ei erat, carpento ibat, quod bubus iunctis, & bubulco ruſtico more agente, trahebatur. Sic ad Palatium, ſic ad publicum populi ſui Conuentum, qui annuatim ob Regni vtilitatem celebrabatur, ire, ſic domum redire ſolebat. At Regni adminiſtrationem, & omnia quæ vel domi vel foris agenda erant ac diſponenda, Præfectus Aulæ procurabat. Cuius officij magiſtratum ea ætate ARNVLFVS vir eximiæ nobilitatis, probabiliſque vitæ, cum filio ANSEGISO adprimè regebat. Quique relicta pòſt ſeculi gloria, Epiſcopus Mediomatricum, Clerique, populique acclamatione, & voto ordinatus, mirabiliter in Pontificatu viuere ſtuduit: ac demùm heremiticam eligens vitam, leproſis vniuerſa præbens obſequia, continentiſſimè vſque ad obitum vixit. Anaſtaſius iam tunc Romani Imperij regebat inſignia. Italici verò Regni principatum poſt Arepertum Luitprandus in ſuam redegerat ditionem. CAPVT XII.

CAROLVS MARTELLVS. XIV. INTEREA apud Gallias, ANSEGISO Maiore Domus, filióque eius PIPINO, humanam obeuntibus vitam: KAROLVS filius Pipini, totius Gentis Francorum Magiſtratum, quamquam poſt multa bella, de manu Rainfredi Tyranni, Deo iuuante, abſtulit, ſuæque ſubdidit poteſtati. Denique rebus bellicis operoſiſſimè inſiſtens, Tyrannos per totam Franciam dominatum ſibi vendicantes oppreſſit. Ob eámque rem plurima iuri Eccleſiaſtico detrahens prædia, Fiſco aſſociauit: ac deinde militibus propriis diſtribuere ſtuduit. Prætereà Sarracenos Galliam occupare temptantes duobus magnis prœliis, vno in Aquitania apud Pictauium ciuitatem, altero autem apud Narbonam, iuxta Birram fluuium, ita deuicit, vt in Hiſpaniam eos redire compelleret. Quamobrem cùm aduerſantibus nullatenus cedere ſciret, nullíque parcere: diu à poſteris TVDITES, ab actu rerum ſcilicet, agnomen indeptus eſt. Tudites enim mallei dicuntur fabrorum, quorum ictibus cuncta atteritur duricies. Pepigit hic fœdus cum Liutprando, eíque filium ſuum Pipinum miſit: vt more Chriſtianorum fidelium eius capillum primus attonderet, ac Pater illi ſpiritalis exiſteret. Quod ille gratantiſſimè complens, multis ditatum muneribus genitori natum remiſit. Qua de re contigit, vt Legationem ſacratiſſimi Præſulis Gregorij ad ſe directam, obſecrantis quatenùs ſanctam Romanam Eccleſiam à Langobardorum tyrannide liberaret; terrena cœleſtibus præponderans, floccipenderet. Rebus itaque humanis eo poſt diutinam Regni adminiſtrationem exempto, duo filij eius, PIPINVS, & CARLOMANNVS, Regni ſummam concordi ſocietate diuiſam aliquot annis ſub Hildrico nomine tenus Rege ad gubernandum ſuſcipiunt. Porrò Carlomannus poſt aliquantum temporis excurſum, Regni quam ad regendum ſuſceperat partem fratri relinquens, amore ſuccenſus ſpeculatiuæ conuerſationis, Romam ſe in otium contulit. Siquidem hortante beato Eucherio Aurelianorum Epiſcopo, qui à patre illius nulla exiſtente culpæ offenſa pulſus ſede propria, atque in Haſbaniam apud ſanctum Trudonem in exilium relegatus fuerat, necnon ſancto Bonifacio Friſionum Epiſcopo, qui ambo patris eius apud Inferos damnationem, etiam corporeis ipſi oſtendêre viſibus: operoſam temporalis Regni dignitatem toto contemnens mentis adniſu, habitúque permutato, tonſuræ Eccleſiaſticæ gratiam à beato Zacharia Papa Romano percipere meruit. Denique Monaſticæ vitæ normam adeptus, in monte Soracte apud Eccleſiam beati Silueſtri extructo Monaſterio, cum Fratribus ſecum ad hoc venientibus, nonnullo tempore optata quiete perfruitur. Sed ex Francia multi Nobilium, ob vota ſoluenda, Romam cùm ſolemniter commearent; & eum velut Dominum quondam ſuum præterire nollent: otium, quo maximè delectabatur, crebra ſalutatione interrumpentes, locum mutare compellunt. Nam cùm huiuſmodi frequentiam ſuo propoſito officere vidiſſet, relicto monte, in Samnium prouinciam ad Monaſterium ſancti Benedicti, ſitum in ſæpedicto caſtro Caſini ſeceſſit, atque ibi quod reliquum fuit mortalis vitæ religiosè conuerſando compleuit.

(Margin at "PIPINVS, & CARLOMANNVS": PIPINVS. ET CARLOMANNVS. Margin letters: A, B, C.)

XV. DVM igitur hæc ita aguntur, PIPINVS Regni Francorum aſſequutus ſummam, iuſſu Stephani Romani Pontificis HILDRICVM inertiſſimum Regem depoſitum, ac detonſum, in Monaſterio deinde truſum, priuatè viuere compulit. Dein auctoritate eiuſdem Pontificis, ex Præfecto Palatij Rex conſtitutus, per annos fermè quindecim, aut eo ampliùs, Regni Francorum principatum ſolus optimè rexit. Ea igitur tempeſtate, Monachi ſæpedicti Cœnobij Caſinenſis, auctore Carlomanno, de quo ſuprà retulimus, Romam veniunt, doloris apud ſanctiſſimum Papam Zachariam depoſituri querelam, propter corpus ſcilicet ſacratiſſimi Patris Benedicti, à ſolo proprio in Gallias tranſlati. Qui mœror iampridem à cordibus eorumdem Fratrum, ob terrarum longinquitatem, necnon vetuſtatem temporum, admodum refrixerat. nec iam ſpem potiundæ huiuſce rei habebant. Sed Carlomanno illorum ſacrum ſubeunte collegium, ſpes olim emortua reuixit. Sanctúmque adeuntes expoſcunt Præſulem, vt Litteras Pipino Regi Francorum dirigat: qualiter auctoritati ac precibus tanti fauens Pontificis, egregij Patris corpus auito reſtituat loco. Præfatus verò Pontifex Fratrum precibus annuens lacrimoſis, auctoritatis Apoſtolicæ Epiſtolam editam per eundem Carlomannum, ac Fratres qui cum eo venerant, Franciam Pipino dirigit Regi. Modus autem relectorum Sacrorum hic erat. ZACHARIAS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei,

A sanctæ Sedi Principis Apostolorum beati Petri præsidens, omnibus Episcopis, ac Presbyteris Ecclesiæ Francorum salutem dicit. Egregius Apostolus ait: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Et iterum idem ipse: *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.* Et item Scriptura: *Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* Innotuerunt nobis religiosus Abbas & Presbyter Casini Monasterij beati Benedicti, & CARLOMANNVS Deo amabilis Monachus, germanus filij nostri Pipini excellentissimi Maioris Domus, per hos præsentes religiosos Dei seruos Monachos, concordiæ & pacis sermones inter eum ac GRIFONEM fratrem eius expedire nos mittere: vt & nos hæc ipsa admonendo, dirigamus excellentiæ iamdicti Pipini filij nostri, vt ad pacis concordiam redeant, vobis propter Deum pacificis mediatoribus. Verumetiam pro corpore beati Benedicti, quod furtiuè ablatum est à suo sepulchro, vt ei restituatur. In hoc opere pietatis & misericordiæ, libenter autem accommodare hortamur dilectionem ac sanctitatem vestram. Vt primùm omnium frater ad fratrem pacis iure in vnum redeat, & confundatur iniquitas è medio eorum: charitas verò Dei, nobis prædicantibus & ministrantibus, exuberet inter eos. Deinde & præfati beati Benedicti corpus iuxta petitionem seruorum Dei, sublimitas filij dilecti nostri Pipini, vestra cooperante sanctitate, indubitanter ad proprium remittat locum: vt & iamdicti serui Dei de suo gaudeant sibi restituto Patre, vósque perennem habeatis merce-
B dem & laudem, pro eo quod iustè operati fueritis, vt ad suum sanctissimi viri corpus referatur tumulum, ex quo clam ablatum est. Nec enim habet Sanctitas vestra quid offensionis in hoc bono opere restitutionis eius pertimescere debeat coram Deo: dum creditur, quia ad obtinendum hoc, ipsius suffragantibus orationibus & voluntate, præfati religiosi Dei serui sunt permoti. Valete.

PIPINVS ET CARLOMANNVS.

ACCEPTIS itaque Litteris sancti Papæ, CARLOMANNVS, & Fratres qui cum eo erant, Gallias expetunt, PIPINVM adeunt, sacra sancti Apostolici proferunt Rescripta: flebilémque sibi querelam questuosis subiiciunt lacrimis. Orant subueniri sibi, pios Patris cineres, ossáque cunctis reuerenda mortalibus, furtim sublata, deuotissimis filiis, auctoritate Regia, iustitiæque respectu affatim restitui. Non vllius offensæ in hac re pertimescere culpam, cui suffragari agnoscitur inoffensus rectitudinis trames. Flexus his luctuosis questibus pius Princeps, simúlque sanctæ Sedi assentiendo fauorem præbens, fratris quoque consulens voluntati, REMIGIVM Rothomagensem Episcopum naturalem suum ac Carlomanni fratrem, cum imperio Floriacum Monasterium dirigit, qui ex præcepto Regis, etiam nolentibus Fratribus, sacrum effossum pignus Carlomanno ac Fratribus cum eo pergentibus ocissimè reddat. Suscepto Episcopus negotio, celerrimè Monasterium expetit, mandata Regis edicit, iussa implere conatur. MEDO tunc temporis Abba huic sancto præerat gregi. Hic cùm præcepta Regalia egerrimè suscepisset, non se posse depositum reddere dixit. Quod ad seruandum, non autem
C restituendum, se suscepisse gaudebat. Ita subiiciens. Ipse sanctissimus Pater propria sponte huc se deferri permisit, ipse visione sacra suos ob sui deuectionem inuitauit seruulos. Suscepimus indigni egregij Patris sacratissima membra, excepimus cineres pios, deuotè nunc vsque adseruare curauimus. At si nostris interuenientibus peccatis, relinquere Gallias, ruráque eum natiua petere placuerit: fateor potis id ei existere, nec velle nostrum licere quoquomodo obsistere. Sin verò, quod certissima fide nostro inhæsit pectori, diuino nutu prouidentiáque clementi, ob plurimarum salutem animarum, relictis propriis, has procul positas, ac plenè in vltimo litore Oceani sitas expetiit voluntariè sedes: certissimum habetote, impotes voti vestri vosmet ad propria redituros. His dictis, multum inlacrimans, fores Ecclesiæ sanctæ Dei genitricis Mariæ, quo reposita sancta membra cubabant, reserare iubet, suósque propter ostia excubitare.

XVI.

PIPINO interea Rege ad cœlestia, vt credimus, demigrante, Carolus & Carlomannus filij eius Regni administrationem suscipiunt. Factóque solemniter generali conuentu, totum Regni corpus ex æquo partiuntur. Et CAROLVS quidem eam partem Regni, quam pater eorum Pipinus imprimis tenuerat: CARLOMANNVS verò eam, cui patruus eorum Carlomannus præfuerat, regendi gratia suscipiunt. Sed Carlomannus post administratum biennio Regnum, morbo decessit. Carolus autem fratre defuncto, consensu omnium Francorum,

XVIII. CAROLVS MAGNVS.

CAROLVS MAGNVS.

totius Gentis Monarchiam suscipit. Qui bellum aduersus Langobardorum gentem, Italiam iampridem Romanorum potestati subtractam vario iure possidentem, rogatu & precibus ADRIANI Romanæ vrbis Episcopi assumit. Quod prius quidem & à patre eius, Stephano Papa supplicante, cum magna difficultate susceptum est. Quia quidam è Primoribus Francorum, cum quibus consulere solebat, adeo voluntati eius renisi sunt, vt se Regem deserturos, domúmque redituros libera voce proclamarent. Susceptum tamen est tunc contra Haistulphum Regem, & celerrimè completum. Si quidem præfatum Regem paucorum dierum obsidione apud Ticinum compulit & obsides dare, & erepta Romanis oppida atque castella restituere, atque vt reddita non repeterentur, sacramento fidem facere. Enimverò Carolus inchoatum à se bellum, nequaquam interpollari permisit, priusquam Desiderium Regem longa obsidione fatigatum in deditionem acciperet, filiúmque eius Adalgisum, in quem spes omnium inclinata videbatur, non solùm Regno, verum etiam Italia excedere compelleret, omniáque Romanis erepta restitueret, totámque Italiam suæ ditioni subiugaret, subactæque filium suum PIPINVM Regem imponeret. Ampliata denique Regia potestate, necesse erat Duces Regno, subiugatæque Genti præficere: qui & legum moderamina, & morem Franciæ assuetum seruare compellerent. Qua de re Primatibus populi Ducibúsque contigit Palatium vacuari: eò quòd multos ex Francorum nobili genere filio contulerit, qui cum eo Regnum nouiter susceptum tuerentur & regerent. Hac igitur occasione vt aliquibus videtur, vt plurimis verò credibile visum est, ob Francorum suspectam fidem, quam semel in coniuratione, dum bellum inchoaretur Saxonicum, expertus est. Iterum autem in coniuratione Pipini naturalis filij, quibusdam seruorum suorum fisci debito subleuatis, curam tradidit Regni, atque in primis RAHONEM Aurelianensibus Comitem præfecit, Bituri-gensibus STVRMINIVM, Aruernis BERTMVNDVM, aliisque vt ei visum est locis alios præposuit. Sed Raho, vt eius debitum exposcebat naturæ, nimia insolescens astutia, cupiditate verò crudelior effectus: cùm vniuersa, quæ Aurelianensium fines continere videbantur, sibi subiecta cerneret, Cœnobio dumtaxat Sancti Benedicti excepto, quod ab Abbate tunc regebatur RADVLFO, consilium habuit, Abbate interfecto, præfatum præripere Cœnobium. Quod maturatò peregisset, nisi pietas indulgentissima Conditoris obuiam se tanto facinori opponere disposuisset. Fretus itaque fiducia peragendæ malignitatis, quendam è suis satellitibus ad Regem dirigit, qui mortuum Radulfum Abbatem nunciaret. Statimque, ac penè è vestigio alterum mittit, qui Radulfum Abbatem ad colloquium euocaret mutuum. Sanè legatus Regi directus accelerato itinere Palatium venit, iussa exequitur: necdúmque peracto negotio, aliquamdiu Palatio immoratur. At verò Radulfus Abbas conscensis equis, cum paucis ad colloquium properat fallentis amici. Sed dum ille iter perageret, Comes balneum ingressus curam corporis agebat; dúmque adhuc in balneo resideret, Abbas Monasteriolum Sancti Gundulfi ingreditur: (nam inibi tunc morabatur Comes) obuiúmque habuit quendam pomilionem, nomine Gauringisum, qui facetiis Comiti inseruiebat. Quíque insidias ei Comitis, cùm nutibus, tum sermone denuncians, fugæ auxilium expetere hortatur. Itaque Abbas verso gradu, calcaribus equum impellens, citato cursu Ligeris alueum repetit, nauémque conscendens, in citeriorem transuehitur ripam, celerriméque Monasterio recipitur. Intereà nunciatur Comiti, Abbatem inibi affuisse Radulfum, sed concitè rediisse. Cernens Comes, acerrimè se ab Abbate præuentum, nec malitiæ suæ ac fraudi locum patere vllum: nimio felle commotus, à balneo exiliens, linteo obuoluitur, séque in lectum aliquantulum requieturus proiicit, residente ad caput eius Deutheria concubina. Eo altiori sopore depresso, astitit in visu quidam senex Monachi habitum gerens, „ quem sequebatur puer eiusdem habitus. talitérque ad eum infit: O Comes, quid „ promerui, quia voluisti Abbatem interficere meum? Cui cùm ille negando responsum ederet, nequaquam se Abbatem suum necare voluisse: illi toruo vultu in eum respiciens, simúlque baculo, quod gestabat, incuruo caput eius percutiens, „ inquit: Per caput hoc, testor, pœnitudinem te huius facti inutiliter citissimè „ acturum. Qua percussione excitatus, à lecto exiliens, efferatus animo, in vocem „ erupit, dicens: Væ mihi, væ mihi, iam nunc morior. Cúmque astantes territi re-

A quirerent, quid causæ esset, cur talia, ac si mente captus, effunderet verba, pallens, ac tremens, sciscitantibus respondit: Quiescenti mihi in lecto sanctus astitit Benedictus, veneranda decorus canicie, quem sequebatur puerulus, & ipse Monachus; cœpitque aduersum me conqueri, quamobrem Abbatem suum interficere vellem. Cúmque ei responderem, nullatenus me Abbatem suum interficere voluisse: baculo, quod gestabat, caput meum validè percutiens, morti me vicinum reddidit, vnà etiam comminans, citissimè huius facti me inutiliter pœnitudinem peracturum. Hæc dicens, dolore interiora citiùs penetrante, nocte sequenti, morti corporis mortem animæ socians, manium obsequio miserrimam animam Herebi iaculatur ad ima. At Radulfus Abbas, agnita eius præpeti quidem, sed serotina morte, legatum dirigit, qui Regi & suam renunciet vitam, & Rahonis exitiales exequias. CAROLVS MAGNVS.

REGALI munificentiâ huic sacratissimo Cœnobio à priscis Francorum Regibus per Præcepti proprij syngrafum concessum fuerat, vti quatuor naues, immunes ab omni debito fisci, per alueum Ligeris discurrerent. Cùm itaque suprafati Comitis tempore, harum vna, ob salis euectionem, Nanneticam vsque ad vrbem peruenisset: atque in regrediendo tuta ex præcepto Regio, omnes itineris portus ciuitatésque pertransiret, ad vrbem peruenit Aurelianam, ibique à Telonariis ciuitatis detenta: rector nauis, vectigalis gratiâ, quæstioni subiicitur. Liberalitatem Regiam illo reclamante; contempta Regali auctoritate, exactor nauem onustam sale fisco subiicit: atque cum ceteris nauibus Procuratori portus committit. Erat, quando hæc agebantur, dies Dominica. Sed circa horam diei tertiam, cunctis Missarum celebratione detentis, nauis, quæ cum ceteris in portu fiscali tenebatur, subitò absque humano remige à portu emota medium Ligerim petit, quo fortior vis aquæ decurrere solet. Ibique contra aduersum pelagus fortiter enatando, peruenit ad posterulam, quæ vsque hodie sancti Benedicti dicitur, ibique appulit. Concurrunt vndique ab vrbe populi incognitum cernere miraculum; stupentésque, voces clamoris atque adhortationis proferunt: Videte, ô ciues, contemplamini qualiter nouus nauta dilectus Domini Benedictus, mortali sine remige nauem propriam mediis regit in fluctibus! Confusa denique omnis Procuratorum fisci audacia, in posterum ab hac sese compescuit stultitia. XIX.

B

KAROLO Augusto Magno, Imperatore Francorum, diem obeunte HLVDOVICVS filius eius Imperij gubernacula suscepit. Cuius tempore variis tumultuationibus Regno Francorum attrito, multo ac graui turbine Ecclesiæ visus est concuti status. Namque filiis diuersa aduersus patrem molientibus, quantum ad totius Regni specimen attinet, intestina oritur conlisio. Dúmque pater alios honoribus ob merita priuare, alios cumulare opibus studet: idipsum verò aduersus patrem, deiectos ab illo erigere, sublimatos deponere conantur: tempestatis instar maritimæ, subiectos hac illácque dispergunt. Qua causa, res quarúmque Christi Ecclesiarum contigit grauissima pati dispendia. Inter quas Ecclesia Aurelianensis cum contiguis Sanctorum locis, quæ sub regimine Dominicorum Clericorum siue Monachorum consistere videbatur, non modica vexatione afflicta est. Siquidem MATFRIDO Comite quondam Aurelianensi ob culpam inertiæ propriis honoribus priuato; HODO in eius locum substituitur. Qui insolentia graui contra sui naturam elatus, cuncta quæ iuri subiacebant Ecclesiæ Aurelianensis, Matricula excepta, sed & Abbatiam sancti Aniani, necnon sancti Benedicti, in propriam molitur redigere potestatem. Quod Monachi Cœnobij sancti Benedicti cernentes, consilio inito, misericordiæ Domini solius se committentes, maximam partem suorum Fratrum ad præfatum dirigunt Comitem, nimia insanientem tyrannide, cum pignoribus Sanctorum: omnigena supplicantes prece, ne tantum incurrat piaculum, néve res sacro ordini delegatas ad nefarios transferat vsus: sed magis seruos Dei, res sibi à Domino traditas liberè liceat ordinare. Quæ petitio nulli apud eum valuit. Cœperat eo in tempore expeditionem parare, viribus vndecumque contractis, aduersum Lambertum, atque Matfridum, sociósque eorum, Neustriæ partibus residentes, qui ab Imperatore ad HLOTHARIVM defecerant. Cui expeditioni iusserat quoque interesse IONAM venerabilem Episcopum Aurelianensem, & BOSONEM Abbatem S. Benedicti: quorum res iniustè sibi vendicauerat. Interea auxiliares ex superiori Burgundiæ XX. LVDOVICVS PIVS.

C

LVDOVICVS PIVS. ad id properantes bellum, vtramque Ligeris ripam tenentes, rapinis cuncta vastabant. Quorum vesaniæ Boso Abbas obuiando, iussit naues portus ita paratas adesse, vt si populus ex superioribus aduentans partibus citeriorem ripam teneret, nautæ omnem pecuniam familiæ Cœnobij ipsius, in maioribus minoribúsque pecoribus, seu ceteris mobilibus consistentem rebus, nauibus exceptam, amnem vltra transferrent. Si autem vlteriorem viam pergeret, versa vice idipsum ex supradictis agerent rebus: transvehendo scilicet cuncta in hanc aluei partem. Præficitur huiusmodi negotio Hercambaldus Presbyter bonæ vitæ, & nominis, qui & in hoc eodem Cœnobio vitam tenuit regularem, eáque, quæ scribere proposui, viua voce sub attestatione veritatis cunctis profitebatur certissimo se cognouisse visu. Dum enim per triduum profectio perduraret exercitus, labor non dicam nautarum, verùm ipsorum excreuit nimius animalium: itémque ex peruigilio, lassitudo præualida. Fessus continuatione vigiliarum Presbyter, circa crepusculum tertiæ noctis, domum properat; atque in stramine cuiusdam lecti, impatientia victus somni, se proiicit. Móxque vt quippiam somni carpere potuit, conspicit in visu astantem sibi personam sub Monastico habitu, baculum manu gestantem; quem sequebatur puer eiusdem habitus. Itaque stupescentem Presbyterum persona illa clementer alloquitur. Quid est, Frater? Cur modò hîc taliter iaces? Cui ille, venerandi vultus intuens personam: Domine, inquit, vobis, cunctísque notum est, quantum nobis, ac familiæ nostræ Hodo Comes, necnon populus ei fauens inferat mali: ideóque iniunctum præcepto Abbatis officium cura peruigili certatim dum prouideo, quatinus nauali effugio familia nostra seruare à raptoribus valeat supellectilem suam; grauatus somno, in hoc me stramine proieci. At Senior verbis fauens Presbyteri, talia refert: Noui vera esse, quæ dicis. Sed antequam his, quæ dolendo quereris, verissima satis faciam promissione, causari aliquantulum libet. Mirum valdè est, quamobrem Fratres nostri culpam in me redarguant ignauiæ, ac si ego nullam vexationis illorum curam habeam, velútque letargo oppressus, in eorum releuatione dormiam: Quod pro certò fieri nequit. Si enim præceptis Omnipotentis curam adhibueritis obediendi, Regulæ quoque per me à Deo vobis traditæ mandata exequuti haud segniter fueritis, cuncta aduersa fient prospera, inimici amici efficientur, gratiámque suam fautor omnium bonorum in nullo negabit. De hac verò, quæ nunc est, iniuria vestra, scitote iam clementissimi Conditoris omnium sententiam propitiam erga vos effectam: eúmque, qui tyrannidis aduersum Ecclesiam indignè arma corripuit, septimum nequaquam transigere Solem, donec huius rei incurrat pœnitudinem. Habete ergo in Domino fiduciam, & in illo confortamini. Dum hæc Senior delectabilibus ederet verbis, Presbyter quibus poterat nutibus puerum sciscitabatur, quæ esset tantæ venerationis persona. Cui puer submissa voce: Hic est, inquit, Pater noster Sanctus Benedictus.

XXI. SÆPEDICTVS itaque Presbyter cùm rescisset, beatissimum Patrem secum in visu colloqui, cœpit, cunctis qui aderant videntibus, ab eodem sese lectulo brachiis extentis protrahere, ac si vestigia eius, quem cernebat astantem, tenere posset: simúlque voces cuiusdam murmuris emittere anxius, quas nullatenùs astantes intelligere poterant. Tandem expergefactus hâc illâcque obtutum vertendo discurrens, supplici, ac penè lachrimabili voce semel & bis ingeminat, dicens: Quorsum Dominus meus Sanctus Pater Benedictus abiit? Cognitorem omnium occultorum Dominum testor, modò hîc eum in specie corporea à me visum, mihique loquutum. Nec mora, ipse quoque Presbyter Monasterium veniens, Patribus eiusdem loci, cuncta quæ visu cognouerat, monita denique piissimi Patris, necnon adhortationem eius sedulè refert. Qua relatione mœsti releuati Fratres, semet inuicem ad agendas Deo gratias hortabantur, qui auxilio desertos humano, solito tuebatur munimine. Necdum promissi cursum expleuerant Soles, & ecce ex acie castrensi quidam Clericus fuga lapsus, cui nomen Hierardo, postridie belli exhausti, hora ferè diei octaua, Monasterium peruenit, diróque nuncio Cœnobium omne perculit. Nunciat namque cruentissimam cædem nostrorum, aduersariorum victricem insistere manum, copias omnes cum auxiliis hinc inde contractis hâc illâcque fugæ subsidio dilapsas. Ductores belli HODONEM, fratrémque illius GVILLELMVM Comitem Blesensium, Teutonem denique Abbatem

A batem sancti Martini, GVIDONEM Comitem Cenomanensem, cum multis aliis amplæ opinionis viris, mortem oppetiisse. Quo nuncio grauiter afflicti Fratres, ad Dominum exorandum pro tanta Christiani populi cæde se intentissimè conferunt. Licet enim quidam illorum, qui tanto interfuêre discrimini, nimium graui infortunio Ecclesiæ iuri subditas non dicam premerent, immò penitus gentili more auerrent, tamen humanæ affectu naturæ, seruorum Dei corda pro dolore concussa sunt: memoria recolentes, quid animæ perseuerantes extrema sub luce in malis apud inferos patiantur, quibus cruciatibus torqueantur, quorum vitæ finis exitiale stipendium meruit. Quamobrem præcepti diuini memores, dicentis: *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos; vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est: qui Solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*; communi consilio pro his preces ad Dominum fundere statuunt; quatenus etsi perpetuis non mererentur absolui cruciatibus, saltem mitioribus mulctarentur à stricto Iudice pœnis. ---

LVDOVICVS PIVS. [illegible]

DIVI Augusti LVDOVICI temporibus, cùm secundum Euangelicum Domini dictum, *Abundante iniquitate, refrigesceret charitas multorum*, dissidio gentis Francorum accidit multifariam Rempublicam eiusdem Regni affligi. Namque prauorum hominum consiliis, dum consultatio Reipublicæ in superbiam dominatúmque se transformauit, Primoribúsque magis sibi inuicem inuidere & obloqui, quàm Regni vtilitati consulere placuit: cœpêre Regibus boni quique suspectiores existere, quibus, vt ait Crispus, semper aliena virtus formidolosa est, atque inprimis Genti contraria sentire. Qua de re actum est, vt dum Imperator Nobilitatem veteranorum deponendo insequitur, ac hi memores pristinæ virtutis, defensare libertatem nituntur: defectionis ab Imperatore, Regníque magnum pararint exitium. Sed quia nostri haud quaquam propositi est, Regum actus stilo comprehendere: imò miranda Dei opera per seruum illius Benedictum patrata litteris committere, relictis quæ, vt ita dixero, perperam necne peracta sunt, ad ea quæ cœpimus redeamus. Imperator, vt dictum est, suspectos Francorum Primores habens, Germaniæ populos Aquitaniam profecturus euocat, Saxones videlicet, Thoringos, Baioarios, atque Alemannos: eísque, quos virtute Francorum pater armis subegerat, Regni statum incompositè committit. Illud quo animo Franci exceperint, in promptu est agnoscere. Libertate igitur Transrhenani, ac si ob tutelam Imperatoris adepta, vitiis sese, omnémque subdidêre exercitum. Deprædationibus scilicet pauperum, bonorum virorum dehonestationibus, sacrorum locorum violationibus, ac reliquis quæ piget enumerare malis. Sed dum Imperator expeditionem in filium agens, Aquitaniam versus, Ligeri fluuio propinquaret: accidit quosdam supradictorum populorum Duces, villulas Cœnobij sancti Benedicti vastando attingere. Cùm verò, grassante prædonum sæuitia, quid iam pauperibus diriperent deesset: Monasterio proximant, idipsum quod & in reliquis acturi locis. --- XXVII.

C IMPERII Francorum Monarchiam HLVDOVICO Augusto (vt præfatum est) gerente, venerabilis Abbas Hilduinus Cœnobij sancti Martyris Dionysij Legatos Romam direxit, atque ab Eugenio Papa corpus beati Sebastiani Martyris impetrauit. Quod delatum in sancti Medardi Basilica, iuxta corpus eius, in loculo gestatorio ad tempus collocauit. Quo in loco innumera miraculorum à Christo patrata sunt opera, interuentu sancti Martyris. Postera sanè tempestate, Boso Abbas Monasterij sancti Confessoris Benedicti Palatium euocatus adierat. Vnde regrediens, transitum per Monasterium sancti Dionysij congruum habuit. Proinde diuertens ad præfatum Cœnobium, cum Hilduino reuerendo Abbate colloquium habuit familiare, intérque familiaritatis colloquia reliquias ab eo sanctorum Martyrum expetiit, Dionysij scilicet, Rustici, & Eleutherij, atque Sebastiani. Cuius precibus nobilissimus Abbas libentissimè annuens, quod petebatur sub ea conditione præstitit, vt quotannis adueniente Natalitio eorumdem Martyrum, celeberrima apud nos ipsorum festiuitas more Monastico haberetur. Susceptis gratantissimè Boso Abbas sanctorum pignoribus, lætus ad propria regreditur. Die verò aduentus sui ad Monasterium, iussit directo misso vt cum honore Sanctis condigno Fratres sibi occurrerent haud procul à Monasterio. Iussis obedientes Fratres excipiunt memorias sanctorum Martyrum cum honore, quantum XXVIII.

CAROLVS CALVVS. mortalibus conceditur dignò sub die vndecimo Kalendarum Iuliarum, atque in Ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ collocant. A

XXXIII. Verum piissimo Augusto Lvdovico carnis onere spoliato, Regnum Francorum, quod ex diuersis Nationibus solidum corpus fuerat effectum, trifariam diuiditur: atque à tribus eiusdem Imperatoris filiis ad regendum suscipitur. Et maior quidem natu Lotharivs Franciam cum Italia, Lvdovicvs Saxoniam omnémque Germaniam, Carolvs autem iunior Burgundiam cum Aquitania possedit. Sed vt de Regnis taceam, bellísne attrita decreuerint, an pace continua aliquanto floruerint: nostræ partis ærumnas breuiloquio excurrere libet. Carolo Regni non minimam assequuto partem, infortunium iunctum fortunæ, Rempublicam maximo profligauit damno. Ac primum, Marchisis Britannici limitis inter se graui perduellione dissidentibus, bellum oritur vtræque lugubre parti. Quamuis enim Rainoldo occumbente, victor Lambertus extiterit, non adeò tamen victricia ab hoste retulit signa, dum millia suorum prospexit oppetiisse satellitum. Idque aduersum Herivevm repetens, primum natorum Raiholdi, arma ob vindictam paternæ resumentem necis, eundem malè depugnantem vicit, telísque confossum neci tradidit. Hoc dissidij genere bellatoribus vtrimque pereuntibus, penè omnis illa regio defensoribus nudata suis, præda Gentibus patuit externis. Brittonum siquidem proxima vis limitem transgressa antiquum, Nanneticam regionem, Andegauensem quoque, Meduanam vsque fluuium vastando cædibus atque incendiis, in suam redegit potestatem. Obstiterat quidem Lambertus iampridem id annitentibus: sed iussu Regis loco cedens, Brittonibus explere conatus permisit barbaricos. Præterea Nortmanni, gens Aquilonalis, nostro generi plus æquo præcognita, non iam pyraticam exercendo, omnem oram maritimam pessumdedit, atque vt verius dicam, in vastam redegit solitudinem. Fuerant eorum pessimi conatus sæpè à Ducibus illarum regionum sibimet succedentibus frustrati, Lamberto scilicet, atque Rotberto, necnon Rainulfo. Sed illis varia pereuntibus sorte, omnis ferè Neustria, quæ à Genabensi vrbe per transuersum Lutetiam vsque Parisiorum pertingit oppidum, Normannicæ patuit feritati. Inruptionibus namque creberrimis cuncta vastando circumeuntes, primo pedites quidem, eò quòd equitandi peritia deesset, deinde equis euecti more nostrorum, omnia peruagantur. Interea stationem nauium suarum, ac si asylum omnium latrunculorum, in insula quadam Cœnobio sancti Florentij subposita componentes: mappalia quoque instar exædificauerunt burgi, quo captiuorum greges cathenis adstrictos asseruarent: ipsique pro tempore corpora à labore reficerent, expeditioni illicò seruitura. Ex qua inopinatos discursus agitantes, modò nauibus, modò equis delati: totam circumcirca deleuêre prouinciam. Et primo quidem aduentu vrbem Nanneticam incendio cremauêre. Andegauensem percurrentes regionem, ipsam quidem ciuitatem concremant. Pictauorum verò castella atque vicos, omnémque patriam à mari vsque eandem Pictauam vrbem populantur, vastant: cædibus replentes omnia. Sequenti tempore nauigio Turonum veniunt, eámque de more stragibus opplentes, ad postremum ignibus tradunt, populata omni circumquaque regione. Haud longo pòst, superiora Ligeris amnis nauibus expetentes, Aurelianis perueniunt: captámque vrbem auro distrahunt, Agio tunc temporis præfatæ vrbis Præsulatum gerente. Sicque ad tempus recedentes, secundò aduentu prædictam ciuitatem combustione dissipant, matre duntaxat Ecclesia, quæ in honore sanctæ Crucis iubente Constantino Augusto à beato Præsule Euurtio sacrata erat, studio bonorum hominum remanente. Quid denique solius Neustriæ clades memorando, stilum protrahimus? Haut solæ quatuor supra memoratæ vrbes excidij damna sensere. Quid Lutetia Parisiorum nobile caput, resplendens quondam gloria, opibus, fertilitate soli, incolarum quietissima pace, quam non immerito Regum diuitias, Emporium dixero populorum? Num magis ambustos cineres, quàm vrbem nobilem potis est cernere? Quid proinde Bellouacus? quid Nouiomagum, & ipsæ quondam Galliarum præstantissimæ vrbes? Nónne & ipsæ inruptionibus Nortmannicis, atque hostili gladio concidêre. Piget referre Cœnobiorum nobilissimorum tam virorum, quàm fœminarum Deo deuotè seruientium, excidia, stragésque non ignobilium plebium, captiuitates matronarum, virginum ludibria, ac cuncta, quæ victis victores inferre valent, infanda tormen-

A torum genera. Quid Aquitanicæ Gentis ingentem referam afflictationem, quæ olim bellorum nutrix, nunc frigidam bello præferat dextram, suísque orbata luminibus Ducibus egeat alienis? Etenim ipsa quoque, optimos quosque genitalis soli in sese elidens, patet nunc præda Gentibus alienis. Ab ipso quippe, vt ita loquar, Oceani littore, Orientem versus, Aruernum vsque clarissimam veteri tempestate Aquitaniæ vrbem, nulla libertatem retinere valuit Regio; non oppidum, aut vicus, non denique ciuitas, quæ non strage ferali conciderit Paganorum. Testatur hoc Pictauis fœcundissima quondam vrbs Aquitaniæ. Hoc Sanctonum, hoc Engolisma, hoc Petrogórium, hoc Lemouica, hoc certè Aruernus, terminus nunc vsque barbarici gladij, ipsúmque Auaricum caput Regni Aquitanici proclamant: nulla scilicet bellica obuiante manu, hostili grauiter sese concidisse incursu. His atque huiuscemodi malis per triginta fermè annorum spatium, Gallis non absque piaculo quorumlibet detritis, cultus quoque diuinæ Religionis quomodo processerit, vtrum necne floruerit, in promptu est cuilibet, licèt tardioris ingenij, mortalium persentiscere. --- :· CAROLVS CALVVS.

INTEREA Nortmanni, vt suprà paucis prælibauimus, secunda inruptione Aurelianos aggressi, vrbem ambustione concremant: pársque illorum, duce Bareto, cum quadraginta nauibus Monasterium sancti Patris Benedicti expetunt, quod ab vrbe Aurelianensi decem & octo distat millibus. Illud denique vacuum habitatoribus reperientes, cunctis verò mortalium temporaneis refertum commodis: more sibi familiari prædantur, dissipant, ad postremum verò igni immisso adurunt. Aberat iam tunc corpus sacratissimum Confessoris Christi Benedicti. Siquidem prima vastatione præfatæ vrbis, curam huius sacri loci agente Bernardo, nobilissimi generis viro, leuatum à loco sepulchri sanctissimum corpus in scrinio cum honore congruo repositum est: sícque in loculo gestatorio collocatum, qualiter quocumque fugiendi impelleret necessitas, à Fratribus fugæ præsidio sese tuentibus deferri posset. Sed gratia Christi agente, gentili gladio sedes sibi aptatas repetente, sanctissima membra loco conduntur proprio. Secundo verò incursu hostium, iam prælibato Abbate vltimos sui regiminis decurrente Soles, iterum leuatum sanctissimum corpus, atque in loculo vectario depositum, hac illácque, prout opportunitas fugæ se obtulit, à Fratribus defertur. Non tamen infra hæc temporis spatia, gratia diuina seruos suos, quanquam miserabiliter peregrè incertísque sedibus iactatos, obliuisci dignata est, quin miraculis solaretur, per dilectissimum suum patratis: quatinùs titubantia propter tot aduersos casus hominum corda, ex præsentia tanti Patris, virtute quoque præ oculis habita, abundantiùs roborarentur. Post exhaustum namque graui grassante incendió Cœnobium, nulla iam soli gratia remanente (quippe cui non templa diuinis cultibus apta, non lares diuersis extructi vsibus, non horrea, non penora, non certè quippiam decoris, aut vtilitatis restiterat, nudíque maceriarum parietes, stuporem spectantibus oculis, horrorémque magis quàm decus, aut gloriam præferrent:) compulsi Fratres, domum quondam quieti aptatam interpositis partientes arcubus, de parte vmbram finxêre minoris sacelli. In quo fabricato altari, diuinum officium interdiu celebrabant. Quo etiam in loco corpus beatissimi deferunt Benedicti, in loculo adhuc gestatorio positum. --- :· XXXIV.

Ex Appendice ADELERII *Floriacensis ad Adreualdum.*

INTEREA Rex CAROLVS, fratribus duobus vita humana decedentibus: tertióque LOTHARIO, ob pœnitudinem qua patrem carcerali mancipauerat custodia, Monacho Prumiæ apud Monasterium effecto, totius paterni Imperij summam assecutus: gratum se cunctis & fauorabilem præbens, nonnullos Francorum in suæ vnanimitatis allexerat augustalem Sublimitatem. Sicque in virum perfectum sese cotidiè extendens, ita Christianissimi in ditandis sanctorum Cœnobiis strenuè exercebat deuotionem, vt nemini priscorum Regum, qui Regij nominis claruerunt dignitate, impar visus sit in omni sancta Religione. Nam inter cetera quæ huic loco contulit munifica affluenti sua largitate, sacerdotale in- XLI.

LVDOVICVS III. dumentum, quod ex capella fratris sui Lotharij abstulerat, dum ex bello reuerteretur Fontanetico, deuotissimè præbendo concessit. Necnon duo vasa aurea pondo librarum .... appretiata, cum Euangelij textu, subtili operis diuersitate fabricato, solomni donatione per seipsum, ob medelam animæ suæ studuit conferre. Verùm, vt præfatum est, obeuntibus fratribus, Romam apparatu magnifico proficiscens, fauore plebis totius Imperator & Augustus Romani Imperij appellatus est. Cúmque in redeundo, fines Italiæ attingeret, quorumdam maliuola deceptione illectus, apud Papiam ciuitatem, non sine maximo suorum luctu. pridie Nonas Octobris vitam veneno finiuit. Huius postmodum filius vocabulo LVDOVICVS, Regnum patrium suscipiens, vix duobus annis eo potitus, laboriosum quibusque nobilibus Regni sui consecrauit initium. Nortmannica siquidem Gens, quæ iam bis, vagina suæ habitationis exempta, pyraticam toties exercuerat: demùm de morte patris eius vires resumendo, intra terminos Regni Franciæ liberè paucis resistentibus, cladem malignitatis suæ inferebat continuè. Et primùm partes aggressa Neustriæ, cædibus & rapinis tota conaminis sui peruersitate intenta, quæque priùs desiderabilia & vitæ humanæ commoda videbantur diripere, & in suos nefarios vsus conuertendo, satagebat redigere. Peregissétque inchoata, nisi HVGO nobilissimus Abbas strenuè Rempublicam gubernans, cùm armis, tum consiliis suis & virtute, eius barbaricos conatus reprimendo, maximam ex eis manum peremisset. Quod qualiter huius per virtutem Patris Benedicti potenter effecerit, paucis subiiciendum censemus. Igitur pertransiens, vt diximus, nullo obsistente, plurimarum portus ciuitatum, Aurelianis deuenit, indéque altius gressum protendens, ad Monasterium Floriacum, cladem inflictura, accedere contendit. Porrò fama vulgante, istud iampridem Fratres compererant: competénsque eis visum est, vt loco cederent, & præsidio oportunitatis necessariæ se communirent. Proinde diuersorum vehiculorum plaustris aptatis, quæque preciosa in eis componentes, cum supellectili reliqua ad prædium Matriniacense decernunt contendere: quatinus illic quoquomodo tuta sua omnia possent esse. Ast eadem perfida Natio Monasterium deueniens, spéque sua frustrata, nihil in eo quod diripere præter parietes valeret reperiens, tandem plaustrorum recentibus vestigiis perspectis, eò tendendum deliberat, quò Fratres iisse suspecto animo æstimabat: vt melioribus eorum direptis, rediret patrata victoria. Præuenítque ipsorum nequam consilium omnipotentia misericordis Dei: quæ eos & sua virtute protereret, & innocentem plebem à maligna eorum infestatione benignè defendendo saluaret. Nam tum prædictus venerabilis vir Hugo, à partibus Burgundiæ ob suæ vtilitatem necessitatis, fortè Dei consilio vocatus, ad hos fines contenderat. Propéque Monasterium perueniens, relatu suorum addidicit, Fratres ab hostibus subsequi, ac ocissimè deprædari, nisi Dei liberarentur virtute mirabili. Denique hoc comperto, animum in diuersa protrahens, vtpotè cui militum paruus admodum in præsentiarum aderat numerus, anxiari super hoc multimodè cœpit & tæderi: qualiter occurrendum foret intra semetipsum reuoluens tantæ multitudini. Tandem hortatu GIRBOLDI nobilissimi Autissiodorensium Comitis, animum congrediendi bellum assumpsit: asseuerans nulla vmquam passum discrimina fore, qui beati Benedicti Patris seruitutis gratia, aduersantium agmini sese immiscuerit. Roboratis ergo hac exhortatione animis, confisi meritis & auxilio excellentissimi Patris, haud procul à Monasterio hostes prosequuntur à tergo. Consertóque forti animositate graui prœlio, tanta depopulationis strage in eos bacchati sunt: vt ex tanta populi numerositate vix fuerit aliquis, qui belli euentum intimaret posteris. Patrata itaque desiderabili victoria, belli Dux suos interrogans requisiuit, si fortè quempiam reuerendæ visionis Monachum, iuter densitates hostium sibi viam pandentem, proprio visu contemplati essent. Quibus respondentibus, se in illo prœlio neminem Monachorum vidisse, statim ille: Sanctus, inquiens, Benedictus, me per totum belli huius certamen protegens, sinistra manu equi mei habenas dirigendo ac custodiendo tenuit: dextra verò baculum manu tenens, plurimos hostium prosternendo morti tradidit. Sic & nocentibus pœna, & innocentibus interuentu Patris Benedicti securitas reddita est: præstante benedicto Dei filio, cuius nomen benedictum permanet in secula seculorum.

A

CAROLVS SIMPLEX.

Ex Libro II. de Miraculis sancti Benedicti, qui est AIMOINI *Monachi Floriacensis primus, ad* GAVZLINVM *Abbatem.*

GALLICANARVM incolas regionum assiduis exterarum labefactatos incursibus Nationum, & veteres & modernæ, quibúsque eas intellectu reuoluentibus pandunt Historiæ. Quos Iulij Cæsaris decennalis attriuit concertatio, Hunnorum subita dilacerauit inruptio, Gothorum subuertit præsumptiua habitandi inuasio: ad vltimum Francorum viuida bello dextra victos pariterque victores, æqua sorte, suo subiugauit dominio. Horum praeferox potentia, cùm in subigendis, tum etiam in arcendis à suis finibus barbaris Gentibus, viguit concordiæ viribus vsque ad diuæ memoriæ KAROLI CALVI tempora, filij Hludouici, cui agnomen Pius fuit. Contra hunc fraternæ insimulatio inuidiæ finitimarum concitauit odia Gentium, præcipuè Northmannorum, qui pyraticam exercendo, maritima Regni eius loca direptionibus grauissimis depopulati sunt. Obstitit primò eorum sæuis conatibus ROTBERTVS Andegauensis Comes, Saxonici generis vir, cui per id locorum à Rege summa rerum delegata fuerat: adnitentibus sibi præeminentissimis Neustriæ viris, Rainulfo atque Lamberto, vti eloquentissimus Auctor Adreualdus priori refert Libro. Sed illis varia obeuntibus sorte, Dani excursionis suæ liberam nacti occasionem, quæ & quanta ciuitatibus bina expeditione intulerint damna, vastationibus seu incendiis Monasteriorum ac reliquarum Ecclesiarum, studioso lectori præcedentis Operis textus patefaciet. Verùm Augusto Karolo rebus humanis exempto, filius eius HLVDOVICVS successit, qui Nihil-fecisse prænomen sortitus est, siue quòd vix duobus annis Regno potitus nil strenuè gessit, siue quòd Sanctimonialem quandam, sicuti à maioribus accepimus, Kalæ Monasterio puellarum abstractam coniugio copulans suo, peccatum quod nihil esse noscitur perpetrarit. Huius in diebus effera memoratorum natio Danorum, tertiam Neustrasiis inflictura cladem aduenit, intulissétque maiorem superioribus, ni HVGO, vt fertur, ROBERTI filius, per Gallias Abbatis honore præditus, eorum compescuisset temerarios ausus. Denique quòd parua manu innumeras hostium phalanges, adiutus manifesto sanctissimi Patris Benedicti auxilio ita fuderit, vt vix nuncius superuiueret, ex scriptis venerabilis viri Adelerij agnosci facile est. Qua plaga humiliati Dani, Gallias per aliquod spatium temporis quietas liquerunt. At Hugone vltimos vitæ suæ claudente Soles, Hludouicóque Principe post administratum biennio Regnum diem obeunte, KAROLVS eius filius, qui SIMPLEX posteà est dictus, in cunis æuum agens, patre orbatus remansit. Cuius ætatem Franciæ Primores incongruam, vt erat, exercendæ dominationi arbitrati, maximè cùm iam recidiui Nortmannorum nunciarentur motus, consilium de summis ineunt rebus. Supererant duo filij Rotberti, senior ODO dicebatur, ROTBERTVS alter, patrem nomine referens. Ex his maiorem natu Odonem, Franci licèt reluctantem, tutorem pueri, Regníque elegêre Gubernatorem. Qui mente benignus, & Reipublicæ hostes arcendo strenuè præfuit, & paruulum optimè fouit, atque adolescenti & sua repetenti, patienter Regna refudit. A quo parte Regni redonatus, quoad vixit tempore, hostibus terribilis, eíque semper exstitit fidelis. Ab hac fraterni mansuetudine animi in tantum frater eius aberrauit Rotbertus, vt eo defuncto, quia pars regiminis, quam germanus suus Odo tenuit, non redhibebatur, palàm tyrannidem inuaserit. Quam causam Aquilonales populi sibi non obfuturam arbitrati, cùm scilicet totius Regionis incolæ, studiis in diuersa porrectis, concordi nequaquam aduersus eos rebellarent animositate, totis incumbendum rapinæ viribus decernunt. Et quia nobis ad præsens non bella Regum, tumultúsve Gentium disserere, animo propositum est: quinimò Miracula per beatissimum nostræ vilitatis alumnum, Deo operante, patrata Benedictum, mens promere gestit; ad ea explicanda veniendum est. Non verò nos idcirco eum nostræ vilitatis auctorem fatemur, quasi nos ipse viles fecerit, verùm quia nos abiectos despectósque, nulliúsve momenti existentes, ad hoc suo interuentu ac sua ope prouexerit, vt & eius laudes promere, & quidquid in nos salutis, seu vtilitatis quiuerimus agnoscere,

CAP. I.

B

C

CAROLVS SIMPLEX. post Dominum ei debeamus imputare. Prophetici itaque nos memores existere A
oraculi, quo dicitur, *ab Aquilone omne venire malum*, ac si specialiter in nos prolati, frequens cogit memoratorum infestatio Paganorum, qui è genuina sua tellure instar apum super nostras sæpissimè, vt præfati sumus, prouincias examen effudêre prædonum. Qui hac vltima, de qua nunc nobis sermo est, expeditione, Rainaldo quodam duce, nostrarum reliquias spinarum, quantum in ipsis fuit, eradere procurarunt. Huius testes sunt rei, non solùm vt iamdicti verba testantur Auctoris Adreualdi, Sequanico Ligericóque littori, quibus Neustria nobilitatur fluminibus, Dordoniæ seu Garonnæ, quarum Aquitania insignitur fluentis, adhærentium vrbium: verùm etiam præminentium ruinæ ædificiorum. Intérque eminentissimum illud Karoli Magni Principis Palatium Cassignol, gloria quondam & decus cunarum filij eius iam præfati HLVDOVICI PII, quod ita Deo inimica gens subuertit, vt & inhabitabile redderet; & tamen quid aliquando fuerit, manifestè appareat. Id eo loci situm est, quo torrens *Quodrot* Garonnam influit: turrim lateritiam in margine memorati torrentis exstructam habens, è qua & aduentus præuideri, & ingressus hostilium possit arceri nauium, simúlque vt classis Regia absque aduersariorum impedimento fabricata in minori, ad fluenta maioris deduceretur amnis. Habet verò Ecclesiam ampliori Ecclesiæ coniunctam, miro opere ex lateribus fornicatam, in qua, si benè visa recordor, permodicum habetur sarcophagum, in quo frater Hludouici Pij geminus esse putatur sepultus. Inde B
etiam magnum Karolum Garonnam transiisse, Hispaniæ Christianis suppetias ferentem, ibique rediisse, Liber vitæ eius refert. Sed de his satis dictum, nunc propositum exequamur.

II. IGITVR innumeræ Nortmannorum phalanges, super quas Rainaldus Regnum obtinuerat quampluribus longis vsæ nauibus, vsque ad superiora Ligeris percursantes, cuncta deuastant. Tandem ad Cœnobium ter beati Deóque dilecti Benedicti, quod Floriacum dicitur, Rainaldus cum suis attingens, vacuum habitatoribus cunctísque necessariis offendit rebus, domibus duntaxat exceptis. Siquidem Monachi cum corpore semper nominandi Patris nostri Benedicti ad tutiora se contulerant loca, LAMBERTO tunc Abbate, piæ sollicitudinis erga eos curam gerente. Perueniens ergo inibi Rex memoratus, & ex captiuis rescíscens quorum hominum foret talis habitatio, Dormitorium Fratrum suæ metationis delegit sedem, in quo varia, vtpotè Paganus, dum patraret flagitia, vna noctium quiescenti ei Sanctus adstitit Benedictus duobus comitatus Monachis: vnus, vt ipsi Rainaldo videbatur, mediæ ætatis robore præditus; alteri puerilis inerat habitudo. Beatissimus autem Pater niueam capite canitiem præferens, baculum verò manu, ita iacentem alloquutus est aduersarium: Quid, inquiens, te Rainalde offendi, quòd me meósque à propriis perturbas sedibus? Sed mihi deinceps curæ erit, & te ab incœptis inhibere, & famulis Christi, ossibus quoque vna meis, optatam quietem reformare. His dictis, ligno quod manu gerebat incuruo caput iam C
expergefacti Regis contingens, prænunciauit terminum eius vitæ in proximo affuturum, sícque recessit. Turbatus hac visione Rainaldus, satellites magna ad auxiliandum sibi voce inclamat. Quibus accurrentibus, & quid pateretur percunctantibus: Quidam, inquit, Monachus, non alter, vt æstimo, quàm ille huius tutor loci, senex Benedictus, baculo verticem tangens meum, mortem minitando, dolorem mihi ingessit ingentem. Iubet confestim cunctos peruasa domicilia deserere, natiuúmque solum repetere; cum quibus ipse profectus, vt patriam attigit, crebrò debilitatus cruciatu, vita decessit. Tantáque subitò, moriente eo, ventorum procella inhorruit, vt non solùm culmina tectorum, verùm etiam eminentium subrueret moles arborum. Captiuorum vincula soluta, equi seu reliqua iumenta infra duodecim & eo amplius milliaria, à Rothomagensi vrbe ad pastum deducta, disruptis compedibus, in diuersa fugerunt. Corporis eius tumulo pyramidem superædificatam, validissimo accepimus terræmotu subuersam, ac eius cadauer tellurem à suo reiecisse sinu, quod culeo cum lapidum mole insutum, in Sequanam est demersum; quandoquidem humo non poterat contineri tectum. Hoc interitu memoria nefandi abolita fuisset hominis, ni vetustas Floriacensium incolarum curiosa futurorum, marmoream eius capitis fingere curauisset effigiem, quæ nunc in vltima parte parietis Ecclesiæ sanctæ Dei genitricis Mariæ, ac famuli eius Benedicti,

A Septentrionē versus, inserta perspicitur. Quatinus & præsentes, & sequuturi omnes agnoscerent, interuentu eorumdem Sanctorum Omnipotens Deus qualem quantámq; exercuerit in suis aduersariis vindictæ seueritatem. Adeò denique hæc vltio Northmannicam in posterum perterrefecit temeritatem, vt præ ceteris Galliæ Sanctis beatissimum reuereantur Patrem nostrum Benedictum. CAROLVS SIMPLEX.

INTEREA ROTBERTVS affectatæ tyrannidis potentiam palàm exercere cupiens, à quibusdam Episcopis diademate se Regio coronari, ac sceptro Regni insigniri, partim blanditiis, partim minis extorsit. Sed nequaquam huius præsumptionis lætos habuit exitus. Denique Suessionicis in campis bello à Ducibus Karoli exceptus, vitáque spoliatus, licèt exercitus eius victoriam obtinuerit, ipse tamen nefariæ temeritatis pretium luit. Nec tamen socij defectionis, interitu eius territi, perfidiæ deseruêre contumaciam. Quin potiùs HERBERTVS Comes Virmandensis, infando scelere Dominum suum Regémque totius Franciæ Karolum dolo captum, vinculis quoque irretitum, Peronnæ direxit, tenebroso carcere recludendum. Et quia Regni status sine Principe agebatur in incertum: maximè cùm HVGONI Rotberti filio, qui pòst probis actibus MAGNI nomen promeruit, puerilis obsisteret ætas, quominùs Regias assumeret infulas, Herberti cunctos haberet odium, præcipuè eos quos humanitatis respectu ad misericordiam ærumna commouebat Principis: tandem RODVLFVS quidam, Burgundiâ RODVLFVS. III.

B oriundus, regendæ præficitur Francorum Patriæ. Qui quàm seuerus in coercendis sanctæ Dei Ecclesiæ extiterit prædonibus, hoc vno liquebit exemplo. Prædium olim Sancto Benedicto ab Hugone viro illustri, qui fuit tempore Dagoberti iunioris, dono erat datum ad stipendia Floriacensium Fratrum, in Burgundiæ partibus situm vocabulo Diacum. Illud quidam peruersæ mentis miles ad suos vsus rapuit: nec petenti Abbati vel Fratribus, in ius venire voluit. Querimonia ad se perlata, iubet Rex, peruasorem ab hac cessare temeritatis pertinacia. Qui vocem quidem iubentis audiuit, sed assensum parendi accommodare distulit. Renunciatur Principi, illum non solùm peruasa retentare, verùm etiam conuiuium ex substantiis Monachorum seu incolarum, in proxima silua sibi parare. Fortè Rex Autisiodorensis vrbis domicilia incolebat, cùm nuntius huiuscemodi rei aures eius attigit. Qui inexpectato milite equum ascendens, quantociùs ad locum properauit: relicto in ciuitate mandato, vt armatorum cohortes se digredientem subsequerentur. At regij satellites, fama proficiscentis Regis permoti, certatim prosequuntur iter maturantem. Verebatur enim, ne quispiam de exercitu agnita re æmulum redderet cautiorem. Vbi ad siluam ventum est, circuncingi eam Princeps imperat armatis: interminatus eum capite plectendum, à cuius partis custodia rerum peruasor Ecclesiasticarum fuga dilaberetur. Ipse cum lectis iuuenum siluæ abdita perlustrans: reperit eum quem quærebat, sumptis armis resistere vel-

C le. Quem Rex ipse Rodulfus, lancea transfixum, humi deiecit mortuum: apparitorésque eius qui imminentem euaserant necem, per diuersa fugere coegit. Hæc vt à Patribus accepimus, plana fide retulimus. Certúmque habemus, venerandæ memoriæ, ingeniíque singularis Patrem nostrum Benedictum, deinceps ei suum contra aduersarios contribuisse auxilium, præcipuè Northmannorum debellanti exercitum.

ABBATE Lamberto carnis sarcina exonerato, aliquanto interiecto tempore egregiæ sanctitatis ODO, ex Monasterio Sancti Giraldi, quod Aureliacum dicitur, adueniens, huic sacro prælatus est Cœnobio. Cuius in diebus, ea quæ ad sepulchrum sancti Confessoris sui Benedicti Dominus operari dignatus est, seu in aliis sub eius nomine locis, nobis vsque nunc incognita manent: partim antiquitate, partim Scriptorum negligentia obliuioni tradita. Ipse tamen eo Sermone, quem in eiusdem Patris laude ac honore facundissima dictauit eloquentia, memorat eundem Cœnobitarum Legislatorem suis temporibus multis Miraculorum radiasse signis. At eo migrante, & ARCHEMBALDO huius sacri ouilis solicitudinem excipiente: Drogo quidam, seculo non solùm corpore, verùm etiam tota implicitus mente, ad conuersionem venit. Cuius spiritum mundanæ vanitati iam pridem deditum, idem Abbas experiri pro certo volens, vtrum adhuc ex Deo esset, tramitem regularis excessit probationis. Nam petiturus Romam, animal sarcinas itineri necessarias ferens, manu trahere, absque vllius euectionis ad- IV.

RODVLFVS. iumentis, pedibus viam terenti, imperauit: vt qui prauitate morum reliquos A
secularibus nugis abrenunciantes excessisse credebatur, excederet etiam præostensa abiectioris forma humilitatis. Qua ille iniuria, quasi quadam cote ad virtutum acumen vsus, postquam vt susciperetur obtinuit, præcedere ceteros in sanctitate vitæ nitebatur. Verùm, memorato Abbate Monasterialis regiminis metas attingente, venerabilique viro VVLFALDO ei succedente, qui post Carnotensis extitit Præsul vrbis, iam dictus vir Drogo ab eo petiit, ægerriméque impetrauit: vt sibi in Cœnobitali diuturna probato conuersatione, eremi singularem liceret aggredi pugnam. Quam eo loco qui Balma dicitur, viriliter aduersus antiqui hostis insidias suscipiens, quanta & qualia temptationum certamina pertulerit: non est huius operis euoluere.

V. CETERVM RODVLFO Rege defuncto, qui dum armis proteruos Danorum compescit incursus, Gallias vsque adhuc ab eorum impetu magna ex parte facit manere quietas, conuersæ res. Nam KAROLVS ergastulo clausus, animam, non corpus custodiâ exemit: relinquens HLVDOVICVM ex Headtgiua Anglorum Regis filia susceptum. Qui calamitatis paternæ procella semet inuolui metuens, ad Anglos-Saxones maternæ affinitatis inuitatus gratia, se contulit: in transmarinis arbitratus se tutiorem manere regionibus, quàm inter suos Dominus si foret in cubiculo, Rex in conuiuio. Post excessum sanè Rodulfi Regis, ab Hugone Magno reuocatus; specie tenus Regno redditus est patrio. Cuius administratio, ius dominationis exercere cupienti, tam sui à Tethbaldo Carnotensium Comite captione, quàm post Regni recuperationem, varia instabilis fortunæ prouentu, laboriosáque illi fuit. Is obiit mortem, duobus liberis superstitibus, LOTHARIO atque KAROLO: quos ei GERBERGA soror Othonis, Romanorum postea Imperatoris, genuerat. Karolus æuo iunior priuatis in ædibus senuit. In hereditatem omnem LOTHARIVS successit, qui potestate Regia functus est per triginta & eo amplius annos, perpetua. Eius in diebus, tam apud sacratissima Patris nostri Benedicti ossa, quámque & in aliis locis, vbi eius veneranda habetur memoria, multa præstante Deo, per eundem egregium Confessorem patrata sunt miracula, quæ posterorum notitiæ, Christo nos iuuante, tradere adoriemur.

(Margin: LVDOVICVS IV. — LOTHARIVS.) B

VII. SOLIACENSIS castri, quod à vico Floriaco tribus distat millibus, possessor quidam HERBERTVS dictus est, HERCHENALDO genitus patre, fratrem habens nomine ARCHEMBALDVM Turonicæ Ecclesiæ nunc Archipresulem. Huic Richardus venerabilis Abbas, successor domini Vulfaldi, aliquà iuris Ecclesiastici prædia in beneficium concesserat. Qui nequaquam his contentus, reliqua quæ Cœnobitarum vsibus delegata erant nefando ausu diripiebat. Tum Pater Monasterij cunctáque Congregatio ad eum dirigunt: poscentes vt memor C
fidei iureiurando eis à se pollicitæ, res eorum inuadere desisteret. Quo paruipendente eorum monita, ad LOTHARIVM Regem, seu Ducem Hugonem, querimoniæ suæ flebilem deploraturi ærumnam, profecti sunt. Apud quos tum quidem parum proficientes, per semetipsos eumdem perfidæ mentis hominem adorsi, orant vt sui misereatur, ab eorum oppressione cessando. Verumtamen eo auertente aurem, ad nota recurrunt præsidia. Denique toto propemodum eiusdem anni Quadragesimali tempore, inter Letaniarum solemnia, sua Domino pro tribulatione fundentes vota, duo ærea pulsabant signa: vt eorum sonitu audientes ad simile inuitarent opus. Interim præfatus Herbertus in suæ malignitatis perseuerans contumacia, pessimis cotidie adiiciens peiora, quadam nocte cum quibusdum satellitibus in VVastinensem pagum adire disposuerat. Et quia iuxta veritatis vocem, *qui ambulat in nocte offendit, quia lux in eo non est*: luce vtique carens virtutum, ac tenebris obsessus vitiorum, obscuritate quoque mundanæ noctis, impius quisque se suósque actus celare nititur. Sed licet humanos, quantum in ipso est, deuitet obtutus: oculos tamen Domini, *qui super vias hominum sunt, & omnes gressus eorum considerant*, effugere nullatenùs valet. *Non enim*, vt beatus Iob testatur, *apud Dominum vllæ sunt tenebræ, aut vmbra mortis: vt abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem.* Sic itaque ab hoc impio Herberto ablata lux sua est: ipséque repentè sublatus, quia diù fuerat expectatus. Namque, dum equi tergo insidens, cum suis nocturna adopertus caligine iter carperet, aspexit subitò adstitisse lateri

A suo aliquem Monachalis habitus stigmata præferentem: cuius indumentum æthérea claritate, vt post ipse suis retulit, resplendebat. A quo baculo, quod præ manibus habere videbatur, inter scapulas ictus, horribilem emisit vocem. sicque visio ex oculis eius ablata est. Circum equitantes horrore vocis perculsi inquirunt sollicitè quid ei acciderit. Quibus ille: Sanctus, inquit, Benedictus nunc mihi assistens, valido me afflixit verbere: ex quo malè habens, immenso crucior dolore. Sed vos, ô fidissimi commilitones, retrogradum callem arripientes, ad domum me referte meam: indéque mihi veniam efflagitaturi, ad sepulchrum properate Confessoris gloriosum. Illi eius obtemperantes præceptis, hinc inde sustentatum, vndè digressus fuerat reduxerunt. Qui inter manus famulorum, in ipso penè ostij limine animam reddidit. Cuius deuoti fideles Cœnobij Patris Benedicti Fratres adeuntes, euentum rei innotescunt, petentes quatinùs vel cadauer exanime ad sepulturam suscipiant. Quibus illi, quamuis suspecti indignationis Abbatis sui, qui tum fortè aberat, assensum præbentes, susceptum corpus humo texerunt. Qui etsi pro parta sibi quiete applaudebant, pia tamen compassione defuncto compatiebantur, eò quòd in primæuo iuuentutis flore, vitæ huius priuatus munere, prauitatem quoque morum non valuit corrigere. LOTHARIVS.

MONARCHIAM Regni Francorum adhuc LOTHARIO regente, graui perduellione Primores Aquitanici Regni contigit turbari. Siquidem GIRALDVS Lemouicinæ vrbis Vicecomes, & BOSO Markam ipsius possidens Regionis, contractis aduersum se decertabant odiis. Quapropter HELIAS Bosonis filius dominum suum VVILLELMVM Comitem Pictauensem muneribus precibúsque pellexit, quatinùs castrum Giraldi, quod BRVCIA dicitur, secum obsidione cingeret. Qua de re non solùm villas Giraldo parentes, verùm etiam possessiones Salensis Cœnobij contigit grauiter deuastari. Nuncius ad Giraldum Lemouicina tunc in vrbe residentem venit, qui diceret, non solùm eius regionem, sed etiam agros Sancti Benedicti, eo quòd eius essent delegati tutelæ, ab hostibus depopulari. Ille in talibus nequaquam procrastinandum ratus, maximè confidens Benedictum Patrem sibi auxilio, ob suarum vastationem possessionum, adfuturum, dirigit eò Guidonem filium cum lecta equitum manu, dans in mandatis, vt hostes & à rapinis inhiberet, & iunctis sibi Argentomagensibus, ab obsidione, si tutò posset, bello deterreret. Argentomagenses non ignari per quem post Dominum in superiori pugna victores extitissent, ad iam nominatum S. Benedicti Monasterium oraturi venerunt, poscentésque à Fratribus eulogias panis & vini sibi tribui, dixerunt se tantæ fidei esse, vt absque dubitatione crederent, per illam escam meritis gloriosi Confessoris Benedicti se & in prœlio fore victores, & à mortis periculo immunes. Nec sua eos spes fefellit. Nam congressione habita, tanta aduersarios cæde affecerunt, vt post victoriam à Monachis respectu humanitatis etiam inimicos inhumare cupientibus vix sepeliri quirent. Attamen aratris humum hâc illácque more arantium inuerti præcipientes, glebis vtcumquè poterant cadauera obruebant. Nullus sanè Argentomagensium, qui pane ac vino S. Benedicti ob suæ salutis auxilium pasti fuerant, discrimen aliquod necis perpessi sunt: sed omnes victores, integróque numero ad sua redierunt, laudantes Dominum, eiúsque Confessorem summis laudibus extollentes Benedictum, cuius meritis & se periculo liberatos, & hostes palàm profitebantur esse fugatos. XVI.

RICHARDO Abbati Amalbertus successit, qui benignus naturâ, benignior etiam extitit humilitatis sibi insita mansuetudine. Hic à Lothario Ludouici quondam à Thethbaldo Comite capti filio, cum electione Fratrum, regimen nostri susceperat Cœnobij.-:· XVII.

POST excessum pastoris Amalberti, à quo in tenera ætate habitum Monasticæ suscepi Religionis, atque vtinam cùm proposito mentis, Oylboldus ad prælationem Floriacensium Fratrum, ipsorum electione, & Regia principis Hlotarij ascendit donatione.-:· XVIII.

LIBERALIS circa ægrotantes quoque ipsius sancti viri Benedicti extat gratia. Vnde vnum narro miraculum, quod memoratus Abbas Oyboldus suo lætatus est accidisse tempore. ARNVLFVS Aurelianorum Episcopus, aliàs sanè bonus, & Ecclesiasticas regulas scientia & opere optimè seruans, nunquam ad purum Prælatos huius Floriacensis loci dilexit. Ideo quàm maximè, quòd illi ditioni solum-

LOTHARIUS. modo parentes Regiæ, subiectionem qua ipse vltra modum delectabatur, nequaquam ei, ad ipsius voluntatis dependerent nutum. Qua de re vineas Sancti Benedicti, in suburbano Aurelianensis vrbis, in loco qui Boaria dicitur sitas; vt sui eas peruaderent satellites, assensum præbuit. Propter quarum recuperationem, cùm prædictus Abbas ad eum legatos misisset, nec impetrauisset: cum senioribus habito consilio, deliberauit vt sumptis Sanctorum pignoribus, imminente vindemia ad locum cum aliquibus è Fratribus, fructus earum collecturus properaret. Vt quia eidem viro viribus armatorum obniti difficile erat, cùm ipse multis seculari potentia præditis, Regibus quoque persæpè restitisse comprobetur, saltem hac arte obuiam iretur. Cui idem Pontifex, cunctos penè Antistites Galliarum suo existentes tempore in his quæ Iesu Christi sunt sapientia antecedens, refragari intuitu diuini respectus nequiret. Leuatis igitur duorum corporibus Martyrum Mauri atque Frongentij, sub nomine inclyti Confessoris Dei Benedicti, venitur ad locum. Et inter iter agendum, vicinis, & qui viæ propinqua incolebant domicilia percontantibus; cuius tam celebris foret pompa prætereuntium? respondebatur, sancti Benedicti. Inter quos, quidam æger longo attritus vires febrium ardore, sciscitabatur prætergradientes; cuius in obsequio tanta cum Crucibus viam tereret turba? Responsum ei est, sanctum Domini dilectum eo itinere Benedictum, ad suburbana Aurelianensium ob suarum defensionem transire vinearum. Quo ille audito, spem promerendæ salutis induens, imbecillia membra baculo sustentante, Reliquias vsque beatas protraxit. Prostratúsque sub argenteo quo reconditæ erant scrinio, in somnum reuoluitur. Transactâ verò vna nocte, manè primo surgens, incolumitati se sensit restitutum pristinæ. Ac gratias Deo agens, laudum quibus poterat præconiis sanctum attollebat Benedictum: procuratorem eum suæ dictitans sospitatis. Nec multùm à vero eius deuiabat opinio. Ipsius enim ope ac precibus, constat eum propriæ redditum virtuti, cuius meritis fisus, seu fama euocatus, ad illa properauerat loca. Licèt nos supranominatos veritatis testes nequaquàm ab huius secludamus operatione miraculi, immò per omnia æquales & merito iudicemus, & actu. Porro Fratres cum memorato Abbate peractis absque vllius interpellatoris impedimento pro quibus ierant, gemino lætabundi gaudio, ad sua regrediuntur. Verùm pauper ille spiritu qui sanatus erat, tuguriolum eo loci, quo ipse cubans superpositos capiti Sanctorum habuerat artus, ligneo construxit tabulatu, sub quo simili detenti languore quiescentes, si tamen plena eorum hoc fides exegerit, citissimam opitulantibus tribus memoratis Sanctis capiunt medelam: vti accolæ eorumdem testantur locorum.

Excerpta Libri IV. qui est AIMOINI *secundus, extant Tomo IV. pag.* 135.

A

EXCERPTA ALIA HISTORICA EX LIBRO II. VITÆ S. GENVLFI CONFESSORIS,

CVIVS AVCTOR ANONYMVS, sed vetustus & eruditus.

Ab initio Regni Francorum vsque ad Regem HVGONEM CAPETVM.

Ex eadem Bibliotheca Floriacensi Ioannis à Bosco.

B GALLIÆ situs ad Orientalem plagam, confinia sui & Italiæ iuga montium habet: ad Meridiem verò, fretum Mediterraneum, Prouinciam præterluens Narbonensem. Porro ad Occiduum, Hispanias, & Oceanum: quod Gallicum, siue Britannicum dicitur. Inde verò Septentrionem versus, protenditur vsque ad Rheni fluenta. qui ex supradictis Iouinis defluens Alpibus Galliam diuidit à Germanis. Hísque Gallia limitibus sic circumcincta refertur. Cuius apud Iulium Cæsarem, quondam quidem tripertita; sed nunc apud modernos, ob varios postea rerum euentus, exploratius considerata diuisio, constat. A Rheno siquidem vsque Sequanam, Belgica Gallia, quæ nunc à gente, Francia dicitur. Inde verò vsque Ligerim, Gallia Lugdunensis, quæ nunc superiùs, ob aduentum gentis, Burgundia; inferiùs, Neustria dicitur. A Ligeri verò vsque Garonnam, Aquitanica Gallia, quæ à sibi oriente Rhodano, vsque ad sibi occidentalem porrigitur Oceanum. Cuius etiam pars superior, à celsitudine montium qua præeminet, congruè Celtica nuncupata videtur. à Garonna quoque vsque fretum Mediterraneum vel Pyreneos montes, Gallia Narbonensis, quæ nunc partim Gothia, partim Vuasconia dicitur. In omni prorsus Gallia sedecim numero Prouinciæ habentur, quarum omnium felicior atque fœcundior Aquitania. Cap. I.

GALLIAM dudum fortissimi tenuêre coloni; qui totius Orbis victores Romanos multiplici bello penè protriuerunt, & ceteris infestiores Nationibus fuerunt. II.
C Sed quamquam diutiùs sic se habuerint, tandem sub prædicto Iulio Cæsare subacta est & ipsa, sicut & cetera totius Orbis terrarum Regna. Ex quo tempore vsque ad vltima Imperij Valentiniani tempora per quadringentos circiter & paulo magis annos, in Gallia principati sunt Romani. Quibus temporibus, externæ quoque à diuersis partibus Orbis intra Gallias sese Nationes immersêre. Vuandali namque & Huni, post afflictam patriam, alias decessêre terrarum. Sueui verò, Burgundi & Goti, atque Sicambri, post istos proprias sibimet sedes vendicarunt in ea. Quibus temporibus, Ecclesiæ Galliarum plurimæ, & antiquæ Sanctorum memoriæ, penè detritæ sunt & desolatæ.

SICAMBRI verò genus fuere illorum, qui à Troia ciuitate Asiæ, quæ à Græcis, ob eorum crudelia super finitimos bella, decennali prœlio fatigata, tandem quadringentesimo quarto ante vrbem conditam anno expugnata est. Ciues autem eius profugi ab Asia in Europam: pars sub Enea duce Italiam, pars verò sub Antenore per Meotides paludes, pérque flumen Tanaïs, Pannonias petierunt. Sed qui Italiam, postea vrbis Romæ conditores fuêre. Qui verò Pannonias, infra terminos earum ciuitatem Sicambriam condiderunt, à qua Sicambri dicti sunt: in qua etiam, plurimis temporibus, vsque ad supradicti Valentiniani tempora, qui septimus à Constantino fuit, quem sanctus Papa Siluester baptisauit, Romanorum tributarij manserunt. Id autem, vt contra Alanos, qui crebras inruptiones III.

è saltuosis & palustribus locis in Romanorum terras agebant, bellum susciperent, A
eis decennio remissum est. Quod suscipientes, ita totam deleuere Gentem, vt ex innumera multitudine nec vnus quidem superstes relinqueretur. Decennio verò decurso, solitum exacti tributum soluere renuerunt, propter adeptam ex Alanis victoriam. Quare Valentinianus ingenti coacto exercitu, bello Sicambros impetit, & vincit. Quo infortunio crudeliter efferati, terras circumquaque Romanorum peruadere cœperunt. Hi verò catenus Sicambri, siue à Franco Duce partis ipsius gentis, seu potiùs à feritate, Franci ex eo dicti sunt. Qui tunc temporis primum sibimet Regem nomine PHARAMVNDVM, filium Marcomiri, crearunt: & sub eo, cuncta quæ Romanis erant à Sicambris vsque Rhenum propria, in ditionem suam redegerunt. Quo defuncto CLODIONEM filium eius in Regno substituerunt. Post hæc autem Rhenum transierunt, Gallias occupauerunt, & sub Clodione & Clodomire, Merouingo, & Clodoueo Regibus, à Rheno vsque Ligerim cuncta Romanis Principibus abstulerunt. Deindè postquam CLODOVEVS beato prædicante Remigio cum suo exercitu Christianus effectus est, Gothos Arianos ab Aquitania, qui iussu Romanorum inibi consistebant, bello penè deletos expulerunt: & vniuersas Galliæ prouincias fortissimi Reges eorum, Catholici effecti, auxilio diuino sibimet vendicarunt.

IV. ITAQVE tàm à Romanis quàm ab externis quoque Nationibus, multis dudum tempestatibus, pessumdata Gallia: sic postea Francorum aduentu, Romanorum ab se iugo deleto, ad sui libertatem cornu virtutis erexit, vt ex eo deinceps libera vigeat, & Regiæ Maiestatis stemmate polleat. CLODOVEO verò supradicto, primo ex Francorum Regibus Christiano, regnante, sanctus Pater Benedictus insignis claruit virtutibus. Decedente Clodoueo, regnauit filius eius CHILDEBERTVS, cum tribus fratribus suis, Theodorico, Clodomire, & Clothario. B
Horum tempore, sanctus Gregorius Papa Romanus, & Gregorius Turonensis fuerunt. Post Childebertum CLOTHARIVS frater eius regnauit, qui sanctam Radegundem in matrimonio habuit. & post eum CHILPERICVS filius eius regnauit, cum tribus fratribus suis, Cariberto, Guntranno, & Sigiberto. His verò temporibus, sanctus Austregisilus magnæ Metropolis Bituricensis Archiepiscopus, clarus virtutibus fulsit. Post Chilpericum, CLOTHARIVS filius eius regnauit. Hic Clotharius genuit Dagobertum, & sororem eius Blitildem. Quo defuncto, regnauit DAGOBERTVS, cui fuit Pipinus Maior domus, vir egregiæ nobilitatis. His temporibus, sub Heraclio Principe Romanorum, sanctæ Crucis Exaltatio fuit. Post Dagobertum, filius eius CLODOVEVS regnauit: cuius tempore corpus S. Benedicti de Beneuento in Gallias translatū est. Post Clodoueum, regnauit filius eius CLOTHARIVS. Huic successit THEODORICVS frater eius, cui, Maior domus Ebroinus fuit: qui sanctum Leodegarium Episcopum martyrio finetenus afflixit. Post Theodoricum, CLODOVEVS filius eius regnauit: cui CHILDEBERTVS iunior frater eius successit. Isque successorem filium habuit, C
DAGOBERTVM iuniorem. Post hunc verò Dagobertum, regale genus à prudentia defecit. Et post eum regnauit Daniel Clericus frater eius insipiens, quem Franci mutato nomine CHILPERICVM vocauêre. Post quem Theodericus propinquus eius regnauit, illique successit HILDERICVS frater eius, qui ob inertiam sui solio depositus est, & Clericus factus, in Monasterium viuere missus. Hîc verò linea prosapiæ Pharamundi per viros defecit: mansit verò per Blitildem sororem Dagoberti superiùs memoratam, hoc modo.

V. HÆC ipsa BLITILDIS nupta fuit AVSBERTO cuidam nobilissimo. De quo genuit ARNALDVM, qui Arnaldus genuit Arnulfum, qui vxorem duxit filiam Pipini Ducis Dagoberti Regis, fratris prædictæ Blitildis, ex qua genuit Ansegisilum. Hic verò ARNVLFVS, postea Militiæ renuncians, Episcopus effectus est. Porrò Ansegisilus filius eius genuit Pipinum, qui Vetulus vel Breuis dictus est. Idem quoque PIPINVS genuit Karolum, qui Tudis, id est Martellus agnominatus est, ob plurimam scilicet bellorum virtutem. Iste KAROLVS Dux magnis duobus prœliis Sarracenos, qui ea tempestate Hispanias occupauerant, à Galliis expulit. Idem ipse genuit Pipinum Pium, & Karlomannum postea Monachum. Hic verò PIPINVS Pius Dux, ex Ducibus atauis, proauis, & auis, & patre Duce genitus, ex præfata Blitilde genus Regium ducens, multis militiæ virtutibus

A tutibus insignis, post depositionem Hilderici, totius militiæ voto, vnà cum auctoritate Zachariæ Papæ, primus ex sua linea in Regno Francorum Rex sublimatus est. Hic Religiosus Ecclesiæ Dei fuit cultor. Et ex Aistulfo Longobardorum Rege, atque de Ducibus Aquitanorum Guainaldo, & Vaiferio, necnon & ex aliis Gallorum & Germanorum Tyrannis, gloriosus extitit triumphator. Ipse Karolum Magnum genuit, qui post obitum patris, anno ab Incarnatione Domini septingentesimo sexagesimo nono Rex à Francis eleuatus est. Quem 769.
postea sibi Romani Aduocatum sancti Petri elegerunt: deinde Patricium, tum verò Imperatorem & Augustum. Ex quo tempore, Romanum à Constantinopolitano defecit Imperium. Is autem KAROLVS à magnitudine fidei, qua religiosus viuere studuit, & ab excellentia virtutis, qua gentis Saxonum vel aliarum Gentium virtutem strauit, & ex idololatris Christo credulos fecit, & cuncta versus aduersa bellorum inflexibilis viguit: & ab æquitate iustitiæ, qua totius Regni vel Imperij sui spatia æquè moderando disposuit, & ab Augustali gloria, qua Regnum Francorum nobilitauit: vel à potentia, qua à monte Gargano vsque Cordubam Hispaniæ ciuitatem dominatus est, vel ab ingenti suæ laudis fama, qua Patriarchæ Hierosolymitani, Regisque Persarum muneribus, vel omnium totius Europæ Regum donis, legationibus, siue pactionibus honoratus est: ab his sanè, vel omnibus, quæ Regiam vel Augustam magnitudinem decent, iure MAGNVS agnominatus est. Qui ad augmentum suæ magnitudi-
B nis, quamuis Gallorum ac Germanorum seu Italorum multiplicibus esset impeditionibus implicitus, tamen pietatis intuitu, quo Christianis in Hispania sub Sarracenis laborantibus auxilium ferret, ingenti militiæ manu delecta, præualido gloriosus exercitu, prædictam regionem adiit; & infideles tàm metu quàm gratia ad sui metum, & ad pacem coëgit fidelium. Inde verò rediens, ad Galliæ suæ custodiam, vrbibus Aquitaniæ Comites præfecit; & per alia Hispaniæ vicina loca aduersus Sarracenorum incursus præsidia disposuit militaria. Tunc ergo Lemouicæ vrbi ROTHERIVM Comitem constituit, qui Cœnobij Karrofensis fundator extitit: quod postea gloriosus Rex Karolus de pretiosi portione ligni salutiferæ crucis Christi sacrauit: de thesauris quoque ac possessionibus propriis nobilissimè ditauit, sicuti Priuilegia testantur de ipsis rebus facta, & annuli eius impressione insignita. Qui cùm feliciter quadraginta septem annis regnasset, obiit anno ab Incarnatione Domini octingentesimo decimoquarto: relicto super- 814.
stite glorioso domno videlicet LVDOVICO. Hic verò cum patris in vita, ipso concedente, per aliquot annos in Aquitania regnasset, post eius obitum totius Regni Francorum, & Imperij Romanorum suscepit summam. Qui & ipse potitus liberis, Regnum & Imperium eis in vita sua ita disposuit. Maiorem natu LOTHARIVM Regem Italiæ, & socium Imperij fecit. LVDOVICVM in Germania, PIPINVM in Aquitania, KAROLVM Caluum Franciæ ac Burgundiæ regnare decreuit. Hic verò clementissimæ vir naturæ, iuxta suorum lenitatem mo-
C rum Rempublicam regere disponens, nonnullas aliquando tam à liberis quàm à Regni tyrannis difficultates patiebatur. Sed cunctis tandem controuersiis pessumdatis, & religiosè viuere, & consultè Regnum vel Imperium moderari sategit. Ecclesiæ Dei statum sublimiùs semper prouehendum, super omnia dignum duxit. Omnibus piis in constructione nouorum seu in restauratione veterum Cœnobiorum sese cooperatorem attribuit. Ipse inter multa, quæ vel exstruxit, vel restaurauit, etiam Karrofense Cœnobium, ædificasse legitur. Pipinus verò filius eius hæc ædificauit Cœnobia. Ingeriacum videlicet, atque Brantosmum, & apud Pictauos Monasterium S. Cypriani.

VI. HVIVS itaque Pij Augusti Ludouici temporibus, quibus filius eius Pipinus Rempub. regebat Aquitaniæ, quidam Bituricensium Comes extitit, vocabulo VVIFREDVS. Hic ex illa nobilium scara Francorum, quam gloriosus Rex domnus PIPINVS præfati Augusti Ludouici auus in vrbe Biturica ad GVAIFERII Ducis Aquitaniæ partes expugnandas reliquerat, originem trahens, Regali quoque prosapia oriundus erat. Cui non impari, verùm æquè generoso stemmate, celebris ex clarissimo genere Francorum, Oda nomine, coniunx fuit. Quibus alij præter filiam fuerint-ne liberi, parum comperimus. Quæ videlicet illorum filia, nomine Agana, ROBERTO cuidam insignis honestæque potentiæ viro, primó-

que Palatij Pipini Regis, nupta fuit. Qui Robertus, ad suæ nobilitatis excellentiam, Regalis etiam stemmatis per sororem adeptus erat consortia. Quam isdem domnus Pipinus vxorem duxit: de qua Pipinum & Karolum liberos, totidémque filias habuit. Hac itaque nobilitatis excellentia præfatus Comes Vuifredus inclitus religionis etiam gloria clarissimus fuit. Hic ergo suis temporibus, amplissimis vsus honoribus, vtpotè primæ capitis Aquitaniæ Comes, animo prudenti perpendens quæ & quanta sint, quæ cura mortalium prima putantur, quive casus ea prosequantur, simúlque cernens rerum suarum commoda: statuit animo, *vt de* temporalibus quæ iure possidebat, sibi prapararet æternaliter profutura. Itaque pari consilio communique voto, venerandæ sempérque cum laude nominandæ suæ coniugis Odæ, placuit, vt ad laudem Creatoris celebrandam, diuináque mysteria peragenda, in iure suæ proprietatis, in villa quæ dicitur STRADA, Ecclesiam fundaret, quam de propriis rebus ad Ecclesiæ ministrorum vsus sufficientissimè dotaret. Quod quidem vt disposuit, efficaciter etiam diuina largiente clementia compleuit, anno quinto decimo imperij domni Ludouici serenissimi Augusti, filióque eius Pipino quarto decimo anno regnante, qui est ab Incarnatione A

828. Domini DCCCXXVIII. Cùm verò ad vsque dedicationem Ecclesiæ ventum esset, eam in honore sanctæ sempérque Virginis Mariæ & omnium Sanctorum dedicari constituit, eiúsque vel aliorum reliquiis Sanctorum solenniter decorauit. Cui in die consecrationis eius, qui est septimo Kalend. Iulij, prædia quædam circumadiacentia, quæ sui iuris erant, cum mancipiis ibidem commanentibus, quorum non paruus fuit numerus, concessit, & testamento delegauit. Quod testamentum hæc quæ diximus etiam hodie testari videtur. B

VII. POSTQVAM verò clarissimus vir hæc studiosè peregit, domno PIPINO Regi Ecclesiæ fundatæ causam innotuit. Gui supplices deinde preces effudit, vt ea quæ gesserat eius excellens roborare dignaretur auctoritas. Cuius orationem Rex placidè suscipiens, in præsentia primorum Palatij, totiúsque Nobilitatis, tanti viri petitionem fieri decreuit. Ergo proposuit edictum, quod præsentibus & futuris voluit esse notum, statuitque Præcepto: vt isdem locus, Strada videlicet, ab omnium potestatum inquietudine maneret immunis: & nullus cuiuslibet potentiæ Iudex aut exactor, in eodem loco, vel foro quod inibi concesserat haberi ad multorum vtilia negotia peragenda, iudicium aut exactionem vllam facere præsumeret: exceptis rectoribus eiusdem loci. Quod vt inperpetuum maneret inconuulsum, à suis Notariis scripto mandari, & annulo proprio scriptum iussit insigniri, in Conuentu nobilium, in Iogunțiaco Palatio, anno septimo-decimo Imperij domni LVDOVICI serenissimi Augusti sui genitoris, & sexto-decimo sui Regni. Hac itaque Regis auctoritate percepta, vir egregius eiúsque deuotissima coniux, frequenti deinceps statione, dignáque reuerentia locum excolebant. Igitur ex eo, deuotione fidelium, cultus sacræ religionis ibidem proficiens, cœpit isdem locus non solùm à venerandis iugalibus, verùm & ab aliis religiosis mortalibus, decenter & honestè venerari. Eóque processit amplificatio rei ipsius Ecclesiæ, vt inter reliqua matris Ecclesiæ Bituricensis membra connumeraretur & ipsa. Ita religiosi coniuges, voti sui compotes effecti, vitæ suæ tempus nunc in diuinis laudibus, modò verò cum administratione militiæ fideliter agebant. C

VIII. ALIQVANDO verò, quodam ex ipsorum officio, custodiis equorum in pascuis præter fluenti alueo adiacentibus, solito more inuigilante: vna dierum iam aurora illucescente, vapor nebulæ vt adsolet superficiem tenebat terræ. Quo paulatim inanescente, quædam in Ecclesiæ modum recentis effigies ædificij in contigua flumini planicie, & per aliquot horarum spatia, residere videbatur: donec diurnæ lucis vigore disparuit. Miratus insolitum, suæ primum Dominæ quod viderat pandit. Quod illa mente pertractans, & vt fidelis, diuinum fore fideliter credens: piam supplicabat Diuinitatem, vt reiteratione huiusmodi visus eam de hac sui dispositione consilij redderet certiorem. Quam voti compotem diuinæ complacuit facere pietati. Vbi verò eodem schemate, quo primus ille viderat, ipsa quoque perspexit: mox venerando coniugi patefecit. Qui super auditis Deo gratias agens, ipse quoque diuinis emeruit precibus, idipsum post aliquot dies simul cum his qui viderant cernere schema. Tali denique modo, dispositio Dei venerabilium mentes coniugum ad prouectiorem instinctum bonæ pertrahens actio-

A nis, deinceps eos etiam ad Cœnobij constructionem animauit. Quibus vt sese tempus obtulit opportunum, continuò de rebus eidem loco delegandis testamentum faciunt, domníque Pipini Regis adeuntes præsentiam, vota suggerunt, & locum cum sibi rebus decretis per testamentum eius potestati committunt, vt ipsius aúctoritate atque Francorum deinceps Regum prouidentia tueretur. His igitur ad votum eis à Rege concessis, properè cœptum perficiunt opus. Quod postquam decenter & commodè perfecerunt, ad honorem summi Saluatoris, eiúsque sanctæ genitricis & semper virginis Mariæ, sanctorúmque Apostolorum & omnium deinde Sanctorum, consecrare fecerunt. Sacrosanctis etiam Reliquiis, ex sacra videlicet palla, Magni Gregorij Papæ meritis diuinitus cruentata, sicut in gestis eius legitur, necnon & plurimorum pignoribus Sanctorum locum illustrantes; diuersis quoque muneribus, & Ecclesiasticis ornatibus, decenter adornare studuerunt. Deinde compositis habitaculis, religiosis Cœnobitis, quorum Pater vitæ venerabilis Dodo nomine fuit, cœnobium commiserunt: qui secundum institutionem beatissimi Patris Benedicti religiosè semper illud regerent, & per succedentia tempora possiderent.

Est autem locus isdem in penultima parte Biturici pagi, versus Occidentem, admodum delectabili situ iocundus. Nam è regione fluminis Agneris cursus offertur, quod commoditate sui quàm maximè iuuat incolas eiusdem IX.
B loci. Tùm deinde circumquaque fertilis humus omni germine, cùm sui fœcunditate, tùm etiam agricolarum opere. Præterea loco pertinentia, ex maxima parte satis contigua. Prædicta porro sanctæ Dei genitricis Ecclesia, spatio stadij ad meridiem distat. Quæ & ipsa cum sibi collatis per prædictum testamentum, eidem Cœnobio fuit concessa.

Postquam verò sacer Ordo, curâ religiosi Patris Dodonis, in hoc ipso iam ritè profecerat Cœnobio, iidem nobilissimi coniuges, animo sitienti, adhuc amplificare loci ipsius rerum possessiones desiderantes, præter illa quæ priùs contulerant, alia quædam addiderunt, & cum Ecclesia, quæ vocatur Cildracus, æquè per testamentum præfato loco contulerunt, anno vicesimoquinto Imperij Augusti Lvdovici, & vicesimo quarto Pipini filij sui Aquitaniæ Regis. Quæ res in superioribus partibus Biturici pagi, seu in vicinia Bituricæ ciuitatis, consistere videntur: sicut ipso rerum earumdem testamento docemur.

His igitur ab optimè religiosis coniugibus ita compositis, decetero quoad vixerunt eis illa vigilantia fuit, vt isdem locus ad meliora semper & altiora proueheretur. Quorum equidem materialis ædificatio, in ipsius angularis lapidis nomine Christi Iesu constructa, creuit in Templum sanctum in Domino, cum in ea degentes Cœnobitæ, per instituta mandatorum Dei, pérque regularem sanctissimi Præceptoris nostri Benedicti tramitem gradientes, reliquorúmve sanctorum Patrum exemplis viuentes, alius ab alio coædificati sunt in habitacu- X.
C lum Dei, in Spiritu sancto. Namque quòd hi tales, & boni quique, Deo magis quàm sibi viuentes, ipsius Dei habitatio sint: est inde veritatis verissima sponsio, quæ dicit. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Apostolus quoque Petrus, fideles adhortans. *Accedentes*, inquit, *ad lapidem viuum, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini, in domos spiritales.* Cùm hæc ergo de fidelibus ita se habeant, meritò hi fidelissimi coniuges illorum gratiæ participes esse creduntur, qui ea intentione laborare studuerunt, vt hi in eorum labores introirent, quos pia Diuinitatis dignatio sua dignos effecerat habitatione. Pro quibus omnibus, postquam à terrestri domo huius habitationis emigrarunt, domum non manufactam æternam in cœlis promeruisse dignè credendi sunt. Quorum corpora, secundum sui dispositionem, tunc quidem secus Ecclesiæ memoratæ beatæ Dei genitricis introitum, ad dexteram scilicet ingredientium sepulta sunt. Postea verò, deuotione Fratrum præfati Cœnobij agente, hinc translata, dextra leuáque altaris ipsius speciosæ virginis Mariæ, digno cum honore condita sunt. Quorum depositionis dies sub vno die, nempe x. Calendas Septembris quotannis recolitur. Circa quod tempus, domnus etiam Pipinvs Aquitaniæ Rex, biennio ante patris sui obitum, vltimam vitæ sortitus diem, Pictauis apud Sanctam Radegundē sepultus est. Domnus verò Lvdovicvs, post plurima Rei Ecclesiasticæ nec non & publicæ benè consulta, quibus ad

æquum, diuino semper in aduersis vsus auxilio Regni vel Imperij sui moderauit statum, anno ab Incarnatione Domini octingentesimo quadragesimo feliciter obiit. Post cuius extrema, tres filij eius pro Regno Aquitaniæ, quo frater eorum Pipinus regnauerat, inuicem dissidentes, bello decertare contendunt. quod & factum est apud Fontanetum Burgundiæ locum. LOTHARIVS maior natu, & Augustali dignitate superior, cum exercitu Italiæ, aduersus fratres LVDOVICVM, & CAROLVM qui CALVVS agnominatus est, & ipsi aduersus eum cum Francis & Aquitanis. Et Lotharius quidem primo impetu victor extitit, sed mox resumptis viribus, ab VVARINO Duce Tholosano & Aquitanis fugatus est. Et quidem meritò. Nam is Imperij cupidine, quamuis non absque fratrum seu quorumdam prauorum consensu, Pium patrem custodia detentum diademate priuare decreuerat, ni sanior Ducum sententia, & Episcoporum auctoritas, conatus eius frustrauisset, qui post fugam, diademate deposito, facinoris sui pœnitentia motus, priuatè viuere deinceps, Monasterio se contulit. Ludouico præterea non longè post hæc ab humanis obeunte, CAROLVS solus, qui Caluus dictus est, & Regnum Francorum & Imperium Romanorum nobiliter ac strenuè rexit. A

XII. INTEREA Dodo præmemoratus, egregiæ probitatis Abbas Stradensis Cœnobij, sollicitè sibi commissorum commoda instanti procurans vigilantia, præsentibus & futuris quod optimum fore censebat consultè semper prouidere satagebat. Is ergo quamprimum opportunitate reperta, memoratum Regem CAROLVM adiit; illique sese, causamque sui aduentus diligenter innotuit. Deinde proferens auctoritatis edictum præcellentissimi Regis Domni Pipini sui germani, quod pro liberalitate sibi credito concesserat loco: ex hoc maximè suas constare preces edicit, vt eius exemplo, simul & ob memoriam fraternæ dilectionis, ipse etiã more Regio, speciale decretum ad perpetuum munimentum, contra prauorum tumultuationem, supradicto dignaretur concedere loco. Cuius petitionem Rex placidè suscipiens, eius voluntati libenter annuit. Igitur accitis in conspectu suo Notariis, præsenti conscriptione decreuit, vt hoc ipsum Cœnobium vel in eo degentes, & cuncta quæ sui iuris essent, vel quæ Deo fauente futuris temporibus ibidem augmentanda erant, nulli cuiusuis potentiæ personæ, qualibet arte nequitiæ opprimendi, aut inquietandi vllo modo licentia foret. Neue quilibet, in omni loco dominationis ipsius loci, quippiam praui vsus imponere, aut indebitam exactionem quoquomodo facere præsumeret. Sacræ siquidem Religioni, soli Deo vacare cupienti, summam quietem debitam fore, neque licere debere, cuiusquam illi impetum contraire. Ad hoc etiam fisco Regio debita, pro sui suorúmque salute, statúque Reipublicæ suæ, cuncta prorsus eo priuilegio eidem loco sunt indulta. In clausula demum perscripti decreti statutum est, vt per succedentia tempora locum ipsum inhabitantes è suis non aliunde petitis personis eligerent semper, quibus sacra prælatio loci committeretur: à quibus Cœnobij totius gubernatio æquo iure tractaretur. Idque non cuiusquam mortalium vi, sed fraterno Cœnobialium voto fieri, quàm maximè decreuit. Hæc ita statuta, literisque mandata, Regio more, proprij impressione annuli roborauit, regnante eo iam quarto Regni sui anno. Ita ergo venerandæ memoriæ Dodo Pater cum suis apud Regem honorificè habitus, & voti compos effectus, ad propria remeauit lætus. Qui postquam feliciter vixit, & humanæ debitum naturæ feliciùs soluit, ad bonæ vitæ percipienda merita felicissimè peruenire promeruit. Cui nihilominus vita religiosus in prælatione præfati Cœnobij Mainardus successit; cuius erga memoratum locum piæ sollicitudinis studium plurimarum edocent instrumenta seruata Chartarum. B C

XIII. HIC igitur aliquando, pro sibi competentibus causis, Aulam expetiit domni Caroli Regis. Aderant verò tunc in Palatio Fratres ex Cœnobio sancti Petri, quod est in territorio Niuernensi grata satis positione situm, inter duos amnes Ligerim & Elauerem, qui pro substituendo sibi Patre Regiam videbantur expetiisse Maiestatem. Ad horum ergo consultum, post alia Rex animum vertens, prædictum conuocat MAINARDVM Abbatem, & eius paternitati Monasterium illud se velle concedere dixit. De quo quamuis ob prolixitatem viæ tædiosum sibi valde videretur, cùm se illi parere consensisset, mox præsenti Rex confirmauit scripto Regium Præceptum, ac proprio roborauit sigillo. Vt iam dictus videlicet sancti Petri locus à præfato Abbate Mainardo, suisque successoribus, Stradensis sci-

A licet Monasterij Rectoribus, perpetualiter possideretur & regeretur. Verùm hæc de Cœnobij Stradensis constructione, velut ædificando operi posita fundamenta sufficiant. Supérque quiddam altius ædificare gestientes, non id fateor mutuatis ab incerto sumptibus agere decreuimus. Cùm huic loco, de quo sermo agitur, gratiæ Dei munere, feliciter abundet cœlestium operum præclara materies. Igitur, ope virtutis Dei, cuius opus est quod extra vel intra cœlorum ambitum mirabiliter contineri constat, id agredi temptauimus, vt videlicet ad fidelium venerationem illa conscribantur, quæ in hoc Cœnobio Diuinitas nostri Saluatoris mirabiliter operata est ad sui laudem nominis: illorum vtique Sanctorum meritis, quorum hic pia fidelium deuotio patrocinia colligere curauit, quorum etiam precibus isdem locus nunc vsque tuetur, sempérque tuendus speratur.

ERAT igitur haud procul à prædicto Stradensi Cœnobio locus, sex videlicet millibus distans ab eo: in quo sanctorum Genulfi & Geniti memoria continebatur. Qui temporibus Decianæ persecutionis à beato Sixto Papa Romano ob verbum prædicationis in Gallias directi fuerant. Qui venientes in vrbe Geturnicensi, quanti apud se meriti essent, omnipotenti Deo declarare placuit, dum eorum meritis ibi puerum à dæmonio, & puellam à grauissimo liberauit incommodo. Vbi pro veritate Christi dira fustium verbera passi, post etiam fornacis ardentis ignibus iniecti, Angelica protectione à vasto ignium liberati sunt ardore. Tùm de- B inde ferrea carceris vincula perferentes, sed ab Angelo confortati, demum per resurrectionem mortui, & diuini verbi prædicationem, omnes vrbis illius ciues ad Christum conuersi & baptisati sunt. Quibus Ecclesiis fundatis, & institutis Ecclesiasticis edoctis: post aliqua temporis spatia, inde discesserunt, & supradictum expetiuerunt locum. Quem pro sui aptitudine sibimet ad manendum eligere decreuerunt. Quem etiam postea fauente eis gratia diuina, in propria ditione ab eius possessore suscipientes, & ibidem Ecclesiam Christo fundantes, felicis vitæ suæ cursum ibi feliciter consummauerunt: & diuinas sæpiùs ostendendo vitutes, sanctis meritis suis ipsum deinceps inlustrauere locum. Vnde & contigit, vt eo tempore Cella sancti Genulfi cognominaretur ab incolis. Succedentibus verò temporibus, extiterunt intra Gallias incursiones plurimæ Barbarorum, nec non & persecutiones infidelium, quibus multæ, vt supradictum est, desolatæ sunt antiquæ Sanctorum memoriæ, ac penitus per multa tempora destitutæ. XIV.

CONTIGIT igitur aliquando, vt venerandæ memoriæ præfatus Mainardus Cœnobij Stradensis Abbas consilium haberet cum Fratribus, de Translatione iam dicti Confessoris Christi Genulfi. Quibus idipsum omnibus inuicem sentientibus, & huiusmodi sententiam amplectentibus: etiam super hoc negotio Dominum Regem KAROLVM adire decreuerunt, vt quod futurum ex illo foret consilio, illius celeberrimo fieret imperio. Aliquantis igitur assumptis Abba Fratribus, Aulam expetiit domni Regis Karoli. Cui cùm adstitisset, & pro quibus ierat inti- C masset, cuius temporis, vel loci, seu authoritatis isdem vir sanctus fuerit, Rex sciscitatus est. De quibus cùm edoctus ab Abbate fuisset, libentissimè quod petebat concessit, & vt liberè faceret imperauit. Hoc sanè præcipiens, vt sancti quidem Præsulis Genulfi corpus Monasterio transferret, beati verò Patris illius Geniti glebam remanere sineret. XV.

HIS igitur à Regali clementia concessis, accepta Abba remeandi licentia, regreditur ad propria, & se pro quibus ierat impetrasse denunciat. Eo ergo Fratres exhilarati nuntio, auctoritate freti regia, Sanctorum Cellam adeunt deuoto cum obsequio. Quia verò minus quàm decebat eo tempore locus ipse reuerenter habebatur, ideo res ipsa sic ad habendum ipsius sancti Confessoris corpus animos Fratrum accenderat. Oratorium ergo, quod in honore S. Petri sacratum erat, sunt ingressi, sanctum inquirunt thesaurum. Sed ne tunc incertum foret, quemadmodum sanctus vterque discerneretur, olim vt credi potest, huic futuræ Translationi dispositio prouiderat diuina. Nam vt in libello vitæ vel obitus eorum continetur, sancti quidem Præsulis Genulfi corpus ad ingredientium dexteram, beati verò patris eius Geniti membra parte fuerant sinistra locata. Igitur ea certitudine maximi pretij reperto munere, digna cum reuerentia sanctum corpus gestatorio Fratres imponunt, & sic cum laudibus diuinis ad Monasterium redeunt. In quo sub die XII. Kalend. Iulij preciosum deponentes onus, ob tanti Confesso- XVI.

ris aduentum, hunc ipsum diem quotannis instituere celeberrimum atque solemnem. In quo deinceps loco multoties per hunc sibi dilectissimum famulum multa sanitatum miranda frequenter mortalibus largiri dignatus est Christus, ad laudem & gloriam nominis sui. A

XVII. Ea sane tempestatate, grauissimis casibus Galliarum sunt detritæ prouinciæ. Decedente siquidem glorioso Rege Karolo Caluo, Regni quoque eius à sua celsitudine corruit status. Nullus namque post eum Imperium tenuit Romanorum. Eius filius LUDOVICUS agnomine BALBUS solummodo Regnum obtinuit Francorum. Tunc Baioariorum surrexit Regnum, apud quos hactenus constat Imperium Romanorum. At verò Ludouico decedente Balbo, filius eius KAROLUS agnomine MINOR post eum regnauit. Contra quem Franci coniurantes, eum de Regno expulerunt, & ODONEM Aquitaniæ Ducem pro eo regnare constituerunt. Qui nec integris etiam in Regno duobus substitit annis. Cui filius successit ARNULFUS, in ipso penè initio Regni sui iam semiuiuus. His temporibus VUILLELMUS Comes Aruernorum erat Dux Aquitanorum, qui Cluniacense fundauit Cœnobium. Sanctus quoque Geraldus vir magnæ sanctitatis, ac præclaræ nobilitatis, ipsis temporibus claruit, qui Aureliacum Monasterium construxit. Tunc etiam ABO nobilissimus partium Princeps Biturigensium Dolense Cœnobium ædificauit. Eo quoque tempore cruentæ acies in cœlo apparuerunt, ad præsagium excidij Regni vel Patriæ, iam tunc imminentis. Nam Karolus, quem Franci repulerant, resumptis viribus, Regnum recepit. Sed iterum repulsus est, & Dux ROBERTUS Rex constitutus est. Karolus ergo, ab Othone Imperatore accito auxilio, prœlium cum Francis qui eum repulerant commisit. Et victor existens, Rotbertum interfecit, Regnúmque recepit. Postea verò, controuersiis aduersantium sedatis, factisque pactionibus, VGONI filio Rotberti Ducatum concessit, ac deinceps Regnum obtinuit. B

XVIII. SIC itaque clandestino malo Francorum vacillante Regno, ab externis etiam Galliæ Nationibus affliguntur. Siquidem barbaries effera Nortmannorum, quæ interiora Oceani Britannici Plagæ Septentrionalis incolere videbatur, nauali manu innumera de suis electa ingentis Pelagi Galliæ victum occupat limbum. Igitur ab ipsis incipiens oris, ac deindè cuncta peruadendo sese diffundens: Occidentales Gallias, & maximè Neustriam & Aquitaniam depopulari cœpit. Idipsum verò multoties superioribus annis adgressi fuerant Nortmanni. Sed eis belligeri viri Duces locorum sæpiùs obstiterant, & eorum frequentes impetus sæpè Mauortia manu pepulerant. At ipsis etiam Ducibus inter se diuturno bello dissidentibus, ac vario rerum euentu nunc istis nunc illis decidentibus: ita tellus nudata suis defensoribus, perfacilè patuit externis peruasoribus. Quorum insania, per cuncta quà visus ante sui faciem erat feraliter incedens, obsistentes si qui fuerant interimere, victos captiuare, bona cuncta diripere, nulli mortalium parcere, diuina & humana suis ludibriis promiscua habere, sancta loca demoliri, cædibus, incendiis prorsus cuncta replere satagebat. Cùm verò iam per plurima Galliarum loca suæ crudelitatis exercuissent facinora, Biturigum etiam Pagum violenter affligere cœperunt. Iam dictus autem Cœnobij Stradensis Abbas Mainardus cum Fratribus suis, hostili præcognitó aduentu, apud prædictum sancti Petri Monasterium fugæ præsidium expetere decreuerat. Assumptis igitur omnibus quæ saluandi gratia secum ferenda censuerant, etiam beati Præsulis Genulfi corpus pariter ferri voluerunt. Cùm ergo cœptum iter vsque Biturigam peregissent ciuitatem, ecce ante eos dæmon per os hominis cœpit clamare, & dicere: O sancte Genulfe, num te effugere potero? Cur in his etiam locis me persequeris? Non tibi sufficit quòd de Gedurnicensi vrbe me expulisti, & Cellam inhabitare prohibuisti? Heu me, sancte Dei! Cùm itaque nequam spiritus huiusmodi vocibus insani hominis ore clamasset, sine mora peruasum reliquit hospitium. Ita meritis sanctissimi Præsulis liberata persona, gestatoribus eius Dominum benedicentibus, plurimum lætitiæ contulit. Tandem igitur, ad dispositum peruenientes locum, sancti Petri videlicet Oratorium, Sancti ossa ibi deposuerunt, & omni cum diligentia seruare studuerunt. C

XIX. ADVENIENTES autem hostes ad Stradense Cœnobium, & tàm rebus quàm habitatoribus vacuum reperientes locum, quicquid reliquum fuit in ædibus

A flammis tradidêre voracibus. Sed reliquis circumpositis ædibus igne consumptis, ita totius Monasterij fabrica, Domini Iesu protegente virtute, restitit illæsa, vt in ea nullius adustionis vestigium appareret. Quod cernentes hostes, & virtutem diuinam sentientes, à loco recesserunt, & super vicini fluminis oram Duces eorum circum se scrobibus actis aliquibus temporibus consederunt: donec ab eis, omnis circumquaque regio vastaretur. Itaque cùm per septem annorum lustra, Neustriam & Aquitaniam deuastando, Aruernum vsque peruenissent Normanni, Rex Burgundiæ RADVLFVS, in auxilium euocatus ab Aquitanis, cum exercitu valido festinus occurrit eis. Commissóque prœlio cum eis, in loco qui dicitur ad Destrictios, Deo auxiliante Christianis, penè vsque ad internecionem deleti sunt Pagani, & ab Aquitania fugati. Qui verò euadere potuerunt, in oris Galliæ super Oceanum, in vrbibus scilicet quas ipsi primo impetu suo desolauerant, eo pacto, permittente Francorum Rege, vt fierent Christiani, resederunt. Quæ loca propter inhabitantes, nunc partim Nortmannia, partim Britannia dicuntur.

POSTQVAM igitur ille metus hostilis à Prouincia discessit, mox sancta beati Præsulis membra Stradensi Monasterio Fratrum restituere curauit deuotio. Ergo remunerato loco ipso de precioso Reliquiarum sacri corporis ipsius Confessoris Christi thesauro, cum benedictione Fratrum ipsius Cœnobij Sanctorum pi- XXI.
B gnorum baiuli profecti sunt. Venientes autem Niuernis, à ciuibus vrbis illius, ac sibi notis fidelibus reuerenter excepti sunt. Ibi etiam à Clericis Episcopij ciuitatis ipsius, necnon à Sanctimonialibus ibidem degentibus expetiti, vt eis vel aliquantulam portionem de sacro beati Præsulis corpore darent, vnam è costis eius illis concesserunt. Quam cùm inter se Clerici siue Deo sacratæ Virgines sibimet exæquando secuissent, mox ab vtrisque partibus, cruor stillauit. Admirantésque qui aderant, stupuerunt valdè: & verè viuentia coram Deo sancti Confessoris merita dignis laudibus attollebant. Inde quoque egressi, viam suam direxerunt ad territorium, quod Sigalonium dicitur. Vbi post aliquot cùm peruenissent dies, quodam loco diuersorium habuerunt, vbi post discessum eorum circummanentes Pagenses Ecclesiam in eiusdem beati Confessoris honore fundauerunt, & nomine consecrauerunt. Ibi verò quantam gratiam suam Deus meritis huius beati Præsulis Genulfi terræ illius incolis præstiterit, gratum memorare videtur. Cultores siquidem agrorum circumiacentium votiuum sibi fecerunt vsum, vt sementis tempore, portionem seminis quantum sibi videretur, ad Ecclesiam ipsam quisque deferret, ac sancto Confessori, ad vsus Sacerdotis qui diuina ibidem mysteria celebraret, deuotus offerret: vt eius meritis eorum segetes vel à fulgure, & tempestatibus, siue aduersis aëris corruptionibus, illæsæ seruarentur. Quorum piæ deuotioni sic pietas annuit Saluatoris, beato suffragante Patrono, vt ex tunc vsque nunc, in eodem voto perseuerantibus, expetita quoque perseueret salus.
C Nonnulla quoque sanitatum dona in eodem itinere per beatum Confessorem confluentibus ad eum conlata sunt, quibus sæpè suos lætificauit, donec ad Monasterium prosperè ventum est. Interea iam tunc Mainardus excesserat Abba. Cui etiam in prælatione vir strenuus & vtilis, Monachus successerat AMALRICVS. Huic verò Amalrico, suísque successoribus, quidam vir claræ nobilitatis, Lætarius nomine, Monasterium, quod in VVastinensi pago ad honorem beati Baptistæ Ioannis ac sancti Genulfi Confessoris construxerat, cum testamento semper possidendum delegauit. Illóque decedente, successit AYMO, qui præcessor extitit AERICO. Hic post illa Nortmannica tempora, propius Cœnobio præfuit Stradensi. Obeunte Aërico, successit ELAS, qui vsque ad nostrorum tempora maiorum longæuus permansit.

POST aliquot iterum annos, accidit vt hæc ipsa Regio Hungarorum quateretur incursibus. Quæ res vulgata, Cœnobialium Stradensis Cœnobij non minimum perterruit corda. Prouidentes itaque sibi, castrum quoddam quod Lucas vocitatur, ad sui præsidium, in ea necessitate petierunt. Illuc itaque Fratres sese cum suis, ac etiam cum beati Præsulis Genulfi corpore conferentes, illius tempore metus, eo sancta Confessoris seruata sunt membra. Sed postquam & ille hostium tepuit feruor, redire Fratres ad Monasterium cum sacris decreuerunt reliquiis. Ergo cœptum iter illis peragentibus, ecce subitò nubium densitate cœli facies XXII.

obumbratur. Anxiari Fratres & sanctarum Reliquiarum geruli cœpêre, futuræ tædio pluuiæ. Tum deinde largissimis prouentibus imbribus, vehemens inundatio superficiem replebat terræ. Sed manifestè diuinæ complacuit clementiæ, pia sancti Confessoris declarare tunc merita. Nam à tantæ inundationis violentia ita sanctum corpus eiúsque geruli cœlesti sunt virtute protecti, vt nihil omninò super eos pluuiæ ceciderit. Sic meritis magni Præsulis ab eo releuati tædio, cum exultatione magnificantes Dominum ad Monasterium peruenerunt. A

XXII. Alia nihilominus Hungarorum incursione, quæ biennio post primam contigit, ad proximam ab Occidentali plaga munitionem, sancti Confessoris delatæ sunt reliquiæ. Qua etiam decedente perturbatione, sancta membra Fratres nauigio imponunt, & per Agnerem fluuium superius ad Monasterium remigare cœperunt. Quibus cum gaudio ascendentibus, exclamauit vnus ex nauigantibus: Sancte Genulfe, certè si velles, seruis tuis cibos dare posses. Nec mora, piscis non paruæ quantitatis, quem Squillam dicimus, à profundo gurgitis emersus, saltu se in naui præcipitauit. Admirantes gratulantur nautæ, sic citissimè sanctum Confessorem suis adesse fidelibus. Sicque lætissimis animis ad Monasterium reditum est. --- :

XXVI. At vero Karolo decedente Minore, LVDOVICVS filius eius regnauit. Huius filij fuêre Lotharius & Karolus. LOTHARIVS post patrem regnauit; & à Regina sua veneno extinctus est. Cuius filius LVDOVICVS, vno tantum superuiuens anno, & ipse potu malefico periit. Patruus autem eius KAROLVS, cùm post eum regnare voluisset, à Francis eiectus est. Et VGO Dux filius Hugonis Ducis, Rex à Francis eleuatus est. Karolus autem captus in Senletensi vrbe, in carcere trusus est. Ibique genuit LVDOVICVM & KAROLVM, & mortuus est. Et expulsi sunt filij eius à Francis, & erant morantes apud Imperatorem Romanorum. Ita Francorum Regum secunda deficiente linea, Regnum in tertiam translatum est. In qua quidem primus extitit ROBERTVS, qui à Karolo Minore interfectus est, sicut superiùs dictum est. Secundus verò, filius filij eius, præfatus VGO, qui MAGNVS agnominatus est, qui etiam Ecclesiæ Dei clementissimus defensor fuit. B

XXVII. HVIVS ergo Magni primò Ducis, postea Regis Vgonis temporibus, quidam Optimates nobilissimi Pictauorum, in eo loco vbi Cœnobium beati Sigiranni extat Abbatis, munitionem ædificauerunt, ac firmissimè munierunt. Hoc primas contigui castri, quod ad Orientalem Stradensis Cœnobij plagam situm est, admodum grauiter ferens, præsumptionem eorum omninò dissultum iri festinabat. Igitur ob id negotij memoratum adiens Ducem Francorum, eius ad hoc suffragia postulabat. Qui eius rogatui fauens, coactisque militum millibus quamplurimis, quo fuerat expetitus, exercitum ducere cœpit. Itaque, cùm ad Stradensis Monasterij vicinia peruentum fuisset, ibidem Franci castrametantes, fixêre tentoria. C
Inopinato metu turbati ruricolæ, primo suspicabantur barbaras nationes, veluti superioribus solitæ fuerant temporibus, superuenisse: sed cernentes eos nihil insistere prædæ, quod illi callidè fecêre, iam paulominus mali suspicabiles habebantur. Sed postero die castra mouentes, quicquid vsquam victui necessarium, quæcumque fuerant oportuna reperta, futuræ parantes obsidioni, cuncta inuadere, rapere, secúmque ducere cœpêre. Tollitur in cœlum vulgi mœrentis clamor, Saluatorem Christum inuocantis, & sancti Præsulis Genulfi auxilium deprecantis. Adfuit illicò miseris miseratio Saluatoris, per meritum sancti Confessoris. Nam hi qui debita vel propinqua Cœnobij loca deprædati fuerant, ita cœlesti sunt vltione percussi, vt eorum alios oculorum lumine mulctatos, alios verò neruorum contractione misero cerneres corpore debilitatos. Huius ergo cœlestis animaduersionis opinio cùm ad aures vsque prædicti Principis perlata fuisset, rem sciscitatus & edoctus, confestim primarios exercitus sui plurimos è latere suo direxit ad locum, qui suos à peruasione rerum dominationis ipsius loci, vel ad eum confugientium, omninò prohiberent, & in eos, si nollent, etiam vindicarent. Qui cùm venissent, vnum è sociis elegerunt, qui toto deinceps illius obsidionis tempore, Monasterij rebus tutamento fieret. Illi autem prædicti miserabiles, diuino mulctati iudicio, Monasterij limina coram cunctis expetentes, reatus sui veniam & sancti Confessoris Genulfi auxilia supplicabant. Omnipotens verò

A Deus, notam semper faciens in populis virtutem suam, ita sancti Patris Genulfi merita declarauit, vt omnes continuò pristinæ redderet sanitati. Ipse verò Dux Vgo, cum Principibus exercitus sui, locum ipsum & Fratres qui sub Patre religioso viuebant Elia, ex eo maxima veneratione coluit semper.

Cvm verò memoratus Dux, assumpto iam Regno, ad vrbem Pictauam exercitum duceret, VVillelmo Comite, propter abiectionem Karoli, & iniustam vt videbatur assumptionem Regni, ei nolente subdi: pars exercitus eius per vicum prædicti Cœnobij Stradensis transitum habuit. Ceteris pertranseuntibus, vnus ex exercitu duos cuidam pauperculæ rapuit panes. Exclamate mulier, & sanctissimum cœpit inuocare Genulfum. Nec mora, pusillum progressus eques, illius corruit equus, grauitérque collisus inutilis effectus est. Ipse autem mox cæcitate captus est. Interea commilitones, collegæ sui reatum cognoscentes, ociùs ad Monasterium cum eo repedarunt. Confitetur ille delictum suum, veniam culpæ coram Sancto deposcit. Adfuit & mulier, cui damnum intulerat. Quam ille iuxta modum culpæ digna satisfactione placauit. Tum deinde verbera profert, & omnimodis precibus instat, vt his excruciato corpore, ab illo cœlestis vindictæ vinculo solueretur. Fratribus autem & fidelibus qui aderant Saluatorem nostrum orantibus, & beati Præsulis Genulfi suffragia pro misero poscentibus: illicò lucis ei gaudia reparantur, exilarantur adstantes tantæ præsentiâ virtutis, benedicentes Christum, qui semper est mirabilis in Sanctis suis. Milites verò cum suo illo B socio vota Deo gratiarum & sancto Confessori soluentes, quo decreuerant abiêre gaudentes. XXVIII.

 A

CHRONICA SCRIPTORVM ALIQVOT GERMANORVM,

IN QVIBVS DE FRANCORVM ET Alamannorum rebus promiscuè agitur. B

CHRONICON BREVE IN MONASTERIO SANCTI GALLI SCRIPTVM.

Ab anno CHRISTI DCCXLVIII. vsque ad annum DCCCCXXVI.

Ex MS. Exemplari Iacobi Sirmondi Societatis Iesu.

PIPINVS.

ANNO DCCXLVIII. Hotbertus interfectus est, & Grifo in Saxonia.

DCCXLIX. Franci in Saxonia, & Grifo in Bauguaria.

750. DCCL. Franci in Bauguaria, & Grifo.

DCCLI. PIPINVS Rex eleuatus. Res Ecclesiarum descriptas atque diuisas Baldebertus Episcopus benedixit. Zacharias Papa defunctus. Stephanus electus & percussus. Alter Stephanus electus atque consecratus, & Landfridus mortuus.

DCCLII. Pipinus in Saxonia. Grifo in Francia ingressus, qui & interfectus. C

DCCLIII. Stephanus Papa in Franciam venit. Pipinus Rex cum exercitu Francorum super Longobardos, receptas res S. Petri reuersus est ad sedem suam. & Carlomann rediit, qui detentus. Et dominus Bonifacius Episcopus in prædicatione Frisiæ perrexit, vitam temporalem in martyrio finiuit.

DCCLIV. Venit Dasilo ad Martyris * Campum.

* Magij Campum.

DCCLV. Franci iterum in Longobardia, cum exercitu dominus Romanus transiuit, & Haistulfus mortuus.

DCCLVI. Papa Stephanus defunctus.

DCCLVII. Venit organa in Franciam.

DCCLVIII. Rex Pipinus in Saxoniam ingreditur.

DCCLIX. Quieuerunt.

760. DCCLX. Rex Pipinus cum exercitu in Aquitaniam.

DCCLXI. Rex Pipinus iterum in VVasconiam, vsque ad Limodiam ciuitatem.

DCCLXII. Rex Pipinus iterum in Equitaniam. Bituricam conquisiuit. Hadelbertus ordinatus.

DCCLXIII.

DCCLXIV. Hiems grandis & dura.

DCCLXV.

A DCCLXVI. Pipinus conquisiuit Limodiam.
DCCLXVII. Paulus Papa obiit. Pipinus Tolosam perrexit.
DCCLXVIII. Pipinus obiit VIII. Kalend. Octobr. VVaifarius antè occisus.
DCCLXIX.
DCCLXX. 770.
DCCLXXI. KARLOMANNVS Rex obiit III. Nonas Decembris. CAROLVS MAGNVS.
DCCLXXII. Franci in Saxoniam cum CAROLO Rege.
DCCLXXIII. Magi campus ad Genua, & Rex Carolus in Longobardia.
DCCLXXIV. Paueia ciuitas conquisita, & Rex Desiderius & Ansa vxor eius pariter exiliati sunt. Haribertus Abba obiit, & Anicho ordinatus. & Carolus ad Romam peruenit.
DCCLXXV. Magi campus ad Duram, & Carolus Rex in Saxoniam.
DCCLXXVI. Carolus Rex in Italiam interfecto Rothgauro, & præterea Magi campus ad VVormatia, & inde in Saxonia; iam sine bello.
DCCLXXVII. Magi campus ad Paderbrunna.
DCCLXXVIII. Karolus in Spania, & Saxones in Francia.
DCCLXXIX. Magi campus ad Vra, & Franci in Saxonia absque bello. Fames magna, & mortalitas in Francia.
B DCCLXXX. Franci in Saxonia, deinde ad Romam. 780.
DCCLXXXI. Carolus reuersus de Roma, Pipino baptizato: & habuit Magi campum ad VVormacia.
DCCLXXXII. Rex Carolus cum Francis ad Libram absque bello, & postea Saxones. Et quosdam Saxones de Francis occisi. & iterum Franci super Saxones.
DCCLXXXIII. Carolus Rex iterum in Saxonia cæde facta terram deuastauit. Hildegardis Regina obiit II. Calend. Maias.
DCCLXXXIV. Rex ad Lippiam transiuit Rhenum, & deuastauit Saxones.
DCCLXXXV. Rex Carolus in Erispurg resedit, & Saxones in pace conquisiuit.
DCCLXXXVI. Turinci deprehensi & detenti. Rex Carolus VVormacia resedit, postea Romam peruenit. Deinde ad S. Benedicti, & ad Capuam. & cruces in vestibus apparuerunt.
DCCLXXXVII. Carolus de Roma reuertens ad Paueiam, & exinde duxit Longobardos & exiliauit eos in Francia, & resedit per Alemanniam in fines Baugauriorum. & ibi Dux Dasilo reddidit ei ipsam patriam, & dedit ei filium suum Theodonem obsidem.
DCCLXXXVIII. Dasilo venit ad Inguilhaim ad dominum Regem, & post eum vxor eius ibidem: & ille comam capitis deposuit, & vterque cum filiis eorum exiliati sunt. & Boioaria capta est.
DCCLXXXIX. Carolus Rex cum exercitu Francorum perrexit in Sclauos, hoc est in VVilcia, & conquisiuit ipsam patriam cum Rege ipso nomine Tragovvit,
C & reuersus est cum pace.
DCCXC. Carolus Rex commoto exercitu magno Francorum & Saxonum atque Sclauorum, perrexit in regionem VVandalorum, terram deuastauit, & cum præda reuersus est in pace. Algiramus & Suidbertus de hac luce migrauerunt. 790.
DCCXCI. Carolus Rex Hunnorum Regnum vastat.
DCCXCII. Rex Carolus Regenespurc. Saxones & Frisones mentiti sunt. & Pipinus comam capitis deposuit, & quosdam de Francis occisi & suspensi propter consilium pessimum quod fecerunt super Carolum Regem. & Fossatum iussit facere.
DCCXCIII. VVillihelmus pugnauit contra Sarracenos ad Narbona, & perdidit ibi multos homines, & occidit vnum Regem ex ipsis cum multitudine Sarracenorum. & Gerho Episcopo Muarbach Monasterium datum.
DCCXCIV. Carolus iterum in Saxonia, & ipsi Saxones venerunt obuiam illi, & promiserunt fidelitatem, & postea mentiti sunt.
DCCXCV. Iterum Rex Carolus cum magno exercitu Francorum in Saxonia, terram deuastauit, & ipsos conquisiuit, & exinde adduxit obsides DCCLXX. & reuersus, cùm ..... Vandali conquisiti sunt. & .... otanus Dux de Pannonia venit ad Carolum Regem ad Achar, & seipsum dedit, & patriam quam habebat, & ipse baptizatus, & omnes qui cum eo venerant, & reuersus cum pace & honore in patriã suam. Adrianus Papa defunctus VII. Cal. Ian. & Leo electus atq; consecratus.

CAROLVS MAGNVS. DCCXCVI. Carolus Rex in Saxonia, cum magno exercitu Francorum terram deuastauit, & cum præda magna reuersus ad propria. Et Pipinus Rex Longobardorum cum ipsis Longobardis & Bauguariis perrexit in regionem VVandalorum. Et ipsi VVandali venerunt obuiam ipsi, & tradiderunt patriam atque Principatum eorum Pipino Regi atque Francis. & Rex Pipinus reuersus est cum pace & thesauro magno in Franciam ad patrem suum Carolum Regem, ad Palatium quod dicitur Aquas. A

797. DCCXCVII. Carolus Rex cum magno exercitu Francorum in Saxonia terram deuastauit, & cum pace reuersus est in Franciam ad Aquas. & iterum cum exercitu in Saxonia cum omni domo sua. & ibi resedit hybernum totum. Pipinus cum Baguariis, & quosdam de Longobardis super Sclauos terram deuastauit, & cum pace reuersus est ad patrem suum dominum Regem Carolum. Ludouicus in Spania cum exercitu magno, & absque bello reuersus est ad propria. Ericus cum quibusdam Francis & Longobardis in VVandalis prœlium commisit, victoriam cepit, terram ipsam cum dominatione domini Regis Caroli conquisiuit.

DCCXCVIII. Iterum Rex Carolus in Saxonia cum magno exercitu Francorum, & conquisiuit illos, & exinde adduxit obsides innumerabiles, & reuersus est cum pace. VVandali mentiti sunt, & quosdam de Saxonis. Imma defunctus est.

DCCXCIX. Kerold occiditur.

DCCC.

DCCCI. B

802. DCCCII. Egino Veronensis Episcopus obiit.

DCCCIII.

DCCCIV.

DCCCV.

DCCCVI. Hatto VValdoni successit.

DCCCVII.

DCCCVIII.

DCCCIX.

810. DCCCX. Leo Papa obiit.

DCCCXI. Hatto Episcopus super mare transiuit.

DCCCXII.

DCCCXIII. Egino Constantiensis Episcopus obiit.

LVDOVICVS PIVS. DCCCXIV. Carolus Imperator obiit. Ann. I. LVDOVICI Imperatoris.

DCCCXV.

DCCCXVI. Bernhardus Rex.

DCCCXVII.

DCCCXVIII.

DCCCXIX.

DCCCXX.

DCCCXXI. C

822. DCCCXXII. Hattoni Erlaboldus successit.

DCCCXXIII.

DCCCXXIV. VVetinus Monachus obiit.

DCCCXXV.

DCCCXXVI.

DCCCXXVII.

DCCCXXVIII.

DCCCXXIX.

830. DCCCXXX. Initium Basilicæ S. Galli. Corpora sanctorum Valentis & ...... Augiam deuenerunt.

DCCCXXXI.

DCCCXXXII.

DCCCXXXIII. Francorum dedecus.

DCCCXXXIV.

DCCCXXXV. Dedicatio Basilicæ S. Galli.

DCCCXXXVI. Hatto Episcopus obiit.

DCCCXXXVII. Berwicus Abbas constituitur.

A DCCCXXXVIII. Puoto Diaconus de Palatio lapsus est in Iudaismum inter octauam & nonam horam in vigilia Ascensionis Domini.

DCCCXXXIX. K. R. oritur.

DCCCXL. Ludouicus Imperator obiit. & eclypsis Solis III. Non. Maij.

DCCCXLI. Primus annus LOTHARII Imp. Bellum trium fratrum. LOTHARIVS IMP.

DCCCXLII. Diuisio Regni inchoata.

DCCCXLIII. IVDITTA Regina obiit. Pax facta inter illos.

DCCCXLIV.

DCCCXLV.

DCCCXLVI. Reginbertus obiit.

DCCCXLVII. Tatto & Erlaboldus obierunt.

DCCCXLVIII.

DCCCXLIX. Terræmotus. VValachfredus obiit.

DCCCL.

DCCCLI.

DCCCLII.

DCCCLIII.

DCCCLIV. Hatto obiit.

DCCCLV.

B DCCCLVI. Leo Papa. Lotharius Imper. Tucago & Rabanus obierunt. 856.

DCCCLVII. Ludouici Regis filia HILDIKAR obiit.

DCCCLVIII. Folchvvinus Abbas obiit.

DCCCLIX.

DCCCLX. Hiems magna & mortalitas animalium.

DCCCLXI. Fames validissima: Meginradus Heremita martyrizatus.

DCCCLXII.

DCCCLXIII. Gens Hunnorum Christianitatis nomen aggressa est.

DCCCLXIV. Ebachard, Liutolf, Erchanker, Liutfrid, Ruddolf, Regni Principes, obierunt. 864.

DCCCLXV. Purchard, & alij quamplurimi obierunt. Adalvvinus pastoralem curam suscepit.

DCCCLXVI. Caroli Regis soror IRMANGART obiit.

DCCCLXVII. Terræmotus. Papa Nicolaus obiit. & nimia superfluitas imbrium.

DCCCLXVIII. Stella cometis. Fames & mortalitas hominum & animantium.

DCCCLXIX. Lotharius Rex de Campania veniens in Placentia obiit.

DCCCLXX. Raffucius Dux à LVDOVICO Rege Germaniæ, & Soltanus ab Imperatore capti sunt LVDOVICO Rege Longobardorum. 870.

DCCCLXXI. Salomon Episcopus obiit. Ludouicus & Carolus cum patre pacificati sunt, data Retia Carolo. LVDOVICVS II.

C DCCCLXXII. Crimoldus Abbas obiit.

DCCCLXXIII.

DCCCLXXIV. Altfridus, Rattoldus, Ermerocus, Episcopi; Pernoldus Comes, obierunt.

DCCCLXXV. LVDOVICVS Imp. filius Lotharij in Italia obiit.

DCCCLXXVI. HEMMA Regina, & CAROLOMANNVS filius Lotharij obierunt. & Ludouicus Pius Rex Germaniæ defunctus.

DCCCLXXVII. BERCHTA filia Regis obiit.

DCCCLXXVIII. CAROLVS Imp. de Gallia obiit.

DCCCLXXIX. LVDOVICVS Rex de Gallia filius Caroli obiit.

DCCCLXXX. CAROLOMANNVS Rex Boioariorum filius Ludouici Regis Germanorum obiit. 880.

DCCCLXXXI. CAROLVS Imp. à Ioanne Papa benedicitur, & in Italiã ingreditur. CAROLVS III.

DCCCLXXXII. CAROLVS Imp. gubernacula Regni Francorum suscepit.

DCCCLXXXIII.

DCCCLXXXIV.

DCCCLXXXV. VValdo Episcopus effectus.

DCCCLXXXVI.

DCCCLXXXVII.

ARNVLFVS. DCCCLXXXVIII. Carolus Imp. à Regno depositus est. ARNOLPHVS in Regnum eleuatur. A

DCCCLXXXIX. Luitpertus Archiepiscopus obiit.

890. DCCCXC. Salomon Abba efficitur.

DCCCXCI. Ipse Episcopali honore coronatur. Radaspona igni crematur.

DCCCXCII. Arnolphus Rex contra Marauenses pergebat.

DCCCXCIII.

DCCCXCIV. Arnolfus Rex Italiam cepit, simul & Burgundiam.

DCCCXCV.

DCCCXCVI. Arnolfus Romam veniens efficitur Imperator.

DCCCXCVII.

DCCCXCVIII.

DCCCXCIX. Vngri Italiam inuaserunt, & Longobardos bello vicerunt.

LVDOVICVS. DCCCC. Arnolfus Imp. obiit. LVDOVICVS filius eius in Regnum eleuatur. Norici cum Vngris pugnauerunt, & partem ex eis occiderunt.

981. DCCCCI. Zuuentibold Rex à suis interficitur.

DCCCCII. Vngares à Baioariis ad prandium vocati plures occiduntur. & terræmotus per loca. B

DCCCCIII. Reginh...... perint, & Kerh.... germani tres occiduntur.

DCCCCIV.

DCCCCV.

DCCCCVI. VValdo Episcopus obiit.

DCCCCVII.

DCCCCVIII. Baiouariorum omnis exercitus ab Hungaris occiditur.

DCCCCIX. Vngri in Alamanniam.

910. DCCCCX. Vngri cum Alamannis & Francis pugnauerunt, eósque vicerunt. Sed & Norici partem ex eis occiderunt. Adelbero obiit.

CONRADVS. DCCCCXI. Ludouicus filius Arnolfi Regis moritur. CONRADVS Regnũ accepit.

DCCCCXII. Conradus Monasterium sancti Galli adiit, & illic regaliter susceptus est. Ipso anno Francos, qui dicuntur Lotharingi, hostiliter inuasit.

DCCCCXIII. Item Conradus cum exercitu Regnum Lotharingorum ingressus est. Discordia cœpta inter Regem & Erchangerum. Vngri in Alamanniam, quibus per Bauariam redeuntibus, Arnolphus filius Liupoldi, & Erchanger, cum Perahtoldo, & ..... Adalrico, cum eis pugnauerunt, & eos superarunt. Ipso anno Erchanger cum Rege pacificatus est, cuius sororem Liupuldi relictam Rex quasi pacis obsidem in matrimonium accepit.

DCCCCXIV. Item Conradus venit in Alamanniam. Erchanger hostili manu super Episcopum Salomonem venit, & eum comprehendit. Ipso anno idem Erchanger apud castellum Oufridinga à Rege comprehensus, & in exilium missus est. mox etiam Purchardus iunior contra Regem cœpit rebellare, & propriam suam patriam deuastare. C

DCCCCXV. Conradus castellum Tuixl obsedit, & Henrico Saxonum Duce Franciam inuadente regreditur. Erchanger de exilio reuersus cum Purchardo & Peratholdo cum ceteris patriotis suis pugnauit, & eos apud VValavvis vicit. & Dux eorum effectus est.

915. DCCCCXVI. Erchinger, Parthold, & Luitfrid, occiduntur dolosè. & item Purchardus rebellauit.

DCCCCXVII. Arnulfus cum Bauariis rebellauit.

DCCCCXVIII. Conradus obiit.

DCCCCXIX.

DCCCCXX.

921. DCCCCXXI. In IV. feria ante Pascha Romæ iuxta altare S. Petri † crucifixi imago Christi, quando passio ipsius legebatur, astante omni populo, & palam cernente, lacrymata est; ita vt lacrymæ stillantes ad instar riui in pauimento manarent, à tergo verò eiusdem imaginis sudæ æquè in terram currebat.

DCCCCXXII.

DCCCCXXIII.

DCCCCXXIV.

DCCCCXXV.

A DCCCCXXVI. Purchardus in Italia fugiens Longobardos, de equo lapsus breui momento vitam finiuit quarto pòst die, id est VI. Nonar. Maij feria II. Vngari Monasterium S. Galli omni humano solatio destitutum inuadunt. Ipsis autem patronis nostris, beatissimo videlicet Gallo & Othomaro, per se solos prædium suum victoriosissimè tuentibus, haud grandi & non intolerabili læsione loci rerúmque recessêre.

HEPIDANNI MONACHI SANCTI GALLI ANNALES BREVES.

Ab anno CHRISTI DCCVIIII. vsque ad annum M. XLIIII.

B *Ex Tomo I. Alamannicarum Rerum Melchioris Haiminsfeldij Goldasti.*

ANNO DCCIX. Hiems dura. Gothefridus Dux mortuus est. 709.

DCCX. Annus durus, & deficiens fructus.

DCCXII. Aquæ inundauerunt valdè.

DCCXIV. PIPINVS Maior-domus defunctus est. KAROLVS filius in Maior-domatu succedit, cognomento MARTELLVS.

DCCXV. Karolus Alamanniam rebellantem domat, Liutfrido Duce eorum superato. Cuius filius Thietpaldus S. Pirminium pepulit.

DCCXVIII. Vastauit Karolus Saxoniam plaga magna.

DCCXX. Pugnauit Karolus contra Saxones. 720.

Abbas hoc noster Othmarus ponitur anno.

DCCXXI. Eiecit Theudo Sarracenos de Æquitania.

DCCXXII. Magna fertilitas.

DCCXXIV. Beatus Pirminius primò venit in Augiam à Gregorio II. in Germaniam missus, quemadmodum & Bonifacius, ante Vunifridus dictus, natione Anglus.

DCCXXV. Sarraceni venerunt primitus.

DCCXXXI. Beatus Beda Presbyter obiit. 731.

DCCXXXII. Karolus pugnauit contra Sarracenos ad Pictauis die Sabbato.

DCCXXXVII. Karolus pugnauit contra Sarracenos in Gotia in die Dominica.

C DCCXL. Karolus mortuus.

DCCXLIII. KARLOMANNVS & PIPINVS in Saxonia. Iste Karlomannus Alamanniam etiam afflixit.

DCCXLV. Karlomannus iuit ad Romam, & ob honorem Dei omissis secularis pompæ deliciis, comam capitis sui deposuit, & suo germano Pipino Regni gubernacula reliquit.

DCCXLVI. Sidonius Episcopus Constantiensis Ecclesiæ, & Abbas Augiæ, beatum Othmarum in Synodo de adulterio accusatum damnauit, mox missum in exilium.

DCCXLIX. Pipinus in Saxonia.

DCCLI. Stephanus Papa in Franciam venit. Domnus Bonefacius Episcopus in prædicatione Phrisiam perrexit, vitam temporalem in martyrio finiuit. 751.

DCCLII. Sanctus Bonifacius Episcopus martyrio coronatur, & domnus Pipinus per auctoritatem Stephani Romani Pontificis, deposito ac detonso Rege Hildrico, qui à baptismo alio nomine vocitatus est Danihel, ex Præfecto Palatij Rex constitutus est, & cum exercitu Francorum Italiam ingreditur, & receptis rebus sancti Petri reuersus est ad Sedem suam.

DCCLIII. Franci iterum in Langobardiam cum exercitu. A

DCCLIV. Papa Stephanus defunctus.

DCCLV. Venit organa in Franciam.

DCCLVI. Rex Pipinus Saxoniam ingreditur.

DCCLVIII. Rex Pipinus cum exercitu in Æquitaniam. VVarinus & Ruodhardus beatum & sanctum virum Othmarum multis iniuriis affligebant: ipse verò plenus dierum, plenus etiam sanctitate meritorum, de angustiis huius vitæ eripitur, atque in insula Rheni fluminis, quæ vocatur Stein, sepultus est. Eo ipso anno Iohannes Episcopus administrationem Cœnobij nostri per vim suscepit.

DCCLIX. Pipinus iterum in VVasconiam vsque ad Limodiam ciuitatem.

760. DCCLX. Rex Pipinus iterum in Æquitaniam, Bittiricam conquisiuit.

DCCLXII. Hiems grandis & dura.

DCCLXIV. Pipinus conquisiuit Limodiam.

DCCLXV. Pipinus Tolosam perrexit.

DCCLXVI. Pipinus obiit IX. Kalend. Octobris.

DCCLXVII. KAROLVS & frater KARLOMANNVS regnare cœperunt.

DCCLXVIII. Translatio sancti Othmari Abbatis de Insula Rheni ad Monasterium sancti Galli.

DCCLXIX. Karlomannus Rex obiit II. Non. Decembris.

770. DCCLXX. Franci in Saxonia cum Karolo Rege. B

DCCLXXI. Karolus in Langobardia.

DCCLXXII. Paueia ciuitas conquisita, & Rex Desiderius & Ansa vxor eius pariter exiliati sunt ad Corbeiam. & ibi Desiderius in vigiliis, & orationibus, & ieiunils, & multis bonis operibus permansit vsque ad diem obitus sui. Karolus peruenit ad Romam.

DCCLXXIII. Karolus in Saxonia.

DCCLXXIV. Karolus Rex in Italiam, & indè in Saxoniam iam sine bello.

DCCLXXVI. Karolus Rex in Hispaniam, & Saxones in Franciam.

DCCLXXVIII. Franci in Saxonia sine bello. Fames magna & mortalitas in Francia. Rautpertus Abba constituitur.

DCCLXXIX. Karolus in Saxoniam, deindè ad Romam. Rautpertus moritur. VValdo Abbas constituitur.

780. DCCLXXX. Karolus reuersus est de Roma, Pipino baptizato.

DCCLXXXI. Rex Karolus cum Francis ad Lippiam absque bello. & postea Saxones mentiti sunt, & quosdam de Francis occiderunt. & iterum Franci super Saxones. VValdo moritur. VVerdo Abbas constituitur.

DCCLXXXII. Karolus Rex ad Lippiam transiuit Rhenum, & deuastauit Saxones.

DCCLXXXIII. Rex Karolus Merspurch resedit, & Saxones in pace conquisiuit.

DCCLXXXIV. Karolus Romam venit, deinde ad sancti Benedicti Monasterium, C & ad Capuam. & cruces in vestibus apparuerunt.

DCCLXXXV. Karolus de Roma veniens ad Paueiam, & exindè duxit Langobardos, & exiliauit eos in Francia, & resedit VVormaciam, & exinde perrexit per Alamanniam in fines Bauuariorum. & ibi Dux Dassilo reddidit ei ipsam patriam, & dedit ei filium suum Theodonem obsidem.

DCCLXXXIX. Karolus Rex Regnum Hunorum vastat.

790. DCCXC. Rex Karolus Regenespurch resedit, & Pipinus comam capitis deposuit, & quidam de Francis occisi sunt & suspensi, propter consilium quod fecerunt super Karolum.

DCCXCI. VVilhelmus pugnauit cum Sarracenis ad Narbonam, & perdidit ibi multos homines, & occidit vnum Regem ex ipsis cum multitudine Sarracenorum.

DCCXCII. Karolus iterum in Saxoniam, & ipsi Saxones venerunt obuiam illi, & promiserunt fidelitatem, & postea mentiti sunt.

DCCXCIII. Iterum Rex Karolus cum magno exercitu Francorum in Saxonia terram deuastauit, & ipsam conquisiuit, & exindè adduxit obsides LXX. & reuersus est cum pace. VVandali conquisiti sunt, & Zotanus Dux de Pannonia venit

A ad Karolum Regem ad Aquasgrani, & seipsum dedit & patriam, quam habebat, & ipse baptizatus est, & omnes qui cum eo venerant, & reuersus est cum pace & honore in patriam suam.

DCCXCIV. Karolus Rex in Saxoniam cum magno exercitu terram deuastauit, & cum præda magna reuersus est ad propria.

DCCXCVII. Iterum Karolus in Saxoniam venit, terram deuastauit, & cum pace reuersus est in Franciam ad Aquas: & iterum cum exercitu in Saxoniam cum omnimoda domo sua, & resedit ibi hibernum totum.

DCCXCVIII. Karolus Rex in Saxoniam, & conquisiuit illos, & exindè adduxit obsides innumerabiles, & reuersus est cum pace.

DCCXCIX. Kerolth occiditur.

DCCC.

Octingentesimus primus, KAROLVS Imperator factus, & Magnus cognominatus. 801.

DCCCII. Heito Episcopus in consilio Karoli clarus habetur.

DCCCX. Heito Episcopus super mare transiuit.

DCCCXI. VVerdo Abba obiit. VVolfleoz Abba constituitur.

DCCCXIV. Karolus Imperator obiit. Annus I. LVDOVICI Imperatoris.

DCCCXV. Cozpertus Abba constituitur.

B DCCCXVIII. Sedulius Scottus clarus habetur.

DCCCXX. Heigo Episcopus in Augia militat. 820.

DCCCXXIII. VVetinus Monachus de Augia obiit.

DCCCXXIX. Initium Basilicæ S. Galli, & translatio S. Othmari de eadem Ecclesia in Basilicam S. Petri Apostoli. Vnde versus Notkeri Balbuli.

Iustitiæ Gozbertus heros fratris VVinihardi
Artibus eximiis fasces portantibus omnes
Pauperibus Monachis lapidum, calcisque, & harenæ,
Vt quondam largus fecitque Sisinnius almus.

HANC STRVXIT ECCLESIAM.

DCCCXXXIV. Dedicatio Basilicæ S. Galli.

DCCCXXXVI. Bernuuicus Abba constituitur.

DCCCXL. LVDOVICVS Imperator obiit, & eclypsis Solis facta est III. Non. Maij inter octauam & nonam horam. 840.

DCCCXLI. Bellum trium fratrum. Chrimaldus Abba efficitur.

DCCCXLII. Diuisio Regni inchoata.

DCCCXLIII. Pax facta inter illos.

DCCCXLIX. Terræmotus. VValahfredus Abba Augensis obiit. Iste vir litteratus vitas sanctorum Galli & Othmari ad petitionem Gozperti Abbatis compi-C lauit eleganter.

DCCCLX. Hiems magna, & mortalitas animantium. 860.

DCCCLXI. Fames validissima. Meginratus Heremita martyrizatus est.

DCCCLXIII. Gens Hunorum Christianitatis nomen aggressa est.

DCCCLXIV. Translatio sancti Othmari de Ecclesia sancti Petri in Basilicam sancti Galli.

DCCCLXVII. Terræmotus, & nimia superfluitas imbrium.

DCCCLXVIII. Stella Cometis. Fames validissima, & mortalitas hominum & animantium.

DCCCLXXI. Yso magister obiit pridie Id. Maij.

DCCCLXXII. Grimaldus Abba obiit, & Harthmuotus ei successit, cui & hoc Epitaphium posuit,

Hic manet interiùs diuinæ legis amator
Grimoldus humilis, templum hoc qui condere iussit.

DCCCLXXVI. LVDOVICVS PIVS Rex Germaniæ obiit. Volo cecidit.

DCCCLXXVII. KAROLVS secundus Imperator cœpit regnare.

DCCCLXXIX. Papa Iohannes in Franciam venit. 879.

DCCCLXXXII. KAROLVS Imperator à Ioanne Papa benedicitur.

DCCCLXXXIII. Karolus Imperator gubernacula Regni Francorum suscepit.

DCCCLXXXIV. Ex petitione Harthmuoti Abbatis Pernhardus in locum illius constituitur. A

DCCCLXXXIX. Karolus Imperator à Regno depositus est, & obiit in octaua Theophaniæ eodem anno & ARNOLFVS in Regnum eleuatur. In cuius temporibus Agareni in istas regiones primitus venerunt.

DCCCXCI. Salomon Abba efficitur.

DCCCXCII. Ipse Episcopali honore coronatur. Radesponaigne cremata est.

DCCCXCIII. Arnolfus contra Marauenses pergebat, & Agarenos vbi reclusi erant dimisit.

DCCCXCVII. ARNOLFVS efficitur Imperator.

DCCCXCIX. Agareni Italiam intrauerunt, & Langobardos bello vicerunt.

900. DCCCC. Arnolfus Imperator obiit. LVDOVVICVS filius eius in Regnum eleuatur adhuc puerolus. Norici cum Agarenis pugnauerunt, & partẽ ex eis occiderunt.

DCCCCI. Zuuentibolch Rex à suis interficitur.

DCCCCII. Agareni à Baioariis ad prandium vocati, vbi Rex eorum Chussol occisus est, & alij quamplurimi cum eo. Terræmotus per loca.

DCCCCIV. Salomon Episcopus residet Cellam suam in Turgouia.

DCCCCVI. ADALBERTVS decus Francorum occiditur.

DCCCCVIII. Baioariorum omnis exercitus ab Agarenis occiditur. Adelbero Episcopus Augustensis cum magno apparatu & multis donis venit ad Monasterium S. Galli. B

DCCCCIX. Agareni in Alamanniam.

910. DCCCCX. Adelbero Episcopus obiit. Agareni cum Alamannis & Francis pugnauerunt, eósque vicerunt, & Norici partem ex eis occiderunt.

DCCCCXI. Stella Cometis apparuit. Ludouuicus Rex filius Arnolfi Regis obiit, & domnus CHVONRADVS Regnum accessit.

DCCCCXII. Chuonradus Rex in festiuitate S. Stephani ad vesperum venit ad Monasterium S. Galli. Eodem anno Notkerus Magister obiit.

DCCCCXIII. In Purificatione Sanctæ Mariæ, transacta festiuitate, ad vesperum, grande miraculum contigit, vt stellæ miro modo vsque ad mediam noctem inter se volitarent. Eodem anno nix immanis cadens Id. April. ebdomadam Paschæ perdurauit. Hatho Archiepiscopus obiit, & Othpertus Episcopus occiditur Agareni Alamanniam intrauerunt. Erchanger & Pertholt frater eius, & Vodalrichus Comes, auxiliante illis nepote eorum ARNOLFO optimo Duce Baioariorum, totum exercitum eorum iuxta Ine fluuium penitus occiderunt, nisi XXX. viros.

DCCCCXIV. Salomon Episcopus captus est.

DCCCCXVI. Erchanger, & frater eius Perecholt, & Liutfrid, capti & occisi sunt. VViberat reclusa est.

DCCCCXVIII. Chuonradus Rex obiit ante Natale Domini. HEINRICVS Saxo Rex electus est. C

DCCCCXIX. Salomon Episcopus obiit in vigilia Epiphaniæ. RVODOLFVS Rex, & Purchardus Dux Alamannorum pugnauerunt ad VVintertura, & Rex superatus est.

920. DCCCCXX. Rachilt in natiuo Sanctæ Mariæ inclusa est.

DCCCCXXI. Harthmannus Abba effectus est.

DCCCCXXII. RVODOLFVS Rex filiam Purchardi Ducis accepit.

DCCCCXXIV. Engilbertus Abba efficitur.

DCCCCXXV. Purchardus Dux in Italia dolo occiditur. Agareni Monasterium S. Galli inuaserunt. VViberat martyrizata est. Engilbertus Abba ab HENRICO Rege Abbatiam suam suscepit.

DCCCCXXXIII. Thieto Abba efficitur v. Kal. Nouemb. II. feria.

DCCCCXXXIV. Notingus Episcopus, & Engilbertus Abba, & Moyses Decanus, obierunt. Aluuicus Abba efficitur in Augia.

DCCCCXXXV. Chuonradus Episcopus efficitur.

DCCCCXXXVI. Ista iuuentus mortua est. HEINRICVS Rex obiit. OTTO filius eius successit ei in Regnum.

DCCCCXXXVII. Monasterium S. Galli concrematum est VI. Kal. Maij IV. feria, & ARNOLFVS Dux Bauariorum defunctus est.

A DCCCCXXXIX. Eclypsis Solis facta est circa horam tertiam diei XIV. Kal. Aug. in IV. anno Othonis Regis, in VI. feria Luna XXIX. Eodem die in regione Galliciæ innumerabilis exercitus Saracenorum à quadam Regina nomine Tota penitus extinctus est, nisi Rex illorum, & quadraginta nouem viri cum eo. Eodem anno EBERHARDVS Dux Francorum occisus est, & KISALBERTVS Dux Choldhariorum in Rheno vitam finiuit.

DCCCCXL. Annus durus, & deficiens fructus. 940.

DCCCCXLI. Signum mirabile apparuit in cœlo, & mortalitas boum fuit.

DCCCCXLII. Thioto Abbatiam suam dereliquit, & Cralo frater eius vterinus ei successit II. Kal. Iun. III. feria.

DCCCCXLIII. Omnis Agarenorum exercitus à Baioariis occisus est.

DCCCCXLIV. Terræmotus factus est III. feriâ Paschæ circa pullorum cantum XVI. Kal. Mai. Eodem anno æstas omnis versa est in pluuiam.

DCCCCXLV. Nix magna Idus Mar. cadens.

DCCCCXLVI. Rachilth reclusa defuncta est.

DCCCCXLVIII. Lintaugia concremata est Non. Iunij. Eodem anno LIVTOLFVS Deo carus & omnibus Sanctis, filius Ottonis Regis, cum HEREMANNO Duce venit primitus Monasterium Sancti Galli in festiuitate ipsius.

DCCCCXLIX. VValdo Curiensis Episcopus, & HERIMANNVS Dux Alamannorum obierunt.

B DCCCCLI. OTTO Rex Italiam cepit. 951.

DCCCCLII. Kerhilt VI. Kal. Iunij, in die Ascensionis Domini, sacro velamine induta est, & in natali S. Mariæ inclusa. Eodem anno duo tonitrua maxima facta sunt in Monasterio sine læsione.

DCCCCLIII. Discordia exorta est inter OTTONEM & filium eius LIVTOLFVM Ducem Alamannorum. Eodem anno Anno Abba suscepit regimen Monasterij Sancti Galli, & rexit illud annum I. & menses II. & ebdomadam I.

DCCCCLIV. ADALBERO filius Pertoldi, & ARNOLFVS filius ARNOLFI Ducis, occisi sunt, & Fridericus Archiepiscopus Magontiensis, & (heu proh dolor!) Anno Abba obierunt.

DCCCCLV. OTTO Rex cum Agarenis pugnabat in festiuitate S. Laurentij, eósque Deo auxiliante deuicit, & erat numerus illorum centum milia. Et multi illorum comprehensi sunt cum Rege eorum nomine Puszi, & suspensi sunt in patibulis. Et aliud bellum cum eis gerebatur à Poemanis, vbi comprehensus est Rex illorum nomine Lele, extincto exercitu eius. Eodem anno Otto Rex & filius eius Liutolf in festiuitate S. Galli pugnauerunt cum Abatarenis, & Vulcis, & Cyripsanis, & Tolosenis, & victoriam in eis sumpsit, occiso Duce illorum nomine Ztoignauo. & fecit illos tributarios. In ipso anno HEINRICVS Dux Baioariorum defunctus est.

C DCCCCLVI. LIVTOLFVS filius Regis Ottonis Italiam ingreditur. Ipso verò anno cruces apparuerunt in albis vestimentis.

DCCCCLVII. Liutolfus in Italia febre correptus (heu proh dolor!) vitam præsentem finiuit.

DCCCCLVIII. Aluuic Augensis beatæ memoriæ Abba paralysi morbo ægrotare cœpit.

DCCCCLIX. Cralo venerabilis Abba vitâ discessit. Cui successit PVRCHARDVS vir nobilis ex antiquorum Regum prosapia ortus, sapiens, & pulcher, & decorus aspectu. Eodem anno Aluuicus Augensis Abba defunctus est, & in eius locum Ekkehardus eidem Cœnobio, horto deliciarum, prælatus est.

DCCCCLX. Annus durus, & in multis regionibus deficiens. & multi fame perierunt. 960.

DCCCCLXI. Perethrat ad Cellam Sancti Georgij inclusa est.

DCCCCLXIII. OTTO Rex secundam profectionem in Italiam fecerat cum magno exercitu in mense Augusto.

DCCCCLXIV. Ipse à Papa Octauiano benedicitur in Purificatione sanctæ Mariæ, die Dominico.

DCCCCLXVII. Ruodman Abbas Augensis nocturnus claustrum intrauit & clandestinus, vt si quid reatui proximum indagare posset, publicaret, vti lupus

caulas introit. Sed Ekkehardi Monachi perspicaciâ proditus, qui ei deprehenso laternam anteferebat, multas venias petens vix sine dedecore emissus est, atque ipso machinante. A

DCCCCLXVIII. Aduentus & immissio octo Episcoporum ac totidem Abbatum in Monasterium S. Galli, ad examinandam vitam nostram, & Regulæ obseruationem. Qui Deo dante optima testimonia daturos polliciti, Fratrésque facti, caritatiuè abierant.

DCCCCLXIX. Thietpertus Presbyter defunctus est.

970. DCCCCLXX. Hoc anno eclypsis Solis facta est XI. Kal. Ianuarij, Lunâ XXVIII. horâ diei III.

DCCCCLXXI. Turbo vehemens cum magna ædium & arborum ruinâ exortus est III. Non. Aug.

DCCCCLXXIII. *Hoc anno efficitur Notkerus Abba benignus,*
Menstrua quindenas præcedens Luna Kalendas
Cùm fore venturas præsignet mense Theseo.

DCCCCLXXVIII. OTTO Imperator Augustus, & BVRCHARDVS Dux, & Vodalricus Episcopus, & nepos eius Adelbero, & Vodalricus Comes, & Ekkehardus Monachus, isto anno de hoc seculo recesserunt. B

981. DCCCCLXXXI. Stella Cometis tempore autumni visa est. Mox secuta est mors Abbatis Notkeri, & eius quondam antecessoris Purchardi, & Notkeri Medici.

DCCCCLXXXII. Ymmo Abbas ordinatus est. Orta est hoc anno grauis de Regno contentio inter OTTONEM Imperatorem, & nepotem eius HEINRICVM Ducem Baioariæ filium Heinrici.

DCCCCLXXXIV. LOTHARIVS Rex Francorum contentiosè agens aduersus Imperatorem Ottonem de finibus Regni, Aquisgrani tanquam sedem Regni patrum suorum inuasit. Terram quoque inter Mosellam & Rhenum, quæ erat in Ottonis Imperio, affectare cœpit. Contra quem statim Otto XXX. milia equitum in Franciam duxit, & hostiliter eam deuastans famosissimam fecit expeditionem.

DCCCCLXXXV. Kebehardus Episcopus efficitur.

DCCCCLXXXVI. *Pertherat in claustro defuncta petit loca cælo,*
Hartker mox antrum post quam se damnat in ipsum.

988. DCCCCLXXXVIII. OTTO Imperator non contentus finibus patris sui, dum esset Romæ, egressus est occupare Campaniam, Lucaniam, Calabriam, Apuliam, & omnes vlteriores partes Italiæ, vsque ad mare Siculum, & portum Traspidem. Qua causâ Imperator Constantinopolitanus, sub cuius erat hæc omnis Terra imperio, primo per nuncios nequicquam eum temptat reuocare ab incœpto. Dein Saracenos ex Sicilia, & aliis insulis maris, & finibus Africæ vel Egypti, aduersus eum conduxit in prœlium, cum quibus ille infeliciter dimicauit. Nam ad prandendum eos venire æstimans, dum paucos in littore maris quasi latrunculos conspicit, parua manu aggressus est eos opprimere, & circumfusus infinita multitudine, quæ se noctu in montibus occuluit, omnibus in exercitu suo fugatis, vel occisis, vel captis, ipse nauigio vix ad castellum quoddam suorum euasit. Ex captiuis autem multos postea reuersos vidimus tam Clericos quàm laicos, quorum vnus erat Vercellensis Episcopus carcere diu maceratus apud Alexandriam. C

DCCCCLXXXIX. Hoc anno Imperator cogitans se vindicare in eos, qui in Sicilia habitant, Saracenos, voluit arte Darij quondam Regis Persarum, ponte nauibus iuncto, quemadmodum ille Græciam, ita & ipse Siciliam intrare. Sed immatura morte præuentus est, & Romæ sepultus. Pro quo regnauit filius eius OTTO III. hoc vocabulo, quartum ætatis annum agens. Cum quo simul regnauit mater eius THEOPHANV, quam sibi pater ex nobilibus Græcorum suscepit vxorem.

990. DCCCCXC. *Hic benè maturo transit Pater ille sub æuo,*
Ad patriæ requiem hic obit Ymmo diem.
Hunc meritò nostri vigilanter habent memorari,
Plura loca Galli stant monimenta cui.

DCCCCXCV. Stella Cometes apparuit clara in Natale Sancti Laurentij.

DCCCCXCVI. Vodalricus Abbas vitâ decessit, & Gerhardus ei subrogatur, atque Ekkehardus Monachus defungitur.

DCCCCXCVII. Faillanus Scotus beatæ memoriæ de hoc seculo migrauit, &

A Theophano Imperatrix nono anno viduitatis suæ defuncta est, cum multis Regni sui Nobilibus.

M. I. HEINRICVS Dux Baioariorum filius Heinrici defunctus est. Cuius mortem ciuile bellum præcessit multorum interitu nobilium Baioariorum. Hoc anno RVODOLFVS in Burgundia, qui patri CHVONRADO successit in Regnum, quosdam suorum hereditate paterna priuare conatus, bello lacessitus est ab eis. vbi ipse Regulus, licèt copiosum haberet exercitum, facilè tamen victus & fugatus est. Notabilis annus etiam siccitate aëris nimia, multis pecoribus, multis quoque mortalibus siti extinctis. Tantum enim siccabantur cuncta Europæ flumina, vt penè nullum non esset vadosum. Inter hæc Saxones & Sclaui, qui dicuntur Vueletabi, mutua se cæde & incendio mactantes, totam Germaniam inter Danubium & Oceanum sitam quàm maximè inquietabant. 1001.

M. III. Mense Februario stella Cometes visa est, & non longè à Sole recedens, pauculis diebus circa ortum diei apparuit.

M. V. *Intonat arce poli, nostri iaculantur ab igne:*
Nemo tamen læsus, laus tibi, Christe Deus.

M. VI. Kerhardus Abbas diem obiit.

M. VII. *Purchardo nostras Dominus commisit habenas,*
Quippe viro iam tunc sibimet per cuncta parato.

B M. VIII. OTTO Imperator Romæ sine herede defunctus est. Cui successit HEINRICVS de regio genere, Dux quoque Baioariorum, tertius eo nomine. Cum quo & HEREMANNVS Dux Alamanniæ & Alsatiæ Regnum sorte diuidere, & parti aspirare temptabat. Sed infecto negocio, vltionem conatus in eos, qui in Strazpurch cum Rege senserant aduersus se, irrupit ciuitatem, & in direptionem dedit: pessimò quoque exemplo sacra profanauit. mox à Rege subiugatus, diem anni non impleuit. Paruulus filius eius consobrinus Regis Dux populi ordinatus est.

* *Error in hoc anno, sicut & in multis aliis tam præcedentibus quàm qui sequuntur. Legendum* MII.

M. IX. *Res noua, dum Purcharth Gallo sua tecta restaurat,*
Rusticus extremo de culmine per caput actus,
Nostris spectaculum nimis addiderat miserandum.
Sed postquam cecidit, caput alleuat, atque resedit.
Mirum. surrexit Gallo integer, & benedixit.

M. X. *Sabbato sancto Pascha vltima rite parata* 1010.
Accepit solitus Fratres post prandia somnus:
Muta fide ducta petiit penetralia nostra,
Clam quoque de plebe nulli fas illa subire.
Pollet in his titulus Patrum studiis operatus,
Gallus ibi requiem sibi dixerat esse perennem,
C *Hic vti se quærat, hanc visibus ipse docebat.*
Arcessit, Pater vt docuit cui plectra resoluit.

M. XI. *Ecce fames, qua per secla non sæuior vlla.*

M. XII. Noua stella apparuit insolitæ magnitudinis, aspectu fulgurans, & oculos verberans non sine terrore. Quæ mirum in modum aliquando contractior, aliquando diffusior, etiam extinguebatur interdum. Visa est autem per tres menses in intimis finibus Austri, vltra omnia signa quæ videntur in cœlo.

M. XIII. Pestilentia grauis, quæ subitanea morte populum latè vastabat.

M. XIV. *Cruda virens Deo Gerhilth seniore sub æuo.*
Fungitur in claustris, reserans ergastula carnis.

M. XVII. *Hartker in melius mutatur, vt opto, reclusus.*
Dexter in octaua sit, bone Christe, tua.

M. XVIII. *Dux puer en patribus apponitur hic* HEREMANNVS.
Signa capit tum res vir huicque sororius ERNEST.

M. XIX. HEINRICH *in Italiam, lecto quoque milite Romam*
Aegrè spectatus fertur, Cæsárque creatur.
Compositis rebus, velut æstimat, indè reuersus,
Ipsius & Terræ populus mox deficit à se.
Pars post HARTHVVINVM *iam sceptra diu temerantem*

Insolito more tristes arsêre Cometæ A
Tempora longa quidem per loca non eadem.
Nunc medium mundi, nunc interiora sub Austri,
Nunc se post gelidos occuluêre polos.
Consequitúrque lues sine nomine corpora perdens,
Visceribus feruens, indè fluore fluens.

1020. M.XX. *Flendo peractorum Kothelint veterana dierum*
Sponsi celsa subit, cui se viuam sepeliuit.

M.XXI. *Pœnitet & miseret, dolet & piget, obstupet, horret,*
Sola sine exemplo casu mors facta sinistro.
Nollem nosse feras vnquam siluis agitatas:
Mallem confractas pharetras, quascumque sagittas,
Quàm malè succisam Ducis ERNEST *flore iuuentam.*
Cohibe dextram telum titubando regentem
Pro ceruo nostrum figere pacificum.
Sponte tua quamquam facinus haud feceris vnquam,
Sanguis amice Ducis, fide comes lateris.
Pax Ducis atque pater placidæ qui pacis amator,
Istum pacificis adnumerato tuis.

1022. M.XXII. *Hic quatitur totus terræ globus vndique motus,* B
Horrida ceu fissis portenta sonant in abyssis.

** Malè in excusis M. XVIII. & ita deinceps.*

M.XXIII.* HEINRICVS Imperator in graui manu Apuliam ingressus, à Beneuentanis gratulantibus honorificè ac magnificè suscipitur. Troiam, Capuam, Salernam, Neapolim, vrbes Imperij sui ad Græcos deficientes ad deditionem coegit: quarum Troia viribus fortissimis omníque bellico apparatu munitissima, longior mora nodúsque victoriæ extitit. Tamen licèt afflicta afflixerit, & in sui defensione multos sauciauerit, plurimos interfecerit, tertio mense postquàm obsessa est, & Imperatori manus dedit, suíque incolomitatem & gratiam victoris dato fidei sacramento promeruit, rebúsque compositis reuertitur, Capuanum Principem in custodia secum abducens. Sed circa egressum Italiæ pestilentia exercitum eius affecit, & ex maxima parte absumpsit: vt Romani Imperij corpus tot membrorum suorum destitutionem sine miseria & dolore memorare non possit. Eodem anno æstas horrenda, tonitruis & coruscationibus plus solito mortales exterrentibus: & impetus turbinis ab Occidente intonans ædificia concussit, & arbores radicitus euulsit. Domnus Purchardus Abbas elegantissimum sanctæ Ecclesiæ speculum, Ymmo, & Purcharth bonæ indolis adolescens, in ipsa expeditione interierunt. NOTKER nostræ memoriæ hominum doctissimus & benignissimus, Heribeat, & duo Ruadperti summæ innocentiæ viri, Teiterich, Liutolth, morbo latè sæuiente interierunt. Ruodhardus etiam Constantiensis Episcopus obiit, eíque Heimo successit, & Thietpaldus Abba efficitur. C

1025. M. XXV. Benedictus Papa obiit. HEINRICH Imperator obiit, & CHVONRADVS apud Magontiam in natali Sanctæ Mariæ in Regnum consecratur.

MXXVI. Sæuæ contentionis fomes exarsit in sacrosancto die Paschali apud Vindelicam Augustam inter CHVONRADVM Regem & patruelem eius CHVONRADVM. Cui etiam ERNEST consobrinus eius Dux Alamanniæ, & VVelfhardus Comes, postea confœderati, simul Regi rebellare sunt ausi. Sed hoc temerè incœptum, Deo prohibente, non habuit effectum.

M.XXVII. Rex CHVONRADVS Natalem Domini Aquisgrani celebrauit, & circa vernum tempus Italiam ingressus, eam sibi penè totam cis Romam subiugauit, sola Lucca sibi resistente cum REGINHERO Marchione. Heimo Præsul Constantiensis defungitur, & eidem Ecclesiæ VVarmannus præficitur.

1028. M.XXVIII. Rex prædictus Romam perueniens, à beato Papa Iohanne in die sancti Paschæ Romanorum Imperator ordinatur. Indè per Alamanniam reuertens, Vlmæ publicum Conuentum indixit, ibíque ERNESTVM Ducem, scilicet priuignum suum, & VVelfhardum Comitem, aliósque reos maiestatis sese dedentes suscepit, ipsósque per diuersa loca custodiæ mancipandos deputauit. Castrum etiam, quod *Chuiburch* dicitur, tribus mensibus obsessum, VVERINHERO Comite frustrà diu repugnante, tandem ab ipso Rege capitur. GISELA Imperatrix

A simul cum filio suo HEINRICO Monasterium S. Galli ingressa, xeniis benignissimè datis, fraternitatem ibi est adepta.

M.XXIX. Idem HEINRICVS Imperatoris filius, patre suo præsente, in die sanctissimo Paschæ Aquisgrani à Pilchrimo Coloniæ Archiepiscopo vnctus coronatur.

M.XXXI. ERNEST Dux Alamannorum vitrico suo Imperatori denuò rebellis effectus gratiam suam cum Ducatu amisit: & HERIMANNVS frater eius, matre sua Imperatrice id precibus obtinente, eundem Ducatum promeruit. Imperator verò Vngariam inuasit, eámque citima ex parte circa Fiscam fluuium deuastauit. Interim Ernest quondam Dux cuidam castro, quod *Flachenstein* dicitur, cum prædicto VVerinhero milite suo insedit, locáque vicina cum incolis non minima clade afflixit. Sed Comes quidam Manegolth dictus hanc vicem Imperatoris dolens, cum eo prœlium commisit, in quo vterque illorum cecidit, aliique quamplurimi vtrinque sunt interfecti in octaua S. Laurentij. 1031.

M.XXXII. Rege RVODOLFO defuncto, VOTO filius sororis suæ Regnum Burgundionum, tanquam hereditatem patrum suorum, valida manu affectauit, & aliqua municipia capta custodiis suis muniuit, Imperatore per idem tempus Pulanis Sclauis bello insistente. 1032.

B M.XXXIII. Idem Imperator secum copiam militum ferè media hieme in Burgundiam adduxit, castella Murtenam & Nuuenburch obsedit: sed nimia vi algoris præpeditus, infecto negocio rediit. Deindè verò proxima æstate VOTONI bellum intulit, vrbes eius rapinâ & incendio funditus euertit, ipsúmque hac necessitate ad se supplicem venire coegit, deinceps emendationem quamuis fictè promittentem. 1033.

M.XXXIV. VVarmannus Episcopus, & venerabilis Abba Thietpaldus, obierunt. Quibus successerunt, Eberhardus Episcopus, & Abba Nortpertus. CHVONRADVS Imperator iterum Burgundiam cum exercitu intrauit, & omnia municipia cum ciuibus vsque ad Rodanum fluuium suæ ditioni subegit, Geneuámque peruenit. Ibi verò ab Heriberto Mediolanensi Archiepiscopo, ceterisque Italiæ & Burgundiæ Principibus honorificè susceptus, in festiuitate S. Petri ad Vincula coronatus producitur, & in Regnum Burgundionum Rex eligitur. 1034.

M.XXXV. Fœdus validæ coniurationis in Italia exoritur. Inferiores nãque milites superiorum iniqua dominatione plus solito oppressi, simul omnes illis resistunt coadunati. Necnon etiam quidam ex seruili conditione contra dominos suos proterua factione conspirati ipsi sibimet intra se iudices iura ac leges constituunt, fas nefásque confundunt. Contra quos sedandos Episcopus Mediolanensis, aliique Senatores Italiæ insurgentes, conati sunt eos à tanta insolentia reuocare, si possent. Sed nullatenus eis volebant acquiescere, donec scripto concessum est illis à Rege, ius patrum suorum inuiolatum tenere. 1035.

C M.XXXVI. CHVONRADVS Imperator filio suo Heinrico CNVT Regis Anglorum filiam matrimonio coniunxit, & CHVONRADO patrueli suo Ducatum Adalberonis in Carentano, illo deiecto, commisit. Ipse verò collecto exercitu in Italiam incipiente hieme proficiscitur. 1036.

M.XXXVII. Idem Imperator Natali Domini Veronæ celebrata, Mediolanum indè perrexit. Ibi ab Archiepiscopo & ciuibus susceptus honorificè, quamuis (vt fertur) ficta fide, eundem Episcopum iter progrediens secum Ticinum adduxit, & de improuiso captum quasi reum maiestatis Aquilegensi Patriarchæ custodiendum tradidit. Cui ille astuta fugâ elapsus, à Mediolanensibus id seriò triumphantibus gratanter in vrbem est receptus. Imperator autem hoc in eos vlcisci cupiens, ciuitatem valida manu obsedit, & res Episcopij exercitui ad deuastandum dispertiit. Sed mirum, & priùs inusitatum, tunc temporis ibi accidit prodigium. Nam in die sacrosancto Pentecostes Sole exoriente visa sunt desuper exercitum coruscare fulgura, mugire tonitrua, ciuibus intra mœnia hæc omninò non sentientibus. Fertur etiam equos & homines non paucos ibi à fulmine esse transfixos, quosdam verò à dæmone arreptos. Bellum inter GOZELINVM & VOTONEM committitur, in quo Voto victus interiit, eiúsque exercitus hac illácque diffugit. 1037.

M.XXXVIII. Vxor HEINRICI Regis, & frater eius HERIMANNVS Dux Alamannicus, obierunt: cuius Ducatum cum Regno Burgundionum idem Rex à 1038.

patre suo eodem anno percepit, ipsis eiusdem Regni Principibus cum iuramento sibi fidem dantibus. A

M.XXXIX. CHVONRADVS Imperator diem clausit, & filius eius HEINRICVS Regni gubernacula suscepit.

1040. M.XL. Idem Rex Monasterium Sancti Galli ingreditur, & in ipso anno Boëmanum Ducem PEZPREMONEM frenum Imperij sui pati recusantem edomare aggressus, in ipsa silua, per quam ad eum iter suum disposuit, plerosque de suis non infimos, heu proh dolor! perdidit. Nam Comes VVERINHERVS ceteris auctor audendi factus, dum cum eis insidiarum ante se ignarus saltum incautè iniit, inter angustas semitarum fauces simul deuenêre in locum sibi nimis infaustum, hostium autem fraudi satis accommodum. Ibi omnigenis telis eminus obruti moriebantur inuiti, quo iam illis densitate saltus irretitis, copia non erat contra feriendi, vel manum conferendi.

M. XLI. Rex prædictus altum seruans sub corde dolorem, veteri exercitui nouum addidit, itémque Boemiam cautiùs quàm antea intrauit, vrbésque expugnauit, oppida incendio consumpsit, ad vltimum eundem Ducem filium suum sibi dare obsidem coegit, ipsúmque post se venire Radesponam fecit. Eodem anno PETRVS Rex Vngariorum à quodam Comite suo turpiter proprio Regno expulsus, ad ipsum Regem HEINRICVM deprecans auxilium confugit. Cuius infortunium Rex piissimus, quamuis priùs ab eo læsus, miserans sortem humanæ B fragilitatis fleuit, ipsi autem paternum solatium rebus & verbis exhibuit.

M.XLII. Rex HEINRICVS assumpta secum copia militum Vngariam irruit, eámque ex maxima parte deuastauit.

1043. M.XLIII. Notabilis annus nimia imbrium superfluitate, & fructuum terræ paucitate. Rex prædictus PETRVM auito solio restituere cupiens, ingentem classem summis viribus instruit, atque fortunam belli temptaturus iterum Pannoniam per Danubium intrauit. Ingressus verò multa fortiter, multa feliciter egit, ipsúmque adelterinum & suppositititum Regulum pecuniam iniustè possessam sibi offerre compulit. Insuper eum iuramēto, ne fines Regni sui excederet, constrinxit. Rem tamen, ob quam venerat, credo Dei nutu præpeditus, nondum perficiebat. Nam idem Petrus quamdiu regnauit, in multis præuaricator extitit. Inde quidem remeans, Vlmæ generale colloquium habuit, ac Constantiam tempore Synodi venit. Vbi cum Episcopis quamplurimis, ceterisque Regni Optimatibus intrans conuentum resedit, & publicus cognitor omnium illic gerendorum fuit. In quarto autem die, qui vulgò *Indulgentia* dicitur, ipse gradum cum Pontifice facundus orator ascendit, & luculento sermone populum ad pacem cohortari cœpit. Ad vltimum verò sententiam suam ita conclusit, vt cunctis sibi obnoxiis ipse dimitteret, omnésque qui illic aderant tum precibus tum pro potestate idipsum facere cogeret. Hoc igitur salubriter inibi incœptum dilatari præcepit per omne Regnum suum, ac non longo pôst tempore omnibus rebus in pace compositis, vxorem duxit filiam C VVILLELMI Ducis Pictauiensis. GISELA Imperatrix obiit.

1044. M.XLIV. Fames valida. Item Rex prædictus contractis vndique auxiliis tertiò in Pannoniam proficiscitur. Cui cum infinita multitudine occurrit ille Regulus aduentu suo, vt videbatur, imperterritus. Et cùm prohibere eum transcursu cuiusdam fluminis posset, ex consulto transire permisit: ratus sibi pugnam infra terminos Regni sui faciliorem, & hostibus obiectu fluminis fugam difficiliorem. Sed longè aliter quàm sperauerat euenit. Denique Princeps noster statuit cum illo quamprimùm confligere, suis virtutem verbis addere: melius esse dicens fortiter in bello animam ponere, quàm vt vilia mancipia hostium ludibriis subiacere. Ipso verò armatus, quò ceteris amplior esset animus, pro loco atque copiis acies instruit, datóque signo hostes inuadit, ac velut quædam tempestas obuia quæque prosternit. Nec mora, fit victor Christi fauente clementiâ, nihilque cunctatus vrbem ascendit, vbi vxorem Regis & filios cum ingenti pecunia comprehendit. PETRVM verò solio Regni restituit, & re benè gesta in Saxoniam rediit.

EXCER-

A

EXCERPTA LIBRORVM DE ORIGINE ET DIVERSIS CASIBVS MONASTERII S. GALLI IN HELVETIA.

Auctoribus RATPERTO & EKKEHARDO iuniore, S. Galli Monachis.

Ex Tomo I. Alamannicarum Rerum Melchioris Haiminsfeldij Goldasti.

EXCERPTA LIBRI RATPERTI.

LOCVS iste Sancti Galli tutus ab aduersariis vsque ad tempora PIPINI & KAROLI permansit. Religiosos etiam viros, qui eundem Sanctum in sua susceperunt, eiusdémque heremi ius hereditarium illi potestatiua manu concesserunt, subternotare curauimus, quorum nomina hæc sunt: VVillibertus videlicet Presbyter, & Talto vir illustris, TAGOBERTI scilicet Regis Camerarius, & postea Comes eiusdem pagi, à quibus idem Sanctus, cùm in corpore viueret, cum augmentatione huius loci non parua maxima veneratione habitus est. Cap. I.

B

AT postquam de corpore spiritum transmisit ad astra, à successoribus istorum locus iste ob amorem Sancti similiter augmentatus est vsque ad tempora KAROLI. Taltonis verò filius fuit Thietolt, cuius filius Pollo: Pollonis autem filius VValdpertus, qui genuit VValtrammum. Ipse verò VValtrammus locum istum in omnibus ob amorem S. Galli augere desiderans, regularémque inibi vitam instituere cupiens, OTHMARVM sanctum virum à Victore Rhetiæ Curiensis Comite impetrauit, eíque Cellam præfatam cum omnibus ad eum pertinentibus commendauit, Abbatémque constituit. Postea verò tempore procedente, atque statu Monasterij in melius proficiente, præfatus VValtrammus eundem Abbatem Othmarum PIPINO Regi præsentauit, ipsique Regi Monasterium, quod adhuc hereditario iure in sua tenebat potestate, cum ipso pariter Abbate contradidit: ea videlicèt causâ, vt ipse Abbas, eiúsque successores idem Monasterium regia auctoritate retinentes, nullius deindè violentia premerentur, sed tantummodo Regum iussionibus obedirent. Quod beniuolus Princeps benignè suscipiens, statim huius causæ conscriptionem fieri præcepit, scilicet vt Monachi eiusdem loci deinceps potestatem haberent Abbatem eligere, sibi atque solis tantummodò Regibus subiacerent. Quam conscriptionem suæ auctoritatis signaculo confirmauit, atque Abbatem ipsum in sua remisit, qui idem Monasterium per annos XL. feliciter rexit, VValtrammo prædicto XX. annis solatium illi præstante. Postea verò ob quam causam, & quando, & qualiter idem Abbas à VVARINO & RVADHARDO exilio damnatus ad perpetuam sit coronam perductus, in Libris vitæ ipsius, qui scire desiderat, pleniter digesta reperiet. Post hæc verò SIDONIVS Constantiensis Præsul, qui & Monasterium, quod Auua * nominatur, in sua potestate habebat, instigantibus præfatis Comitibus cœpit inquirere Monasterium nostrum, & in potestatem Episcopatus redigere. Quibus, vt illi solatio essent, beneficia promisit, atque donauit: VVarino videlicet Vina & Turinga & Engi: Ruadhardo verò Antoluinga & Vzinhaha: Miloni autem Aduocato ipsius Monasterij, vt illi solatium subtraxisset, sextam villam, quæ Heimbach nuncupatur, contradidit. Quamobrem præfatus Sidonius, quod nequiter cœpit, auxiliantibus iniquis Principibus, pessimè ad sui, vt postea res docuit, damnationem perfecit, Monasteriúmque ipsum in ius Episcopatus redegit. II.

C

* al. Ouva

POST cuius obitum IOHANNES Monachus Augensis Constantiæ Episcopus ordinatus, amborum regimen suscepit Cœnobiorum. Qui tres nepotes suos III.

educauit, quibus honorem suum in tribus illis locis situm post suum discessum distribuere cogitauit. Quo agnito, Fratres vtriusque Cœnobij Episcopum pariter adierunt, rogantes, vt Priuilegia eis apud Principem acquireret, ac potestatem eligendi Abbates: se verò, si hoc fieret, eosdem illius nepotes sibi Abbates electuros polliciti sunt. Quod ille consensit, ac se facturum promisit. Tempore verò transacto KAROLVS Rex cum HILDIGARDA coniuge sua Romam profecturus, Constantiam aduenit. Tempus verò opportunum se inuenisse existimantes, vtriusque Monasterij Fratres pro prædicta necessitate Principem adeunt, eiúsque clementiam interpellant. Rex verò Episcopum, quid de hoc illi placeret, interrogauit. Episcopus autem æternæ beatitudinis gaudia illum exindè percepturum respondit, si talem & tantam securitatem famulis Christi absque vlla perturbatione Domino seruiendi concederet. Quod audiens Rex gauisus est, & protinus vtriusque Cœnobij Fratribus, Sancti Galli scilicet & Augensis, firmissima auctoritate Priuilegium optatum contradidit, ac scripta emunitatis ad hæc eadem retinenda fieri præcepit, quæ signaculo suæ auctoritatis firmauit: constituens atque præcipiens, vt post mortem Episcopi Monachi prædictorum Monasteriorum potestatem haberent sibi eligendi Abbates, & vt nulli absque Regibus deinceps essent subiecti, &c. Postquam igitur præfatus Episcopus vitâ excessit, Augenses quendam senem Presbyterum & Monachum nomine Petrum sibi elegerunt Abbatem, cum consilio HILDEGARDÆ Reginæ, cuius etiam adminiculo res apud illos ita perstitit, quia à GEROLDO Comite germano prædictæ Reginæ locus ipse maximè constitit, & augebatur. A B

IV. POST obitum Iohannis Episcopi Fratres nostri VVALTONEM concœnobitam, virum sapientem, sibi Abbatem, Rege permittente, constituerunt. Sed non in finem res ita permansit, quia post obitum Iohannis Episcopi Egino Episcopij Constantiensis iura suscepit. Qui mox omnia insidiarum genera circa Monasterium nostrum exercere non metuens, sicuti Sidonius Sanctum Othmarum, ita & iste VValtonem persequi cœpit Abbatem: quatenus iterum peruerso more antecessorum suorum Episcopatui subiiceret Monasterium. Huius igitur rei gratia Optimatibus Regis prædia & pecunias contulit infinitas, illósque ad consensum suum prouocans, muneribúsque, vt scriptum est, etiam sapientium obtutus excæcans, quod nequiter cœpit illorum adminiculo pessimè compleuit, iterúmque Monasterium non æqui obseruatione Episcopio subiici fecit. KAROLVS verò serenus Augustus cùm voluisset prædictum Abbatem cum Episcopo pacificare, eo videlicet pacto, vt Episcopi præcepto obediens Abbatis locum in Monasterio ageret, præfatus VValdo non valens diutiùs præsens intueri tantam deiectionem suorum, tale fertur Regi dedisse responsum: Cùm enim, inquit, semel manus * vestræ dominationis ingressus tantæ Celsitudinis merui dominio sublimari, nequaquam posthæc, dum horum trium digitorum vigorem integrum teneo (nam Scriptor erat eximius) vilioris personæ manibus me subdere decreui. Itaque cum consensu ipsius Imperatoris ad vicinum Monasterium, quod Anna nominatur, ibidem commoraturus deuenit, vbi postea Abbas electus atque ordinatus, ad vltimum Monasterium Sancti Dionysij suscepit regendum. C

* al. munus

V. PRÆDICTVS igitur Episcopus assumens quendam Presbyterum forensem, nomine VVERDONEM, obtulit eum ad nostrum Monasterium, vt Abbatem illum constituisset; ne si de Monachis eisdem aliquem ordinasset, res ab eo aliquatenus cedere videretur. Quem tamen Monachi in tali habitu commanentem minimè susceperunt Abbatem. Quod cùm sensisset idem VVerdo, cum conuersatione habitum mutauit, & tunc demum Monachicis indutus vestimentis susceptus, atque, vt decreuerat Episcopus Abbas est ordinatus, &c. Contigit autem tempore quodam VVolfharium Remensem Episcopum Legatione à domno Karolo sibi iniuncta iustitias in Rhetia Curiensi faciendas ad ipsum pagum venisse, indéque reuersum ad nostrum Monasterium deuenisse: ibíque prout illis facultas erat, benignè susceptus deuoto seruicio sustentatus est. Quem cùm non lateret calumnias & iniustitias, quas passi sunt incolæ Monasterij nostri, emunitatis Præceptum (quod beatæ memoriæ domnus PIPPINVS Rex illis scribi iusserat)

A sibi ostendere rogauit. Quod cùm vidisset ac perlegisset, hortatus est eos, vt per aliquem fidum hominem eandem firmitatis Cartam domno Imperatori dirigerent: se verò res eorum notas Imperatori facturum, atque auxilium illis præbiturum promisit. Cuius consilio consentientes, cuidam vasallo Imperatoris nomine Engilrammo, in cuius fide multum præsumebant, ipsam Cartam, imò totius securitatis spem commendauerunt, &c.

ABBATE verò VVerdone postea vitam finiente, Gotzpertus eiusdem Congregationis Monachus à Fratribus est Abba electus & ordinatus, vir staturâ procerus, sapientiâ quoque, morúmque dignitate præcipuus, anno ab Incarnatione Domini DCCCXVI. anno autem Imperij HLVDOVVICI Imperatoris, filij præfati Karoli Augusti, tertio. VI. 816.

TEMPORE verò procedente, idem Abbas, cùm iam ætatis grauitatem corporisque infirmitatem non sufficere crederet, ad instantium necessitatem negociorum, à Hludouuico clementissimo Augusto impetrauit, vt Bernevvicus Monachus noster successor illi existeret. Quod statim, vt ille postulauit, effectum est. Ordinatus est verò Bernvvicus Abbas viuente Gotzperto, anno Incarnationis Domini DCCCXXXVII. Hludouuici autem Imperatoris XXIV. Post hæc 837. verò Hludouuicus Imperator XII. Kalend. Iulij de hac luce migrauit anno Incarnationis Domini DCCCXL. Eodem etiam anno facta est Solis eclypsis III. 840. B Non. Maij in vigilia Ascensionis Domini. Post obitum verò Hludouuici Imperatoris maxima discordia orta est inter filios eius, HLOTHARIVM, qui primus fuit ætate, & HLVDOVVICVM, & KAROLVM. Itaque Hlotharius, cùm esset ætate primus, potentia vtique & multitudine populorum post se declinantium ceteros præcellebat. Cùm igitur, vt diximus, maxima pars populorum Hlotharium sequeretur, contigit & Bernvvicum nostrum Abbatem illius partis fuisse adminiculatorem. Nec minus interea Hludouuicus Alamanniam penetrans, singula loca suæ suorúmque ditioni subiecit, indéque Abbatem in nostro Monasterio constituit Engilbertum Monachum nostrum. Quare contigit, vt sicut Regna, ita & Monasteria diuersis erroribus atque laboribus quaterentur. In tantum autem maior pars populorum Hlotharium sequebatur, vt quidam Principes Alamannorum cum exercitu magno Hludouuico obuiam pergerent, eúmque, ne fines illorum intraret, prohibere vellent. Cum quibus protinus pugnam validam commisit, & maximam eorum partem prostrauit: reliquos verò omnes in fugam conuertit, & sic ad fratrem suum Karolum peruenit. In quibus terminis Hlotharius cum maximo exercitu aderat contra fratres suos Hludouuicum & Karolum, & ipsi contra illum. Die autem constituta commissum est prœlium validissimum, atque miseria plenum, & Domino disponente iuniores extiterunt victores anno Incarnationis Domini DCCCXLI. Ergo hac 841. C miserabili consummatione belli peracta, protinus Hludouuicus Abbatiam Sancti Galli GRIMALDO destinauit atque contradidit, qui statim eam, in quantum valuit*, causa regiæ auctoritatis obtinuit. *al. voluit.

POSTQVAM verò diuisio Regni patrata est, & pax inter germanos Reges firmata est, Grimaldus Abba ad Monasterium Sancti Galli veniens, honorificè, atque omni obsequelæ suauitate à Fratribus eiusdem Monasterij susceptus est, atque deuota illorum seruitute sustentatus. Causa autem extitit, quam nemini miram puto videri, Fratres nostros tristitia non parua agitari, eò quòd securitas electionis eorum, quæ tam multis, vt antè prædiximus, laboribus sæpè difficillimè fuerat acquisita, tam facilè de eorum potestate deficiebat excussa. Sed huius tristitiæ, Domino iuuante, iocunda venerat medicina. Nam prædictus Grimaldus prioribus temporibus semper idem Monasterium protegere, atque erga illud clementer agere consueuerat. Quam causam loco & potestate accepta non minuebat, sed augebat, magis caritatem*, quàm suæ potestatis declarans magnitudinem. Qua confidentiâ Monachi eum flagitare cœperunt, vt sicut in illo emunitatis priuilegium amiserunt, ita cum illo pristinæ securitatis recuperarent augmentum. Quam petitionem ille gratissimè suscipiens, studioséque complens, à Rege Hludouuico permissione illis acquisita concessit, vt statim sibi eligerent, qui post ipsum illos, illorúmque omnia procuraret, & postea nullam suæ securitatis, & propriæ electionis dubitationem haberent. Qui protinus VIII. *al. claritatem.

gratanter hanc benedictionem suscipientes, HARTMOTVM elegerunt, scientiâ & moribus, nobilitatéque præclarum, eúmque Grimaldus secum ad Regem perduxit. Qui cùm manibus Regis à Grimaldo fuisset contraditus, benignéque ab eo susceptus, protinus à regia potestate ipsum Sancti Galli locum cum omnibus ad illum pertinentibus suscepit. A

X. POST obitum verò Hludovvici piissimi Regis, in partem KAROLI filij eius nostro Monasterio pertingente cum cetero Regno, omnes emunitatis Cartas à patre eius Hludovvico nobis condonatas ab ipso clementissimo filio eius Karolo Harmotus Abba nobis renouari fecit, atque illius auctoritate iteratò conscribi. Neque hoc silentio prætereundum est, quantum de regalibus donationibus ad nostrum Monasterium fuisset illo tempore concessum. Denique præfatus piissimæ memoriæ Rex Hluddovvicus, viuente Abbate Grimaldo, locum, qui dicitur *Mucchinga*, ad Monasterium Sancti Galli æternæ causâ remunerationis regia auctoritate contradidit. Post cuius obitum Grimaldo quoque defuncto, Karolus clementissimus Rex filius eius, Hartmoto intercedente, quandam possessionem regiæ potestatis in pago Turgoiensi sitam, in loco qui dicitur *Rohboluesriuti* *, Sancto Gallo in perpetuam possessionem condonauit. quod & protinus suæ auctoritatis conscriptione firmauit. Quendam etiam montem situm in Rhetia Curiensi, in quo constructa est Basilica Sancti Victoris Martyris, cuius & nomine vocatur idem locus Mons Victoris, ipso tempore ad Monasterium Sancti Galli contradidit, firmitatisque Cartam Regia auctoritate exindè fieri iussit, rogante Eusebio Scotigena, qui ibidem per XXX. annos spontaneè clausus Domino seruiebat: anno verò Incarnationis Dominicæ DCCCLXXXIV. pridie Kalend. Februarias de hac luce migrauit ad lucem perennem. B

* al. VVolfesriuti.

884.

POSTQVAM verò idem CAROLVS Italiam ingressus pacificè eam suo subiugauit Imperio, alium etiam locum in pago supradicto similiter Regiæ auctoritatis dominio cedentem nomine *Stainhem* cum omnibus ad illum pertinentibus Sancto Othmaro Imperatoria contradidit potestate, huiusque donationis firmitatem Imperialis Scripti præcepto firmissimè corroborauit. Sed & illius, quam suprà memorauimus, donationis Imperatoriam denuò iussit scribi commemorationem. quod factum est vt imperauit. Postquam autem idem mitissimus Imperator Karolus, omnibus Italiæ Germaniæque populis suauissimo ordine imperauit, rogante Hartmoto, & efficiente Liutvvardo Episcopo atque Archicancellario Imperatoris, quandam Abbatiolam in Italia sitam, olearum & vinearum feracem (quam tunc idem Liutvvardus in beneficio habebat) cui nomen est Massin, ad Monasterium Sancti Galli Imperatoria auctoritate contradidit: eo quoque pacto, vt idem Liutvvardus tempore vitæ suæ sub vsufructuario res possideret, censúmque de ipso loco, sicut ipse condixit, singulis annis ad Monasterium prædictum persolueret, hoc est vel VI. languenas de oleo, vel LX. solidos de argento. Post obitum verò Liutvvardi ipsæ res sine vllius conditione perpetualiter ad ius pertinerent Monasterij. Cuius rei Carta protinus firmissimè sua auctoritate est scripta, atque ipso Imperatore iubente super altarium S. Galli est posita, vbi hodie Deo volente cum pace tenetur. C

EXCERPTA LIBRI EKKEHARDI IVNIORIS.

CAP. I. HARTMVTVS pro Grimaldo rempublicam nostram strenuè gubernans, per semetipsum quoque non mediocriter amplificans, iámque senescens BERINHARDO Monacho nostro Abbatiam suam Fratrum communi electione per Regem KAROLVM tradit. Ipse autem Herginosovvam, cum VValtchincha & Putra minore, sibi & posteris Abbatibus à potestate fortè cedentibus, Imperiali auctoritate ipsius Karoli retinuit. Obiens autem post multas, quas per se statuit, & per Berinhardum obtinuit Fratribus & familiæ, beniuolentiæ constitutiones, circa LANDALOVM Episcopum in titulo Apostolorum conditum, cognatum & amicum suum, extra parietem tamen, sepeliri se petiit. De quo ipso Landa-

883.

A loo sancto Treuerensi *. quidem Archiepiscopo pauca scribere necessarium puto. Sueuus hic & nobilis erat, apud sanctum Gallum quidem educatus & doctus, cuius VVINDINISSA cum multis aliis hereditas erat. Igitur Episcopus factus Romam pergere solebat. Per Iouis itaque montem transiens ibat, per Septimum autem rediens Gallum & Hartmutum suum salutabat. Deuouerat etiam S. Gallo Lolingam villam dare. Sed cognatis renitentibus conquisitionis suæ loca quædam cuidam VODALRICO Comiti, vt Gallo *Ahadorff* cum eisdem locis disponeret, concambiens tradidit. Rediit autem tandem aliquando Româ, & ad Gallum suum tendens, Italici aëris vicio febre correptus, vix ad *Rostanchin* peruenire præualens, Harmuto cum Fratribus ad se aduocato nobiliter diem obiit. - :· * al. Datuiensi

BERINHARDO Abbate deposito, per Hattonem Archiepiscopum SALOMON præmonachus noster nobis oblatus, & nostrum locum suscepit regendum. Quem præ omnibus postea quæ gubernauit locis apud Deum & homines amplificare curauit. Cùm autem annum & dimidium nobis præesset, Constanciæ tandem prælatus Dei factus est Pastor & Episcopus. Sic quoque ipse, & Hatto ille Maguntinus Archiepiscopus sibi semper amicissimus, quem COR-REGIS nominabant, cùm & ipse, vt aiunt, XII. Abbatiis præfuerit, post B Regem Imperium tenuerant. Fuldensis enim & ipse erat Monachus & Abbas, qui Magontiam ipsam à loco suo antiquo motam propiùs Rheno statuerat, & in hoc & in aliis multis animi sui magnitudinem ostenderat. Nondum adhuc illo tempore SVEVIA in Ducatum erat redacta, sed fisco Regio peculiariter parebat, sicut hodie & Francia. Procurabant ambas Cameræ, quos sic vocabant, Nuncij. Franciam ad Alpes tum VVERINHERE, Sueuiam autem PERTOLT & ERCHINGER fratres. quorum vtrorúmque multa ditioni subtracta sunt per munificentias Regias in vtrosque Episcopos. Surgunt indè inuidiæ, & odia vtrorumque in ambos, præter scelera quæ in Reges ipsos machinati sunt. Hattonem Franci illi sæpè perdere moliti sunt. Sed astutiâ hominis in falsam Regis gratiam suasi, qualiter ad Alpes fraude eius de vrbe Pabinberk * detractus capite sit plexus (alter enim morbo obierat, quoniam vulgo concinnatur & canitur, scribere supersedeo. ad Salomonem redeo. Huic, sicut diximus, cùm aliqua ad Potamum Cameræ Nunciorum iuris oppidum pertinentia à Regibus darentur, sicut VVerinhere & Ruodhart dominum Othmarum, sic ipsi insequi conati sunt & ipsum. Sed Episcopio & Abbatiis ipse multiplex, variorúmque militum manu fortior, casu aliquando viris occursauerat, pacem salutando prior, si fortè resalutare velint, incassum expectat. Nunciis post eos missis, qui rem agerent, pacificari nolebant. Ille autem cùm præ omnibus Sancti Galli Claustro semper maneret, quadam nocte præmonitus, vim sibi ab illis nisi fugeret inferendam, secessit secretus in siluam Vallis Turbatæ, ea tempestate quidem C vastissimam. At illi Sancto Gallo inuaso, Episcopum capere volebant si adesset. Ille verò Capellula in ea solitudine in nomine Sancti Galli fabricata, plurimis suorum vbi esset ad tempus ignaris, ad Aulam nunciis directis latuit. Iubentur à Rege tunc quidem ARNOLDO Episcopus & ipsi sub banno pacis ad Aulam Magontiæ venire, vbi causâ publicè pertractata, rei maiestatis lege pronunciati ipsi illi in Ingilheim truduntur, vsque dum exilio aut morte punirentur. Egit tandem Salomon cum Hattone Episcopo, anxius ne cædis illorum ipso quidem causa foret, vt eos liberaret. - :· * al. Bapabinberck

SED & circa *Stainhem* villam sancto Othmaro à KAROLO datam quædam loca regij iuris adhuc erant. Ille verò quicquid inibi regij fisci erat totum in manum Aduocati super aram eius tradiderat, & sigillo suo roborauerat. - :· Carpuntur iterum cordibus fratres illi sæpedicti (BERCHTOLDVS scilicet & ERCHINGER) pro damno regij fisci. Nam castellum quoddam super Stainhem iamdudum struxerant, quod conquisitionis suæ proprietate coram Rege sibi vendicabant. Quibus Rex: Castellum, inquit, sine oppidanorum damno habere nequibitis. quibus si iniuriosi quidem fueritis, mei gratiâ carebitis. Discedit Rex vespertinus Fratrum suorum laudibus lacrimosis prosecutus, quibus, si viuere liceret, non semel benefacturum promiserat. Inuadit loca lege Alamannica cum Aduocato Episcopus tribus diebus, vti ius erat, homines fisci iuramentis S. Othmaro ven-

dicantes. Quibus custodes castelli, nisi sibi parcant, malè habituros minantur, minásque factis exequuntur. Nam victimas, & cetera quæ libebat, sponte nolentibus dare fiscalibus, vi quidem auferebant. Quod cùm Aduocatus cùm per se, tum verbis Salomonis fratribus illis non semel quereretur, aut ficta verba aut iniuriosa passus recessit. Cúmque hoc per annum penè pateretur, quadam die ipse viris obuius iniurias queritur Episcopus. Et cùm indignè quidem ipsius verba tulissent, A
» Episcopus subintulit: Enimverò, ait, cùm mei causâ meis aliquando angustiis coram Rege ARNOLDO fueritis, vnde egerrimè ego ipse vos eripui, iam eius articuli semper liceat recordari. Illico LIVTFRIDVS sororis amborum filius, iuuenis pertinacissimus: Gloriatúrne, inquit, Monachorum sceleratissimus iniuriarum pro se vobis illatarum, ô auunculi, & viuere eum patimini? Extractóque gladio, nisi ab ambobus premeretur, Episcopum occidisset. Ipse autem, vt iugulum declinaret, cùm citiùs equo diuerteret, à fratribus ambobus freno tentus comprehensus est.- ⁖ Suadet Liutfridus, vt ei aut oculos eruant, aut dexteram abscindant. Militum autem pars sanior, ne quid ampliùs in Christum Domini insanirent, omnimodis flagitat: sed & incolumem relinqui optimum fore aiebant. Stat tandem fratribus consilium, vt in Depoldisburg, vbi BERTHA vxor ERCHINGERI tunc agebat, duceretur. *Sed eo indè postea erepto, ac liberato*, innotuit res CONRADO in Francia tunc posito.- ⁖ Consilio dehinc habito, primò colloquium publicum Magontiæ, postea generale edixit Concilium, vbi tribus illis lege abiuratis & proscriptis, prædiisque eorum in fiscum redactis, maiestatis reis capita damnata sunt. ceteris omnibus, qui tanto facinori intererant, tanquam reipub. hostibus prosequi iussis. Sueuiæ Principum assensu statuitur Alemannis Dux primus BVRKHARDVS Gentis illius nobilissimus, & virtutum dote probatissimus. Cui & prædia damnatorum confiscata in beneficium sunt tradita: exceptis dotibus BERTHÆ sibimet edicto, quoniam viro non assenserat, stabilitis. Episcopo autem apud Ducem inducias damnatis rogante, vt si fieri posset exilium eis à Rege intercederet, aliquot eos dies Dux in custodia tenuit. Rex autem crebro ab eo fatigatus, tandem eos iugulari præcepit. Quibus tamen Episcopus, multùm eorum nece tristatus, indulgentiâ, quantum in se erat, etiam viuis data, sepulturam concessit ad Ecclesiam. Rex verò castellum illud odiosum sancto Othmaro causâ mali tanti tradidit diruendum. Omníque anno ille, dum vixit, censum capitis sui in cera ad sepulchrum eius, vti filius carnificum illorum, pro reatu in eum quasi proprio misit. Quod & RVODOLFVS postea VVOLFHARDI Comitis pater, cùm eiusdem quidem prosapiæ fuerit, in censu calybum de metallo Faucium Iuliarum fecit. Sed idipsum VVOLFHARDVS & HAINRICVS filij eius aliquot annis dum facerent, motus rubore Hainricus, quasi homo sit censarius, fratre inuito censum supersedit. Accidit autem vt in vigiliarum S. Othmari die fratres ambo capreum venantes in cacumen quoddam rupis artissimæ ducti, lassi cùm consedissent, repente petra, super quam HAINRICVS sedit, collapsa, adolescens ille magnæ indolis, proh dolor! in profundissimas valles rueret, & periret. Vix spiritum habere poterat mater orbata, (scripturi nunc sumus quod vidimus) necdum luctu finito, cum filio & filia vnicis ad pedes Sancti cum muneribus & calybe superseſſo venit, quod in censu non soluto peccatum est tres pro se & defuncto pœnituerunt. ⁖ B C

II. PVER (Iso nomine) Sancti Galli fit Monachus doctissimus, docuitque SALOMONEM cum ceteris quamplurimis. Sed Harmuotus noster RVODOLFO Burgundionum Regi notissimus, qui & cognatus, cùm Magistrum aliquem nostratium Grandiuallensium Cœnobio peteret, ipsum illum Regi ad annos tres à Grimaldo expetiit: condicto in manus pacto, vt ter in anno sumptibus sibi Regis Monasterij sui daretur inuisere claustrum. ⁖

IV. HARTMANNVM post Salomonem priuilegio electionis Patres acceperant Abbatem. De quo, quoniam proprium & sui temporis Libellum habemus, plura scribere supersedemus. Erat tamen, vt à Patribus audiuimus, præter sapientiæ doctrinalem dotem, Religionis tenacissimus. Maximè autem authenticum Antiphonarium docere, & melodias Romano more tenere sollicitus. De quo Antiphonario altiora repetere operæprecium putamus. CAROLVS Imperator cognomine MAGNVS cùm esset Romæ, Ecclesias Cisalpinas videns Romanæ

A Ecclesiæ multimodis in cantu, vt & Iohannes scribit, dissonare, rogat Papam tunc secundum quidem Adrianum, cùm defuncti essent quos antè Gregorius miserat, vt iterum mittat Romanos cantuum gnaros in Franciam. Mittuntur secundum Regis petitionem Petrus & Romanus, & cantuum & septem liberalium artium paginis admodum imbuti, Metensem Ecclesiam vt priores adituri. Qui cùm in Septimo, lacúque Cumano aëre Romanis contrario quaterentur, Romanus febre correptus vix ad nos vsque venire potuit. Antiphonarium verò secum, Petro renitente, vellet nollet, cùm duos haberet, vnum sancto Gallo attulit. In tempore autem Domino se iuuante conualuit. Mittit Imperator celerem quendam, qui eum, si conualesceret, nobiscum stare, nósque instruere iuberet. Quod ille quidem, Patrum hospitalitati regratiando, libentissimè fecit. Dein vterque famâ volante studium alter alterius cùm audisset, æmulabantur pro laude & gloria naturali Gentis suæ more, vter alterum transcenderet. Memoriáque est dignum, quantum hac æmulatione locus vterque profecerit, & non solùm in cantu, sed & in ceteris doctrinis excreuerit. Fecerat quidem Petrus ibi iubilos ad sequentias, quas Metenses vocant: Romanus verò Romanè nobis econtra & amoenè de suo iubilos modulauerat. quos quidem post Notkerus quibus videmus verbis ligabat. Frigdore autem & accidentane, quas sic nominabant, iubilos illos animato * etiam ipse de suo excogitauit. Romanus verò, quasi nostra præ Metensibus extollere fas fuerit, Romanæ Sedis honorem S. Galli Cœnobio ita quidem inferre curauit. Erat Romæ instrumentum quoddam & theca ad Antiphonarij authentici publicam omnibus aduentantibus inspectionem repositum, quod à cantu nominabant Cantarium. Tale quidem ipse apud nos ad instar illius circa aram Apostolorum cum authentico locari fecit, quem ipse attulit, exemplato Antiphonario: in quo vsque hodie in cantu si quid dissentitur, quasi in speculo, error eiusmodi vniuersus corrigitur. IV.

* al. iubilos, illis animatus,

DEFVNCTO Hartmanno ENGILBERTVS eligitur, CONRADOque dirigitur, quem ille omni honore dignatum S. Galli fecit esse Vicarium, breuíque superuiuens tempore defunctus est & ipse. Conradus Rex virili prole carens, EBERHARDVM autem fratrem habens, ad Regni gubernacula, si sibi superuiueret, aspirantem: sensit eum nec Regno virtute quidem habilem, nec populo moribus acceptum, rogantémque, cùm ipse iam senesceret, vt se populo commendaret, crebrò frustrauit. Incipiens autem mori, clam loquitur fratri: Video, ait, germane mi, & semper vidi te à populo nolle accipi, ideóque quod sæpè rogaras, ne te contristarem, tacitè distuli. Consilium autem meum si nunc feceris, vt in Deum spero, ingloriosus non eris. Est in Saxonia, cui neminem in Regno æquiparem scio, HEINRICVS quippe Comes Mathilda coniuge clarus. Sumens ergo coronam & sceptrum, nocte diéque accelera ad ipsum, téque & Regnum ei meis verbis in manus dato, & mei vitæ memores fore ambos rogato. Fecit igitur vt Rex iusserat, veniénsque secretum Comitis petiit alloquium. Eliminatis omnibus, ipse ostium clausit, chlamidéque exuta, ad pedes viro corruens nimis stupenti coronam & sceptrum detegit, & quæ iussus est narrat. Cui ille inter cetera, si secum in fide qua dixerat sentire vellet, omniáque, quæ tanto nuncio decerent facturum spoponderat. Et ne per longas ambages vadam, fit colloquium publicum. HEINRICVS Saxonum & Francorum consensu eleuatur & vngitur in Regnum. Sed postea Lotharingorum Kisilbertus Eberhardum castigatum, cur honorem suum alieno dedisset, Regi Saxonico rebellare, secúmque sentire persuasit. Surgunt ambo in arma: Ducibus Sueuo & Norico Litteras mittunt. Quibus secum sentire iam motis, quadam die cùm collectas in armis apud Brisachum copias nauibus transposuissent, ipsíque interea in littoris planicie luderent tabulâ, CHVONO quidam Regij generis, Churzibolt à breuitate cognominatus, fortuitu viginti militibus stipatus viros incurrit. Kisilbertum cùm omnibus, qui in naui erant, quam insiliuit, lancea infixâ submersit. Eberhardum leuitatis increpatum gladio in littore occidit. Erat quidem angusto in pectore audax & fortis: qui leonem caueâ effracta se & Regem solos inuentos in consilio insilientem, Rege grandi quidem viro gladium, quem Chuono tunc, vt moris est, gerebat, arripere volente, ipse præsiliens incunctanter occidit. Diffamatur longè latéque, Heinrici Regis militem leonem se insilientem gladio occidisse. --- V.

DVM hæc satagunt, nauibus Vngri de Schvvarztvvalde multis paratis in Alsatiam ipsi priores suas legiones transponunt, & à LVITFRIDO quodam terræ illius potentissimo bello suscepti, plurimo damno sui tandem cruentam victoriam sunt adepti. Senserant iam mitiùs sibi agendum inter Teutones, & in terra illorum minùs fore tardandum. Alsatia tandem qua ierant vastata & cremata, Hochfeldi montem, Iuræque siluam festinanter transeuntes, Vesontium veniunt. Erat tunc Burgundionum Rex CONRADVS adolescens floridus, sanctæ ADELHEIDÆ Imperatricis quidem frater. Venerant quondam Sarraceni nauibus in Burgundiam, bellóque omnia disturbantes, tandem victi in valle Fraxnith angustiis tutissima, inuito qui tunc erat Rege, consederant: pacéque petita vxores filias gentis ducunt, vallem maximæ vbertatis paruis Regi reditibus datis incolunt. Ad quorum Ducem CONRADVS, nobili astutiâ vsus, Legatos dirigit his verbis: » Ecce, Vngri, fillones illi fugitiui nunciis me fatigant, vt sibi pace mea vos quidem à tantæ vbertatis terrâ armis expellere liceat. Sed vos, si viri estis, obuiam illis me iuuante quantociùs pergite. Enimuero si vos eos in faciem inuaditis, ego eos à latere inuolabo: sícque illos, vt confido, profligatos exterminabimus. Misit autem & ad Vngros, qui dicerent: Quare, viri fortissimi, mecum armis agere vultis? Expedit enim vtrisque nostrum magis, vt pacifici simus. Venite ergo mecum, & hostes meos illos eradamus de terra vberrima, vósque ibi considite: sed & insuper Prouinciam proximam terræ illi, si mecum in fide senseritis, libens vobis tribuam. Consenserunt vtrimque Legationi Regiæ, erumpunt Sarraceni de valle Fraxnith confertissimi die & loco condictis: occurrere parant Vngri. Rex suis vndecumque collectis aciem ordinat specie velut his & his futurus subsidiis. Quàm » acutè, inquit, incidant lanceæ & gladij hodie, ostendite socij mei fortissimi, tam diuersorum dæmonum vtra pars vicerit nemini sit curæ. Victores esse qui cœperint tribus vos partibus insilite, parmis reiectis ferro vtimini, nullo discrimine trucidetur Sarracenus & Vngar. Nemini illorum misereri certum est, quia mei quidem ipsorum miseret nemo. Confligunt tandem in conspectu Regis in acie prospectantis electissimi Satanæ milites & filij, neutris cedentibus trucidantur vtrimque vt victimæ. Tandémque Rex animosè pugnantibus, veritus ne vtra pars ad vltimum aufugeret, signo dato gradatim velut subsidians superuenit, & vndique ad hos & ad illos prosternendos turmatim omnes circumdedit, fugæque locum non habentes quos non occidit captos Arelato vendidit. Ipse verò paucis amissis, Deo & sancto Mauricio, in cuius ense & lancea ita pugnabat, laudibus triumphabat.--- :·

IX. CRALO Abbas videns finem vitæ adesse, EKKEHARDVM cum Fratribus sanioris consilij euocans, disposuit domui, & ipse pro se Abbatem elegit. Facilè omnibus persuasis, viam omnium ingressus est reportatúsque Cœnobium, honorificè sepelitur. At Ekkehardus Ottone apud Anglos cum ADALTAGE Rege ipsorum socero suo aliquandiu agente, vt iunctis viribus CNVTONEM Danorum debellarent Regem, habenas Abbatiæ, sicut sub Abbate viuo solebat, vsque ad cognitionem Imperij strenuè regebat.- :·

X. VODALRICVS quidam Comes de KAROLI prosapia VVENDILGARTAM, HENRICI Regis de filia neptim, vxorem accipiens, ADALHARDVM, qui Gallo *Alstetton* pòst tradidit, de ea, & filiam procreauit. Hic nuncio *Buochorn*, vbi habitauit, accepto, Vngros Noricum, vbi prædia ei erant, irruere; hostes cum ceteris bello aggressus victus capitur, & in Vngariam captiuus asportatur. VVendilgarth verò quasi viro, vt fama erat, occiso, vidua, ad nuptias petita, nutu Dei nubere noluit: sed Salomone rogato ad sanctum Gallum consessit, vbi sibi iuxta VViboradam caminata constructa, de suo vixit, Fratribus & pauperibus pro anima viri quasi defuncti multa largitur. --- :·

VENERAT quarto anno nunciante anniuersarius, vt credebat, viri sui amarus, & VVendilgarth *Buochorn* adiens, dispersit vt solebat, dedit pauperibus. Et ecce Vodalricus captiuitate fortuitò elapsus, eam inter ceteros pannosos, clandestina arte se celans, vt sibi vestem daret inclamat. Quem illa, quòd improbè audaciúsque mendicaret increpitans, vestem tamen ei velut indignans dedit. At ille manum dantis cum veste stringens, ad se tractam amplexatus, vellet nollet osculatus est, capillísque prolixis in collum manu reiectis, cùm etiam aliqui ala-

A pas minitassent: Parcite quæso, ait, tandem alapis, quas multas pertuli, & VODALRICVM vestrum recognoscite. Audita tandem voce Domini milites stupidi, vultúque quondam noto inter crines recognito, clamosè salutant, familia gratulans vociferatur. --- :· Nuptiæ tandem aguntur à principio, concepit mulier, Gallúmque suum, & inclusas Sanctas viro comite votiuè adiens, si masculum peperit, sancto Gallo Monachum deuouit.

AT tempore labente appropinquans partui prægnans periclitatur, & ante XIV. temporini partus dies emoritur. Infans excisus, & aruinæ porci recens eruptæ vbi incutesceret inuolutus, bonæ indolis cùm in breui apparuisset, baptisatur, & BVRKHARDVS nominatur. Pater illum tandem nutricis sinu adductum Gallo, vt cum matre vouerat, super aram ipsius ponens cum terris in *Hoesten* & decimis, multum matrem plorans initiauerat. Solebant autem Fratres eum cognominare Ingenitum. Et quoniam immaturè est editus, nec musca illum sine sanguinis eruptione postea mordebat. ideóque & virgis in eo Magister parcebat. Vir quoque factus virtutes sibi ingenitas, quamuis carne imbecillis fuerit, semper amabat, & animo benè maturo immaturæ præerat carni. Tali ac tanto Patri virtutes longa consuetudine in naturam iam vertenti, EKKEHARDVS honores sibi oblatos omnium assensibus obtulerat. Dirigitur tandem cum Fratribus allectis magno OTTONI Magontiam, Chnutone Rege victo Schlesvvich reuertenti. Qui illum ante notissimum vt eminus aspexit: Accelera, ait, nepotule,
B & osculare. Pusillus quidem erat & pulcher facie. stringénsque illum sub chlamyde delicatè tractauit. --- :· Deinde illum secum duxit in Ecclesiam ad OTTOGEBAM Reginam: Nepotem hunc meum, inquit, mox Abbatem te iuuante futurum ad tuam offero gratiam. --- :·

HADAVVIGA HEINRICI Ducis filia, Sueuorum post BVRKHARDVM virum Dux vidua, cùm Duellio habitaret, femina admodum quidem pulchra, nimiæ seueritatis cùm esset suis, longè latéque terris erat terribilis. Hæc quondam paruula CONSTANTINO Græco Regi cùm esset desponsata, per eunuchos eius ad hoc missos litteris Græcis apprimè est erudita. Sed cùm imaginem virginis pictor eunuchus domino mittendam vti simillimè depingeret, sollicitè eam inspiceret, ipsa nuptias exosa os diuaricabat & oculos. Sicque Græco peruicaciter repudiato, litteris pòst Latinis studentem BVRKHART illam Dux multipliciter dotatam duxit. Et cùm iam esset decrepitus, thalamo, vt aiebant, secum nequaquam cubantem in proximo moriens, quamuis non intactam, incognitam vt celebre est cum dotibus & Ducatu reliquit puellam. Hæc sanctum Gallum vidua orandi aliquando petiuerat causâ. Quam Burkhardus Abbas festiuè susceptam, vtique neptim, donis cùm prosequi pararet, ipsa se alia dona nolle ait, quàm Ekkehardum sibi doctorem, si Duellium ad tempus concederet. --- :· Misit pòst dies ipsos Dux ipsa Burkhardo nostro, cognato videlicet & amabili suo, ambulatorem valde docibilem & alacrem. -- :·

 A

FRAGMENTVM CHRONICI LAVRESHAMENSIS MONASTERII.

A prima ipsius loci fundatione per CANCRONEM Comitem Rhenensem sub PIPINO vsque ad annum DCCCCXX.

DE FVNDATIONE LAVRESHAMENSIS Monasterij.

764. *Chronicon hoc Marq. Freherus integrum edidit inter Germanic. Rerum Scriptores anno M. DC.*

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXIV. PIPINI verò Regis Francorum, (qui, ex sententia Zachariæ Papæ deposito HILDERICO, per Bonifacium Magontinæ Sedis Archiepiscopum & Martyrem, ex Præfecto Palatij in Regiam dignitatem est vnctus, ac postea per Stephanum Papam Apostolica vnctione confirmatus,), anno XII. CANCOR illustris Rhenensis pagi Comes, cum matre sua religiosa & Deo acceptabili VVILLISVVINDA, vidua RVPERTI Comitis, Monasterium LAVRESHAM in insula, quæ nunc appellatur Aldenmunster, initiantes, venerabili RVTGANGO Metensis Ecclesiæ Archiepiscopo, ad instituendam inibi Monasticæ professionis militiam tradiderunt: nullius quidem Episcopij, seu cuiuslibet iuri aut dominio subiicientes; sed quia minus id per se poterant, tanquam consanguineo, & tum in Dei rebus viro spectatissimo perficiendum gubernandúmque sub traditionis titulo commendantes. Qui vt desiderij sui promptiorem sortirentur effectum, famulorum Dei, qui illic adunandi erant, prouidentes commodis, Ecclesiam in Scarra cum suis appenditiis, prædium suum in Magontia, villam quoque Hagenheim cum omni integritate in possessionem eiusdem Monasterij contulerunt, Ecclesiámque ibidem in honore beati Petri Apostoli præfatum Pontificem consecrare exorauerunt. B

DONATIO DOMNÆ VVILLISVVINDÆ, ET FILII eius CANCRONIS Comitis, de Hagenheim. C

ANNO XII. *regnante domno nostro* PIPINO *Rege, sub die IV. Id. Iulij, ego* VVILLISVVINDA *Deo sacrata, & filius meus* CANCOR *Comes, pro Dei intuitu, vel pro anima nostræ remedio, seu & pro æterna retributione, vt non inueniat in nobis vltrix flamma quod deuoret, sed Domini pietas quod coronet, ideóque nos in Dei nomine donamus ad sacrosanctam Ecclesiam sancti Petri, seu ceterorum Sanctorum, quæ est constructa in loco nuncupato* LAVRESHAM, *in pago Rhenense, super fluuium VVisgoz, quam nos propter nomen Domini de nouo ædificauimus, vbi præest vir venerabilis* RVODGANGVS *Archiepiscopus & Abbas, donatúmque in perpetuum esse volumus, & promptissima voluntate confirmamus: hoc est, villam nostram in pago VVormatiense, in loco qui dicitur Hagenheim; super fluuium Salusiam, quæ mihi de parte genitoris mei nomine* ADELHEMI *legibus obuenit, vel vndecumque, tam de alode, quàm de comparato, seu de quolibet adtractu ad nos noscitur peruenisse, cum integritate sua, terris, domibus, ædificiis, campis, pratis, vineis, siluis, aquis, aquarúmve decursibus, farinariis, libertis, conlibertis, mancipiis, mobilibus & immobilibus, peculio vtriusque sexus tam maiore quàm minore genere vel ætate, quicquid dici aut nominari potest, re inexquisita cum omni supellectile, sicut à nobis moderno tempore possideri dinóscitur, donamus, tradimus, atque transfundimus: ita vt ab hac die iamdictus domnus Ruodgangus, vel sui Monachi, qui ibidem*

A *in ipso Monasterio habitare videntur, vel successores eorum habeant, teneant, atque possideant, & quicquid exindè facere pro oportunitate loci ipsius voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem. Si quis verò, quod futurum esse non credimus, si nos ipsi, vel aliquis de heredibus vel praheredibus nostris, seu qualibet vlla extranea persona, vel quicumque contra hoc testamentum, quod nos spontanea voluntate fieri decreuimus, venire temptauerit, aut id infringere voluerit, ante tribunal Christi in die iudicij rationem cum ipso sancto Petro deducat, & insuper inferat partibus ipsorum Monachorum, vnà cum partibus fisci, auri libras quinque, argenti pondera decem, & quod repetit hoc omninò euindicare non valeat, sed præsens donatio testamenti huius omni tempore firma & inuiolata permaneat, stipulatione subnixa. Actum Lauresham publicè sub die & tempore quo suprà. Signum † VVillisvvindæ Deo sacratæ, & Signum † Cancronis Comitis filij eius, qui hoc testamentum fieri & firmari rogauerunt. Signum Heimerici filij Cancronis. Ego Automadus Treuerorum Episcopus subscripsi. Ego Albericus Episcopus subs. Ego Iohannes Episcopus subs. Ego in Dei nomine Helmericus Notarius ex iussu domini Ruodgangi Archiepiscopi Cartam hanc scripsi, diémque & tempus vt suprà designaui.*

DONATIO CANCRONIS DE BIRSTAT, & termino ipsius villæ.

B EGO *in Dei nomine* CANCOR, & ANGILA *coniux mea, cogitantes casum humanæ fragilitatis, qualiter peccata nostra possimus minuere, & donante Domino ad æterna gaudia peruenire, idcirco pro animæ nostræ remedio, vt Dominus* IESVS CHRISTVS *veniam de peccatis nostris tribuere digneitur, donamus, tradimus, vel firmamus ad Monasterium S. Petri, quod appellatur* LAVRESHAM, *seu & sanctum Nazarium Martyrem, qui ibidem in corpore requiescit, vel ad illam Congregationem Monachorum, quæ ibidem conuersari videtur, vbi vir venerabilis* GVNDELANDVS *Abbas praeesse videtur, donatúmque in perpetuum esse volumus, & promptissima voluntate confirmamus; hoc est, terram & siluam quæ est in illa marcha de Birstat, seu in ipso fine: de illo rubero, qui est de Ecclesia S. Nazarij ad partem Meridianam inter partem sancti Petri, per Agilosum & suos consortes pro signo incisa: & indè ad partem Orientalem vsque in fluuium certum VVisgoz, vbi marcha de Basinsheim coniungit: & de ipso rubero ad partem Aquilonis, sicut ipsa incisio arborum in ipsa die facta fuit, quæ vulgo lachus appellatur, siue diuisio: & sic ad illam ligneam crucem, quæ est posita iuxta illam viam, quæ venit de Birstat, & indè ad partem Aquilonis, sicut illa incisio arborum seu lachus in ipsa die facta fuit, vsque ad illum monticulum, qui quasi terminus apparet: & inde per ipsam incisionem arborum, siue lachum, vsque in certum VVisgoz, vbi marcha de Basinsheim coniungit: quicquid infra illam incisionem arborum, seu lachum, siue diuisionem, vsque ad marcham de Basinsheim, de dote Angilæ, vel de qualibet parte nostra ibidem videtur esse portio, siue possessio vel dominatio, tam terris quàm siluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmve decursibus,*
C *omnia & ex omnibus, totum & ad integrum, ad iamdictum Monasterium, siue ad sanctum Nazariam, à die præsente donamus, tradimus, atque transfundimus, in Dei nomine perpetualiter possidendum: ita vt ab hac die ipsi Monachi, vel successores eorum habeant, teneant, atque possideant; & neque nos, neque vllus de heredibus nostris, neque vlla obposita extranea persona, de ipsa terra, vel de ipsa silua vllo vnquam tempore ipsos Monachos vel successores eorum eiicere, nec contradicere possit, nec vllam inquietudinem vel calumniam generare præsumat, sed ad iamdictum Monasterium omni tempore proficiat in augmentum. Si quis verò, quod futurum esse minimè credimus, si nos ipsi, aut vllus de heredibus nostris, seu qualibet vlla extranea obposita persona contra hanc donationem à nobis factam venire tentauerit, aut eam infringere, vel immutare voluerit, caueat ne iram Dei omnipotentis acquirat, & insuper inferat vnà cum socio fisco auri libras tres, argenti pondo quinque multam sustineat, & quod repetit euindicare non valeat, sed præsens donatio ista omni tempore firma & inuiolabilis permaneat, stipulatione subnixa. Actum in Monasterio Laureshàm publicè, sub die Kalend. Iunij, anno II. regnantibus gloriosissimis Regibus* KAROLO & CARLOMANNO. *Signum Cancronis Comitis, & Angilæ coniugis eius, qui hanc donationem fieri & firmari rogauerunt. Signum Thurincberti fratris ipsius Cancronis, & Heimerici filij sui; & aliorum. Ego Guario lector hanc donationem scripsi.*

REVERENDVS itaque Pontifex Rutgangus votum ac petitionem venerabi-

lis VVillisvvindæ, filiique eius Cancronis, gratanter amplexus, cùm ipsius Monasterij curam gubernationémque per se exequi non posset, vt pote & Ecclesiasticis & Regalibus negotiis iugiter occupatus, GVNDELANDVM germanum suum, prudentem admodum & sanctæ conuersationis virum, fratríque per omnia similem, eidem loco præfecit, ipsúmque cum omnibus pertinentiis suis, eo tenore, quo sibi tradita fuerant, suæ dispensationi commendauit. Fratres quoque maturæ ætatis & consilij, Deúmque timentes, Reginfridum videlicet & Vluinum, cum aliis XIV. à Gorziensi Monasterio, quod ipse pridem construxerat, cum ipso direxit, cuncta eis necessaria tam in alimentis quàm in ceteris subsidiis impartiens. Interim missis ad Apostolicam Sedem Legatis, pro cuius liberatione ab oppressione Haistulfi Regis Longobardorum multa instantiâ laborauerat, expetiuit à Paulo Papa corpora sanctorum Martyrum, in quorum honore constructas à se Monasteriorum cõsecraret Ecclesias. Cuius deuotionem ac meritum erga Romanam Ecclesiam Apostolicus Pontifex debito fauore prosequens, transmisit ei Sanctũ Nazarium, Naborem, & Gorgonium, per VVilliharium Sedunensem Episcopum delatos ad Gorziense Monasterium. Euoluto dehinc anni circulo, in Ecclesia Gorziensi sanctum Gorgonium, in Ecclesia Hilariacensi sanctum Naborem collocauit: beatum verò Nazarium ad Laureshamense Monasterium destinauit. In cuius occursum tota simul prouincia, plébsque vtriusque sexus, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus, vsque ad saltum, qui Vosogus dicitur, cateruatim ruunt: Comitésque nobilissimi Cancor & VVarinus, ceteríque id locorum illustres & spectabiles viri, thesaurum beati corporis sibi diuinitus destinatum propriis humeris excipiunt, & cum hymnis canticísque spiritualibus, prosequente infinita populi multitudine, vsque ad locum cœlitus prouisum deferunt.

VERVM, quia sinus Ecclesiæ illius, de qua suprà meminimus, breuis admodum & constrictus, tantæ multitudinis receptui & cotidianæ frequentiæ non sufficiebat; & situs ipse loci Monasterio tanti nominis & dignitatis per merita sui Martyris postmodum futuro non adeò competebat: eadem omnium vota, eadem sententia fuit, vt in editiorem locum, vti nunc cerni datur, tam Monasterij quàm Ecclesiæ fabrica multò amplianda transferretur. Cuius rei executio Gundelando Abbati per venerandum Pontificem artiùs iniuncta est, & ab ipsa strenuè satis & magnificè effectui mancipata. Qui non multò post humanis rebus exemptus migrauit ad Dominum, vir egregius meritique incomparabilis, & omnibus efferendus præconiis. Qui inter cetera valde memorabilia Stephanum Papam ad Galliam euocans, & PIPINVM cum totis Francorum viribus contra Longobardorum tyrannidem accingens, Exarchatum Rauennatem, pluráque beati Petri patrimonia Romanæ Sedi restitui iuge studium & operam impendit. Clerum quoque suæ Diocesis à Religionis feruore iam tunc, vt & nunc, omnimodis exorbitantem, instar Cœnobiorum adunans, regularia eis præcepta, qualiter in Ecclesia militare deberent, vitæque necessaria sufficienter instituit. Monasteria quoque Hilariacense, Gorziense, Laureshamense, à fundamentis exstruxit. Post cuius excessum GVNDELANDVS traditum sibi à fratre locum summa industriâ & religionis obseruantiâ gubernabat, crescebátque indies locus ille, & magnificabatur ab omnibus, tam in rebus quàm in possessionibus: sed &, quod maius est, in diuino cultu, & sanctæ obseruationis profectu, atque Dominici gregis incremento, Domino cooperante, & sancti Martyris sui Nazarij merita confirmante sequentibus signis.

776. ANNO deinde Dominicæ Incarnationis DCCLXXVI. regni verò KAROLI Regis, & postea Imperatoris, anno VIII. HEIMERICVS Comes filius Cancronis, mortuis patre & auia, cernens præfatum locum ex paruo & modico ad tantum rerum & famæ prouectum eminentiam, nitebatur eum sibi proprietatis titulo vendicare. Cuius rei actione ad Palatium delata, & allegatione vtriusque partis audita, iuxta legem Francorum diffinitum est, Gundelandum iure possidere quod sibi fuerat à fratre sine contradictione collatum, nec Heimericum posse repetere quod pater eius & mater probantur sospites in scriptis tradidisse. Heimerico igitur se de hoc loco legaliter abdicante, Gundelandus accepit à Rege Chartam euindicatoriam, hunc modum continentem.

PRÆ-

A

PRÆCEPTVM EVINDICATORIVM MAGNI KAROLI.

KAROLVS gratiâ Dei Rex Francorum, vir illustris. Veniens ad nos Haristellio Palatio vir venerabilis GVNDELANDVS Abba de Monasterio Lauresham, vbi sanctus Nazarius Martyr in corpore requiescit, nobis innotuit, eò quòd homo aliquis nomine Heimericus de ipso Monasterio calumnias generare voluisset, dum diceret, quòd suus pater CANCOR eum de ipso Monasterio vestitum dimisisset. Et ipse Gundelandus præsens astabat, & causam in omnibus denegabat, dum diceret, quòd auia ipsius Heimerici nomine VVillisvvinda, vel genitor suus Cancor, germano suo domino RVODGANGO Archiepiscopo tradidisset, vel confirmasset, & talem Cartam nobis exindè protulit ad relegendum. Tunc ipse Heimericus ante nos taliter fuit professus, quòd de hac causa, vel de ipso Monasterio superiùs nominato, inantea numquam tempore debeat calumniam generare; sed per festucam ante nos exindè dixit exitum. Tunc nos vnà cum fidelibus nostris, id est Hagino, Rothlando, VVichindo, Frodegario, Comitibus: necnon & vassis nostris, Theodorico, Bertholdo, Alburino, Frodberto, Gunthmaro, taliter visi fuimus iudicasse, vt de hac causa omni tempore ipse Abbas habeat euindicatum atque elitigatum, & sit illis in postmodum ex hac re sublata causatio.

GVNDELANDVS igitur Abbas in iuris sui quieta possessione, tum dictante iustitiâ, tum regia auctoritate confirmatus, Laureshamense Monasterium, (B) cum omnibus illuc pertinentibus, in manus & mundeburdem * gloriosi Regis KAROLI tradidit, quatenus priuilegiis insigniretur Regalibus. Cui benignissimus Rex priuilegia libertatis & emunitatis contulit, liberámque Abbatis electionem Fratribus eiusdem Monasterij in perpetuum præstitit. quorum tenor talis est:

* *id est, defensionem*

KAROLVS Dei gratiâ Rex Francorum, vir illuster. Omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, vestrisque iunioribus, atque Missis nostris discurrentibus. Quicquid pro oportunitate Ecclesiarum, vel quiete seruorum Dei erexerimus, hoc nobis proculdubio Domino adiuuante ad æternam beatitudinem proficere confidimus. Igitur dum vestræ solertiæ notum est, qualiter bonæ recordationis domnus RVOTGANGVS Archiepiscopus in Monasterio quod vocatur Lauresham, quod ei per traditionem VVillisvvindæ & Cancrini obuenerat, Monachorum turmam non modicam propter seruitium omnipotentis Dei coadunauit: vbi ob integram deuotionem sanctum corpus beatissimi Nazarij recondidit: supra quod etiam Gundelandum Monasterij Abbatem atque heredem in eodem sancto loco post se visus est reliquisse. Sed postea, dum præfatus Gundelandus Abbas cerneret ipsius sancti loci imminere periculum, atque vereretur, ne desolatio propter intentionem iniquorum hominum & ipsis Monachis fieret, ad nostram visus est accessisse præsentiam, qui & ipsum Monasterium in manu nostra tradidit, etiam & secum omnem Congregationem (C) *suam in mundeburdem & defensionem nostram pleniùs commendauit. Quem nos gratulanti animo tam propter mercedis augmentum, quàm & pro eodem grege saluando visi fuimus percepisse. Petiit etiam memoratus Abbas, suique Monachi, talem à nobis auctoritatem, vt quotiescumque Abbatem iamdicti Monasterij ex hoc contigerit seculo migrare ad Dominum, inter se quem dignum honoris huius inuenerint, vnanimiter ex semetipsis eligere deberent. Quorum petitionem ob amorem Dei, & nostræ mercedis cumulum nequiuimus denegare: sed ita præstitisse, vel in omnibus confirmasse, cognoscite. Præcipientes enim iubemus, quia cognoscimus quòd ipsa Congregatio sub recto ordine viuere, & in Regula sancti Benedicti conuersari desiderat, vt nostro quidem permisso semper super se ex ipsa Congregatione, qui Deo acceptabilis sit, eligere valeant Abbatem, quatenus inter ipsum gregem *, quia boni ibidem congregati in vnum præstare, ne quis ex aduerso eum diripiendum adueniat, sed de proprio semper gaudere patrono valeant: quia nolumus, vt per aliquam occasionem ipsi Monachi, quos domnus Ruodgangus, etiam & Gundelandus ad opus Dei exercendum congregauerunt, vllo vnquam tempore exindè alienati aut dispersi, nec ipsi, nec successores eorum esse debeant: sed sicut in testamento illius donationis, quam per VVillisvvindam & Cancrinum adepti sunt, continetur, ita in omnibus circa ipsam Congregationem sit conseruatum, vt valeant Regulam sancti Benedicti perpetualiter, sicut ordo edocet, & corporis fragilitas permittit, custodire, & sub nostra, vt diximus, mundeburde vel defensione in ipso Monasterio quietè viuere, vel resi-*

dere. Propterea hanc Praeceptionem nostram eis dedimus, per quam omninò iubemus, vt nullus quislibet de Episcoporum personis, in cuius parochia ipsum Monasterium fundatum esse cernitur, aut de ceteris hominibus quis iamdictum Gundelandum Abbatem, vel Monachos ex ipso Monasterio, & homines qui ad eos iustè & rationabiliter spectare videntur, inquietare, aut contingere, vel contra rationis ordinem facere praesumat: sed semper valeant sub nostra defensione, seu sub heredibus nostris omni tempore, vt diximus, quieti residere, & ea quae illis propter nomen Domini concessimus, benè semper in omnibus perfrui: quatenus delectet Abbatem vel Monachos ex ipso Monasterio pro nobis & nostra subsequente progenie, seu gente Francorum, Domini misericordiam adtentiùs deprecari. Et vt hac Auctoritas firmior habeatur, vel per tempora meliùs seruetur, manu propria subter firmauimus, & de annulo nostro sigillari iussimus. Signum Karoli gloriosissimi Regis. VVitigevvo recognoui. A

ITEM eiusdem Priuilegium immunitatis, & de libera electione Abbatis.

KAROLVS *Dei gratiâ Rex Francorum, vir illuster. Omnibus fidelibus nostris tam praesentibus quàm & futuris. Cùm recta petitio Sacerdotum pro oportunitatibus locorum sanctorum pertinens ad aures clementiae nostrae processerit, talem decet esse obauditam, vel effectu in Dei nomine mancipatam, vnde aeterni retributoris veniam mereamur adipisci, & eos delectet pro stabilitate Regni nostri iugiter exorare, vel in omni parte erga nostrum fideliter assistere. Igitur cognoscat magnitudo seu vtilitas vestra, quòd nos ad Monasterium, quod dicitur Lauresham, quod est constructum in honore beatorum Apostolorum Petri & Pauli, vel ceterorum Sanctorum, & vbi preciosus domnus & sanctus praeclarus Martyr Nazarius in corpore requiescit, & in virtute fulgescit, & venerabilis vir* GVNDELANDVS *Abba, vnà cum norma Monachorum praeesse videtur, infra pagum Rhenensem, super fluuium VVisgoz, integram immunitatem eius merito compellente plena & integra gratia pro mercedis nostrae augmento, vel pro eius quiete, aut successorum illorum visi fuimus concessisse. Quapropter hoc Praeceptum specialiùs decernimus ordinandum, quod in perpetuum volumus esse mansurum, vt neque vos, neque iuniores, seu successores vestri, nec quislibet de iudiciaria potestate accinctus, in curtis vel villis ipsius Monasterij, aut Ecclesiae suae aspicientes, in quibuslibet pagis atque territoriis, tam quod praesenti tempore videtur possidere, vel dominicare, quàm quod adhuc ex munere Regum seu Reginarum, seu quod pro collata populi, vel de comparato, vel de quolibet adtractu augmentare, vel immeliorare, seu adtrahere potuerint, ad causas audiendum, vel freda vndique exactandum, nec fideiussores tollendum, nec mansiones aut paratas faciendum, nec ad homines suos tam ingenuos quàm & seruientes seu accolas ipsius Monasterij distringendum, nec vllas redhibitiones publicas requirendum, nec exactandum quod ad partem fisci nostri exindè redhibetur, penitus ingredi iudiciaria potestas, aut Missi nostri discurrentes non praesumant. Sed omnes villas suas sub immunitatis nomine cum omnibus fredis, aut coniectas, seu publicas redhibitiones concessas, omnia (sicut superiùs comprehensum est) tam ipse Abbas quàm & successores sui in Dei nomine valeant possidere, vel dominari: vt nullus quislibet de fidelibus nostris tam praesentibus quàm & futuris, hoc quod nos pro nostra mercede, vel pro stabilitate (Deo adiuuante) Regni Francorum, ad ipsam casam Dei indulsimus, vllo vmquam tempore vel quolibet ingenio irrumpere videatur: sed (sicut superiùs meminimus) nostris & futuris temporibus absque vlla contrarietate partibus praedicti Monasterij volumus in omnibus esse conseruatum atque indultum. Et vt haec Auctoritas firmior habeatur, & per tempora meliùs conseruetur, manu propria subter decreuimus roborare, & de annulo nostro sigillari praecepimus. Signum* KAROLI *gloriosissimi Regis. Rado ad vicem Riudberti recognoui. Datum in mense Maio anno* IV. *regni nostri. Actum Theodone villa, Palatio publico, feliciter.*

B

C

TALI Priuilegiorum praerogatiua insignitum Laureshamense Monasterium piissimus Rex KAROLVS, etsi nondum nomine, re tamen ipsa diuus Imperator & semper Augustus, ampliori adhuc munificentia per idem tempus sublimauit. cui villam Hephenheim, cum omnibus terminis & appendititiis suis omni integritatis iure contulit.

777. SVBSEQVENTE post haec anno, id est Dominicae Incarnationis DCCLXXVII. sed à fundatione siue exordio Laureshamensis Monasterij anno XIII. regni verò Karoli, ex quo defuncto fratre suo Karolomanno Monarchia ad eum transiit, anno VI. GVNDELANDVS Abbas perfecta iam Templi fabrica, & vt do-

A mum Dei decebat, omni specie decoris exornata, apud Spiream ciuitatem Regi occurrit, magnoperè deprecans, vt ipsius Ecclesiæ consecrationi præsens interesse dignaretur. Cui pius Rex benignè assentiens, cum Regina Hildigarda, filiisque Karolo, Pipino, Luduuico, ac plurimis Regni Principibus, per Lullum Magontinæ Sedis Archiepiscopum, & beati Bonifacij Episcopi & Martyris successorem, atque per Episcopos Megingozum, VViomudum, Angilrammum, VValdricum, magnifico apparatu & summa veneratione, in capite Kalendarum Septembrium dedicationem eiusdem Ecclesiæ celebrauit, corpúsque beati Martyris Nazarij domini & patroni nostri in eam maximo deuotionis honore transtulit. Vbi quanta miracula, quæ virtutum insignia per ipsius merita diuinitus effulserint, quanta pro diuersis morbis, casibus, miseriis, angustiis, remedia pro extunc & deinceps prouenerint; non est nostræ facultatis euoluere, præsertim cùm sit de his Libellus à maioribus nostris prosaico metricóque stylo satis elucubratè compositus.

Præterea quoque excellentissimus Rex inter cetera liberalitatis suæ dona, quæ velut alter Salomon in simplicitate cordis sui Domino lætus obtulit, villam Obbenheim sitam in pago VVormaciense super fluuium Rhenum, cum omni integritate Laureshamensi Monasterio tradidit, per quam eandem Ecclesiam in die consecrationis largissimè dotauit.

B Tantis munificentiæ suæ beneficiis adiecit clementissimus Rex piscationis concessionem in Rheno flumine, in loco cognominato Godenouua, infra finem Hostat, vt Abbas & Fratres licentiam haberent ad vinnam faciendum, & ad piscandum, pro oportunitate Ecclesiæ & stipendio ipsorum Fratrum: & vt de silua, quæ ad illam villam aspicit (cùm fructuosa nullatenus esse videretur) vinnam faciendi, vel emendandi haberent potestatem, in quantum eis opus esset prendere, vel copulare. Item vt in alia marca, quæ ad VVirnheim pertinet, de pago Lobodense, vsque ad fluuium VVisgoz, viam integram ad carracandum * siue itinerandum habere debeant, & super ipsum fluuium contra ipsum viam faciendum, tam super fluuium VVisgoz, quàm & super alios lacus. Cetera quoque multimodis Monasterij vtilitatibus opportuna concessit. *carrigandum.

Brevi dehinc interiectu temporis Gundelandus instante sibi diuino vocationis brauio, misit ad Regem Aquisgrani, consulens & obsecrans, quatenus ei liceret extremum vitæ cursum iam peragendi, aliqua de Monasterij rebus impendia pro animæ remedio pauperum indigentiæ prærogare. Qui, vt erat pronæ in omnes clementiæ, & maximæ circa inopes compassionis, indulsit ei tertiam partem, rerum dumtaxat mobilium, in pauperum pro arbitrio suo distributionem. Instruantur hoc exemplo nostri temporis Ecclesiarum Prælati, qui rebus earum & possessionibus sibi creditis insolenter abutuntur: cùm Pater iste, Imperialis Abbas, Regni Princeps, diues & præpotens, magnæ famæ, clari generis, nihil præsumpserit absque Regis vel consilio vel præcepto, etiam in C ipso mortis articulo, de rebus Monasterij disponere. Tanta tunc erat Religionis cura, iuris obseruantia, legum Regúmque reuerentia. Rexit ipsum locum annos XIII.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCLXXIX. 779.

Gvndelando igitur deposito carnis onere ad cœlestia commigrante, substituitur Helmericvs, vir religiosus & sapiens, Fratrum quidem electione ex ipsius Congregationis corpore, & gloriosi Regis Karoli institutione. Hic Ecclesiæ laquearia fecit, pauimentum strauit, tumbam sancti Nazarij auro argentóque decorauit, altare etiam simili impensa & opera mirificauit, quod postea ad Ecclesiam sancti Petri, quæ dicitur Altenmunster, translatum est.

Iste Pater amissis seu casu seu imprudentia quibusdam donationum Chartis, quibus res Monasterij continebantur insertæ, Regiam expetiuit auctoritatem: quatinus ea, quæ bona fide & iusto titulo absque omni interpellatione eatenus possidebat, iterato confirmaret priuilegio, quod tale est:

Karolvs *gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum. Notum sit omnibus fidelibus nostris, tam præsentibus, quàm & futuris, qualiter veniens* Helmericvs *Abba in præsentiam nostram nobis innotuit, eo quod Cartæ per diuersa loca Ecclesiæ suæ sancti Nazarij perditæ fuissent & naufragatæ, & res eorum per*

diuersa loca habuissent, vnde ad præsens vestiti essent in Regno nostro, Deo propitio, & vbicumque ad præsens vestiti fuissent. Nos pro eius petitione tale Præceptum ei emisimus, atque prædecessoribus suis, dum ipsa Casa Dei vestita fuit ad præsens, omnia & ex omnibus ex nostra auctoritate, absque refragatione cuiuscumque quieto ordine, quicquid iustè & rationabiliter antea tenuerunt per dationes aut commutationes, ex nostra auctoritate habeant, & defensare valeant secundum legem, sicut per apertam Cartam vsque nunc auctoritas Regum defensauit, & denuò confirmauit. Et vt hæc Auctoritas firmior habeatur, vel per tempora meliùs conseruetur, de annulo nostro subtersigillauimus. Signum KAROLI *gloriosissimi Regis. Giltbertus ad vicem Radonis recognoui.* A

785. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXXV.

DECEDENTE quoque Helmerico, expletis in regimine annis V. substituitur RICHBODO, vir planè dilectus Deo & hominibus, simplex & sapiens, atque tam in diuinis quàm in secularibus disciplinis adprimè eruditus. Deinde per annos decem in Archiepiscopatum Treuerensem à piissimo Rege KAROLO prouectus, præsedit ibidem annos X. menses VIII. Qui statim in primordio destructis ligneis domibus, in quibus Fratres eatenus commanebant, in Aquilonali videlicet parte, Claustrum muris circumdans ad Meridianam partem, vti nunc videtur, transtulit. Dormitorium quoque cum Ecclesia triplici fecit, cancellos circa requiem beati Nazarij ex auro argentóque mirificè vestiens, pauimentum etiam coram altari vario stratum marmore sublimauit. Præfuit Laureshamensi Monasterio annis XX. mensibus VIII. Treueris defunctus, Laurissæ sepultus est. B

805. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCV.

POST excessum Richbodonis successit ADALVNGVS, vir potens in opere & sermone, & iuxta cor Domini electus. Qui suscepto huius loci regimine, nobiliter cuncta extrinsecus, nobiliùs quoque Templum intrinsecus vario venustauit decore. Quippe altare Dominicum, vt nunc est, quatuor ex partibus tabulis argenteis inclusit, nec minus altare ad Crucem, atque sancti Iohannis Baptistæ, sanctæ quoque Mariæ Virginis, præterea altare sancti Petri in Ecclesia triplici mirificè perornauit: auream quoque crucem & opere & materiâ aliis preciosiorem fabre fieri iussit. Multis denique virtutibus florens, decursis in huius regimine annis XIII. sapientiæ ac pietatis merito vitam consummauit honestam. Iste Pater, regnante iam tunc LVDOVVICO Pio, Karoli Magni ac beati diui Imperatoris ac semper Augusti filio, ac veluti post bellicosum patrem Dauid Salomone pacifico, Imperialem expetiuit magnificentiam, quatinus de libertate & immunitate Laureshamensis Monasterij, & Abbatis electione, paternam roboraret auctoritatem. Idem etiam piissimus Imperator paternam concessionem de piscatione in Rheno, cum ceteris, eis confirmauit.

DE MICHLENSTAT. C

QVALITER verò Cella Michelenstat sub hoc piissimo Principe CAROLO Magno per venerabilem EINHARDVM Laureshamensi Monasterio accesserit, prout à maioribus nostris memoriæ traditum est, perstringamus. Est enim res tum cognitu & admiratione digna, tum quanta vel qualis olim Imperialis Excellentiæ & erga subditos pietas, & erga deuotos liberalitas, & erga suorum excessus clementia fuerit, euidens exemplum. Hic igitur Einhardus Archicapellanus Notariúsque Imperatoris Caroli, cùm in Aula Regia laudabiliter seruiens diligeretur ab omnibus, à filia quoque ipsius Imperatoris IMMA nomine, Regi Græcorum desponsata, amabatur ardentiùs. Aliquantum temporis fluxerat, & amor alternus cotidie inter ambos per augmenta crescebat. Vtrosque enim timor retardauit, & offensio regia, ne tam grauia conueniendi inirent conamina. Sed amor improbus omnia vincit. Denique cùm idem vir egregius irremediabiliter amando æstuaret, auresque virginis per internuncium appellare nec præsumeret, nouissimè sumpta de semetipso fiducia, nocturno tempore latenter ad puellæ tendebat habitaculum. Ibidémque pulsans clanculum, & intrare permissus, tanquam allocuturus iuuenculam de Regali mandato, statim versa vice solus cum sola secretis vsus alloquiis, & datis amplexibus, cupito satisfecit amori.

Sequentia fabulam redolent.

A Interea cùm iam appropinquante luce diei, per silentia noctis, vnde venerat, regredi vellet, de improuiso niuem haud modicam decidisse cognouit; & ne per vestigia pedum virilium agnitus proderetur, foras exire timuit: ambósque pro conscientia facti anxietas simul & formido intus remanere compulit. Cúmque nimia sollicitudine fluctuantes, quid facto opus esset deliberarent, tandem elegantissima iuuencula, quam audacem faciebat amor, consilium dedit, vt ipsa quidem super se insidentem inclinata exciperet, eúmque vsque ad locum illius hospitio contiguum ante lucanum deportaret, ibíque eo deposito, rursum per eadem vestigia cautiùs obseruata rediret. Eam noctem Imperator diuino, vt creditur, nutu insomnem duxit, diluculóque consurgens, eminúsque de Aula prospiciens, intuitus est filiam suam sub præfato onere nutanti gressu vix incedere, & ad conditum locum deposita quam gestabat sarcina, celeri repedare recursu. Quibus multo intuitu perspectis, Imperator partim admiratione, partim dolore permotus, non tamen absque diuina dispositione id fieri reputans, sese continuit, & visa interim silentio suppressit. Interea Einhardus sibi conscius, certúsque rem nullo modo dominum suum Regem diu latere posse, tandem inter angustias repetito consilio Imperatorem aggreditur, flexis genibus missionem postulans, asserens tot & tantis seruiciis suis condigna non rependi præmia. His auditis, Rex dissimulato rei & euentu & exitu, diu conticuit: dehinc eum certificans, se postulationi eius quantociùs responsurum, diem constituit: statímque Consiliarios primósque sui Regni, & ceteros quósque sibi familiares passim euocatos conuenire iussit. Congregata itaque magnifica diuersarum Dignitatum frequentiâ, ita exorsus est: Imperatoriam inquiens, Maiestatem nimis iniuriatam esse & despectam, in indigna filiæ suæ Notariíque sui copulatione, & exinde non mediocri sese agitari perturbatione. Quibus nimio stupore perculsis, & de rei nouitate & magnitudine quibusdam adhuc ambigentibus, Rex innotuit eis euidentiùs, referens eis à primordio quid per semetipsum oculata fide cognouerit, consiliúmque eorum atque sententiam expostulans super hoc. At illi inter se diuersi diuersa sentientes, in præsumptorem huius rei duras & varias dedêre sententias, aliis sine exemplo puniendum, aliis exilio damnandum, aliis alio modo disperdendum (vt cuicumque impetus erat) adiudicantibus. Porrò quidam ex eis tantò mitiores, quantò sapientiores, habita secum deliberatione quàm intimè Regem exorauêre, quatenus ipse rem per semetipsum examinare, & secundum diuinitus ei collatam sapientiam diffinire dignaretur. Verùm, vbi Rex singulorum circa se affectum ponderauit, & inter diuersorum sententias, quid potissimum consilij sequeretur expendit, sic eos alloquutus est: Non ignoratis, inquit, humanum genus variis subiectum esse casibus, & frequenter euenire, vt res nonnullæ, quæ contrariis initiis inchoantur, meliorem aliquando sortiantur exitum. Proindè non est desperandum, sed potiùs super hac re, quæ & grauitate & nouitate sui nostrum exuperat ingenium, diuinæ prouidentiæ, quæ numquam in sui dispositione fallitur, quæque etiam malis benè vti nouit, pietas est exspectanda & expetenda. Quapropter tam tristis facti à Notario meo non exigam pœnas, per quas infamia filiæ meæ magis videbitur augeri quàm minui. Vndè dignius & laudabilius Imperij nostri gloriæ arbitramur congruere, vt data adolescentiæ veniâ, legitimo eos matrimonio coniungam, & rei probrosæ honestatis colorem superducam. Regis igitur audita sententiâ, fit incomparabile gaudium, magnitudóque animi eius ac mansuetudo summis effertur laudibus. Interim Einhardus iussus adesse, ingreditur. Quem Rex ex opinato salutans, ita eum placido vultu alloquitur: Iamdudum auribus nostris à vobis delata est querimonia, quòd seruitiis vestris Regali munificentiâ hactenus non responderimus dignè. Sed (vt verum fatear) maximè super hoc culpanda est vestra negligentia: quandoquidem licèt sustineam tot & tanta negocia solus, tamen si quid voluntatis vestræ compertum haberem, seruitia vestra digno fuissem prosecutus honore. Verùm, ne vos diutino sermone protraham, querimoniis vestris amplissima donatione satisfaciam: & vt vos etiam fidelem mihi vt priùs, & beneuolum posthac sentiam, iuri vestro nuptum tradam meam filiam, vestram scilicet portatricem, quæ quandóque altè succincta vestræ subuectioni satis se morigeram exhibuit. Protinus ad Regis edictum cum multo comitatu adducta est eius filia, quæ roseo vul-

B

C

tum perfusa rubore, tradita est per manus patris in manus prædicti Einhardi, cum dote plurima, prædiorum quoque nonnullorum, cum innumeris aureis argenteisque donariis, aliisque preciosis supellectilibus. Quibus etiam piissimus Imperator LVDOVICVS post obitum patris prædia sua, videlicet Michlenstat & Mulenheim, quæ nunc appellatur Seliginstat, tradidit huiusmodi donationis Priuilegio. A

IN *nomine Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi*, LVDOVVICVS *diuina ordinante prouidentiâ Imperator Augustus. Imperatoris Celsitudini moris est, fideliter sibi famulantes donis multiplicibus atque honoribus ingentibus honorare atque sublimare. Proindè nos morem parentum nostrorum, Regum videlicet prædecessorum nostrorum, sequentes, libuit Celsitudini nostræ fidelem quendam nostrum nomine* EINHARDVM *de quibusdam rebus proprietatis nostræ honorare, atque in sui iuris potestatem liberalitatis nostræ gratiâ conferre. Nec immeritò, quippe cùm & fidelitatis obsequio, & obedientiæ deuotione hoc apud Serenitatem nostram dignè mereatur adipisci, qui totis iussibus vsquequaque nostro seruicio, nostris iussionibus fideliter parere studet. Inde nouerit experientia atque vtilitas omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm & futurorum, quia concessimus eidem fideli nostro* EINHARDO, *necnon & coniugi suæ* IMMÆ, *in partibus Germaniæ locum qui vocatur Michlinstat, in silua quæ vocatur Odoneuuald, in cuius medio est Basilica lignea modica constructa, de qua in omnem partem qua qua versus pertinent ad eundem locum inter campum & siluam leugæ duæ, id est, rasta vna. Intra cuius mensuræ circumplexum manent præsenti tempore serui nostri proprij* XIV. *cum vxoribus suis & filiis. Præter hos, sunt in eodem loco inter masculos & feminas mancipia* XL. *Hunc locum cum terminis suis sub integritate, & mancipiis suis, necnon & villam quæ dicitur Mulenheim, quæ est in pago Moynecgouue sita super ripam fluminis Moyni, quæ quondam* DROGONIS *Comitis possessio fuit, & habet Basilicam paruam muro factam: in qua villa sunt mansi* XIX. *& serui præsenti tempore manentes cum vxoribus & liberis numero* XIII. *ceu & in altera villa eodem vocabulo super eundem fluuium, quæ vocatur inferior Mulinheim, in qua sunt mansi* IV. *& serui manentes totidem cum vxoribus & paruulis, qui pertinent ad superiùs dictam villam. Hanc villam, id est superiorem Mulinheim, cum appenditiis suis, & mancipiis propriis ad eam pertinentibus, & hæc omnia suprascripta, cum Ecclesiis, villaribus, domibus, mancipiis, siluis, terris, pratis, pascuis, aquis, aquarúmve decursibus, cultum & incultum, cum omnibus adiacentiis & appenditiis, totum & ad integrum, prædicto fideli nostro* EINHARDO, *& coniugi eius* IMMÆ *in proprium per hanc nostræ donationis auctoritatem concessimus: ita videlicet, vt quicquid ab hodierna die in futurum de prædictis rebus & locis, vel de his quæ ad eas pertinent, iure hereditario facere voluerint, in omnibus potiantur arbitrio faciendi, & nullus quislibet ex fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris, de præscriptis rebus memorato fideli nostro & coniugi suæ à nobis concessis, aliquid abstrahere aut minuere tentet: sed liceat eis ipsas res quietè habere & possidere, & cui voluerint iure hereditario relinquere. Et vt hæc Auctoritas largitionis nostræ per curricula annorum inuiolabilem atque inconuulsam perpetuò obtineat firmitatem, & à fidelibus nostris tam præsentibus quàm futuris, seu etiam à successoribus nostris à nobis facta veriùs certiúsque credatur, eam manu propria subterfirmauimus, & annuli nostri impressione signari iussimus. Helisachar recognoui. Data* III. *Iduum Ianuar. anno Christo propitio primo Imperij domni* LVDOVICI *piissimi Imperatoris Augusti, Indictione* VII. *Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei nomine feliciter, amen.* B C

VENERABILIS itaque EINHARDVS ob honorem simul & amorem excellentissimi Karoli, & piissimi Ludouuici Imperatorum, præfatum locum & Cellam Michlenstat cum suis pertinentiis Laureshamensi Monasterio tradidit, atque per huiusmodi Testamentum confirmauit.

DOMINVS *ac Redemptor noster corporaliter in terris conuersatus, homines variis peccatorum sordibus inquinatos admonere dignatus est, dicens:* Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. *Et iterum:* Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula. *Idcirco nos, in ipsius Dei omnipotentis & ista iubentis nomine*, EINHARDVS *&* IMMA *simul de salute animarum nostrarum cogitantes, & de abolendis peccatis nostris, beataque ac perpetuæ vitæ præmiis consequendis pari deuotione tractantes, hoc Testamentum facere decreuimus, per quod spontanea & integra voluntate donamus, quod ab hodierna die donatum esse volumus, id est Cellam nostri iuris vocabulo Michlenstat, sitam in pago Plumgouue, in silua quæ dici-

A tur Odenewaldt, super fluuium Mimilingum, quam nobis gloriosissimus Princeps domnus LVDOVVICVS Imperator largissima liberalitate concessit, & de iure suo in nostrum ius solenni donatione transtulit, ac Precepti sui auctoritate in proprietatem nobis confirmauit. Hanc, vt diximus, Cellam sub integritate cum omnibus appenditiis & terminis suis, & cum omnibus ad se pertinentibus, id est Basilicis, domibus, ceterisque ædificiis, terris, syluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmve decursibus, cultis locis & incultis, mobilibus rebus & immobilibus, ac seipsas mouentibus, mancipiis diuersi sexus & ætatis, numero centum, donamus & tradimus ad Basilicam siue Monasterium venerandi Martyris Christi Nazarij, quod vocatur LAVRESHAM, & est constructum in pago Rhenense, in ripa fluminis quod dicitur VVisgoz, vbi tempore præsenti vir venerabilis ADELVNGVS Abba Deo deseruientis Congregationis Pastor & Rector esse cognoscitur. Ea videlicet ratione memoratam donationem atque traditionem facientes, vt quamdiu in hac mortalitate diuina iussione vixerimus, habeamus prædictam Cellam in nostra potestate & sub nostra ordinatione, absque vllius personæ aut potestatis contradictione vel impedimento, tam simul quàm singillatim per successionem, si vno superstite alterè nobis ante decesserit. Filios quoque si nos habere contigerit, vnus ex eis in eadem possessione nobis iure precario succedat. Post obitum verò nostrum memorata Cella cum omni integritate ad prænominatum venerabile Monasterium absque vllius contradictione recipiatur, & in eius potestate atque dominio perpetuò permaneat. Et si aliquis contra hoc nostræ donationis Testamentum resultare voluerit, aut B illud conuellere atque euacuare tentauerit, primitus Christum, & sanctum Martyrem eius Nazarium nefandis ausibus suis contrarium sentiat, & insuper fisco distringente multam de rebus propriis parti prædicti venerabilis Monasterij coactus exsoluat, auri videlicet libram vnam, argenti pondo XII. & hoc Testamentum atque hæc donatio nostra firma & inuiolata permaneat. Et si quocumque tempore à quolibet homine aliud instrumentum in nostro nomine prolatum fuerit, quod huic nostro Testamento contrarium sit, iudicium datorum anterius vel posterius habens, etiamsi manu nostra videatur vel dicatur esse firmatum, vacuum & inane remaneat, & nullum effectum obtineat, sed (vt prædiximus) hæc donatio nostra perenni stabilitate firma & inuiolabilis perseueret, stipulatione subnixa. Et vt hoc Testamentum iuxta legis consuetudinem integram firmitatem accipiat, propria manus subscriptione illud firmare decreuimus, & idoneorum testium, qui ipsam viderunt, signaculis roborari fecimus. Facta donatio in Laureshamo Monasterio II. Id. Septembr. anno VI. regni domni nostri LVDOVVICI gloriosissimi Imp. in Dei nomini feliciter. Ego EINHARDVS peccator & donator recognoui, & manu propria subscripsi. Signum Rabangarij. Signum VVarbotonis. Signum VVolfberti, & aliorum. Ego Hirmimarus Diaconus & Notarius Imperialis rogante Einhardo hoc Testamentum scripsi & subscripsi.

HVIVS donationis suæ tenorem, & locorum terminorúmque descriptionem ipse EINHARDVS hoc modo designauit: Quoniam sunt quidam, qui fastu seculari turgentes, & semetipsos amantes, à Christi fidelibus sacris Ecclesiis seu Monasteriis contradita inuadunt, aut vt sibi hereditario iure retineant, aut mundali baltheo in beneficio diuidant: Ego EINHARDVS, ne in his, quæ de regia manu LVDOVVICI C Imperatoris in loco Michlenstat contraxi, manus iniquorum præualeat, aduertat obsecro fidelium tam sequentium quàm præsentium memoria, qualiter in vnum sint collecta, quibúsve expressa vocabulis. Postquàm enim locum prænominatum Laureshamensium dominationi subiugare disposui, adscitis quibus notum fuerat, terminum & vocabula locorum diligenter inuestigaui, & recenti memoriâ Notarium meum Lutherum exprimere litteris iussi: ea videlicet circumspectione, quia multorum Monasteriorum eis prædia coniunguntur, & diuersorum dominorum beneficia circumquaque terminantur. Hæc igitur terminorum loca & vocabula designantur hoc modo: dum à monte Momenhart incipiunt, & totum eundem montem vsque ad plateam comprehendunt: à platea vsque ad duplicem quercum. Indè inter Vlemburch & Rumpheshusen ad quercum, de quercu in fluuium Bramaha: per huius descensum in VVillinebach, per huius ascensum vsque ad lapideum riuulum: indè ad VVillineburch, per vnam portam intrò, per alteram foras. Inde in ripam Enterum, per huius descensum ad Langenuirst, vbi Langenuirst scinditur: super Langenuirst ad Breitensol, inde per Eichendal in flumen Vrdella: per huius ascensum in Vinsterbuch, inde ad Phaphenstein Einhardi: à Phaphensteine supra Richgeresneiten, inde ad verticem Clophendales ad Clophenbeck. Inde in Cuningesbrunnen, per huius descensum in Mimelingem * : per huius ascensum in Geroldesbrunnen, inde ad Ellenbogen in flumen Braubach: per huius

* hodie Mumling.

*id est, Inter comitatum & immunitatem seu terminũ Cœnobij. *descensum in Mimelingen, ex qua ad quercum inter Graschaphe & Munital* : indè iterum ad montem Mamenhart.* A

QVOMODO autem, & ex qua reuelatione prædictus Einhardus Monasterium Selinginstat construxerit, & prædium suum Mulinheim eidem contulerit, ex Libro, quem ipse *de Translatione & Miraculis Sanctorum Marcellini & Petri Martyrum* edidit, plenè poterit dinosci.

VERVM piissimus Imperator LVDOVVICVS Ecclesiam quoque in Siggenheim, super fluuium Necchar in pago Lobotengouue, per idem tempus in elemosyna Laureshamensi Monasterio concessit.

MORTVO LVDOVVICO Imperatore Pio, cùm regnasset annis XXVII. & Metis ad S. Arnulfum sepulto, filij eius, Ludouuicus, Lotharius, & Karolus grauiter inter se de Imperio dissidentes, per maximam suorum adtritionem Imperium patris tandem inter se diuiserunt. Et * KAROLO, qui minimus natu erat, Occidentalia Regna, id est, Gallia vsque ad Rhenum, atque trans Rhenum nonnullæ ciuitates: LOTHARIVS, qui maximus natu erat, sortitus est Regnum, quod ab eo traxit vocabulum, & Prouinciam, & cum Italia totum Romanum Imperium. Hic Lotharius Ansfrido tunc Palatino Comiti, illustri & spectabili viro ob egregia merita prædium suum in Geizefurt in pago Hatuariensi super fluuium Nerse, & in pago Laumensi in villa Sodeia super fluuium Geldione, iure proprietatis contradidit. quod postea idem Ansfridus (vt suo in loco patebit) Laureshamensi Monasterio sub Abbate Dietrocho contulit. Prædium etiam suum in Gannita villa, in prædicto pago, hic idem Princeps Laureshamensi Monasterio tradidit. B

** deesse videtur, LVDOVVICO quidem Orientalis Francia contigit.*

HVIVS Lotharij frater LVDOVVICVS, quem diximus in diuisione Imperij Orientalem Franciam sortitum, iustus, pius, misericors, ac circa Ecclesias Dei immensæ benignitatis extitit. Vnde & Laureshamensi Monasterio plurima beneficia contulit, inter alia villam Langungon, sitam in eodem pago Rhenense. Et cùm regnasset annos XXXIV. ibidem etiam sepeliri se moriens præcepit.

ADALVNGO Abbate defuncto, SAMVEL à puero ibidem educatus subrogatur, nec multò post à VVormaciensi Episcopo inthronizatur. Vbi Ecclesiam beati Cyriaci, quæ appellatur Niuhusen, à fundamentis exstruens, armarium huius loci ex parte euacuauit, & in vtriusque Ecclesiæ regimine annis XVII. expletis diem clausit extremum.

SVB hoc tempore præfatus Rex LVDOVVICVS illustri Comiti VVerinhero prædia sua in villis Bibifloz & VVadtinheim sitis in eodem pago Rhenense super fluuium VVisgoz, & villam Zullestein sitam in ripa fluminis Rheni, cum portu & omni integritate sua, regia auctoritate tradidit. Quæ mox idem VVerinherus Laureshamensi Monasterio assignauit, & ad dies vitæ suæ in precariam accepit. Ipse etiam in Ecclesia, quæ dicitur Varia, sepultus est. C

Bibles.

TANTIS igitur & tam magnificis Regum donationibus, atque fidelium Dei multimodis oblationibus, cùm iam Laureshamense Monasterium quàm maximè dilataretur, & per omnes ferè Teutonici Regni prouincias copiosis sparsim abundaret possessionibus: Samuel Episcopus & Abba à Regia impetrauit auctoritate, quatinus sibi suisque successoribus liceret pro opportunitate Monasterij legitimam prædiorum commutationem vsque ad menses tres quacumque facere, & possessiones passim dispersas quoquomodo colligere.

855. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLV.

SAMVELI successit EIGELBERTVS ex ipsius Congregationis corpore electus, qui & parentum nobilitate, & vniuersa morum honestate præclarus, annis nouem felici dispensatione creditam sibi rexit Ecclesiam. Cuius rogatu præfatus Rex Ludouuicus Laureshamensi Monasterio concessit, vt vnam nauem per Rhenum fluuium huc illúcque discurrere, & omni tempore transmeare, & ad portum VVormaciam ciuitatem absque vllo theloneo peruenire, ob vtilitatem & necessitatem Monasterij liceret; & vt nullus Episcopus vel Abbas, nec Abbatissa, neque Comes, aut Vicarius, seu Centenarius, aut Clusarius, nec Pontonarius, neque vllus Iudex seu aliqua potestas vllam eis hoc nomine molestiam aut calumniam facere præsumat.

A Anno Dominicæ Incarnationis dccclxv. 865.

Post Eigilbertum Thiodroch Abbas subrogatur, qui nouit & conseruis mensuram tritici erogare, & in augmentatione Dominici gregis gaudere. Hic Ecclesiam in Obbenheim, & Monasterium in monte Abrahæ*, fundotenus erexit, & xii. annis cursu consummato coronam accepit iustitiæ. *Abrinsberg

Svb hoc Patre prædictus Palatij Comes Ansfridus prædium suum in Geizefurt, aliásque res proprietatis suæ à Ludovvico Rege sibi traditas, & quicquid habebat in pago Darnon, in marcha vel villa Sodoia, quæ sita est super fluuium Geldium, in Comitatu Giselberti, Sancto Nazario contulit.

Lvdovvico Rege fratre Lotharij Imperatoris & Karoli, qui (vt suprà dictum est) in diuisione Regni Orientalem Franciam sortitus est, rebus humanis exempto, successerunt filij eius, Karlomannus videlicet pater Arnolfi Imp. & Karolus postea Imperator, atque Ludouuicus III. Qui vbi patrem in Laureshamensi Monasterio tumulauit, paternæ statim benignitatis & liberalitatis erga idem Monasterium induit affectum. Nam anno Dominicæ Incarnationis dccclxxv. Thiotroho Abbate defuncto, sub Babone, qui eidem succedens præfatum locum vi. annis gubernauit, præmemorato VVerinhero Comiti prædium suum in VVinenheim tradidit, & per ipsum in ius & dominium Sancti Nazarij transfudit. 875.

Anno Dominicæ Incarnationis dccclxxxi. 881.

B Post Babonem VValtarivs Abbas subrogatus, duobus annis eidem loco præfuit. Sub quo idem Rex Ludouuicus prædium suum nominatum Aberinesberg, in pago Lobodengouue, quem antea coniugi suæ Liutgardi præstitum habebat, cum ædificiis & pertinentiis omnibus, Sancto Nazario contulit.

Lvdovvico Rege Germaniæ filio Ludouuici defuncto, & iuxta patrem apud Laurespham in Ecclesia, quæ dicitur Varia, quam ipse huius rei gratiâ construxerat, sepulto, Karolvs frater eius à Iohanne Papa Imperator ordinatus, paternæ fraternæque pietatis erga ipsum suum locum imitator enituit, & exemplo antecessorum suorum priuilegium libertatis & de electione Abbatis eidem Monasterio confirmauit.

Anno Dominicæ Incarnationis dccclxxxiii. 883.

VValthario Gerhardvs Abbas vir nobilis & strenuus successit, & x. annis eiusdem loci regimen tenuit. Sub quo etiam idem Imperator Karolus prædium suum in villa Alaheshcim, in pago nuncupato VVormasfeld, in Comitatu VValonis, Sancto Nazario tradidit.

Karolvs multis in Imperio emergentibus malis animo & corpore deficiens, Optimatibus Regni ad supradictum Arnolfvm, Karlomanni fratris sui filium, Ducem Carinthiæ, certatim transeuntibus, Regno deiicitur, & miseranda rerum facie, Imperator post Karolum Magnum nulli postponendus, egenus efficitur: adeò vt desperatis rebus non iam de Regno, sed de victu cogitans, ab Arnoldo subsidia vitæ præsentis exposceret. A quo aliquos in Alemannia fiscos veluti pro stipe consecutus, non multò post in Augea Insula diem clausit extremum. Post hunc ditionis eius Regna soluuntur à sua compage, dum quisque de suis nititur Regem creare. Quod quodam præsagio videtur accidisse. Nam Regum genealogia cœlitus prouisa secundis exuberabat successibus, donec in Karolo Magno non solùm Regnum Francorum, sed & Imperij Romani summum obtineret fastigium. Post cuius discessum eodem quo accesserat modo cœpit fortuna diffluere, donec ex defectu Regiæ stirpis solus hic inueniretur Regno Francorum gubernando idoneus, & Regalis prosapia à beato Arnolfo Duce & Episcopo prodiens, in hoc Arnolfo Duce & Imperatore quasi progressus sui penultimum limitem acciperet. quod in Chronicis pleniùs reperitur.

C Hic igitur Arnolfvs auitæ patruelisque pietatis exemplo erga Laureshamense Monasterium munificus admodum extitit: cui initio libertatis & immunitatis priuilegium dedit. Deinde quasdam res proprietatis suæ in Comitatu VVormaciensi, in Roccheshemero marcha, & Insulam vnam quæ nominatur Sigenvvort, iacentem in ripa Rheni, & in Comitatu Lobodenense, in villa Sunthoue, Sigolfo tunc temporis Laureshamensi Præposito tradidit. Idem fiscum proprij iuris sui nominatum Bruochmagat, in Elisatia, ad Sanctum Nazarium donauit. Roxheim. Sant. euen. Bru mat.

ANNO Dominicæ Incarnationis......

DEFVNCTO Gerhardo Abbate, Fratribus eiusdem Monasterij de quibusdam insolentiis apud Arnolfum iam tunc Imperatorem accusatis, & ob hoc ab electione Abbatis interim suspensis, Adelbero Augustensis Episcopus, vir magnæ in Christo grauitatis & reuerentiæ, dispensatoriè per Imperatorem ibidem instituitur. Qui post annos quinque Religionis vigore reformato, postposito omni seculari honore & commodo, quod indè consequi potuit, malens in cœlestibus thesaurizare, Monasterij curam vltrò resignauit; Fratribúsque eligendi Abbatis pristinam libertatem Imperiali auctoritate redintegrauit, quamdiu talem illic inuenire possint, qui scientiâ & morum honestate talis sit, vt tantam Congregationem queat & sciat regere, & regali dignitati iusta obsequia præbere.

895. LIVTHERVS itaque anno Dominicæ Incarnationis DCCCXCV. strenuus sanctæ Religionis amator, & morum vitæque probitate laudabilis in Abbatem eligitur: nec multò pôst in Episcopalem gradum apud Mindonensem Ecclesiam prouehitur: vnâque regiminis virgâ vtraque detinuit loca. Sub quo præfatus Adelbero Episcopus ius suum, quod in loco, qui dicitur Kerenesheim, in pago Rhenense, per Imperialis Præcepti confirmationem habebat, promptissima voluntate cum manu Aduocati sui Herigeri Sancto Nazario cum omni integritate tradidit: & vicissim per precariam complacitationis, & causâ familiaritatis res quasdam, nimirum Ecclesiolam infra ipsum Monasterium sitam, in qua reliquias sanctæ Dei genitricis Mariæ, & sanctæ Afræ beatissimæ Martyris Christi, & sancti Magni eximij Confessoris Christi, reconditas habebat, cum mansiunculis & ceteris necessariis, hortis & pratis, cúmque duabus seruilibus præbendis, & vna monachica sibimetipsi præbenda, insuper villam VVinenheim, & Birkenouua, & Gunnenbach, & Lieberesbach, & Liutereshusen, Scarram, & Bibiloz, cum pertinentiis suis, de Abbate Laureshamensi & Fratribus, cum manibus Aduocatorum eorum Adaluvvini & Bennilini, ad dies vitæ suæ potestatiuè ac securiter & quietè obtinendas & fruendas, per precariam suscepit.

Gernsheim.

ARNOLFO Imperatori successit filius LVDOVVICVS, Zundeboldo fratre eius apud Mosam interfecto ab hostibus: Adelberone supradicto Augustensi Episcopo adhuc viuente, & Liuthero in Abbatem nondum electo, sed Hattone Magontinæ Sedis Archiepiscopo Laureshamensis Cœnobij curam per regiam institutionem gubernante. Siquidem inter Gerhardum & Liutherum Abbates Adelbero Episcopus annis V. Hatto Episcopus annis XIII. ordine dispensatorio eidem loco præfuerunt: donec ipsis Fratribus sub CVNRADO Rege plenaria electionis libertas restituta est, à quo etiam Liutherus ex Fratrum electione Abbatiâ inuestitutus est. Iste itaque Rex Ludouuicus ex petitione eiusdem Adalberonis fidelis & intentissimi nutritoris sui, quasdam res proprietatis suæ in pago Lobotingouue, in Comitatu LIVTFRIDI constitutas, quas quidam homines, Helmerich videlicet faber, & Engilbrecht forestarius, in locis Sunthoue & Scara nuncupatis ad dies vitæ suæ fruendas possidebant, Sigolfo Monacho tunc ipsius Monasterij Præposito, & per ipsum Sancto Nazario tradidit.

PER idem fermè tempus Hatto Maguntinæ Sedis Archiepiscopus, iam tunc Laureshamensi Cœnobio vice Abbatis præsidens, commutationem prædiorum cum Reginbodone ingenuo viro fecit, dans ei de partibus Sancti Nazarij in pago Glemisgouue, in villa vel marcha Hirslanda, & in Dicingon, & in Geringon, quæ loca iacent in Comitatu GOZBERTI Comitis: & in pago Enrichgouue in villa vel marcha Audinesheim, & in Rutgesingon, & iacent in Comitatu VVALAHI Comitis: & ab eo accipiens indominicatam curtem, quam ille propter suum seruicium & interuentum aliorum fidelium à Rege in proprietatem acquisierat, sitam in pago Lobodenense in Comitatu LIVTFRIDI Comitis, nuncupatam Virnunheim, cum mancipiis, syluis, & omnibus vtilitatibus suis. Quam traditionem & commutationem HLVDOVVICVS Rex rogatu eiusdem Archiepiscopi & Abbatis suæ auctoritatis Præcepto confirmauit.

PRÆTEREA matrona quædam illustris CVNIGVND nomine res proprietatis suæ in villis Niuuenheim, Strazheim, atque in VVestheim, Sancto Nazario tradidit, quas à præfato Archiepiscopo & Abbate cum aliis rebus Sancti Nazarij, de Monasterio Sanctimonialium cognomento Rothaha, in precariam accepit.

A IDEM quoque Archiepiscopus Hatto prædium Riamnas, in Rhætia Curiense, quod Arnolfus Imperator Ratperto donauerat, per concambium Sancto Nazario adtraxit: dando illi vicissim quicquid Monasterium in locis VVilheim, Pistinga, & Hosinga, habuerat.

POST Ludouuicum KAROLVS Occidentale Regnum adeptus est. Nam antea Galliarum populus cum consensu Arnolfi Imperatoris incursu crebro Northmannorum compulsus, VDONEM Ducem Regem elegit, qui eis contra Northmannos propugnator indefessus extitit: atque ita deinceps ab hoc Regno Galliarum facta discessio est. Vdone mortuo, successit KAROLVS. In horum Karolorum decessu in vtriusque Regni fastigio Karolorum illa celsa progenies facta est de medio: quæ à primo anno Pipini Regis Francorum vsque ad obitum istorum in regia dignitate claruit annis CLXXIII. CVNRADVS verò frater Eberhardi Marchionis Orientalis, Regni partem circa Rhenum tenuit. Qui etiam Laureshamensi Monasterio libertatis & immunitatis priuilegium contulit, & libertatem eligendi Abbatis Fratribus Cœnobij redintegrauit, ex quorum electione LIVTHERVS Abbatiâ ab illo inuestitus est.

HVIVS Regis vxor CHVNEGVNDA locum proprietatis suæ Ginga appellatum, cum omni iure Regalíque Præcepto Sancto Nazario tradidit: atque ibidem in Ecclesia, quæ dicitur Varia, se tumulari præcepit. Ipse quoque prædia sua in VVattenheim, & VVirnheim in pago Rinicgouue, in Comitatu VTONIS, quæ Capellanus eius VVerinolf in beneficium concessa tenebat, post obitum illius ad Monasterium donauit. Regnauit annis VI. *Giengen* B

POST Cunradum Regem generali Principum habito Conuentu, HEINRICVS cognomento Saxo filius Ottonis Ducis Saxonici in Regnum sublimatur: ex quo diua Ottonum genealogia processit. Hic contra RVTPERTVM Regem Gallicanæ Franciæ prœliis multis terminos Regni Lotharici, sicut hactenus conseruantur, obtinuit: & tam Vngariorum quàm Sclauorum Burgundionúmque, cum quibus sæpè conflixit, & semper vicit, bellicis impeditus tumultibus Imperator non est ordinatus. Regnauit annis XVI.

* * *

 A

CHRONICON HILDENSHEIMENSE.

Ab anno Incarnationis Domini DCCXIV. ad annum vsque M.C.XXXVIII.

Ex Codice membraneo Bibliothecæ Regiæ.

Chronici huius non vnicus, sed duo saltem, aut plures extiterunt Auctores. Qui incœpit, Monachus fuisse videtur Cœnobij S. Nazarij ad Rhenum, quod & Laureshamense dicitur, vt patet ex iis quæ referuntur ad annum 764. & deinceps. Maxima verò pars in Ecclesia, seu Monasterio, ciuitatis HILDENSHEIMENSIS *postea fuit addita, quæ & ferè tota de rebus est Germanicis.* B

PIPINVS Dux filius Anschisi post mortem VVlfaldi Ducis cœpit regnare, anno Sergij Papæ sui Pontificatus II. hoc est anno
688. Dominicæ Incarnationis DCLXXXVIII. Obtinuitque Regnum Francorum per annos XXVII. Moritur anno II. Anastasij Impera-
714. toris, qui est ab Incarnatione Domini annus DCCXIV. Huius Pippini ex Alpheida filius Karolus.

KAROLVS MARTELLVS.

AN. I. KAROLVS regnauit ann. XXVIII. Hic auxilio Dei de custodia, qua tenebatur à Plicthrude matrona relicta Pippini, liberatur. qui primo certamine aduersus Ratbodum Regem Fresonum congreditur. In quo dum fortiter dimicat, plurimum exercitus sui damnum consequitur.

II. RAGINFRIDVS Maior Domus & Hilphricus Rex Coloniam cum exercitu adeunt, & regiones illas, quæ contiguæ Rheno sunt, vastantes, acceptisque muneribus à Plicthrude redeunt, atque indè abeuntibus Karolus cum exercitu occurrit in loco qui dicitur Amblaua.

III. SEQVENTI anno Reginfridus & Hilphricus Rex bellum Karolo parant, in loco nuncupante Vinciaco, die Dominico ante Pascha. In quo prœlio vires Francorum ceciderunt. Hilphricus Rex & Reginfridus terga vertunt, insequitúrque eos Karolus vsque Parrisius, Indè victor rediens, Coloniam petit. C

IV. RECEPTISQVE à Plicthrude thesauris patris sui, Regem sibi constituit HLOTHARIVM nomine, non potestate. Hilphricus & Reginfridus auxilium postulant EVDONI Ducis Aquitanorum. Aduersus quos Karolus pergens, hostes in fugam compulit.

V. MORTVO Hlothario Rege, Karolus ad Eudonem mittit, & Hilphricum Regem per Legatos recipit. Quo non post multum temporis mortuo, THEODRICVM Regem in sedem Regni statuunt.

VI. KAROLVS Raginfridum persequitur, Andegauis ciuitatem capit.

VII. KAROLVS Saxones vastando, victor regreditur.

VIII. KAROLVS Alamannos & Baioarios armis subegit.

IX. PER idem tempus Eudo pacis iuratæ merare * nititur.

* locus corruptus. KAROLVS transito Ligere Eudonem in fugam vertit, vastata regione.

X. EVDO Sarracenos in auxilium sui ascisit. qui venientes cum Rege suo Abdirama transeunt Garunnam, Burdigalam vsque perueniunt: cuncta vastantes, Ec-

XI. clesias igne cremantes. Pictauis Basilicam sancti Hilarij incendunt.

XII. CONTRA quos Karolus auxilio Dei fretus, Sarracenorum infinitam multitudinem

A tudinem simul cum Rege eorum prostrauit, deuictisque hostibus cum triumpho regreditur. CAROLVS MARTELLVS.

KAROLVS Burgundiam petens, Lugdunum & ciuitates reliquas suæ ditioni subegit. Beda Presbyter moritur anno DCCXXX. Incarnationis Domini. XIII. 730.

EVDO Dux hac tempestate moritur. Quo mortuo Karlus Aquitaniæ regionem absque bello recipit. XIV.

KARLVS nauali euectione Fresonum Regnum penetrauit. Interfectis Fresonibus, Popponem Ducem interemit, lucos & fana subuertit, victor cum præda magna reuertitur. XV.

SARRACENI collecta manu valida Auinnionem vrbem capiunt, regiones circumquaque vastantes. XVI.

ADVERSVS quos Karolus arma arripiens, ad prædictam vrbem occurrit. Ciuitas obsidione vallata machinis instructis capitur, magnáque strages hostium efficitur. XVII.

KAROLVS Gothorum fines penetrauit, Narbonam obsedit, Rege Sarracenorum Athima intus incluso. XVIII.

SARRACENI in Hispania qui commorabantur in vicinia hæc audientes, armati cum Rege suo occurrunt. XIX.

CONTRA quos Karolus dimicans, Regem cum populo suo interfecit. Qui gladium euadere poterant, ascensis nauibus in mare demersi sunt. XX.

B FRANCIS super eos cum nauibus & iaculis infestantibus. Sicque Franci de hostibus triumphantes, prædam magnam, & captiuorum multitudinem capiunt. XXI.

REGIONEM Gothiam, vrbésque famosissimas, Nemausum, Agatem, & reliquas capiunt, destructis mœniis vsque ad fundamenta. XXII.

KAROLVS tributarios fecit Saxones. XXIII.

KAROLVS in regionem Prouinciæ ingreditur. Fugato Duce Mauronto, qui Sarracenos per dolum iamdudum inuitauerat, cunctam Prouinciam, & maritima illa loca suæ ditioni subegit, & Frexones. XXIV.

KAROLVS Gothis superatis, Saxonibus subactis, Sarracenis repulsis, Prouinciis receptis, Regnum Francorum feliciter possidens, moritur in villa publica VVrembria, anno DCCXLI. Incarnationis Dominicæ. Post quem duo liberi eius regnant annis XXVII. XXV. 741. XXVI.

CARLOMANNVS cum fratre PIPPINO regnauit ann. VII. PIPPINVS.

CARLOMANNVS & Pippinus HVNOLDVM res nouas molientem opprimunt, & in ipso itinere Regnum inter se quid quisque haberet diuidunt.

PER idem tempus rebellante Theotbaldo, Carlomannus vastauit Alamaniam.

CARLOMANNVS & Pippinus in Baioariam exercitum ducunt aduersus Vcdilonem.

CARLOMANNVS aduersus Saxones dimicat, & castrum Onseburg capit.

BONEFACIVS vir sanctus de genere Anglorum, Legatus Germanicus Romanæ Ecclesiæ, Maguncíacæ ciuitatis Episcopus ordinatur. Qui prædicatione sua C multos populos Thuringorum, Hessorum, necnon & Austrasiorum, ad fidem rectam, & Christianam Religionem, à qua diu aberrauerant, conuertit. Sed & Monasteria Monachorum ac Virginum primus in partibus Austriæ exorsus est. Ipse in castro VVirziburg sedem Episcopalem constituens, annuente Carlomanno, & auctoritate Apostolici Papæ.

BVRCHARDVS collega Bonifacij VVirziburgæ ordinatur Episcopus. VVillibaldus in Eichsteti Episcopus constituitur.

CARLOMANNVS Regnum temporale pro æterno Regno despiciens, fratri Regnum dereliquit, & Romam ad limina beatorum Apostolorum deuotus peruenit, ibique tonsoratus Religionis habitum suscepit, & in Serapte monte Monasterium ædificauit. & non post multum in Monasterio Sancti Benedicti Monachus efficitur.

GRIPHO frater Pippini in Saxoniam aufugit.

PIPPINVS cùm iam per annos VII. regnaret, regnat postea ann. XX.

PIPPINVS in Saxoniam per Thuringiam ingreditur. Saxones cum Griphone adunati super fluuium Hobachar, in loco qui dicitur Horoheim, Griphonem cum Pippino pacificare cupiunt.

IDEM Gripho non credens se Saxonibus, neque Francis, de Saxonia Baioa-

PIPPIN I. riam petit. Baioaros & HILTRVDEM sororem Pippini cum Tassilone filio paruulo adquisiuit. A

PIPPINVS in Baioariam pergens, Griphonem & Lantfridum indè educit. Tassilonem Ducem constituit ibidem.

GRIPHONI partibus Neustriæ XII. Comitatus dedit. Gripho verò nec se ibidem credens, ad VVEIFERIVM Ducem Aquitaniæ se contulit.

750. ANNO DCCL. Incarnationis Dominicæ mittit Pippinus Legatos Romam ad Zachariam Papam, vt interrogarent de Regibus Francorum, qui ex stirpe Regia erant, & Reges appellabantur, nullámque potestatem in Regno habebant, nisi tantùm quòd Cartæ & Priuilegia in nomine eorum conscribebantur: potestatem verò Regiam penitus nullam habebant, sed quod Maior Domus Francorum volebat hoc faciebant. In die autem Marcis campo secundum antiquam consuetudinem dona illis Regibus à populo offerebantur, & ipse Rex sedebat in sella regia circumstante exercitu, & Maiore Domus coram eo. Præcipiebátque die illo quicquid à Francis decretum erat. die verò alia & deinceps domi sedebat. Zacharias igitur Papa secundum auctoritatem Apostolicam ad interrogationem eorum respondit: » Melius atque vtilius sibi videri, vt ille Rex nominaretur, & esset, qui potestatem in Regno habebat, quàm ille qui falsò Rex appellabatur. Mandauit itaque præfatus Pontifex Regi & populo Francorum, vt Pippinus, qui potestate regia vtebatur, Rex appellaretur, & in sede regali constitueretur. Quod ita & factum est per vnctionem sancti Bonifacij Archiepiscopi Suessionis ciuitate. Appellatur Pippinus Rex, & HILDERICVS, qui falsò Rex appellabatur, tonsoratus in Monasterium mittitur. B

PIPPINVS Rex Saxoniam pergit. Hildegarius Episcopus Coloniensis à Saxonibus interimitur.

GRIPHO Italiam cupiens penetrare, à Theodoino Comite in valle Moriemna opprimitur: idémque Theodoinus in ipso certamine occiditur.

PER idem tempus Stephanus Papa Romanus venit ad Pippinum Regem, postulans adiutorium & defensionem aduersus Heistulfum Regem, eò quòd res sancti Petri abstulerat, & deprædationes multas Langobardi faciebant.

STEPHANVS Papa vnxit duos filios Pippini in Reges, CARLVM & CARLMANNVM.

BONIFACIVS Archiepiscopus euangelizans genti Fresonum verbum Dei
755. martyrio coronatur anno DCCLV. Qui sedit in Episcopatu ann. XIII. Post quem Lullus Episcopus ann. XXXII.

PIPPINVS in Italiam ingreditur, iustitiam sancti Petri ad perquirendum. Heistulfum sibi in bello occurrentem superat. Heistulfus fugâ lapsus Papiæ includitur, datis obsidibus XL. sacramento constrictus res sancti Petri restituit. C

STEPHANVS Papa Romam reuertitur. Karlomannus Monachus in Franciam fratrem visitare veniens, Viennæ moritur. Pippinus in Italiam proficiscitur, Heistulfum Papiæ inclusum obsedit, & vt res sancti Petri redderet sacramento constringit. Heistulfus in venatione equo lapsus, Regnum cum vita perdidit. Pippinus Saxones bello superat, equos CCC. reddere in tributum promittunt, & restitutionem quid iniustè abstulerunt.

PIPPINVS VVeiferium Ducem in Aquitania Ecclesiarum iustitias facere renuentem, coegit promittere emendationem.

VVEIFERVS sacramenta mentitus, vastando & depulando vsque Cauillonem peruenit. Pippinus cum Carlo filio exercitum ex aduerso mouet, castella & ciuitates pugnando capit. Burbone, Cantela, Clarmonte, aliæque quamplurimæ eius dominatui se subiciunt. Deinde Beturicam expugnat. Tassilo de exercitu Regis se
764. subducens, Baioariam petit. Facta est hiems valida anno DCCLXIV.

HRVOTGANGVS Metensis vrbis Archiepiscopus postulauit à Paulo corpora sanctorum Martyrum Gorgonij, Naboris, & Nazarij, & impetrauit, adduxitque ab vrbe Roma cum honore. Et condidit sanctum Gorgonium in Monasterio suo, quod ipse à nouo ædificauerat, cui vocabulum est Gorzia: sanctum Naborem in Monasterio alio, qui dicitur Noua-Cella: sanctum verò Nazarium in Monasterio nostro Lauresham. vbi in præfatis locis multis miraculis clarescunt.

PIPPINVS omnem Aquitaniam peragrando suæ ditioni subdit, nec tamen vt

A volüit VVeiferium capit. sed ille semper vastationi & fugæ intentus, donec dolo VVaratonis interemptus, & fugæ & tyrannidi finem dedit. CAROLVS MAGNVS.

PIPPINVS ab Aquitania regrediens, ad sanctum Dionysium VIII. Kal. Octob. diem obiit, ætatis LIV.

CAROLVS cum CARLOMANNO fratre regnat ann. III. I.

CAROLVS cum Carlomanno fratre suo HVNOLDVM in Aquitania rebellantem capiunt. II.

CARLOMANNVS Rex obiit villa Salmuntiaco, sepelitur Remis. III.

CAROLVS in Saxonia castrum Heresburg expugnat, fanum & lucum eorum famosum Yrminsul subuertit. IV.

INTEREA cùm exercitus siti fatigaretur præ siccitate, subitò in quodam torrente media die diuinitus aquæ largissimæ effusæ sunt. Saxones ad Regem super VVisaram venientes, obsidibus datis, pacem rogant. V.

CAROLVS inuitante Adriano Pontifice Romano Italiam ingreditur. Desiderius Rex obsistere nititur, Clausis Alpium obseratis obuiam pergit. Franci Clausas reserant, Desiderius Papiæ includitur. VI.

CAROLVS ciuitatem Papiam obsedit, nullum ingredi vel egredi permittit. Interim Carolus orationis causa ad limina sancti Petri pergit. Adrianus Papa gaudens cum magna gloria Regem aduenientem suscipit. Diem sanctum Paschæ solemniter celebrat, & cum lætitia Regem prosequitur. Reuertente Carolo Rege à Roma, Langobardi obsidionem pertæsi, ciuitate cum Desiderio Rege egrediuntur ad Regem. Rex verò alia die cum hymnis & laudibus ingrediens, thesauros regios ibidem repertos dedit exercitui suo. & cunctum Italiæ Regnum adeptus, regreditur in Franciam, adducens secum Desiderium, & coniugem eius ac familiam. Adalgisus filius eius fugâ lapsus, per mare Constantinopolim venit. VII. B

CAROLVS ab Italia regrediens, dedicationem Ecclesiæ Sancti Nazarij, & translationem corporis ipsius in Monasterio Lauresham celebrat anno Incarnationis Dominicæ DCCLXXIV. die Kal. Septembris. Carolus Saxonibus vastatis Heresburg castella capit, custodibus ibidem dimissis reuertitur in Franciam. VIII. 774.

CAROLVS in Italia Hruotgaudum tyrannidem molientem interimit. IX.

SAXONES post multas cædes & varia bella afflicti, non valentes resistere, tandem Christiani effecti Francorum ditioni subduntur. X.

CAROLVS contra Saracenos Pampalonem ciuitatem capit. Abitaurus Saracenorum Rex dedit obsides fratrem suum, & filium. reddit ciuitates quas tenebat. Inde proficiscitur ad Cæsar-Augustam, adducit secum ibi Inlarbi Regem Saracenorũ. XI.

VVITHVCHINGVS Saxo tyrannidem molitur. Saxones rebellioni insistunt, strages & incendia in Franciam vsque in Hrenum peragunt. Carolus ex itinere Hispanorum regrediens, exercitum obuiam mittit, Saxones in fugam vertit. XII.

C CAROLVS Saxones opprimit, & aduersantes sibi Dei auxilio superat. XIII.

CAROLVS Romam denuò adiens, Adrianus Papa PIPPINVM filium Regis baptizauit, & à sacro fonte suscepit, & Regem super Italiam vnxit. Similiter & HLVDOVVICVM fratrem eius super Aquitaniam. Celebrántque Pascha Domini cum magna gloria. XIV.

CAROLVS Rex Tassilonem Ducem ad se accersiuit VVormaciam. XV.

TASSILO promittit fidem seruare Regi cum iureiurando. quem dimittit Rex honorificè, & imperat sibi obsides mitti. quod ita & fecit. XVI.

VVITHVCHINGVS Saxo post multam tyrannidem peractam in semet reuertitur, venit ad Regem, fidelis effectus baptizatur. XVII.

PER idem tempus multa signa apparuerunt, inter quæ signum Crucis in vestimentis hominum frequentissimè apparuit. Sanguis è terra ac de cœlo perhibetur fluxisse. XVIII.

CAROLVS Romam adueniens, Haragisus Dux Beneuentanus mittens filium suum Rumaldum Regi, & munera, vt in terram suam ne intraret, & quidquid imperaret faceret. Quod Apostolicus audiens, non credidit, neque Franci. Sed persuasit Regem proficisci in terram Beneuenti. Haragisus relinquens Capuam ciuitatem, in Salerno concluditur. Mittit Regi munera, & Grimoldum filium suum, & XII. obsides. obtinuit vt terra illa non vastaretur. Carolus Romam remeans, Tassilonis Legati postulant Adrianũ, vt pacem inter illum & Regem faceret. Quod XIX.

CAROLVS MAGNVS. Rex libenter annuit, si hoc faceret quod Pippino Regi cum iuramento patri suo promiserat, & denuò ipse & filius sub iureiurando firmauerat. Quod renuentes Legati Tassilonis, Adrianus Papa eum sub anathematis vinculo constringit, si aliter facere vellet. Tassilo promisit, & postea fefellit, & ad Regem venire contemnit. Karolus pergit Baioariam, Tassilonem ex omni parte cum exercitu concludit. Qui coactus venit ad Regem, renouat sacramenta, dedit obsides, & Theodonem filium suum. permittitur ei habere Ducatum. Qui postea conuictus iterum de infidelitate, eicitur de Principatu, & in Monasterio tonsoratur. A

XXI. KAROLVS Sclauorum gentem, qui dicuntur VVilzi, trans fluuium Helbia ditioni suæ subegit.

XXII. KAROLVS Auarorum gentem subegit armis.

XXIII. SAXONES iterum ad idolatriam reuertuntur.

XXIV. HAC tempestate filius Regis PIPPINVS ex concubina Himildruda cum aliquibus Comitibus Francorum consiliatus, vt Regem interficeret, & loco eius regnaret. Quo comperto, Rex Pippinum iussit tonsorari, & ceteros eius consentaneos diuersis mortibus interfici.

XXV. KAROLVS dirigit filios suos Pippinum & Hludouuicum in Beneuentum cum exercitu. Factáque est fames valida, ita vt nec in Quadragesima à carnibus abstineretur. Per idem tempus Synodus congregatur ad Franconofurt propter Felicem. B

XXVI. KAROLVS in Saxoniam pergens Saxones obtinuit, & tertium de eis hominem in Franciam educens collocauit. His temporibus Alcuinus Rethor Britannicus, Diaconus, & Abbas Monasterij Sancti Martini, sanctitate & doctrinâ clarus habetur. Adrianus Papa obiit. cui succedit Leo XCVIII.

XXVII. HVNORVM Legatio ad Regem veniens, thesauros adducunt. quos Rex Optimatibus suis distribuit, Legatos abire permittit.

XXVIII. PIPPINVS Rex Italiæ Pannoniam pergit.

XXIX. KAROLVS in Saxoniam Francos conlocat, Saxones indè educunt cum vxoribus & liberis, id est tertium hominem.

XXX. KAROLVS iterum in Saxoniam pergit.

XXXI. PER idem tempus Romani Leonem Papam de Pontificatu eiciunt, oculos eruere moliuntur, linguam abscindunt, in custodiam retrudunt. Vnde per Albinum Cubicularium noctu per murum in fune deponitur. ad VVinigisum Ducem Spolitanum, qui circa vrbem cum exercitu consederat, peruenit. Qui curam ei adhibuit, & in Saxoniam ad Regem dirigit. A quo honorificè susceptus, in Sedem Apostolicam Leonem restituit, Romanos qui hanc tyrannidem exercuerant in exilium mittit.

XXXII. KAROLVS Romam pergit. Leo Papa ante diem Natalis Domini tertium de omnibus quæ à populo Romano ei obiciebantur, coram Rege & populo Francorũ dato sacramento purificatur. Et in die Natalis Domini ante Missarum solemnia in Ecclesia sancti Petri coram sacratissimum corpus eius Coronam Imperialem capiti Regis Leone Pontifice imponente, ab ipso Pontifice, & ab omni populo Romano C

800. atque Francorum Augustus appellatur, anno Incarnationis Dominicæ DCCC.

XXXIII. LEGATIO Græcorum ad Augustum veniens pacem petit.

XXXIV. AMVRMVMVLVS Saracenorum elefantum vnum cum aliis muneribus preciosis dirigit. Paulinus Patriarcha Foroiuliensis obiit.

XXXV. ITEM Legatio Græcorum simul cum Legatis Imperatoris Karoli, quos direxerat in Græciam, ad villam regiam quæ dicitur Salz venit. Imperator autem pergit in Baioariam. Ibi venit Legatio Auarorum omnem Terram Imperij sui sub ditione Imperatoris Caroli subdunt.

XXXVI. CAROLVS Imperator Saxones absque bello à propriis finibus expulsos in Francia collocat. Alcuinus XIV. Cal. Maij obiit. & RICBOTO eodem anno moritur.

XXXVII. LEO Papa iterum in Franciam venit.

XXXVIII. IMPERATOR Carolus inter filios suos, id est Carolum, Pippinum, Hludouuicum, diuidit Regnum.

XXXIX. GRIMOLDVS Dux Beneuentanus moritur. & mortalitas maxima in Monasterio Sancti Bonifacij, ita vt Fratrum iuniorum plurimi morerentur.

A ET KAROLVS filius Imperatoris Karoli perrexit cum exercitu Francorum in VVinidos vltra flumen Albiam. Sed tamen eo tempore non prosperatus est transitus eius, sed & plurimi Francorum occisi sunt. CAROLVS MAGNVS. XL.

IMPERATOR ad Aquis totum annum sedit. & Richolfus ad Monasterium nostrum Fuldâ, id est Sancti Bonifacij, missus est, Abbatis & Fratrum causâ. & Ecclesia Sanctæ Mariæ in monte dedicata. Imperator venit in Saxoniam. Eclypsis Solis II. Kal. Octob. XLI.

MORTALITAS boum maxima penè in tota Europa, necnon & hominum plurimorum. & Hrothruda filia Imperatoris mortua est, & Pippinus filius eius. XLII.

HIEMS fuit durissima, perdurans vsque ad finem Marcij mensis. & duo filij Imperatoris, id est Pippinus Monachus, & Carolus, mortui. XLIII.

FACTA est conturbatio non minima in Monasterio Sancti Bonifacij, & Fratres XII. ex ipsa familia perrexerunt simul cum Abbate Ratgario ad iudicium Imperatoris Caroli. Nec tamen ita commotio illa quieuit. Sed post Richolfus Archiepiscopus Mogontiacensis, & Bernharius Episcopus ciuitatis VVangionum, & Hatto Episcopus Augustensis, & VVolgarius Episcopus Ecclesiæ VVirzaburg, cum ceteris fidelibus, quasi simul ad illud Placitum conuenerunt iussu Imperatoris, sanauerunt commotionem illam in Monasterio Sancti Bonifacij. XLIV.

ET Placitum magnum in mense Augusto ad Aquis factum est. & Karolus Imperator constituit HLVDOVVICVM filium suum simul imperare cum eo, imponens diadema capiti eius: post Synodum in mense Maij habitam apud Magontiam, in quo præsiderunt Richolfus Archipiscopus, & Hildebaldus Archiepiscopus Coloniensis. XLV. B

KAROLVS Imperator mortuus est Aquis v. Kal. Febr. die sabbati, anno Dominicæ Incarnationis DCCCXIV. Indictione VI. & regnauit HLVDOVVICVS filius eius pro eo. Eo anno Placitum suum cum Francis Imperator Hludouuicus habuit Kal. Augusti mensis. & Legati Græcorum auxilium petebant ab eo contra Bulgares & ceteras barbaras Gentes. Eo tempore Hierosolyma vastata est à Persis, & persecutionem magnam in Orientalibus partibus Christiani habebant. XLVI. 814. LVDOVICVS PIVS. I.

HLVDOVVICVS Imperator suum Placitum cum Francis in Saxonia ad Phaderobrunnen habuit. & illuc venit filius eius HLOTHARIVS Rex Baioariorum, & alius filius eius, id est PIPPINVS, Rex Aquitaniorum: BERNARDVS quoque filius Pippini Rex Langobardorum. & erat illud Placitum Kal. Iulij mensis. II.

ANNO III. Hludouuici factum est Concilium magnum in Aquisgrani in mense Augusto, & præceptum est vt Monachi omnes Cursum sancti Benedicti cantarent ordine regulari. Et duo Codices scripti sunt, vnus de vita Clericorum, & alter de vita Nonnarum. Eo anno Leo Papa obiit, & ordinatus est Stephanus pro eo in Episcopatum Romanæ Ecclesiæ. qui in mense Octimbre venit ad Hludouuicum Imperatorem ciuitatem Remis, & reuersus est in pace. BIEGO de amicis Regis, qui & filiam Imperatoris nomine ELPHEID duxerat vxorem, eo tempore defunctus est. III. C

ANNO IV. Conuentum suum habuit Hludouuicus Imperator cum Francis, in Aquisgrani Palatio mense Iunio, & ieiunio indicto ordinatus est filius HLOTHARIVS in Imperatorem, vt consors Regni fieret cum patre. Eo anno Stephanus Papa decessit, cui successit Paschalis in Pontificatu. IV.

BERNARDVS quoque Rex Italiæ seditionem leuauit contra Imperatorem, & Hludouuicus Augustus Italiam cum exercitu perrexit. V.

ANNO VI. Hludouuici Imperatoris, hoc est anno Dominicæ Incarnationis DCCCXVIII. in Brittannia Mormannum Regem vicit. VI. 818.

IMPERATOR anno VII. regni sui IVDITH filiam VVelphi duxit in vxorem. & Basilica Fuldensis Cœnobij dedicata est. Post hæc annis quatuor requieuit, & nihil historiæ factum est. VII.

ANNO verò XII. regni Imperatoris, hoc est anno DCCCXXIV. Dominicæ Incarnationis, secunda expeditio facta est contra VViomarcum Regem. & Brittanniam vastat. XII. 824.

VVIOMARCVS anno XIII. Imperatoris in domo propria occisus est ab hominibus Landberti. & Heistolfus Archiepiscopus obiit. XIII.

LVDOVICVS PIVS. ANNO XIV. Hludouuici Hiltuuinus Abbas ossa Sancti Sebastiani in Galliam A
translulit.
XIV. XV. IMPERATORIS anno XV. & Incarnationis Dominicæ DCCCXXVII. Sarraceni
827. fines Barcinonensium & Gerundensium vastant.
XIX. ANNO DCCCXXXI. Incarnationis Dominicæ, & XIX. regni Ludouuici, Hun Ab-
831. ba Herfeldensis, & Rabanus Abba Fuldensis, fundamentum Ecclesiæ S. VVigberti fodere cœperunt in VI. Id. Iul. in II. feria.
XX. LVDOVVICVS filius Imperatoris anno regni eius XX. coniurationem fecit contra patrem suum apud Longobardonheim.
XXI. REGNVM Francorum ad Lotharium Imperatorem conuersum est, DCCCXXXIII.
833. anno Incarnationis Dominicæ.
XXII. ANNO XXII. Regni Hludouuici, Pippinus & Ludouuicus frater eius restituerunt patrem suum in Regnum eius.
XXVI. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXXXVIII. regni verò Ludouuici XXVI.
838. iterum coniuratio apud Franconofort Ludouuici iunioris. & conuersum est Regnum ad patrem eius.
XXVII. IMPERATORIS anno XXVII. ventus ingens innumera ædificia subuertit, & multa damna effecta sunt in VI. Non. Nouembris.
XXVIII. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXL. Hludouuicus Imperator insequendo
840. filium venit ad Herolfesfeldi Monasterium in VI. Kal. Aprilis. statimque eodem B
LVDOVICVS R. GERM. anno in XII. Kal. Iulij obiit, regni videlicet ipsius XXVIII. Cui LVDOVVICVS filius eius successit.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXLI. regni verò Ludouuici iunioris II. ADALBERTVS Comes occisus est. & infelix bellum Lotharij contra fratres suos Ludouuicum & Karolum.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXLII. Rabanus Abba Fuldensis Cœnobij expulsus de Monasterio, & Lotharius de Regno Ludouuici.

DCCCXLIII. Hoc anno facta est pax inter Lotharium, & Ludouuicum & Karolum fratres suos.

DCCCXLIV. Lotharius Rex cum Orientalibus Francis venit in Siluiam, & eorum Regem Gestiunulum occidit, ceterósque sibi subegit.

845. DCCCXLV. Hoc anno Monachi de Herosfelfelde cum Otgario Episcopo reconciliati sunt. Et eodem anno Ludouuicus Imperator ad idem Monasterium venit in II. Kal. Nouembris, & Priuilegia & munitates Monachis donauit, & sigillo muniuit.

DCCCXLVI. Ludouuicus filius Ludouuici Pannoniam subegit, & Behemos domum rediens vastauit.

DCCCXLVII. Otger Archiepiscopus obiit. cui Rabanus Abbas Fuldensis successit.

DCCCXLVIII. Ludouuicus apud Mogontiam habito Concilio synodali, ibi Godescalcus hereticus conuictus & damnatus est. C

DCCCXLIX.

850. DCCCL. Hoc anno V. Kal. Nouembris Ecclesia Sancti VVigberti dedicata est à Rabano Mogonciacensis Ecclesiæ Archiepiscopo.

DCCCLI.

DCCCLII.

DCCCLIII.

DCCCLIV.

855. DCCCLV. Ludouuicus Rex cum magno exercitu perrexit contra Ratzidum Regem Marahensium. Et eodem anno Ecclesia sancti Kiliani in VVirziburg fulminibus exusta est. Lutharius Rex tonsuram & Monachicum habitum suscepit moriturus.

DCCCLVI. Rabanus Archiepiscopus obiit. cui Carolus successit.

DCCCLVII. Carolus apud Mogontiam magnam Synodum congregauit.

DCCCLVIII. Ludouuicus filium suum LVDOVVICVM cum magno exercitu misit ad Abotritos.

DCCCLIX. Ludouuicus, Carolus, & Lutharius cum iuramento inuicem pacem firmauerunt.

A DCCCLX.

DCCCLXI. Vdo, Ernust, Bernger, Comites, & VValda Abba, honoribus depositi. LVDOVICVS R GERM. 861.

DCCCLXII. Fames magna & morbus in Germania, & in aliis partibus Europæ.

DCCCLXIII. Karolus Archiepiscopus obiit. cui Luitbertus successit.

DCCCLXIV. Ludouuicus Rex Francorum Ratzidum Regem Marahensium sibi subegit.

DCCCLXV. Subitaneum diluuium, & vehemens grando fruges assumpsit. 865.

DCCCLXVI.

DCCCLXVII. Ventus ingens cum turbine multa ædificia strauit.

DCCCLXVIII. Fames valida & vehemens tam Germaniam quàm ceteras Europæ Prouincias nimium afflixit.

DCCCLXIX. Lutherius Rex à Beneuento reuersus, quò ob fratris sui discordiam Ludouuici perrexit, Romam venit. ibique ab Adriano Papa damnatus, domum rediens cum suis penè omnibus periit. Et eodem anno Thiodo Abba Fuldensis Monasterij depositus, & vir venerabilis & religiosus Sigihart electus est.

DCCCLXX.

DCCCLXXI. Thiodo Abba supradictus obiit. 871.

DCCCLXXII. Æstatis feruor immanis & siccitas nimia totos penè perdidit fructus. plurimæque domus cum hominibus & animalibus fulminibus incensæ & B exustæ sunt. Obiit Adrianus Papa, Ioannes successit. Et eodem anno Indictione v. in Kalend. Nouembris dedicata est Ecclesia SANCTÆ MARIÆ in Hildenesheim à venerabilibus Episcopis, Alfrido eiusdem Ecclesiæ Episcopo, & Rimberto, atque Theodrico, sed & Luithardo, cum interuentione religiosi Abbatis Adalgarij, Monachorúmque, & Canonicorum.

DCCCLXXIII. Fames magna inualuit in Germania, & incredibilis multitudo locustarum venit.

DCCCLXXIV.

DCCCLXXV. Ludouicus Rex obiit anno regni sui XXXV. Alfridus Episcopus obiit. Post Alfridum Ludolfus Monachus Chorepiscopus eligitur, sed subitanea morte aufertur. Post hunc Marcuuardus successit, qui à Sclauis interfectus IV. anno decessit. 875.

DCCCLXXVI. Bellum iuxta Andarnacha inter KAROLVM, & LVDOVVICVM fratris sui Ludouuici filium successorem Regni. LVDOVICVS II. REX GERM.

DCCCLXXVII.

DCCCLXXVIII. Hoc anno eclypsis Solis fiebat.

DCCCLXXIX. Ludouuicus filius Ludouuici obiit anno V. regni sui. cui successit KAROLVS. & eodem anno Karlomannus paralysis morbo periit. CAROLVS CRASSVS.

DCCCLXXX. VVicbertus Episcopus eligitur.

DCCCLXXXI.

C DCCCLXXXII.

DCCCLXXXIII.

DCCCLXXXIV.

DCCCLXXXV. Hoc anno VVlferi Episcopus cũ aliis multis occisus est à Sclauis. 885.

DCCCLXXXVI.

DCCCLXXXVII. Karolus veniens in Triburias, & cùm Placitum haberet post festiuitatem sancti Martini, conspiratione facta aduersus eum Orientales Franci reliquerunt eum, & elegerunt ARNVLFVM in Regem, & Karolus subicitur Arnulfo. ARNVLFVS.

DCCCLXXXVIII. Karolus obiit, & Arnulfus Rex electus.

DCCCLXXXIX.

DCCCXC. Luitbertus Archiepiscopus obiit. cui Sunderolt successit. 890.

DCCCXCI. Sunderolt Archiepiscopus occisus est. cui Hatto successit.

DCCCXCII. Arn Episcopus occisus est.

DCCCXCIII. Factum est bellum magnum inter Bauuarios & Vngarios.

DCCCXCIV.

DCCCXCV.

DCCCXCVI. ARNVLFVS Rex Romam veniens, Imperator factus est.

DCCCXCVII.
DCCCXCVIII.
LVDOVICVS. DCCCXCIX. Arnulfus Imperator obiit. cui LVDOVVICVS filius eius successit. A
DCCCC.
901. DCCCCI. Hardarat Abba obiit. cui Thiotart successit.
DCCCCII. Sclaui vastauerunt Saxoniam.
DCCCCIII. Eberhart, & Adalhart, atque Heinric, occisi sunt.
DCCCCIV.
905. DCCCCV. CHVONRADVS Comes occisus est cum aliis multis.
DCCCCVI. Vngarij vastauerunt Saxoniam.
DCCCCVII. Adalbertus decollatus est à Ludouuico Rege.
DCCCCVIII. Liudboldus Dux cum aliis multis interfectus est ab Vngariis.
DCCCCIX. Burghart Dux Thuringorum occisus est ab Vngariis.
DCCCCX. Ludouuicus Rex pugnauit contra Vngarios.
DCCCCXI. Vngarij vastauerunt Franciam & Thuringiam.
CHVONRADVS. DCCCCXII. Ludouuicus Rex obiit. cui CHVONRADVS Dux Francorum in Regnum successit.
DCCCCXIII.
DCCCCXIV. Otto Comes Saxonicus obiit.
DCCCCXV. Vngarij vastantes omnia venerunt vsque ad Fuldam. B
DCCCCXVI.
DCCCCXVII.
DCCCCXVIII.
919. DCCCCXIX. Kuonradus Rex obiit, & HENRICVS Saxonicus successit in Regnum.
HENRICVS. DCCCCXX.
DCCCCXXI.
DCCCCXXII.
DCCCCXXIII. Haicho Abbas obiit, & Hildibrat electus est.
DCCCCXXIV. Herigerus Archiepiscopus cessit. Hildibertus successit.
DCCCCXXV.
DCCCCXXVI.
DCCCCXXVII. Turris Grandesheim dedicata est à Schardo Episcopo. Thiothart iunior Abba electus est cum consensu senioris. Rothsuit Grandesheim Abba obiit. Cui VVildigrat mediante Schardo Episcopo successit.
DCCCCXXVIII. Idem Thiothart iunior Episcopus ordinatus est post Schardum, & Burghart Abba electus.
DCCCCXXIX.
930. DCCCCXXX. Thiothart senior Abba obiit. C
DCCCCXXXI. Heinricus Rex Abotritos subegit.
DCCCCXXXII. Heinricus Rex fuit in Lonsieim. & Thiodo obiit, cui Burchart successit.
DCCCCXXXIII. Meinhoz Abba eligebatur.
DCCCCXXXIV. Heinricus Rex in VVocronin cum exercitu fuit.
OTTO I. DCCCCXXXV. Magna Synodus fuit in Erpesfort. & in eodem anno Heinricus Rex obiit. cui OTTO filius eius successit in Regnum.
DCCCCXXXVI. Otto Rex fuit in Herelfesfelde. & Ecclesia sancti Bonifacij exusta est.
DCCCCXXXVII. Eberhart Comes Heinricum filium Heinrici Regis captum proiecit in vincula.
DCCCCXXXVIII. Eberhart & Gisilbrat interfecti sunt.
DCCCCXXXIX.
DCCCCXL.
DCCCCXLI.
942. DCCCCXLII. Treueri dedicata est Basilica sancti Maximini à Ruotberto Archiepiscopo.
DCCCCXLIII. Synodus ad Bundam congregata est.

A DCCCCXLIV. Otto I.

DCCCCXLV. Legati Græcorum venerunt ad Regem Ottonem cum muneribus.

DCCCCXLVI.

DCCCCXLVII. Etheid Regina obiit VII. Kal. Febr.

DCCCCXLVIII. Synodus ad Engilenheim congregata est, cui Marinus Legatus Apostolicus præsedit.

DCCCCXLIX. CVONRADVS Dux sibi conduxit filiam Regis Ottonis in habitatricem. & Nuncij Græcorum venerunt secundò ad Regem Ottonem cum muneribus.

DCCCCL. Bellum magnum factum est inter Bauuarios & Vngarios. 950.

DCCCCLI. Otto Rex in Italiam perrexit, & cum eo Liudulfus filius eius, & Cuonradus Dux, atque Frithuricus Archiepiscopus Mogonciacensis Ecclesiæ. Ibique Otto Rex adquisiuit sibi ad societatem Adalheidam Reginam. Et Berengerum Regem de Langobardis sibi subegit.

DCCCCLII.

DCCCCLIII. Satis acerba & nimium crudelis dissensio exorta est inter Liudulfum filium Regis & patruum eius Heinricum, ipso Rege partes fratris sui adiuuante. Mansítque per duos annos in incendiis, cædibus, & depopulationibus. multique non solùm de populo, sed etiam de Optimatibus occubuerunt. Hoc etiam anno Mogontia obsessa est, & castellum quod Rossadal nominatur. factúmque est magnum bellum in illo loco.

B DCCCCLIV. Frithuricus Archiepiscopus Mogontiacensis Ecclesiæ obiit, vir summæ abstinentiæ, in religione sancta & doctrina probatus. Et VVillihelmus filius Regis successit in locum suum. Thiothardus piæ memoriæ Episcopus obiit. Cui Otuuinus successit.

DCCCCLV. Otto Rex Vngarios cum magno periculo sui suorúmque magna & cruenta cæde prostrauit. In quo tamen bello Cuonradus Dux gener Regis cum aliis multis occisus est. & Heinricus Dux Baiouuariorum frater Regis Ottonis obiit. Et eodem anno Rex Otto periculosissimè contra Abotritos conflixit, quos filius materteræ eius EGBERHT contra illum congregauit. 955.

DCCCCLVI. Ruodbertus Treuericus Archiepiscopus, & Hadamarus Abba Fuldensis Cœnobij obierunt. Quibus Heinricus Episcopus, & Hatto Abba successerunt. In eodem anno Liudulfus filius Regis perrexit in Italiam, eámque subegit.

DCCCCLVII. Liudulfus in Italia mortuus est, & inde ad Mogontiam transportatus, & ad Sanctum Albanum est sepultus.

DCCCCLVIII. Signum crucis in vestimentis hominum apparuit, illis qui derisui illud habebant mortem inferens, illis autem qui piè & religiosè illud venerabantur nihil mali intulit.

DCCCCLIX. Hagono Abba reliquit dominium sui honoris.

C DCCCCLX. Venerunt Legati Rusciæ gentis ad Regem Ottonem, & deprecati sunt eum, vt aliquem suorum Episcoporum transmitteret, qui eis ostenderet viam veritatis. & professi sunt se velle recedere à paganico ritu, & accipere Religionem Christianitatis. Et ille consensit deprecationi eorum, & transmisit Adalbertum Episcopum fide Catholicum. illique per omnia mentiti sunt, sicut postea euentus rei probauit. 960.

DCCCCLXI. Isto anno venerunt Nuncij ad Regem Ottonem, & vocauerunt eum Romam in adiutorium Iohannis Papæ, vt mitigaret seueritatem Adalberti Regis, quam exercuit super Monarchiam. Illéque Apostolicus gratanter eum suscepit, & honorificè collocauit super cathedram Augustalis Principatus, auxitque super eum Augustalem benedictionem, vt Imperator Augustus vocaretur, & esset.

DCCCCLXII. Guntheri Abba obiit. cui successit Egillolfus.

DCCCCLXIII. Hoc anno magnum Synodale Concilium factum est Romæ in Ecclesia sancti Petri. Ibique præsidebat Otto Imperator Augustus, cum magna multitudine Episcoporum, Abbatum, Monachorum, ac Clericorum. Illicque Benedictus Papa ab Apostolica Sede deiectus est, eò quòd iniustè vindicauit sublimitatem Romani Imperij, & Adaldago Archiepiscopo commissus, in Saxoniámque deductus, illicque vitam finiuit. Et in ipso anno sæua mortalitas inuasit exercitum 963.

OTTO I. Imperatoris. & in ea Henricus Archiepiscopus Treuericæ ciuitatis, & Dux Godefridus, vitam perdiderunt, ceteríque non pauci. A

DCCCCLXIV. Isto anno Berengarius Rex Langobardorum obsessus in monte sancti Leonis, ibique captus, & cum vi deductus vnà cum Regina eius inhabitatrice VVILLA in Baioariam ad castellum Bauenberg, ibíque nouissimum diem præsentis vitæ dimisit.

965. DCCCCLXV. Otto Imperator de Langobardia venit ad Franconofort, & illum annum integrum in Regno Saxonum manebat. interimque omnes suos adunauit ad pacem & ad concordiam. Et Brun Archiepiscopus Agrippinæ ciuitatis frater Imperatoris vitam cum pace finiuit.

DCCCCLXVI. Iterum tertia vice abiit Otto Imperator ad Italiam, & inde adiens limina sancti Petri, ibique Deo & sancto Petro supplicando gratiarum actiones referens, eo quòd cuncta erga eum prospero cursu agebantur.

DCCCCLXVII. Hoc anno transmisit Imperator Legatos suos ad VVillihelmum Archiepiscopum, & ad alios Principes eius, vt OTTONEM filium suum, æquiuocúmque eius, cum omni Regali dignitate proueherent ad Italiam. Illícque ipse Otto senior suscepit eum, & secum deduxit Romam. Commendauítque illum Apostolico Iohanni posteriore, vt ab eo Augustalem benedictionem recepisset, vt Imperator Augustus foret appellatus à cunctis qui eum agnouissent veluti pater eius. B

DCCCCLXVIII. VVillihelmus Archiepiscopus migrauit à seculo. & Gillulfus Herueldensis Abba transmissus est ex parte Imperatoris de Italia, vt fratres Fuldenses VVirinharium eligerent ad Abbatem. Indéque adiit Mogontiam, vt ille Clerus simúlque totus populus Hattonem virum venerabilem sibi constituerent in dominum Pontificalis honoris. Et eodem anno Adalbertus Archiepiscopus constitutus est in Magadaburg.

DCCCCLXIX. Hatto Archiepiscopus obiit. cui Ruodbertus successit.

970. DCCCCLXX. Egillulfus Abba obiit. cui Gozbertus successit.

DCCCCLXXI. Hoc anno exustum est Palatium in Thornburg.

DCCCCLXXII. Ottoni Imperatori iuniori venit Imperatrix Romam de Constantinopoli XVIII. Kal. Maij octab. Paschæ. Eodem anno idem Otto iunior cum seniore venit de Italia.

DCCCCLXXIII. Otto senior Imperator cum iuniore venit Quidelingaburg, ibique celebrauerunt Pascha X. Kal. Aprilis. & illuc venerunt ad eos Legati Græcorum, Beneuentanorum, Vngariorum, Bulgariorum, Danorum, Sclauorum, cum regiis muneribus. Ac non longè pòst Otto senior pius Imperator Non. Maij

OTTO II. obiit. cui domnus OTTO successit.

DCCCCLXXIV. Henricus Dux Baiouuariorum est captus, & ad Engilenheim missus.

975. DCCCCLXXV. Hibernus fuit longus, durus, & siccus, & Id. Maij magna nix cecidit. Ac in eodem anno Ruodbertus Archiepiscopus obiit. cui Vuilligisus successit. C

DCCCCLXXVI. Heinricus Dux Baiouuariorum sua potestate depositus, & excommunicatus, degit cum Sclauis.

DCCCCLXXVII. Idem Heinricus cum consilio minoris Heinrici Patauiam ciuitatem inuasit, ibique ab Imperatore obsessus, & coactus, sese subdidit Imperatori.

DCCCCLXXVIII. Heinricus quondam Dux cum Heinrico minore, & EKBERTVS Comes iussu Imperatoris comprehensi sunt, & exilio deputati. Eodem anno Imperator cum magno exercitu Galliam inuasit, ac deuastauit.

DCCCCLXXIX. Infidelitas Geronis Comitis per VValdonem publicata est. vnde & ipsi extra ciuitatem Magadaburg in campo iuxta Albiam dimicantes ab inuicem interfecti sunt. & ad vltimum infidelitatis reus Gero Comes decollatus est.

980. DCCCCLXXX. Lotharius Rex cum magnis muneribus ad Imperatorem veniens, sese cum filio suo subiecit voluntati Imperatoris. & eodem anno firmata pace Imperator Italiam penetrauit.

DCCCCLXXXI. Imperator Pascha celebrauit Romæ.

DCCCCLXXXII. Otto Imperator pugnauit periculosissimè contra Sarracenos in

A Calabrorum partibus. ibique non pauci de Optimatibus occubuerunt. Et in ipso anno Otto Dux Baiouuariorum obiit.

DCCCCLXXXIII. Imperator Veronæ Placitum habuit, ibique Heinricus minor de exilio ductus Dux Baiouuariorum constitutus est. Et eodem anno Sclaui rebelles effecti sunt. Ac non longè post VIII. Id. Decembris Otto benignissimus Imperator obiit, filio & æquiuoco eius Regna relinquens. 983.

DCCCCLXXXIV. Filiolus Imperatoris tertius videlicet OTTO per vnctionem Iohannis Rauennatis Archiepiscopi Aquisgrani in die Natalis Domini vnctus est in Regem. Sed postea comperta nece Imperatoris Heinricus quondam Dux de exilio regressus, cum sibi fauentibus Agrippinam ciuitatem intrauit, ac Regem retinuit: Regnúmque eius inuadendo, plurimos sibi de Saxonibus associauit, qui eum in proximo Pascha Quidelingaburg ad Regem elegerunt. Vnde quidam de Optimatibus huic electioni non consentientes, sed Regis vicem magis dolentes, econtra haut modicum deceptauerunt, & Regem in Regnum suum restituerunt, & Heinricum Ducem Baiouuariorum denuò effecerunt. Et eodem anno laudandæ memoriæ Otuuinus * pius Præsul vitam finiuit. OTTO III.

* Hildenemensis.

DCCCCLXXXV. Osdagus vir summæ caritatis ac castitatis, in sancta religione probatus, cum magno consensu Cleri ac plebis ad Pontificalem honorem promotus est. Et eodem anno Saxones Sclauiam inuaserunt. Quibus ad supplementum Misaco cum magno exercitu venit, qui totam terram illam incendiis & cædibus multis deuastauit. 985.

B

DCCCCLXXXVI. Otto Rex adhuc puerulus cum magno exercitu Saxonum venit in Sclauiam, ibique venit ad eum Misaco cum multitudine nimia, obtulítque ei vnum camelum, & alia xenia multa. & seipsum etiam subdidit potestati illius. Qui simul pergentes, deuastauerunt totam terram illam incendiis & depopulationibus multis.

DCCCCLXXXVII. Iterum Saxones Sclauiam vastant. vnde illi compulsi, Regis ditioni se subdunt. & castella iuxta Albiam restaurantur. Aquæ quoque exundabant. nihilominus & ventus plura ædificia strauit. 987.

DCCCCLXXXVIII. Æstatis feruor nimius ac repentinus Id. Iulij vsque Id. Augusti immanissimè exardescens fruges absumpsit. Rex in Engilenheim Pascha celebrauit.

DCCCCLXXXIX. Theophanu Imperatrix mater Regis Romam perrexit, ibique Natalem Domini celebrauit, & omnem regionem Regi subdidit. Et eodem anno Osdagus Episcopus obiit.

DCCCCXC. Gerdagus ordinatur Episcopus XIV. Kal. Februarij. Hoc anno Saxones Abotritos bis grandi irruptione vastabant. Multi quoque illorum, & penitus nominatissimi interempti sunt. alij in flumine necati. Saxones Dei gratia cum pace & victoria redierunt. Misacho & Bolizlauuo Duces Sclauorum grauibus inimicitiis inter se conflixerant. Et eodem anno eclypsis Solis fiebat. quo non modica subsequebatur mortalitas hominum atque iumentorum XII. Kalend. Nouembris. 990.

C

DCCCCXCI. Theophanu Imperatrix obiit. Ignísque de Rheno ascendens villas propè positas combussit. Piratæ etiam Stauerun deprædando vastauerunt, aliáque in littore loca perdiderunt. Otto Rex cum magno exercitu Saxonum, ac supplemento Misacon, Brannanburg * obsedit, & vicit. Illo autem inde digrediente, Saxonicus quidam Kizo eandem vrbem Liutizorum auxilio audacter satis contra Regis Imperium inuasit, atque prædictorum Sclauorum pertinacia aduersum ius fásque omne iniustæ ditioni suæ subegit. crebras latrociniarum irruptiones in Saxoniam iuxta Albiam flumen molitus est, à quibus Dei gratiâ non victor, sed veluti fugitiuus prædo, latitando aufugit. 991.

* Brandeborch.

DCCCCXCII. Otto Rex cum valida suorum manu iterum Brennanburg adiit. venítque ad eum Heinricus Dux Baiouuariorum, & Bolizlao Boëmanorum Princeps cum ingenti multitudine in auxilium Regi. Bolizlao verò Misachonis filius per seipsum ad dominum Regem venire nequaquam valens (imminebat quippe illi grande contra Ruscianos bellum) suos satis fideliter milites in ministerium Regis direxerat. Verùm dominus Rex bonis Sclauorum promissionibus confidens, suísque Principibus resistere nolens, pacem illis iterum concessit, & inde in pa- 992.

triam remeauit. sed illi more solito mentiti sunt per omnia. Eodem anno Gerdagus Episcopus Romæ limina sancti Petri orationis causâ adiit, indéque reuertens Cumis obiit VII. Id. Decembris. Qui sedit in Episcopatu annos duos, menses XI. dies XIV. Misaco obiit, successitque ei filius illius Bolizlauo. A

993. DCCCCXCIII. Bernuuardus Regius Capellanus sanctæ Hildineshemensi Ecclesiæ ordinatur Episcopus XVIII. Kal. Febr. Kizo, qui antea rebellis extiterat & refuga, fidem Sclauis iampridem promissam euacuans, seipsum cum suis, & cum prædicta vrbe Brennaburg Regis ditioni subdidit. Rex verò sanctum diem Paschæ in Engilenheim celebrauit. Et indè à Natiuitate sancti Iohannis Baptistæ vsque in V. Id. Nouembris penè per omnem æstatem & autumnum siccitas nimia, & feruor immanis fuit. itaut innumerabiles fruges non peruenirent ad temporaneam maturitatem propter solis ardorem. quo non modicum subsequebatur frigus, & magna nix cecidit, magnáque pestis simul & mortalitas hominum atque iumentorum euenit. Et eo anno Saxones tribus vicibus expeditionem parauerunt in Sclauos, & nihil profecerunt. econtra Sclaui crebris latrociniis Saxoniam fatigabant.

994. DCCCCXCIV. Filij Henrici Comitis, Henricus, Vdo, Sigiffridus, contra piratas iussu Imperatoris dimicantes. Ex quibus ......

ISENEBVRG castrum fit habitatio Monachorum.

995. DCCCCXCV. Rex Abodritos vastauit, vrbes & oppida disiecit, occurritque in auxilium Bolizlau filius Misaco cum magno exercitu. necnon Boëmanni cum filio alterius Bolizlau venerunt. Recepitque se Rex in Saxoniam cum exercitu incolumi. Baldricus Treiectensis Episcopus obiit. Successitque Ansfridus laicus & Comes bonæ famæ vitæque honestæ, vt de eo apud quos vixerat testati sunt. Iohannes quoque Placentinus & Bernuuardus VVirciburgensis Episcopi Constantinopolim ex latere Regis, vt sponsam illi indè peterent, directi sunt. Legati etiam Apostolicæ Sedis cum vnanimitate Romanorum atque Langobardorum Regem Romam inuitant. Henricus potentissimus Dux Baioariorum cùm germanam suam dominam GERBIRGAM diuturno languore probatam visitaret Gandeshem, V. Kal. Septembris cum magno dolore omnium obiit. Sclaui frequenti irruptione Saxoniam vastant. Bernuuardus quoque VVirciburgensis Episcopus morbo graui affectus inter maris pericula obiit. B

Mutatur hic stylus, & ratio scribendi.

996. DCCCCXCVI. Ind. IX. Iohannes Papa obiit. Vnde Imperator in Italia positus rumore incitatus, præmissis quibusdam Principibus, publico consensu & electione fecit in Apostolicam Sedem ordinari suum nepotem dominum Brunonem Ottonis filium, qui Marcham Veronensem seruabat, imposito nomine Gregorij. A quo & ipse proximo solemni Pentecostes Imperator & Patricius consecratur. Habitóque cum Romanis placito, quendam Crescentium, quia priorem Papam iniuriis sæpè lacerauit, exilio statuit deportari. Sed ad preces noui Apostolici Imperator omnia remisit. sed non multo post Imperatore vrbe excedente, idem Crescentius dominum Apostolicum nudum omnium Romana vrbe expulit. Imperator in Francia hiemauit. Sacellum sanctæ Crucis dedicatur. C

997. DCCCCXCVII. Papa Ticini adunato complurium Episcoporum Concilio, præfatum Crescentium anathemate perculit. Interea Iohannes Placentinus Episcopus Constantinopoli remeans, Romam intromissus, Apostolicam Sedem factione Crescentij inuaserat. Vnde ab vniuersis Episcopis Italiæ, Germaniæ, Franciæ, & Galliæ excommunicatur. Imperator quoque, vt Romanorum sentinam purgaret Italiam perrexit, summa rerum dominæ MATHILDÆ amitæ suæ Quidilingaburgensi Abbatissæ delegata. in qua vltra sexum mira prudentia enituit.

998. DCCCCXCVIII. Prædictus inuasor Iohannes ab Imperatore cæcatus, & truncatus, deponitur, & Crescentius decollatus cum XII. suis ante vrbem suspenditur. Eodem anno quædam mulier in Baioaria ....

....

...... & Siluester successit. Adelheid quoque Imperatrix obiuit.

TERTIO OTTONE IMPERANTE.

1000. MILLESIMVS annus supercrescens statuit computationis numerum, secundum illud quod legitur scriptum: *Millesimus exsuperat & transcendit omnia annus.*

Impe-

A Imperator Otto III. causâ orationis ad sanctum Adalberdum Episcopum & Martyrem Quadragesimæ tempore Sclauiam intrauit. Ibique coadunata Synodo Episcopia VII. disposuit, & Gaudentium fratrem beati Adalberti in principali vrbe Sclauorum PRAGA ordinari fecit Archiepiscopum, licentiâ Romani Pontificis, causâ petitionis Bolizlauonis Boëmiorum Ducis, ob amorem potiùs & honorem sui venerandi fratris digni Pontificis & Martyris. Inde reueniens, Palmarum solemnitatem Parthenopoli festiuè peregit. Paschalia verò tempora votiuè Quidilingaburg celebrauit. Pentecostes autem celebritatem digna deuotione Aquisgrani feriauit. Quo tunc ammirationis causa magni Imperatoris KAROLI ossa contra diuinæ Religionis Ecclesiastica effodere præcepit. qua tunc in abdito sepulturæ mirificas rerum varietates inuenit. Sed de hoc, vt postea claruit, vltionem æterni vindicis incurrit. Nam prædictus ei Imperator post tantæ commissionis facinus comparuit, & ei prædixit obitum suum celeriùs affuturum. OTTO III.

M. I. Ind. XIV. Imperator Natalem Christi Romæ celebrauit. & illò Bernuuardus Episcopus in Epiphaniis super multis infestationibus Archiepiscopi VVilligisi, & maximè de Synodo, quam in sua, id est Gandeshemensi Ecclesia, cum extraneis Episcopis habuit, conquestus aduenit: totámque eiusdem Metropolitani illicitam vsurpationem in præsentia Siluestri Papæ & Imperatoris III. Ottonis, Synodali auctoritate prorsus adnullauit. 1001.

B

OTTONE III. IMPERANTE.

GERBERGA Gandesmensis Abbatissa Idus Nouembris obiit.

M. II. Ind. XV. Imperator Otto Natalem Tudertinæ cum domno Apostolico celebrauit. Inde Romam tendens, Salernum oppidum adiit. Sed febre & Italico morbo grauiter correptus cum generali omnium contristatione X. Kal. Februarij, proh dolor! ex hac vita morte immatura discessit. Cui HEINRICVS Dux Noricorum, vir in omni Ecclesiastica perfectione præcipuus, VVilligiso Mogonciacensi Archiepiscopo, & Bernuuardo Episcopo ordinante successit. Eodem verò anno nouus Rex Henricus sancti Laurentij Natalem Paderbrunnen celebrauit. Et ibi domna GVNIGVNDIS Regalem benedictionem & Coronæ impositionem à prædicto Metropolitano suscepit. Sed & Sophia ad Gandeshemense regimen electa, obtentu Principum domni B. licentiam à Palligero benedicendi ibidem obtinuit. 1002. HENRICVS II.

REGNANTE HENRICO ANNO II.

M. III. Ind. I. Rex Natalem Domini Frankanauuordi, Pascha autem Quidelingaburh celebrauit. HERIMANNVS Alemannorum Dux Regis electioni aliquandiu resistens, Regiæ se potestati subdidit, & interuentu Reginæ & Principum in suo honore permansit. Heinricus Berhthaldi Comitis filius, & BRVNO frater Regis, & ambo Bolizlauones, Polianicus videlicet, ac Boëmicus, à C Rege infideliter maiestatis rei deficiunt. Sed Henricus ad Regem veniens, & refugiens, in Giuekanstein custodiæ mancipatur. Stephanus Rex Vngariæ super auunculum suum Regem Iulum cum exercitu venit. quem cùm comprehendisset cum vxore & filiis duobus, Regnum eius vi ad Christianitatem compulit. Sacellum sancti Martini dedicatur. 1003.

ANNO III.

M. IV. Ind. II. Rex Natiuitatem Domini Palidi mansit. Illò ad eum Episcopus Veronensis, ac alij quidam primores Italici Regni venerunt cum regiis muneribus. Et Bruno frater Regis obtentu domnæ GISLÆ matris eius acquisiuit gratiam. Incendium mirabile ciuitatis Papiæ. 1004.

ANNO EIVSDEM IV.

M. V. Ind. III. Rex Natalem Domini Thornburh feriauit, & in partibus Saxoniæ vsque ad tempus Quadragesimæ habitauit XL. Thielæ. Pascha verò Aquisgrani celebrauit. Bernharius Abbas Herueldensis obiit. Cui Godehardus Monachicæ vitæ vir in sancta conuersatione probatissimus successit. 1005.

REGNI HENRICI V.

A

1006. M. VI. Indict. IV. Rex Natalem Domini Palithi egit. celebritatem namque Paschalis solemnitatis Nuuimago feliciter tripudiauit. Guntherus diuina pietate instinctus, renuncians seculo & pompis eius, Monachus est factus. Fames valida penè in vniuersa terra.

HEINRICO REGNANTE VI. IND. V.

1007. M. VII. Rex Natalem item Palithi celebrauit. Epiphaniâ verò Gandesheim venit, & odibilem dissensionem inter VVilligisum Archiepiscopum & Bernuuardum Antistitem de eadem Ecclesia prudenti ingenio sapienter diremit. Dominus verò B. in præsentia Regis & Archiepiscopi, ceterorúmque Regni primorum eandem Ecclesiam dedicauit, & omnem ibidem Episcopalem prouisionem sine cuiusquam interdictione potestatiuè celebrauit.

REGNI HEINRICI VII. IND. VI.

1008. M. VIII. Rex Natalem Domini Palidi, Pascha Merseburch, Pentecosten verò Agrippinæ feriauit. Luidolfus Treuerensis Metropolitanus obiit. Cui Meinzoz Primiscrinius Regis successit. Nohtgerus Præpositus Monasterij beati Galli Leodicensis Præsul ad Christum migrauit. Post quem Baldericus Radasponensis Vicedominus subintrauit. Gunterus Monachus sancta conuersatione in Monasterio probatus, Heremita est effectus. B

VIII. IND. VII.

1009. M. IX. Rex Natiuitatem Christi Salzburg, Pascha verò Augustburg peregit. Rethurius Paderbrunensis Episcopus II. Non. Marcij obiit. cui Meinvvercus Regis Capellanus successit. Monasterium quoque Mogonciacense prætitulatum diuino honore & reliquiis beati Martini futura consecratione constructum à VVillegiso Archiepiscopo maximo decoris studio III. Kal. Septembris miserabili periit incendio.

ANNO REGNI EIVS IX. IND. VIII.

1010. M. X. Natalem Domini Rex Palidi, Pascha Radisbonæ celebrauit. Ansfridus Traiectensis Ecclesiæ Antistes obiit. Cuius loco Adelboldus successit.

REGNANTE EO X. ANNO, IND. IX.

1011. M. XI. Rex Natalem Domini Frankenauord celebrauit, & in Capite Ieiunij Corbeiam venit. Ibi BERNHARDVS pius Dux v. Id. Februarij obiit, & in Luniburg Cœnobio beati Michaëlis magno exequiarum planctu sepultus, quod ipse à fundamento construxerat, & in quo Monachorum congregationem adunauerat. Post quem verò filius eius BENNO Ducatum obtinuit. His etiam temporibus VVilligisus Mogontinus Metropolitanus ad Christum migrauit. In cuius locum Erkanbaldus Fuldensium Abbas subintrauit. quem noster Episcopus B. Kal. Aprilis consecrauit. C

HEINRICI ANNO REGNI EIVS XI. IND. X.

1012. M. XII. Rex Natiuitatem Christi Thornburg, Pascha autem Laodiciæ celebrauit. Inde verò cum summa regali reuerentia Babenberg profectus est. Ibi venerabile Monasterium ipsius domni Regis nobile ac speciale studium, ab Eberhardo primo eiusdem Sedis Episcopo, cum consensu & conuentu omnium Cisalpinorum Præsulum, II. Non. Maij consecratum est ad laudem & honorem Domini nostri Iesu Christi, & preciosissimi Martyris eius Gedrij, & ad patrocinium omnium Sanctorum Dei. Dagano Parthenopolitanæ vrbis Archipræsul obiit. Cui VValthardus eiusdem Ecclesiæ Præpositus successit. Sed huic post VII. tantùm hebdomadas defuncto successit Gero, vir perfectus in omni Ecclesiastico studio. Godehardus relicta Herfeldensi Abbatia, iterum remeauit ad Altaha.

M. XIII. Incarnationem Domini Rex Palidi feriauit. Postea XII. Kal. Febr. peccatis agentibus principale templum Hildineshemensis Ecclesiæ diabolo insidiante per noctem igne succensum. sed solo diuinæ miserationis subsidio velociter Deo gratias est exstinctum. Sed hoc, ah! ah! nobis restat lugendum, quia in eodem incendio cum preciosissimo missali ornamento inexplicabilis & irrecuperabilis copia periit Librorum. Et Rex Purgationem sanctæ Mariæ Parthenopoli egit. Inde VVerla veniens, graui languore correptus hebdomadum V. spacio decubuit. Christianus Patauiensis Episcopus obiit. Cui Beringerus eius loci Decanus successit. Godescalcus Pr. nostræ Congregationis Præpositus obiit XVII. Kalend. Augusti. 1013.

HEINRICHO REGNANTE XIII. IND. XII.

M. XIV. Natalem Domini Rex Papiæ celebrauit. Inde comitatu regali Romam pergens, Imperialis coronæ Diadema à sancti Petri Vicario Benedicto VI. Kal. Martias cum generali electione suscepit. Eiúsque contectalis domna CVNIGVNDA idem Deo annuente promeruit. Sic Imperator Dei gratiâ factus Papiam rediit. Ibi sanctum Pascha feriauit. Inde namque regrediens Pentecosten B Babenberg festiuè peregit. Quo tunc Priuilegia eiusdem loci res continentia iussit inscribere, firmata vel sigillo suæ auctoritatis, & roborata Apostolico iure Romani Pontificis, vt essent illorum banno firmata, regnante Christo Rege Regum in æternum & vltra. 1014.

ANNO REGNI EIVS XIV. ET IMPERII EIVS II. IND. XIII.

M. XV. Imperator Natiuitatem Christi Palidi egit. Et Duces Vdalricum Boëmiorum & Bolizlaum Pulianorum in Pascha Mersburg ad se venturos determinauit. Vdalricus verò die statuto se pro criminis accusati innocentia expurgandum præsentauit. Et hoc quia Bolizlaus neglexit, æstatis illius tempore cum valida suorum manu Polianiam Imperator intrauit. Ernost Dux ex improuiso in venatione à suo milite Adalberhdo sagitta percussus miserabili morte periit. Lantbertus præliator occubuit. Hoc anno, videlicet Incarnationis Domini nostri Iesu Christi M. XV. Henricho XII. annos regnante, II. iam Dei gratiâ imperante, cripta nostri Monasterij Indict. XIII. III. Kal. Octob. dedicata est à Bernuuardo eiusdem Ecclesiæ venerabilissimo Præsule, & Tiderícho Mimigardiuurdensis Ecclesiæ dignissimo Antistite, & ab Ekkihardo Sliesuuicensis ciuitatis venerabili Episcopo, in honore Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, & eius Genitricis, perpetuæque Virginis, & ad singulare patrocinium beati Archangeli Michaëlis, C totiúsque Militiæ cœlestis. 1015.

REGNANTE EO XV. ET IMPERANTE III. ANNO. IND. XIV.

M. XVI. Imperator Christi Natiuitatem Patherbrunnæ celebrauit. Magnæ molis grando venit, & plurimi fulmine exusti perierunt. VVigmannus Comes II. Nonas Octobris est occisus. 1016.

M. XVII. Ind. XV. Imperator Natalem Domini Palidi egit. Eodem anno rursum Polianiam cum exercitu intrauit. Meingoz Treuerensis Archiepiscopus obiit. Cui Boppo successit. Æid Misnicensis Præsul obdormiuit. Post quem Hildiuardus subintrauit. Liudolfus Pr. IV. Non. Aug. Godescalcus Pr. & Decanus IX. Kal. Octobris obiere. 1017.

IMPERANTE V. SVI IMPERII ANNO, IND. I.

M. XVIII. Imperator Natalem Christi Patherbrunnen, Pascha Babenberg egit. Heinrichus Marchio Baioariæ subitanea morte præuentus obiit. Eo anno domnus B. Episcopus tempore Quadragesimæ Goslare præsente Imperatore, cum Episcopis ceterísque Regni Primoribus Synodo habita, Godescalcum Eggihardi Præsidis filium, & Gerdrudam Egberhdi Comitis filiam separauit. Maccho Presbyter VI. Kal. Maij obiit. 1018.

HENRICVS II. IMPERANTE HEINRICHO VI. SVI IMPERII ANNO IND. II. A

1019. M. XIX. Imperator Natalem Domini VVerziburg celebrauit. Postea cum exercitu contra BERNHARDVM Ducem ad castellum Scalcaburg perrexit, ibique Deo gratias omnia in pace constituit. Eo anno in Pascha Papam de Roma Bauenberg hospitio suscepit.

1020. M. XX. Ind. III. Imperator Natiuitatem Domini Hamerstein egit. Heribertus Archiepiscopus Coloniæ mortalem vitam XVII. Kal. Aprilis in angelicam mutauit. In cuius locum Biligrimus subintrauit. Erkembaldus Mogontiæ Metropolitanus XV. Kal. Septembris sustollitur. Post quem Aribo vir sanctæ Ecclesiæ probatissimus substituitur.

ANNO IMPERII HEINRICI VIII. IND. IV.

1021. M. XXI. Incarnationem Domini Imperator Regenesburg feriauit. Ingens terræmotus in Boariæ partibus IV. Id. Maij, hora X. diei fer. VI. post Ascensionem Domini contigit.

IMPERII ANNO IX. IND. V.

1022. M. XXII. Natalem Domini Imperator Thorneburh quieuit. Thiedricus Mimigardiuordensis Episcopus X. Kal. Febr. obiit. Cui Sigifridus Parthenopolitanus Abbas successit. Thiedricus Mindensis Præsul XI. Kal. Mart. discessit. Post B quem Albetichus eiusdem loci Præpositus est electus. sed morte præuentus nec consecrationem accepit, nec in cathedra peruenit. Sigiberhdus verò in Episcopatum intrauit. Domnus Bernuuardus Hildenesheimensium venerabilis Antistes XII. Kal. Decembris ad Christum migrauit,

Cui Deus æterni præstet consortia Regni,
Viuens arce poli sit socius Lazari, amen.

In cuius loco domnum Godehardum Herfeldensium & Althahensium priùs Abbatem sancta Ecclesia sibi suisque vtiliter subrogauit. Hoc anno, videlicet incorporati Verbi M. XXII. regni verò Heinrici Imperatoris XXI. ordinatione autem domni Bernuuardi huius Ecclesiæ Præsulis venerandi XXXI. Indict. V. III. Kal. Octobris huius Monasterij Oratorium à præfato Antistite cum summo decoris studio ad vtilitatem Monachicæ vitæ constructum foras muros Hildinesheimensis vrbis situm, dedicatum est, insuper cum omni deuotione Ecclesiasticæ Religionis consecratum, in honore Saluatoris Domini nostri IESV CHRISTI & eius genitricis, sempérque Virginis Mariæ, ac salutiferi Ligni adorandæ & viuificæ Crucis, & ad speciale patrocinium sancti Michaëlis Archangeli, totiúsque Miliciæ cœli, & ad laudem venerationis omnium Sanctorum Dei, à venerando eiusdem Ecclesiæ prouisore Bernuuardo, & ab honorabili Vneuano Archipræsule Hamaburgensis Ecclesiæ. Ab Ekkihardo quoque Sliesuiccensi Episcopo, sed C & ab Brunone quondam Aldenburgensis Ecclesiæ reuerentissimo Antistite. ad Ecclesiasticæ pacis munimen, & ad Christianitatis salutem & defensionem. Et in tantum prædia & res eodem loco pertinentia, sunt banno auctoritatis eorum stabilita, vt si quis indè vi aut sponte aliqua diriperet, perpetua damnatione subiaceret, & perpetuo anathemate damnatus, & de terra viuentium deletus, qui huic loco esset in aliquo obnoxius, & contrarius. Fiat, fiat, fiat.

Hoc fiat verum Christo regnante per æuum.

Sed mox eiusdem Monasterij habitaculum commissum est ad regendum Abbatis officio Goderanno Cœnobij S. Pantaleonis Præposito.

Quod piè nam rexit hoc mundo quamdiu vixit.

1023. M. XXIII. Ind. VI. Mersiburg Imperator Christi Incarnationem solemniter celebrauit. Gero Parthenopolitanus Archipræsul obiit. Cui Hunerithus vir per omnia ad vsum sanctæ Ecclesiæ probatissimus successit. Arnolfus Halberstatensis Episcopus obiit. Cui Branthog Fuldensium olim Abbas successit. Benno Haldenburgensis Antistes abstollitur. post quem Reinoldus subinfertur. Domnus Godehardus prima post ordinationem suam æstate pulchrum Monasterium in Orientali parte principalis nostræ Ecclesiæ honorificè fundando inchoauit. VVilfrannus de eadem congregatione electus dõno Gudehardo successit. Liudolfus Comes obiit.

A M. XXIV. Indict. VII. HEINRICHVS Imperator Natiuitatem Christi Babenberg, Pascha Parthenopoli, Pentecosten verò Goslare honorificè celebrauit. Qui postea Gruna venit, & ibi languore correptus decubuit: & cum totius Regni mœrore, ah! ah! III. Idus Iulij hominem deposuit. Sed XXII. annis, hebdomadis V. & I. diem regnauit. Anima eius requiescat in pace. 1024.

Det requiem animæ qui cuncta gubernat vbique.

Hinc namque VI. Id. Septembris CVONRADVS Regnum subintrauit. Senior noster G. curtem suam ad Orientalem partem nostræ ciuitatis in loco qui dicitur Sulza fabricauit. CHVONRADVS.

M. XXV. Indict. VIII. Cuonradus Rex Natalem Christi Mindo cum ingenti gloria & lætitia peregit. Ibi etiam plurimos, qui prædictæ eius electioni non intererant, obuios habuit, omnésque sibi deuotos in gratiam recepit. Pascha verò Regenesburh celebrauit. Domnus Godehardus Montem speciosum in Occidentali parte ciuitatis nostræ incolere cœpit, quem postea titulo ac nomine S. Mauricij summi sui patroni dedicauit. 1025.

M. XXVI. Indict. IX. Cuonradus Rex Natalem Christi Lindburgh celebriter feriauit. VVolframus Altahensis Abbas obiit. Cuius in locum Ratmundus est electus, & Dei gratiâ consecratus. Pater Godehardus hoc anno prædictum nouum nostrum Monasterium in Orientali parte nostræ principalis Ecclesiæ XVII. B Kalend. Septembris in honorem Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Christi solemniter consecrauit. Ekkihardus Sliesmecensis Episcopus obiit. Cui Rodulfus de Coloniensi Clero electus successit. 1026.

M. XXVII. Indict. X. Cuonradus Rex in Pascha Romæ Imperator factus est. Et filius eius Heinricus Rex Dux Baioariæ esse cœpit. Synodus generalis in Franconouurdi Episcoporum XXII. præsente Cuonrado Imperatore, in qua domnus Godehardus diocesim suam super Gandeshemense territorium canonicè retinuit, testimonio VII. Episcoporum, Brunonis Augustensis, Eberhardi Bauenbergensis, Neginuureti Paterbrunnensis, Meginhardi Vuerziburgensis, Hildiuuardi Citicensis, Sigiberthi Mindensis, Brunonis Mersiburgensis. In hac Synodo Godehardus iuuenis frater Imperatoris arma compulsus deposuit, & Clericalem tonsuram accepit. VViggerus pater nostræ congregationis obiit. 1027.

M. XXVIII. Indict. XI. Imperator Incarnationem Domini Regenesburg celebrauit. Mogontinus Archiepiscopus Aribo in Geizlete Synodum generalem cum suis suffraganeis Episcopis habuit. In qua inter cetera Ecclesiastica quidam homo ingenuus de homicidio Sigefridi Comitis incusatus, candenti se ferro expurgauit. Qui ex decreto Synodali post duas noctes probatus illæsus apparuit. Misako, qui iam per aliquot annos Regnum Sclauorum tyrannicè sibi contra Imperialem vsurpabat Maiestatem, Orientales partes Saxoniæ cum valido suorum exercitu violenter inuasit. & incendiis ac deprædationibus peractis viros quosque trucidauit, mulieres plurimas captiuauit, paruulorum innumerabilem prorsus multitudinem miserabili inauditáque mortificatione cruentauit, & per semetipsum suósque, immò diaboli satellites, nimiam crudelitatis sæuitiam in Christianorum finibus Deo inspiciente exercuit. 1028.

C

M. XXIX. Indict. XII. Imperator Natalem Christi Iglenheim peregit. BRVN Augustæ ciuitatis, frater Heinrici Imperatoris obiit. Cui Ippo Regius Capellanus successit. Generalis Synodus in Palithi, præsidente Imperatore cum Episcopis XI. In qua iterum Mogontinus Archipræsul domnum Godehardum super Gandesheim inquietare cœpit. VVernherus Argentinæ Præsul è mundo migrauit. Post quem VVillehelmus Reginæ Archicapellanus subintrauit. Legati Luitiziorum Palithi ad Imperatorem venientes, eius iuuamen contra Misakonem tyrannum petierunt, séque ei fideliter seruituros promiserunt. Et mentita est iniquitas sibi. 1029.

M. XXX. Ind. XIII. Cuonradus Imperator cum exercitu fuit in Vngaria. Goderamnus primus Hildeneshemensium Abbas II. Kal. Iulij obiit. Cui Adelberhdus Herocampiæ Montis sancti Iohannis Baptistæ Præpositus, iustæ conuersationis Monachus, successit. Et in proximis VIII. Kalend. Ianuarij consecratus est à domno Godehardo ad principale altare sanctæ Hildinesheimensis Ecclesiæ. Hoc anno domnus Godehardus Episcopus, & Aribo Metropolitanus Mo- 1030.

CHVONRADVS. gontiæ inter se inuicem super Gandeshem reconsiliati sunt. Nam ipse Metropolitanus patrem G. secretò conuenit, séque super eadem parochia errasse confitendo nunciauit, & omnem fraternam satisfactionem, sed & de præterita lite perpetuam taciturnitatem sub vero Christi & Ecclesiæ testimonio promisit. sibi priora errata per Deum remitti suppliciter petiit. Istud ergo hîc ideò veraciter inscribitur, quia ipso domno G. sæpiùs idem in suo sermone publicè protestante, verum esse comprobatur. Vneuuanus Hammaburgensis Episcopus obiit. cui suus Præpositus Liebizo successit. Ecclesiam etiam pulchram in Holthunon in honore sancti Benedicti Abbatis Monachicæ conuersationi aptam fundauit. A

1031. M. XXXI. Indict. XIV. Cuonradus Imperator Natalem Domini Patherbrunnen, & Pascha Nuuimago feriauit. Eodem anno Imperatoris filius HEINRICHVS Rex & ipse Dux Baioariæ, & Stephanus Rex Vngaricus, cum iuramento inuicem firmauerunt pacem. Et Heinricus Stephani Regis filius Dux Ruizorum in venatione ab apro discissus periit flebiliter mortuus. Imperator cum paruo Saxonum exercitu Sclauos autumnali tempore inuasit, & Mysachonem diu sibi resistentem regionem Lusizi cum aliquot vrbibus, & præda, quæ prioribus annis in Saxonia facta est, restituere, pacémque iuramento firmare coëgit. Qui Mysecho post mensis tantum spacium à fratre suo Bezbriemo subita inuasione proturbatus, & ad Vdalricum in Beheim fugere est compulsus. Sed idem Bezbrimo Imperatori coronam, cum aliis regalibus, quæ sibi frater eius iniustè vsurpauerat, transmisit, ac semet humili mandamine per Legatos suos Imperatori subditurum promisit. Arnolfus Pater Monasterij Herueldensis, præcipuus in diuinis & humanis rebus, quorumdam Fratrum eo loci cuiusdam criminis obiectione accusatus, miserabiliter proprio honore est priuatus. In cuius loci vicissitudinem subrogatur Bardo procurator Cœnobij VVirdunensis suggestione GISLÆ Imperatricis. Eidem verò Bardoni successit Geroldus Fuldensis Monachus. VViggerus Vardensis Episcopus obiit, post quem Thietmarus intrauit. Eodem anno piæ & venerabilis memoriæ Aribo Mogonciacensis Archiepiscopus causâ orationis Romam adiit. Indéque digrediens, Cumis VIII. Id. Aprilis, ah! ah! ex hac vita migrauit. Cuius honoris principatum obtinuit Bardo tunc nuper prælatus Abbas Herfeldensi Monasterio. Sed huic quoque mox successit ad Abbatiæ dignitatem Rudolfus Bopponis Monachus, Cœnobij Stabulon Præpositus. A quo Imperatoris decreto inibi mutata est Monachica consuetudo. B

1032. M. XXXII. Indict. XV. Chuonradus Imperator Natale Domini Gosleri, Pascha verò Seliganstad celebrauit. Hoc anno Bezbriem ob immanissimam tyrannidis suæ sæuitiam à suis, & etiam non sine fratrum suorum machinatione interfectus est. Sed Miseko statim domum rediit, qui cognoscens sibi propter immoderatam sui insolentiam, quam prioribus annis exercuit, omnia quæ perpessus est meritò euenisse, Legatos suos ad Imperatorem destinauit, tempúsque semet præsentandi, condignéque satisfaciendi postulauit. Et postmodum Imperatore consentiente Mersburg venit, & semet Non. Iulij in Imperatoriam potestatem, coronæ scilicet ac totius regalis ornamenti oblitus, humiliter dedit. Quem Imperator clementiùs quàm ipse opinaretur suscepit, eíque & eius patrueli cuidam Thiedrico Regnum, quod ipse solus antè possederat, diuisit. quod ipse tamen postea solus iterum sibi vsurpauit. Vdalricus verò eodem regali iussione inuitatus venire contempsit. Quem Imperator postea Vuirbeni, vbi contra Liutizios pacificandi Regni gratiâ consedit, ad se venientem, & etiam ratione conuictum, de insidiis quoque, quas ipsi Imperatori fecit, ante biennium confessum, in exilium transmisit. Sigifrithus Mimigardeuordensis Ecclesiæ Præsul v. Kalend. Decembris obiit. Cui Herimannus Coloniæ Præpositus successit. Liebizo Hammaburgensis Archiepiscopus VIII. Kalend. Septembris obiit. Cui Herimannus Halberstatensis Cœnobij Præpositus successit. Arnolfus Abbas Herocampiæ v. Kal. Ianuarij obiit, & ad Gellingæ sepultus, qua tunc gratia manendi habitauit. Sed indè post tres dies totidémque noctes deductus, & de terra effossus, ex præcepto R. sui successoris Herfeldiæ in Ecclesia S. Michaëlis est tumulatus. VViggerus Presbyter & Præpositus v. Kal. Aprilis obiit. C

A M.XXXIII. Ind. I. Imperator Natale Domini Patherbrune, Pascha Neumago CHVONRADVS
egit. Et æstiuo tempore Burgundiam cum exercitu properans ODONEM diu sibi
resistentem, qui eandem regionem sibi contra Imperatoris voluntatem tyrannicè 1033.
vsurpauerat, obuium suscepit: acceptisque ab eo de pace iuramentis & obsidibus pacificè rediit. Eodem etiam anno ad castellum VVirbine Luidgerus Comes, & Thiedof, & VVolueradus, cum aliis XL. occisi sunt. Piæ memoriæ Cunigund Imperatrix v. Non. Martij obiit. Eclypsis Solis III. Kal. Iul. feria VI. Natali S. Petri Apostoli, hora diei VI. accidit: Imperatore tunc Placitum cum primoribus Regni tractante in Merseburg ciuitate. Dedicatio Monasterij S. Michaelis Archangeli in Hildenesheim III. Kal. Octobris per Godehardum eiusdem loci Episcopum, cum maxima frequentia populorum. Incendium Altahensis Monasterij VI. Kal. Martij.

M.XXXIV. Ind. II. Imperator Natiuitatem Christi Mindò, & Pascha Reinesburg 1034.
feriauit. In Natale Domini ad eum Legati diuersarum gentium cum optimis multimodisque muneribus venerunt. ibique Hildericho, qui Altmannum interfecit, intercessione Imperatricis, & Episcopi Alberstatensis, incolomitas vitæ, & repetitio patriæ conceditur. In Paschali verò festiuitate Vdalricus Boemiorum Dux obtentu Imperatricis & Principum, in gratia de exilio domum redire promeruit, & Ducatus sui medietatem, suo fratre Germiro medietatem retinente,
B suscepit. Vdo iuuenis filius Ottonis Comitis de Hamerstein obiit. Imperator iterum hoc anno Burgundiam cum grandi exercitu intrauit, & Odonem item resistentem fugauit, eandémque regionem fidelibus suis, qui ei fidem iuramento firmabant, commendauit. Meginhardus VVerziburgensis Præsul ad Christum migrauit. post quem Bruno patruelis Imperatoris subintrauit. VVarmundus Constantiæ Antistes obiit. Cui frater eius Eppo regius Capellanus successit. Plura & insolita bella inter Luitizos & nostrates ad oppidum VVirbini exorta sunt, in quibus de nostris quidam interfecti sunt, & plerique sauciati. Peccatis etiam nostris, ah! ah! coram Deo promerentibus, laudandum & honorabile exercitium venerabilis viri Bernuuardi Episcopi, Monasterium scilicet sancti Michaelis Archangeli Kal. Iunij in vigilia Pentecosten ad vesperam fulmine combustum, & miserabiliter est deterioratum. Misacho Polianorum Dux immatura morte interiit, & Christianitas ibidem à suis prioribus benè inchoata, & à se melius roborata, flebiliter, proh dolor! disperiit. Prædictus quoque Vdalricus Boemicus Dux post reuersionem fratre cæcato, filio fugato, item sacramenta refringens, infidelitati institit, & tandem in cœna residens, cibo potúque suffocatus extabuit. Quia ergo ius fásque contempsit, & post tam plura iuramenta priscis iterum insidiis consensit: vnde fidelibus Christi salubris prouidetur refectio, inde illi iusta pro prauis suis meritis venit interfectio. Eodem anno Thietmarus Vardensis Episcopus VII.
C Kal. Iulij ad Christum migrauit. Post quem Bruno frater Friderici Comitis Nienburgensis Mægetheburgensis Abbas subintrauit. Eidem verò Brunoni in Nienburg Albuuinus in Philosophica arte eruditissimus, Herfeldiæ Præpositus, qui fuit ibidem antea Scolæ Magister famosissimus, successit. In Mægetheburg autem Sidacc de eadem Ecclesia electus substituitur. Eodem anno Thiedricus Comes Orientalium à militibus Eggihardi Marchionis in proprio cubiculo ficta salutatione circumuentus in dolo XIII. Kal. Decembris occiditur. Cuius dignitatem honoris Dædi filius eius obtinuit. qui postea Odam VVillihelmi Turingorum Prætoris viduam in coniugium asciuit. Hezo Palatinus Comes à sua concubina nomine Tiethburga veneni poculo, vt fertur, defraudatus, periit flebiliter mortuus; & ad Augustam transportatus, & in Ecclesia S. Vdalrici est sepultus XVI. Kal. Iunij; Ekberthus Comes v. Kal. Aprilis obiit.

M.XXXV. Ind. III. Chuonradus Imperator Natiuitatem Christi cum decentissi- 1035.
ma suorum frequentatione Goslare celebrauit. Quò ad eum diuersarum Gentium Legati cum muneribus conuenerunt. qui indè, vt Imperatoriam Maiestatem oportebat, remunerati abierunt. Vbi etiam prædicto domno Albuuino Abbatiæ dignitatem in ipsis Kal. Ianuarij commendauit. Et Chuonradum Alberici filium exilio reum Maiestatis deputauit. Tempore Quadragesimali vrbs VVirbini à Luitiziis capitur, & præsidium Dædi Comitis captiuum diducitur. Incendium Degarensis Monasterij v. Kal. Martij. Imperator Pascha Paderbrunne feriauit. Ascen-

CHVONRADVS. sionem Domini Seliganstad, Pentecosten verò Bauenberg egit. vnde expeditionem suam in Luitizios seriò mandauit. Ibi etiam Heinricho Regi filio Imperatoris filia Chnut Regis Danorum iuramentis desponsatur. Et Otto de Sumuordi ibidem Mathildem filiam Bolezlauonis Polianorum Ducis sibi desponsauit. Imperator cum validissimo exercitu regionem Luitizoiorum intrauit. quam longè lateque incendiis & populationibus deuastauit. Eodem anno Herimannus Hammaburgensis Metropolitanus ex hac vita migrauit. In cuius locum Adelbrandus regius Capellanus intrauit. Qui cum summo suorum, suique comprouincialium gaudio à suis suffraganeis Episcopis Sabbato ante Natiuitatem Christi, in vigilia S. Thomæ Apostoli, Presbyterij honorem, & in crastinum Pontificalem promotionem accepit honorificè. Opperthus Eleuuangensium Abbas obiit. Cui Rihhardus Fuldensis Monachus successit. Mærksuit VVongerestorpiensium Abba II. Kal. Nouemb. obiit. Post quem Alberad Molinbechiensis priùs Abba machinatione Sigiberhti Mindensis Episcopi idem regimen suscepit, tota congregatione nimium renitente. Hiemali tempore Chnuht Rex Danorum & Anglorum immatura morte præuentus obiuit, & Christiana Religio ab ipso fideliter exculta periclitari cœpit. Sed filius eius iunior Hærdechnut nomine Regnum ipsius post eum consensu Prouincialium obtinuit. Vta sanctæ commemorationis Abbatissa de Consengon obiit XIV. Kal. Octob. Bruno Comes obiit XIV. Kal. Iun. B

1036. M.XXXVI. Ind. IV. Imperator cum summa suorum Principum frequentia Natiuitatem Christi Argentinæ magnificè celebrauit. Purificationem verò sanctæ Mariæ Augustburg egit. Vbi & publicum cum cunctis circumiacentium regionum primoribus Conuentum habuit, in quo patrueli suo CHVONRADO Ducatum Carentinorum commisit. Adalberonem maiestatis reum priori anno dimouit. His item diebus idem Adalbero VVillehelmum Comitem interfecit, & postea in castellum Eresburgh causâ latendi confugit. Imperator Pascha Engilenheim feriauit. Deinde Triburiam tendens, generali ibidem Synodo præsedit, in qua germanitas Episcoporum priora decreta redintegrauit. & etiam quædam ad firmæmentum sanctæ Ecclesiæ necessaria conformauit. Ibidem etiam prædictus Otto cogente Synodo Mahthildem sibi desponsatam iuramento à se abaligenauit. Ascensionem Domini Imperator Paderbrunne peregit, Pentecosten verò Natiuitatémque sancti Iohannis Niumago. & ibi filio Imperatoris Heinrico Regi venit Regina CVNIHILD nomine, quæ ibidem in Natali Apostolorum regalem Coronam accepit, & mutato nomine in benedictione CVNIGVND dicta est. Æstiuo etiam tempore Imperator regionem Luitiziorum cum exercitu intrauit. Sed Dei gratia omnibus pro suo velle dispositis, acceptis obsidibus & innumerabili pecunia, in pace remeauit. Meinuuercus Patherbrunensis Episcopus Non. Iunij obiit. Cui Ruodolfus Herueldiæ Abbas successit. Sed domnus Meginherus eiusdem loci Decanus, plurali vtilitatis studio imbutus, sanctæ quidem conuersationis Monachus, Herfeldiæ primatum eiusdem dignitatis obtinuit. Bruno Mersburgensis Præsul Id. Aug. sustollitur, post quem Hunoldus Halberstatensis Præpositus subinsertur. Thiedricus de eodem ibi Cœnobio præponitur. Sanctæ Agrippinensis Ecclesiæ Metropolitanus venerandæ memoriæ Biligrinus, ad omnia in diuinis & humanis perstrenuus, IX. Kal. Septembris ad Christum migrauit. In cuius locum nobilissimæ indolis iuuenis Herimannus eiusdem Ecclesiæ Archidiaconus, sed regius Capellanus, & Cisalpinus Cancellarius, cum inenarrabili gaudio piorum omnium intrauit. Branthohus Halberstatensis Pontifex VI. Kal. Septembris discessit. Cui Burghardus Imperialis Cancellarius honorificè successit. Sigeberhtus Mindensium Præsul spiritum efflauit VI. Idus Octobris. Post quem nobilis prosapiæ tyro Bruno nomine Regalis Capellanus cum generali congratulatione quorumque Christi fidelium idem Antisticium cœlesti benedictione accepit. Gozmarus Asneburgensis Episcopus IV. Idus Decembris obiit. Cui Albericus regius postsequetaneus successit. Domnus Godehardus Humilesceimensis * Episcopus Brunonem Mindonensium Præsulem, & Burghardum Halberstatensem Pontificem XV. Kal. Ianuar. sabato ante Natalem Domini in Halberstat Presbyteros ordinauit.

* Hildesceimensis.

1037. M.XXXVII. Ind. V. Imperator Natalem Christi Veronæ honorificè celebrauit. Et Imperatrix cum filio Rege & nuru eosdē dies Imbripoli feriauit. Tunc in Na-

A tali S. Stephani protomartyris, Burghardus Præsul Halberstatensis Pontificalem benedictionem à Bardone Mogontiaco metropolitano suisque suffraganeis Heliganstedi honorificè percepit. Imperator post Natalem Domini in Salerno oppido generalem Conuentum de re publica cum Cisalpinis nostrisque Primoribus habuit. In quo Mediolanensis Archiepiscopus Imperatori contrarius comprehenditur, & Bopponi Aquilegensi Patriarchæ seruandus committitur. à quo fugâ lapsus palam rebellare cœpit. Quem Imperator e uestigio cum exercitu subsequutus, vrbem per totum subsequentem annum cum totius periculo exercitus obsedit. Bruno Mindensis Præsul in sancto die Pentecosten Episcopalem vnctionem ab Herimanno Agrippinensi Metropolitano in campo iuxta Mediolanum, astantibus Imperatore & Rege, cum quampluribus Regni Primoribus, condignè suscepit. Eodem die inibi magna tonitrus fulgurisque exorta collisio hora diei sexta, de exercitu Imperatoris non minus LX. viros, vt dicitur, cum innumerabili equorum armentorúmque multitudine peremit. Sed & sequenti die hora eadem etiam aliquos ademit. Plurimos quidem varios & etiam insolitos difficilium rerum euentus per hanc æstatem exercitus noster in multis ibidem sustinuit.

Placentinus, Cremonensis, Vercellensis, alij etiam Episcopi quidam Maiestatis rei, quia cum prædicto Archiepiscopo & Vdone tyranno sæpememorato contra Imperatorem consenserant, captiui ad nos in diuersa loca exiliati sunt.
B Prænominatus ergo Vdo Imperatore Italiæ partes procurante Luthuringiam iuxta Marcam Gazelonis Ducis, eiúsque filij Godefridi tyrannicè inuasit. & ciuitatem, quæ Bera dicitur, iniusta præsumtione occupauit. Iuxta quam ab hisdem Ducibus occupatus, consertóque prœlio inter primos inglorius occubuit: iustásque diuinæ vltioni post effracta iuramenta pœnas exsoluit. Ab ipsis sanè victoribus ignoratus, in crastinum inter vulgus inuentus est nudus: vitâ pariter & Regno, quod sibi vsurpans affectabat, spoliatus. Nostræ Ecclesiæ Decanus Tadilo XI. Kal. Febr. obiit. Pater in Christo venerabilis & piis omnibus semper memorabilis Hagano Diaconus regius Capellanus X. Kal. Marc. moritur, & in Herueldia sepelitur. Sigifridus Comes, & Dangmarus Comes obierunt.

M.XXXVIII. Imperator cum nobilissima sui familia Natiuitatem Christi Parmæ celebrauit. qui vrbani ex leui causa sancto die Natiuitatis Domini ad vesperam certamen inierunt, in quo de exercitu quamplures, sed præcipuè tres ex clientibus regiis, Chonon, Magnum, Suicgerum peremerunt. Pro qua ergo insolentiæ temeritate in crastinum diluculo ipsi simul cum ciuitate omnibúsque suis, prædâ, igne, ferro perierunt. Pascha verò Imperator sine quauis molestia in castello Stella pacificè feriauit. Prædictus quoque Mediolanensium Metropolitanus ab Apostolico Pontifice post iustas crebras ammonitiones communi Episcoporum decreto in Paschis anathematizatus, & à cœtu fidelium est segregatus. Qui nihilominus in sua obstinatione perdurauit, & Imperatori pro posse in omnibus per præsentem & etiam subsequentem annum incommodauit. 1038.

C Eo tempore venerandæ memoriæ sanctus noster Pontifex Godehardus III. Non. Maij, videlicet feria VI. post Ascensionem Domini ex hac vita subtractus ad æternam cum Christo perenniter victurus migrauit: nobísque miseris immensam mœsticiam discessu suo contulit. Quem verè ad Deum præcessisse non discredimus. hoc tamen quòd sancta eius ammonitione, fructiferáque virtutum præostentatione præsentialiter priuamur, meritò semper ingemimus. Qualis namque meriti esset, vnusquisque in suo fine cognoscere potest. quia sicut scriptum est, vnusquisque in suo fine cognoscitur. Satis quoque est apertum, illum habere magna præconia meritorum, cùm in eius obitu tam mirifica signorum gesta patefecit Deus in miraculo. Illud verò quanquam sit cunctis Christi fidelibus notum, vera experientia relationum tamen ob eius sanctitatis testimonium hîc continetur inscriptum. In cuius locum domnus Thietmarus Regius Capellanus successit, ad omnia in diuinis & humanis feliciter perstrenuus, à Bardone Metropolitano Mogontiæ XIII. Kal. Septembris Laresheim est consecratus. Livdolfvs Comes priuignus Imperatoris IX. Kal. Maij immatura morte obiit. Et eius frater Herimannvs Alamanniæ Dux subita infirmitate præuentus bonis flebilis omnibus XVI. Kal. Iulij denotauit. Nobilis etiam nostra Regina Gvnhild XV. Kal. Augusti ex hoc mundo migrauit. Cuius intempestiuus obitus quam-

CHONRADVS. plurimos cuiusque Ordinis per Christianum Imperium contristauit. Sigifrithus Prætor Palatinus frater Brunonis Episcopi Mindonensis VII. Kal. Maij moritur, & in VVimiburch tumulatur. A

1039. M.XXXIX. Ind. VII. Imperator Natalem Domini Goslare cum reuerentissima Principum sui congratulatione decentissimè tripudiauit. Vbi & Legatos cunctarum adiacentium regionum cum debitis vectigalium professionibus in augmentum suæ magnificentiæ suscepit. quósque vt Imperialem munificentiam decebat, tam sui, quam optabant, gratiâ, quàm & rerum habundantiâ donatos pacificè remisit. Ibi etiam inter cetera suæ institutionis decreta Alberadæ Abbatissæ de Molinbach Abbatiam VVongeresthorph inuito Brunoni Episcopo resignari præcepit. Quam tamen idem Episcopus post Pascha vel spontaneam vel inuitam ab eadem dignitate sub abrenunciatione publica desistere fecit.

PVRIFICATIONEM sanctæ Mariæ Imperator Altsteti egit, sicque compendioso itinere peragrata Orientali Saxonia, rebúsque pacificatis, Nuuimagon tendit. ibíque tempus Quadragesimæ, & sanctum Pascha, & Ascensionem Domini, podagrâ laborando, consedit. Inde ad celebrandam Pentecosten Traiectum venit. & ibi quidem in summa lætitia sanctum diem, scilicet in regalis diadematis decore procedendo, peregit. Sed sequenti die feria II. horâ diei VI. II. Non. Iun. mensæ reficiendi gratiâ assidens, subita defectione præreptus, vix dum confessionis sententiâ prolata flebiliter exspirauit. O ergo occulta diuinæ dispensationis iudicia, admiranda pariter & metuenda! qui priori die maximo mundialis pompæ tripudio Rex & Imperator Orbis coronatus processit, posteriori ah! ah! die viam vniuersæ carnis ingressus, cinis vermísque futurus, discessit. nisi quòd verè speramus, quia quicquid carnaliter contraxit negligentiæ, pro hoc in defensionem animæ supplicatio interuenit Ecclesiæ. Sed vt quidam ait: B

O nil gnara sui mortalia pectora fati!

Verùm vt veriùs dicamus, O dura, & vt in pace loquar, prorsus insensibilia humani generis corda! quia in quo viro penè totius orbis caput virtúsque concidit, ad eius obitum tam subitum támque periculosum sanè nullus ingemuit.

Hunc Rector Regum Dominus soletur in æuum,
Cum pueris Habrahæ viuat & in requie.

HENRICVS III. Sed filius eius domnus HEINRICHVS in omni quidem virtutum exhibitione perstrenuus, ante scilicet in specialem Regni Monarchiam generali Cleri populíque prælectione coronatus, nunc autem sine quauis contradictionis molestia, summâ Christianismi concordiâ, solio patris Deo gratias est intronizatus.

Quem Deus in finem conseruet ritè senilem,
Et placidus placito sit pius ipse suo.

CHONRADVS Carentanorum Dux, patruelis Chonradi Imperatoris XIII. Kal. Aug. immatura morte regio morbo diu fatigatus discessit. Eodem die venerandæ memoriæ Rihhardus Abbas Fuldensis obiit. In cuius locum Sebeuuardus iuuenis ab ipso eo loci in diuino seruimine regulariter & etiam sapienter enutritus insedit. Hisdem diebus Radulfus Abbas de Diuzi obiuit. Piæ in Christo venerabilis memoriæ domna SOPHIA VI. Kal. Febr. obiit. Sed huic in Gandesheim soror eius ADALHEIHT Quidelingensis domna successit, & Abbatiam Aesnidi Theophanu neptis earum obtinuit. Senior noster Thietmarus Episcopus post obitum prædictæ domnæ S. decimas super Gandeshem, circumiacentésque villulas, quas ipsa à nostris senioribus in beneficium habuit, in suam vestituram recipi iussit. Cui Behoca Præposita cum suis fautoribus friuola machinatione restitit. Hasmet decimas ipse modo Abbatissa adueniente, Pontificali auctoritate repetiuit, eásque per manum Aduocati Christiani Comitis cum digna satisfactione in proprium sine quauis interdictione v. Kal. Octobris recipit in Choro Aquilonali: quas postea eidem Altari & Abbatissæ beneficij gratiâ, quandiu ipse viuat representitit: pro eo scilicet censu, quem sanctæ memoriæ B. Episcopus ibidem constituit. Testes, Herimannus Archiepiscopus Coloniæ cum suis quatuor Clericis, Bodo noster Decanus, Ællio, VVolfherus, Volcamardus, Reinbertus, VVolferus, Liudierus, Merkhard, VVerimus, Rihdagus, Thietmarus, Imehi, Adeldagus, Liudierus, VVarmund, VVolferus cum aliis multis laicis, Thietmarus Comes, Vdo Comes, Tiedricus Comes. C

A M.XL. Ind. VIII. Nouus Rex noster Incarnationem Domini Radisbonæ decenter egit, & Purificationem sanctæ Mariæ Augustæ degens, placitum habuit cum Cisalpinis primoribus de rei publicæ stabilitate. HEINRICVS III. 1040.

M.XLI. Ind. IX. Heinricus Rex Ducem Boemiæ Fratislaum bello petiit. Sed multis proceribus & militibus in præstructione siluæ citra & vltra occisis vel captis, nil dignum efficere potuit. Petrus quoque Vngariorum Rex eidem Duci contra Heinricum Regem auxilia misit. 1041.

M.XLII. Ind. X. Vngarij quendam Ouonem Regem sibi eligentes, Petrum Regem suum expellunt. Qui profugus & exul, Heinrici Regis, cui priori anno rebellauerat, gratiam quærit, & inuenit. Heinricus Rex Boemiam ingressus, igne prædáque cuncta deuastat, & rebellem Ducem obsides dare, & ipsum post se Radisponam ad deditionem humiliter venire, sibíque iureiurando fidelitatem seruiciúmque confirmare coartat. Ouo Rex Vngariorum ob susceptum ab Heinrico Rege Petrum à se expulsum fines Baioariæ prædis & incendiis depopulatur. Sed magna pars exercitus eius ab Athelberone Marchione deleta est. 1042.

M.XLIII. Ind. XI. Heinricus Rex Pannoniam ingressus, duas populosissimas ciuitates euertit, plures deditione subiecit. Sed cùm Petrum Regem, quem secum ducebat, Prouinciales recipere nollent, alium quem petebant Ducem eis constituit, quem Ouo post discessum eius in Boemiam reppulit. GISLA Imperatrix mater Heinrici Regis obiit XVI. Kal. Mart. & apud Spiram sepelitur. 1043.
B

M.XLIV. Ind. XII. Heinricus Rex iterum Pannonias inuadens, satisfactionem, obsides, munera pacis per iusiurandum confirmationem accipiens discessit. Inde reuersus Constantiensi Synodo affuit, vbi cunctis debita dimisit. destructísque omnibus inimicitiis, pacem hactenus inauditam tam in tota Sueuia, quàm in aliis sui Regni prouinciis regia censura per edictum confirmauit. Deinde AGNETEM VVillehelmi Pictauensis Principis filiam Reginam apud Mogontiam vngui faciens, regalibus sibi nuptiis in Hingelenheim copulauit. Vnde infinitam histrionum & ioculatorum multitudinem sine cibo & muneribus vacuam & mœrentem abire permisit. Liupoldus Marchio Adalberti filius maxima Vngariorũ clades immaturè obiit. Thietmarus Episcopus obiit, & Ezelinus eligitur. 1044.

M.XLV. Ind. XIII. Heinricus Rex tertiò Pannonias iratus ingrediens, Dei fauente clementia, & beato Vdalrico Episcopo impetrante, victor factus, Ouonem cum vxore & filiis cognatisque, quibus locus euadendi erat, effugabat. Petrum in Regnum restituit, subditóque sibi Vngariorum Regno, summo cum honore reuertitur. 1045.

M.XLVI. Ind. XIV. Heinricus Rex Italiam ingressus, pacificè à Romanis suscipitur. Papas tres non dignè constitutos synodaliter deposuit, & Suidegerum Babenbergensem Episcopum Papam constituit. ipséque & coniux eius AGNES Regina eadem die Imperiali benedictione sublimantur. 1046.

C M.XLVII. Ind. XV. Petrus Rex Vngariorum à quodam tyranno Pannonico captus & cæcatus, ille qui eum expulerat regnare cœpit. Suidegerus Papa obiit, eodem quo constituitur anno. pro quo Boppo ordinatur. Ottho Dux Sueuorum obiit, pro quo Otthò de Suinuurdi surrexit. 1047.

M.XLVIII. Ind. I. Boppo Papa obiit, anno quo constituitur. Pro quo Bruno qui & Leo Tullensium Antistes, Papa ordinatur. Heinricus Imperator nascitur. 1048.

M.XLIX. Ind. II.

M.L. Ind. III. Bartholomeus Archiepiscopus obiit. pro quo Liupoldus ordinatur.

M.LI. Ind. IV.

M.LII. Ind. V.

M.LIII. Ind VI. Leo Papa exercitum ducens per Apuliam contra Nortmannos, infinita vtrobique cæde peracta, absque victoria regreditur, & II. Kal. Iulij eodem anno obiit. 1053.

M.LIV. Ind. VII. Leoni Papa Gebehardus, qui & Victor, successit. Athalbertus Marchio obiit. Fames magna fuit. VVelf Dux Carinthiorum obiit. Conradus Dux antea Noricus ab Imperatore expulsus in Pannonia exul malè moritur. Hezil Comes de Oberestenuelt obiit VI. Kal. Febr. Ezelinus Episcopus obiit, Ettelo eligitur. 1054.

HENRICVS III. M.LV. Ind. VIII. Herimannus Coloniensis Archiepiscopus obiit, pro quo A
domnus Anno ordinatur.

1055. M.LVI. Ind. IX. Magna cædes à barbaris, qui Luittici dicuntur, in Christianos
1056. facta est, quorum quidam gladio, quidam fugientes in aqua perierunt. inter quos VVilleham Marchio occiditur. Hisdem temporibus multi diuersarum prouinciarum Principes perierunt. Fames multas prouincias afflixit. Egestas & penuria vndique præualuit. Multa mala tunc temporis facta sunt. Heinricus Imperator his doloribus cordetenus compunctus infirmari cœpit, & perductus vsque ad mortem, sapienti tamen vsus consilio, ab omnibus quibus potuit veniam petiuit. Quibusdam prædia quæ abstulit restituens, cunctis qui contra eum culpas damnabiles fecerunt relaxans, filium suum HEINRICVM Romani Pontificis, ceterorúmque Pontificum & Principum electione, Regem constituit. His & aliis,
HEINRICVS IV. prout possibilitas vitæ admisit, benè dispositis, III. Non. Octob. hanc vitam præsentem in Deo finiuit.

ANNO Domini MLVII. Ind. IX. HEINRICVS filius Heinrici Imperatoris ad-
1057. modum puer cœpit regnare. AGNES Imperatrix mater ipsius Heinrici Ducatum suscepit Baioariæ. Victor Papa multis in Germania benè dispositis, Romam rediit, & eodem anno vitam finiuit. Pro quo Fridericus, qui & Stephanus, frater Godefridi Ducis, iam Monachus in Monte Cassino factus, à Romanis Pontifex constituitur. Hic etiam eodem anno obiit. Item obierunt, Adelbero Babenbergensis Episcopus, & Otho Dux de Suinuurdi. B

M.LVIII. Ind. X.

1059. M.LIX. Ind. XI. Liuppoldus Moguntin. Archiepiscopus obiit, pro quo Sifridus Fuldensis constituitur. Sanctus Cuno Treuirorum Episcopus martyrizatur. in deserto loco à scopuloso monte ter præcipitatus est à Theodorico Comite, eo quòd absque electione constitutus est, & sepultus est Doleia. Ibi per illum Dominus multa signa tunc temporis fecit. Ipse Comes postmodum pœnitentiam agens, & Hierosolymam pergens, vitam finiuit, & omnes consentanei eius mala morte perierunt. Pro quo Dedo constituitur.

M.LX. Ind. XII.

M.LXI. Ind. XIII.

M.LXII. Ind. XIV.

M.LXIII. Ind. XV.

M.LXIV. Ind. I.

1065. M.LXV. Ind. II. Guntherus Babenbergensis Episcopus obiit. pro quo Herimannus constituitur. Gozvvinus Comes ob exercitatam in Episcopio VVirceburgensi iniuriam à militibus Adalberonis Episcopi occiditur.

M.LXVI. Ind. III. Cometa videtur, & Anglia à Nortmannis subicitur.

M.LXVII. Ind. IV.

M.LXVIII. Ind. V. C

M.LXIX. Ind. VI.

M.LXX. Ind. VII. Dedi Marchio Regi Heinrico rebellat.

M.LXXI. Ind. VIII. Ottho Dux Baioariæ Regi Heinrico rebellat.

M.LXXII. Ind. IX. Coniurant Principes Regni contra Heinricum Regem.

1073. M.LXXIII. Ind. X. Saxones Hartesburg destruunt. vbi Regis filij sepulchrum violant, ossáque dispergunt.

M.LXXIV. Ind. XI. Alexandro Papæ Hildebrandus successit.

1075. M.LXXV. Ind. XII. Bellum iuxta Vnstrhut committitur V. Id. Iunij contra Regem Heinricum, vbi multi potentes ex vtraque parte ceciderunt, & Saxones fugam inierunt.

M.LXXVI. Ind. XIII. Concilium VVormaciæ congregatur, vbi Hildebrandus Papa abdicatur.

1077. M.LXXVII. Ind. XIV. domnus Anno Coloniensis Archiepiscopus obiit II. Non. Decembr. Qui ex fundamento V. Congregationes fecit, duas in Coloniâ, vnam in honore sanctæ Mariæ, aliam in honore S. Georgij Martyris: & extra, vnam in loco qui vocatur Grascabf, & in alio loco qui vocatur Saleuelt: & vnam in monte qui vocatur Sigeberg, in quo feliciter requiescit. Pro quo Hildolfus Episcopus ordinatur. Agnes Imperatrix obiit. RVDOLFVS Rex constitutus est

in loco

A in loco qui dicitur Vorhheim, & in media Quadragesima apud Mogontiam vnctus est in Regem à Sifrido Archiepiscopo. Discordia inter Papam & Regem Henricum renouata pro Regis inobedientia. HENRICVS IV.

M.LXXVIII. Ind. XV. Bellum iuxta Srovvi commissum est VII. Id. Aug. Hildolfus Episcopus Colon. obiit. pro quo Sigevvinus ordinatur. 1078.

M.LXXIX. Ind. I. Bellum iuxta Flatecheim commissum est V. Kal. Febr. Hettilo Episcopus Hildenesheim. obiit. sedit in Episcopatu annis XXV. Cui successit Vdo nobilis eius Canonicus.

M.LXXX. Ind. II. Apud Brixinam Noricam XXX. Episcoporum magnæque partis Optimatum Regni Conuentus contra Hildibrandum habetur. Bellum iuxta Elstret committitur Id. Octob. in quo Rodolfus Rex, qui & Dux, occiditur. 1080.

M.LXXXI. Ind. III. Heinricus Rex Romam obsedit. Bellum inter Liupoldum Marchionem Austriæ, & Conradum fratrem Ducis Boëmiæ IV. Id. Mai. Item bellum inter Sueuos & Baioarios iuxta Danubium, loco qui vocatur Hohstetin III. Id. Aug. Heinricus Rex natus est iunior dictus. 1081.

M.LXXXII. Ind. IV. Herimannus Regnum inuadit, & à Sigefrido Mogontino ordinatur.

M.LXXXIII. Ind. V. Roma capta est ab Henrico Rege, & Hildebrandus Papa B expulsus. & pestilentia magna facta est. Herimannus, qui Regnum inuaserat, Orientalem Franciam hostiliter ingreditur.

M.LXXXIV. Ind. VI. Heinricus Imperator de Italia reuertitur, & Augusta ab eo obsidetur & capitur. Herimannus Babenbergensis Episcopus obiit, qui ab Episcopio expulsus est. Sigefridus Archiepiscopus obiit in Thuringia, & apud Hasungun sepelitur. pro quo VVezelinus constituitur. 1084.

M.LXXXV. Ind. VII. Synodus Mogontiæ apud sanctum Albanum habetur. Obierunt Gregorius Papa qui & Hildibrandus; Tietmarus VVormatiæ Episcopus, Herimannus Palatinus Comes. Heinricus Rex Saxoniam vastat.

M.LXXXVI. Ind. VIII. Saxones cum Seuis VVerceburch obsederunt, ad cuius liberationem Imperator cum magna manu venit. & bellum iuxta Bleihfelt committitur. Sed Rege fugato Saxones vrbem ceperunt III. Id. Aug. Herimannus nomen regium deponit, & ipse mox perit. VVirceburch à Saxonibus capta est, & mox ab Imperatore acquisita. 1086.

M.LXXXVII. Ind. IX. Bertha Imperatrix obiit. pestilentia facta est. 1087.

M.LXXXVIII. Ind. X. VVezil Mogonciacensis Archiepiscopus obiit. Bucco* Halberstadensis Episcopus Goslatiæ occiditur. * al. Burchardus

M.LXXXIX. Ind. XI. Marchio de Brandenburg Hilden. obsedit, & Episcopum Vdonem in ea cepit. Bellum iuxta Glitho castellum in Thuringia iuxta Erpesfort situm inter Imperatorem Heinricum, & Ecgibertum Marchionem in vigilia Domini die Dominica, in quo Burchardus Losannæ Episcopus occisus est. Obie- 1089.
C runt Episcopi, Sigevvinus Coloniensis, Ottho Radisponensis. Constituuntur Episcopi, Herimannus Coloniensis, Ruothardus Moguntinensis, Emehardus VVirceburgensis VIII. Kal. Augusti.

M.XC. Ind. XII. Imperator Italiam petiit. Herimannus Mettensis Episcopus, Liudolfus Dux, & Bertolfus Dux filius Rudolfi obierunt. Eggibertus Marchio occisus est. Domnus Athelbero vicesimus post beatum Burchardum sacrosanctæ VVirceburg. Ecclesiæ Episcopus III. Kal. Iulij constitutus, vixit in Episcopatu annos XLV. menses III. dies VII. obiit II. Non. Octob. 1090.

M.XCI. Ind. XIII. Mahthilt de Longobardia Heinrico Regi rebellat. 1091.

M.XCII. Ind. XIV. Conradus Comes à Fresonibus occisus est cum aliis multis XII. Kal. Aug. & pestilentia magna hominum & pecorum facta est.

M.XCIII. Ind. XV. Magnus Dux Saxonum Sclauos rebellantes XIV. vrbibus captis subegit. V. Aug. circa vesperam eclypsis Solis facta est III. hora diei, & draco visus est. Fratislaus Dux Boëmiæ in venatu de equo cadens subitanea morte discessit.

M.XCIV. Ind. I. Pestilentia magna facta est.

M.XCV. Ind. II. Ladizlaus Rex Pannoniæ vir piæ memoriæ. Item Liuppoldus Marchio, & Heinricus Palatinus Comes obierunt.

HENRICVS IV. 1096. M.XCVI. Ind. III. Populus innumerabilis ex diuersarum gentium partibus duce quodam Monacho Petro nomine armatus Hierosolymam tendens, Iudæos baptizari compulit, renuentes immensa cæde profligauit. Apud Mogontiam Iudæi numero virorum ac mulierum & infantum mille & quatuordecim interfecti sunt, & maxima pars ciuitatis exusta est. Iudæi per diuersas prouincias Christiani facti sunt, & iterum à Christianitate recesserunt. A

M.XCVII. Ind. IV. Imperator de Italia, vbi iam VII. annis manserat, rediit. Conradus patri suo Heinrico rebellat, & ob hanc iniuriam iuniori filio suo Regnum iniungit.

M.XCVIII. Ind. V. Conradus Comes de Hohenburch Regi rebellat, & idcirco expulsus est.

1099. M.XCIX. Ind. VI. Imperator Radisponæ Pascha celebrauit: vbi iisdem diebus magna mortalitas facta est, in qua Rabbodo Palatinus Comes cum aliis innumerabilibus moritur. Conradus Traiectensis Episcopus IV. feria Paschæ à negociatore Fresico crudeliter occiditur. Obierunt Episcopi Vdalricus Eichstadensis, Herimannus Coloniensis, pro quo Fridericus constituitur. Vrbanus Papa qui & Otto obiit. Paschalis succedit. Hierosolyma à Christianis capitur, Godefrido Duce exercitum regente, & innumera millia Maurorum occiderunt, & thesauros Regis Babyloniæ occupauerunt. Filius Imperatoris Heinricus leuatur Aquisgrani, Conrado Rege cum inimicis patris sui in Italia consistente, & consentiente. B

1100. M.C. Ind. VII. Hiemps dura, & fames magna. Vdo Marchio & plures Saxonum barbaros, qui & Luitici vocantur, inuasit, & honorificè triumphauit. Athela Marchya Romam pergens mortua est. Godefridus Dux obiit apud Hierosolymam, & non longè à sancto sepulchro conditus iacet. qui & exercitum Christianorum regebat. pro quo frater eius Baldevvinus constituitur.

1101. M.C.I. Ind. VIII. Imperator Natalem Domini apud Mogonciam celebrauit, vbi multi Principes conuenerunt, & consilium Imperatori dederunt, vt Romam mitteret Nuncios propter vnitatem Ecclesiæ, & Papam constitueret secundum electionem Romanorum & omnium Ecclesiarum. Comes Heinricus gratiam Imperatoris acquisiuit, & ipse Imperator Marchiam Fresonum sibi tradidit. Qui statim illuc pergens cum vxore sua, ipse interfectus est, & illa vix euasit.

1102. M.C.II. Ind. IX. Imperator Natalem Domini Mogontiæ celebrauit, vbi Heinricus Comes de Lintburch Dux effectus est.

1103. M.C.III. Ind. X. Imperator Natalem Domini Mogontiæ celebrauit, vbi Principes conuenerunt. Et in Epiphania Domini Emehardus VVirceburgensis Episcopus apud sanctum Martinum Missam cantauit: & inter Missarum sollemnia quando Episcopus populum monebat, Imperator quasi corde compunctus Deo promittebat pro delictis suis Hierosolymam pergere. Sicque optimates Regni decipiebat. Cùmque Principes ad eius Curiam sæpe conuenirent, nihil de republica agebant præter quod sua ibi consummarent. propterea secum ficta fide versabantur, & aduersus eum conspirabant. Sicque omnes Regni Principes decipiebat, vt nihil rerum veritatis in re publica ageret, nisi quòd suis temporibus cuncta vilescerent. Multæ vrbes & oppida eius bello sunt destructæ. & Ecclesiarum Dei erat raptor, scilicet causâ reconciliandi Principes, illorum prædia distribuendo. Quid multa? nemo vmquam talia in antiquis voluminibus repperit scripta, qualia inaudita perpetrarat facinora: & nisi mira Dei clementia eum sufferret, & ad pœnitentiam distulisset, terra eum viuum sicut Dathan obsorbuisset. C

1104. M.C.IV. Ind. XI. Erat in Radisbona in Natali Domini Imperatoris Curia. vbi Comes Sigehardus quoddam iudicium super clientes iniustè iudicauit. ex qua causa ab eis est occisus. Vnde orta est maxima persecutio Imperatori à cognatis illius, & à cunctis Principibus Regni, quia si vellet ei subuenire, nequaquam esset interfectus. Cùm verò ob id factum non paucos habere sentiret aduersarios, circumquaque ab insidiis eorum vallatus, aptum euadendi cœpit inquirere locum. Tandem discessit, & vt sanctum Pascha celebraret cum suis Mogontiacum venit. Sancto igitur Pascha inibi solemniter peracto, Leodium venit. Quò venire debuerunt, Comes Herimannus, & Magedeburgensis Ecclesiæ Præpositus vocabulo Hartvvigus Comitis Eggelberti filius, Episcopus ibi constituẽdus. Cùmque simul in via essent directi, ipsi suáque omnia à Teoderico Comite de Saxonia sunt captiuitate de-

A centi,& ne ad Curiam peruenirēt impediti. Talia autem ab Imperatore comperta, nimis indignatus, circa festū S. Andreæ congregato exercitu,& filio suo comitate, venit vsque Fridislare. nam abinde debuit in Saxoniam pergere. Ibi nocte quadam filius quosdam de patris sui familiaribus, Herimannum scil. & alios assumens, quod est 11. Id. Dec. clam abscessit,& Baioariam ire contendit. Comperto igitur discidio filij à patre, à Thiepaldo Marchione supranominati Comitis Sigehardi nepote, gaudens cum cunctis regionis illius Primatibus obuiā venit,& honorificè suscepit, optimúmque duxit vt Natalem Domini Radispone celebrarent. Post Natalem verò Domini Nuncios Romam direxit, quærens consilium ab Apostolico, propter iuramentum quod patri iurauerat, numquam se Regnum sine eius licentia & consensu inuasurum. Apostolicus autem vt audiuit inter patrem & filium discidium, sperans hæc à Deo euenisse, mandauit ei Apostolicam benedictionem per Gebehardum Constantiensem Episcopum: de tali commisso sibi promittens absolutionem in iudicio futuro, si vellet iustus Rex gubernator esse Ecclesiæ, quæ per negligentiam patris sui deturbata est multo tempore. Mox vt Apostolicæ consolationis verba percepit, & banni solutionem à prædicto Episcopo, castellum quod vocatur Nurenberc obsedit, & suæ ditioni subegit. At pater mane comperto se priuatum filio, nimio dolore constringitur, & Mogontiæ Natalem Domini celebraturus reuertitur. Obiit Ioannes Spirensis Episcopus. HENRICVS IV.

B Rex Haluerstad venit, & Canonicos, quos Fridericus Episcopus iniustè expulerat, locis & rebus suis restituit, ceterique Canonici banno soluuntur, eò quòd Regis H. anathematizati Episcopo consenserant. Inde Rex adiit Hildenesheim. Cúmque vrbi appropinquaret, Vdo Episcopus cum paucis abiit. Canonici verò banno soluuntur. Ordinati sicut & ordinator ab officio suspendūtur. Post verò Episcopus Canonicorum consilio reuocatus rediit, & banno solutus gratiam Regis obtinuit. Northuson iuuene Rege præsidente, Rothardus Mogontinus Archiepiscopus, & Guichardus Constantiensis Episcopus multis capitulis recitatis, symoniacos à sancta Ecclesia eliminandos esse censuerunt.

M. C. V. Statim post Epiphaniam Legatos direxit (Rex pater) Bauuariam, Coloniensem videlicet & Treuerensem Archiepiscopos, & Ducem Fredericum, & Erlolfum Cancellarium: si quo modo possent reconciliare eum. Filius verò respondens, fatetur nulla ratione ei communicare posse, nisi priùs purgaretur excommunicationis noxa, qua diu tenebatur Sedis Apostolicæ censurâ. Nunciis verò reuersis, iter suum multa comitante caterua direxit Turingiam, ad locum qui dicitur Erphesti, vbi decenter à Ruthardo Mogontinæ Sedis Archiepiscopo suscipitur, & ibidem diem Palmarum,& sanctum Pascha in Quidelenburc celebrauit. Eo siquidem tempore aduenit Patriarcha de Aquileia, eos si fieri posset complacandi gratiâ: dicens non audere sibi communicare, nisi se vellet Deo reum recognoscere, & omni Regno humiliare, insuper & Romanæ Sedi in omnibus obedire. Timebat enim ne & ipsum eius astutis sermonibus deciperet, sicuti ceteros antea sæpè delusit. Idem Patriarcha sanctum Pascha Mogontiæ celebrauit, & post Pascha muneribus ab eo susceptis, ad propria remeauit. Post Pascha verò filius Goslare venit, & ibi generale colloquium cum Saxoniæ Principibus habuit, qualiter Dei adiutorio, & eorum omnium consilio sua deberet ordinare, & Ecclesiam modis omnibus violatam purgare, & à scissione ad vnionem redintegrare. Affluit etiam supradictus Constantiensis Episcopus domni Papæ cooperator fidelissimus, qui Regem & omnes suos ab excommunicationis vinculo soluerat, & quendam Præsulem nomine VVidelonem, qui omnium scelerum & immunditiarum, quæ pater egerat, spurcissimus auctor extiterat, ex Apostolica auctoritate deposuerat, & alium in locum eius, quem Rex & Clerus eiusdem loci elegit, constituerat. Interim verò visum est eidem Gebehardo Apostolicæ Sedis Legato, & Ruothardo Pontifici Mogontino, in ebdomada ante Pentecosten habere Concilium in Turingia, in loco qui dicitur Northusun, & Ecclesiam quantum potuissent ad pristinum reuocare statum, & antiquam Patrum Regulam ibi recitare: scilicet inuasores Episcopos, necnon & eos qui tunc temporis intrauerant symoniacè, viuos deponere, & sepultos effodere, & ab eis ordinatos manus impositionem à Catholicis recipere, & vxoratos Clericos nullum diuinum officium celebrare. His ita diuina inspirante gratiâ ritè dispositis, Rex assum- 1105.

C

HENRICVS IV. ptis Saxonibus, & Ruothardo Archipræsule Moguntino, qui diu à patre suo erat expulsus, post Natiuitatem sancti Iohannis Baptistæ ad Rheni fluminis ripam vsque perueniunt. Econtra verò pater, qui tunc Mogontiæ cum suis mansit, transitum negauit, & hos omnes, maximè Comitem Palatinum, qui filio transmeandi promiserat apparatum, mercede corrupit. classémque nauium ad portum transtulit Mogontinum, manúque militum & ciuium ne transiret prohibuit. At filius videns se patris potentiâ præuentum, & se non posse transmeare, Mogontinus Antistes Turingiam reuertitur. Ipse verò VVezeburc adiuit, & Episcopum Erlolfum, quem pater suus ibidem constituit, deposuit, & Rupertum eiusdem Monasterij Præpositum fecit Episcopum. Cúmque per dies aliquot inibi moraretur, ad Radisbonam iterum reuertitur. Ad Vincula verò sancti Petri pater eius collecto exercitu insequitur eum. per Baiuuariam iter suum direxit, & hos omnes quos poterat, qui filio adhærebant, vastando & igne cremando consumit. & sic ad Radisbonam ire contendit, vbi filium esse cognouit. Vt autem filius audiuit patrem ex improuiso vrbi appropinquare, vix abscessit, & fluuium qui dicitur Regem cum suis transuadauit. Cùm verò vterque eorum paulatim suos congregaret, & Dux Boëmiæ patri in auxilium adueniret, Nuncij inter eos diriguntur, si quomodo possent ad pacem reduci. Sed cùm nulla spes recuperandæ pacis vel concordiæ foret, & pars suæ multitudinis pugnare non auderet, & filio nullomodo posset resistere, nocte cum paucis fidelissimis elabitur, & per Boëmiam Saxoniámque cum magna difficultate saltuum & fluminum transcurrens reuertitur Mogontiam. si fortè transuadandi portum vt antea prohibere valeret. Statim filius cum suis patrem insequitur, & Spiræ venit ad Rhenum, Præfectúmque Spirensem mercede conduxit, & in vigilia omnium Sanctorum nauium apparatum sibi accommodauit, & manu militum, ne quis obsistere posset donec portum transmearet, obtinuit. In die autem omnium Sanctorum Abbatem Hirsovvecensem sublimauit in Episcopum Spirensem. Vt autem compertum est patri filium Spiræ ad Renum venisse, continuò illuc de Mogontia properans, sibi transitum præpedire iam sperans, illum cum suis transuadasse nimium stupefactus audiuit, & mox eadem die nimio perculsus timore rediens, ieiunus & nimis fatigatus Mogontiam venit. Altera verò die Abbatem de sancto Albano nomine Theodericum Spiræ dirigit ad eum, obtestans eum per Deum vt recordaretur se patrem eius esse, & ne tam pertinaciter eum à Regno vellet repellere. Ille audire distulit, sed hoc ille mandauit, vt ab vrbe vellet citus digredi, ne occuparetur ab inimicis. At ille quantociùs vrbem egressus ad castellum Hamersten venit, ibique aliquandiu commoratur. Filius verò Mogontiam venit. Legatos Turingiam post Episcopum mittit, & eum gloriosè sanctæ Ecclesiæ, à qua depulsus fuerat à patre, restituit. Post hæc pater videns multitudinem Principum ex omni Regno Mogonciam confluere, & Apostolici Nuncios debere interesse, & pro certo sciens quia filius generale colloquium ibi vellet habere, cogitans si fortè posset aliqua ratione eorum voluntatem interrumpere, præmisit Palatinum Sigefridum, & Comitem VVillehelmum, qui adhuc conducti mercede secum remanserant, si fortè potuissent condictum placitum filij impedire. ipsúmque post eos prædixit esse clam venturum. Cúmque ad syluam quæ vocatur San aduenissent, & filium cum magno exercitu alia parte reperissent, eísque minimè resistere potuissent, media nocte fugam inierunt. Ipse autem eos insecutus, ad Confluentiam venit. ibi patrem ex alia parte fluminis inuenit. Cúmque ambo inibi conuenissent, pater nuncios misit ad filium, rogans ea quæ pacis sunt. Filius verò trans flumen ad patrem veniens, se pedibus filij sui aduoluit: & quia filius & sanguis eius esset recordari vellet, præmonuit. At contra filius patris genibus aduolutus, rogabat vt Apostolico & omni Regno vellet obedire. quod si nollet cælestem Deum patrem habere, & sibi terreno patri penitus ibi in præsentiarum vellet renunciare promisit, sed minimè compleuit. Cúmque talia, & his similia de statu Ecclesiæ, & de salute animæ eius sermocinaretur per totum diem, vespertino tempore vterque eorum ad hospicium redierunt. pater quidem incumbentibus noctis tenebris temptabat aufugere. sed vallatus vndique ab inimicis nequaquam poterat. Mane verò patre assumpto ad castellum Pinguiam venerunt, & ibi illa nocte pernoctauerunt, & altera die quasi inuitum in Bekelenheim deduxerunt castellum. & in vigilia Natalis Domini Spirensi Epi-

A ſcopo diligenter cuſtodiendum commiſit. Non balneatus, & intonſus, & ab omni Dei ſeruicio priuatus ibi per omnes ſacros dies permanſit. Sicque filius Natalem Domini celebraturus Mogontiam reuertitur. HENRICVS IV.

ROMANORVM XCVI. HEINRICVS Rex patre expulſo cœpit regnare anno M. C. VI. Indict. XIII. Imperator verò nimis cœpit lacrimare, & mœſtus eſſe, & de peccatis ſuis ſibi talia eueniſſe, timens ſibi multò peiora à Principibus futura, rogat Epiſcopum Spirenſem ſe præſentari, ſeſéque conſilio eius & Magnatorum Regni cuncta facturum promittit. Regalia & caſtella, quæ optima & munitiſſima habebat, filio tradere, vt ſaltem ſibi prædia ad vſus neceſſaria impenderet. Epiſcopus verò in Natiuitate S. Ioannis Euangeliſtæ Magonciam venit, ipſe & VVizeburgenſis Epiſcopus ſacræ vnctionis ordinem à Ruothardo Archiepiſcopo acceperunt. & poſt Miſſarum ſolemnia cuncta quæ à patre audierat filio & cunctis Principibus enarrauit. Cúmque Regni Principes hoc audiſſent, condixerant conuenire ad Ingelenheim II. Kalendarum Ian. Ibíque Imperator eſt præſentatus. Regnum filio tradidit, atque omnium pedibus prouolutus, præcipuè Cardinali Legato Apoſtolicæ Sedis veniam & abſolutionem banni precabatur, confitens ſe multo tempore anathematizatum eſſe à Papa Hildibrando. & iniuſtè ſuper eum conſtituiſſe VVicbertum Papam, & ſuis temporibus rem publicam nimis eſſe turbatam. & cuncta quæ ſibi obiecerant confeſſus eſt, excepto 1106.
B quòd idola non adoraret. Cardinalis autem, qui inopinatè ad hæc facta conuenerat, dicens ſe nullo modo tam magnam perſonam ſuſcipere, propter quem tanta mala in toto Regno ſunt perpetrata, niſi ipſemet Apoſtolicus adueniret. Depoſitò verò patre, filius Mogontiam cum Regni Principibus reuertitur. & propter regalia VVerinherum Comitem Hamerſten miſit, & nequiſſimum Volcmarum, qui fuit conſiliarius patris, & omnium ſcelerum conſcius, & in vigilia Epiphaniæ ea attulit. & à Ruothardo Archiepiſcopo, & omni Clero & populo honorificè ſuſcipiuntur. & ea coram Principibus filio tradidit, ita dicens: ſi non iuſtus Regni gubernator exſtitiſſet, & Eccleſiarum Dei defenſator, vt ei ſicut patri ſuo eueniſſet. Imperator autem vt vidit ſibi denegatam eſſe veniam, cogitans ſecum quomodo excitaret vindictam erga rem publicam, Coloniam venit cum paucis qui ſecum remanſerant. ciuibus illis omnia quæ ei acciderant flebiliter enarrauit. Deinde venit Leodio, ibíque honorificè ab Epiſcopo & ciuibus eſt ſuſceptus & conſolatus. Conuocauit ad ſe Ducem Heinricum & alios plures Optimates, eorum pedibus ſe aduoluit, petiuítque ab eis auxilium, euentúmque ſuum eis per omnia enarrauit. Illi verò vt audierunt eius querimoniam, miſericordiâ moti ſuper eum, fidele ſibi adiutorium promiſerunt, optimúmque duxerunt vt Paſcha Domini cum eis ibidem celebraretur. Filius autem vt hoc audiuit, nunciauit Regni Principibus ibidem conuenire, & placitum cum patre habiturum. mouit exercitum magnum, venit ad Aquaſgrani,
C præmiſitque quoſdam de exercitu ad flumen qui vocatur Moſa pontem ſibi obtinere. Hoc verò audientes, qui patri auxilium promiſerunt, ſcilicet filius Ducis, ex altera parte fluminis conuenerunt. Inſtigante diabolo in Cœna Domini magna cædes facta eſt inter eos. Multi etiam per emerſionem fluminis perierunt. Rex verò vt comperit hoc factum, timuit ne inimici irruerent ſuper eum. Declinauit indè, & ad caſtellum Bunna venit, ibíque ſanctum Paſcha prout potuit celebrauit. Deinde verò viſum eſt ei apud VVangionem ciuitatem placitum habere Pentecoſten. ibíque Henricum Ducem rebus publicis priuauit. Pater autem cum gaudio magno Leodio Paſcha Domini cum ſuis celebrauit, & poſt ſanctum Paſcha iterum Coloniam reuertitur, ciuéſque illi cum iuramento vrbem ſibi cuſtodire promiſerunt. ac deinde ſicut docti fuerant ab eo, intus & foris ſe oportunè munire cœperunt. Rex verò vt vidit verſutiam patris, & antiquam exercere malitiam, aduerſus R. P. magnum congregauit exercitum de omni Regno, & poſt feſtiuitatem Sanctorum Petri & Pauli ad partes Confluentiæ venit. ibíque collecto exercitu Coloniam venit, eámque obſedit. Colonienſes verò vt boni milites ſtabant imperterriti, fortiter ei reſiſtentes, & ſtrenuiſſimè qualiter numquam antea eſt viſum decertantes, & quidam genus hominum qui vocatur GELDVNI, quos Dux Heinricus eis in auxilium miſerat, viri bellatores & ſtrenui, & nimis docti ad prœlia, idcirco ciciderunt mul-

HENRICVS V. ti venerati, & Regis exercitus minimè eis poterat præualere. Cúmque per tres ebdomadas ibi resideret, & nulla spes sibi acquirendi esset, amouit exercitum ad Aquasgrani. Erat enim æstas magna, & præ nimio feruore non poterat exercitus ampliùs sustinere laborem. Contigit autem interim Imperatorem Leodio ægrotasse, & perductus vsque ad mortem Kalend. August. diem vltimum clausit. Gladium & diadema, quæ adhuc secum habebat, filio suo misit, cum Erkenbaldo fidelissimo Camerario suo, & Burchardo Episcopo de Monestere, quem tunc vinctum tenebat, mandauítque ei, vt omnibus veniam daret, & indulgeret, qui secum in angustiis suis permanerent. & rogans eum etiam Spiræ iuxta parentes suos sepelire. Rex verò statim conuocauit ad se Principes Regni, & quærit ab eis consilium, quid de patris exequiis esset facturus. Erat enim humatus, sicut Regem decebat, si apud Deum meruisset, apud sanctum Lantbertum Leodio honorificè, ab Episcopo qui semper sibi extiterat fidelis in omnibus. Tunc Principes Regni sibi dederunt consilium, vt præciperet eum effodi, ne esset in eadem sententia qua pater, si vllas sibi faceret exequias, & in ædem non consecratam illum poneret. & Romam nuncios mitteret, & ab Apostolico banni solutionem si fieri posset sibi impetraret. Sicque factum est vt prædiximus, & in quandam Mosæ insulam est positus, nullúmque diuinum officium vlteriùs super eum est factum, nisi Hierosolymitanus quidam Monachus casu venit, & sibi die noctúque vsque dum ibi stabat indesinenter psalmodiam cantabat. Pro dolor! quòd vnquam talis persona ita meruit tractari à filio suo, & à Regni Principibus, & nisi adesset vltio diuina, nequaquam in extremis suis ei sic eueniret. Post hæc placuit Regi, vt patrem suum Spiram deferret, & præcepit de aliquibus familiaribus suis, maximè Erkanbaldo, qui semper in angustiis suis sibi adhærebat, vt sibi illuc præberet famulatum. Cúmque III. Non. Septembr. illuc allatus esset, solito more defunctorum exequiis honorificè à clero & populo suscipitur, & in Basilicam sanctæ Mariæ, quam summo studio construxerat, portabatur. Idcirco Episcopus interdixit illum diuinum ibi celebrare officium, donec purgarentur ab hoc facto. Et sic extra Monasterium fecit corpus statui in Capella nondum consecrata. Vnde factus est tumultus & planctus magnus in populo, quia dilexit locum & populum præ omnibus. Post hæc multo tempore inhumatum corpus ab incolis ibi frequentabatur. Leodiensis verò Episcopus, cum aliis qui Regi rebellauerant, cùm viderent se esse destitutos morte Imperatoris, Aquasgrani ad deditionem venerunt: excepto Duce Heinrico, qui in rebellione permansit. His expletis, Rex cum magna ira reuersus est Coloniam, præcepitque per omnes ciuitates Regno adiacentes congregare exercitum, vt sibi in adiutorium nauigio venirent, vt se vindicaret in eis. Colonienses hoc audientes, nimis indè stupefacti, & perterriti, & vndique ab inimicis vallati, & in nullo spem habentes, promiserunt se Regi daturos VI. millia talentorum argenti. Rex verò dolens quia multi cecidissent in obsidione, diu denegauit: tandem Deo inspirante concessit. & sic exercitus elabitur, & vnusquisque cum gaudio ad propria reuertitur.

QVINTO die post mortem Heinrici Imp. Comes Theodericus de Embike Aquisgrani moritur. Dux Magnus Saxonum moritur, & Ducatus Liutgero de Supelingeburg commendatur.

1107. M.C.VII. Ind. XIV. Papa ex Synodi sententia apud Trecas Rothardum Mogontinensem Episcopum ab officio suspendit, eò quòd Vdonem Hildes. sine Ecclesiæ consensu restituit, & quia Reinhardum contra iura canonum Haluerstadensi Ecclesiæ ordinauit. Similis sententia de Guichardo Constantiensi .... atur, quia his consensit qui Godescalcum Mindensi Ecclesiæ loco Episcopi intruserunt, & quia Heinricum Magdeburgensem ordinauit. Omnibus ibi Ecclesiis Apostolicus libertatem, vt ex præcepto canonum Prælatos sibi eligant quos dignos viderint, restituit.

REX HEINRICVS obuiam Papæ Radisponam venit, sed Papa non veniente, ibidem Natalem Domini celebrauit. Pascha verò Mogonciæ celebrauit, indéque obuiam Papæ in confinio Lotharingiæ & Franciæ: per triduúmque Legatis inuicem missis, infecto pro quo venerant negocio discesserunt. & Rex Mettis in Pentecoste fuit. Indè Saxoniam veniens, inuenit ibi Ducem Boemiæ patria

A pulsum, quem reduci iussit in Ducatum per Comitem VVicbertum. His diebus cùm Rex esset Goslariæ, tonitruum cum fragore super eum dormientem veniens nocte excitatum perterruit, fulménque sequutum vmbonem clypei ad caput ipsius positi, partémque gladij iuxta latus eius iacentis liquefecit, ipso illæso permanente. Deinde circa festiuitatem omnium Sanctorum cum exercitu Flandriam petiit, & pacto cum Comite illius prouinciæ Roperto confirmato, Aquisgrani venit. ibíque Natalem Domini celebrauit.

M. C. VIII. Ind. XV. Rex de Vngaria contra Regem conspirare cœpit. Quod 1108. cùm audisset Rex, collecto exercitu circa festiuitatem S. Michaëlis bello eum petit. Eodem anno Rex Palatinum Comitem Sifridum retrusit in custodiam.

M. C. IX. Ind. I. Heinricus Rex Natalem Domini Mogontiæ celebrauit. & 1109. post Pentecosten Regem de Bolena bello petiit, eúmque nimis coartat. Eodem anno desponsauit filiam Regis de Anglica terra. Rothardus Archiepiscopus obiit. Archiepiscopus Coloniæ Fridericus, Bruno Treuerensis, Cancellarius Adelbertus, Comes Herimannus de VVinceburch, aliíque Principes satis clari Romam cum pompa non parua vadunt, inter domnum Apostolicum & Regem concordiam facturi. Domnus Apostolicus omni paternitate, omni mansuetudine eum se excepturum spondet, si ipse se vt Regem Catholicum, vt Ecclesiæ filium & defensorem, vt iustitiæ amatorem sanctæ Romanæ Sedi exhiberet.

B M. C. X. Ind. II. Non. Martij Synodus gloriosa in Lateranensi Ecclesia præsidente domino Papa Paschali celebratur. Prædicti Legati Leodium ad Regem 1110. veniunt, responsum Papæ referentes. Ibi Rex Anglici Regis filiam sponsam suscepit, quam in Pascha apud Traiectum regio more dotauit. Expeditio in Italiam ab vniuersis Occidentis Principibus Traiecti collaudatur. Circa V. Non. Iun. stella adulta iam nocte apparuit, radios admodum longos versus austrum de se effundens. Eclypsis Lunæ facta est II. Non. Martij. Slaui regionem Albianorum irrumpunt, multísque occisis & captis redeunt. Inde Dux Liutgerus permotus terram Slauorum hostiliter inuadit, regionem prædabundus perambulat, nouem vrbes munitiores & opulentiores capit, obsidibúsque ab ipsis acceptis victor redit. Circa assumptionem sanctæ Mariæ Rex regio apparatu Italiam ingreditur. Omnes ciuitates munitæ, omnia castella Regi subduntur.

M. C. XI. Ind. III. Rex Natalem Domini apud Florentiam celebrat. Quo 1111. peracto, II. Idus Februarij Romæ ab Apostolico honorificè excipitur. Datis autem vtrimque obsidibus, in Ecclesia beati Petri consident, super negociis Ecclesiasticis tractaturi. Dum hæc aguntur, factione quorumdam tumultus in Ecclesiæ gradibus oritur. vulnerantur plures, quidam trucidantur. Quo audito à Rege, Concilium disturbatur, Apostolicus cum Cardinalibus regiæ custodiæ deputatur. Romani trans pontem vltra Tyberim diffugiunt. Eadem nocte tota ciuitas Lateranensis tumultu bellico concutitur. Orto mane, erectis signis Lateranenses vnaC nimiter Regem ex improuiso inuadunt. Cubicularij verò Regis arma corripiunt, multitudini viriliter resistunt. Rex verò, & acies sua iam adaucta, quæ priùs rara erat, venientes audacter inuadit, occurrentes multos obtruncat, ceteros fugat: plenáque victoriâ potitus, adducto secum Apostolico cum Cardinalibus versus Albam ciuitatem tendit. castra in campis vrbi adiacentibus figit, vbi per totam Quadragesimam moratur. His ita gestis, Regis Optimates quidam communicato consilio Papam, qui adhuc in custodia regia detinebatur, adeunt, monent, orant, vt super Regis negocio mitiùs agat. iniuriæ, si quam aduersus Regem habeat, obliuiscatur. fœdus cum Rege ineat. Regis sibi fidelitatem & obedientiam proponunt. Omnimodo sollicitant, vt quæ pacis & concordiæ sunt cum primoribus Regni disponere dignetur. Rex ipse pedibus eius humiliter profusus veniam postulat, obedientiam spondet, dum modò ei in Regia potestate iure antecessorum suorum Catholicorum Regum vti concedat. Sicque sæpiùs domnum Papam, vt animi rigorem aliquantisper temperaret attemptauit. Tandem Papa vincitur & cedit, & sic Romam honorificè redire permittitur. Igitur cum Cardinalibus ceterísque personis ad tale negocium dignis de consecratione Regis tractat. Statuta autem die, scil. Id. Aprilis in Ecclesia beati Petri Regem Imperatorem consecrat. Cúmque vsque ad communicandum Missæ solemnitas esset celebrata, Apostolicus dato silentio Regem sic alloquitur: Hoc corpus Domini nostri, id est Christi,

HENRICVS V. natum ex Maria Virgine, passum pro salute generis humani, sit confirmatio veræ pacis & concordiæ inter me & te. & communicantes inuicem osculati sunt. Post hæc Imperator Apostolicum regiis muneribus donat. à quo tanquam filius à patre salutatus dimittitur. Pentecosten Veronæ celebrat. VII. Id. Augusti cum frequentissimo Episcoporum aliorúmque Principum conuentu patrem suum regio more Spiræ sepelit. A

IN Assumptione sanctæ Mariæ apud Mogontiam Adelbertus, omnium Cancellariorum qui ante eum fuerant in Aula Regis celeberrimus, præsente Imperatore & consentiente, vnanimi Ecclesiæ electione Mogontinus Archiepiscopus constituitur. Palatinus Comes Sifridus solutus honori suo restituitur.

1112. M. C. XII. Imperator Natalem Domini Goslariæ celebrat. Dissensio Liutgeri, & Marchionis Rodolfi cum Imperatore. Vnde Principum sententiâ vtrique damnantur. Ducatus Ottoni de Ballenstad committitur, Marchia Elperico. Imperator Saltvvidele obsidet. ipsi non longè cum Imperatore pugnaturi cum exercitu manent. Sed bellica tandem rabie dissipata, prædicti Principes gratiâ Imperatoris vtuntur. Adelbertus Mogonciensis electus regiæ custodiæ mancipatur.

1113. M. C. XIII. Reynhardus Episcopus Haluerstadensis, & VVicbertus, infidelitatis apud Imperatorem secundò denotantur. Imperator absente Episcopo Haluerstad venit. Horneburch obsidet. Episcopus verò, & Palatinus Comes Sifridus, VViebertus, & Comes Lothovvicus, cum Imperatore pugnaturi, castris haud longè fixis manent. Sed deditione vrbis facta, ipsique Episcopo die statuta, vt se si posset de obiectis excusaret, bellicus ille tumultus solutus est. Imperator verò versus Rhenum vadit. Dum hæc aguntur, VVicbertus ab amicis Imperatoris capitur. Sifridus Palatinus Comes occiditur. Quæ res Imperatori non modicam lætitiam contulit. Imperator VVormaciæ Pascha celebrat. Eò adducitur Episcopus Mogontinus. Triueles Imperatori redditur. denuò custodiæ mancipatur. Post Pascha Imperator Goslariam regreditur. Reynherus Episcopus interuentu Principum gratiam Imperatoris obtinet. Horneburch concrematur. B

1114. M. C. XIV. Imperator Natalem Domini Bauenb. celebrat. Altera die post Epiphaniam collectis totius Regni Principibus nuptias filiæ Regis Anglici cum ingenti gloria consumat, qualesante eum nemo Regum longo ex tempore disposuit. Ibi Lothovvicus, qui se putabat benè in gratia Imperatoris esse, iussu eius comprehenditur, & custodiæ mancipatur. Quæ res multos Principum contra Regem exacuit. Vdo Hildes. Episcopus obiit.

1115. M. C. XV. Imperator Natalem Domini Goslariæ celebrat. Duci Liutgero, Episcopo Haluerstadensi, Palatino Comiti Fritherico, Marchioni Rodolfo, vt Curiæ huic intersint edicit. Non veniunt. In præsidio interim VValbike commorantur. Imperator Brunesvvich occupat. Haluerstad deuastat. Orlagemundeh ab amicis eius obsidione vallatur. Contra quos Liutgerus & Principes prædicti, adiunctis sibi Frithetico Comite VVestfaliæ, Heinrico fratre suo, Heinrico de Lindburch, Herimanno de Cauelage, tendunt. Imperator verò eis in loco, qui dicitur VVelpesholt occurrit. ibique III. Idus Februarij acriter cum eo congrediuntur, & victoria plenè potiuntur. In Natiuitate sanctæ Mariæ Theodericus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Presbyter cum frequenti Saxoniæ Principum conuentu Goslariam venit, & quædam de Ecclesiasticis negociis vtilia disseruit. Paucis diebus interiectis, id est ante festum omnium Sanctorum, Frideslar conueniunt, quæ ad honorem Regni & vtilitatem sunt tractatur. Sub eodem tempore Imperator Mogontiam venit. Cùm subitò eiusdem vrbis familia, tam nobiles, tam ministeriales ipsum adeunt, orant, ad omne seruicium suum fidelissimos se amodò promittunt, dum Episcopum, quem iam triennio captum tenuit, eis reddat. Tandem precibus eorum victus, tum etiam quasi vi pro temporis articulo coactus, Episcopum eis reddidit. C

1116. M. C. XVI. Theodericus Cardinalis moritur, Coloniæ sepelitur, astantibus Episcopis XIV. cum Liutgero Duce, multisque aliis Principibus. In Natiuitate sancti Stephani Mogontinensis electus ab Ottone venerabili Bauenbergensi Episcopo ordinatur. Magna aëris inæqualitas facta est. Circa Natalem Domini Luna clarè fulgente, alia orta est ab Occidente. Qua diu cum naturali Luna congressa, modò assultus, modò fugam vtrisque simulantibus obscurissima tandem nube

A tectæ sunt. qua recedente, naturalis Luna sola fulgebat. simul quoque conflictus in stellis visus est. HENRICVS V.

M. C. XVII. In Octab. sancti Iohannis Euangelistæ latè per orbem terribili & inaudito hactenus terræmotu terra concutitur. Maximè verò in Italia minax hoc periculum per multos dies continuè desæuit. adeò vt montium collisione & subuersione Edissæ fluminis meatus per aliquot dies obstrueretur. Verona ciuitas Italiæ nobilissima ædificiis concussis, multis quoque mortalibus obrutis, corruit. Similiter in Parma & in Venetia, alijsque vrbibus, oppidis, & castellis, non pauca hominum millia interierunt. Vnstrot fluuius aluei sui profundo scisso ex toto absorptus est terræmotu. Repleto autem ipso hiatu, licèt post multa horarum spacia solito fluebat lapsu. Abbas Corbeiensis Erk. pluresque de Saxonia Hierosolymam vadunt. Paucis ante Natalem Domini diebus cœlum post Solis occasum igneo colore latè resplenduit, nec longè post quasi radius Solis latè emicuit. Luna quoque prodigiale intuentibus signum edidit. 1117.

M. C. XVIII. Dominus Papa Paschalis feliciter ad Dominum migrauit. Successor ei eligitur Iohannes ipsius antea Cancellarius, qui & Gelasius dictus est. Imperator verò alium surrogat Bacarensem scilicet Episcopum, quem Gregorium vocauerunt. Quo facto, Iohannes electus Apostolicus Beneuentum secedit. Imperatorem cum idolo suo, (hoc enim nomine quem ipse substituit vocatus est,) omnesque huic parti consentientes excommunicauit. Mogontini Archiepiscopi milites, 1118.
B Comesque Heremannus præsidium Ducis Friderici in Oppenheim diruunt, concremant, multique igne absumpti sunt. Baldvvinus Rex Hierosolymitanus post multos pro Christiana Religione labores moritur, & iuxta fratrem suum Godefridum sepelitur. Hierosolymitani alium Baldvvinum nepotem suum in locum eius substituunt.

M. C. XIX. Domnus Apostolicus Gelasius Synodum in Francia celebraturus apud Cluniacum moritur, ibique sepelitur. Cui Archiepiscopus Viennæ vir religiosus succedit, Kalistus nomine. Imperator & Principes Regni in festiuitate sancti Iohannis Baptistæ conueniunt, & in concordiam redeunt. Ita tamen vt omnis causa, quæ hactenus Ecclesiam disturbauerat, & inter eos fomitem discordiæ ministrauerat, in præsentiam domni Apostolici Kalisti differretur. Multi mortalium à lupis deuorantur. Calistus Papa Synodum Remis circa festum S. Lucæ celebrat. cui Adelbertus Mogontinensis Archiepiscopus, pluresque Episcopi Germaniæ interfuerunt. Imperator non longè cum suis consistit, auditurus super Synodalibus decretis. sed nihil quod ad reconciliationem pertineret actum est. immò Imperator anathematizatus est. 1119.

M. C. XX. Dux Liutgerus, Fridericus Palatinus Comes, Rodolfus, & plures alij Imperatori reconciliantur Goslariæ. fames valida. Modius siliginis duobus solid. ven. 1120.

C M. C. XXI. Dux Liutgerus, Comes H. de VVinceburch, numerosa & forti manu Monasterium vadunt pro restituendo Theoderico Episcopo. In qua restitutione incautè S. Pauli templum nobiliter constructum incendio conflagrauit, cum omni ferè vrbis loco. Prædictus Dux omnes ferè vrbis defensores tam nobiles quàm ministeriales captos abducit. His actis, Dulmene vrbem munitam in deditionem accepit. Circa festum S. Michaëlis in Sede Episcopali VVerciburch Imperator & totius Regni Principes conueniunt, & in concordiam redeunt: iudicio & consilio domni Apostolici causam Imperatoris determinandam reseruantes. 1121.

M. C. XXII. Festo Natalis Domini vehementes turbines ventorum innumera ædificia & arbores à radicibus subuertunt, & inundatio aquarum ex imbrium distillatione supra quàm cuiquam mortalium credibile sit euenit. multisque mortalibus summersis, his qui euaserant diuturni doloris causa extitit. Circa festum sanctæ Mariæ Spiræ conuentus Principum fit. Ibi Episcopus Ostiensis vir religiosus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus, consulente Papa Calisto, Imperatorem banno absoluit. Imperator verò vt Ecclesiasticæ iustitiæ satisfaceret, inuestituras Ecclesiasticarum dignitatum S. Petro remisit: ita duntaxat, vt libera electione præcedente, & Canonum grauitate conseruata, Imperialis auctoritas quod sui iuris est in constituendis Episcopis siue Abbatibus vel Abbatissis non amitteret. & 1122.

HENRICVS V. si in constituendis his dignitatibus discordia, vt sæpè fit, oboriretur, Imperialis potestas consilio sapientium contrairet. A

1123. M. C. XXIII. Adelbero Bremensis Archiepiscopus canonicè electus, pro reposcenda pallij dignitate Romam vadit. Ibi à domno Apostolico Calisto honorificè suscipitur, in Archiepiscopum ab eo consecratur, habitáque Synodo canonico & iudiciario ordine pallium obtinuit, negligentiâ duorum antecessorum suorum amissum, & in Danos translatum.

1124. M. C. XXIV. Eclypsis Lunæ facta est Kal. Februarij. Magnæ molis grando cecidit VIII. Kal. Aug. Eclypsis Solis facta est III. Idus Augusti. Magna fames accidit. Calistus Papa obiit. cui Honorius successit.

1125. M. C. XXVI. Imperator Traiecti infra hebdomadam Pentecosten obiit. corpus eius Spiram defertur. In festo S. Bartholomei omnes totius Imperij Principes Mogonciæ conueniunt, omnes vnanimiter Ducem L. in Regem eligentes.

LOTHARIVS. M. C. XXVI. Nouus Rex Natalem Domini apud Argentinam celebrat. de-
1126. hinc ad patriam redit. Rotgerus Parthenopolitanus Episcopus obiit. cui Northbertus succedit. Rex rapta acie admodum parua in Boëmiam pro restituendo Ottone, qui iniustè priuatum se honore prædictæ prouinciæ querebatur, tendit, incautè quidem. Tria enim millia, non plus, secum assumpsit. Hostium verò XX. millia aut ampliùs erant. Ducenti verò expeditiores Regem præcedebant, ad præcidendas indagines siluæ, quæ Boëmiam à Saxonia disterminant, dispositi. Cúmque hi per inuia & abrupta siluæ quasi repentes laborarent, tum niuium magnitudine, tum indaginum incisione fatigati, hostium insidiis ex improuiso circumueniuntur. Obtruncantur ibi plerique terræ meliores, viri fortes & nobiles, domi militiáque clari. Rex expeditionem mouet super Fridericum Ducem Sueuiæ vel Alsatiæ. sed eo in munitiora terræ se recipiente, Rex infecto negocio redit. Treueris apud S. Eucharium reperitur corpus S. Mathiæ Apostoli subtus altare Iohannis Baptistæ. Quo dignè locato, deinceps ab omni populo Teutonico maxima deuotione colitur. B

1127. M. C. XXVII. Rex Norinberch vrbem munitissimam obsidione premit. sed nil relatu dignum actum est ibi. sed sine effectu cum damno suorum indè rediit. Heinricus Patherb. Episcopus obiit. cui Bernhardus succedit.

1128. M. C. XXVIII. Circa festum S. Iohannis Baptistæ Rex expeditionem contra Cuonradum fratrem Friderici Ducis mouit, obsedítque vrbem Spiræ, acceptísque obsidibus circa festum S. Martini discessit.

1129. M. C. XXIX. Post Pentecosten Rex vrbem Spiræ iterum obsidione vallat, quia fidem quam superiori anno dederant infregerunt.

1130. M. C. XXX. Rex Natalem Domini cum multa frequentia Principum circa vrbem Spiræ in tentoriis celebrat. Tandem Spirenses videntes constantiam Regis, fame coacti sese cum ipsa vrbe Regi tradiderunt in festo Sanctorum Innocentium. Honorius Papa obiit. cui Innocentius successit. Burkardus de Lucca occiditur. Vnde Rex contristatus & iratus, VVinceburch castrum Herimanni Comitis, cui huius cædis consilium & iussum imponebatur, obsidione circumdat. C

1131. M. C. XXXI. Rex Natalem Domini Gaudersem celebrat. Herimannus consilio Principum cum prædicto castro Regis se potestati tradit. Quem Rex custodiæ deputat, castrum verò euerti solo tenus imperat.

1132. M. C. XXXII. Translatio S. Godehardi facta est. Circa Assumptionem sanctæ Mariæ profectio Regis in Italiam pro consecratione sua ab Apostolico apud Romam in Cæsarem. In quo itinere cùm ad vrbem Augustanam venisset, eam pacificè ingressus est. sed quorumdam ciuium factione seditio contra Regis homines exorta est. & hac de causa repentino igne, vt in tali tumultu fieri solet, ciuitas ferè tota conflagrauit, & multi tam gladiis quàm flammis perierunt.

1133. M. C. XXXIII. Rex Natalem Domini in Longobardia apud villam Medicinam dictam celebrat. Per Italiam pleraque loca munita sibi resistentia capit. Tandem II. Kalend. Martias Romam cum summo fauore ingreditur. ibique II. Non. Iunij, quo tunc dies Dominica extitit, Lateranis in Basilica S. Iohannis Baptistæ à domino Apostolico Innocentio in Imperatorem consecratur. Bernhardus Patherb. Episcopus, qui tunc cum Rege aderat, vsum Rationalis in celebrationibus Missarum constitutis temporibus & dedicationibus Ecclesiarum, seu or-

A dinationibus Ecclesiasticorum graduum in proprio tantùm Episcopatu sibi suisque successoribus à prædicto Papa Innocentio promeruit. Post hæc Imperator in reditu cùm ad locum quendam venisset, qui propter situs angustiam Clus, quasi præclusus vocatur: quippe ex vna parte excelsissimo monte adiacente, ex altera parte profundissimo flumine currente, via in medio, quatuor seu quinque itinerantium simul spacio patente. Et cùm ibidem transitus Imperatori ab incolis negaretur, ipse miro euentu, & perspicuo Dei auxilio, eundem locum celeriter irrumpendo, fugatis hostibus cum suis pertransiit, & vrbem in supercilio ipsius excelsissimi montis positam repentino assultu cepit, & Principem eiusdem vrbis captiuum secum abduxit. Duo circuli, maior & minor, circa Solem apparuerunt III. Kal. Iulij circa horam tertiam. Minor circulus ambiens principale templum Patherbrunnensis Sedis, & maior circumdans ciuitatem, ibidem consistentibus videbatur. Ipsa die hora IX. ipsum templum cum omni ferè ciuitate, proh dolor! incendio conflagrauit. Eclypsis Solis facta est IV. Non. Aug. circa horam sextam, in tantum vt stellæ in cœlo apparerent. Magna inæqualitas aëris & pluuiarum inundatio per totum tempus messis subsecuta est. Rex Danorum pluribus aduenis Teutonicis terram suam incolentibus truncationes membrorum facit. Hac de causa Imperator super eum expeditionem mouere intendit.

M. C. XXXIV. Imperator Pascha Haluerstad peragit. Ibi Rex Danorum ve- 1134.
B niens sese in potestatem Imperatoris tradit, obsidésque dat, iuramentum facit, se successorésque suos nonnisi permissu Imperatoris successorúmque suorum Regnum adepturum. & pulchro spectaculo nullis retro tempóribus audito, ipso secundo die Paschæ idem Rex Danorum regio more coronatus coram coronato de more Imperatore gladium ipsius portat. & sic in gratia Imperatoris repatriauit. Nortbertus Magdeburg. Archiepiscopus obiit. cui Conradus successit.

M. C. XXXV. Dominica ante mediam Quadragesimam, scilicet XVI. Kal. 1135.
Aprilis, frequens Principum ferè totius Regni Conuentus fit apud Bauenberg, Imperatore præsente. Ibi Dei gratiâ aspirante, Fridericus Dux Sueuorum comitantibus Principibus in concordiam cum Imperatore sociatur. In festo Pentecosten apud Magadeburgum primùm Principes Regni coram Imperatore firmissimam pacem domi forísque ad X. annos iurauerunt. In festo S. Michaëlis, in loco qui dicitur Mulenhusem Conradus frater Friderici Ducis Imperatori reconciliatur.

M. C. XXXVI. Irruptio Slauorum in partes Saxoniæ. contra quos Adalbertus 1136.
Marchio exercitum mouens, terram eorum non semel hostiliter inuasit, & depopulatus est. Circa Assumptionem sanctæ Mariæ expeditio Imperatoris in Italiam.

M. C. XXXVII. Imperator Natalem Domini, similiter & Pascha, in Italia ce- 1137.
lebrat. Pentecosten verò apud Barum cum generali Italicorum Principum. Ibi Bruno Coloniensis Archiepiscopus obiit. cui Hugo Decanus S. Petri successit,
C qui & ipse post paucos dies ibidem obiit. ibi ambo conditi iacent. Princeps Apuliæ Rozir nomine, ob cuius insolentiam maximè Imperator Italiam intrauerat, statuit castrum satis munitum in ipso latere ciuitatis Baræ, in quo castro multitudinem prædonum collocauerat, qui terra maríque quæque attingere poterant inauditis miseriis & calamitatibus regiones opprimebant. Simili modo per totam ferè Italiam fecerat. Pentecoste celebrato Imperator castrum cum exercitu circumdat. quod nimio sudore expugnans igni tradit, solóque coæquat. Prædones comprehensi suspensi sunt circa turrim exustam, numero quingenti, vel eo ampliùs. Quo terrore omnis ciuitas, omnis munitio regiæ se potestati tradit. Exin Imperator in Calabriam transiuit. Ibi Legati Græcorum ad eum magnificè veniunt. Quos ipse magnificentiùs suscepit ac dimisit. Adelbertus Mogontinensis Archiepiscopus obiit. post cuius obitum ciuitas vna cum principali Templo igne concremata est. Marchio Adelbertus collecta valida manu hiemali tempore terram Slauorum prædabundus perambulat. Imperator rebus in Italia compositis, in ipso reditu II. Non. Decembris obiit. Corpúsque eius delatum in patriam sepelitur regio more in hereditate paterna, in loco qui dicitur Lutheron.

FINIS.

A

SCRIPTORES ITALICI,

QVI DE REBVS AD FRANCORVM Historiam pertinentibus tractarunt.

PETRI BIBLIOTHECARII

HISTORIA FRANCORVM ABBREVIATA,

Ab anno CHRISTI DCCXV. vsque ad annum DCCCXCVIII.

Quam Gabriel Naudæus Regius Medicus Romæ degens ex Codice MS. describi curauit.

B

ARINVLFVS Metensis ciuitatis Antistes genuit Anchisum, Anchisus Pipinum Regem, qui post mortem VVolfaldi Ducis Austriæ partem regebat, Regnúmque Francorum obtinuit cum Regibus Huludauico, Hildeberto, & Dagoberto. Moritur anno
715. II. Anastasij Imperat. ab Incarnat. Domini DCCXV.

CAROLVS Pipini filius ex Alberda vxore tenuit Regnum Francorum annis XXVII.

PLIDRVDIS Carli nouerca publica custodiâ seruari iubet. Hic diuino auxilio liberatus, primum contra Ratpodum Regem Fresonum bellum gerit, suo C
716. exercitu non incolumi anno DCCXVI.

CARLVS Rangifridum & Hilpricum Regem Parisios vsque terga vertentes persequitur die Palmarum. Hoc tempore VVilifridus Episcopus ordinatur, Bonifacij sibi nomen tradidit, mittitur à Gregorio Papa in Franciam, vt prædicaret verbum Dei.

717. ANNO DCCXVII. Rangifridus & Hilpricus Rex Coloniensium finem, & regiones contiguas Rheno vastant. arreptis à Plidruda muneribus reuertuntur.

718. ANNO DCCXVIII. Rangifridus & Hilpricus, Eudone Duce Aquitanorum à Carlo rursus superati. Carlus thesaurum Plidrudæ nouercæ accepit, & Regem constituit Hlotharium.

SARRACENOS Galliam deuastantes pluribus prœliis Carlus vicit, & fugauit.

CARLVS Pannonicos Alamannos pacificos habuit.

CARLVS anno regni sui XXVII. moritur, Parisiis apud sanctum Dionysium sepelitur. & fuit damnatus. Testis est Higmarus in prologo in vita beati Remigij.

SANCTVS Eucharius Aurelianensis Episcopus in Monasterio sancti Trudonis requiescit. Hic in oratione vidit Carlum in Inferno.

SANCTVS Eucharius post orationem sanctum Bonifacium & Phulradum Abbatem sancti Dionysij & Capellanum Regis Pipini vocauit, & quæcumque de Carlo

A Carlo viderat exposuit. signúmque dedit vt iret ad sepulchrum, quod illic minimè Carli corpus inueniretur. Illi sepulchrum aperuerunt, ex quo exiuit draco, & totum est inuentum denigratum.

PIPINVS & Carlomannus filij Carli Regnum diuiduntanno DCCXLI. 741.

CARLOMANNVS post præclara facinora Romam venit, anno DCCXLVII. & in Casino Monte Monachus efficitur.

PIPINVS remansit in Regno vnà cum fratre Griphone, & rem Regni optimè gesserunt.

ANNO DCCLI. Pipinus Legatos Romam misit ad Zachariam Pontif. Maximumvt qui ex antiqua stirpe Merouingiorum fuerit regnaret in Gallia. Exaudit Pontifex, & mandat Gallis vt in eorum Regem haberent PIPINVM. 751.

ANNO DCCLIII. Stephanus Pontifex auxilium contra Haistulphum Regem Longobardorum petiit à Pipino. A quo venerabiliter susceptus est apud Parisios. duos Pipini filios Carlmannum & Carlum vnxit Reges. Carlmannus decessit Lugduni, is qui fuerat Monachus anno DCCLIV. & Pipinus in Italia Haistulphum superauit, & vt redderet bona Ecclesiæ Stephano Pontifici Max. coëgit, & eum Papiæ inclusit. Stephanus Romam reuertitur. 753. 754.

ANNO DCCLV. Haistulphus sacramenta mentitus Romam obsedit, & omnia quæ circa vrbem erant discerpsit. 755.

B ANNO DCCLVI. Pipinus iterum Haistulphum vicit.

ANNO DCCLVII. Haistulphus moritur in venatione. Constantinus Imperator inter cetera munera etiam organum mittit. 757.

TASCILO fuit nepos Pipini.

ANNO DCCLXX. BERTA Regina filiam Desiderij Regis Longobardorum CARLO filio suo coniugio sociandam de Italia abduxit. 770.

ANNO DCCLXXI. CARLMANNVS decessit II. Non. Decembris; cuius vxor & filij Italiam veniunt.

CARLVS pro defensione sancti Petri ad Hadrianum Pontificem Romam venit, victo Desiderio.

ANNO DCCLXXVIII. Carlus in Hispania Pampilonem destruxit.

ANNO DCCLXXXI. Pipinus filius Carli Romæ baptisatur ab Hadriano Pontifice. Hoc anno signum Crucis in vestimentis hominum visum est, & sanguis è cœlo in terram fluxit. 781.

ANNO DCCLXXXVI. Carlus Beneuentum expugnat, victo Grimualdo filio Aragisi Beneuentanorum Ducis. Hernodrudis filia Regis à Constantino Imperatore desponsatur.

ANNO DCCLXXXVII. Græcorum exercitus à Francis, Longobardis, & Beneuentanis superatur.

C ANNO DCCXCVI. moritur Adrianus. cui successit Leo Pontifex. 796.

ANNO DCCXCVII. Constantinopolitanus Imperator excœcatus est.

ANNO DCCCI. in die Natalis Domini ante Confessionem beati Petri Leo coronam Carlo imposuit. Tunc populus Romanus clamauit, *Carlo Augusto à Deo coronato, magno & pacifero Imperat. Romanor. vita & victoria*. Inde more antiquorum Principum adoratus. Hoc anno II. Kalend. Maij terræmotus fuit per totam Italiam, vt vrbes ruerent, & tectum Basilicæ sancti Pauli Romæ cum trabibus decideret.

ANNO DCCCVI. Herena Imp. de Constantinopoli misit Legatum nomine Leonem de pace conficienda inter Græcos & Francos. 806.

BOEMII Sclaui alio nomine appellati sunt.

CARLVS iunior filius Imperatoris sororem habuit Henrodrud, quæ decessit anno DCCCXI. VIII. Idus Iunij.

HOC tempore Niciforus Imperator Græcorum erat, qui post multas victorias & res prosperè gestas à Vulgaris occisus anno DCCCXIV. Cui statim successit Michaël, qui Legatos Carli ad Niciforum missos benignè Constantinopoli audiuit, ac suos ad Carlum misit. Hoc anno fuit eclypsis.

ANNO DCCCXV. Carlus V. Kalend. Febr. decessit, anno suæ ætatis LXXII. Regni Francorum XLVII. subactæ Italiæ XLIV. ex quo Augustus appellatur XIV. Cui successit HLVDOVICVS filius eius, qui Legationes ad genito- 815.

rem missas, & indè ad se audiuit. Et Romæ quidam in necem Leonis Papæ conspirantes interficiuntur anno DCCCXVI. A

817. ANNO DCCCXVII. VIII. Kalend. Iunij moritur Leo Pontifex, cui successit Stephanus Diaconus.

818. ANNO DCCCXVIII. Non. Febr. eclypsis facta. Nocte verò Cometes apparuit. Moritur Stephanus Pontifex VIII. Idus Febr. Cui successit Paschalis Presbyter. Imperator verò filium suum HLOTHARIVM coronauit, & locum in Imperio sibi constituit. BERNHARDVS Rex Langobardorum Imperatori se tradidit. Leo Imperator Romanorum in Græcia ad Huludouicum misit de pace.

ANNO DCCCXIX. eclypsis maxima.

820. ANNO DCCCXX. Pipinus Huludouici filius Vascones vicit.

ANNO DCCCXXIII. Imperator Huludouicus pœnitentiam suorum delictorum fecit. Hulotharius Italiam venit. Pipinus eius frater cum vxore in Aquitaniam missus est.

824. ANNO DCCCXXIV. Hlutharius à Paschale coronatur, & à populo Romano Augustus appellatur. Liudeuithus dolo Aluidemilij* auunculi Bornæ Ducis Dalmatarum interficitur, & multa prodigia fuerunt.

* nomen corruptum.

ANNO DCCCXXV. moritur Paschalis Pontifex, cui successit Eugenius.

827. ANNO DCCCXXVII. Abbas sancti Dionysij Romam mittit, & annuente Eugenio ossa Sebastiani Martyris transportantur, & collocantur apud Suessonam ciuitatem in Templo sancti Medardi. B

828. ANNO DCCCXXVIII. Corpora sanctorum Martyrum Marcellini & Petri in Galliam transferuntur. Eugenius Pontifex moritur. cui successit Valentinus Diaconus. cui indè successit Gregorius Presbyter sancti Marci.

833. ANNO DCCCXXXIII. Imperator cum exercitu contra Hlotharium filium venit. Pipinum Regnò priuat. Eclypsis Solis II. Non. Maij, Lunæ verò XIII. Kalend. Maij.

SEQVENTI anno Imperator à suis desertus, à filiis captus, cum quibus erat Gregorius Pontifex.

SEQVENTI anno consilio Episcoporum pœnitentia ab Imperatore efficitur.

838. ANNO DCCCXXXVIII. Ticinum in Italia fertur III. Kal. Ianuarij tremuisse. Cometes in signo Libræ III. Idus April. per tres noctes apparuit. Primores in Italia moriuntur, suorum præcipui, Lanthberdus & Hugus.

SEQVENTI anno XV. Kal. Februar. terræmotus apud sanctum Nazarium. Pipinus filius Rex Aquitanorum mense Nouembris moritur.

840. ANNO DCCCXL. Imperator Hludauico, Hluthario filio, & Carlo minimo filio Regnum Francorum diuidit. Hluthario suam dignitatem reliquit. Cometes apparuit in signo Arietis. Cœlum noctu in serenitate erubuit. igniculi similes stellis per cœlum discurrebant.

IMPERATOR moritur XII. Kalend. Iulij, in quadam insula Rheni fluuij. in templo sancti Arinulphi sepelitur. HLVDATHARIVM filium suscipiunt Franci. Eius fratres, id est Hludauicus & Carlus, contra eum venientes confregit. Inde in Carlum exercitum direxit. Hludauicus verò manu valida Francos, Alamannos, Saxones, Thuringios sibi confirmat pace. C

843. ANNO DCCCXLIII. Atrox bellum inter Imperatorem & fratres. Eclypsis Lunæ fuit III. Kal. April.

SEQVENTI anno diuiduntur Regna inter fratres & Imperatorem. Moritur Gregorius Pontifex. cui successit Sergius. Mauri Beneuentum occupant.

845. ANNO DCCCXLV. Hrabanus Monachus laudes Crucis carmine composuit, & Sergio transmisit.

847. ANNO DCCCXLVII. Mauri cùm vrbem Romæ expugnare non possent, Templum sancti Petri vastauerunt.

856. ANNO DCCCLVI. XVI. Kalend. Nouemb. igniculi instar spiculorum Occidentem versus per aërem vagabantur. Quare Hlutharius Imperator omnia relinquens, Monachus efficitur in Prumiensi Monasterio, & III. Kal. Octobris moritur. Primores Regni HLVTHARIVM Hlutharij filium annuente Hludouico Rege Orientis constituunt sibi Dominum.

IMPERATOR Hlutharius reliquit tres filios, Huludouicum, Hludatharium,

A & Carlum: qui pacem inierunt cum Carlo & Huludouico patruis anno DCCC. LXVII. Quo anno hybernum tempus asperum & nix sanguinolenta de cœlo decidit. 867.

CARLVS frater Hludatharij Imperatoris filium habuit Carlamannum. hoc tempore Nicolaus Pontifex erat.

RVODOLPHVS Monachus & Poëta Historicus in Germania floruit, & moritur VIII. Idus Mar. anno DCCCLXVI.

ANNO DCCCLXX. Hludauicus Rex ægrotat, vt de eo desperarent Medici. Qui sentiens, penè omnia bona sua pauperibus distribuit, & se à Deo curari maluit. 870.

CARLVS frater Regnum Hludatharij inuasit, & sibi ab Episcopo Metensi diademate caput ornari iussit: & se Augustum effecit propter ægrotationem fratris.

ANNO sequenti ægrotatione liberatur Hludauicus Rex.

ANNO DCCCLXXVI. Hludauicus moritur, sepultus Mediolano in sancto Ambrosio. Carlus hoc sentiens Italiam petiit, & thesauros Imperatoris sustulit. 876.

ANNO DCCCLXXVIII. mense Ianuarij Lanthbertus VVidhonis filius, & Adalberthus Bonifacij filius, valida manu Romam venerunt, Ioannem Pontificem vinculis redegerunt. Primores populi Romani coëgit vt CARLOMANNVS pro Cæsare haberetur. Quo peracto Ioannes Pontifex thesauros Petri B Lateranum sustulit & transtulit. Inde templum Petri clausit, cuius ara prius alma adoperta erat. aduenientes templum non introibant. Pontifex Thyrrenum petiit, queritans Carlmannum priuare. Qui paralysi morbo oppressus erat, neque verbum loqui poterat. IV. Kal. Nouemb. hora nona officij, eclypsis Solaris maxima, vt stellæ apparerent & Luna. Idus Octobris vltima hora noctis boum pestilentia in Germania, quam clades hominum secuta est. Slaui, Dalmatæ, Soaui, Bohemi, idem sunt. Carlamannus XI. Kal. Apr. obiit anno DCCCLXXXI. 878.

SEQVENTI anno IV. Kal. Ian. ante gallicinium Magonciæ terræmotus magnus, & XV. Kal. Septemb. Hludouicus moritur. Cuius corpus in Monasterio sancti Nazarij iuxta corpus patris sepelitur. 881.

ARINVLPHVS Carlmanni filius Rex in Alamannia creatur, inuito patruo CARLO. Carlus an. DCCCLXXXVIII. III. Non Ianuarij moritur.

ANNO DCCCXCII. Bellum atrox inter Arinulphum Regem Christianum & Sigiphridum & Godophridum Reges Nortmannorum & Danorum paganos: adeò vt cæsis Regibus & penè totus exercitus fuerit, & vnus tantummodo Christianus fuerit inuentus interemptus. 892.

SEQVENTI anno Itali ad Regem pergunt, vt Italiam de manibus Tyrannorum liberaret. Rex hoc pollicetur.

ANNO DCCCXCIV. Arinulphus Rex Italiam venit cum exercitu, mox Pergamum expugnat. Regulos in fidelitatem iunxit. inde reuertitur. 894.

C HOC etiam anno Romæ Formosus Pontifex moritur. Cui successit Stephanus. Græci cum Hunis pacem ineunt. Leo Imperator Græcorum Lazarium Legatum ad Imperatorem Italum mittit.

ANNO DCCCXCVIII. Arinulphus moritur. Cui successit HVLVDAVICVS filius paruulus. 898.

FINIS PETRI BIBLIOTHECARII HISTORICI.

A

HISTORIA DE FVNDATIONE MONASTERII CASAVRIENSIS,

Quod LVDOVICVS II. Imperator Augustus in Italia condidit.

Ex veteri Libro MS. Chronicorum ac Instrumentorum de rebus & possessionibus eiusdem Monasterij, qui est in Bibliotheca Regia.

LIBER PRIMVS.

B

ANTE conditionem Monasterij Piscariensis inuenitur LVDOVICVS Imperator per diuersas Italiæ Prouincias acquisisse possessiones plurimas: eo animo & affectu, sicut postea claruit, vt cùm aptum locum inueniret, in quo Monasterium construeret, eas ibidem omnipotenti Deo largitori omnium bonorum offerret. Voluntatis enim eius erat & voti, ædificare domum Domino Deo. Et ideò ex quo cœpit Italiam frequentare, omni sollicitudine studebat prædia & possessiones acquirere, donec ei superna prouisio aptissimum Monasticæ Religionis locum ostenderet. Prædia verò & possessiones, quas acquirebat, pretio vel aliis iustis modis eas acquirebat, vt iusto ac legali ordine de ipsis Deum sibi faceret heredem. Sanè qualiter idem gloriosus Imperator, de genere KAROLI MAGNI & PIPINI Regis Francorum, ex patre LOTHARIO natus, mirabilibus bellis necnon magnificis actibus in Romanum Imperium sublimatus effulsit, dicendum est. Ad gloriam enim dignitatis & honoris Monasterij Piscariensis pertinet, Ludouicum istum scire quis fuerit.

ECCLESIA Romana cùm multis aduersitatibus quateretur, & sicut in Ecclesiasticis Historiis & Romanorum Pontificum gestis reperitur & legitur, ab Astulfo Longobardorum Rege tota penè Italia vastaretur: Stephanus Papa, qui vt habetur in Chronicis, septingentesimo quinquagesimo secundo Dominicæ Incar- C
752. PIPINVS. nationis anno pontificari cœpit, vocauit PIPINVM Francorum Regem Karoli filium, eiúsque auxilio Aistulfum expulit, Rauennam liberauit, & viginti ciuitates, quas idem Aistulfus abstulerat, sub iure beati Petri redegit. vnde à Romanis Patricius effici meruit. Quo defuncto, filius eius KAROLVS omnium generali consensu Francorum omnem Monarchiam Regni gubernandam suscepit.
CAROLVS III. Qui Karolus Pipini filius ab Adriano primo Papa vocatus ad defendendas res Ecclesiæ, obsedit Langobardos in Papia. Ibique relicto exercitu, in sancta Resurrectione ab Adriano Papa Romæ honorificè susceptus est. Post sanctam verò Resurrectionem reuersus Papiam, cepit Desiderium Regem & vxorem eius, & secum portauit in Franciam. Et inde rediens Romam, constituit ibi Synodum cum suprà dicto Papa in Patriarchio Lateranensi, in Ecclesia sancti Saluatoris. Quæ Synodus celebrata est à centum quinquaginta tribus Episcopis religiosis & Abbatibus. & restituit beato Petro quæ pater eius dederat, & Desiderius abstulerat. addens etiam Ducatum Spoletanum, & Beneuentanum. In cuius temporibus Leo Papa Romanus ab ipsis Romanis cœcatus, cùm eius lingua truncaretur, ei Dominus & linguam & visum reddidit. Qui pergens ad eundem Karolum, secum adduxit, & facta vindicta de inimicis, ipsum Karolum Imperiali diademate coronauit.

A PER idem igitur tempus KAROLVS Imperator Regni iura feliciter moderans, LVDOVICVM filium Cæsarem constituit, quia ipse solus superstes remansit, cui nomen & Regni potentiam Augusti secum habere constituit. Regnauit autem gloriosus Rex Karolus annis quadraginta septem, post susceptum Romanum Imperium annis quatuordecim, qui intra ipsos concluduntur. Vixit autem annis septuaginta, & apud Aquasgrani febre correptus obiit quinto Kalendas Februarij, anno ab Incarnatione Domini DCCCXIV. Cui successit filius eius supradictus in Regno Francorum & Imperio Romanorum. Qui LOTHARIVM primogenitum suum diademate coronatum Regem & Augustum secum constituit. Defunctus est autem anno ab Incarnatione Domini DCCCXLI. anno vitæ suæ sexagesimo quarto. Præfuit quidem Aquitaniæ per annos triginta septem, Imperator autem viginti septem. Mortuo autem Ludouico Augusto, qui ob merita clementiæ LVDOVICVS PIVS cognomen accepit, LOTHARIVS eius filius Regni & Imperij heres effectus est. Lothario quoque imperante, primogenitus eius filius LVDOVICVS nomine regnauit Italiæ, quem Sergius Papa in Imperatorem Augustum coronauit. Iste siquidem Ludouicus fuit sanctus & incomparabilis vir, & bellorum studiis eruditus. Qui paterno more Italiam sæpissimè visitabat, & in his quæ beato Petro erant necessaria seque suósque, vt boni patris bonus filius præparabat. Hic cùm audiret Calabros & Apulos velle repugnare Romanis, exercitum copiosum aggregauit, Alpes transcendit, & ad Piscariam veniens insulam delectabilem, cui nomen est CASA-AVREA, vndique aquis cinctam inuenit.

LVDOVICVS PIVS. LOTHARIVS.

814.

841.

LVDOVICVS II.

B LVDOVICVS igitur diuina inspiratione tactus cùm supradictam insulam circumspexisset, & ex omni considerasset parte, ac vsibus seruorum Dei profuturam cognosceret: cuius esset, & sub cuius potestate, deuotissimè requisiuit. Qui cùm eam sub potestate cuiusdam Sisenandi illustrissimi viri esse, & de iure Pinnensis Episcopij descendere comperisset, priùs à dominio eiusdem Sisenandi absoluit: tribuens indè sibi decem libras argenti, & cum Episcopo Grimbaldo nomine, qui eo tempore Pinnensem regebat Ecclesiam, cambitionem fecit, totámque insulam sub iure regio retinens, quod magis valebat & prope Episcopium Pinnense erat, pro eadem insula dedit, & testibus idoneis & Scripto ipsam donationem confirmauit. Grimbaldus verò Episcopus ne aliqua controuersia à successoribus suis indè oriretur, ex parte sua Scriptum fecit, & testibus idoneis corroborauit, & Sisenandus similiter, sicut in Instrumentis Libri sequentis describitur. Quæ Scripta in Ecclesia beati Clementis vsque hodie conseruata, ipsam insulam cum suis pertinentiis habitatoribus loci quietam reddunt.

LVDOVICVS itaque, sicut suprà diximus, diuina inspiratione præmonitus, cùm videret insulam omnibus bonis refertam, & quasi veram paradisum omnibus optimis fructibus redundantem, ipsam Deo omnium conditori, postquam liberam habuit, consecrauit: & in ea Monasterium in honore sanctæ & indiuiduæ Trinitatis ædificare præcepit. Credens sine dubio suæ pro hoc animæ redemptionem, Imperiíque sui continuatam protectionem, & aduersariorum suorum efficacem contritionem, diuinæ sibi respectu misericordiæ præparari. Erat autem in eadem insula quædam Ecclesiola in honore beati Martyris Quirici ab antiquo ædificata, penes quam iussit Ecclesiam de qua loquimur ædificari, aptam videlicet monasticis vsibus & congruentem: quatenus coadunato illic sub regulari norma religiosorum virorum cœtu, altissimo Deo laudes iugiter inibi votáque resultent. Iactis igitur fundamentis, & collocata ibi non paucorum artificum multitudine, expensísque omnibus sufficienter præparatis, Imperator Ludouicus cum exercitu suo Beneuentum pertexit, ibíque infidelem Teobertum eiúsque complices, qui à facie eius fugerant, prostrauit, eorúmque bona facta solemni donatione Piscariensi Ecclesiæ, quam nouiter ædificari præceperat, concessit, tribuit, confirmauit.

C

PRÆPARATIS igitur his de quibus ad præsens sumus locuti, & armatis exercitibus suis, impatiens moræ tendit in Apuliam, & Tarentum obsidens, quæ proditorum nutrix, & eorum qui contra patriam suam iurauerant latibulum fouens, insanibat, tamdiu pugnauit ibi, donec quosdam ex eis Romanis subiceret, alios detruncaret, alios verò nudatos armis à finibus illis exire compelleret. Inde petens Brundusium, Calabros ac Siculos eodem & simili exitio deuastauit,

LVDOVICVS II. IMP. Romanóque Imperio subiugauit. Vrbes possedit, Romámque reuersus imperia li laurea pro triumpho à domino Papa Adriano, & omni populo & Senatu Romano in Capitolio est coronatus. Tantam ei Deus gratiam contulit, vt vniuersa terra ei se subditam imperio congauderet, & de reparatione nouæ pacis omnis tribus & lingua omnipotenti Deo gratias redderet. Ille verò quamquam in sublimitate Imperiali se positum esse consideraret, non tamen humilitatem, quam erga suum Conditorem habere solitus erat, deseruit, sed humilior ex sublimitate & subiectior fuit. Erat ei in animo assidua & frequens cogitatio circa constructionem, quam in insula Piscariæ fieri præceperat, quatenus eam ad finem vsque felicem perduceret: & tales ibi collocaret, qui pro se & pro statu Imperij Romani Deo supplicarent. qui regulariter viuerent, quorum conuersatio in coelis esset, quorum preces & pro viuis & pro defunctis Deus clementer audiret. Cogitabat etiam clementissimus Imperator de rectore & conseruatore Ecclesiæ, qui post eius discessum ante Deum pro seruientibus inibi mitissimus appareret: qui hostes ipsius loci & malefactores expelleret, benefactores verò ad maiora & vtiliora sibi prouocaret, & mercedem suorum operum indulgentiam peccatorum à Deo consequeretur, & eis præstaret. Hæc eo iugiter cogitante, iussit conuocari Archiepiscopos, Episcopos, & nobiles Consiliarios suos: & habito cum eis consi- **A**

» lio, in hæc verba prior ipse prorupit: Viri bellatores, quos mater sapientiæ & to- **B**
» tius scientiæ inuentrix Gallia enutriuit, qui aduersarios Dei Sarracenos fortissi-
» ma dextera expulistis, quorum virtutem vltima sub Sole terra cognouit, quod
» consilium mihi datis? Credo quia vos mecum cogitatis, quomodo noua Ecclesia,
» quam construere iussi, honoribus amplificetur, reliquiis sanctorum Martyrum
» muniatur, & talem habeat protectorem, qui pro Christo mortem sumpserit, &
» stolam suam in sanguine lauauerit agni. Et dum ad hæc singuli titubarent, nescientes quid responderent ei: accessit quidam veteranus Antistes studiosus valde in sanctis Scripturis, & sanctorum Martyrum plenariè gesta cognoscens, clara
» voce dixit Imperatori. Imperator Auguste, cui Deus tantam contulit gratiam,
» vt quæ ipse in coelis prædestinat per te operetur in terris: consilium quod requi-
» ris, ab homine tibi non potest dari. Immo ipse Deus, cuius nutu insulam ele-
» gisti, quæ reuera altera paradisus potest dici, ipse talem tibi elegit protectorem,
» qui in aquis vitam pro Christo fuderit, si tua Celsitudo ad hunc perquirendum
» voluerit inclinari. Cui Imperator: De quo, Pater scientissime, loqueris? De
» CLEMENTE, respondit senex ille, qui successor extitit Petri Apostoli, qui
» huic Romanæ præsidens Ecclesiæ Apostolum totius Galliæ Dionysium delega-
» uit, qui nouiter repertus, & ad hanc vrbem per quendam Philosophum nomine
» Constantinum delatus, tuæ à Deo prædestinatus est Custos Ecclesiæ: vt qui in
» aquis pro Deo spiritum exhalauit, demersos in aquis Piscariensibus ne pereant li- **C**
» berare possit. Ad hæc Ludouicus tanquam à Deo visitatus, quæ senex dixerat mente concepit, & sanctum Clementem ante suos oculos ponens, omnes Cardinales præcepit conuocari. Et cum singulis habens colloquium, sciscitatus de beato Clemente, quo erat, quomodo repertus fuerat, orans vt suarum precum forent apud Dominum exauditores, & apud dominum Papam fidelissimi intercessores. Cui cùm singuli super interrogatis vnam responderent sententiam, & in precatu regio suam fidelissimam promitterent opem: accersitis Primatibus suis, cum Archiepiscopis & Principibus totius vrbis accessit ad Papam.

ADRIANVS quidem secundus Papa ille vocabatur, qui beatum Clementem suscepit à Philosopho, & eundem Clementem postea dedit Regi Ludouico.
» Quem dominum Adrianum tali voce Imperator alloquitur: Si rectum est filios
» hoc requirere, quod eorum patres promeruerunt, ego paternis hoc addo meritis,
» quod meis addere meritis parentes minimè potuerunt. Parentes mei Romanis ne-
» cessitatibus succurrere parati fuerunt, & sua Regna relinquentes semetipsos & suos
» exercitus ad excidium propter vos posuerunt. Ego autem cùm audirem rebelles
» nostros contra vos insurgere, non vocatus, sed spontanea mea voluntate veni, ve-
» stròsque inimicos cum Dei adiutorio sub pedibus vestris posui, totámque terram
» quæ à barbaris vastabatur quietam vobis restitui. Si quid promeruerunt parentes
» mei, si quid & ego ipse talibus in obsequiis quæro, supplico, rogo, obtestor, qua-
» tenus inpræsentiarum reddatis mihi. Non quæro dilationem, volo in præsenti re-

LVDOVICVS II. IMP.

A muneratıonem, non aurum, non argentum, non castella, non ciuitates; sed illum qui propter Dominum in marinos demersus est gurgites. Vt mihi Deus clemens efficiatur, Clementem requiro, non alium nisi illum, qui fuit secundus à Petro. Ille in aquis demersus extitit, ego verò eum in medio aquarum locare desidero, vt sumersos in aquis iuuet precatu sanctissimo. Ne confundas quæso, Pater sanctissime, faciem meam. Reduc ad memoriam quæ sustinuerunt parentes mei, & in his quæ postulo efficacem præbens audientiam, da mihi quæ postulo, Clementem propter Dei clementiam, vt clemens ipse postulet velocem indulgentiam. His Adrianus respondit: Imperator Auguste, quem tu postulas non est possibile me dare tibi. Sed in voluntate est, tam Cleri, quàm populi, quibus nolentibus aliquid pretiosum non possum præbere alicui. Verumtamen si eorum rogatus tibi fauerit, his quæ postulas mea voluntas deesse non poterit. Quibus Imperator auditis, conuersus ad Clerum & populum, ait: Quid super his quæ postulo, sanctissimi Patres & orbis domini, visum est vobis? Si maiora postularem in mea erat fiducia, quòd facillimè impetrare deberem. Nunc verò minima postulo, quæ mihi non petenti à vobis offerri deberent vltrò. Ad hæc Cardinales: Non hoc, inquiunt, domine Imperator, debes postulare: immò si tibi non postulatum accipere, & acceptum vbicumque volueris ponere. Tu es enim Orbis terrarum dominus, & Romanæ B Ecclesiæ filius, & per te creuit & crescet Deo volente nostrum & Ecclesiæ decus. Accipe quod postulas, quia in hoc fauemus tibi, & totus populus. Audiens hæc Papa Adrianus, cuius erat ad perficiendam Imperatoris petitionem promptus animus, respondit Clero, & in responsione Cleri respondit populo. Licèt agnoscam dominum Imperatorem LVDOVICVM maiora promeruisse, non tamen volui eius petitionibus assensum præbere, donec audirem ex vestro ore quid super his quæ postulabat iudicaretis. Quia ergo vobis placet quòd postulata accipiat, ne confundere videar faciem eius quem honorare decreui, dono sibi & concedo corpus beati CLEMENTIS & Præsulis, qui iussu Traiani Imperatoris in mare demersus fuit, & nobis volente Deo redditus. Insuper & addo reliquias Apostolorum Petri & Pauli, vt in omnibus lætificetur mens Imperatoris, & habeat bonum animum erga filios pacis. His auditis, Imperator Augustus procidit ad genua Papæ, ipse & Procerum suorum cœtus, & lacrymis effusus exultat in his laudibus: Gratias tibi reddo, Imperator cœlestis, cuius ego potentiâ teneo Regnum in terris. Tu domine adimpleuisti desiderium meum, da mihi quòd possim videre sanctum tuum, & in tali loco ponere vbi honorificetur nocte diéque per nomen vnigeniti filij tui Domini nostri Iesu Christi, cum quo & cum Spiritu sancto viuis & regnas in secula seculorum. Et cùm omnes dixissent, Amen, iussu beatissimi Papæ Adriani allatum est corpus Clementis Martyris gloriosissimi, & traditum Luduico Imperatori. Qui frangens ilico vas, in quo erat positum, traxit singulatim omnia ossa eius, & ne aliquid deesset diligenter aspiciens, inuoluit totum corpus C in pretioso pallio. Deinde posuit in vasculo pretioso, quod ipse Rex secum habebat, factum de alabastro. Ibique celebrauit excubias & solemnes vigilias per aliquot dies. In quo tempore tractauit cum Petro Consule & Duce vrbis Romanæ de possessione & Capella sancti Blasij infra eandem vrbem ædificata, & vna curte in loco & fundo Tusciano, quam nouiter à præfato Petro Imperator emerat: datis indè sibi, cùm esset Salerni, per Hermenulfum Comitem & Missum suum octingentis libris argenti, & de aliis multis rebus cum domino Papa, & cum Cardinalibus & Senatoribus, & cum tota Romana plebe.

PERFECTIS igitur illis quæ in Romana ciuitate decreuerat facere, leuauerunt corpus sancti Martyris, & cum hymnis & canticis spiritualibus domino Apostolico præeunte exierunt ab vrbe, psallentes & gaudentes, & pro tanto thesauro sibi cœlitus collato gratias agentes omnium Conditori. Huius facti fama egressa est in vniuerso orbe Romano, & tanta conuenit hominum multitudo, vt arenæ maris posset æquari: laudantes & magnificantes virtutem Imperatoris Ludouici, videntes in eo gratiam esse Dei. Cùm autem venissent ad insulam Piscariæ, quæ validis aquis cingitur vndique, in ea parte qua erat pons regalis, constitit omnis multitudo iussu Imperatoris. Et illis stantibus, Ludouicus ait: Sicut credimus, nos portamus ossa beati Clementis, quæ tumulare desideramus in loco quem cernitis. Verumtamen ad hoc agendum habemus opus auxilio nostri Re-

LVDOVICVS II. demptoris. Rogemus ergo eum qui omnia potest, vt demonstret nobis hodie in A
vestra præsentia, si hic veraciter ille Clemens est qui in profundo maris præcipitatus inuenit templum marmoreum Angelicis manibus sibi præparatum: iter præbens populo terræ in annuis festiuitatibus suis, vt videntes enarrent mirabilia Dei. Si hic est, de quo non diffidimus, ostendat nobis Deus tali conditione, vt mulus iste qui portat eum incedat per medios fluctus sicco vestigio, & dirigatur non homine duce ad illum locum, in quo loco honorificè eum sepelire decreuimus, præstante Domino nostro Iesu Christo. His dictis, mulus aquas ingreditur valde profundissimas, quæ impetu vasto currentes marinas repræsentabant vndas, & super ipsas ambulans sicco vestigio longo tractu vno ferè stadio intrauit insulam, & ibi constitit vbi Dominus perordinauerat sancti Martyris glebam. Quod videntes populi omnes, vna voce laudauerunt omnipotentiam Dei, qui præsens est omnibus inuocantibus se in veritate, qui tam mirificè declarauerat merita sancti Martyris sui. Erant ibi quamplures diuersis infirmitatibus laborantes, qui audito aduentu Martyris gloriosi fecerant se apportari de ciuitatibus & habitaculis suis, habentes in Deo fiduciam qui per Sanctos suos operatur mirabilia magna nimis. Hi reuoluto corpore sancti Clementis, cùm eius ossa nuda teneret sacratissima manus Imperatoris, tantus odor egressus est de ossibus ipsis, vt visum esset illis qui aderant quòd essent in paradiso Dei. Ex quo odore vbi fuerunt tacti languentes quos suprà diximus, & multi paralytici, ilico sunt redditi sanitati. O quantus luctus præ gaudio, & quantus clamor sublatus est in excelso! cùm videret illos sanos quos moribundos attulerant, videre qui nihil antea videbant, audire qui surdi multo tempore fuerant. His exhilaratus dominus Imperator, præcipit Clerum ornari vestibus sacris, & populum intendere orationibus sanctis, & ipse cum Archiepiscopis & Episcopis inuoluerunt membra sancti Clementis & reliquias Apostolorum Petri & Pauli in medietate pallij, quia alia medietas reseruata est ad posteros in memoriam huius translationis, & recondi fecit eum in supradicto alabastro, & in ipso die translationis locari in altaris medio, anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo......... secundo Indictione quinta, VI. Kalendas Iunij, ad honorem & gloriam Domini nostri Iesu Christi. B

EXPLETIS igitur his quæ animo firmiter inhærebant Imperatoris, videlicet de compositione Monasterij, & de susceptione sanctarum reliquiarum Clementis & Apostolorum Petri & Pauli, cùm ipse videret locum aptissimum Monasticæ Religioni, ibi posuit nobiles genere, probos moribus, sanctos conuersatione: quibus præfecit Abbatem ROMANVM nomine, virum honestum moribus, literiali scientia eruditum, & quasi quoddam speculum bonitatis & innocentiæ, qui omnibus erat respicientibus ad se quasi murus inexpugnabilis, & contra omnia aduersa securus. Fecit etiam Præceptum super Abbatis electione, vt non eligatur de extranea Congregatione. Sed quotiescumque qui præest Abbas obierit, habeant Fratres licentiam ex sua propria Congregatione eligendi Abbatem. Quod C
qui transgressus fuerit, sciat se non pastorem, sed lupum ponere, & in extremo iudicio pœnam præparatam habere. Post hæc LVDOVICVS, habito cum suis consilio, iussit plures Episcopos conuocari, & in die congrua & competenti fecere Ecclesiam in honorem sanctæ Trinitatis & sancti Clementis, & aliorum Sanctorum solemniter dedicari. Tantáque multitudo populi fuit ibi, vt ab eadem insula, quæ satis lata & ampla est, vix posset capi. In cuius dedicatione maxima donaria fecit Ecclesiæ, videlicet ad maiorem suæ mercedis cumulum, ac loci ipsius necessarium supplementum, Christique seruorum, ibique degentium, seu illuc vndecumque aduentantium, perenne subsidium, contulit in præfato Cœnobio quodcumque habebat in proprio, & iustè, ac legaliter videbatur tenere intra fines Italiæ. De quibus fecit plura Præcepta, quæ seruantur in Arciuis publicis ipsius Ecclesiæ ad notitiam posterorum profutura. Dedit ad honorem eiusdem Ecclesiæ in eius solemni dedicatione plurima vasa ex solido auro & argento fusilia, quæ multo tempore resplenduerunt in ea ad Christi seruitium dedicata. Fuerant etiam in eius dono diuersa pallia auro & gemmis radiantia, quibus parietes Ecclesiæ ornabantur, & Fratres induebantur quoties magna festiuitas in Ecclesia celebrabatur. Et vt affectus illius quem erga Monasterium hoc habebat supra omnia Monasteria, quæ à Regibus ceteris in Regno suo fuerant ædificata, manifestare-

A tur, & cunctis innotesceret, dedit eidem Monasterio in perpetuum possidendum iure hereditario Sceptrum regale quod gestabat in dextera, vt illud Abbas portaret in solemnibus festis, in loco baculi pastoralis. Et in tantum dilexit Cœnobium, vt omnem causam ipsius tanquam peculiarissimæ domus suæ quoadusque vixit pro amore superno exequi modis omnibus præordinauit. Post suum verò ex hac luce discessum illi eiusdem Ecclesiæ commisit tutelam, ad cuius honorificentiam suo studio eam constat exstructam. LVDOVICVS II.

LVDOVICVS igitur perfectis omnibus, quæ ad regimen præfati Monasterij, & ad decus totius Imperij pertinere videbantur, regressus est ad propria. Ibique religiosè & piè viuens, & religiosiùs & magis piè moriens, animam Deo reddidit, Regnúmque & Imperium suis heredibus dereliquit. Cuius mortis indicio, sicut in quibusdam Chronicis reperitur, stella sicut facula ardere visa est post Septentrionem septimo die mensis Iunij. Et tunc idem diuæ memoriæ Imperator Ludouicus diem claudens extremum, defunctus est XIII. die mensis Augusti. ROMANVS autem Abbas, quem ab eo ordinatum fuisse memorauimus suprà, audito obitu eius, tanto ardore memoriam eius fecit, tot lacrymas pro eo fudit, tot pauperes & nudos vestiuit & pauit, ac si eum ab inferis suis beneficiis crederet se posse reuocare. Et non solùm in illis diebus, quibus auditus fuit obitus eius, verùm etiam vsque in sempiternum, memoria Ludouici sanctissimi Regis, & victoriosissimi B Imperatoris, in Monasterio Piscariensi non derelinquetur, dum lapis erit ibi super lapidem, & aliquis in eo viuens inuenietur. Romanus verò prudentissimus Abbas post obitum Ludouici Imperiali tenore Monasterium rexit, augmentauit bonis omnibus, & religione cumulauit, & peractis in regimine decem & octo annis felix migrauit ad Dominum.

VERVM quia superiùs de dedicatione Ecclesiæ aliquantulum breuiter locuti sumus, huic placet inserere lectioni de consecratione altarium & positione inibi sanctarum reliquiarum: vt noscant posteri continuam celebrare memoriam illorum, quorum sciunt semper sibi inesse præsentiam. Dedicata igitur Ecclesia, consecratum est altare maius in honore sanctæ & indiuiduæ Trinitatis & beati Clementis, cuius corpus honorificè sepultum ibi requiescit. Et sunt ibi reliquiæ sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quas sanctæ recordationis Papa Adrianus dedit Ludouico Imperatori cum corpore beati Clementis excellentissimi Papæ & Martyris gloriosi. Ad dexteram verò ipsius altaris medij consecratum est altare aliud in honore omnium Apostolorum, & conditæ inibi sunt reliquiæ sancti Andreæ Apostoli, sancti Clementis, sanctorum Stephani & Laurentij, Chrisancti & Dariæ, quadraginta Martyrum, sanctæ Romulæ, sanctorúmque Marij & Marthæ, & sanctæ Nimphæ. Ad sinistram autem consecratum est altare in honore beatissimi Benedicti Patris Monachorum, & institutoris cœlestis normæ, ibique C positæ sunt reliquiæ sancti Stephani Papæ, sancti Xisti, sancti Calixti, Hermetis, Chrisancti & Dariæ, & sanctorum Cyri & Iohannis. Quatenus eorum patrociniis conseruetur Ecclesia ista, in qua eorum per singulos dies celebratur memoria. In cripta verò, quæ subtus altaribus istis est, tria altaria constructa & consecrata sunt: quorum medium est consecratum in honore beatæ Mariæ genitricis Dei & Domini nostri Iesu Christi, dextrum verò in honore sancti Blasij Martyris & Episcopi, sinistrum autem in honore sanctissimi Nicolai. Hæ reliquiæ, quas modò memorauimus, & aliæ plures quas præsenti scripto tradere vitantes tædium lectoris nolumus, conditæ habentur in Ecclesia, earúmque memoria celebratur in ea ad laudem Domini nostri Iesu Christi. Cui etiam vna maiestas eadémque diuinitas cum Patre & Spiritu sancto per infinita seculorum secula. Amen.

LIBER SECVNDVS.

ILLIS temporibus, quibus Ecclesia Christi sub Imperatore LVDOVICO florebat, Piscariense Cœnobium desiderabiliter per eumdem clementissimum Augustum à fundamentis ædificatum sublimi & copioso rerum mobilium & immobilium apparatu intra breue tempus surrexit, & in possessionibus de propè

LVDOVICVS II. IMP. seu de longè largiter & affluenter excreuit. Cùm enim idem piissimus Imperator diuinitus inspiratus circa ipsius Monasterij à se constructi dotationem valde esset intentus atque sollicitus, copiosam auri & argenti substantiam ex suo fisco protulit, & ad emendas possessiones Abbati Romano, quem ab eo suprà ordinatum memorauimus, diligenter commisit, & liberaliter assignauit. Cui nihilominus præcepit, vt specialiter omnem ipsam prouinciam, quæ ipsi Piscariensi Monasterio adiacet, & de monte qui dicitur Mortula circa eundem locum sito visu potest æstimari: omnia verò quæ infra circuitum montium, qui de proximo considerantur, & intra meatus fluuiorum concluduntur, continuatim & legaliter emeret. Quatenus omnis ipsa Pinnensis & Teatensis de circuitu Casauriensis insulæ finitima regio, prout eam ipsa cacumina montium proximorum ambiunt & concludunt, & termini fluuiorum discernunt atque circundant, esset sacro iure beati Clementis continuata possessio, & eius Abbatiæ Piscariensi iusto & legali tenore pertinens foret addicta, ipsique regali Monasterio sine interruptione regaliter & perpetuò mancipata. Per hanc siquidem emptionem Monasterio pertinere cognoscitur omnis possessio, quæ circa Piscariensem insulam à parte Pinnensis territorij cernitur, in qua conspiciuntur montes Soti, Brunisati, & Aquiliæ. Quæ possessio suis finibus, tribus videlicet fluminibus, Cigno, Piscaria, & Tritano circumcluditur & terminatur. Incipit enim à quodam castello nomine Furça, prope quod est quædam petra Ceruaria nuncupata, vbi nascitur riuus, qui dicitur Cignus, quique suis meatibus fluens tendit in Piscariam. Citra quem fluuium quicquid inter flumen Piscariæ & flumen Tritanum consistit, & per vallem Catoppli reuertitur ad priores fines, scilicet Furcas, tam in habitaculis quàm in ceteris aliis rebus, videlicet terris, vineis, arboribus, campis cultis & incultis, siluis, salectis, planis & montuosis, molendinis ac piscationibus, & cum omnibus circum circa meatibus aquarum. Omnia tam ab eodem clementissimo Cæsare, quàm ab Abbate Romano, & aliis antiquis Abbatibus, acquisita & legaliter empta, de beati Clementis iure fuisse & esse manifestis indiciis & rationibus comprobantur, sicut & antiqua tradit opinio, & ipsius Monasterij Cartulæ contestantur. Facta est autem similiter ex regali pecunia tam per dominum Romanum quàm per alios antiquos Abbates à parte Teatensis territorij, de finitima & circumiacenti Monasterio possessione continua & largior emptio, & legalis acquisitio, quæ his fluminibus & montium summitatibus dilatata concluditur & terminatur: videlicet fluuio Lauino & fluuio nomine Legio de pede montis Magellæ. Indéque consurgit in celsitudinem montis Tarini, & pertransiens per Vallensem Furcam, ascendit in montem qui dicitur Vasa, & quomodo per ipsius cacumen venit & descendit inter montes ad fluenta Piscariæ, vbi Piscaria Tritanas aquas in se fluentes recipit. Deinde designatur ista possessio ex alueo fluminis Piscariensis, donec supra dictum flumen Lauinum in eo fluens ingrediatur. Infra quam possessionem quidam Monachus nomine & opere KARVS, cùm esset de genere KAROLI, & consanguineus ipsius Augusti LVDOVICI, sub ipso tempore fundationis Monasterij Piscariensis Deo deuotè in eodem loco se reddidit, & Monachus factus missus est propter industriam suam ad possessiones montanas nouiter emptas gubernandas. Vbi quoddam oppidum ædificauit, quod ex suo nomine Caramanicum est vocatum, per quod omnis ipsa pertinentia dicitur vallis de Caramanico quasi de Caro Monacho. Ipsa verò & quæcumque infra suprascriptos & consignatos prædictorum fluuiorum & montium terminos consistunt, in villis, casalibus, oppidis, & ceteris rebus omnibus integrum similiter de beati Clementis iure fuisse & esse nulli sit dubium.

QVALITER autem & quo pretio, vel à quibus personis empta fuerint omnia supra dicta, qui scire voluerit, vel instrumentales Cartas reuoluat, vel Librum ex eisdem Cartis adhuc Monasterio residuis compositum diligenter relegat, & ibi ex maxima parte cognoscere poterit. Romanus autem excellentissimus Abbas à Regis liberalitate sufficienter accepta pecunia, cœpit eam ad Ecclesiæ profectus simul & ornatus secundum imperiale votum fideliter & prudenter expendere, Monasterium de ipsa in omnibus bonis, & maximè in possessionibus longè latéque opulenter augmentare. Cùm verò illum oportebat, cum multo religionis habitu procedens ab huiusmodi exteriora negotia consilio prouidus egrediebatur & re-

A grediebatur, & infra Monasterium contéplationis dulcedine fruens in sacri Ordinis obseruantia quietus atque tranquillus assiduè permanebat. In ipsius quoque insulæ amœnitate se iugiter exercitabat, & tanquam in medio paradisi positus, eam delectabiliter excolebat. Est enim ipsa Casauriensis insula valde delectabilis & amœna, fructuum & herbarum suauitate referta, fluminis insuper Piscariæ conclusa meatibus: ita vt, sicut suprà scriptum est, velut altera paradisus appareat. De cuius nominis & naturæ pulchritudine quidam sapiens versificans ait, LVDOVICVS II.

Ad patria laudes natura nomen obedit:
Auro tota nitens, aurea nomen habet.
Vt verum fatear, si quid pretiosius auro
Mundus habere potest, hoc habet iste locus.
Omne genus grani, vini genus omne videres,
Arboris omne genus, sponte parare cibum.
Hic Domino viuit Sanctorum turba virorum:
Hîc Martyr Clemens gaudet honore suo.

Habet enim Piscariensis insula proprium nomen suum, videlicet CASAM-AVREAM. Nam in antiquis ex eadem insula conditis Instrumentis inuenitur habuisse nomen *Casaura*, ab aura ventorum, quæ potenter ibidem flare dignoscitur. In regalibus quoque Priuilegiis & sequentibus Monasterij Cartulis describitur *Casa-aurea*, pro eo nimirum quia de regali thesauro fuit eadem insula comparata, & B ex ipso etiam eadem sanctæ Trinitatis Ecclesia in sua constructione sublimi ornatu ditata refulsit. Potest etiam dici *aurea* propter excellentiam pulchritudinis & honoris eius, quia vineis, hortis, & fructiferis arboribus consita, & Piscariæ flumine circumclusa naturaliter, sicut dictum est, fertilis est & amœna. Vnde quidam sapiens versificans ait,

Aureus iste locus tanto splendescit honore,
Vt res & nomen comprobat inde datum.
Nec tamen ex æquo nomen respondet honori.
Nam minus ipsa re nomen honoris habet.
Tot natura loco bona, tam benè contulit isti,
Vt supplere nihil aut renouare queat.

Fluuius namque Piscariæ, qui Casauriensem insulam vndique cingit & circumuallat, sicut tradit Liber de Mirabilibus mundi, & ipsa rei veritas ostendit, nascitur in imo cardinum valuæ, in loco ad radices montis, qui dicitur *Calmentinus*; indéque progrediens & profluens, multisque iam aliorum fluuiorum aquis in se receptis, meatu per montana vel mœnia canalium Alpium Magellæ, scilicet inter montes duos Soti & Vrsæ decurrit. Postea verò egreditur in quandam planitiem, vbi competenter incipit diuidere Pinnense territorium à Teatensi, & tanquam terminus eorumdem inter vtrumque fluens, suisque meatibus pulcherrimis & amœnis istarum duarum regionum fines vsque ad mare determinans distinC guit. Antea verò quàm ad ipsam Casauriensem insulam deueniat, in impetu & velocitate magnóque sonitu à loco, qui ab antiquo dicitur *Pons-regalis*, in locum concauum & immensæ profunditatis defluit, & in largam atque profundam inundationem se celeriter expandit. De cuius profunditate ac inundatione fit mirabilis aquarum diuisio. Et vna quidem pars à latere Pinnensis territorij tendit. Altera verò à parte Teatensis, & circa radices montis Mortulæ decurrit, donec insula vndique aquis cincta & circumuallata, ipsæ aquæ sibi reoccurrant. Quæ ad inuicem reiunctæ in vnum, inter Comitatum Pinnensem & Teatensem per suum alueum vsque ad mare discurrit, & sic in pontum Adriaticum orientale se latitat. Currit verò prædictus Piscaria millia quadraginta quatuor, & sic se in prædicto ponto obcludit.

VT autem melius atque melius cognoscatur à posteris & à progenie in progeniē innotescat, quanta fuerit in principio sui Piscariensis Abbatia S. Clemētis, quæ terra possessionis eius, quibus terminis atque confiniis concludatur, quo quantóve pretio fuerit acquisita: nomina quoque villarum seu casalium, & ex quibus villis atque casalibus in ipso fundo castella postea fuerint ædificata. quæ namque in ipsis pertinentiis & tenementis locorum Ecclesiarúmque vocabula, quemadmodum in Instrumentali Volumine reperiuntur, summatim & liquidò dignum duxi-

LVDOVICVS II. mus in hoc Opere declarare. Est igitur, vt suprà tetigimus, in finibus Pinnensis Comitatus, circa Monasterium & Casauriensem insulam, Piscariæ tantum flumine intercurrente, regio tribus ambita & conterminata fluminibus. Quorum fluuiorum vnus nascitur in loco, vbi propter ceruos, qui de proximis siluis potatum ibidem venire solebant, dicitur *Petra-Ceruaria*, nomine *Cignus*. Qui suis meatibus in Piscariam defluens, quia eius aqua in quibusdam suis gurgitibus serpenticulos & anguillulas nutrit, *Cignus* vocatur. Huius verò regionis possessio facit initium ab eodem loco, vbi Petra-ceruaria nuncupatur, & Cignus nascitur, & subit transitque per furcas Pinnenses: & descendens in valle de Trite, in confiniū Valuensis Comitatus protenditur vsque ad locum vbi Caput aquæ dicitur, indéque propter quod ex tribus fontibus, quod emanat flumen *Tritanum* vocatur, vel ob copiam Truttarum piscium dicitur *Tritanum*. Possumus etiam dicere aquas Tritanas, quia Trutta & anas in ea fœcundissimo fœtu congignunt. Itaque flumen istud per ipsam vallem de Trite decurrens prædictæ regionis extrema determinat, donec in Piscariam ingrediatur. *Piscaria* nempe, vel quia iuxta sui magnitudinem piscium multitudine caret, vel propter pisces, quos valde saporos & caros habet, tale nomen accepit. Cuius cursus cùm, postquam circa radices montis Soti & Monasterij beati Clementis insulam pertransierit, vsque ad locum, in quo prædictum Cignum fluuium in se recipit, deuenerit, prædictam regionem designat atque concludit. Supra dicti verò tres montes, qui infra regionem istam ab Occidentali plaga Monasterij conspiciuntur, vnus eorum quoniam in summitate sui est durus & asper, ab asperitate vocatur *Mons Soti*. Alter à brungis & prungis vocatur *Brungata*. Tertius verò mons vocatur *Mons Aquiliæ*, id est Aquilæ, eò quòd Aquila solet ibi nidificare. Est etiam à Septentrionali latere alius mons, in quo situs est quidam collis, qui dicitur Falconis: qui siue quòd à quodam viro nomine Falcone olim fuit inhabitatus, siue à volatu ipsius volucris falconis, totus ipse *Mons* dicitur *Falconius*. A B

PRÆTEREA fontes & riuos aquarum habet hæc regio, videlicet *Riuum de Pantano*, qui de prædicto monte Soti defluit, *Riuus Ceculi*. *Riuus candidi*, in quo panni candidantur: quem etiam Adam Piscariensis Abbas, cum à Rocca sua reuerteretur, & inueniret pastores ouium suarum ibidem vncinos facientes, commutauit nomen eiusdem riui, & vocauit eum *Riuum de vncinis*. Sunt & aliæ aquæ in eo defluentes, quæ *Tres riui* appellantur. *Riuus* etiam qui dicitur *Vomeris*. *Riuus de fleccine*, qui in loco nomine Vadulato Piscariam subintrat. Demum riuus qui vocatur *Merdariolum* & deficit in alueum de Piscaria. Ante principium ergo Monasterij Piscariensis infra terminos supradictæ regionis erant villæ, casalia, locorúmque habitacula, quæ legitima venditione fuerunt empta, & in iurisdictionem & proprietatem beati Clementis de regali pecunia legaliter acquisita.

HÆC verò sunt nomina villarum, & casalium ipsorum, secundum quod astruunt Instrumenta Cartarum. Vicus Pinnensis, Pantanum, Rangianum, Collis, Casaleculum, Teczanicum, Victorrita, Blunesa, Colmella, Stabuli, Pirolum, Loceriole, Opaculum, Fleccine, Vadulatum, Curtis de Leriano, Petacsanum, Petelianum, Cedisse, Cerbaranum, Collis Falconius, Carusani, Morus, Lecettus, Casulæ, Capitinianum, Osanum, Blesianum, Madici, Niranum, Mortula, Asinarij, Retianum, Andrailanum, Legonianum, Palearitia, Casale de Maringe, Sancta Victoria, Sanctus Angelus, Mortianum, Fiola, Collis Superone, Banio, Collis de Cortina, Ruginosum, Carpentum, Sanctula, Collemanianum, Nouo, Bianum. C

IN ipsis profectò pertinentiis villarum, casalium ac habitaculorum, inueniuntur prædiorum, locorum, Ecclesiarúmque vocabula, ex quibus duximus quædam ipsis suis exprimenda vocabulis. In pertinentia de vico Pinnensi hæc inueniuntur locorum Ecclesiarúmque vocabula. Ecclesia sancti Calixti vocata Clusura, Casore, Lacus-rotundus, Lacus-minor, Lacus-maior, Pratum-regale, vbi pons fuit constructus, qui Pons-regalis est dictus, Via caua, locus qui olim dictus est Auium, vbi est nomine sanctæ Mariæ Ecclesia dedicata, & vbi sancti Ioannis nomine Capella est constituta. Gemmetum, Piro-corbolo, Gemeruti, Nuscule, Lamacina, Romaniani, Casatrottuli, Cannegetum, Spinetum, Subtus grutta.

Possessio

A Possessio nempe vici Pinnensis, sicut in vtraque parte Voluminis Instrumentalis supputatur, reperitur esse ad mensuram tritici seminis terra modiorum septingentorum octoginta vnius. Pecunia verò inde à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, nec non ab Abbatibus à principio Monasterij data, vel locatione accepta, mille sexcentorum septuaginta duorum solidorum: & caballi duo, & boues septem, sicut ex singulis Cartis colligitur & supputatur.

In pertinentia de Ragiano, Pantano, & Colle, inueniuntur locorum Ecclesiarúmque vocabula. In Pantano Ecclesia sancti Pelini nomine dedicata. In Ragiano Ecclesia sanctæ Mariæ & alia Ecclesia sancti Angeli nominibus dedicatæ. Casa de Antonio, Cæsa, Morus, Clusura, Fons de curtina, Viniale, Tufagie, Porcianum, Pons remedij, Pastina, Ecclesia sancti Siluestri in ipso Ragiano sita, locus vbi dicitur Mandra, & Garagetum. Locus vbi dicitur Fossa, & vbi dicitur Rucciolum, & vbi dicitur ad Riuum sub ripa, & ad Cliuum, & Fornella, Plagia, Longezes, Quercus crossa, Piscina de aqua viua, Bolobro, vallis de flectomata, Transriuum, Mons Soti, Ecclesia sanctæ Trinitatis & Cripta in ipso monte sancti Michaelis nominibus dedicatæ. Locus nomine Collis, & Ecclesia sancti Petri in pertinentia ipsius collis, in loco qui dicitur Periculi ædificata, Pomariolum. Possessio nempe ipsorum trium casalium, Ragiani, Pantani, & Collis, est ad mensuram tritici seminis terra modiorum mille quingentorum viginti se-
B ptem. Pecunia verò inde à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, nec non ab Abbatibus à principio Monasterij data, vel locatione accepta, solidorum mille quingentorum quadraginta vnius: conca vna argentea, caballi tres, boues octo, sicut ex singulis Cartis colligitur & supputatur.

In pertinentia de casale Casalecclo, & de villa Tezanico, inueniuntur locorum Ecclesiarúmque vocabula, Ecclesia sancti Martini vocata. Locus qui dicitur Collis, & subtus Colle Atrium sancti Martini, terra Piniataria. Via Saracinisca. Ecclesia sancti Felicis nomine consecrata in eodem Tesanico. Locus vbi dicitur Foris de Altula. Clusura. Possessio nempe ipsorum duorum casalium Casaleccli & Tesanici, est ad mensuram tritici seminis terra modiorum sexcentorum quatuordecim. Pecunia verò inde à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, nec non ab Abbatibus à principio Monasterij data, vel locatione accepta, solidorum sexcentorum septuaginta vnius, sicut ex singulis Cartis colligitur & supputatur.

In pertinentia de Victorita, & Blunza, Colmella, Stabulis, & Perule, inueniuntur Ecclesiarum locorúmque vocabula, Casa vetere, Orgule, Plano, supradicto Gemmeto, Noale, Manaresce, Vintioni, Cellario. Terra vbi dicitur sancti Angeli. Locus vbi dicitur Lacorum. Capella in ipsius Bectorritæ receptaculo constituta, sancti Nicolai nomine. Extra ipsam villam, Ecclesia sancti Antonini
C vocabulo consecuta. Ecclesia alia in Blunsa sancti Nicolai vocabulo dedicata. Vinea maiore, Tufo, Vrciona. Possessio nempe ipsarum quinque villarum, Victoritæ, Blunsæ, Colmellæ, Stabulis, & Perule, est ad mensuram tritici seminis terra modiorum octingentorum viginti trium. Pecunia verò inde à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, nec non à principio Monasterij ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum septingentorum quinquaginta duorum, boues septem, sicut ex singulis Cartis colligitur & supputatur.

In pertinentia villarum atque casalium, videlicet de Opaculo, Fleccine, Vadulato, & Petaczano, inueniuntur Ecclesiarum locorúmque vocabula. Petrosula, Fonsallonis, Ecclesia sancti Pancratij nomine constructa, Poium de Codaculis. Luciano, Vallis subforcella, Casalina, Frudunclij, Ripa ansonis, Corni, Cortina, Maranello, Colleccelli, Campus de Lentesco, Viniali, Caleara, Ecclesia sancti Martini vocabulo extructa. Possessio nempe ipsorum quatuor casalium est ad mensuram tritici seminis terra modiorum septingentorum decem & octo. Pecunia verò inde à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon à principio Monasterij ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum octingentorum septuaginta quinque, sicut ex singulis Cartis colligitur & supputatur.

In pertinentia casalium de Peteliano, Cedisse, & Cerbarano, inueniuntur locorum Ecclesiarúmque vocabula, videlicet Ecclesia sancti Viti nomine constructa, Cori, Castello veccio, Coniulello, Fossatum de fonte Sauina, Interriuos, Pe-

LVDOVICVS II. Imp.

træ maiores, Ecclesia sanctæ Iustæ nomine dedicata, Ecclesia sancti Comitij nomine dedicata, Ecclesia sanctæ Mariæ vocabulo Ciaciris, Ecclesia sancti Petri nomine constructa. Summa, Vico, Ecclesia sanctæ Mariæ honore dedicata, Sessiano, Furcella. Possessio nempe ipsarum trium villarum est ad mensuram triticei seminis terra modiorum trecentorum octoginta nouem. Pecunia verò à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, nec non à principio Monasterij ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum trecentorum octoginta, sicut ex singulis Cartis colligitur & supputatur. A

In pertinentia villarum atque casalium de Carufani, Moro Lecto, Casule, Capitiniano, Ozano, Blesiano, & Madici, inueniuntur locorum Ecclesiarúmque vocabula, Mansiano, Porcarecza, Sculcula, Petorci, sancta Maria de Morello. Ecclesiæ sancti Nicolai & sanctæ Iustæ nominibus dedicatæ. Ecclesia sanctæ Luciæ nomine dedicata in moro. Sancta Maria de Cerraniano. Sanctus Apollinaris, sanctus Vincentius in lecto. Fasenario sanctæ Mariæ Ecclesia dedicata Porcari, Paganeco, Pontiano, Cluso, Cancello, Macalæ, Trefoliæ. Ecclesia sancti Leuterij vocabulo, & sanctæ Luciæ vocabulo, in Osano. Ecclesia sanctæ Mariæ in ipso Blesiano. Ecclesia sancti Petri in Madici. Possessio nempe supradictorum octo casalium est ad mensuram triticei seminis terra modiorum trium millium. Pecunia verò à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, nec non à principio Monasterij ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum sexcentorum, sicut ex singulis Cartis colligitur & supputatur. B

In pertinentia casalium de Nerano, & Fabrica, Mortula, Legoniano, & Asinariis, Retiano, & Andrauano, inueniuntur locorum Ecclesiarúmque vocabula. Vocabulum de sancto Sauino, & de sancto Andrea, & de sancto Antonino. Macclabona, Vocabulum de sancto Petro ad Asinarios, Ruginosum. Vocabulum de sancta Lucia, & Pontiano. Vocabulum de sancto Petro. Plaia Asole. Vocabulum de sancto Damiano. Putella de puteo, Fossato cupo, Colle peluso. Possessio nempe prædictorum septem casalium est ad mensuram triticei seminis terra modiorum millium trecentorum viginti vnius. Pecunia verò à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, nec non à principio Monasterij ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum trium millium centum quadraginta nouem.

In pertinentia quoque villarum, seu casalium de Palearicia, casale de Maringe, sancta Victoria, & sancto Angelo, Mortiano, Ruginoso, Carpeneto, Biano, Fiola, Campuli, & Superone, inueniuntur locorum Ecclesiarúmque vocabula, Pectie, Plaiæ, Clusurulæ, Serrum-cello, Imbricæ, Castellum, vocabulum de sancto Eleutherio. Clusura, furcella de Rugenoso. Vocabulum de sancto Simeone, & sancto Angelo. Vallis de Arne. Vocabulum de sancto Saluatore, Fons turturis, Collis de Lentesco, Planum de Fara, Caua de sancto Ioanne, Roiaro, Cerretum, VValdari, Cortina. Vocabulum de sancto Victorino. Pratum, Lensarose. Vocabulum de sancto Leopardo. Ecclesia sancti Leucij in castello Campuli. Collis Munduli, Cellulæ, Collis Stabonis, Foncellæ, Ofelici, Plaia petrosa, via de sancta Lucia, Macerine, Riuus de Bussi, Vorago de Plaia-sicca, Neretulo, Casadeladi, Casule, prata inter Rigora. Fonsodonis. Sancta Maria de Superone, Balentij, Fossa Guarnonis, Ceppeta, Valetrino. Sancta Agatha, sanctus Laurentius, Via Ostolesæ. Collemaio, Lacus. Possessio nempe prædictorum vndecim casalium seu villarum est ad mensuram triticei seminis terra modiorum mille centum viginti octo. Pecunia verò à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, nec non à principio Monasterij ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum trium millium septingentorum septuaginta, boues quatuor. C

Quæ sequuntur in Ms. Codice, tanquam aliena ab huius Operis instituto prætermissa sunt.

A

EPISTOLA APOLOGETICA
LVDOVICI II. IMPERATORIS OCCIDENTALIS
LOTHARII F. LVDOVICI PII N.

Ad BASILIVM Orientalem Imperatorem missa anno Christi DCCCLXXI.

Quam ex Ms. Codice Historiæ Longobardorum Beneuentanorum Principum ab Eremperto conscriptæ Cæsar Baronius eminentissimus Cardinalis Tom. IX. Annalium Ecclesiasticorum primus edidit.

IN *nomine Domini nostri Iesu Christi Dei æterni*, LVDOVICVS *diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus Romanorum, dilectissimo spiritualique fratri nostro* BASILIO *gloriosissimo ac piissimo æquè Imperatori nouæ Romæ*. PROBABILE quidem & laudabile constat, aliquem fratrem fratris monitis quasi quibusdam flatibus ad ignem charitatis accendi; probabilius autem est, sic ipsius vltroneæ voluntatis ad hoc motibus inflammari. Sed probabilissimum est, quandocumque viam quenquam virtutis arripere, & magis magisque miris successibus in sublime proficere. Nam ille semper miles à duce magis diligitur, qui pòst veniens, hostium vires fortiter premit, quàm is qui maturius quidem accessit, sed fortè aut nihil, aut certè modicum gessit. Secundum quam regulam diuinitus stabilitum Imperium nostrum, ex die qua cœpit erga fraternitatem tuam dilectionis radicem in corde suo plantare, multiplices fructus exhibere non destitit, non minus quæ vestra quàm quæ nostra sunt, procurans, & vendicans. Quamuis quæ circa Missos nostros in causa familiaritatis & benignitatis te gloriaris egisse: nos prius erga IOANNEM famosissimum Patricium gessisse patescat; quem reuera non sicut amicum, vel quemadmodum fratris, id est, Imperij tui hominem, sed quasi consanguineum nostrum, & tanquam Excellentiæ tuæ sobolem tractauimus & dileximus: nec hunc penes nos positum aut tarditas vnquam temporis, aut intima locorum à penetralibus nostris fecere extorrem.

B

CETERVM spiritualem fraternitatem tuam miramur, tot sermonum ambages contentiosiùs aduersus Apostolum prætendentem, qui dicit: *Si quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* cùm Imperij dignitas apud Deum non in vocabuli voce, sed in culmine pietatis gloriosa consistat, nec nobis quid appellamur mirandum, sed quid sumus prouidendum. Verùm quia de Imperatorio nomine multa nobis scripsisti, cogimur & nos quoque ad scripta tua quædam rescribere, ne si vsquequaque super hoc siluerimus, non vt contentionem vitantes, sed quasi ratione conuicti, siluisse ab insipientibus videamur.

C

INDICAT itaque dilectio tua, se maledictum legis pauescere, & idcirco terminos æternos transferre, & veterum Imperatorum formas commutare, ac præter canonica & paterna præcepta conuersari, renuat & recuset. Et tamen qui sunt illi, vel vbi, aut vnde fuerunt prolati termini æterni, vel veteres formæ, aut illa canonica & paterna præcepta, minus apertè declarat. Nisi fortè super Imperatoris nomen velit hæc cuncta sentiri. Verùm apud nos multa lecta sunt, multa quidem indefessè leguntur, nunquam tamen inuenimus terminos positos, aut formas, aut præcepta prolata, neminem appellandum Basilea, nisi eum, quem in vrbe Constantinopoli Imperij tenere gubernacula contigisset: cum Gentium singularum monumentis interim postpositis, sacræ nobis affluenter Historiæ monstrent, plurimos fuisse Basileos nuncupatos, & non solùm electos quosque, quales fuère Melchisedech & Dauid, verùm etiam reprobos, quales primo-

 res Assyriorum, Egyptiorum, Moabitarum, & ceterarum Nationum, quas enumerare longum est, extitisse probantur. A

Ergo cùm ita sit, frustra causandum ducit prudentia tua, alios præter se Basileos appellandos, nisi fortè radendos ducat totius codices mundi, in quibus penè cunctarum Gentium Principes à priscis temporibus & deinceps Basilei inueniuntur scripti. Et certè, vt de Latinis codicibus interim taceamus, si Græcos & nouiter editos seu oluas codices, inuenies proculdubio plurimos tali nomine vocitatos, & non solùm Græcorum, sed & Persarum, Epirotarum, Indorum, Bithiniensium, Parthorum, Armeniorum, Sarracenorum, Æthiopum, Vuandalorum, & Gothorum, & aliarum Gentium Prælatos Basileorum appellatione veneratos. Intuere igitur, frater, & considera, quòd multi fuerunt, qui Basilei diuersis temporibus, & in diuersis locis & Nationibus nuncupati sunt, vel hactenus nuncupentur: & noli vel nobis, quod dicimur, inuidere, vel tibi singulariter vsurpare quod non solùm nobiscum, sed & cum pluribus Præpositis aliarum Gentium possides. Graue namque vitium est singularis dignitatis fastigium, quod qui in principio ambierit, quid ei ambiendo talia contigerit, commemorare nolumus, ne fraternitas tua commemoratum ad iniuriam suam existimet.

Dicis autem, quòd quatuor Patriarchales Sedes, vnum Imperium inter sacra mysteria memorati, à Deiferis Apostolis vsque nunc traditum habeant: móxque hortaris, vt persuadeamus eis, quòd nos Imperatorem appellent. Quod tamen nec ratio dictat, nec est opus. Primò quidem, quia nobis non congruit, alios quomodo nos vocent instruere. Deinde verò, quia nobis etiam minimè suadentibus, tam Patriarchas singulos, quàm ceteros homines qui sub cælo sunt, excepta fraternitate tua, tam honoratos quámque priuatos, tali nos nominis appellare cognomine, quoties eorum accepimus Epistolas & Litteras, inuenimus. Præsertim cùm & ipsi patrui nostri gloriosi Reges absque inuidia Imperatorem nos vocitent, & Imperatorem esse proculdubio fatentur: non profectò ad ætatem, qua nobis maiores sunt, attendentes, sed ad vnctionem & sacrationem, qua per summi Pontificis manus impositionem diuinitus sumus ad hoc culmen prouecti, & ad Romani principatus Imperium, quo superno nutu potimur, aspicientes. Porro si vnum Imperium Patriarchæ inter sacrosancta sacrificia memorant, laudandi sunt, non vtique inconuenienter agentes. Vnum est enim Imperium Patris & Filij & Spiritus sancti, cuius pars est Ecclesia constituta in terris: quam tamen Deus nec per te solùm, nec per me tantùm gubernari disposuit, nisi quia tanta sumus adinuicem charitate connexi, vt non iam diuisi, sed vnum existere videamur. B

Non autem credimus, sanctissimos Patriachas sic tui mentionem facere, vt aliorum quoque Principum (vt omittamus nostram) mentionem prætereant: cùm pro huiusmodi etiam Apostolus orare iusserit, cùm persequerentur Ecclesiã, vt securam & tranquillam vitam agerent cum omni pietate. Præsertim cùm eos etiam pro impiis orare non diffidamus, sub quorum ditione consistunt, sicut Iudææ quoque populus in Babyloniam ductus, pro Rege Babyloniæ per Hieremiam iubetur orare. Nam in illorum pace etiam populi constituit pacem. C

Illud autem mirari meritò possumus, quòd Sublimitas tua ad nouam & recentiorem appellationem aspirare nos autumat: cùm quantum ad lineam generis pertinet, non sit nouum vel recens, quod iam ab auo nostro non vsurpante, vt perhibes, sed Dei nutu, & Ecclesiæ iudicio, summíque Pontificis per impositionem & vnctionem manus obtinuit, sicut in codicibus tuis inuenire facilè poteris. Verùm quid mirum, si nouum sit, cùm omne vetus à nouo principium habeat, & non nouum à veteri? Et certè cùm primi Romani Principes imperare cœperunt, nouum fuit, sed de die in diem deuenit in vetustatem. Non ergo quæcumque nouitas in culpa est, scilicet irreprehensibilis nouitas. Vnde & Apostolus cùm dilecto filio scriberet, non ait: *Vocum nouitates deuita*, sed, *profanas vocum nouitates deuita*. Sanè antiquam esse Imperij nostri dignitatem, nullus ambigit, qui vel nos successores antiquorum Imperatorum esse non nescit, vel diuinæ pietatis diuitias non ignorat. Nam quid mirum si in fine temporis palam exhibuit, quod ante tempora in abdito consilio suo prædestinauit?

Sed nec hoc admiratione caret, quod asseris Principem Arabum Protosymbolum dici, cùm in voluminibus nostris nihil tale reperiatur, & vestri codices modò

A Archton, modò Regem, vel alio quolibet vocabulo nuncupent. Verùm nos omnibus litteris Scripturas sanctas præferimus, quæ per Dauid non Protosymbolos, sed Reges Arabum & Saba perspicuè confitentur. Chaganum verò non Prælatum Auarum, non Cazarorum, aut Northmannorum nuncupari reperimus, neque Principem Bulgarum, sed Regem vel dominum Bulgarum. Quæ omnia idcirco dicimus, vt quàm aliter se habeant quæ scripsisti, legens in Græcis voluminibus, ipse cognoscas. Quos nimirum suis cognominibus acquiescere perhibes, nec tamen ipsorum propria cognomina recolis. Verùm idcirco ab iis & ab omnibus Basilei debitum vocabulum adimis, vt hoc tibi soli non tam propriè quàm violenter inflectas.

Illvd autem ridere libuit, quod de Imperatoris nomine dixisti, neque paternum esse, neque Genti conuenire. Quomodo enim paternum non est, quod iam in auo nostro paternum fuit? Quomodo autem Genti non conuenit, cùm sciamus (vt de ceteris breuitatis causâ taceamus) ex Hispanorum, Isaurorum, & Cazarorum Gente Imperatores Romanos effectos? Neque enim veraciter asseuerabis Nationes has Gente Francorum aut religione aut virtutibus clariores. Et tamen admittere non renuis Imperatores, & eos prædicare non despicis. Porro de eo quod dicis, non in tota nos Francia imperare, accipe, frater, breue responsum. In tota nempe imperamus Francia, quia nos proculdubio retinemus quod illi retinent, cum quibus vna caro & sanguis sumus, & vnus per Dominum spiritus. B Præterea mirari se dilecta fraternitas tua significat, quòd non Francorum, sed Romanorum Imperator appellemur. Sed scire te conuenit, quia nisi Romanorum Imperator essemus, vtique nec Francorum. A Romanis enim hoc nomen & dignitatem assumpsimus, apud quos profectò primo tantæ culmen sublimitatis & appellationis effulsit, quorúmque Gentem & Vrbem diuinitus gubernandam, & Matrem omnium Ecclesiarum Dei defendendam, atque sublimandam suscepimus, ex qua & regnandi prius, & postmodum imperandi auctoritatem prosapiæ nostræ seminatium sumpsit. Nam Francorum Principes, primò Reges, deinde verò Imperatores dicti sunt: ij dumtaxat qui à Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt. In qua etiam Carolus Magnus abauus noster vnctione eiusmodi per summum Pontificem delibutus, primus ex Gente & genealogia nostra, pietate in eo abundante, & Imperator dictus, & Christus Domini factus est. Præsertim cùm tales sæpè ad Imperium sunt adsciti, qui nulla diuina operatione per Pontificum ministerium, propositi solùm à Senatu & populo, nihil horum curantibus, Imperatoria dignitate potiti sunt. Nonnulli verò nec sic, sed tantùm à militibus sunt clamati, & in Imperio stabiliti sunt: ita vt etiam eorum quidam à feminis, quidam autem aut hoc, aut alio modo ad Imperij Romani sceptra promoti sunt.

Porro si calumniaris Romanum Pontificem, quòd gesserit: calumniari poteris & Samuel, quòd spreto Saule, quem ipse vnxerat, Dauid in Regem vngere non renuerit. Verùm super hoc si est qui summo Pontifici saltem vnum faciat mutC tum, congruo profectò illius non carebit responso. Sed interim si paginas reuoluas Græcorum Annalium, vtique discriminatos ab alienis, per quos nequaquam defensi: & si quæ à vestratibus Pontifices Romani pertulerunt perscruteris, profectò inuenies vnde illos iustè non valeas redarguere. Verùm hæc illi, quæ extrinsecus agebantur facilè paruipenderunt, nisi & intrinsecus quæ per diuersas hæreses perimere conantium molimina deprehēderunt. Vnde meritò apostatis desertis (quæ enim communicatio Christi cum Belial?) adhæserunt Genti adhærenti Deo, & ipsius Regni fructus facienti: quoniam non est personarum acceptor Deus, sed (vt eximius Apostolorum innuit) in omni Gente qui timet Deum, acceptus est illi. Ergo cùm ita sit, cur nos satagis reprehendere, quoniam ex Francis oriundi Romani moderamur habenas Imperij, cùm in omni Gente qui timet Dominum, acceptus est illi? Et certè Theodosius maior, & filij Arcadius & Honorius, & Theodosius minor Arcadij filius, ex Hispanis ad Imperij Romani culmen assumpti sunt, & non inuenimus quòd aliqui clamauerint, vel reprehenderint Theodosium, quòd non Romanus, sed Hispanus existeret, vel restiterint vel prohibuerint filios eius in locum patris & honores succedere, quemadmodum (vt cum tua pace dicamus) nunc tua conari videtur diligenda fraternitas, & sustinenda dilectio, quasi Gens Francorum non pertineat ad hereditatem, de qua Pater ad Filium loquitur:

LVDOVICVS II. *Postula*, inquiens, *à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam*, &c. Et alibi, *Glorificantes me glorificabo*. Et alia innumerabilia. A

ERGO, frater charissime, desine in hoc contentiosius agere, desine adulatoribus quibuscumque aures tuæ puritatis inflectere. Denique gens Francorum iustos & fœcundissimos Domino attulit fructus, non solùm citò credendo, verùm etiam nonnullos alios salutiferè conuertendo. Verùm vobis à Domino iure prædictum est; *Auferetur à vobis Regnum, & dabitur Genti facienti fructus eius*. Sicut ergo potuit Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ, ita potuit de Francorum duritia Romani suscitare successores Imperij. Et sicut, si Christi sumus, secundum Apostolum, Abrahæ semen existimus: ita si sumus Christi, omnia possumus per gratiam ipsius, quæ possunt illi, qui euidenter existunt Christi. Et sicut nos per fidem Christi Abrahæ semen existimus, & Iudæi per perfidiam Abrahæ filij esse desierunt: ita quoque nos propter bonam opinionem, id est orthodoxiam, regimen Imperij Romani suscepimus: Græci verò propter cacodoxiam, videlicet malam opinionem, Romanorum Imperatores existere cessauerunt. Deserentes scilicet non solùm vrbem & sedem Imperij, sed & Gentem Romanam, & ipsam quoque linguam penitus amittentes, atque ad aliam vrbem, sedem, gentem, & linguam per omnia transmigrantes.

SED ne, frater desiderabilis, tristitia cor tuum repleat, audi sequentia: *Quia non repulit Deus plebem suam quam præsciuit*. Dic ergo, nunquid sic offenderunt, vt caderent? Absit. Sed illorum delictum honor noster, & diminutio plenitudo nostra effecta est. Cùm enim fracti sunt rami, nos inserti sumus in illis. Cùm oleastri quidem à modo fuissemus, & socij radicum & pinguedinum oliuæ sumus effecti. Dicimus ergo: Fracti sunt rami, vt nos inseramur. Et benè, non enim nisi propter credulitatem non rectam fracti sunt, nos autem fide stamus. Qui habet aures audiendi audiat. B

SED dicis: Quod esset tempus secundum quod fraternitati nostræ promiseris, quando & hac potiremur appellatione. Si Deus ad finem ea quæ consiliati sumus perducere voluisset, equidem de consilio quod asseris, quæ diximus, hæc ipsa & nunc dicimus. Non enim est in nobis: Est, & non. & à verbo nostro neque ad dexteram, neque ad sinistram diuertimus, sed in ipso immoti persistimus. Appellationem autem illam sicut hactenus nec nos nec patres nostri per carnem & sanguinem possedisse dignoscimur, ita quoque de cetero non immeritò possidere contendimus. Per patres etenim nos, non per filios consueuimus honorari, & apud nos gloria non à filiis ad patrem, sed à patribus in filios deriuatur. Quod enim nos à patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, sumpsimus, neque à filio neque per hominem aut ab hominibus accipere volumus.

POSTREMO scito, quia qui Riga quemque appellat, quid dicat, nec ipse nouit. Siquidem etiam si linguis omnibus, more Apostolorum, immò Angelorum, loquaris, cuius linguæ sit Riga, vel cui dignitati sonus ille barbarus congruit, quod Rex dicitur, interpretari non poteris. Nihil enim fortè ad idioma propriæ linguæ tractum, Riga, Regem significare monstraueris. Quod si ita est, quia non iam barbarum, sed Latinum est: oportet vt cùm ad manus vestras peruenerit, in linguam vestrã fideli translatione vertatur. Quod si factum fuerit, quid aliud nisi hoc nomine Basileus interpretabitur? quod non solùm veteris, sed & noui testamenti omnes interpretes attestantur. Vnde si in alienis personis hoc detestaris vocabulum, stude ex omnibus tam Latinis libris quàm Græcis, siue Regis siue βασιλέως nomen eradere. C

HIS igitur super hoc ita prælibatis, obstupescimus in iis quæ Serenitas tua prosequitur, dicens, suis, id est Græcis, Barim ex parte sua debellantibus & elidere decertantibus, nostros vel solùm intuitos, vel prandiis dissolutos nullum auxilium præstitisse: hãncque ideo ciuitatem minimè capi potuisse, cùm nostri siue intuendo tantùm, siue prandendo, siue aliud quid agendo, Barim tamen, licèt perpauci, & fine tenus impugnasse, & ope diuina cepisse noscantur. Vestri autem sicut multitudine apparentes, & sicut locustæ primum impetum dantes, eo ipso quo conatum suum in prima fronte monstrauerunt, pusillanimitate superati, protinus infirmati sunt: & more locustarum repente quidem salierunt, sed confestim fatigati, quasi à nisibus volandi, deciderũt, ac per hoc neque intuendo, neque pran-

A dendo, neque bellando, quibuslibet insignibus triuphi monstratis motu subitaneo & clandestino recesserunt, & inefficaces, nonnulli econtra Christianis solummodò captiuatis, ad propria repedarunt. Ergo, frater, noli de cetero Francos ridere, quia etiam inter mortis vicina student & prandia & omnia charitatis indicia proximis exhibere, & tamen à proposito non lentescere: quoniam secundum Apostolum, sciunt abundare & penuriam pati, & saturari & esurire. Et (vt compendiò dicamus) omnia possunt in eo, qui illos confortat.

De paucitate verò, quid miraris si pauci fuerunt, & tamen multa lucra detulerunt? Præterea, qua de re pauci fuerunt nostri, pridem patefecimus dilectioni tuæ. Sed quoniam nos super hoc pulsati, denuò nostrum sume responsum. Cùm enim diu demorante stolo fraternitatis tuæ, & illius iam minimè præstolaremur aduentum, & in anno ipso de obsidione Bari nihil omninò fieri putaremus: omnes ad sua redire permiseramus, his solùm retentis, quos ad prohibitionem recipiendorum alimentorum sufficere credebamus. Et hoc est quod stolus insperatus apparens, nonnisi paucos nostros inuenerunt. Verumtamen non isti pauci, & adhuc pauciores, quibusdam horum diuerso languore grauatis, effecti, antequam Baris caperetur, tres Ammiredas, qui totam Calabriam depopulabantur, & numerosam multitudinem Sarracenorum prostrauerunt, & magnam vestratibus
B salutem diuino beneficio contulerunt. Quare non solùm Calabritanorum Ismaëlitarum ingens extunc facta est diminutio, sed & Barensium potentatus omninò dissolutio, ac per id ad capiendum facilis adinuentio. Cuius facti trophæa vestros credimus tuo Imperio retulisse, & opera Dei quæ taceri non debent mirabiliter enarrasse.

Ceterum, fraternitatis tuæ dilectionem rogamus, nullam Nicetæ Patricio molestiam irrogare, pro eo quòd nostrum tam insolenter offenderit animum. Nam licèt adeo proteruus & contumax in nostrum fuerit Imperium, vt fidelium quoque nostrorum numerosa multitudo in eum seueriore mente commoueretur, nisi à nobis causa tui honoris pariter & amoris præuenta compesceretur: tamen malum pro malo retribuere non tulimus, nec debemus. Et idcirco deposcimus, si quid minarum super ipsum potestatis tuæ fortassis imminet, celeri benignitatis tuæ manu pro nostro remoueatur amore.

Nos autem tales Apocrisarios Apostolicæ Sedis esse, vel professio docet, vel eruditio dictat, vel conuersatio ante acta demonstrat, quales illos scripta prædicant, quæ nobis fraternitas tua direxit. Electos enim & approbatos eos tam spiritualis pater summus Pontifex, quàm Ecclesia per diuturna tempora scientes, & Ecclesiasticæ correctionis negotia strenuè peragentes, ad preces sublimis à Deo seruandi Imperij tui illos direxisse noscuntur. Vnde & decuerat Excellentiam tuam ita munitos eos remittere, vt in nullos vel pyratarum, vel aliorum prauorum incursus inciderent. Graue namque contra te super hoc tam spiritualis patris no-
C stri Apostolici Papæ, quàm totius Ecclesiæ Romanæ, murmur accenditur, eo quòd illos à Sede Apostolica tam desiderabiliter expetieris, sed tam imptouida dispensatione remiseris.

Et Nicetas quidem Patricius, Hadriatici freti seruator, cum classibus destinatus, accepta quasi per huiusmodi rem occasione, multas prædas ab ipsis Sclauinis abstulit, & quibusdam castris direptis, eorum homines captiuos abduxit: nec tamen quæ præfati venerabiles Apocrisarij perdiderunt hactenus restituta sunt. Sane spiritualem tuam nolumus ignorare fraternitatem, super castra nostra destructa, tot populis Sclauoniæ nostræ in captiuitate sine qualibet parcitate subtractis, supra quàm dici potest animum nostrum commotum. Non enim congruè gestum est, vt iisdem Sclauinis nostris cum nauibus suis apud Barim in procinctu communis vtilitatis consistentibus, & nihil sibi aduersi aliunde imminere putantibus, tam impiæ domus suæ quæque diriperentur, sibique contingerent: quæ si præcognoscerent, nequaquam prorsus incurrerent. Qua de re desiderabilem dilectionem tuam hortamur, & admonemus, vt mox id corrigere iubeat, & ipsos captiuos ad propria cum suis reduci præcipiat, si charitatis vinculum nunquam inter nos fore cupiat dissoluendum. Nullus mortalium hactenus Imperium nostrum talia commisisse recolit, ac per hoc nisi correctionem iussio tua præueniat, iustæ seueritatis nostræ proxima vltio procul dubio subsequetur, nec poterit remanere peni-

LVDOVICVS II. tus impunitum, quod in contemptum nostrum tanta temeritate constat fuisse patratum. A

NIHILOMINVS etiam te existimare scimus, obstupuisse nos talia de Missis nostris audientes, qualia tuæ nobis dulcedinis Litteræ intimarunt: adeò quippe illos inordinatè significans ambulasse, vt semper euaginato gladio deportato, non solùm iumenta, sed & homines interficerent. Quæ res si ita se habuit, mansuetudini nostræ valde displicet, & vt ad certitudinem perducatur vehementer exoptat. Verùm & ipsi diligenter à nobis inquisiti, tale quid egisse modis omnibus negauerunt. Et quia non est qui illos in faciem arguat, non est profectò eis neque conuictis neque confessis iustæ correctionis aliquid ingerendum. Verùm nos illos nec ita educauimus, nec ita docuimus, vt ad talia, qualia perhibes, laberentur: & ideo de illis quidquam eorum credere, non facilè iudicamus. Ceterùm indecorum sonuit, quod fraternitas tua perhibuit, dicens, non gladiis, sed dentibus nostros dilaniandos esse, nisi causa timoris tui minimè coërcerentur: cùm si non essent in Imperio tuo, nihil tale sibi prætenderent. Sed nec in Regno tuo positi, quidquam horum penitus formidarent: quinimmo, nec tanti numeri viros, & adhuc alios totidem, Deo gratias, expauescerent.

POSTREMO de Neapoli nobis in Christo fraternitas tua monuit, quasi miserimus populum nostrum ad incidendas arbores, & messes igne cremandas, & hanc ditioni nostræ subdendam. Cùm licèt ab olim nostra fuerit, & parentibus nostris piis Imperatoribus tributa persoluerit: verùm nos ab eius ciuibus præter solitas functiones nihil exegimus, nisi salutem ipsorum, videlicet vt desererent contagia perfidorum, & plebem desisterent insequi Christianorum. Nam infidelibus arma & alimenta, & cetera subsidia tribuentes, per totius Imperij nostri litora eos ducunt, & cum ipsis toties beati Petri Apostolorum Principis fines furtim deprædari conantur, ita vt facta videatur Neapolis Panormus, vel Africa sedes Sarracenorum. Cúmque nostri quique Sarracenos insequuntur, ipsi vt possint euadere Neapolim fugiunt. Quibus non est necessarium Panormum repetere, sed Neapolim fugientes, ibidémque quousque peruiderint latitantes, rursus improuiso ad certamina redeunt. Super quibus sæpe illos monuimus, sed ex admonitione peiores effecti sunt, adeò vt Episcopum proprium, quoniam eos vt vitarent consortia malignorum monitabat, ex vrbe proiicerent, illustres ac Proceres ciuitatis compedibus obsignarent. Ergo si societatem non dissoluerint infidelium (secundum Apostolum qui præcepit, dicens: *Nolite iugum ducere cum infidelibus*,) & Episcopum proprium & Pastorem non receperint: portionem eorum ponemus cum iis, quorum libenter amplexi sunt vnionem, & vna lance appendemus vtrosque. Quoniam non solùm qui faciunt talia, sed qui consentiunt facientibus, dignos morte iudicat memoratus insignis Apostolus, præsertim cùm vnanimiter arma contra Christianos ferant & dimicent, & si quos fidelium capere possunt Sarracenorum manibus tradant, cum ipsis ad bella vno impetu procedentes. B C

DE cetero, frater carissime, noueris, cum virtute summi Opificis nostri exercitum nostrum ordine prænotato, Bari triumphis nostris submissa, Sarracenos Tarenti pariter & Calabriæ mox mirabiliter humiliasse, simul & comminuisse, ac hos celeriter, duce Deo, penitus contriturum, si à mari prohibiti fuerint escarum admittere copias, vel etiam classibus à Panormo vel Africa suscipere multitudines. Quapropter spiritalis fraternitas tua, quia per totum * nostrorum cunei populorum in vtrisque locis vix aut nunquam studeat, necesse est sufficientem stolum destinare, qui illos ab accipiendis alimentis à mari coërceat: & si plurimas contigerit (sicut sæpe nuntiatur) pessimæ gentis aduenire cateruas, facilius illis resistere, diuino monitus brachio, valeat. Nam iste Stratigus Georgius, licèt solerter inuigilet, & strenuè pro suo posse decertet, non tamen sufficit obuiare si plures inimicorum naues ex parte qualibet apparent, non videlicet nisi pauca prorsus Chelandia * possidens. Et quia nonnulli Sarracenorum Panormi latrunculi cum sagenis solatio & refugio iam memoratorum Neapolitanorum freti, per Tyrrhenum mare debacchantur: oportet vt ad hos capiendos tuæ fraternitatis stolus sine dilatione mittatur. Isti sunt, qui cum Calabritanis Sarracenis indefessa stipendia præbent, & iis qui Panormi sunt auxilia quotidiana ministrant. Vnde si capiantur sagenæ, maxima ex parte Sarraceni, tam Panormi quàm Calabriæ, constringentur.

* *locus corruptus.*

* *nauigij genus.*

A Nos enim Calabria, Deo auctore, expugnata Siciliam disposuimus, secundum commune Placitum, libertati restituere. Quod tantum erit vtrumque faciliùs, quantum illi, diuina dexterâ captis nauibus & latrunculis, fuerint ampliùs & celerius infirmati. Nulla ergo tarditas, nulla mora, frater carissime, in mittendo stolo proueniat, ne vel per escarum à mari receptarum abundantiam, vel per aduentantium Agarenarum classium numerositatem, horum vires non infirmentur, sed roborentur, & sic roborentur vt postea difficiliùs infirmentur: sed & frustra nostræ per siccum indefessè certamen arripient, si sic ipsi per æquora fuerint aliqua stipendia vel copiosam multitudinem consequuti.

Postremo misimus desiderabili fraternitati tuæ Autprandum fidelem, & familiarem hominem nostrum, qui quædam quæ huic desunt Epistolæ viua voce tuo Deo tuendo Imperio reserabit, qui à diligenda nobis in Christo fraternitate tua susceptus benignè, non exceptis octo diebus, quæsumus vllo modo retardetur, sed celeriùs ad nos, quia ita conuenit nulla impediente mora, Christo propitio remittatur.

A

LIVTHPRANDI TICINENSIS ECCLESIÆ LEVITAE

RERVM AB EVROPÆ IMPERATORIBVS & Regibus ipsius præsertim tempore gestarum LIBRI SEX.

B

PRÆFATIO AD REVERENDVM PATREM RAIMVNDVM Liberitanæ Ecclesiæ in Hispania Episcopum.

REVERENDO, *totiúsque sanctitatis pleno, domino* RAIMVNDO *Liberitanæ Ecclesiæ Episcopo*, LIVTHPRANDVS *Ticinensis Ecclesiæ suis non meritis Leuites, salutem. Biennio ingenij paruitate petitionem tuam, Pater charissime, distuli, qua totius Europæ me Imperatorum Regúmque facta, sicut is qui non auditu dubius, sed visione certus, ponere compellas. Hæ siquidem res animum deterruere meum, ne id inciperem: copia (cuius sum penitus expers) dicendi, & detractorum inuidia, qui supercilio tumentes, lectionis desides, ac (secundum eruditi viri Boëtij sententiam) Philosophicæ vestis particulam habentes, totámque se habere putantes, hæc mihi sunt insultantes dicturi. Tanta maiores nostri scriptitarunt, vt multò amplius lectores quàm lectiones deficiant. Illúdque comicum garrient: Nihil dicetur, quod non fuerit dictum prius. Quorum latratibus hoc respondeo, quòd Philosophi more hydropicorum (qui quò ampliùs bibunt, eò ardentiùs sitiunt) quò sæpiùs legunt, eò auidiùs noua quæque perquirunt.* C *Qui si perplexa facundi Tullij lectione fatigantur, apertis saltem næniis animentur. Nam, ni fallor, sicut oculorum obtutus nisi alicuius interpositione substantiæ Solis radiis reuerberatus obtunditur, ne purè, vt est, videatur, ita planè mens Academicorum, Peripateticorum, Stoïcorúmque doctrinarum iugi meditatione infirmatur, si non aut vtili Comœdiarum risu, aut Heroum delectabili Historia refocillatur. Quòd si priscorum ritus execrabilis Paganorum, non solùm inquam non proficuus, verùm auditu ipso non parum nocuus, Thronus * memorandus inscribitur: quid istorum Imperatorum facta, Iulij, Pompeij, Annibalis, fratrísque eius Asdrubalis, ac Scipionis Africani insignium Imperatorum, laudibus coæquanda silebuntur? Cùm præsertim insit his Domini nostri Iesu Christi, dum sanctè vixerint, bonitas recitanda: dum quid deliquerint, salubris ab eodem correctio memoranda. Nec moueat quempiam, si eneruorum facta Regum, Principúmve effeminatorum, huic Libello inseruero. Vna est enim iusta omnipotentis Dei, Patris scilicet Filiíque & Spiritus sancti virtus: quæ hos iustè suis pro sceleribus comprimit, illos dignis meritis extollit. Hæc, inquam, est vera Domini nostri*

A *Iesu Christi Sanctis facta promissio.* Obserua & audi vocem meam, & inimicus ero inimicis tuis: & affligentes te affligam, & præcedet te angelus meus. *Per Salomonis quoque os Sapientia, quæ est Christus, clamat:* Pugnabit pro eo Orbis terrarum contra insensatos. *Quod quotidie etiam qui stertit animaduertit.*

LIBER PRIMVS.

De Fraxineti oppidi in confinio Italiæ situ, & eius à viginti Sarracenis pyratis occupatione, & munitione cum Mauro monte: déque Sarracenorum incrementis per inuidiam & factionem vicinorum Christianorum inter se. Lemmata Capitib. affixa nō sunt Auctoris.

CAPVT I.

B VT autem euidens ex innumeris subdatur exemplum, me tacente loquatur oppidum vocabulo Fraxinetum, quod in Italicorum Prouincialiúmque confinio stare manifestum est. Cuius vt cunctis liquidò pateat situs (quemadmodum tuam, Pater, prudentiam latere minimè reor, immò me melius scire, sicut ab ipsis qui vestri sunt tributarij Regis Abderahamenis potestis coniicere) mari vno ex latere cingitur, & in ceteris densissima spinarum silua munitur. Quam si ingressus quispiam fuerit, ita sentium hamis tenetur, & acutissimis aculeis perforatur: vt neque progressionis, neque reditus, nisi cum magno labore, habeat facultatem. Sed occulto, & (quoniam secus esse non potest) iusto Dei iudicio, viginti tantùm Sarraceni lintre parua ex Hispania egressi, nolentes istuc vento delati sunt. Qui pyratæ noctu egressi, villámque clam ingressi, Christicolas, proh dolor! iugulant, locúmque sibi proprium vindicant, montémque Maurum villulæ cohærentem contra vicinas Gentes refugium parant: spineam siluam hoc pacto maiorē & spissiorem sua pro tuitione facientes, vt si quis ex ea vel ramum incideret, mucronis percussione hominem exiret. Sicque factum est, vt omnis præter quàm vnius angustissimæ viæ aditus demeretur. Loci igitur asperitate confisi vicinas Gentes circumquaque perlustrant. Accersitum complures in Hispaniam nuncios dirigunt, locum laudant, vicinásque Gentes nihili se habere promittunt. Centum denique tantummodo Sarracenos secum mox reducunt, qui veram rei huius caperent assertionem. Interea Prouin-
C cialium, qui illic consederant, vicinorum inuidia cœpit intra sese dissidere, alius alium iugulare, substantiam rapere, & quicquid mali excogitari poterat facere. Sed quia pars partem, vt inuidia & dolor postularant, satis sibi subigere non poterant: hos, quos prædiximus, Sarracenos non minus callidos quàm perfidos in auxilium rogant, cúmque his sibi proximum quisque conterit. Nec iuuat solummodò proximum trucidare, verùm terram fructiferam in solitudinem reddere. Sed videamus quàm iusta secundum quendam profuerit inuidia, quam ita describens ait,

Iustius inuidia nihil est, quæ protinus ipsum
Auctorem rodit, excruciátque suum.

Quæ dum decipere conatur, decipitur: dum extinguere molitur, extinguitur. Quid igitur? Sarraceni cùm hoc suis viribus minimè possent, alteram alterius auxilio partis debellantes, suásque copias ex Hispania semper augentes: quos primò defendere videbantur, modis omnibus insequuntur. Sæuiunt itaque, exterminant, nil reliqui faciunt. Trepidare iam vicinæ ceteræ Gentes, quoniam secundum Prophetam horum vnus persequebatur mille, & duo fugarunt decem millia. Ex qua re? Quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos.

ARNVLFVS, BERENGARIVS, GVIDO.

Quis ea tempestate Papa, & qui Principes terrarum fuerint, & quid gesserint Leo & Basilius, quem Michaël Imperator ex famulo Monachi in socium assumpsit Imperij, & quomodo ab eo interemptus est. & Christus Basilio apparuit minabundus, qui in pœnitentiam ædem diuo Michaëli extruxit. A

CAPVT II.

HAC autem tempestate Leo Porphyrogenitus Basilij Imperatoris filius, Constantini huius pater, qui nunc vsque superest & feliciter regnat, Constantinopolitanæ ciuitatis regebat Imperium. Simeon fortis bellator Bulgaris præerat Christianis, sed vicinis Græcis valdè inimicus. Hungarorum Gens, cuius omnes penè Nationes expertæ sunt sæuitiam, quæ miserante Deo sanctissimi atque inuictissimi Regis Othonis potentia (vt latiùs dicturi sumus) mutire non audet exterrita, nobis omnibus tunc temporis habebatur ignota. Quibusdam namque difficillimis separata à nobis erat interpositionibus, quas Clusas nominat vulgus, vt neque ad Meridianam, neque ad Occidentalem plagam exeundi habuerit facultatem. Per idem tempus ARNVLFVS Rex potentissimus, defuncto Carolo prænomine Caluo, Baioariis, Sueuis, Francis, Teutonicis, Lotharingis, audacibúsque principabatur Saxonibus. Cui & Zvvendeboldus Marauanorum Dux viriliter repugnabat. BERENGARIVS & VVIDO Imperatores ob Regnum Italicum confligebantur. Formosus Portuensis ciuitatis Episcopus Romanæ Sedis summus & vniuersalis Papa habebatur. Sed nunc quid sub vnoquoque horum gestum sit, quo breuiùs possimus explicemus. Leo igitur Græcorum piissimus Imperator, cuius suprà fecimus mentionem, Constantini scilicet huius Porphyrogeniti pater, vndique pace habita sanctè & iustè Græcorum regebat Imperium. Porphyrogenitum autem non in purpura, sed in domo quæ *Porphyra* dicitur natum appello. Et quoniam res processit in medium, quid de huius Porphyrogeniti genesi audiuimus proferamus. Constantinus Imperator Augustus, ex cuius nomine Constantinopolis est sortita vocabulum ciuitas, domum istam ædificari iussit, cui Porphyra nomen imposuit: voluítque successuram nobilitatis suæ sobolem istic in lucem prodire, quatinus qui suo ex stemmate nascerentur luculenta hac appellatione Porphyrogeniti appellarentur. Vnde & hunc Constantinum Leonis Imperatoris filium ex eius sanguine nonnulli dicunt originem ducere. Veritas autem rei huius ita se habet. Basilius Imperator Augustus, auus huius, Macedonia humili fuerat prosapia oriundus, descendítque Constantinopolim τῆς πενίας ζυγῷ, quod est paupertatis iugo, vt cuidam seruiret Igumeno Abbati. Igitur Imperator Michaël, qui tunc temporis erat, cùm orationis gratia ad Monasterium istud, in quo ministrabat, descenderet, vidit hunc forma præ ceteris egregia: accecitúmque ad se Abbatem rogauit, vt se donaret hoc puero. Quem suscipiens in Palatio, Cubicularij donauit officio. Tantæ denique post paululum potestatis effectus est, vt alter ab omnibus Imperator sit appellatus. Verùm quia omnipotens Deus seruos suos iustè visitat quacumque vult censura, hunc Imperatorem Michaëlem sanæ mentis ad tempus non esse permiserat: vt quò eum grauiùs premeret in infimis, eò misericordiùs remuneraret in summis. Nam, vt fertur, huius tempore passionis, familiares etiam capitis iusserat damnari sententia. Quos tamen ad se rediens hoc pacto requirebat, vt nisi quot iugulari iusserat redderentur, pari ipsi qui hoc effecerant sententia damnarentur. Hoc igitur terrore quos damnari iusserat seruabantur. Sed cùm hoc sæpiùs & iterum Basilio faceret, huiusmodi à sibi obsequentibus, proh nephas! accepit consilium: Ne fortè » insana Regis iussio aliquando ex industria à te non diligentibus, immo odio ha- » bentibus impleatur, eum tu potiùs occidito, atque Imperialia sceptra suscipito. Quod sine dilatione tum terrore compulsus, tum etiam regnandi cupiditate deceptus, compleuit. Hoc itaque interfecto, factus est Basilius Imperator. Denique paruo transacto tempore, huic Dominus noster Iesus Christus per visionem apparuit, Domini huius Imperatoris, cuius hic necis extiterat auctor, dexteram tenens, eúmque ita conueniens: » Vt quid interfecisti Regem, hoc est Dominum » tuum Imperatorem? Expergefactus itaque, tanti se reum nouit esse reatus. Móxque ad se rediens, quid super hoc faceret cogitabat. Confortatus itaque Domini

B

C

nostri

A nostri Iesu Christi hac per Prophetam salubri & verè acceptabili promissione: *Quia in quacumque die peccator ingemuerit, saluus erit*, cum lachrymis & gemitibus se peccatorem, se reum, se sanguinis innocentis effusorem esse confitebatur. Bono autem accepto consilio, amicos sibi de mammona iniquitatis effecerat: vt quos hîc temporalibus subsidiis consolaretur, eorum precibus ab æterno gehennæ incendio liberaretur. Fabricauit autem precioso & mirabili opere iuxta Palatium Orientem versus Ecclesiam, quam καὶ, id est nouam vocant, in honore summi & cœlestis militiæ Principis Archangeli Michaëlis, qui Græcè ἀρχιστράτηγος appellatur.

De Constantinopoleos nominibus, situ, & circumhabitantibus, déque vigilia nocturna ibidem constituta ab Leone Imperatore, cuius vt fidem & diligentiam experiretur, in habitu iuuenis lasciui illapsus in duas custodias, eas muneribus corrupit: à tertia in carcerem ductus, priores exilio mulctauit, posteriores opibus & honore extulit.

CAPVT III.

NVNC autem non pigeat Libellulo huic res duas, quas eiusdem Basilij filius memoratus Leo Imperator Augustus memoriâ sua dignas fecit, inserere. B Constantinopolitana vrbs, quæ priùs Bizantium, noua nunc dicitur Roma, inter ferocissimas Gentes est constituta. Habet quippe ab Aquilone Hungaros, Pizenacos, Chazaros, Russios, quos alio nomine nos Nortmannos appellamus, atque Bulgaros nimium sibi vicinos. Ab Oriente Bagdas, inter Orientem & Meridiem Egypti Babyloniæque incolas. A Meridie verò Africam habet, & notam illam vicinam sibique contrariam insulam Cretæ. Ceteræ verò quæ sunt sub eo climate Nationes, Armenij scilicet, Persæ, Chaldæi, Auasgi, huic deseruiunt. Incolæ denique ciuitatis huius sicut memoratas Gentes diuitiis, ita & sapientiâ superexcellunt. Moris quippe eorum est, ne à vicinis Gentibus opprimantur, singulis quibusque noctibus per totius ciuitatis biuium, triuium, quadriuiúmque, armatos milites causâ custodiendæ ciuitatis, qui eam inuigilent, ponere. Fitque, vt si post crepusculum quemquam deambulantem aliquò custodes offenderint, captus protinus verberibúsque cæsus custodiâ peruigili, compedibus in carcere strictus, vsque in crastinum in publicum producendus seruetur. Hoc denique pacto non solùm ab hostibus, verùm & à latronibus illæsa ciuitas custoditur. Leo itaque Imperator Augustus vigilum fidem constantiámque probare volens, solus post crepusculum è Palatio descendens, ad primam peruenit custodiam. Quem vt vigiles fugientem, & quasi metu declinãtem viderunt, comprehensum quis esset interrogauerunt, quóve pergeret. Qui è multis vnum se esse, & lupanar petere dixit. Cui mox, Cæsum te acriter, inquiunt, compedibúsque strictum vsque in crastinum reseruabimus. Quibus respondit, Nequaquam fratres, nequaquam. C Accipite quod porto, permittite ire quò volo. Qui XII. aureis acceptis, eum dimiserunt. Indè verò transiens, ad secundam venit custodiam. Qua quemadmodum & in prima captus, datísque XX. aureis, est dimissus. Ad tertiam deinde dum venisset, est captus. Verùm non, vt à prima ac secunda, datis aureis est dimissus: sed ablatis omnibus, compedibúsque grauiter strictus, pugnis, flagrísque verberatus, custodiâ vsque in crastinum producendus seruatur. His itaque discedentibus, custodem carceris Imperator ad se vocans: Amice mi, inquit, Leonem Imperatorem nosti? Quomodo, infit, noscere possim, quem vidisse me non meminerim? Ad publicum sanè quanquam rarò dum procedo, à longè, quia propè nequeo, eum intueor: mirabile quiddam, & non hominem, videre videor. Dare autem te operam, quo illæsus exeas, quàm id percunctari, tibi commodius est. Non æquè vos, te quidem in carcere, illum autem in aureo triclinio fortuna fouet. Parua sunt hæc, grauiora addantur vincula: ne sit spacium de Imperatore meditandi. Cui ille: Desine, inquit, desine. Imperator enim ipse sum Leo Augustus, qui de Palatij dignitate non bono omine prodij. Carceris autem custos sperans non vera esse quæ dixerat: Egon', inquit, hominem impurum, bona sua cum meretricibus abligurientem, Imperatorem credam? Quoniam temet tu neglexisti, pro te ego despiciam mathesin. Mars trigonus, Saturnus Venerem respicit, Iupiter quadratus, Mercurius tibi iratus, Sol rotundus, Luna in saltu, mala

fortuna te premit. Imperator verò: Vt vera, inquit, probes esse quæ dico, dum A matutinale dederint signum (antè enim non ausi sumus) mecum ad Palatium potiori quàm ego descenderim omine venito. Si me vt Imperatorem non istic recipi videris, occidito. Non minoris quippe criminis erit me Imperatorem dixisse, si non sum, quàm aliquem occidisse. Si verò te ob id mali quicquam pati formides, hoc faciat mihi Deus, & hoc addat, si non potius præmium pro hac re sumes, quàm supplicium. Igitur carceris custos credulus effectus, dato, Imperator vt dixerat, matutinali signo, eum ad Palatium vsque comitatur. Cúmque eodem venisset, venerabiliter sicut à se noscentibus susceptus, comitem suum exanimatum nimia admiratione reddidit. Sanè dum huic omnes dignitates occurrere, laudes reddere, adorare, soccos detrahere, alia atque alia pro se quemque facere contemplaretur: emori ei satius tunc esse duxit, quàm euiuere. Cui Imperator: Contemplare, inquit, nunc mathesin: & si verè quo huc adueneris omine dixeris, veram te augurandi scientiam habere probabis. Priùs tamen quæso quid morbi sit proferas, quod te tam pallidum reddidit. Cui ille: Parcarum, infit, optima Clotho iam nere desit: Lachesis verò in torquendo ampliùs laborare non cupit. Sæuissima autem harum Atropos solam Imperij tui sententiam expectat, vt fila contrahens abrumpat. Palliditatis autem vultus mei causa hæc est, animam à capite descendisse, secúmque in inferiorem corporis partem sanguinem perduxisse. Subridens igitur Imperator: Recipe, inquit, animam, recipe, & cum hac bis binas aureorum libras assume, nullíque de me nisi aufugisse responde[as]. B His ita gestis, Imperator vigiles, qui se captum dimiserant, quique cæsum cu[st]odiæ manciparant, venire præcepit. Quibus & ait: Vigilantibus vobis custod[iam] que ciuitati præbentibus, numquid fures aliquando adulterósque offend[is]tis? Qui precio eum dimiserant, nil se vidisse responderunt. Qui verò cæsum illum custodiæ mancipauerant, ita responderunt: Præcepit δεσποτεία σου ἁγία, id est, Dominatio tua sancta, vt si vigiles post crepusculum quemquam aliquo deambulantem offenderent, captum protinus verberibúsque cæsum custodiæ traderent. Tuis itaque nos parentes iussionibus, Dominator sanctissime, hac quæ præsentem præcessit diem nocte quendam lupanaria petentem cepimus, flagellauimus, carceríque impositum Imperio tuo producendum seruauimus. Quibus Imperator: Citò, inquit, vt in medium proferatur potestas Imperij mei etiam atque etiam imperat. Nec mora, vinctus vt ducatur, percurrunt. Quem dum aufugisse audirent, semiuiui ad Palatium sunt reuersi. Quod cùm nuntiassent Imperatori, mox Imperator se exutum, nimísque cæsum ostendens: Venite, inquit, nolite formidare. Ipse ego sum, quem flagellastis, quémque è carcere nunc aufugisse formidatis. Scio enim, & verè credo, quòd non Imperatorem, sed Imperatoris inimicum tundere cogitastis. Hos, qui non vt Imperatorem me, sed vt latronem vitæque meæ insidiatorem dimisêre, morte tenus verberatos vrbe expelli, bonísque omnibus priuari, mea non solùm cupit, verùm & iubet auctoritas. Vos autem non solùm C meis, sed & horum peruersorum diuitiis dono. Quod quàm prudenter egerit, Paternitas tua in hoc aduertere poterit, quoniam ceteri extunc ciuitatem diligentissimè custodire, hunc etiam absentem quasi præsentem sperare necesse erat. Sícque factum est, vt Imperator ampliùs de Palatio non descenderet, & sui omnia fideliter custodirent.

De altero Leonis Imperatoris sagaci ludo, quo vigiliam vnius è duodecim Palatij & corporis sui custodibus dignè remuneratam voluit; ceteris elusis ob somnolentiam.

CAPVT IV.

ALTERVM, quem ipse egit, ludum silentio tegi absurdum esse diiudico. Constantinopolitanum Palatium ob Imperatoris salutem multorum præsidiis militum custoditur. Contigit itaque duodecim post corporis refectionem in ipso feruore diei vna in domo quiescere. Mos quippe Imperatoris erat, cunctis quiescentibus, totum perreptare Palatium. Qui cùm die quadam eodem, quò duodecim memorati lethæo sese dederant sopori, perueniisset, ligno modico, vt non incallidus, ostij pessulo proiecto ingrediendi sibi aditum fecit. Vndecim verò dormientibus, vt ars artem falleret, duodecimus peruigil stertere ceu dormiens

A cœperat, contractisque in faciem brachiis totum quod Imperator faceret diligentissimè considerabat. Imperator igitur ingressus dum obdormire cunctos perspiceret, aureorum numismatum libram pectori vniuscuiusque apposuit: móxque clam egressus, ostium vt priùs fuerat clausit. Eò autem hoc egit, quatenus excitati & de lucro gratularentur, ac qualiter hoc acciderit admirarentur. Denique discedente Imperatore, qui vigil solus extiterat surrexit, dormientiúmque nummos aureos sibi assumpsit, atque reposuit. Postea verò quieti sese reddidit. Imperator igitur de hoc ludo sollicitus, post nonam XII. hos quos nominauimus ad se venire præcepit, eósque ita conuenit: Si fortè vestrum quempiam somnij visio deterruit, aut hilarem reddidit, vt in medium proferat mea iubet auctoritas. Nec minus, & si quid nouitatis expergefactus quisque vidit, vt detegat imperat. Hi itaque, quemadmodum nihil viderant, nihil se vidisse responderunt. Magis autem super hoc admirati conticuere, intentique ora tenebant. Existimans Imperator eos non rei veritate, sed calliditate aliqua reticere, succensus est, atque magis cœpit nonnulla terribilia reticentibus comminari. Quod qui omnium conscius erat vt audiuit, huiusmodi humillima & supplici voce Imperatorem conuenit: Humanissime Imperator, hi quid viderint, nescio: ego tamen delectabile, atque vtinam quod persæpè contingeret, vidi somnium. Vndecim his conseruis meis, & hodie verè, sed omninò mihi opportunè dormientibus, visus sum quasi non dormiens vigilare. B Ecce autem magnitudo Imperij tui, quasi occultè ostium reserans, clanculúmque ingressa, libram auri apposuit supra singulorum pectus. Cúmque Imperium tuum quasi repedare, sociósque hac visione stertentes cernerem, continuò ceu lætus exurgens, vndecim dormientium tuli libras aureorum numismatum, meóque marsupio in quo vna erat apposui: quatenus ob transgressionem decalogi, ne solùm vndecim, verùm ad memoriam Apostolorum mea vna adhibita, & ipsæ essent duodecim. Visio hæc, Pater Auguste, bonum sit nescio, vsque modo me non deterruit: sed hilarem reddidit. O vtinam interpretatio alia Imperio tuo non placeat! Nam & me diuinum & somnij venditorem esse liquidò pateat. His auditis, magno est cachinno Imperator inflatus. Verùm prudentiam eius atque sollicitudinem plus admiratus, protinus infit: Antehac te neque diuinum, neque somnij venditorem esse audiui. Hanc verò rem nunc ita apertè dixisti, vt si nulla circumitione vsus esses: sed quia vigilandi facultatem sine auspicandi scientia habere non posses, nisi diuino esset tibi munere traditum, seu verum sit vt speramus, immò credimus, seu falsum. Fertur enim de quodam, quòd dormiens multa repperit, à gallo excitatus nihil inuenerit. Tu tamen quicquid videris, quicquid repereris, tuum sit. His auditis, quanta ceteri sint confusione repleti, quantóque is gaudio sit plenus, eorum quisque in se personas suscipiens, animaduertere poterit.

ARNVLFVS, BERINGARIVS, GVIDO.

C *De Arnulfi qui, per Hungaros Zvvendeboldum vicit, stolida temeritate, cùm Genti perniciosæ ad Christianos suppeditandos aditum munierit.*

CAPVT V.

ARNVLFVS interea earum quæ sub Arcturo sunt Gentium Rex fortissimus, cum Zvvendeboldum Marauanorum Ducem, quem suprà memorauimus, sibi viriliter repugnantem debellare nequiret: depulsis his, proh dolor! munitissimis interpositionibus, quas vulgo Clusas nominari prædiximus, Hungarorum Gentem cupidam, audacem, omnipotentis Dei ignaram, scelerum omnium non inscium, cædis & omnium rapinarum solummodò auidam, in auxilium conuocat. Si tamen auxilium dici potest, quod paulò pòst eo moriente tum Genti suæ, tum ceteris in Meridie Occasuque degentibus Nationibus graue periculum, immò excidium fuit. Quid igitur? Zvvendeboldus vincitur, subiugatur, fit tributarius: sed Domino solus. O cœcam Arnulfi Regis regnandi cupiditatem! O infelicem amarúmque diem! Vnius homuncionis deiectio fit totius Europæ contritio. Quot mulieribus viduitates, patribúsque orbitates, virginibus corruptiones, Sacerdotibus populisque Dei captiuitates, Ecclesiis desolationes, terris inhabitatis solitudines, cœca ambitio paras! Legistin', obsecro, ipsius Veritatis verba dicentis: *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ verò sua detrimentum patiatur? Aut quam*

ARNVLFVS, BERENGARIVS, GVIDO.

dabit homo commutationem pro anima sua? Quòd si te veri iudicis non terruit seueritas, ipsa saltem furorem tuum humanitatis temperaret communitas. Eras enim inter homines homo si dignitate sublimis, non tamen naturâ dissimilis. Flebilis, heu! miserabilisque conditio, cùm illa bestiarum serpentiúmque seu alituum genera, quæ intolerabilis seueritas ac letale virus ab hominibus separata esse facit, vt sunt basilisci, qui Latinè reguli, vel rhinocerotes, seu griphes, quæ & aspectu suo cunctis perniciosa esse videntur: inter sese tamen pro originis ipsius affinitatisque consortio pacata & innoxia perseuerant. Homo autem cùm sit ad imaginem & similitudinem Dei formatus, legis Dei conscius, rationis capax, non solùm proximum non amare potest, sed & odisse plurimùm valet. Videamus igitur quid Ioannes non quilibet, sed virgo ille egregius cœlestis secreti conscius, cui Christus in cruce matrem Virginem virgini commendauit, super talibus dixerit. *Qui odit fratrem suum homicida est.* & scimus quòd omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Sed redeamus ad rem. Deuicto namque Zvvendeboldo Matauanorum Duce, ARNVLFVS pace habita Regno potitur. Hungari interim obseruato exitu, contemplatique regionem, cordibus malum quod postmodum in propatulo apparuit machinabantur. A

De VVidonis, seu Guidonis, & Berengarij Ducum confœderatione: ita vt mortuo Carolo Caluo, VVido se Franciæ Romanæ Regem inungi curauerit, Berengarius Italiæ. Franci autem iam Odonem Regem constituerant. & de causa leui, cur Franci VVidonem reiecerint. B

CAPVT VI.

DVM hæc aguntur, Rex Galliæ CAROLVS, qui cognominatus est CALVVS, præsentem moriendo mutauit vitam. Cui, dum viueret, duo ex Italia præpotentes Principes seruiebant: quorum alter VVIDO, alter dictus est BERENGARIVS. Hi sanè tanto sunt amicitiarum fœdere conglutinati, vt sibi hoc iureiurando promitterent, quòd si Regi Carolo superstites forent, alterius alter ordinationi conniueret, simul vt VVido quam Romanam dicunt Franciam, Berengarius obtineret Italiam. Sed cùm sint nonnulla incerta & instabilia amicitiarum genera, quæ diuersis modis humanum genus dilectionis societate connectunt, vt quosdam præcedens commendatio postmodum amicitiæ mirè facit commercia, alios negociationis seu militiæ, vel artis ac studij similitudo: quæ & sicut ex diuersis vel lucri vel libidinis vel necessitudinum variarum societatibus adquiruntur, ita intercedente qualibet diuortij occasione soluuntur. Hoc tamen est, hoc inquam amicitiæ genus, quod multis experimentis est sæpissimè comprobatum: nullo modo eos, qui amicitiarum fœdus coniurationis iniere principio, indireptam quiuisse seruare concordiam. Sanè quidem callidissimus ille humani generis inimicus, vt homines sui præuaricatores faciat sacramenti, celeriùs sagaciúsque ad irrumpendam amicitiam laborat. Quòd si animos rectè sapientum de vero amicitiarum genere percontamur, respondebimus concordiam verámque amicitiam nisi inter emendatos mores, eiusdémque virtutis & propositi viros stare non posse. Contigit itaque vtrumque, VVidonem atque Berengarium, Caroli Regis funeri deesse. Cuius tamen interitum VVido vt audiuit, Romam profectus est, & absque Francorum consilio totius Franciæ vnctionem suscepit Imperij. Franci itaque ODONEM, quoniam VVido aberat, Regem constituunt. Berengarius verò VVidonis consilio, quemadmodum ei iureiurando promiserat, Italici Regni suscepit Imperium. VVido autem Franciam petit. Cúmque Burgundionum Regna transiens Franciam, quam Romanam dicunt, ingredi vellet, Francorum nuncij ei occurrunt, se redire nunciantes: eò quòd longa expectatione fatigati, dum sine Rege esse diutiùs non possent, Odonem cunctis petentibus elegerunt. Fertur autem hac occasione Francos VVidonem Regem sibi non assumpsisse. Nam dum ad Metensem venturus esset vrbem, quæ potentissima in Regno Lotharij claret, præmisit Dapiferum suum, qui alimenta illi more regio præpararet. Metensis verò Episcopus dum cibaria ei multa secundum Francorum consuetudinem ministraret, huiusmodi responsa à Dapifero suscepit: Si equum saltem mihi dederis, faciam vt tertia obsonij huius parte sit Rex VVido contentus. Quod Episcopus audiens: Non decet, in- C

ARNVLFVS, BERENGARIVS, GVIDO.

A quit, talem super nos regnare Regem, qui decem dragmis vile sibi obsonium præparat. Sicque factum est vt VVidonem desererent, Odonem autem eligerent. Francorum igitur Legationibus non parum Rex VVido perturbatus, nonnullis cœpit cogitationibus æstuare, tam ex Italico Regno Berengario iureiurando promisso, quàm ex Francorum: præsertim quòd penitus illud se non posse sciuerat adipisci. Inter vtramque autem æstimationem, quoniam Francorum Rex esse nequibat, frangere quod Berengario fecerat iusiurandum deliberat: collectóque prout potuit exercitu (traxerat sanè & à Francis quandam affinitatis lineam) Italiámque concite ingressus, Camerinos atque Spoletinos fiducialiter vt propinquos adiit, Berengarij etiam partibus fauentes vt infidos pecuniarum gratia adquirit, itaque Berengario bellum parat. Copiis denique vtraque ex parte collectis, iuxta fluuium Teruiam, qui quinque à Placentia milliariis distat, ciuile bellum parant: in quo cùm partibus ex vtrisque caderent multi, Berengarius fugam petiit, triumphum VVido obtinuit. Nec mora diebus paucis interpositis, collecta Berengarius multitudine in Brixiæ latissimos campos VVidoni bellum parat: vbi cùm maxima strages fieret, fuga sese Berengarius liberauit.

B *Berengarius Arnulfum in auxilium pollicitationibus pellicit in Guidonem, qui cùm alteram fluuij ripam teneret, & congredi nequirent, Baioarius quidam Arnulfi eques Italos ad certamen insolentius prouocauit, & ab Hubaldo quodam victus occubuit. Arnulfique nothus bello decessit. Berengarius autem Arnulfum rursum promissis onerat, qui rediens multas vrbes subiugauit.*

CAPVT VII.

IAM verò BERENGARIVS cùm VVIDONI resistere copiarum paucitate nequiret, potentissimum, quem prædiximus, ARNVLFVM Regem in auxilium rogat: promittens se suósque eius potentiæ seruituros, si virtutis suæ adminiculo VVidonem superaret, Regnúmque sibi Italicum vendicaret. Huius planè tantæ promissionis gratia accitus Rex Arnulfus filium suum ZVVENDEBOLDVM, quem ex concubina genuerat, valido cum exercitu huius in auxilium dirigit. Venerúntque pariter omni sub densitate Papiam. VVido verò ita fluuiolum, qui Papiam alluit, Veruauolum nomine, tam sudibus quàm exercitu munierat: quatenus altera alteram, ipso medio discurrente, pars partem oppugnare nequiret. Vnus & vicesimus dies transierat, cùm, sicut prædiximus, altera pars alteri nocere non posset: & Baioariorum vnus quotidie agminibus exprobrans Italorum, imbelles eos atque equitandi inscios clamitabat. Ad augmentum etiam dedecoris, eos inter prosiliit, hastámque vni ex manu excussit: sicque lætus in suorum castra repedauit. Hubaldus igitur BONIFACII pater, qui post nostro tempore Camerinorum & Spoletinorum extitit Marchio, tantum Gentis suæ cupiens dedecus vindicare, clypeo accepto, obuiam mox prædicto Baioario tendit. Is autem triumphi præteriti non solùm non immemor, sed eo factus audacior, ceu de victoria iam securus, hunc contra properat lætus. Cœpítque vertibilem equum modò impetu vehementi dimittere, strictis modo habenis retrahere. Memoratus verò Hubaldus recta eum cœpit adire. Cúmque in eo esset, vt mutuis se figerent vulneribus, more solito Baioarius equo versili varios flexósque per anfractus cœpit discurrere, quatenus argumentis posset Hubaldum decipere. Verùm cùm hac arte terga verteret, vt mox rediens Hubaldum ex aduerso percuteret, equus cui Hubaldus insederat vehementer calcaribus tunditur, & per scapulas antequam reuerti posset Baioarius lanceâ ad cor vsque perforatur. Hubaldus igitur freno Baioarij præripiens equum, ipsum in medio fluuioli alueo exutum homine reddidit. sicque suorum iniuriæ vltor de triumpho ad suos rediit hilarior. Hoc sanè factum non mediocrem Baioariis terrorem, Italicis audaciam intulit. Inito quippe Baioarij consilio, nonnullísque ZVVendeboldus à VVidone argenti acceptis ponderibus, in propria remeauit. Igitur Berengarius, dum vbi prospera inimico, sibi aduersa prospiceret, cum ZVVendeboldo pariter Arnulfi Regis adiit potentiam: orans ac pollicens, vt si ipsum adiuuaret, se totam Italiam, vt antè promiserat, ditioni eius suppositurum. Qui tantæ promissionis gratiâ excitus, copiis collectis cominus Italiam adit. Cui Berengarius vt promissioni suæ daret fidem credulitatis, arrabonem

C

ARNVLFVS, BERENGARIVS, GVIDO.

clypeum portat. Susceptus itaque à Veronensibus, ad vrbem proficiscitur Pergamum. Vbi dum firmissima loci munitione confisi, immò decepti homines ei occurrere nollent, castra metatus ibidem belli fortitudine vrbem capit, incolas iugulat, trucidat. Ciuitatis etiam Comitem Ambrosium nomine, cum baltheo & armillis cęterisque indumentis suspendi ante portæ ianuam fecit. Quod factum ceteris omnibus vrbibus, cunctisque Principibus terrorem non paruum attulit. Quicumque enim hoc audierat, vtraque auris eius tinniebat. Mediolanenses igitur atque Ticinenses hac fama perterriti, eius non ausi sunt præstolari aduentum. Verùm præmissa Legatione, iussioni suæ se obtemperaturos esse promittunt. OTHONEM itaque Saxonum potentissimum Ducem huius gloriosissimi atque inuictissimi Regis Othonis, qui nunc vsque superest, & feliciter regnat, auum, Mediolanum dirigit gratiâ defensionis. recta ipse Ticinum petit. A

De VVidonis à facie Arnulfi fuga, Arnulfi metrica ad suos concione, post quam vrbs Roma capta est: & de Formosi Papæ ab Rom. persecutione, & causa simultatis. Sergiique Antipapæ postmodum intrusi in eum defunctum immanitas, & miraculosa Formosi sepultura.

CAPVT VIII.

DENIQVE VVIDO huius impetum ferre non valens, Camerinum Spoletúmque versus fugere cœpit. Quem sine dilatione acriter Rex insequitur, vrbes & castella omnia sibi resistentia debellans. Nullum siquidem castrum fuerat natura etiam ipsa tam munitum, quod virtuti huius saltem resistere moliretur. Quid autem mirum, cùm ipsa ciuitatum omnium Regina, magna scilicet Roma, huius impetum ferre nequiuerit? Enimuerò dum à Romanis ingrediendi vrbem huic fiducia negaretur, conuocatos ad se milites ita conuenit. B

Magnanimi Proceres, & clari marte secundo,
Arma quibus studium fuluo radiare metallo,
Romulidæ sueti vacuis quod condere sceptris:
Sumite nunc animos, vobis furor arma ministret.
Non Pompeius adest, non Iulius ille beatus,
Qui nostros domuit proauos mucrone feroces.
Indolis en huius summam deduxit ad Argos.
*Protulit in lucem quem sancta Ritanica * mater:*
Bis torta studium pingues captare siluros
Cannabe, non clypeos manibus gestare micantes.

* Britannica.

HIS Heroes dictis animos accensi, vitam auiditate contemnunt. Clypeis denique cratibúsque cateruatim operti, muros adire contendunt. Plurima etiam bellorum parauerant instrumenta, cùm inter agendum populo considerante contigit lepusculum clamore eius exterritum vrbem versus fugere. Quem dum populus exercitúsque, vt assolet, impetu vehementi sequeretur, Romani putantes se impugnari de muro sese proiiciunt. Quod populus cernens, sagmatibus sellisque, quibus equis insederant, iuxta murum proiectis, per eorum aceruum muros ascendunt. Populi verò pars quædam, accepta mox trabe quinquaginta pedum procera longitudine, portam quatiunt, & Romam quam Leonianam dicunt, in qua beati Petri Apostolorum Principis preciosum corpus quiescit, vi capiunt. Ceteri verò, qui trans Tyberim erant, hoc timore compulsi, huius dominatui colla summittunt. Hoc in tempore Formosus Papa religiosissimus à Romanis vehementer affligabatur, cuius & hortatu Rex Arnulfus Romam aduenerat. In cuius ingressu, vlciscendo Papæ iniuriam, multos Romanorum Principes obuiam sibi properantes decollari præcepit. Causa autem simultatis inter Formosum Papam & Romanos hæc fuit. Formosi præcessore defuncto, Sergius quidam Romanæ Ecclesiæ Diaconus erat, quem Romanorum pars quædam Papam sibi elegerat. Quædam verò pars non infima natu Formosum Portuensis ciuitatis Episcopum pro vera religione diuinarúmque Scripturarum & doctrinarum scientia Papam sibi fieri anhelabat. Nam dum in eo esset, vt Sergius Apostolorum Vicarius ordinari debuisset, ea quæ Formosi partibus fauebat pars cum non mediocri tumultu & iniuria Sergium ab altari expulit, & Formosum Papam constituit. Descenditque Sergius in Tusciam, quatenus ADELBERTI potentissimi Marchionis auxilio C

A iuuaretur. Quod & factum est. Nam Formoso defuncto, atque Arnulfo in propria reuerso, is qui post necem Formosi Papa constitutus est, expellitur, Sergiúsque Papa per Adelbertum constituitur. Quo constituto, vt impius doctrinarúmque sanctarum inscius Formosum è sepulchro extrahi, atque in sedem Romani Pontificatus sacerdotalibus indumentis indutum decollari præcepit. Cui & ait: Cùm Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam vniuersalem Sedem vsurpasti? His expletis, sacratis exutum vestimentis, digitisque tribus abscissis, in Tyberim iactari præcepit, cunctósque quos ipse ordinauerat gradu proprio depositos iterum ordinauit. Quod quàm malè egerit, Pater sanctissime, in hoc animaduertere poteris, quoniam & ij qui à Iuda Domini nostri Iesu Christi proditore ante proditionem salutem seu benedictionem Apostolicam perceperant, ea post proditionem propriíque corporis suspensionem minimè sunt priuati, nisi quos improba fortè defœdarant flagitia. Benedictio siquidem, quæ à ministris Christi impenditur, non per eum qui videtur, sed qui non videtur, Sacerdotem infunditur. Neque enim qui rigat est aliquid, neque qui plantat: sed qui incrementum dat Deus. Quantæ autem auctoritatis quantæque religionis Papa Formosus fuerit, hinc colligere possumus, quoniam dum à piscatoribus postmodum esset inuentus, atque ad beati Petri Apostolorum Principis Ecclesiam deportatus, Sanctorum quædam imagines hunc in loculo positum venerabiliter salutarunt. B Hoc namque à religiosissimis Romanæ vrbis persæpè audiui. Sed his omissis, ad narrandi ordinem redeamus.

ARNVLFVS, BERINGARIVS, GVIDO.

De Firmi per Arnulfum obsidione, & per astum vxoris Guidonis, quæ potionem soporiferam Arnulfo propinandam curauerat, solutione. De causa mali in Arnulfo, eius insolentia, & templorum profanatione. De Arnulfi consilio in Berengarium cæcandum, eiusque deinde contemptu. De seditione & cæde Ticini, quæ nunc Papia dicitur, facta. De Anscarij metu, & Arnulfi tetro exitu.

CAPVT IX.

Rex Arnulfus desiderij sui compos effectus, persequi VVIDONEM non desiit: profectúsque Camerinum, castrum vocabulo & natura Firmum, in quo VVidonis vxor erat, obsedit. VVido autem in incertis latuit locis. Præfatum igitur castrum nomine & natura Firmum vallo circundatur, omnia bellorum instrumenta quibus capi posset præparantur. Cúmque VVidonis vxor magnis vndique angustiis premeretur, & euadendi spes illi omnis negaretur, causas mortis regiæ viperina cœpit calliditate exquirere. Accitum namque ad se quendam Arnulfi Regis familiarissimum, magnis eum muneribus rogat, vt se adiuuet. Qui cùm se non aliter posse testaretur, nisi ciuitatem Domini sui traderet ditioni, illa etiam atque etiam magna auri pondera non solùm pollicens, verùm in præsentiarum C tribuens, orat, vt quodam poculo ab ea sibi collato Dominum suum Regem potaret, quod non periculum mortis daret, sed mentis feritatem mulceret. Quæ etiam suis vt præberet fidem dictis, ante illius præsentiam hoc vnum suorum potat seruorum. Qui vnius horæ spatio conspectui huius astans, sanus abscessit. Verùm veridicam Maronis illius sententiam in medium proferamus: *Auri sacra fames, quid non mortalia cogis Pectora?* Sumptum namque letale poculum festinus Regi propinat. Quo accepto, tanta hunc confestim somni virtus inuasit, vt totius exercitus strepitu triduo excitatus euigilare nequiret. Fertur autem, quoniam dum familiares hunc modò strepitu, modò tactu inquietarent, apertis oculis nil sentire, nil loqui potuisse perfectè. Positus tamen in mentis excessu mugitum reddere, non verba edere videbatur. Huius autem rei actio repedare omnes compulit, non pugnare. Credo autem Arnulfum Regem iusta seueri Iudicis censurâ huiusmodi pestem incurrisse. Secundæ enim res dum imperium huius vbique magnificarent, virtuti suæ cuncta tribuit, non debitum omnipotenti Deo honorem reddidit. Sacerdotes Dei vincti trahebantur, sacræ virgines vi opprimebantur, coniugatæ violabantur. Neque enim Ecclesiæ confugientibus poterant esse asylum. In his namque symbola faciebant, gestus turpes, cantus ludicros & debacchationes. Sed & mulieres eodem publicè prostituebantur. Denique redeuntem Arnulfum Regem cum magna multitudine paulatim Rex VVido prosequitur. Cúmque Arnul-

ARNVLFVS, BERENGARIVS. LANTHBERTVS.

fus Bardonis montem conscenderet, ibi suorum consilio definiuit, quatinus Berengarium lumine priuaret, sicque securus Italiam obtineret. Cognatorum verò Berengarij vnus, qui non parua Arnulfo Regi familiaritatis gratiâ inhærebat, huius consilium vt agnouit, absque mora Berengario patefecit. Qui mox vt sensit, lucerna, quam ante Arnulfi Regis præsentiam tenebat, alij tradita fugit, atque Veronam percitus venit. Omnes extunc Italienses Arnulfum floccipendere, nihili habere. Vnde cùm Ticinum veniret, non modica orta est in ciuitate seditio: tantáque istic strages exercitus facta est, vt criptæ ciuitatis, quas alio nomine cloacas dicunt, implerentur horum cadaueribus. Quod Arnulfus cernens, quoniam per Veronam non potuit, per Hannibalis viam, quam Bardum dicunt, & Montem Iouis repedare disposuit. Cúmque Eporegiam peruenisset, ANSCARIVS Marchio istic aderat, cuius exhortatu ciuitas rebellabat. Verùm hic Arnulfus iureiurando promiserat, nunquam se à loco eodem discessurum, quàm præsentiæ suæ repræsentarent Anscarium. Is autem, vt erat homo formidolosus valde, ei omninò similis, qui à Marone canitur, *Largus opum, linguâ melior, sed frigida bello Dextra*, de castello exiit, & iuxta murum ciuitatis in cauernis petrarum latuit. Hoc eo fecit, quatinus licitè possent Regi Arnulfo iureiurando satisfacere, Anscarium in vrbe non esse. Itaque iusiurandum istud accepit Rex, atque iter quod cœperat peragens abiit. Profectúsque in propria, turpissima valitudine expirauit. Minutis quippe vermibus, quos pedunculos aiunt, vehementer afflictus, spiritum reddidit. Fertur autem quòd præfati vermes adeò scaturirent, vt nullis Medicorum curis minui possent. Vtrum verò pro tam immenso scelere, Hungarorum scilicet emissione, secundum Prophetam duplici sit contritione attritus, an vt ex præsenti supplicio consequeretur veniam in futuro, solius Dei scientiæ dimittamus. quod & Apostolus dicit. *Nolite ante tempus iudicare, quoadvsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.*

De VVidonis obitu, Berengarij in Regnum receptione: sed mox Lanthberti filij VVidonis coronatione, populi in eum fauore & Principum odio. Nam Magnifredus Mediolanensi. Comes in eum grassabatur, sed victus capite punitus est, & Adelbertus Diues in eum mouit.

CAPVT X.

IVSTVS autem Deus vxori VVIDONIS, quæ huic parauerat mortem, parat viduitatis dolorem. Sicut enim præfati sumus, dum redeuntem Arnulfum Rex VVido è vestigio sequeretur, iuxta fluuium Tarum defunctus est. Cuius obitum BERENGARIVS vt audiuit, venit festinus Papiam, Regnúmque potenter obtinuit. Fideles verò fautorésque VVidonis veriti ne ab eis illatam Berengarius vlcisceretur iniuriam, & quia semper Italienses geminis vti Dominis volunt, quatinus alterum alterius terrore coerceant: VVidonis Regis defuncti filium nomine LANTHBERTVM, elegantem iuuenem, adhuc ephebum, minúsque bellicosum, Regem constituunt. Cœpit denique hunc populus adire, Berengarium deserere. Cúmque Berengarius Lanthberto cum exercitu magno Papiam tendenti copiarum paucitate occurrere non auderet, Veronam petiit, isticque securus degit. Non post multum verò temporis Lanthbertus Rex, cùm esset vir seuerus, Principibus grauis est visus. Vnde & Legatos Veronam dirigunt, & Regem Berengarium ad se venire, Lanthbertum verò expellere petunt. Maginfredus præterea Mediolanensis vrbis Comes quinquennio huic rebellis extiterat: qui non solùm vrbem in qua rebellis erat, Mediolanum scilicet, defenderat, verùm & vicina circumquaque Lanthberto loca seruientia depopulabatur. Quod factum Rex non passus abire inultum, Psalmographicum illud persæpè ruminans: *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Nam post paululum capitis hunc iusserat damnari sententia. Quæ res terrorem cunctis Italiensibus non minimum incussit. Denique hoc eodem tempore ADELBERTVS illustris Tuscorum Marchio, atque Hildebrandus præpotens Comes, huic nisi sunt rebellare. Tantæ quippe Adelbertus erat potentiæ, vt inter omnes Italiæ Principes solus ipse cognomento diceretur Diues. Huic erat vxor nomine BERTA, Hugonis post nostro tempore Re-

A gis mater, cuius instinctu tam nefaria cœpit ipse facinora. Nam collecto exercitu cum Hidebrando Comite, constanter Papiam tendere festinat.

De Lanthberti strenua victoria in Hildebrandum quem fugauit, & Adelbertum quem cepit, & cauillo illusit post multorum stragem.

CAPVT XI.

LANTHBERTVS interea Rex harum rerum inscius, in Marinco iam aliquantis diebus venationi vacabat. Cúmque Adelbertus Marchio, & Hildebrandus Comes, cum diuerso & inualido Tuscorum exercitu Bardonis montem transirent, Lanthberto Regi medio in nemore venanti, vt sese res habuerat, nuntiatur. Is verò, sicut erat animi constans, viribúsque potens, suos non passus est milites præstolari: sed collectis quos secum habebat centum ferè militibus, cursu præpeti eis occurrere festinat. Iam iam Placentiam venerat, cùm iuxta fluuium Sesterrionem ad burgum, in quo sanctissimi & preciosi Martyris Domnini corpus positum veneratur, castra metasse nuntiantur. Ignorantes igitur quid superuentura nox pareret, temulenti, post nonnulla inutilia τραγωδήματα, id est cantilenas, somno sese dedere, stertere: nauseam alij sumptus intemperantiâ facere. Rex igitur animi ferox, tum ingenio callens, in ipso eos noctis conticinio opprimit: dormientes ferit, oscitantes iugulat. Ventum est denique ad illos, qui ductores huius exercitus erant. B Cúmque eis non ex multitudine alius, sed Rex ipse præclari huius facinoris nuntius esset, non solùm pugnandi, sed & fugiendi terror ipse abstulit facultatem. Verùm Hildebrandus fuga elapsus Adelbertum intra animalium præsepe latitantem dereliquit. Qui dum repertus, atque ante Regis præsentiam ductus esset, Rex eum illicò ita conuenit: Sibyllino spiritu vxorem tuam « Bertam prophetasse credimus, quæ te aut scientia sua Regem, aut asinum factu- « ram se promisit. Verùm, quia Regem noluit, aut vt magis credendum est, non « potuit, asinum ne mentiretur effecit: dum te etiam cum Arcadiæ pecuaribus ad « præsepe declinare coëgit. Præter eum autem, & alij cum ipso nonnulli capiuntur, vinciuntur, Papiam ducuntur, custodiæ mancipantur.

De mortis Lanthberti duplici opinione, quarum veriorem putat quòd ab Hugone Mediolanensi casus sit. quod conqueritur.

CAPVT XII.

HIs ita gestis, Rex LANTHBERTVS iterum præfato in loco Marinco venationibus occupatur: quo ab omnium Principum decreto quid super captis agendum esset deliberatur. Sed, ô vtinam venatio hæc feras caperet, non Reges! C Aiunt sanè hunc Regem, dum sicut moris est apros effreni consectaretur equo, cecidisse, collúmque fregisse. Verùm assertioni huic fidem præbere absurdum esse dico. Est enim alia mortis huius, quæ mihi verisimilior videtur, atque ab omnibus populis narratur, assertio. Maginfredus Mediolanensis vrbis Comes, cuius superiùs paulò fecimus mentionem, dùm pro scelere in Remp. atque in Regem commisso capitis iudicio damnaretur, vnicum possessionis vicarium Hugonem filium dereliquit. Quem dum Lanthbertus Rex tum forma egregia, tum animi audacia nonnullos superare videret, non paruum pro patris morte dolorem collatis visus est beneficiis mulcere quamplurimis. Vnde & eum præ ceteris familiaritatis dilexerat priuilegio. Factum est autem, dum Lanthbertus Rex nominato in luco Marinco venaretur (est enim ibidem miræ magnitudinis & amœnitatis lucus adeo venationibus aptus) huc illúcque cunctis vt moris est discurrentibus, hoc cum vno, scilicet Hugone, ipsum solummodo inibi remansisse. Cúmque Rex aprum in transitu præstolaretur, diùque multùm remorante longa expectatione lassaretur, paululum sese quieti dedit: vigiliæ custodiam huic infido quasi fido committens. Absentibus igitur cunctis, Hugonis mens custodis, immò proditoris atque carnificis collatorum beneficiorum immemor, plurimùm patris mortem animo cœpit reuoluere. Non considerauit genitorem suum iustam incurrisse necem, iusiurandum quod fecerat Regi violare non metuit: vicarium se Iudæ Domini nostri Iesu Christi proditoris appellari non timuit. Verùm conamine toto

LVDOVICVS BERENGARIVS.

virium, ligno non modico dormienti collum fregit. Gladio quippe ferire timuit, ne peccati huius auctorem res eum manifesta probaret. Eo namque mens peruersa ita egit, vt non gladij cicatrix, sed ligni manifesta collisio hæc reperientibus fidem daret equo cecidisse, collique fractione hominem exiuisse. Latuítque res per annos quamplurimos. Sed dum processu temporis Berengarius Rex nullo sibi resistente Regnum viriliter obtineret, ipse reatus proprij sicut fuerat auctor, extitit & proditor. Impleuítque illud quod Propheta canit: Quoniam *laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniqua gerens benedicitur.* Sed aliter fecisse minimè potuit, propter hæc ipsius Veritatis verba dicentis. *Nihil opertum quod non reueletur, & occultum quod non in publicum veniat.* His itaque gestis, cùm Berengarius ampliori pristina dignitate regia honoraretur, Adelbertus Marchio & ceteri ad propria destinantur. Iuuat autem, Pater charissime, tanti huius obitum Regis & deflendo scribere, & scribendo deflere. Inerat namque illi honesta morum probitas, sancta & formidolosa seueritas: & quem iuuentus ornauerat in corpore splendida, mentis canicies decorabat sancta. Planè plus ille rei publicæ quàm res publica decoris ei contulerat. Quod si non cita mors hunc raperet, is esset qui post Romanorum potentiam totum sibi Orbem viriliter subiugaret.

LIBER SECVNDVS.

De Ludouico Arnulfi filio, cuius tempore Hungari Baioariam inuadentes eam immanissimè vastauerunt. In quos Ludouicus bellum parat iuxta Lemannum lacum.

CAPVT I.

POSTQVAM vitalis calor Arnulfi Regis membra deserens corpus reddidit exanime, eius filius LVDOVICVS Rex cunctis à populis ordinatur. Tanti denique casus viri vicinos Hungaros, sicut nec in toto Orbe degentes, latere non potuit. Siquidem leti huius fama fuit ipsis omni festiuitate iocundior, gratiis omnibus præstantior. Quid igitur? Primò mortis huius natíque eius ordinationis anno, permagno collecto exercitu, Marauanorum Gentem, quàm virtutis eorum adminiculo Rex Arnulfus subdiderat, sibi vendicant. Baioariorum etiam fines occupant, castra diruunt, Ecclesias consumunt, populos iugulant: & vt magis magísque timeantur, interfectorum sese sanguine potant. LVDOVICVS itaque Rex Gentis suæ depopulationem, illorúmque intelligens crudelitatem, suorum omnium animos hac formidine inflammat: vt si bello eodem quemquam, quod tum acturus esset, deesse contingeret, laqueo proculdubio vitam finiret. Innumerabilis denique illa Gentis pessimæ collectio copiis huius obuiam properare festinat. Nec videas sitientem animam ardentiùs haustum laticis gelidi, quàm prœlij diem Gentem hanc crudelem appetere. Neque enim haud aliud quàm dimicasse iuuat. Vt autem ex Libro, qui de origine Hungarorum inscribitur, didici, horum matres mox pueris editis ferro acutissimo faciem secant: scilicet vt antequam lactis nutrimenta percipiant, vulnerum tolerantiam subire cogantur. Dant huic assertioni fidem vulnera, quæ pro deficientium dolore propinquorum viuorum corporibus infliguntur. Sanguinem neque provt ἄθεοι καὶ ἀσεβεῖς αὐτὶ τῶν ἀκόντων, id est, sine Deo, sine pietate, pro inuitis fundunt. Iamiam Rex LVDOVICVS collecta multitudine Augustam venerat, quæ est in Sueuorum, Baioariorum, siue Orientalium Francorum confinio ciuitas, cùm insperata, magis autem non optata Gentis huius nuntiatur vicinitas. Sequenti igitur die Lemanni secus fluminis campos, martio operi capacitate sua aptos, vtræque acies conuenêre.

Hungari positis insidiis Ludouici copias vincunt & delent, votique compotes Francorum, Saxonum, Sueuorúmque terras deprædantur.

CAPVT II.

PRIVS itaque ac Titani croceum linqueret aurora cubile, Hungarorum Gens necis sitiens, belli auida, hos videlicet Christianos adhuc opprimit oscitantes.

A Nonnullos namque spicula priusquam clamores euigilarunt. Citiùs enim ab eis spiritus recessit quàm somnus. Grauis itaque hinc indéque oritur pugna. Versi terga seu in fugam Hungari, directis acriter belis, id est telis, plurimos sternunt.

Nubibus omnipotens Heloim cùm condere Phœbi
Lumina chrysocomi venerandus cœperit atris,
Vertice cumque polum summo clamore remugit.

Alios verò cubilibus confossos neque strepitus neque vulnera excitarunt.

Fulgura crebra volant folio demissa Tonantis
Ignea, mox trepidant qui nigrum in candida vertunt.
Conscia tunc metuunt scelerum sulcare suorum
Pectora, iudicio pariter ruitura superno.
Haud secus è vacuis volitant concussa pharetris
Spicula scinduntur, validæ scolades galeæque.
Concutit ipsa ruens segetes cùm grando superba,
Fit sonitus clangórque simul per tecta sonorus.
Sic galeæ strictis reboant tunc ensibus ictæ,
Corpora sicque cadunt mutuis confossa sagittis.

Iam descendens septimam Phœbus occupauerat horam, & serenus adhuc Ludouici partibus mars fauebat: cùm Turci, sicut non incallidi, positis ex aduerso insidiis fugam simulant. Quos dum Regis populus doli ignarus impetu validissimo B insequeretur, omni ex parte prodeunt insidiæ, quasi victi ipsi victores interimunt. Rex ipse è victore se victum esse miratur, fitque illi non opinatus grauior casus. Videres equidem saltus, agros passim cadaueribus stratos, riuos & flumina sanguine permixta rubere. Tunc hinnitus equorum, clangórque tubarum, fugientes etiam atque etiam terrere, persequentes magis magisque hortari. Hungari præterea compotes voti sui effecti, Christianorum hac tam immensa nece propriæ non satisfecere nequitiæ: sed vt rabiem perfidiæ satiarent, Baioariorum, Sueuorum, Francorum omnia deflagrando Regna percurrerunt. Nec quisquam erat, qui horum præsentiam nisi labore non paruo naturáve munitissimis præstolaretur in locis: factúsque est per nonnullos populus hic tributarius annos.

De Adelberti Comitis rebellione, & capitali sententia in eum circumuentum Hattonis Archiepiscopi insidiis lata.

CAPVT III.

HVius tempore ADELBERTVS quidam non fortunæ mediocris, sed ex Primatibus magnus ille Heros, simultatem non modicam in castello Bauenburg contra rempublicam exercebat. Sæpè Rex LVDOVICVS congregatis omnibus super eum irruerat. Cui nominatus Heros non iuxta castellum, vt à plerisque assolet, sed procul à munitione præparat bellum. Regis itaque milites priusquam C re ipsa huius audaciam mirarentur, Regem præeuntes pugnæ præludio hunc extra castrum illicere, atque interficere cogitabant. Adelbertus præludij huiusmodi non solùm gnarus, verùm etiam debriatus, his obuiam tam longè à castro processerat, vt non hunc milites eo vsque ex aduersariis esse cognoscerent, quo ad eorum ceruices istius mucro cædis impatiens desæuiret. Sed cùm septennio fermè Adelbertus Heros rebellionem huiusmodi exerceret, sciens Ludouicus istius audaciæ fortitudinem haud quáquam se nisi tergiuersatione quadam posse deuincere, Hattonem Maguntinæ Sedis Archiepiscopum, quid sibi super hac re faciendum esset, consuluit. Qui vt erat versutiæ plenus: Desine, ait, ego te securum meis sollicitudinibus reddam: ego vt ad te veniat prouidebo, tu ne redeat curato. Hatto itaque animi confidentiâ, qua nonnullas res ex infortunio secundas effecerat, animatus, Bauenburg quasi Adelberto compassurus adiit. Cui & ait: Si non & aliam vitam præter instantem putares, tamen iniustè faceres quòd Domino tuo rebellis existeres: præsertim cùm & quòd agis, facias gratis. Eo enim quo ferocitatem animi vinceres, quantum ab omnibus, & præcipuè à Rege diligaris, non intelligis. Consulenti itaque mihi fidem admitte, iusiurandum accipe: quò sine animi vacillatione de castello exire valeas, & redire. Si Sacerdotij mei promissionibus minimè credis, iuramento saltem ne diffidas: quo-

LVDOVICVS. BERENGARIVS.

niam vt te saluum & incolumem de castello eduxero, ita & reducere procurabo. A Adelbertus igitur huius melle dulcioribus elogiis delibutus, immò deceptus, iusiurandum ab Hattone accepit, eúmque vt secum pranderet protinus inuitauit. Hatto verò tergiuersationis, quam exercere post paulolum cupierat, non immemor, eodem se haud quaquam pransurum omnimodis interdixit. Nec mora Hatto de castello egreditur, cuius Adelbertus dexteram tenens mox eum insequitur. » Quem cùm extra castellum conspiceret: Pœnitet, infit, me, Heros egregie, quia » secundum tuum consultum, præsertim cùm longum iter immineat, corpus edu- » lio aliquo non refecerim. Ignorans denique Adelbertus quantum incommodi, » quantúmve infortunij hæc scientia habebat: Reuertamur, ait, Domine mi, & ne » ieiunij maceratione tabescas cibo saltem paululum te recreato. Conniuens itaque eius petitionibus Hatto, per quam eum eduxerat viam repedauit, & reduxit, dexteram tenens. Haud mora, cibus sumitur, atque ab eisdem die eadem vsque ad Regem properatur. Clamor in castris oritur, fit tumultus non modicus, quoniam quidem Adelbertus Regi aduenisse nuntiatur. Rex præterea huius ob aduentum non parum exhilaratus, Proceres ad se venire, atque in iudicio residere » præcepit. Quibus & ait: Iam ferè septennio Adelbertus quantas strages dederit, » quas nobis turbationes egerit, quot rapinarum & incendiorum infortunia nobis B » intulerit, re ipsa potiùs quàm fama deferente percepimus. Vnde & sententiam » vestram pro hoc tanto scelere, quid recompensationis impræsentiarum accipiat, » expectamus. Qui omnium decreto secundum priscorum instituta Regum maiestatis reus adiudicatus, capite truncatur. Verùm dum vinctus traheretur ad mor- » tem, Hattonem intuitus: Periurij, infit, reus eris, si me necem incurrere sinis. » Cui Hatto: Sanum te, inquit, è castro educturum, ita & reducturum promisi. » Quod me tunc implesse intellexi, cùm te è castello eductum saluum & incolu- » mem mox in castellum reduxi. Tunc se istuc aduenisse dolens, & Hattonis dolum tardè intellexisse suspirans, tam inuitus spiculatorem sequitur, quàm libenter viueret si liceret.

De Hungaris collecto innumerabili exercitu Italiam petentibus, & exploratoribus eorum quale consilium dederint: & quare territi ab Italiæ ingressu sunt reuersi, sed mox reparatis viribus Italis occurrerint.

CAPVT IV.

PAVCIS verò interpositis annis, cùm nullus esset qui in Orientali ac Australi plaga Hungaris resisteret: (nam Bulgarorum Gentem atque Græcorum tributariam fecerant) ne quid inexpertum his esset, quæ sub Meridiano atque sub Orientali degerent climate Nationes visere satagunt. Immenso itaque innumerabilíque collecto exercitu, miseram petunt Italiam. Cúmque iuxta fluuium Brennam defixis tentoriolis, immò centonibus, triduò, exploratoribus directis, qui terræ situm Gentisque multitudinem seu raritatem considerarent, repedantibus » nuntiis huiusmodi responsa suscipiunt. Planities hæc nonnullis plena colonis, C » vno vt cernitis ex latere montibus asperrimis atque fertilibus, altero mari cin- » gitur Adriatico. Oppida verò tum nonnulla, tum munitissima. Gentis quanquam » ignoretur imbecillitas aut fortitudo, immensa tamen conspicitur multitudo. Ne- » que enim hanc tam paucis copiis inuadere hortamur. Verùm cùm nonnullæ sint » res, quæ nos pugnare compellant, triumphus scilicet assuetus, animi fortitudo, » pugnandi scientia, opes præsertim quarum desiderio fatigamur, quæ hîc tot in- » sunt, quot toto in orbe nec vidimus nec videre sperauimus: nobis tamen con- » sultis (neque enim longum arduúmve remeandi iter est quod decem potest & » eo minus diebus perfici) reuertamur, quatenus verè omnibus Gentis nostræ col- » lectis fortissimè redeamus: sitque his tum in fortitudine, tum nostra in multi- » tudine terror. Nec mora, his auditis ad propria reuertuntur, totámque hyemis asperitatem in fabricandis armis, in acuendis spiculis, in docendis iuuenibus belli notitiam ducunt. Sol necdum Piscis signum deserens Arietis occupabat, cùm immenso atque innumerabili exercitu collecto Italiam petunt, Aquileiam & Veronam pertranseunt, munitissimas ciuitates: & Ticinum, quæ nunc alio excellentiori vocabulo Papia vocatur, nullis resistentibus veniunt. Rex igitur BE-

RENGA-

A BERENGARIVS tam præclarum nouumque facinus satis mirari non potuit. Ante hac enim neque nomen Gentis huius audierat. Italorum igitur, Tuscorum, Volscorū, Camerinorum, Spoletinorum quosdam literis, alios nuntiis directis, omnes tamen in vnum venire præcepit, factúsque est exercitus triplo Hungarorū validior. LVDOVICVS. BERENGARIVS.

Cur Rex Berengarius contra Hungaros non ierit, & cur Hungari Italos fugerint, & quomodo fugientes pacem petierint: & de præludio prælij, in quo priùs vicerunt Hungari, post fugerunt. Et quomodo propter defatigatos equos ad Brennam fluuium à Christianis deprehensi, pacem ab eis petierunt, quam non obtinuerunt.

CAPVT V.

CVMQVE sibi Berengarius tot adesse copias cerneret, superbiæ spiritu inflatus, magisque triumphum de hostibus multitudini suæ quàm Deo tribuens, solus cum paucis quodam in oppidulo degens, voluptati operam dabat. Quid igitur? tantam mox vt Hungari contemplati multitudinem, animo consternati, quid facerent deliberare non poterant: prœliari penitus formidabant, fugere omninò nequibant. Verùm inter vtramque hanc æstuationem fugere magis quàm prœliari iuuat, persequentibus Christianis Adduam fluuium natando, ita vt nimia festinatione plurimi submergerentur, transeunt. Hungari denique consilio non malo accepto, per internuntios B Christianos rogant, quatinus præda omni cum lucro reddita ipsi incolumes remeare possent. Quam petitionem Christiani funditus abdicantes, his, proh dolor! insultabant: potiúsque vincula quibus Hungari vincirentur, quàm arma quibus necarentur exquirunt. Cúmque Pagani Christianorum animos hoc pacto mulcere nequirent, vetus tati consilium melius, cœpta sese liberare fuga satagunt: sicque fugiendo in Veronenses campos perueniunt. Christianorum primi horum iam nouissimos insequuntur, fitque eodem pugnæ præludium, in quo victoriam habuere Pagani. Validiore verò propinquante exercitu, fugæ non immemores cœptum iter percurrunt. Veneruntque Christicolæ cum idololatris iuxta fluuium Brennam. Equi enim nimium defatigati fugiendi copiam negabant Hungaris. Simul igitur vtræque acies conuenere, memorati tantummodo fluuij alueo separatæ. Hungari denique nimio terrore coacti omnem supellectilem, captiuos, arma omnia, equos, singulis tamen quibuscum remeare possent retentis, dare promittunt. Hoc præterea in honorem suæ petitionis adiungunt, vt si vita tantùm comite datis omnibus illos remeare permitterent, se nunquam Italiam amplius ingressuros, filiis suis obsidibus datis. Verùm, heu! Christiani superbiæ tumore decepti minis Paganos ceu iam victos insequuntur: eisque continuò huiusmodi apologiam remittunt. Si contraditum nobis, præsertim à contraditis iamque canibus mortuis munus reciperemus, fœdúsque aliquod iniremus, insanos capite non sanus iuret Orestes.

C *De consilio Hungarorum ex desperatione inito, & victoria eorum in Christianos per insidias circumuentos. Quam victoriam docet ob Christianorum peccata, non illorum merita, adeptos.*

CAPVT VI.

HAc igitur legatione Hungari desperantes, collectis in vnum fortissimis, tali sese mutuo sermone solantur. Si hac, quæ impræsentiarum cernitur, luce perdita nihil est, quod deterius prouenire possit hominibus, & quia locus precij nullus, fugiendi spes omnis ablata, colla summittere mori est: quid verendum est nobis tela inter ipsa ruere, morte mortem inferre? Nunquid non fortunæ, & non imbecillitati casus deputandus noster? Viriliter enim pugnando occumbere, non est mori, sed viuere. Hanc famam tantam, hanc κληρονομίαν, id est hereditatem, vt à patribus nostris accepimus, etiam relinquamus heredibus. Nobis debemus, nobis saltem credere expertis, qui copiarum paucitate nonnunquam plurimos strauimus. Inualidæ plebis sanè congregatio plurima ad cædem tantùm est exposita. Sed & fugientem sæpissimè mars perimit, dimicantem fortiter protegit. Hi enim, qui nobis supplicantibus non miserentur, ignorant, neque mente percipiunt, quia vincere quidem bonum est, superuincere nimis inuidiosum. Hac itaque exhortatione vtcumque animos recreati, tres in

LVDOVICVS. BERINGARIVS.

partes insidias disponunt: recta ipsi fluuium transeundo hostes in medios ruunt. A Christianorum enim plurimi longa propter internuncios expectatione defatigati per castra, vt cibo recrearentur, descenderant, quos tanta Hungari celeritate confoderunt, vt in gula cibum transfigerent: aliis quibusdam fugam equis negarent ablatis. Eóque illos leuius perimebant, quòd sine equis eos esse conspexerant. Ad augmentum sanè perditionis Christianorum non parua inter eos erat discordia. Nonnulli Hungaris non solùm pugnam non inferebant, sed vt proximi caderent anhelabant: atque hoc ipsi peruersi peruersè fecerant, quatenus dum proximi caderent soli ipsi liberiùs quasi regnarent. Qui dum proximorum necessitatibus subuenire negligunt, eorúmque necem diligunt, ipsi propriam incurrunt. Fugiunt itaque Christiani, sæuiúntque Pagani: & qui prius placari muneribus nequibant, supplicantibus postmodum parcere nesciebant. Interfectis denique fugatisque Christianis, omnia Hungari Regni loca sæuiendo percurrunt. Neque erat qui eorum præsentiam nisi munitissimis præstolaretur in locis. Illorum sanè adeò præualuerat virtus, quatenus eorum pars quædam Baioariam, Sueuiam, Franciam, Saxoniam; quædam verò depopularetur Italiam. Neque tamen hoc eorum meruerat virtus, sed verus Domini sermo terra cœlóque durabilior mutari non poterat: quemadmodum per Hieremiam Prophetam omnibus Nationibus in persona domus Israel comminatur dicens: *Ecce adducam ego super vos Gentem de longinquo, Gentem robustam, Gentem antiquam, Gentem cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur. Pharetra eius quasi sepulchrum patens, vniuersi fortes: & comedet segetes tuas, & panem tuum deuorabit. Filios tuos & filias tuas deuorabit, gregem tuum & armenta tua comedet, vineam tuam & ficum tuam: & vrbes munitissimas, in quibus tu habes fiduciam, gladio conteret. Verumtamen in diebus illis, ait Dominus Deus, non faciam vos in consummationem.* B

De Ludouici obitu, & Conradi coronatione: & qui Principes sub eo fuerint. Inter quos Henricus Dux Saxoniæ: qui Regi rebellantes ab eo victi sunt, fugiente Arnoldo Baioario in Hungariam. Et quomodo Conradus moriturus Principes omnes de pace inter se, & vt Henricum Saxonem Regem constituant exhortatur, transmissis ad eum regalibus ornamentis. De Arnoldi Baioarij ex Hungaria reditu, & bellico in Henricum apparatu: sed suorum exhortatu Henrico deditus, eidem militat.

CAPVT VII.

CONRADVS.

HAc autem tempestate LVDOVICVS Rex moritur. CONRADVS ergo Francorum ex genere oriundus, vir strenuus, bellorúmque exercitio doctus, Rex cunctis à populis ordinatur. Sub quo potentissimi Principes, Arnoldus in Baioaria, Burcardus in Sueuia, Eurardus Comes potentissimus in Francia, Gisilbertus Dux in Lotharingia, erant. Quos inter Henricus Saxonum & Thuringorum Dux præpotens clarebat. Secundo itaque Regni huius susceptionis anno, memorati Principes huic præsertim rebelles extiterant. Quos Conradus Rex tam sapientiæ vigore quàm fortitudinis robore superauit, suámque ad fidelitatem perduxit. Arnoldus autem nimio eius terrore coactus, cum vxore & filiis ad Hungaros fugit: fuitque ibidem quoad vitalis aura Conradi Regis rexerat artus. Septimo denique regni sui anno, vocationis suæ ad Deum tempus agnouit. Cúmque memoratos Principes se adire fecisset, solummodò Henrico non præsente, ita conuenit. Ex corruptione ad incorruptionem, ex mortalitate ad immortalitatem vocationis meæ tempus agnosco, & vt cernitis præsto est. Proindè pacem concordiámque vos sectari etiam atque etiam rogo. Me hominem exuente nulla vos regnandi cupiditas titillet, nulla præsidendi ambitio inflammet. Henricum Saxonum & Thuringorum Ducem prudentissimum Regem eligite, Dominum constituite. Is enim est & scientia pollens, & iustæ seueritatis censura abundans. His itaque prolatis, propriam Coronam non auro, quo cuiuscunque ordinis penè Principes pollent, verùm gemmis preciosissimis non solùm inquam ornatam, sed grauatam: Sceptrum, & cuncta quæ regalia sunt indumenta, in medium venire præcepit, ac prout valuit huiusmodi verba effudit: Heredem regiæque dignitatis vicarium regalibus meis ornamentis HENRICVM constituo, cui vt obediatis non solùm consulo, sed & oro. Quam iussionem mox sequitur interitus, & interitum C

A est obedientia prosequuta. Ipso namque mortem obeunte, memorati Principes Coronam, cunctáque regalia indumenta, HENRICO Duci contulerunt, atque vt Rex Conradus dixerat cuncta per ordinem narrauerunt. Qui regiæ dignitatis culmen & priùs humiliter declinauit, ac paulopòst non ambitiosè suscepit. Verùm, nisi pallida mors, quæ pauperum tabernas Regúmque turres æquo pulsat pede, Conradum Regem citissimè raperet, is esset cuius nomen multis mundi Nationibus imperaret. Hoc eodem tempore ARNOLDVS cum vxore & filiis ab Hungaria rediens, honorificè à Baioariis atque ab Orientalibus suscipitur Francis. Neque enim solùm suscipitur, sed vt Rex fiat ab eis vehementer exposcitur. Rex HENRICVS cùm obtemperare suis omnes iussionibus, Arnoldúmque solum resistere cerneret, perualido collecto exercitu in Baioariam tendit. Quod Arnoldus vt audiuit, eius non passus est in Baioaria præstolari aduentum. Verùm collectis quibus valuit copiis, huic obuiam properat. Cupierat sanè & ipse Rex fieri. Cúmque in eo essent, vt bellum pariter inire deberent, sicut vir sapiens & Deum timens, Rex Henricus cogitans ex vtraque parte irrecuperabile posse damnum accidere, Arnoldo quatenus cum solo solus loquatur denuntiat. Putans igitur Arnoldus quòd singulari se acciret certamine, ad condictum solus hora statuta peruenit. Quem sibi obuiam properantem Rex Henricus tali est sermone aggressus:

Insane, Domini iussis quid mente resistis?
B *Qui populus Regem me cupit esse scias.*
Imperio Christi quo constat machina mundi,
Tartarus hunc metuit, hunc Phlegeton timuit.
Conterit hic nitidos Reges, dudúmque tremendos:
Sublimésque volens erigit hic miseros,
Quo meritas laudes Domino per secula soluant.
Tu ne superbe reus, perfide, dure, ferox,
Inuidiæ stimulis sæuáque cupidine tactus,
Corpora Christicolum perdere valde sitis?
Si Regem populus cuperet præponere temet,
Protinus is fierem quem magis is cuperet.

Hoc igitur quadriferio dicendi genere, copioso scilicet, breui, sicco, & florido, Rex Henricus, vt erat animo prudens, Arnoldi animum mulcens ad suos rediit. Arnoldus verò cùm suis omnia retulisset, huiusmodi ab eis audiuit ἀπόκρισιν, id est, responsionem: Sapiens prompsit illius sapientiæ veræ sententiam, quæ ait, *Per me Reges regnant, Principes imperant, & prudentes iustitiam decernunt.* Qui huic resistit, illum Dei ordinationi resistere quis ambigit? Neque enim in huius electione totius populi posset animus esse, vnus si à Trinitate summa, quæ Deus vnus est, ante mundi constitutionem non esset electus. Si bonus fuerit, diligendus erit, Deúsque C in eo laudandus. Si verò malus, æquanimiter tolerandus. Subditorum namque plerumque exigunt merita, quatenus nonnunquam à Prælatis grauentur, non regantur. Æquum autem iustúmque nobis videtur, vt à ceteris non dissentiens hunc Regem eligeres. Ipse verò te, vt tam fortunatum & prædiuitem virum hoc pacto bearet, animíque tui feritatem mulceret, vt quod prædecessores non habuere tibi concedatur, scilicet quatenus totius Baioariæ Pontifices tuæ subiaceant ditioni, tuæque sit potestatis vno defuncto alterum ordinare. Conniuens igitur Arnoldus huic optimo suorum consilio, Henrici Regis miles efficitur, & ab eo, vt iam dictum est, concessis totius Baioariæ Pontificibus honoratur.

De Hungaris, audita morte Conradi, Saxoniam inuadentibus. Quibus Henricus quamuis infirmus occurrit: & suos exhortatus est, votúmque vouit.

CAPVT VIII.

PER idem tempus, dum Conradi Regis interitum, atque Henrici in Regnum successionem Hungari audirent, tali sese mutuo sermone sunt aggressi: Rex fortè nouus nouis vti legibus cupit. Copiis igitur collectis non minimis, ascendamus, scrutemúrque, debita vtrum HENRICVS Rex velit tributa persoluere. Quia si non, vt credimus, Regibus dissentit à ceteris, Regnum eius cæde atque immensis depopuletur incendiis. Non Baioariorum, sed Saxonum, vbi Rex ipse est, primò

HENRICVS. BERENGARIVS.

fines occupemus: vt si fortè, quod non speramus, congregare exercitum velit, neque de Lotharingia, neque de Sueuia, neque de Baioaria, ei maturè possit occurrere. Sed & Saxonum ac Thuringiorum terra facilè depopulatur, quæ nec montibus adiuta, nec firmissimis oppidis est munita. Rex Henricus grauissima valitudine detinetur, & Hungarorum ei aduentus proximè nunciatur. Vix finetenus verba nunciantis audierat, cùm directis per Saxoniam nunciis post triduum quotquot poterat capitali sententia se adire præcipit. Validissimo igitur per quatriduum collecto exercitu (est enim Saxonum mos laudandus atque imitandus, quatenus annum post vnum atque duodecimum nemini militum bello deesse contingat) etsi corporis inualidus viribus, tamen mentis vigore animatus prout valuit equum ascendit: atque collectis in vnum copiis huiusmodi verbis ad pugnandi rabiem excitauit. A

Inclyta Saxonum ceu leo frendens,
Bella per innumera gens erat olim.
Restitit hac Carolo ense cruento,
Qui sibimet totum strauerat orbem.
Fugit & hic victus, victor vbique,
Qui sibi nos rediens subdidit omnes.
Id Domini pietas gessit, ob hócque,
Participes voluit esse salutis.
Nunc mala Turcorum nescia Christi, B
Gens inimica Deo gaudet in omnem
Ecclesiæ populum ducere ferrum.
Proh dolor! Heroes, heus! mage quòd nunc
Subdere nostra volunt colla tributo,
Sumite nunc animos more virili.
Membra secare precor, vique ferire,
Sit furor, heus! ardens, sancta cupido,
Hæc Stygias referant munera ad vndas,
Et calidos numerent igne trientes.

Talibus itaque Rex exhortationibus ad pugnam suorum accendi animos videns, indicto cunctis silentio hoc iterum diuini munere flaminis tactus adiecit: Priscorum facta Regum, sanctorum scripta Patrum, nobis quid agere debeamus insinuant. Non enim Deo difficile paucis plures sternere. Si tamen horum, qui id agere cupiunt, fides meretur. Fides, inquam, non professionis tantùm, sed operis: non solummodo oris, sed etiam cordis. Voueamus itaque, ac secundum Psalmistam vota reddamus. Ego, inquam, ego priùs, qui dignitate videor & ordine primus. Simoniaca hæresis Deo inuisa, & à beatissimo Apostolorum principe Petro damnata, quæ ab antecessoribus nostris hactenus est temerè custodita, modis omnibus à nostro sit Regno expulsa. Connectat inuicem charitas vnitatis, si quos diuisit calliditas dæmonis. C

De nuntio qui Hungaros in Meresburgo esse nuntiabat, omnia deuastantes. Et de exploratoribus, quos Hungari à captiuis moniti mittebant. Item de pugna commissa cum Hungaris, & de bono consilio Henrici Regis, & victoria: & vbi sit ipsa victoria depicta.

CAPVT IX.

REx nonnulla his similia dicere cœperat, cùm volipes nuncius Hungaros in Meresburgo, quod castrum in confinio Saxonum, Thuringorum, & Sclauorum, esse nuntiabat. Adiecerat etiam eos non modicam paruulorum ac mulierum habere prædam, virorum verò immensam fecisse stragem. Condixerat enim à decimo & deinceps anno neminem se superstitem relicturos, quatinus per hoc terrorem non paruum adhiberet Saxonibus. Rex igitur, vt erat animi constans, talibus non terretur, verùm magis magisque vt pro patria pugnare, ac laudabiliter si necesse sit occumbere velint, exhortatur. Vinctos interea Hungari, si impugnari debeant, sciscitantur. Cúmque ab his non aliter posse fieri testaretur, exploratoribus directis si hoc verum esse possit exquiritur. Profecti denique exploratores, HENRICVM Regem immenso cum exercitu iuxta præ-

A fatum oppidum Meresburgum contemplantur. Denique vix ad suos poterant repedare, aduentum exercitus nunciaturi. Neque enim his fuerat alius, verùm Rex ipse belli nuntius. Haud mora bellum incipitur, atque ex Christianorum parte sancta mirabilisque vox *kyrie*, & eorum turpis & diabolica, *hui, hui*, frequenter auditur. Dederat autem Rex Henricus suis ante belli inchoationem huiusmodi sapiens ac salubre consilium: Cùm ad martis præludium cœperitis properare, nemo socium velociori quanquàm habeat, attentet equo præire. Verùm clypeis altrinsecus operti, primos super scuta sagittarum ictus recipite, deinde cursu rapido, impetúque vehementissimo, super eos irruite: quatinus non priùs vobis sagittarum ictus secundò possint emittere, quoad vestrorum sibi armorum sentiant vulnera peruenisse. Saxones igitur admonitionis huius saluberrimæ non immemores, ordinata æqualiter acie currunt, nec est qui velociori transeat equo tardiorem. Verùm clypeis, vt Rex dixerat, altrinsecus cooperti, sagittarum super clypeos recipiunt ictus innocuos. Deinde, vt prudentissimus vir dixerat, super hos cursu præpeti veniunt, adeò vt eorum priùs vita cum gemitu fugeret, quàm secundò iaculorum fulmina mitterentur. Fitque diuini muneris pietate, vt potiùs hos fugere, quàm prœliari iuuet. Velox tunc sonipes gaudet, pigro queritante. Phaleratum præterea decor, armorúmque honor, non Hungaris tutelæ, B sed oneri erant. Abiectis quippe arcubus, demissis spiculis, faleris etiam, quò expeditiùs equi currerent, proiectis, fugæ solummodò operam dabant. Verùm omnipotens Deus, qui eis pugnandi audaciam abstulerat, fugiendi etiam copiam omninò negabat. Cæsis igitur fugatisque Hungaris, immensa captiuorum turba dissoluitur, atque in lætitiæ cantum vox gemitus permutatur. Hunc verò triumphum tam laude quàm memoria dignum ad Meresburgum Rex in superiori cœnaculo domus per ζωγραφίαν, id est, picturam notari præcepit: adeo vt rem veram potiùs quàm verissimilem videas.

HENRICVS. BERENGARIVS. LVDOVICVS.

De Ludouico quodam, quem Itali super se regnare inuitabant: & cur Adelbertus Marchio hoc fecerit, qui gener erat Berengarij. De Adelberti ex bono in malum mutatione. De eodem Ludouico in verba Berengarij iurante, & Adelberto eundem instinctu vxoris ad rebellionem sollicitante. Qui contra iusiurandum reuersurus Berengarium Veronâ expulit, & Lucam profectus honorificè ab Adelberto illic suscipitur. Cuius conspecta potentia inuidiæ stimulis agitatur, ob quam rem ab eius fide Adelbertus mox discessit.

CAPVT X.

DVM hæc aguntur, Italienses penè omnes LVDOVICVM quendam Burgundionum genitum prosapiâ, nuntiis directis, inuitant, vt ad se veniat, Regnúmque BERENGARIO auferat, sibi obtineat. Huius verò tam turpis sceleC ris auctor ADELBERTVS Eporegiæ ciuitatis Marchio erat, cui & idem Berengarius filiam suam nomine GISILAM coniugio copulauerat: ex qua filium genuerat, cui & aui sui vocabulum dederat. Iste est, inquam, iste BERENGARIVS ille, cuius immensitate tyrannidis tota nunc luget Italia: cuiúsque lenocinio à quibuscumque Gentibus perimitur, non iuuatur. Sed vt ad rem redeamus, satis nunc dixisse sufficiat. Præterea idem Adelbertus, quod bonis omnibus cauendum est, nequaquam sui similis fuit. Nam dum feruente ætate iuuenilem duceret vitam, miræ humanitatis, miræque sanctitatis fuit: adeo sanè vt si ei à venatione redeunti pauper occurreret, aliúdque ei non esset quod illi præstare posset, cornu protinus, quod collo eius fibulis aureis dependebat, sine dilatione concederet: rursúmque ab eodem quanti æstimabat adquireret. Tam diræ autem postmodũ factus est famæ, vt huiusmodi vera de eo tam à maioribus quã à pueris cantio diceretur. Et quia sonorius est, Græcè illud dicamus. Adelbertus comis curtis μακροσπαθὴς, μικροπιστής: quo signatur & dicitur, longo eum vti ense, & minima fide. Huius itaque aliorúmque nõnullorum Italiensiũ hortatu, præfatus Ludouicus in Italiam venit. Cui mox Berengarius, vt audiuit, obuiam venit. Cúmque Ludouicus Berengario sibi obuiã venienti magnas adesse copias, sibi verò paucas cerneret, iureiurãdo ei hoc terrore compulsus promisit: vt si sese dimitteret, quibuscũque promissionibus accitus ampliùs in Italiam non veniret. Fecerat nãque sibi Berengarius plu-

HENRICVS, BERENGARIVS. LVDOVICVS. rimis collatis muneribus Adelbertum Tuscorum præpotentissimum Marchionem valde fidelem, atque ideò Ludouicus tam facilè est expulsus. Modica verò temporis transcursa intercapedine, Rex Berengarius nominato Adelberto grauis est visus. Cui rei BERTA coniunx sua, Hugonis Regis, qui nostro pòst tempore in Italia regnauit, mater non modicè fomitem ministrauit. Vnde factum est, vt consulto eodem Adelberto Marchione, ceteri Italienses Principes propter eundem Ludouicum vt adueniret transmitterent. Qui cupiditate regnandi, oblitus iurisiurandi, venit concitus in Italiam. Videns itaque Berengarius, quòd Ludouicus tam ab Italiensium quàm à Tuscorum susciperetur Principibus, Veronam profectus est. Ludouicus verò cum Italiensibus eum prosequi non desistens, Verona etiam illum expulit, totúmque Regnum sibi viriliter subiugauit. His ita gestis, bonum visum est Ludouico, vt sicut circumcirca viderat Italiam, videret & Tusciam. Exiens denique Papiâ, proficiscitur Lucam: vbi decentér mirôque paratu ab Adelberto suscipitur. Cúmque Ludouicus in domo Adelberti tot militum elegantes adesse copias cerneret, tantam etiam dignitatem, totque impensas prospiceret, inuidiæ zelo tactus suis clanculum infit: Hic Rex potiùs quàm Marchio poterat appellari. In nullo quippe mihi est inferior, nisi solummodò nomine. Quæ res Adelbertum latere non potuit. Quod Berta, vt erat mulier non incallida, audiens, non solùm virum suum ab eius fidelitate amouit, verùm etiam ceteros Italiæ Principes ei infideles effecit. Vnde factum est, vt dum è Tuscia rediens Veronam pergeret, degeretque ibidem nihil hæsitans, nihilque mali suspicans, Berengarius dato pretio custodes ciuitatis corruperit: collectisque viris fortissimis, in ipso noctis conticinio ciuitatem ingressus fuerit.

Descriptio Veronensis oppidi, & Athesis fluuij, & pontis super eum. Vbi Ludouicus corruptis à Berengario ciuibus traditus, & Regno & lumine priuatur, Hungaris Italiam laniantibus.

CAPVT XI.

FLVVIVS Athesis, sicut Romam Tyberis, mediam ciuitatem Veronam percurrit: super quem ingens marmoreus miri operis, miræque magnitudinis pons est fabricatus. A læua autem parte fluminis, quæ est Aquilonem versus, ciuitas posita est, difficili arduóque colle munita: adeò vt si ea pars ciuitatis, quam memoratus fluuius dexteram alluit, ab hostibus capiatur, ea tamen viriliter possit defendi. In huius verò collis summitate pretiosi operis Ecclesia est fabricata, & in honore beatissimi Petri Apostolorum principis consecrata: vbi & propter amœnitatem Ecclesiæ, locíque munitionem, LVDOVICVS manebat. BERENGARIVS denique, vt præfati sumus, noctu ciuitatem ingressus, clam Ludouico suis cum militibus pontem pertransiens, in ipso auroræ crepusculo hunc vsque aduenit. Qui clamore strepitúque militum excitatus, sciscitatur quid esset: in Ecclesiam fugit, nullúsque eum præter Berengarij militem vnum vbi esset agnouit. Qui misericordiâ motus, noluit hunc prodere, sed celare. Timens verò idem, ne ab aliis repertus proderetur, vitâque multaretur Berengarium adiit, eúmque ita conuenit: Quandoquidem tanti Deus te habuit, vt tuum proprias in manus traderet hostem, debes & tu eius monita, immò præcepta magnifacere. Infit enim: *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.* Intellexit itaque Berengarius, vt vir non incallidus, hunc quo ipse lateret scire locum, eumque hac sophistica responsione decepit. Putas ne me, insulse, quem mihi Dominus tradidit hominem, immò Regem, velle occidere? Nunquid & Dauid sanctus Regem Saulem à Deo sibi in manus traditum seruauit, non quòd occidere non potuit, sed quia noluit? His sermonibus miles inclinatus, locum ostendit in quem confugerat Ludouicus. Qui captus, & ante Berengarij præsentiam ductus, huiusmodi à Berengario sermonibus increpatur: Quousque tandem abutere, Ludouice, patientiâ nostra: Num inficiari potes, te illo tempore meis præsidiis, mea diligentia circumclusum, commouere etiam contra non potuisse: méque misericordiâ inclinatum, quæ tibi nulla debebatur, te dimisisse? Sensisti ne, inquam, te periurum in istis esse victum? Confirmasti sanè mihi, teipsum nunquam Italiam ingressurum. Vitam tibi, sicut

A ei qui te mihi prodidit, promiseram, concedo: oculos verò tibi auferri non solùm iubeo, sed compello. His dictis Ludouicus lumine priuatur, & Berengarius Regno potitur. Hungarorum interea rabies, quia per Saxones, Francos, Sueuos, Baioarios, nequibant, totam per Italiam nullis resistentibus dilatatur. Verùm quia Berengarius firmiter suos milites habere fideles non poterat, amicos sibi Hungaros non mediocriter effecerat. Sed & Sarraceni, qui, sicut dixi, Fraxinetum inhabitabant, post labefactionem Prouincialium quasdam summas Italiæ partes sibi vicinas non mediocriter laniabant: adeò vt depopulatis pluribus vrbibus, Aquas venirent, quæ est ciuitas XL. fermè milliariis à Papia distans. Quæ etiam propter thermas miro in tetragonum modo ad lauandum ibi constitutas vocabulum huiuscemodi sortita est. Tantus timor inuaserat vniuersos, vt nullus esset, qui horum præsentiam, nisi fortè tutissimis præstolaretur in locis. HENRICVS. BERENGARIVS.

De Maurorum Sarracenorum irruptione in Calabriam, Apuliam, Beneuentum, qui Garelianum montem, quem alij Garganum scribunt, pro munitione habebant. Et qua occasione ab Africa exierint, Domino id permittente.

CAPVT XII.

B EODEM tempore Sarraceni ab Africa ratibus exeuntes, Calabriam, Apuliam, Beneuentum, Romanorum etiam ciuitates ita occupauerunt, vt vnamquamque ciuitatem mediam Romani obtinerent, mediam Africani. In monte quippe Gareliano * munitionem constituerant, in qua vxores, captiuos paruulos, omnémque supellectilem satis tutò seruabant. Nemo etiam ab Occasu siue ab Arcturo orationis gratiâ ad beatissimorum limina Apostolorum transire poterat, qui ab his aut non caperetur, aut immodico precio dato dimitteretur. Quamuis enim misera Italia multis Hungarorum & ex Fraxineto Sarracenorum cladibus premeretur, nullis tamen furiis aut pestibus sicut ab Africanis agitabatur. Fertur autem eos hac occasione ab Africa exiuisse, atque Italiam adiisse. Leone atque Alexandro Imperatoribus Augustis hominem exeuntibus, Romanus (vt latiùs sumus dicturi) cum Constantino, qui nunc vsque superest, Leonis Imperatoris filio, Constantinopolitanum regebat Imperium. Et sicut fieri assolet, primo quo Romanus suscepit Imperium anno, nonnullæ ei Gentes, præsertim ἀνατολικοί, hoc est Orientales, visæ sunt rebellare. Factum est autem dum Imperator exercitum ad expugnandas eas transmitteret, Apuliam & Calabriam binas regiones, quæ ei tunc temporis seruiebant, huic rebellasse. Cúmque Imperator, maximis Orientem versus copiis directis, exercitus huc multitudinem destinare non posset: rogauit primò, vt ad sui fidelitatem pristinam spontè redirent. Qui cùm renuerent, atque hoc se facturos minimè dicerent, ad Africanum mox Imperator dirigit Regem: * Garganô.

C eum precio rogans, vt se adiuuet, virtutísque eius auxilio Apuliam sibi atque Calabriam subdat. Hac ex Legatione Rex Africanus accitus, innumerabiles ratibus copias in Calabriam Apuliámque direxit: binásque has regiones Imperatoris dominatui potentissimè subdidit. Sed dum processu temporis has regiones dimitterent, Romam versus aciem gyrauerunt, montémque Garelianum maxima pro tuitione sibi vendicauerunt: multásque munitissimas ciuitates debellantes vi ceperunt. Dominus verò noster Iesus Christus, coæternus & consubstantialis Patri sanctóque Spiritui, cuius misericordiæ plena est terra, qui neminem vult perire, sed omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ne pereant: qui solus Deus ante mundi constitutionem præuidit, atque post omnem creaturam quasi Dominum ceteris vtentem ac dominantem creauit hominem: quemque in fine temporis per sui sanguinis effusionem verus homo verúsque Deus, non duo, sed vnus, redemit, ad amorem sui propriæque patriæ dilectionem quosdam beneficiis inuitat, terroribus alios compellit: non quò sibi (qui nec augmentum bonitate nostra, vt Propheta testatur, dicens: *Quoniam bonorum meorum non eges*, nec detrimentum malitia sumere possit) sed vt nobis prosit. Placuit itaque ei, quia beneficiis noluimus, huiusmodi nos ad tempus castigare terroribus. Sed ne Sarraceni nobis diutiùs insultarent, & dicerent: *Vbi est Deus eorum?* conuertit Deus corda Christicolarum: adeo vt amplior eis pugnandi quàm fugiendi priùs esset cupido.

Henricus Birngarius. A

De Ioanne Rauennate, qui per nefas summum Pontificatum inuaserat, per Theodoram videlicet meretriculam. Item de quodam iuuene Africano, qui ad Papam venit, eique consuluit, quomodo cum Africanis feliciter pugnare posset. quod eodem duce factum est.

CAPVT XIII.

QVO tempore venerandæ Romanæ Sedis Ioannes Rauennas summum Pontificatum tenebat. Hic autem tam nefando scelere contra ius fásque Pontificij culmen obtinuit. Theodora scortum impudens huius Alberici, qui nuper hominem exuit, auia, (quod dictu etiam fœdissimum est) Romanæ ciuitatis non inuiriliter Monarchiam obtinebat. Quæ diras habuit natas, Maroziam, atque Theodoram, sibi non solùm coæquales, verùm etiam Veneris exortiuo promptiores. Harum vna Marozia ex Papa Sergio, cuius suprà fecimus mentionem, Ioannem, qui post Ioannis Rauennatis obitum sanctæ Romanæ Ecclesiæ obtinuit dignitatem, nefario genuit adulterio. Ex Alberto autem Marchione Albericum, qui nostro pòst tempore Romanæ vrbis Principatum vsurpauit. Per idem tempus Rauennatis Sedis, secundus qui post Romanum Archiereum Archipræsulatus habebatur, Petrus Pontificatum tenebat. Qui dum subiectionis officio debitæ nominatum Ioannem Papam, qui suæ minister Ecclesiæ tunc temporis habebatur, Romam sæpiùs & iterum domino dirigeret Papæ: Theodora, vt testatur vita, meretrix eius impudentissima, Veneris calore succensa, in huius speciei decorem vehementer exarsit: secúmque hunc scortari non solùm voluit, verùm etiam atque etiam pòst compulit. Hæc dum impudenter aguntur, Bononiensis Episcopus moritur, & Ioannes iste loco eius eligitur. Paulò post ante huius diem consecrationis nominatus Rauennas Archiepiscopus mortem obiit: locúmque eius Ioannes Theodoræ instinctu, priore Bononiensi Ecclesia deserta, ambitionis spiritu inflatus, contra sanctorum Patrum instituta sibi vsurpauit. Romam quippe adueniens, mox Rauennatis Ecclesiæ ordinatur Episcopus. Modica verò temporis intercapedine, Deo vocante, qui eum iniustè ordinauerat, Papa defunctus est. Theodoræ autem Glicerij mens peruersa, ne amasij ducentorum milliariorum interpositione, quibus Rauenna sequestratur à Roma, rarissimo concubitu potiretur, Rauennatis hunc Sedis Archiepiscopatum coëgit deserere, Romanúmque, proh nefas! summum Pontificium vsurpare. Hoc igitur sanctorum Apostolorum Vicario constituto, Pœni, vt præfatus sum, Beneuentum Romanásque vrbes miserè laniabant. Accidit itaque Pœnorum quendam iuuenem iniuriis lacessitum Pœnos deserere, & ad Ioannem Papam aduenire, tactúmque diuino spiramine Papam ita conuenisse: » Sacerdos magne, si saperes, populum terrámque tibi subiectam à Pœnis tam grauiter laniari non sineres. Elige igitur iuuenes nimia quasi mobilitate volipedes, qui me Imperatorem, præceptorem, Dominum æquanimiter audiant. Horum neminem præter singulas parmas, singuláque pila, ensésque singulos, & simplices vestes, cum exiguitate obsonij habere permittito. Sexaginta denique huiusmodi inuentis, sibíque traditis, aduersum Pœnos properat: latuítque secus angustas, qua Pœnorum iter erat, vias. Cúmque circumcirca sæpiùs & iterum Pœni depopulantes redirent, clamore cum maximo ex improuiso atque insperato ex insidiis prosilientes, eos faciliter trucidabant. Clamor ex ore, ictúsque simul à manu processerant. Neque enim Pœni, qui, quídve esset, priùs scire poterant, quàm istorum spicula horum corporibus inhærebant. Hac denique fama, hócque exercitio nonnulli Romanorum acciti, plurimis in locis Pœnos prostrauerant: callidóque hoc Africani consilio attriti, ciuitates penitus rupto inter se fœdere deserebant, solúmque Garelianum montem sibi pro munitione delegebant. B C

De consilio Landulfi Beneuentanorum Principis Ioanni Papæ dato, vt Imperatorem in auxilium aduocaret: cuius auxilii fretus, feliciter cum Sarracenis pugnatum est, diuis Petro & Paulo opitulari visis.

CAPVT XIV.

IOANNE itaque, vt præfatus sum, Papa constituto, Landolfus vir quidam strenuus, bellorum exercitio doctus, Beneuentanorum & Capuanorum om-

A nium Princeps clarebat. Pœnis igitur statum reipublicæ labefactantibus, Landolfum hunc Principem egregium, quid super re huiuscemodi faciendum esset, quam Africani agunt, Ioannes consulit Papa. Quod Princeps vt audiuit, Papam per internuncios ita conuenit: Res hæc, Pater, palam magnis est inuestiganda « consiliis. Mittito itaque ad Græcorum Imperatorem, cuius & ipsi quæ cis mare « est terram, sicut & nostram, depopulari non cessant. Camerinos etiam atque Spo- « letinos nostrum ad auxilium inuitato, ineamúsque protectore Deo cum his bel- « lum. Si vincimus, non multitudini, sed Deo imputetur victoria: si verò vicerint « Pœni, peccatis nostris, & non inertiæ deputetur. His auditis, Papa confestim nun- « tios Constantinopolim dirigit, suppliciter Imperatoris auxilia sibi dari deposcens. Imperator verò vt vir sanctissimus, Deúmque timens, copias absque mora classibus aduehendas direxit. Cúmque per Garelianum flumen conscenderent, affuit & Papa Ioannes cum Landolfo pariter Beneuentanorum Principe potentissimo, Camerinis etiam atque Spoletinis. Horrida denique inter eos pugna exoritur. Verùm dum Christianorum partem Pœni præualere conspicerent, in Garelíani montis summitatem confugiunt, angustásque tantùm vias defendere moliuntur. Ex parte verò illa, qua difficilior erat ascensus, Pœnísque ad fugiendum aptior, Græci castrum die illa constituunt: in quo residentes, Pœnos ne fugerent obseruabant, quotidiéque oppugnantes non mediocriter trucidabant. Græcis igitur Latinísque quotidie confligantibus, Deo miserante Pœnorum ne vnus quidem su- B perfuit: qui non aut gladio trucidaretur, aut viuus continuò caperetur. Visi sunt autem à religiosis fidelibus in eodem bello sanctissimi Apostoli Petrus & Paulus: quorum precibus Christianos credimus meruisse, quatinus Pœni fugerent, & ipsi victoriam obtinerent.

De Adelberti Tusciæ Marchionis obitu, & filij eius VVidonis præfectura, & matris eius à Berengario captione, & quot suspicati sint Bertham peperisse liberos Adelberto. De rebellione Mediolanensi, & causa eius. De Comite Palatij capto, & Lanthberto non opportunè commendato, quem Berengarius frustra requisiuit.

CAPVT XV.

HOc in tempore ADELBERTVS Tuscorum potens Marchio moritur. Filiúsque eius VVIDO à Berengario Rege Marchio patris loco constituitur. BERTHA autem eius vxor cum VVidone filio, post mariti obitum minoris non facta est quàm vir suus potentiæ. Quæ tum calliditate & muneribus, tum hymenæi exercitio dulcis, nonnullos sibi fideles effecerat. Vnde contigit, vt dum paulo post à Berengario simul cum filio caperetur, & Mantuæ in custodia teneretur, suas ciuitates & castella omnia Regi Berengario minimè reddiderit: sed firmiter tenuerit, eámque postmodum de custodia simul cum filio liberarit. Hæc, vt rumor est, tres ex viro suo genuerat liberos: VVIDONEM, quem prædiximus, at- C que LANTHBERTVM, qui nunc vsque lumine priuatus superest: ERMENGARDAM etiam natam suam, sibi aphroditi dulcedine coæqualem: quam Adelberto Eporegiæ ciuitatis Marchioni Gisila Berengarij Regis filia, Berengarij scilicet Regis huius matre defuncta, hymenæi consortio copulauerat. Quæ ei filium genuerat nomine ANSCARIVM, qui quantæ virtutis quantæque audaciæ fuerit, Liber subsequens declarabit. His temporibus idem Adelbertus gener regius, Eporegiæ ciuitatis Marchio, atque Odelricus Palatij Comes, qui ex Sueuorum sanguine duxerat originem, necnon & Gilebertus prædiues Comes & strenuus, Lanthbertus etiam Mediolanensis Archiepiscopus, nonnullíque alij Principes Italiæ, Berengario rebelles extiterant. Causa autem rebellionis huius hæc fuit. Dum Lanthbertus defuncto antecessore suo Mediolanensis Archiepiscopus ordinari debuisset, non paruam ab eo Rex Berengarius contra sanctorum instituta Patrum accepit pecuniam: quantam cubicularij, quantam hostiarij, quantam pauonarij, ipsi etiam altilium custodes accipere deberent. Lanthbertus igitur Archipræsulatus amore vehementer animatus, quæcúnque Rex posceret quanto cum dolore tribueret, ex hoc intelligere poteris quod subsequens lectio declarabit. Odelricum Palatij Comitem, quem prædiximus, vinctum tunc Berengarius tenebat. Cúmque Lanthbertum Archipræsulem constitueret, Odelricum ei donec quid

HENRICVS, BERENGARIVS, RODVLFVS. de eo ageret deliberaret, commendauit. Is autem pecuniæ multæ, quam pro Episcopatu erogarat, non immemor, hoc cum capto cœpit de eius infidelitate discutere. Paucis denique interpositis diebus, Rex Berengarius nunciis directis Odelricum ad se venire præcepit. Quos ironica hac responsione conuenisse non dubium est: Sacerdotis officio penitus carere debeo, si iugulandum quempiam in manus alicuius tradidero. Intellexerunt itaque nuntij hunc publicè rebellasse, quem à Rege sibi traditum absque eius licentia nouerant dimisisse. Qui regressi protinus ad Regem, Terentianum illud pro responsione dederunt: Huic commendes, si quid rectè curatum velis. A

De Rodulfo Burgundione ad Regnum ab Italis accito, & qualiter Hungari Odelricum Berengarij aduersarium occiderint, & Adelbertum ac Gilebertum ceperit: sed Adelbertus astu quodam pro gregario milite redemptus, elapsus sit.

CAPVT XVI.

QVo tempore RODVLFVS Rex superbissimus Burgundionibus imperabat. Cui in augmentum potentiæ hoc accessit, vt potentissimi Sueuorum Ducis Burchardi filiam nomine BERTHAM sibi coniugio copularet. Igitur Italienses nuntiis directis hunc ad se venire, BERENGARIVM verò expellere petunt. Inter agendum autem contigit Hungaros Veronam his ignorantibus aduenisse, quorum duo Reges Dursac & Bugat amicissimi Berengario fuerant. Adelbertus denique Marchio, atque Odelricus Comes Palatij, Gilebertus etiam Comes, pluresque alij, dum in montem Brixianæ ciuitatis, quæ quinquaginta milliariis à Verona distat, conuenticula ob Berengarij deiectionem haberent: rogauit Berengarius Hungaros, vt si se amarent super inimicos suos irruerent. Hi verò, vt erant necis auidi, bellandi cupidi, à Berengario mox præduce accepto per ignotas vias à tergo hos vsque adueniunt: tantaque illos celeritate confodiunt, vt nec induendi sumendi-ve arma spacium haberent. Captis igitur cæsisque multis, Odelricus Palatij Comes, qui se viriliter defenderat, occiditur. Adelbertus autem Marchio & Gilebertus viui capiuntur. Verùm Adelbertus, vt erat vir non bellicosus, sed sagacitatis miræ, nimiæque calliditatis, dum irruere Hungaros vndique cerneret, essetque illi omnis spes fugiendi ablata, baltheum armillasque aureas, omnemque pretiosum apparatum proiecit: vilibusque se militis induit vestimentis, ne ab Hungaris quis esset dignosceretur. Captus igitur, sciscitatusque quis esset, militis cuiusdam militem se esse respondit. Rogauitque se ad vicinum castellum duci vocabulo Calcinaria, in quo parentes qui eum redimerent se habere asserebat. Ductus igitur, quia non agnitus, vilissimo pretio comparatur. Emit autem illum suus ipsius miles nomine Leo. B

De Gileberto humaniter à Rege Berengario dimisso, sed perfidè ad Rodulfum profecto: quem in Berengarium sic reduxit, vt eum præter Veronam Regno spoliauerit. deque pugna in Berengarium & Rodulfum. C

CAPVT XVII.

GILEBERTVS autem, quia agnitus, ante BERENGARII Regis præsentiam ducitur. Enimuerò dum ante eum sine femoralibus curta indutus hendromade ductus, Regis ad pedes concitus caderet, genitalium ostensione membrorum risu omnes commouit. Rex autem vt erat pietatis amator, misericordiâ, quæ ei nulla debebatur, inclinatus, ei non vt populus optauit, malum pro malo reddidit: verùm confestim lotum, optimisque vestibus indutum, abire permisit. Cui & ait: Iusiurandum à te nullum exigo, fidei tuæ te ipsum committo. Si malè contra me egeris, rationem te scias Deo redditurum. Hunc denique ad propria redeuntem Regis gener Adelbertus, ceterique, qui cum illo rebelles extiterant, accepti immemorem beneficij ad RODVLFVM vt adueniat dirigunt. Profectus itaque eodem Gilebertus, ante XXX. dies in Italiam eum aduentare coëgit. Qui susceptus ab omnibus, nil Berengario ex omni Regno præter Veronam dimisit, totumque tenuit per triennium viriliter Regnum. Cùm duodecim sibimetipsi horis hoc placeat, displiceat hoc, modò diligat illud, mox aspernetur, qui fieri potest,

A vt omnibus semper æquanimiter placeat? Igitur intra triennium iste Rex Rodulfus quibusdam bonus, aliis grauis est visus. Vnde factum est, vt totius Regni media pars populi Rodulfum, media Berengarium vellet. Parant itaque ciuile bellum non modicum. Et quoniam Placentinæ ciuitatis Episcopus VVido Berengarij partibus fauebat, XII. longè à Placentia milliariis iuxta Florentiolam bellum parant. HENRICVS. BERENGARIVS. RODVLFVS.

Tum per quàm horrida pugna oritur, ciuilis, & atra,
Heu! quater ante Calendas Sextilis, tamen ipse
Dum parat horrendos radios emittere Phœbus;
Buccina martis adest, gnato pater ipse perennem
Infert interitum; perimitque patrem genitura.
Proh dolor! acer auus letum parat ecce nepoti
Sternendus per eum, furiis pulsatus ab atris:
Fratrem qui fodit, fratrem fodit eminus alter.
Berengarius ipse ruit medios Rex percitus hostes,
Et properat, fertur ceu cœlo fulgur ab alto,
Dum coquit arentem Cancri graue sidus aristas.
Non aliter dirus miserum Rex ipse Rodulfus
B *Deiicit innocuum stricto mucrone popellum.*

De victoria, quam Rodulfus per Bonifacium cognatum suum obtinuit, & Rodulfi in Italia Regno. Et de Flamberto Veronensi, qui Berengarium occidere tentauerat.

CAPVT XVIII.

DEDERAT Rex RODVLFVS VVALDRADAM sororem suam tam formâ quàm sapientiâ, quæ nunc vsque superest, honestam matronam, coniugem BONIFACIO Comiti potentissimo, qui nostro tempore Camerinorum ac Spoletinorum extitit Marchio. Hic collecta multitudine cum Gariardo Comite Rodulfo Regi in auxilium veniebat: atque vt erat vir tam callidus quàm audax, maluit potiùs in insidiis positus cum suis rei exitum expectare, quàm primum belli impetum sustinere. Iam Rodulfi penè omnes milites fugerant, & Berengarij dato victoriæ signo colligere spolia satagebant: cùm Bonifacius atque Gariardus subitò ex insidiis properantes, hos tantò leuius quantò inopinatius sauciabant. Pepercerat Gariardus nonnullis, hasta eos & non ferro percutiens: Bonifacius nulli parcens, immensam fecerat stragem. Signum itaque victoriæ Bonifacius ceperat, conueniúntque qui ex Rodulfi parte confugerant: persequentésque Berengaricos, fugam illos inire cogebant. Berengarius verò in incognitum à domino Veronæ perrexit asilum. Tanta quippe tunc interfectorum strages facta est, vt militum vsque hodie permagna raritas habeatur. His ita peractis, Regnum sibi Rex Rodulfus potentissimè subiugauit: Papiámque concitè veniens, congregatísque omnibus: Quoniam, inquit, superni muneris largitate mihi contigit deuictis hostibus Regni solium adipisci, nunc cordi est meum vestræ Regnum fidei commendare, Burgundiámque patriam veterem visere. Cui mox Italienses: Si bonum tibi, inquiunt, videtur, præsto sumus. Igitur post Rodulfi Regis abscessum, malo Veronenses accepto consilio vitæ Berengarij insidiari moliuntur. Quod Berengarium non latuit. Auctor autem ac repertor tam sæui facinoris Flambertus quidam erat, quem sibi, quoniam ex sacrosancto fonte filium eius susceperat, compatrem Rex effecerat. Pridie verò quàm pateretur, eundem ad se Flambertum venire præcepit.

C

De prudenti Berengarij Regis ad Flambertum sermone, & poculo aureo quo eum vt placaret donauit.

CAPVT XIX.

CVI & ait: Si mihi tecum hactenus non & multæ & iustæ causæ amoris essent, & quoquomodo quæ dicuntur credi possent, insidiari te vitæ meæ aiunt. sed non ego credulus illis. Meminisse autem te volo, quantæcumque tibi accessiones & fortunæ & dignitatis fuerunt, eas te non potuisse nisi meis beneficiis consequi.

HENRICVS, BERENGARIVS, RODVLFVS. Vnde & hoc animo in nos esse debes, vt dignitas mea in amore atque fidelitate tua conquiescat. Neque verò cuiquam salutem ac fortunas suas tantæ curæ fuisse vnquam puto, quantæ mihi fuit honos tuus. In quo mea omnia studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem omnem fixi. Vnum hoc sic habeto. Si à te mihi seruatam fidem intellexero, non mihi tàm mea salus chara, quàm pietas in referenda gratia iocunda. His expletis, aureum non parui ponderis poculum Rex ei porrexit, atque subiunxit: Amoris salutísque meæ causa quod continetur bibito, quod continet habeto. Verè autem & absque ambiguitate post potum introiuit in illum sathanas. Beneficij quippe præsentis & præteriti immemor, insomnem illam in Regis necem populos instigando pertulit noctem. Rex autem nocte illa, quemadmodum & solitus erat, iuxta Ecclesiam non in domo, quæ defendi potest, sed in tuguriolo quodam manebat amœnissimo. Sed & custodes nocte eadem non posuerat, nihil suspicans mali.

De Berengarij cæde perfidia Flamberti peracta, & sanguine eius adhuc in lapide apparente. Et de Milone milite, qui Berengarij cædem vltus est.

CAPVT XX.

SE primum quatiens strepit
Gallus, cum vigiles facit
Mortales, solito sonat.
Et pulsata Deo canit
Iam tunc ænea machina:
Inuitátque docens benè
Letheum graue spernere,
Laudes huic modo reddere.
Qui vitam tribuit dedit,
Et nobis superam benè
Sanctam quærere patriam.
Hic Rex Ecclesiam petit,
Ac laudes Domino canit.
Flambertus properans volat,
Quo cum multa simul manus,
Vt Regem perimat bonum.
Rex eorum vigil inscius
Audit dum strepitum, nihil
Formidans properat citus,
Hoc quid visere sit. Videt
Armatas militum manus.
Flambertum vocat eminus:
Quid turba est, ait, en bone vir?
Quid nunc, quid populus cupit,
Armatas referens manus?
Respondit, Vereare nil.
Te non vt perimat ruit.
Sed pugnare libens cupit,
Hac cum parte, tuum petit
Mox qua tollere spiritum.
Deceptus properat fide
Rex hac, in medios simul
Tunc captus malè ducitur.
A tergo hunc ferit impius
Rumphea: cadit, heu! pius,
Felicémque suum Deo
Commendat piè spiritum.

Denique quam innocentem sanguinem fuderit, quámque peruersè peruersi egerint, nobis reticentibus, lapis ante cuiusdam Ecclesiæ ianuam positus, sanguinem eius cunctis transeuntibus ostendens, insinuat. Nullo quippe delibutus aspersúsque liquore discedit. Nutrierat sibi Rex Berengarius familiariter lautéque iuuenem, immò Heroëm quendam Milonem nomine, memoriâ satis ac laude dignum. Cuius si Rex fretus consiliis esset, fortunas sibi omnes non tantùm aduersari sentiuisset: nisi quia fortè & hoc diuinæ prouidentiæ consilium fuit, vt aliter fieri non posset. Is sanè nocte eadem, qua Rex Berengarius deceptus est, adhibitis sibi copiis nocturnas ei vigiliarum custodias voluit exhibere. Rex verò promissionibus Flamberti deceptus, Milonem se non solùm custodire non siuit, verùm etiam atque etiam vehementer prohibuit. Milo autem, sicut vir fidelis & rectus, ac beneficij sibi à Rege collati non immemor, quem defendere, quia defuit, non potuit, citò acriter vindicare curauit. Tertia quippe post Regis necem die, Flambertum, eíque in tam nefario scelere conniuentes, vi captos suspendio vitam finire præcepit. Fuerunt sanè in hoc viro nonnullæ perfectæque virtutes, quæ Deo propitio suis in locis vita comite silentio non tegentur.

LIBER

A

Henricvs I
Rodvlfvs I

LIBER TERTIVS.

QVI ANTIDOSIS INSCRIBITVR.

OPERIS huius titulum, Pater sanctifice, satis te mirari non ambigo. Ais fortè: Cùm virorum illustrium actus exhibeantur, cur Antidosis ei inseritur titulus? Ad quod respondeo: Intentio huius Operis ad hoc respicit, vt BERENGARII huius, qui nunc in Italia non regnat, sed tyrannizat, atque vxoris eius VVILLÆ, quæ ob immensitatem tyrannidis secunda Iezabel, & ob rapinarum insatietatem lamia proprio appellatur vocabulo, actus designet, ostendat, & clamitet. Tanta enim mendaciorum iacula, tanta rapinarum dispendia, tanta impietatis molimina in me & domum meam, cognationem & familiam, gratis exercuere: quanta nec lingua proferre, nec calamus præualet scribere. Sit igitur eis præsens pagina Antidosis, hoc est retributio: dum pro calamitatibus meis τὴν ἀσέβειαν eorum, id est, impietatem, præsentibus futurísque mortalibus denudauero. Nec minus etiam sanctissimis & fortunatis viris pro collatis in me beneficiis Antidosis erit. Ex memoratis B sanè, aut memorandis, nullus inuenitur aut rarus, hoc vno Berengario scilicet impio excepto, quorum non beneficiis genitores aut genitus vehementer gratulemur. Denique quòd in captiuitate seu peregrinatione Libellus hic conscriptus dicatur, præsens indicat exulatus. Cœptus quippe in Franconouord, qui est xx. milliariis locus à Moguntia distans, in Paxu insula nongentis & eò amplius à Constantinopoli milliariis vsque hodie exaratur. Sed redeamus ad rem.

Quomodo defuncto Berengario, & Rodulfo ab Italia discedente, Hungari Italiam dilaniauerint: & de Papia conflagratione, quæ metro describitur, & quomodo Deo miserante capta & deleta non sit.

CAPVT I.

REGE Berengario defuncto, atque Rodulfo absente, Hungarorum rabies Salardo duce totam per Italiam dilatatur: adeò vt muros Papiensis ciuitatis vallo circumdaret, ac defixis per gyrum tentoriis exeundi aditum ciuibus prohiberet. Qui cùm his viribus resistere non possent, peccatis promerentibus, nec munere mulcent.

Clarus ab infuso discedens sidere Phœbus,
Zodiaci primum solitò conscendere sidus
C *Incipit, & gelidas dissoluere colle pruinas:*
Aeolus atque suos binos bis mittere flatus,
Hungarium furibunda manus cum gaudet in vrbem
Flatibus Aeoliis adiuta infundere flammas,
Spiritibus validis paruus diffunditur ignis.
Nec iuuat Hungarios Solis hos vrere flammis;
Vndique conueniunt, mortémque inferre minantur,
Confodiunt telis, callidus quos terruit ignis.
Vritur infelix olim formosa Papia,
VVulcanúsque suos attollens flatibus artus,
Templa Dei patriámque simul conscendit in omnem.
Extingunt matres pueri, innuptaque puellæ.
Sancta cateruatim moritur cathecumina plebs. Tunc
Præsul in vrbe sua hac moritur, sanctúsque Sacerdos,
Nomine qui proprio bonus est dictúsque Ioannes.
Quod fuerat longo thecis in tempore clausum,
En iacet, hoc aliena manus ne tangeret aurum,
Atque per immensas dissoluitur igne cloacas.
Vritur infelix olim formosa Papia.

HENRICVS, RODVLFVS. *Cerneret argenti riuos paterásque micantes,*
Corpora maiorum passim combusta virorum.
Iaspidis hic precium viridis rutilíque topazi
Spernitur, & saphyrus, ortyx, pulchérque berillus.
Institor, heu! faciem nullus deflectit ad aurum.
Vritur infelix olim formosa Papia.
Lucidus immensas seruat nec fonte carinas
Ticinus, sentina simul diffunditur igne.

924. Vsta est infelix olim formosa Papia anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXIV. IV. Idus Martij, Indictione XII. feria VI. hora III. Quorum memoriam qui ibidem combusti sunt, vos & quicumque legeritis faciatis vehementer exoro. Verùm piissimi omnipotentísque Dei ira, cuius Propheta misericordiam & iudicium concinit, cuiúsque misericordia plena est terra, vsque ad consummationem non desæuit. Nam etsi peccatis promerentibus est exusta, non tamen inimicorum manibus tradita. Impletúrque quod Rex & Propheta canit: *Numquid in æternum proiiciet Deus, aut non apponet vbi complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet à generatione in generationem? Aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* Itémque & alius Propheta dicit: *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Reliquiæ igitur, quæ supererant, Hungaris non inuiriliter resistebant: adeò vt lætabundi canerent cum Propheta: *Hæc est mutatio dexteræ Excelsi.*

Quòd Papia beati Syri eiusdem patroni meritis sit liberata, & quòd idem beatus Syrus Papiam veniens in spiritu prophetico eius affluentiam & Aquileiæ casum denuntiarit. Et cur Ermengarda post Adelberti mariti sui obitum tam potens extiterit.

CAPVT II.

ACCESSIT ad hoc magnúmque iuuamen præbuit, sanctissimi Patris nostri doctorísque egregij beati Syri, cuius in præfata vrbe requiescunt exuuiæ, intercessio gloriosa. Ac ne eius vaticinium falleretur, prædicta vrbs Papia vt caderet est impulsa. Verùm misericorditer à Domino est liberata. Missus siquidem prædicationis gratia à beato Ermagora Euangelistæ Marci discipulo Papiam beatissimus Pater, huiusmodi eam prophetiæ spiritus præsagio honorauit: » Delectare » gaudiis, vrbs Papia, quia veniet tibi ab æternis montibus exultatio. Non voca» beris minima, sed copiosa in ciuitatibus. Et vt hoc eius vaticinium firmiùs crederetur, Aquileiæ non ignotæ ciuitatis casum hac eadem hora sermone huius» modi nuntiauit: Væ tibi Aquileia, quia cùm impiorum incesseris manus de» strueris, nec vltra reædificata consurges. Quod ita esse completum, visibus patens ratio manifestat. Aquileia namque prædiues, atque olim ciuitas immensa, ab impiissimo Hunorum Rege Attila capitur, atque funditus dissipatur: nec vlteriùs, vt in præsentiarum cernitur, eleuatur. Papia verò, vt vir sanctissimus dixerat, copiosa & appellatur & cernitur. Non solùm quippe vicinas, sed & longè positas præcellit opibus ciuitates. Quid alias memorem, cùm ipsa insignis & toto orbe notissima Roma hac inferior esset: si preciosa beatissimorum Apostolorum corpora non haberet? Patet igitur, quòd hanc intercessio beatissimi patroni nostri Syri eripuit, qui eam tam veridico ac precioso præsagio honorauit. Exusta denique Papia, factáque per Italiam non modica præda, Hungari ad propria reuertuntur. Hoc eodem tempore defuncto Adelberto Eporegiæ ciuitatis Marchione, vxor eius ERMENGARDA Adelberti præpotentis Tusciæ Marchionis & Berthæ filia, totius Italiæ Principatum obtinebat. Causa autem potentiæ eius hæc erat, quoniam quod dictu etiam fœdissimum est, carnale cum omnibus non solùm Principibus, verùm etiam cum ignobilibus commercium exercebat.

A *Quòd Regi Rodulfo à Burgundia regresso Ermengarda paulò post rebellis extiterit, ita vt cum Italiensibus Papiam tenuerit, & quomodo Rodulfus illuc tetenderit. Et quomodo astu Ermengardæ Rodulfus suos deserens ad eam noctu vt transfuga venerit: & quomodo manè à suis quæsitus sit. & re cognita Mediolanum milites eius fugerunt. Item quomodo Italienses ad Hugonem accesserunt.*

CAPVT III.

PER idem tempus Rex RODVLFVS è Burgundia rediens in Italiam venit, defunctóque Berengario Regnum potenter obtinuit. Post autem aliquot dies Italienses omnes cœperunt inter se dissidere. Zelo quippe non modico propter Ermengardæ pulchritudinem iuxta carnis huius putredinem trahebatur, eo quòd ea stuprum aliis præbebat, aliis denegabat. Vnde factum est, vt prædiues Mediolanensis Episcopus, nonnullique alij Regis Rodulfi partibus fauerent. Cum Ermengarda verò tot simul rebelles aderant, quòd ipsam etiam Regni caput Papiam non inuiriliter defenderent. Factum est autem vt Rex Rodulfus collectis copiis Papiam tenderet, castrametatus quinto milliario ab vrbe, eo in loco quo Ticinus simul & magnus ille Padus conueniunt: in cuius laudibus Maro sic canit: *Fluuiorum Rex Eridanus.* Idem, *Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum.* Ermen-
B garda, vt non incallida, Rodulfo Regi huiusmodi noctu per memorati alueum fluuij mandata transmisit: Si te perdere vellem, iam longo tempore extinctus esses. Tui quippe omnes te deserere méque ardenter adire, si meum modo adsit velle, contendunt. In his enim es locis, in quibus captus vinctúsque esses, si eorum iamdudum consiliis paruissem. Talibus Rex Legationibus non solùm credulus, verumetiam territus, nuntiis remissis se acturum quicquid ea consuleret remandauit. Nec mora, sequenti nocte Rodulfus clam custodibus, dimissis omnibus, dimisso tentorio, lecto etiam benè composito, lintrem ingressus suos deseruit, atque ad Ermengardam quantociùs properauit. Igitur mane facto, magno silentio Regis milites tentorium circuibant. Venientibus verò Principibus, non parua inter eos admiratio erat, cur præter solitum Rex hora huiusmodi dormitaret. Cúmque strepitu vt spadones quondam Holofernem euigilare niterentur, nullum quemadmodum ipse dabat responsum. Introeuntibus autem tentorium, nihílque reperientibus, raptum hunc alij, interfectum alij clamitabant. Nemo tamen quòd transfuga fieret animaduertere poterat. Verùm dum hac admiratione fluctuarent, nuntius venit qui diceret Rodulfum Regem super eos cum aduersariis eorum velle irruere. Qui mox animo consternati, tam celeri fuga cœperunt discedere, vt non hos currere, sed si videres diceres transuolare. Cúmque Mediolanum, tutum scilicet ad locum, peruenissent: consensu omnium Lanthbertus
C Archiepiscopus HVGONI potentissimo & sapientissimo Prouincialium Comiti mandat, Regnum vt Rodulfo auferat, sibique potenter obtineat. Erat enim longo ex tempore multis argumentis & ipse periclitans, si fortè Regnum posset obtinere Italicum. Hic enim Berengarius iam nominati Regis tempore cum multis in Italiam venerat. Sed quia regnandi tempus nondum ei aduenerat, à Berengario territus est atque fugatus.

Quomodo Rodulfus in Burgundiam reuersus Burchardum socerum suum ad auxilium adduxerit. Et qua ratione idem Burchardus sit Mediolanum profectus, & ibidem honorificè susceptus, & de eius morte tractatum. Qui Mediolano rediens, Nouariam venit, vbi & ab Italiensibus cum omnibus suis occisus est. & Rodulfus Burgundiam repetiit. Hugo verò Comes Prouinciæ Pisas appulsus est, vnde Papiam venit, & Rex Langobardorum fit. VVido autem Berthæ filius Tusciæ præficitur.

CAPVT IV.

RODVLFVS denique cùm infidelitate suorum prænominatos aduersarios superare non posset, in Burgundiam profectus Burchardo Sueuorum Duci, cuius sibi filiam coniugio copulauerat, denunciat, vt sibi in auxilium veniat. Qui collectis copiis, cum RODVLFO confestim conuenit in Italiam. Cúmque per-

HENRICVS, HVGO. uenissent Eporegiam, Rodulfum Burchardus ita conuenit: Ipse ego vt Legationis obtentu Mediolanum proficiscar, non absurdum videtur. Hac occasione vrbem explorare, atque eorum potero cognoscere voluntatem. Profectus itaque cùm iam Mediolanum peruenisset, priusquam vrbem ingrederetur, ad beati preciosique Martyris Laurentij Ecclesiam orationis gratiâ declinauit: sed, vt aiunt, non tantùm petitionis gratiâ, quantum alterius rei causâ. Dicunt enim, quia prope ciuitatem est Ecclesia miro atque precioso opere fabricata, eum ibidem munitionem construere velle, qua non solùm Mediolanenses, sed & plures Italiæ Principes coërcere decreuisset. Inde verò exiens, cùm iuxta murum ciuitatis equitaret, lingua propria, hoc est Teutonica, suos ita conuenit: Si Italienses omnes vno vti tantummodo calcari, informésque non fecero equas caballicare, non sum Burchardus. Fortitudinem siquidem muri huius, seu altitudinem, qua se muniri confidunt, nihili pendo. Iactu quippe lanceæ meæ aduersarios de muro mortuos præcipitabo. Hoc autem eò dicebat, quoniam neminem aduersariorum suæ ibi linguæ gnarum esse putabat. Verùm suo omine non bono quidam istic aderat, quanquam pannosus & despectus, eius tamen loquelæ scius, qui omnium horum Lanthberto Archipræsuli celer factus est nuntius. Qui, vt erat ingenio pollens, Burchardum non despexit, sed eum alio animo suscipiens mirabiliter honorauit. Sed & inter cetera, quasi hoc esset priuilegium amoris, concessit ceruum, quem is suo in brolio venaretur. quod nulli vnquam nisi charissimis magnisque concessit amicis. Lanthbertus interea Papienses omnes, nonnullósque Italiæ Principes ad Burchardi necem inuitat: cúmque tam diu non tenuit, donec congregatos esse omnes speraret, qui eum occidere deberent. Factum est igitur vt Burchardo Mediolano discedente, Nouariam die perueniret eadem. Cúmque istic nocte transacta diluculò surgeret, Eporegiam tendens ciuitatem, Italicæ super eum irruentes subitò apparuere phalanges. Quas contra non vt vir bellicosus properat, verùm mox fugam incœptat. Et quoniam secundum beati Iob sententiam terminus eius constitutus præteriri non poterat, & fallax equus ad salutem: in fossam, quæ muros circuit ciuitatis, equus decidens eum proiecit: vbi & ab irruentibus Ausoniis confossus lanceis, vitam morte commutauit. Sui denique hoc videntes, quoniam aliò non poterant, intra Ecclesiam sanctissimi Confessoris Gaudentij confugiunt. Ausonij itaque, vt ex Burchardi minis non mediocriter inflammati atque indignati, Ecclesiæ fores frangunt, omnésque in ea repertos sub ipso etiam altari confodiunt. Quod Rodulfus vt audiuit, Italiam dereliquit, & Burgundiam percitus venit. Hæc itaque dum aguntur, Hugo Arelatensium seu Prouincialium Comes nauim conscenderat, & per Tirrhenum mare in Italiam festinabat. Deus itaque, qui hunc in Italia regnare cupiebat, prosperis eum flatibus breui Alpheam, hoc est Pisam, quæ est Tusciæ prouinciæ caput, duxerat: de qua sic Maro, *Alpheæ ab origine Pisæ*. Cúmque eodem peruenisset, affuit Romani Papæ, Ioannis scilicet Rauennatis, nuntius. Affuerunt etiam penè omnes Italienses nuntij, qui hunc vt super eos regnaret inuitabant. Is autem, vt erat longo ex tempore hæc cupiens, percitus venit Papiam, cunctísque conniuentibus Regnum suscepit. Post paululum Mantuam abiit, vbi & Ioannes Papa ei occurrens, fœdus cum eo percussit. Quo tempore Bertha matre Hugonis Regis mortua, VVIDO filius eius, quem ex Adelberto genuerat, sicut prædiximus, Tusciæ Marchiam tenebat, qui Maroziam scortum Romanum sibi vxorem acceperat.

De plurimis Regis Hugonis virtutibus luxuriâ fœdatis. De duobus filiis eius. De amicitia eius cum Henrico Imperatore. De patre Liuthprandi huius operis Auctoris ad Imperatorem Græcum ab Hugone misso. De duobus canibus Imperatori missis, qui eum dilaniare parabant. Et de patre, cur tam magnificè sit ab Imperatore susceptus.

CAPVT V.

FVIT autem Rex HVGO non minoris scientiæ quàm audaciæ, nec inferioris fortitudinis quàm calliditatis, Dei etiam cultor, sanctæque religionis amatorum amator: in pauperum necessitatibus curiosus, erga Ecclesias sollicitus. Re-

A ligiosos Philosophósque viros non solùm amabat, verùm etiam fortiter honorabat. Qui etsi tot virtutibus clarebat, mulierum tamen illecebris eas fœdabat. Hic ex Francorum genere, ex genere Teutonicorum vxorem acceperat nomine ALDAM, quæ filium ei genuerat nomine LOTHARIVM. Habuerat sanè tunc temporis ex quadam muliere nobilissima vocabulo VVandelmoda filium nomine HVBERTVM, qui nunc vsque superest, & Tusciæ prouinciæ potens Princeps habetur. Cuius acta Domino propitio suis in locis exponentur. Hugone igitur Rege constituto, sicut vir prudentissimus, quocumque terrarum cœpit nuntios suos dirigere, multorúmque Regum ac Principum amicitiam quærere, HENRICI præsertim famosissimi Regis, qui, vt suprà memorauimus, Baioariis, Sueuis, Lotharingis, Francis, atque Saxonibus imperabat. Hic etiam Sclauorum gentem innumeram subiugauit, sibíque tributariam fecit. Primus etiam hic Danos subiugauit, sibíque seruire coëgit: ac per hoc nomen suum multis nationibus celebre fecit. Rex igitur Hugo cùm Reges ac Principes amicos circumcirca acquireret, studuit nomen suum etiam Achiuis longè à nobis positis notum facere. Imperabat verò his tunc temporis memoriâ satis & laude dignus Romanus Imperator liberalis, humanus, prudens ac pius. Cui tum propter morum probitatem, tum propter linguæ vrbanitatem, genitorem meum direxit nuntium. Qui cùm eodem peruenisset, inter cetera quæ Imperatori Romano Rex Hugo miserat munera, duxit duos canes, quales in eadem patria non sunt alicui visi. Qui cùm ante eius præsentiam adducti fuissent, nisi multorum brachiis constricti fuissent, eum protinus morsibus laniassent. Puto enim quòd dum hunc Græcorum more theristro opertum, habitúque insolito viderunt indutum, non hominem, sed monstrum aliquod putauerint. Denique magno cum honore ab eodem susceptus est Imperatore. Nec tam pro rei nouitate, aut munerum magnitudine, quantùm quoniam dum præfatus genitor Thessalonicam venisset, Sclauorum quidam, qui rebelles Imperatori Romano extiterant, terrámque eius depopulabantur, super eum irruerunt. Verùm Dei actum est pietate, vt eorum Principes viui nonnullis mortuis caperentur. Quos dum præsentaret Imperatori, immensa affectus est lætitia, magnóque ab eo genitor munere donatus, ad Hugonem Regem, qui se illuc transmiserat, rediit lætus. Post reditum verò eius paucis interpositis solibus, languore correptus Monasterium petiit, sanctæque conuersationis habitum sumpsit: in quo post dies quindecim mortuus, me paruulo derelicto, migrauit ad Dominum. Nunc autem, quoniam Imperatoris Romani mentio facta est, quis fuerit, qualitérve ad Imperij culmen peruenerit, hîc non absurdum mihi videtur referre.

De leone ferocissimo, quem Romanus, qui postea imperauit, fortissimè peremit: & de socij eius pauore.

CAPVT VI.

IMPERANTE quoque Leone Constantini huius genitore, Romanus iste Imperator, quanquam πτωχὸς, id est pauper, ab omnibus tamen χρήσιμος, id est, vtilis habebatur. Erat autem ex mediocribus ipsis, qui nauali pugna stipendia ab Imperatore acceperant. Qui cùm sæpiùs & iterum εἰς τὴν μάχην, id est, in pugna, nonnulla χρήματα, id est vtilia, faceret, à sibi præposito adeò honoratus est, vt primus nauium fieri mereretur. Quadam autem nocte, dum Sarracenos exploratum abiret, essétque in eodem loco palus atque arundinetum non modicum: contigit leonem ferocissimum ex arundineto prosilire, ceruorúmque multitudinem in paludem demergere, vnúmque eorum capere, sícque rabiem ventris mitigare. Ῥωμανὸς δὲ τῶν αὐτῶν, id est Romanus autem eorumdem sonitum audiens, timuit valde. Putauit enim multitudinem Sarracenorum esse, qui conspectum se fraude aliqua vellent perimere. Mane autem primo exurgens, cùm diligentissimè omnia considerarer, conspectis vestigiis εὐθέως, id est, confestim quid hoc esset agnouit. Leone itaque in arundineto commorante, Romanus Græcum ignem, qui nullo præter aceti liquore extinguitur, vndique per arundinetum præcepit iactari. Erat autem in arundineto aceruus arundinibus plenus, in quem leo confugiens illo ab igne est saluatus. Ventus quippe contraria ex parte flans, ignem, ne ad

HENRICVS, HVGO. acceruum vsque perueniret, amouit. Romanus præterea post ignis extinctionem A vno tantum cum assecla ensem solum dextera, sinistra autem pallium gestans, locum omnem peragrans lustrat, si fortè os ex eo vel signum aliquod reperiret. Iam verò cùm in eo esset, vt nihil inueniens repedaret, quid hoc monstri esset, quòd aceruus ille sit ab igne saluatus, studuit visere. Cúmque duo prope assisterent, secúmque rebus ex nonnullis fabularentur: leo hos tantùm audiuit, quoniam quidem ob caligantes oculos τὸ διὰ τῷ καπνῷ, id est, ob fumum, videre non potuit. Volens igitur leo animi sui feritatem, quam ab igne conceperet, in hos euomere: saltu rapidissimo, quà illorum voces audierat, inter eos prosilit. Romanus verò non vt suus assecla pauitans, sed ea potiùs mente consistens, vt etsi fractus caderet orbis impauidum ruinæ ferirent, pallium quod manu gestabat inter brachia misit. Quod dum pro homine leo discerperet, Romanus hunc à tergo totis viribus inter clunium iuncturas ense percussit. Qui dissociatis diuisísque cruribus, quia stare non poterat, penitus cecidit. Leone igitur interfecto, Romanus seminecem asseclam suum solo stratum eminus vidit: quem & vocare voce præcipua cœpit. Sed cùm nullum daret omninò responsum, idem Romanus propter eum astitit: » pedéque pulsans: Surge, inquit, miser. Qui consurgens, præ admiratione dum leonis immanitatem conspiceret, non habuit vltra spiritum. Stupebant autem omnes, de isto Romano hæc audientes. Vnde factum est, vt tam pro ceteris quàm pro præclaro hoc præsenti facinore, non multò pòst à Leone Imperatore B tanto donaretur honore, vt omnes naues ipsius essent in manibus, eiúsque iussionibus obedirent.

De iis qui Leoni Imperatori successerunt, & Constantini morte, ac Romani per strategema & astum ad Imperium euectione.

CAPVT VII.

LEo denique Græcorum piissimus Imperator, cuius suprà fecimus mentionem, corporis humani debitum soluens, viámque carnis vniuersæ ingrediens, Regni sui heredem Alexandrum fratrem germanum, vnicúmque filium Constantinum, qui nunc vsque superest, & feliciter regnat, paruulum, & vt Græci aiunt ἄλαλον, id est, mutum & infantem, dereliquit. Quibus ad tuendum Palatium tutandámque rem priuatam, vt istic moris est, eunuchum officio Parachimmenon dedit. Focam verò Domesticum Maiorem, hoc est terrestris ducem exercitus, fecit. Romanum autem non claro natalium ortu, sed corporis magnimitate nobilem, naualis exercitus principem ordinauit. Alexander post modicum defunctus soli Constantino paruulo Imperium dereliquit. Denique tempore, quo magnus Imperator Leo migrauit ad Christum, Focas præfatus Domesticus, terrestris dux exercitus, contra Simeonem Bulgarorum Regem copias duxerat: eíque Constantinopolim venire cupienti non inuiriliter repugnabat. Romanus verò, vt C non incallidus, audito Imperatorum, hoc est Leonis atque Alexandri, interitu, haud longè ab vrbe collecto classium exercitu fugit, atque in insulam paruam iuxta Constantinopolim, ita vt è Palatio videri penè posset, ratibus collectis aduenit. Ad Palatium autem minimè transfretauit, laudésque iuxta consuetudinem Porphyrogenito minimè decantauit. Quæ res eunucho Parachimmeno, cunctísque Constantinopoleos Principibus, stuporem, timorémque non paruum attulit. Internuntiis itaque, quid hoc monstri sit, quòd Regem non adierit, laudésque debitas non soluerit, sciscitantur. His à Romano respondetur, quòd propriæ vitæ timens Palatium declinarit: & adiecit quòd si Parachimmenos ceteris cum Principibus se non adiret, vitámque iureiurando promitteret, mox se ad Cretensium Sarracenorum Regem conferret, Regnúmque Argiuorum sui auxilij fortitudine debellaret. Quod quàm callidè dixerit, exitus declarabit. Igitur quo præfati sumus Principes terrore compulsi, ignorantésque quòd lateret anguis in herba, omnes hunc fiducialiter adeunt: quod mandauerat gratanter cupientes implere. Quos omnes non malo consilio accepto proiectos in sentinam ligat, sícque securus ad vrbem magno cum comitatu festinat, hísque quos suspectos habuerat Palatium purgat: suæ parti parentes ibi collocat, Rectorem, Magistros, Patricios, Logotheum, Eparchon, Κοιτωνίτας, Cubicularios, Protospatharios, Spataro-candi-

A datos, παραθαλασσίους facit. Ceteros vt diximus abdicat. Qui etiam vt cœptum opus firmiùs patraret, cum Porphyrogeniti matre Zoizone nomine venerea est dulcedine iunctus. Tota mox ciuitas coronatur, & Romanus Pater Basileos appellatur. HENRICVS, HVGO.

De Phoca altero ex Principibus Aulæ, qui audito quòd Romanus esset ad Imperium euectus, victoriam Bulgaris sponte concessit, cum multa suorum strage fugiens. Qua etiam ab Romano captus oculis priuatur. De Simeone Bulgarorum Rege exmonacho, cuius filius Baianus magica arte homines in lupos vertit. Item de Helene seu Irena, quæ Constantino Imperatori nupsit.

CAPVT VIII.

CVM Bulgaris præterea pugnanti Focæ Domestico, qui & ipse Pater Basileos ardenter fieri cupiebat, in ipso bello iam de hostibus triumphum tenenti, quid à Romano actum sit nuntiatur. Qui mox animo consternatus, nimio dolore compulsus, victoriæ signum quo hostes insequebatur proiecit, terga vertit, fugam suos inire fecit. Reparant itaque Bulgari Simeonis hortatu animos, & quos priùs aduerso marte fugarant, prospero postmodum insequuntur: tantáque tunc Argiuorum strages efficitur, vt longo pòst tempore campus plenus ossibus videretur. Ommi denique cum festinatione iam nominatus Phocas Domesticus Constan-
B tinopolim redit, Palatium ingredi cupit, & arte fieri Pater Basileos satagit. Sed quia consilij vis expers mole ruit sua, & vt Flaccus dicit: *Dij rem temperatam prouehunt in maius*, à Romano Domesticus iste capitur, atque vtroque lumine priuatur. Bulgaris non minima vis augetur, iisque Græcos depopulandi vicissitudo dupla rependitur. Tunc etenim Simeonem ἡμίαργον, id est, semigræcum esse aiebant, eò quòd à pueritia Bizantij Demosthenis Rhetoricam, Aristotelisque Syllogismos didicerit. Post hæc autem relictis artium studiis, vt aiunt, conuersationis sanctæ habitum sumpsit. Verùm paulopost regnandi cupiditate deceptus, ex placida Monasterij quiete ad seculi procellam transiit, elegitque potiùs apostatam Iulianum quàm beatissimum Petrum cœlestis regni clauigerum imitari. Qui duos filios habuit, vnum nomine Baianum, alterum, qui nunc vsque superest, potentérque Bulgaris principatur, nomine Petrum. Baianus autem adeò fertur didicisse magicam, vt ex homine fieri lupum, & quamcumque vellet aliam cerneres feram. Romanus præterea eodem quo Pater Basileos constitutus est anno, filiam suam Helenam Imperatori paruulo suo domino Constantino Porphyrogenito coniugem dedit. Porphyrogenitum autem non in purpura, sed in domo, quam Porphyram superiùs diximus nominatam, appello: vt videre est Libro primo, pluribus Capitibus. De æde autem sacra, quam ædificauit, hoc addi potest, quòd ipsam νέαν, hoc est nouam, alij vocant: alij verò ἐννέαν, quod lingua nostra nouenalem sonat, appellant, eò quòd ibidem horarum Ecclesiasticarum machina
C nouem pulsata ictibus seu vocibus sonet.

De oratione Romani ad Principes postquàm Imperator constitutus est. De humilitate prosapia Romani, qui Christophorum filium suum iniquè Constantino Imperatoris filio in Imperij aditione prætulit. quam iniuriam Deus morte Christophori vltus est. De Constantini Porphyrogeniti religione, & exercitatione: paceque cum Bulgaris per Irenam facta.

CAPVT IX.

SECVNDO itaque, quo Pater Basileos constitutus est, anno, Romanus conuocatos ad se Principes ita conuenit: Romanæ dignitatis ἄρχοντες, id est Principes, quoniam vobis consultis non solùm inquam Pater Basileos sum constitutus, verùm etiam sanctissimi Imperatoris fidelitati γλαυκώπιδος Helenæ, id est virides oculos habentis, coniunctione sociatus: hîc aliquo Imperialis ornatus indicio monstrari dignum in corpore reor, quòd celebratur à populis ex nomine dignitatis. Iudicatum denique à populo, communique decretum est consilio, vt quia tantæ erat dignitatis, & λευκόλενον filiam suam Helenam Imperator ei copularat: rubricatarum pellium caligis, vt istic Imperatorum moris est, vteretur. Sed nec hoc quidem satis ei visum fuit. Siquidem post vnius anni synaxin cùm amplioris

DDd iiij

HENRICVS. HVGO. iam potentiæ esset, talibus aggreditur eosdem Principes sermonibus: Quoniam A communi vestro iudicio definitum est, Imperialibus me vti caligis, πανένδοξοι ἥρωες, id est nobilissimi Heroes, vestræ auctoritatis beniuolentia quæ contulistis mihimet videntur pretiosa. Diligentiùs verò consideranti risum mouere videntur. Illi enim facilè ad risum turbas illiciunt, qui variis sese depingunt coloribus. Denique risum non solùm aliis, sed & mihi ipsi mouent, dum pedibus Imperatorem, capite communem videor imitari plebem. Nam quæ comœdia, mimus quis melior? Igitur aut coronam præbete, aut caligas, quibus ridiculus populo videar, auferte. Hoc planè dicto, magis autem qua cunctis præerat potestatis auctoritate, omnium iudicio coronam recepit, & caligarum decorem minimè perdidit. Huius miretur prudentiam nemo, sed laudes referat Deo cordis ex intimo, qui erigit elisos, soluit compeditos: cuius in manu calix vini meri, plenus mixto, inclinans ex hoc in hoc. Is autem humili fuerat prosapia, ex Armeniorum scilicet gente oriundus. Neque solùm mente conceperat futurum, se Regis in Aula esse, nedum Imperialia sceptra tenere. Sed quod prophetissa Anna dicit: *Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat, suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem: vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ*, &c. Regi itaque immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria per cuncta seculorum secula, Amen. Denique Romano Imperatore constituto, Christophorum, quem ante Imperij dignitatem habuerat, Imperatorem constituit. Post B Imperij verò sui ordinationem, vxor eius filium ei peperit nomine Stephanum. Rursus concepto fœtu, alium ei peperit nomine Constantinum. Quos omnes Imperatores constituens, contra ius fásque, & secum Christophorum primogenitum Domino suo Imperatori Constantino Porphyrogenito præposuit: adeò planè vt procedentes ad publicum, ad sanctam Sophiam scilicet, vel ad Vlachernas, seu ad sanctos Apostolos, Romanus cum Christophoro primogenito præcederent, Constantinus Porphyrogenitus & duo ceteri sequerentur. Quod quàm indignè iustus Iudex pertulerit, vltio subsequens declarauit. Nam post modicum Christophorus defunctus est. Constantinus itaque Porphyrogenitus tum orationi, tum lectionibus vacans, totum se Domino commendabat, opere manuum victum quæritans. Sanè τὴν ζωγραφίαν, id est picturam perpulchrè exercebat. Eodem tempore Simeon cum Bulgaris Argos cœpit vehementer affligere. Quem Romanus, filij sui Christophori filia filio illius Petro, qui nunc vsque superest, vxore data, ab incœpto furore compescuit, sibique fœdere placido sociauit. Vnde & puella mutato nomine Εἰρήνη, id est, Pax est vocata, eò quòd per eam inter Bulgaros & Græcos pax sit firmissima constituta.

De VValberto & Gezone Papiensibus, qui seditionem contra Hugonem Regem concitauerunt: & de Hugonis concione.

CAPVT. X. C

HIs temporibus VValbertus, & Gezo prænomine Euerardus, Papiæ præpotentes Iudices erant. Causa autem potentiæ VValberti hæc erat, quoniam Cumis ditissimo in loco filium suum Petrum Episcopum fecit: Razam verò natam suam Gileberto Comiti Palatij coniugio sociauerat. Ea tamen tempestate vterque defunctus erat. Ticinensis itaque, qui & Papiensis, populus omnis ad hunc conuenerat, causásque omnes & controuersias ante eum decidebat. Participatione denique huius potentiæ memoratus Gezo prænomine Euerardus, quoniam affinitate quadam ei iungebatur, præpotens habebatur. qui nobilitatem suam prauis moribus deturpabat. Fuit enim ambitiosus nimis, cupidus, inuidus, seditiosus, iuris corruptor, præceptorum Dei immemor. Quod Deus non passus est abire inultum. Et ne diutiùs protraham sermonem, Catilinæ omninò similis: qui sicut Consulem & Reipublicæ defensorem Marcum Tullium Ciceronem conabatur occidere, ita & hic Regem HVGONEM morti molitus est tradere. Quadam enim die, dum nihil mali suspicans Rex Hugo Papiæ cum paucis degeret, hic seditione facta voluit super eum irruere. Sed VValberto, qui non tam ferocis animi erat, remorante tardatus est. Nec minus etiam eos Rex Hugo suis rhetoricis ac melle dulcioribus eloquiis ab incœpto furore compescuit. Dum

A enim seditionem super se exortam, atque in domum VValberti congregatam esse cognosceret, huiusmodi omnes per internuntios sermone conuenit: Quid est, viri fortes, quòd tam subitò tanquam insperatè contra Dominum, immò & Regem vestrum, commoti estis? Si quippiam quod displiceat actum est, consolidetur. Neque enim sera emendatio reprehendi potest, præsertim si nulla negligentia prætermissa est. His auditis, cuncti animi furorem mitigarunt. Solus Gezo, in qua prius fuerat proteruia manens, operam dabat vt omnes super Regem irruerent, eúmque turpissima morte trucidarent. Verùm disponente Deo, affectus eius prauus effectum habere non potuit. Reuersi igitur ad Regem nuntij, prout viderant & audierant enarrauerunt. HENRICVS. HVGO.

De VValberti & Gezonis captorum suppliciis, prudentia, Hugonis, & virtute Samsonis, & fabula Tiresiæ, cur cæci vitales sint. Et de Hilduini & Rathery Episcoporum ambitione.

CAPVT XI.

VERVM Rex Hugo hæc omnia quasi pro nihilo mente subdola ducens, Papiâ egressus longè aliò properare festinat: missisque circum circa Litteris, milites suos ad se venire præcepit. Quos inter Samson præpotens Comes aduenerat, qui iam dicto Gezoni inimicissimus erat. B Is denique vt Regem vidit, ita eum conuenit: Sollicitum te equidem de vrbanis rebus contra te tumultuosè & molestè his diebus actis intueor. Verùm si me audis, mihíque obtemperas, suis ipsi capientur laqueis. Alteri enim qui melius consilium dare possit quàm ego, non facilè potest inueniri. Tibi verò ipsi nemo certè melius dabit. Vnum tamen peto, vt dum capti fuerint mea opera, Gezo cum omni sua hypostasi (id est substantia) meis tradatur in manibus. Quem dum dari sibi à Rege audiuit, adiecit. Leo Ticinensis Episcopus ciuitatis VValberto & Gezoni non habetur amicus. Hi sanè quibuscumque possunt ei modis aduersantur. Scitis denique moris esse, Regi ab aliis locis Papiam tendenti ciues fortiores extra vrbem occurrere. Mandate itaque clam Episcopo, vt dum statuto tempore Papiam veneritis, & ipsi nobis extra vrbem obuiam venerint, portas ciuitatis omnes serari faciat, clauésque sibi ipse retineat: vt dum capere eos cœperimus, nec in vrbem confugere, nec ab vrbe auxilium possint expectare. Quod & factum est. Nam dum statuto tempore Rex Papiam tenderet, & memorati ei obuiam exirent: Episcopus libenter vt ei imperatum fuerat fecit. Rex itaque omnes capere, vt Samson consilium dederat, fecit. Confestim igitur Gezo Samsoni traditus, vtroque lumine priuatur: & lingua, quæ in Regem blasphemiam dixerat, ei abscinditur. O factum benè, si sicut cœcus, ita & mutus cunctis extitisset temporibus! Sed ô scelus! Quoniam lingua abscissa loquelam non perdidit, secundum Græcorum fabulas, oculorum priuatione vitam C sibi protelauit: quæ multis ad perniciem vsque in præsentem diem esse non desinit. Fabulam verò, cur cœci plurimùm viuant, secundum Græcorum ineptiam, his inseramus: quæ talis est, Ζεὺ ϗ Ἥρα, &c. hæc est interpretatio. Iupiter & Iuno contenderunt de amoribus, vter plures libidines haberet in coitu. Et tunc Tiresiam Euri filium quæsiuerunt. Ille enim in vtrasque naturas transmutatus erat, quia draconem calcauerat. Hic ergo contra Iunonem pronunciauit. Iuno irata cœcauit eum. Iupiter autem donauit ei multos viuere annos, & quæcumque diceret diuinando dicere. Sed redeamus ad rem. Gezone, vt prædiximus, membris defœdato, substantia illius diripitur. Ceteri complures custodiæ mancipantur. VValbertus postridie capite truncatur, thesaurus eius infinitus diripitur. Vxor eius capitur, & vt thesauros occultos tradat, diuersis cruciatibus laniatur. Creuit ex tunc non solùm Papiæ, sed & per omnes Italiæ fines Regis timor. Neque hunc vt Reges ceteros flocci pendêre, verùm modis omnibus honorauere. Eodem tempore Hilduinus Laudociensis Ecclesiæ Episcopus propria sede expulsus ad Hugonem Regem, cui affinitatis linea iungebatur, in Italiam venit. Qui honorificè ab eo susceptus, Veronensem ei Episcopatum ad stipendij concessit vsum. Factum est autem, vt post paululum Lambertus Archiepiscopus moreretur, & hic loco eius Mediolani Episcopus ordinaretur. Venerat autem cum præfato Hilduino Monachus quidam Ratherius nomine, qui ob religionem septémque liberalium ar-

HENRICVS. HVGO. tium peritiam Veronæ Episcopus constituitur. Vbi & Milo, de quo suprà commemorauimus, Comes habebatur. A

Qualiter Ioannes Papa sit captus, custodiaque, in qua moriturus erat, traditus. Qua munitione vrbs Roma munitur, & quomodo Hugo per Albericum vrbe sit eiectus. Quod diuinæ dispositioni ascribendum censet, ob peccatum Hugonis Regis.

CAPVT XII.

VVIDO interea Tusciæ prouinciæ Marchio cum Marozia vxore de Ioannis Papæ deiectione cœpit vehementer tractare, atque hoc propter inuidiam, quam in Petrum fratrem Papæ habebant. quoniam quidem illum Papa quasi fratrem proprium honorabat. Contigit itaque, Petro Romæ degente, VVidonem clam multos habuisse milites congregatos. Cúmque die quadam Papa cum fratre, paucisque aliis in Lateranensi Palatio esset: VVidonis & Maroziæ milites super eos irruentes, Petrum fratrem ipsius ante oculos interfecerunt. Eundem verò Papam comprehendentes custodiæ mãciparunt. in qua non multò pòst defunctus est. Aiunt enim, quòd ceruical super os eius posuerint, sicque eum pessimè suffocarint. Quo mortuo, ipsum Maroziæ filium nomine Ioannem, quem ex Sergio Papa meretrix ipsa genuerat, Papam constituunt. VVido verò non multò pòst moritur, fraterque eius Lambertus ipsi Vicarius ordinatur. Marozia verò, scortum impudens nimis, suos nuntios post VVidonis mariti sui mortem Hugoni Regi dirigit, eúmque inuitat vt se adeat, Romámque nobilissimam ciuitatem sibi assumat. Hoc autem non aliter posse fieri testabatur, nisi eam sibi Rex Hugo vxorem faceret. B

Quid veneris facibus compulsa Marozia sæuis?
Coniugis ecce tui spectas tu suauia fratris.
Nubere germanis satagens Herodia binis,
Immemor aspiceris præcepti cæca Ioannis,
Qui fratri vetuit fratris violare maritam.
Hæc tibi Moyseos non præstant carmina vatis,
Qui fratri sobolem fratris de nomine iussit
Edere, si primus nequeat sibi gignere natum.
Nostra tuo peperisse viro te secula norunt.
Respondes (scio) tu: Nihil hoc venus ebria curat.
Aduenit optatus ceu bos tibi ductus ad aram,
Rex Hugo Romanam potius commotus ob vrbem.
Quid iuuat, ô scelerata, virum sic perdere sanctum?
Crimine dum tanto satagis Regina videri,
Amittis magnam Domino tu iudice Romam.

Quod rectè esse actum non solùm sensata, verùm etiam insensata animaduertunt. C In ingressu Romanæ vrbis quædam est miri operis miræque fortitudinis constituta munitio, ante cuius ianuam pons est pretiosissimus super Tyberim fabricatus, qui primus Romam ingredientibus atque egredientibus est. nec est alia nisi per eum transeundi via. Hoc tamen nisi consensu munitionem custodientium fieri non potest. Munitio autem ipsa, vt cetera desinam, tantæ altitudinis est, vt Ecclesia, quæ in eius vertice videtur, in honore summi & cœlestis militiæ Principis Archangeli Michaelis fabricata, dicatur Ecclesia sancti Angeli vsque ad cœlos. Rex denique ob munitionis confidentiam relicto longè exercitu, cum paucis Romam aduenit. Qui decenter à Romanis susceptus, in prædictam munitionem ad prædictæ Maroziæ meretricis thalamum declinauit. Cuius incesto dum potitus esset concubitu, Romanos quasi iam securus despicere cœpit. Habuerat sanè Marozia filium nomine Albericum, quem ex Alberico Marchione ipsa genuerat. Qui dum matris hortatu Regi Hugoni, vitrico scilicet, aquam funderet, vbi manus ablueret, ab eo pro correctione in faciem cæsus est, eo quòd non moderatè & prudenter aquam effunderet. Is verò vt illatam sibi posset vlcisci iniuriam, congregatis in vnum Romanis, huiusmodi eos sermone conuenit: „Romanæ vrbis dignitas ad tantam est stultitiam ducta, vt meretricum etiam imperio pareat. „Quid enim fœdius, quidve turpius, quàm vt vnius mulieris incestu Romana

A ciuitas pereat? Romanorum aliquando serui, scilicet Burgundiones, Romanis imperent? Si meam, priuigni scilicet sui, faciem cecidit, cùm præsertim nouus habeatur hospes, quid vobis iam inueteratum facturum creditis? An Burgundionum voracitatem atque superbiam ignoratis? Ipsam enim nominis saltem ethymologiam despicite. Burgundiones ideò dictos, quoniam dum Romani orbe deuicto ex Gente hac captiuos ducerent multos, constituerunt eis vt extra vrbem domos sustollerent. à quibus & paulopost à Romanis ob superbiam expulsi. Et quoniam ipsi domorum congregationem, quæ muro non clauditur, burgum vocant, Burgundiones, quod est à Burgo expulsi, Romanis appellati sunt. Cęterùm secundum naturale nomen, Galli Allobroges nuncupantur. Ego autem πρὸς φρόνησιν, id est per sapientiam, Burgundiones eos quasi curguliones appello: vel quòd ob superbiam toto gutture loquantur, vel quod verius est, quòd edacitati, quæ per gulam exercetur, nimis indulgeant. Nec mora, his auditis, Hugonem Regem cuncti deserunt, atque eundem Albericum sibi Dominum eligunt: & ne spatium quidem milites introducendi suos Rex Hugo haberet, munitionem confestim oppugnant. Liquet diuinæ dispensationis esse hoc consilium, vt quod Rex Hugo tam nefario turpiter cœperat scelere, id eum omni modo obtinere non posse. Tanto quippe est terrore coactus, vt præsertim seipsum ea ex parte, qua ciuitatis muro munitio inhærebat, deponens, eam desereret, atque ad suos confugeret. Expulsus igitur est Rex Hugo, & cum præfata Marozia Romanæ vrbis monarchiam Al-
B bericus tenuit. Fratre Ioanne suo summi atque vniuersalis Præsulatus Sedi præsidente.

Qualiter & cur Hugo Rex Lambertum fratrem suum ceperit, & consilio Bosonis eum excæcauerit. Et quod Rex Hugo iusiurandum à Rodulfo Rege acceperit, & Henricum Regem sibi amicum muneribus effecerit. Et de Danorum subiectione.

CAPVT XIII.

AIVNT Bertham Hugonis Regis matrem Adelberto Marchioni viro suo nullum filium peperisse, sed ab aliis mulieribus clam acceptos simulato partu VVidonem & Lambertum sibi supposuisse: quatenus post mortem Adelberti Berthæ non deessent filij, quorum adiutorio omnem viri sui potentiam possideret. Hoc autem mendacium mihi ideò videtur esse inuentum, quatenus incestum suum Rex Hugo tegeret, & infamiæ ὕβριν, id est contumeliam & vituperium euaderet. Ea tamen, quæ nunc narranda est, cur hoc dictum sit, verisimilior mihi videtur assertio. Lambertus, qui post VVidonis fratris sui mortem Tusciæ Marchiam tenebat, vir erat bellicosus, & ad quodlibet facinus audax. Quem ob Regnum Italicum Rex HVGO suspectum nimis habebat. Timebat enim ne Italienses se desererent, & Lambertum Regem constituerent. BOSO denique ex eodem patre Regis
C Hugonis frater insidiarum huic laqueos parauerat, eò quòd ipse Marchio Tusciæ fieri vehementer ardebat. Consilio igitur huius, Lamberto Rex Hugo comminando denuntiat, ne se fratrem suum ampliùs dicere audeat. Is verò, vt erat animi ferocis atque indisciplinati, non moderatè, vt debuit, sed effrenatè ita respondit: Ne inficiari Rex possit, me fratrem suum esse, nos vno ex corpore eundem per aditum in lucem prodisse, duello cupio cunctis cernentibus comprobare. Quod Rex vt audiuit, iuuenem quendam Teduinum nomine elegit, qui cum eo hanc ob rem pugnam singularem commisit. Deus autem, qui iustus est, & rectum est iudicium eius, in quo non est iniquitas, vt amphibologiam dirumperet, ac veritatem cunctis ostenderet, fecit, vt Teduinus citissimè caderet, & Lambertus victoriam obtineret. Quamobrem Rex Hugo non mediocriter est confusus. Consilio autem accepto eundem Lambertum tenuit, & custodiæ tradidit. Timuit enim, ne, si illum dimitteret, Regnum sibi auferret. Hoc igitur capto Bosoni fratri suo Tusciam contradidit, & non multò post Lambertum lumine priuauit. His temporibus Italienses in Burgundiam ad RODVLFVM mittunt, vt adueniat. Quod HVGO Rex vt cognouit, nuntiis ad eundem directis, omnem Terram, quam in Gallia ante Regni susceptionem tenuit, Rodulfo dedit, atque ab eo iusiurandum, ne aliquando in Italiam veniret, accepit. Nec minus etiam HENRICVM, quem suprà memorauimus, Regem fortissimum multis collatis muneribus amicum sibi

HENRICVS. HVGO. effecerat: cuius ex hoc apud Italos nomen maximè tunc clarebat, quòd Danos nulli antè subiectos solus ipse debellaret, ac tributarios faceret. Est enim Gens indomita sub Septentrione in Oceano degens, cuius sæuitiam multarum sæpè Gentium nobilitas luxit. Hi aliquando classibus per Rheni fluminis alueum conscendentes, ferro & igni cuncta miserè laniarunt. Ipsas insuper nobilissimas ciuitates, Agrippinam, quæ nunc Colonia vocatur, atque Treueros non longè à Rheno positas, nonnullásque alias in Regno Lotharij debellantes vi ceperunt: cunctísque ablatis, ea quæ secum deferre non poterant combusserunt. Thermas etiam Grani Palatij atque Palatia combusserunt. Verùm his omissis, ad narrandi seriem redeamus. A

De Arnoldo Duce Baioariorum in Italiam irrumpente, & Hugone illi occurrente: & Baioariorum strage, & Arnoldi fuga. De Verona Hugoni restituta, & de Ratherio capto, & opere quod ipse in carcere de se composuit.

CAPVT XIV.

ARNOLDVS Baioariorum & Carentanorum Dux, cuius superiùs fecimus mentionem, cùm non multùm ab Italia longè distaret, collectis copiis, quatenus HVGONI Regnum auferret aduenit. Qui Tridentinam ea ex parte primam Italiæ Marchiam pertransiens, Veronam vsque peruenit. In qua à Milone Comite atque Ratherio Episcopo libenter, vt qui eum inuitarant, suscipitur. Quod Rex Hugo vt audiuit, collecto exercitu ei obuiam tendit. Qúmque eodem peruenisset, & caballicatas, vt vulgo aiunt, circumcirca dirigeret, Baioariorum quædam pars non minima de castro vocabulo Gauseningo egrediens, cum Italiensibus pugnare cœpit. A quibus grauiter confossa, vix ex ea vel qui hoc ceteris nuntiaret euasit. Qua ex re Arnoldus Dux non parua est confusione repletus. Vnde factum est, vt consilio accepto Milonem Comitem vellet capere: atque Italia derelicta, faceret illum in Baioariā ducere, quatenus reparato exercitu cum eo iterum redire posset. quod Milonem non latuit. Qui diuersis cogitationibus æstuans, quid ageret penitus ignorabat. Hugonem Regem planè vt meruerat adire timebat. Cum Arnoldo verò in Baioariam duci, non solùm mortem, sed infernum putabat. Hac itaque in ambiguitate, quoniam Regem Hugonem citò misericordia nouerat inclinari, Arnoldum fugere, & ad eum deliberat tendere. Arnoldus verò, quò citiùs potuit, in Baioariam est regressus. Munitionem autem, quæ in eadem ciuitate erat, prius oppugnans, fratrem Milonis, militésque eius qui eam defendere conabantur, secum in Baioariam duxit. Quo discedente, Hugoni Regi mox ciuitas redditur: & Ratherius eiusdem ciuitatis Episcopus ab eo captus Papiæ exilio relegatur. In quo faceta satis vrbanitate de exilij sui ærumna Librum componere cœpit. Quem si quis legerit, nonnullas ibi hac sub occasione res expolitas inueniet, quæ legentium intellectui non minùs placere possunt quàm prodesse. B C

LIBER QVARTVS.

Pro Proœmio quarti Libri dicit se deinceps quæ vidit scripturum, quomodo videlicet Hugo Lotharium filium suum Regem constituit, & Romam cum exercitu perrexit: vbi Aldam filiam suam Alberico per dolum despondet, voto tamen non potitur.

CAPVT I.

HACTENVS quæ dicta sunt, Sacerdos sanctissime, sicut à grauissimis, qui ea creuerant, viris audiui, exposui. Cęterùm quæ narranda sunt, vt qui interfuerim, explicabo. Ea siquidem tempestate tantus eram, qui Regis HVGONIS gratiam vocis mihi dulcedine acquirebam. Is enim euphoniam magnoperè diligebat, in qua me coæqualium puerorum nemo vincere poterat. Igitur Rex Hugo dum prosperè sibi cuncta prospiceret, filium suum LOTHARIVM, quem ex Alda vxore sua genuerat, cunctis conniuentibus, post se Regem posuit. Quo constituto, qualiter Romam, ex qua LOTHARIVS. eiectus

A eiectus turpiter fuerat posset acquirere, cogitabat. Collecta itaque multitudine, proficiscitur Romam. Cuius quanquam loca & Prouincias circumcirca miserè deuastaret, eámque ipsam quotidiano impetu impugnaret, ingrediendi eam tamen effectum obtinere non potuit. Sperans denique calliditate sua Albericum posse decipere, ei denuntiat, vt filiam suam Aldam Lotharij Regis nati sui germanam sibi coniugio tollat: sicque pace habita, vt suus ipsius filius securus permaneat. Albericus igitur, vt vir haud fatuus, filiam ipsius sibi coniugio iunxit: Romam autem, quam nimis ardebat, non tradidit, séque ei minimè credidit. Verè tamen Albericum Rex Hugo inescasset & cepisset, nisi illius hoc cauisset astutia militum, qui eum aliquando pacem cum ipso habere non cupiebant. Si quem enim Rex suorum vellet corripere, ad Albericum mox studuit fugere: à quo ob Regis metum gratanter susceptus, Romæ vixerat honoratus. HENRICVS, HVGO, LOTHARIVS.

De Sarracenis, qui Fraxineto relicto Aquas venerunt, vbi commissa pugna omnes perierunt. Et de prodigioso sanguinis fluxu apud Genuam, quæ eodem anno ab Afris capta est.

CAPVT II.

B DVM hæc aguntur, Fraxinetum Sarraceni inhabitantes, collecta multitudine, Aquas, qui est locus quinquaginta miliariis à Papia distans, vsque peruenerant. Horum probolos, id est prædux, Sagitus Sarracenus pessimus impiúsque extiterat. Deo tamen propicio pugna commissa, ταλαίπωρος, id est miser, cum omnibus suis interiit. Per idem tempus in Ianuensi vrbe, quæ est in Alpibus Cocciis octingentis stadiis à Papia distans, supra Africanum mare constituta, fons sanguinis largissimè fluxit, subsecuturam cunctis patenter ruinam insinuans. Eo quippe anno Pœni cum multitudine classium illò perueniunt, ciuibúsque ignorantibus, ciuitatem ingrediuntur: cunctos, pueris exceptis & mulieribus, trucidantes. Cunctósque ciuitatis & Ecclesiarum Dei thesauros nauibus imponentes, in Africam sunt reuersi.

De Manassis Arelatensis Episcopi cauillo & friuola ratione, qua se ad exemplum diui Petri Episcopatus sedem mutasse dictitabat. Et de arguta Liuthprandi in eum responsione.

CAPVT III.

HOC in tempore Manasses Arelatensis ciuitatis Episcopus, agnita Regis Hugonis potentia, à cuius ipse affinitatis lineam sanguine traxerat: deserta commissa sibi Ecclesia, ambitionis spiritu multas violaturus, immò laceraturus Ecclesias, Italiam petiit. Hugo autem Rex se Regnum securiùs obtinere sperans, si affinitate sibi coniunctis Regni officia largiretur: contra ius fasque Veronensem, Tridentinam, Mantuanam commendauit illi, seu quod verius est, in escam dedit Ecclesias. Ac ne his quidem contentus, Tridentinam adeptus est Marchiam: quo honore impellente, cùm miles esse inciperet, Episcopus esse desiuit. Libet autem, Pater ἅγιε, id est sancte, aliquantulum immorarier, suáque ipsius ipsum sententia, cur hoc ageret, Deo largiente, propria iugulare. Beatus, inquit, Petrus Antiochena dimissa Ecclesia, ad Romanam vrbem, quæ potentiæ magnitudine cunctis tunc Nationibus imperabat, postmodum transuolauit: vbi cùm disponente Deo sanctam toto Orbe venerandam fundaret Ecclesiam, discipulo suo beato Euangelistæ Marco pristinam Antiochenam simul commendauit: ita tamen vt Aquileiensem & ipse primò institueret, atque Alexandrinam concitè peteret. Quod ita factum esse neminem eorum, qui Actus Apostolicos legerit, nescire cognouimus. Sed vt nobis respondentibus, ô Manasses, vera te super his non sentire cognoscas, nominis tui etymologiâ parentes tuos videntes fuisse intelliges. Manasses quippe obliuiosus, seu obliuio Domini interpretatur. Quid enim verius aut apertius parentes tui hoc nomine vaticinari potuerunt? Ita, inquam, es oblitus tui, vt nec hominem quidem te esse reminiscare. Diabolus quippe Scripturas nouit, & tamen, vt peruersus est, peruersè eas interpretatur: & cùm his vtitur, ad perniciem, non ad salutem, vti-

HENRICVS, HVGO, LOTHARIVS. tur. Scis-ne hunc, cùm tentationum iaculis Dominum & Redemptorem nostrum Iesum Christum ausu nefario sauciare conaretur, his propheticis malè vsum verbis? *Quoniam Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum.* Hoc sanè ita esse scriptum, ac de eo dictum, nullus fidelium ambigit. Sed quàm fraudulenter vera hæc Leuiathan ille proferat, ipsius, qui non solùm mortalium, sed & Angelorum sensus exuperat, responsione animaduertere poteris. *Non tentabis*, inquit, *Dominum Deum tuum.* Vides igitur, quòd & tu veris quidem, sed fraudulentis assertionibus vteris: quemadmodum & apostata Iulianus respondisse dicitur Christianis, quos auiditate rapinæ censu proprio defraudauit. *Nolite*, inquit magister vester, *possidere aurum neque argentum.* Et illud: *Facilius est introire camelum per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Et item: *Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Cedo igitur, quid peruersius ille, quidve fœtidius te dixisse credendum est? Quod enim Petrus ad iustitiam, tu transfers ad culpam. Credo enim te Actus Apostolorum non intellexisse, aut quod credibilius est, minimè legisse. Ibi planè sic scriptum reperies, *Quoniam fideles vendebant prædia sua, & ponebant pretium ante pedes Apostolorum, quibus erant omnia communia: nec quisquam aliquid suum esse dicebat. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat.* Si igitur, quod in humano censu est pretiosius tibique anima tua charius, Petrus aurum, quasi quiddam pestiferum, tangere noluit: qua ratione eum Antiochena deserta ad Romanam asseris Ecclesiam transuolasse? Si latras illum (quod omninò factum est) quæsiuisse censum: ego animarum lucrum, & gloriosum comprobo martyrium. Prædictum quippe ipsi à magistro, immò Creatore & Redemptore omnium, fuerat: *Quoniam cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas: & alius te cinget & ducet quò tu non vis.* Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Denique & alio in loco post resurrectionem, Petro se quò iret interroganti respondisse Dominus dicitur: *Romam iterum crucifigi.* Venit igitur Romam Petrus non ambitione inflammatus, sed martyrio animatus: non quærens aurum, sed animarum lucrum. O felicem, immò beatum, si talem te tua conscientia testaretur! Nec inficiari quidem potes, te Veronensem Episcopatum vendidisse, quod Petro non cuilibet, sed Apostolo illi nunquam didicimus contigisse. Quare non solùm spirituali, verùm etiam corporali honore sensus alienatione te priuatum esse cognouimus. Hæc autem interim dicta ad propositum redeundo sufficiant, quoad largiente Deo latiùs differere suis in locis, qualiter Mediolanensem vsurpaueris cathedram, veniamus.

De Berengario & eius vxore, & fratre Anscario. Et de Theobaldo Marchione, qui Græcos à se in prælio captos castrauit. Et de muliere, quæ festiuo commento marito virilia seruauit.

CAPVT IV.

EO tempore Berengarius ille, cuius tyrannidem nunc luget tota Italia, Eporegiæ ciuitatis Marchio habebatur. Cui Rex Hugo neptem suam nomine VVILLAM, quam ex VVilla vxore sua BOSO Tusciæ prouinciæ Marchio, Regis frater, genuerat, coniugem dedit. Anscarius verò Berengarij frater, quem ex Adelberto Ermengarda Regis Hugonis genuit soror, virium audacia potentiáque clarebat. THEOBALDVS etiam Heros quidam proxima Regi Hugoni affinitate coniunctus, Camerinorum & Spoletinorum Marchio erat. Hic in auxilium Beneuentani Principis contra Græcos, qui eum vehementer oppresserant, abiit. Quibus cùm bellum inferret, victoriâ est potitus. Contigit denique multos Græcorum iam non arua, sed castra obtinentium, hunc cepisse. Quibus dum virilia amputaret, talia στρατηγῷ, id est qui eis præerat nuntiauit. Quoniam quidem viro sancto Imperatori spadonibus nil pretiosius esse cognoui, hos studui paruulos sibi verecundè transmittere: plures quamprimùm Deo propitio transmissurus. Ludibrium autem, immò sapientiam, quam quædam tunc mulier gessit, his inseramus. Dum enim quadam die Græci cum ipsius terræ hominibus ex-

A ita castrum quoddam ad pugnam aduersus Theobaldum memoratum exirent, nonnulli ab eodem sunt capti. Quos cùm eunuchizaret, eósque in castellum dirigeret, mulier quædam mariti succensa amore, eius pro membris non parum sollicita, sparsis crinibus de castello exiit furibunda. Quæ cùm cruentis vnguibus ora discerperet, atque ante Theobaldi tentorium clamosis vocibus fleret: Quid causæ est, inquit, mulier, quòd tam sonoris vocibus quereris? Quæ, quia stultitiam simulare loco, prudentia summa est, ita respondit: Nouum inauditúmque facinus est, Heroes, vt bellum non repugnantibus mulieribus inferatis. Nostrarum nulla ex Amazonum sanguine prosapiam ducit. Mineruæ quippe solùm operibus deditæ, armorum penitus sumus ignaræ. Cui cùm Theobaldus diceret: Quis vnquam sani capitis Heros, præter Amazonum temporibus, bellum mulieribus intulit? Ea respondit: Quod, cedo, crudelius mulieribus bellum inferre, quidve incommodius his potestis auferre, quàm vt ea viris certetis ὀρχίδια, id est testiculos], amputare, in quibus nostri corporis refocillatio, & quod omnium potissimum est, nasciturae spes extat prolis? Dum enim eos eunuchizatis, non quod illorum, sed quod nostrum est, tollitis. Nunquam armentorum seu ouium copia, quam mihi ante hos dies abstulistis, vestra me castra adire coegit. Animalium quæ mihi fecistis dispendia laudo, iacturam hanc tantam, tam crudelem, tam irrecuperabilem, modis omnibus B horreo, fugio, nolo. Sancti Dei omnes talem à me auertite pestem. His auditis, nimio sunt omnes cachinno commoti, totiúsque in eam populi fauor excreuit, vt non solùm virum suum integrum, verùm etiam cuncta quæ sibi animalia ablata fuerant recipere mereretur. Quæ cùm his receptis abiret, directo Theobaldus post eam nuntio, interrogauit: Quid viro suo auferret, si ad pugnam ampliùs contra se de castello exiret? Oculi, inquit, sunt illi, nares, manus, & pedes. Si hoc egerit, illi quæ illius sunt auferat: quæ mea sunt, suæ ancillulæ derelinquat. Verùm quia fauorem populi prima sibi locutione adesse per risum & mariti donum intellexit, hæc postmodum per directum nuntium remandauit.

De Bosonis, qui consilio vxoris perfidus extiterat, ab Hugone captiuitate, & vxoris eius Vuilla ab Italia eiectione. Et de baltheo pretioso impudenter à seruo in loco pudendo comperto.

CAPVT V.

PER idem tempus Regis HVGONIS frater BOSO, VVilla vxore sua cupidissima stimulante, aduersus Regem noua quædam & peruersa molitus est agere. Quod Hugonem minimè latuit. Qua ex re captus, custodiæ est continuò tradi- C tus. Causa deiectionis eius hæc fuit. Dum Lamberto, quem suprà memorauimus, lumine priuato, idem Boso Marchiam Tusciæ obtineret: coniunx eius VVilla φιλαργυρία, id est amore pecuniæ cœpit flagrare: adeò, vt totius Tusciæ prouinciæ nulla nobilium matronarum quantiuis se pretij ornamentis excoleret. Hæc quum prolem virilem non haberet, quatuor habuerat natas, VVillam, Bertam, Gislam, Richildam. Harum VVilla Berengarij huius, qui nunc superest, verè marita, hoc effecit, ne genitrix sua omnium mulierum esset nequissima. Vt autem non per longas ambages eius acta ponamus, vno turpissimo descripto, quæ & quanta fuerit in ceteris animaduertere poteris. Vir eius Boso miræ longitudinis & latitudinis aureum habebat baltheum, qui multarum & pretiosarum splendebat nitore gemmarum. Hunc, cùm Boso caperetur, super omnes gazas eius diligenter Rex iussit inquiri: sumptisque diuitiis, vxorem eius quasi profanam, & sceleris totius auctricem turpiter de Regno Italico præcepit expelli, atque in Burgundiam, de qua oriunda fuerat, duci. Verùm, cùm diligenter omnia perscrutati baltheum non reperirent, cetera nuntij reportantes, ad Hugonem sunt reuersi. Tum Rex: Reuertentes, inquit, phalerarum eius omnem apparatum, puluinar etiam quod equitando premit, euertite. Et si nec ibi quidem baltheum poteritis reperire, vestimentis omnibus eam exuite, ne alicubi super se possit occulere. Noui enim quàm callida, quàmque sit cupida. Igitur illis redeuntibus, Regisque iussioni parentibus, cùm requisitis omnibus nil inuenissent, vestimentis eam omnibus nudauer-

HENRICVS. HVGO. LOTHARIVS.

runt. Hoc denique tam turpe facinus atque inauditum cùm auertentibus oculis probòrum nemo conspiceret, seruorum quidam directo obtutu purpuream secus natium speroidem, id est curuaturam, vidit dependere corrigiam. Quam impudenter arripiens, fœditérque trahens è secretiori parte corporis, eam secutus baltheus est egressus. Seruus itaque idem non solùm inuerecundus, sed eo ipso facinore turpi hilarior redditus: Ha! ha! he! ait, quàm peritus obstetricandi miles! Rufus puer est natus heræ, quæso vt sit superstes. O me fortunatum, immò omnibus feliciorem, si tales saltem duos vxor mea mihi pareret natos! Hos Constantinopolim dirigerem nuntios: quoniam quidem, vt institoribus narrantibus agnoui, huiusmodi libenter Imperator suscipit. Talibus præterea VVilla confusa sermonibus, lachrymis effusis latentem sub corde cunctis aperit dolorem. Seruus autem, vt seruorum proprium est, eius deiectione non solùm non inclinatus, verùm etiam animatus, hæc ad exaggerandum doloris vulnus adiecit.

VVilla quid insanis? aurum cur condere cæcis
Incipis in membris? proh! non audita cupido.
Allecta à furiis, gemmas in corpore condis?
Matribus insolitum tales producere partus.
Hinc tibi nulla decem tulerunt fastidia menses.
Alma parens tales nobis haud desine fœtus
Edere, qui nati superent te ætate parentem.
Talia cunctanti collum percusserat vnus
Impiger, ac verbis illum culparat amaris.

His ita peractis, baltheus Regi adducitur, eáque in Burgundiam destinatur. Verùm tamen quæ abscondit, an qui eo inquirere iussit, fœdiùs egerit, mihi quidem videtur amphibolum. Liquet tamen, quòd vterque auri gemmarúmque nimia sit cupidine animatus.

De morte Rodulfi Regis Burgundionum, cuius vxorem Rex Hugo duxit, & filiam filio suo tradidit. Et quomodo ob pellices vxoris vxorem suam despexerit.

CAPVT VI.

BVRGVNDIONVM præterea Rex Rodulfus mortem obiit, cuius viduam nomine Bertham Rex HVGO, Alda Lotharij Regis filij sui matre defuncta, maritali sibi coniugio sociarat. Sed & filio suo Regi LOTHARIO Rodulfi & ipsius Berthæ natam nomine ATHELHEIDAM, tum forma honestissimam, tum morum probitate gratiosam, coniugem tulit. Quod Græcis omnibus non videtur idoneum: scilicet, vt si pater matrem, cùm sint duo vnum, vxorem accipiat, filius filiam non sine reatu valeat sibi coniugio sociare. Hugo denique multarum concubinarum deceptus illecebris, præfatam coniugem suam Bertham maritali non solùm non cœpit amore diligere, verùm modis omnibus execrari. Quod quàm Deus iustè punierit, suis in locis ponere non pigebit. Verùm, cùm nonnullæ essent concubinæ, in tres supra ceteras turpissimo ardebat amore: Bezolam vilissimorum Sueuorum sanguine cretam, ex qua & natum genuit nomine Bosonem, quem in Placentina post VVidonis obitum Episcopum ordinauit Ecclesia: Rozam deindè VValberti superiùs memorati filiam decollati, quæ ei miræ pulchritudinis peperit natam: tertiam Stephaniam genere Romanam, quæ ei filium peperit nomine Theobaldum, quem postmodum in Ecclesia Mediolanensi Archidiaconum ea ratione constituit, vt defuncto Archiepiscopo, eius ipse vicarius poneretur. Quid autem fuerit, quòd effectum Deus habere hæc non siuerit, vita comite, scribendus ordo nudabit. Sed & plures has ob turpis impudicitiæ facinus Dearum nominibus, Bezolam videlicet Venerem, Rozam Iunonem, ob simultatem & odium perpetuum: (quando quidem ea secundùm pulchritudinem carnis, hæc speciosior videbatur. Stephaniam verò Semelen appellabat. Et quoniam non Rex solus his abutebatur:) earum nati ex incertis patribus originem ducunt.

OTHO, HVGO, LOTHARIVS.

A

De morte Henrici Regis, & vbi sit sepultus. & de prudentia eius, qui filium suum Othonem Regem constituit. Qui Otho ante Regni susceptionem sororem Regis Anglorum duxerat.

CAPVT VII.

EO in tempore Rex HENRICVS in castello, quod est inter Thuringorum & Saxonum confinia, & dicitur Himeleuua, grauissima valitudine correptus, migrauit ad Dominum. Cuius corpus in Saxoniam deportatum, in nobilissimarum ac religiosissimarum Monasterio puellarum, quod in ipsius Regis prædio vocabulo Quintelingaburch situm liquet, intra Ecclesiam cum immensa est veneratione repositum. Vbi & venerabilis eius coniunx Regníque consors ex eadem gente, nomine MATHILDIS, vltra omnes, quas viderim & audierim, matronas, pro delictorum expiatione celebre exequiarum officium viuámque Deo hostiam offerre non desinit. Hæc ante Regni susceptionem viro suo filium peperit, quem vocauit OTHONEM. Istum, inquam, cuius mundi partes Aquilonaris & Occidua potentiâ reguntur, sapientia pacificantur, religione lætantur, iustique iudicij seueritate terrentur. Post regiam autem dignitatem duos peperit, vnum, quem patris nomine vocauit HENRICVM, facetia satis ornatum, consiliis prouidum, vultus nitore gratiosum, oculorum vigilantiâ placidum. Cuius pro recenti funere non mediocres lachrymas adhuc fundimus. Tertium deinde BRVNONEM nomine, quem pater sanctus, quoniam Nortmanni Traiectensem destruxerant omninò Ecclesiam, ob eiusdem recuperationem voluit militare. Verùm istorum actus suis in locis latiùs explicemus. Quantæ fuerit prudentiæ, quantæque Rex Henricus scientiæ, hinc probari potest quòd optimum, & potissimum, & religiosissimum natorum suorum Regem constituit. Imminebat enim, Rex prudentissime, obitu tuo totius populi casus, si tantus regiæ dignitati non subiret vicarius. Qua ex re in amborum laudem hos pangimus versus.

B

Ipse qui quondam superare Gentes
Impias bello solitus cruento,
Nouimus, nunc, Rex, dederis popello
Morte quàm magnas propria ruinas.
Turba certatim viduata claro
Rege iam cesset lachrymare: quando
Alter exurgit similis cluenti
Filius patri, venerandus Orbi
Rex OTHO, *Gentes ditione magna*
Qui premet, pacémque feret beatam.
Quicquid Henrici periit recessu,
Præstitit claro populis hic ortu,
Blandus & mitis, patiensque sanctis,
Pestifer duris, rabidusque sæuis.
Bella nonnullis tibi sunt gerunda,
Ex quibus nomen referens in astra
Cuncta calcabis pedibus per Orbem,
Quæ premit tardus radians Bootes:
Et quibus nomen dedit Hesper almus,
Lucifer rursus vocitatus idem,
Surgit Eoo properans corusco.

C

Duxerat idem Rex OTHO ante Regni susceptionem ex Anglorum Gente nobilissima Regis Adelstani fratris filiam sibi vxorem, nomine Otgit: ex qua & filium genuit nomine Liutolphum. Cuius ob recentem iacturam quoties memoriam agimus, lachrymis sinum replemus. O si nunquam natus, aut non tam maturè esset defunctus!

OTHO, HVGO, LOTHARIVS.

A

De Henrico peruersorum consilio Othoni rebellante, & exclamatione Authoris in eum.

CAPVT VIII.

QVo in tempore Regis eiusdem frater HENRICVS quorundam peruersorum instinctu eidem est nimium aduersatus. Is enim, qui post creationis suæ mox clarissimam dignitatem Creatori suo se similem facere voluit, per auditores suos talibus Henricum contra fratrem, immò Regem & Dominum, sermonibus » instigauit. Recténe patrem egisse rere in regia tibi dignitate genito, non in eadem » genitum postponendo? Planè non discretionis hoc censura ponderauit, verùm pas» sionis magnitudine aberrauit. Ergo age, neque tibi deerunt copiæ: fratrem deiice, » Regnum accipe, sitque tibi regnandi facultas, cui accidit Deo largiente & in eadem dignitate natiuitas.

Regnandi tibi quid iuuenum tam dira cupido
Optime Saxigenum? prohibet Deus.
Haud pater Henricus dedit his: quia sceptra mouebat
Astripotens bonus ipse Deus pius:
Quo sine nec Regnum capitur, nec tempora sistunt.
Quicquid in orbe, Deus, geritur, iubet: B
Per quem iura Duces cernunt, Regésque triumphant.
Fraternas acies nunc nunc malè
Conflictare cupis, fallax, crudelis, inique:
Impie Leuiathan Beemoth paras
Antiquum renouare tua iam fraude duellum.
Crimine pro cuncto pœnas lues.
Hîc reprobum numeris culpans quod peccat, in æuo
Improbe supplicium referes simul:
Et quacunque malis debentur flammea cunctis
Vincula, parta tibi misero: neque
Ignicomas Erebi iustè demersus ad vndas,
Perpetuo tecum arsuros trahes
Christicolas: quia si qua sacro baptismate loti
Debita post traxere, Dei manet
Gratia, qua lapsos erexit sanguine gratis.

De Euerardo, qui Henricum adhuc Regi Othoni fratri suo fidelem cepit, & in Franciam abduxit. Item qua ratione Euerardus dictus Gilebertum à Regis fidelitate seiunxerit: & quomodo Gilebertus & Euerardus Henricum carcere emiserint. C

CAPVT IX.

TANTI huius ac tam perniciosi facinoris illex Euerardus extitit Comes. Huius enim primæ rebellionis tempore Henricus fratri suo Regi & Domino, prout debuerat, adminicula dederat, nisúque omni aduersarios fatigabat. Verùm, quia incuria non solùm temporalibus rebus, sed etiam æternis deditis, atque in ipsa internæ contemplationis visione constitutis, lapsum non nunquam parat. Et quod, vt Vegetius Renatus in libro Rei militaris ait, necessario amplior securitas grauius solet habere discrimen: Henricum in quodam oppido manentem, incautiúsque se tuentem, prædictus Euerardus collecta multitudine obsedit: ac priusquàm ei frater Rex adminiculari posset expugnauit; secúmque illum, & gazam non paruam in propria transportauit. Rex igitur tantum fratris, immò suum, cupiens dedecus vindicare, præfatum Euerardum sibique conniuentes toto cœpit conamine persequi. EVERARDVS sanè GILEBERTVM Lotharingorum Ducem à Regis fidelitate seiunxerat, cuius adiutorio Regi non modicè resistebat. Quanquam idem Gilebertus Regis sororem haberet vxorem, maluit tamen suscipiendi Regni spe animatus Regi obsistere, quàm eum, vt debuerat, contra suos æmulos adiuuare. Sed cùm se Regi nec sic conspicerent posse resistere, non

A incallido secundum hominem, sed fatuo secundum Deum accepto consilio, huiusmodi verbis Henricum conueniunt. Si consiliis nostris te parere nobis iuramento promittis, non solùm quia captus es te dimittimus: sed quod maius est, si tamen Rex velis fieri, nostrum te Dominum constituimus. Hoc autem non eò dicebant, vt facerent: sed vt eius auxilio Regem debellarent. OTHO, HVGO, LOTHARIVS.

Qua calliditate Euerardus Henricum & Gilebertum in acquirendo Regno decipere voluerit, & quomodo id iactanter coniugi dixerit.

CAPVT X.

HABVERAT planè Rex nonnullas maximas & fortissimas copias, & earum duces, Hermannum scilicet Sueuorum Ducem, fratrémque eius Vdonem, atque Conradum cognomine Sapientem. Qui quanquam affinitatis linea Euerardo iungerentur, maluerunt tamen iustè, si necessitas incubuisset, iusto cum Rege occumbere, quàm cum consanguineo iniustè triumphare. Henricus igitur præmissa iam promissione deceptus, propriis mox collectis copiis, totis viribus ipsos adiuuare, Regémque cœperat debellare. Verùm, quia scriptum est: *Mentita est iniquitas sibi*, libet paululum immorari, & quemadmodum tunc mentita sit iniquitas sibi, explicare. Euerardus haud prius Gilebertum à Regis fidelitate seiungere valuit, donec Regem eum se facturum esse promisit. Gilebertus autem B arte hac Henricum decipere voluit, vt dum suo adiutorio Regem deuinceret, ipsum deponeret, sibíque Regni solium obtineret. Verùm Euerardus longè aliter disposuerat. Voluit enim Regem posse deuincere, Regnóque priuare vtrosque, sibique vsurpare: quemadmodum ex verbis ipsius, quæ paulo antequam moreretur vxori suæ dixit, coniicere possumus. Quam dum foueret in sinu, Iocundare, « inquit, in gremio Comitis, breui lætatura in amplexibus Regis. Quod non ita ac- « cidisse, & iniquitatem sibi mentitam esse, tempestas indicat præsens.

De admirabili victoria, quam Rex Otho orando obtinuit, & de Henrico in brachio vulnerato in eo prælio.

CAPVT XI.

IGITVR, vt præfati sumus, huiusmodi Henricus promissione animatus, immò deceptus, collecto exercitu cum Gileberto pariter atque Euerardo Regi præparat bellum. Quos contra Rex properat lætus, non eorum multitudine territus, sed de Dei pietate confisus. Sed vt scias, quàm facile est Deo in paucis plures vincere, & quòd quisque in abundantia virtutis suæ non saluabitur, audi antiquum à Domino renouatum miraculum. Regis milites supra Rhenum ad locum C vocabulo Bierzuui peruenerant, Rhenique alueum transire cœperant: ignorantes quòd Henricus cum præfatis Comitibus tanta vicinitate eis iam esset proximus. Perpaucis denique è nauibus egressis, vix equos ascendere, seséque armis induere poterant: cùm prænominatorum legiones non nuntiantur properantes, sed intuitu ipso cernuntur præsentes. Tali igitur sese mutuo sunt sermone aggressi: Fluminis huius, vt cernitis, magnitudo socios nostros nobis succurrere, nósque etiam, quamuis volentes, redire non sinit: nec clam nobis est, quàm ridiculum nostris præsertim sit Nationibus, fortes viros se hostibus tradere, & non resistendo mortem fugere, vitámque sempiternis opprobriis comparare. Quanquam enim euadendi, quæ numquam hostibus obest, oblata desperatio, & supplicandi opprobrium sempiternum, pugnandi nobis fiduciam præstent: ea tamen est, quæ nos præsertim, veritatis scilicet & iustitiæ, causa pugnare compellit. Si enim terrestris domus nostra resistendo iniustitiæ dissoluatur, æternam non manu factam recipiemus in cœlis. « « « « « « « His itaque dictis accensi, hostes inter præcipiti cursu transeunt. Rex denique suorum tantam constantiam non sine diuino instinctu considerans, quoniam fluuio intercedente, corporali præsentia subuenire suis non poterat, recordatus populi Domini, qui repugnantes sibi Amalechitas orationibus Moysi serui Dei deuicerat, protinus de equo descendit, seséque, cum omni populo lachrymas fundens, ante victoriferos clauos manibus Domini nostri Iesu Christi affixos, suæque lanceæ impositos, in orationem dedit: quantúmque iusti viri,

OTHO, HVGO, LOTHARIVS.

secundùm iusti viri sententiam Iacobi, tunc valeret oratio, res manifesta probauit. Eo namque orante, cùm ex suis nullus occumberet, hostes sunt omnes in fugam conuersi: nonnullíque eorum cur fugerent penitus ignorabant, quoniam quidem præ paucitate sese insequentes hostes videre non poterant. Cæsis igitur plurimis, Henricus est vehementer in brachio percussus: & quamquam loricæ triplicis fortitudo ad carnem vsque ensis aciem non admitteret, pondere tamen percussionis acerbæ brachium est adeò in liuorem conuersum, vt nullis medicorum curis ita mederi posset, quin subsequente anno dolorem permagnum sentiret. Vnde & paulò pòst huius facinoris occasione ipsum falsi sunt hominem exuisse. Sed quia lanceæ ipsius sanctæ memoriam fecimus, hîc, qualiter ad eum peruenerit, inseramus. A

De lancea Dominica per Henricum inuenta, & ad Othonem perlata.

CAPVT XII.

BVRGVNDIONVM itaque Rex RODVLFVS, qui nonnullis annis Italicis imperauit, lanceam illam à Samsone Comite dono acceperat. Erat enim, excepta ceterarum specie lancearum, nouo quodammodo opere, nouáque elaborata figura, habens iuxta limbum medium vtrobique fenestras. Hæ pro pollicibus perpulchrè duæ acies vsque ad decliuum medium lanceæ extenduntur. B Hanc igitur Constantini magni sanctæ Helenæ filij, viuificæ crucis inuentricis, fuisse affirmant: quæ media in spina (quam limbum superiùs memoraui) ex clauis manibus pedibúsque Domini & Redemptoris nostri Iesu Christi affixis, cruces habet. Henricus itaque Rex, vt erat Deum timens, totiúsque religionis amator, audito, Rodulfum tam inæstimabile donum habere cœleste, nuntiis directis tentauit, si præmiis aliquibus id posset acquirere, sibíque aduersus visibiles inuisibiléfque hostes arma inuictissima, triumphúmque perpetuum præparare. Quod cùm Rex Rodulfus modis omnibus se numquam facturum ediceret, Rex Henricus, quia mollire hunc muneribus non potuit, minis terrere magnoperè curauit. Omne quippe Regnum eius cæde atque incendiis se depopulaturum esse promisit. Quia verò quod petebatur munus erat, quo cœlestibus terrea Deus coniunxerat, lapis scilicet angularis faciens vtraque vnum, Rodulfi Regis emolliuit cor, iustóque Regi iusta iustè petenti cominus dedit. Neq; enim pace præsente, simultati locus erat. Nam & eo, qui his crucifixus est, à Pilato ad Herodem properante, facti sunt amici in illa die, qui priùs inimici erant ad inuicem. Quanto autem amore Rex Henricus præfatũ inæstimabile donum acceperit, tum in nonnullis rebus, tum in hoc præsertim claruit: quòd non solùm eo donante se auri argentíque muneribus, verùm etiam Sueuorum prouinciæ parte non minima honorauit. Deus autem, qui quo quisque quid animo peragat intuetur, non muneris quantitatis, sed bonæ voluntatis inspector ac retributor: quanta ob prælibatam rem mercede C æterno in seculo pium donauerit Regem, indiciis quibusdam hoc etiam in tempore prodidit, dum contra se insurgentes hoc victorifero præeunte signo semper hostes terruit, atque fugauit. Hac igitur occasione, immò Dei voluntate, sanctam Rex Henricus adeptus est rumpheam: quam filio, vndè in præsentiarum nobis sermo est, decedens, cum Regno hereditario dereliquit. Qui quanta donum inæstimabile veneratione coluerit, victoria non solùm indicat præsens: verùm etiam diuinorùm, vt prompturi sumus, admiranda largitio munerum. His itaque perterritis atque fugatis, Rex rediit non tantùm de victoria lætus, quantùm de diuina miseratione magnificus.

Probat auctoritate sanctæ Scripturæ, victoriam Othonis non fuisse fortuitam, sed Deo ita disponente prouenisse.

CAPVT XIII.

LIBET autem paululùm immorari, & quòd non fortuitu, sed Deo disponente, hæc ita acciderint, enarrare. Quod luce nobis clarius constabit, si Domini ac Saluatoris nostri Iesu Christi apparitionem, quæ post Resurrectionem mulieribus & discipulis facta est, in medium proferamus. Fidem Petri, dilectionem

A Ioannis supra pectus Domini in cœna recumbentis, Thomas firmiter nouerat, eósque ad sepulchrum cucurrisse, nihílque præter linteamina inuenisse audierat: Angelorum etiam visiones, qui eum viuere assererent, mulieribus apparuisse cognouerat. Sed esto, fortè mulierum infirmitatem considerans; mulieribus non credebat. Cedo, inquam, sancte Thoma, si duobus discipulis ad castellum Emaus properantibus, quibus non solùm apparuit, sed etiam Scripturas quæ de se erant aperuit, immò etiam secundum consuetum morem panem benedixit, & fregit, ac dedit, non credis: omnibus tamen condiscipulis, quibus ianuis clausis apparuit, quid fidem non adhibere contendis? Meministi ne, inquam, eundem Dominum & præceptorem tuum, cui te commoriturum promittebas ante passionem, hæc omnia prædixisse? Ait namque: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur. Et postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget.* Cur itaque eum dubitas resurrexisse, cùm Gentibus traditum, flagellatum, consputum, crucifixum, sicut prædixerat, videas? Haud ab re est, quòd Dominum tuum manibus propriis tractare contendis. Ipse Dominus namque Rex noster, qui operatus est salutem in medio terræ, qui nouit omnia antequam fiant, multos præuidens hoc errore perituros, vt est misericors & clemens; B *Infer*, ait, *digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis.* Confitere Thoma sancte, & tua dubietate omne nostrum exclude amphibolum. *Dominus*, inquit, *meus, & Deus meus.* O ambiguum omni laude dignissimum! O dubium cunctis seculis prædicandum! Si tu non dubitares, ego non tam firmiter crederem. Si mulierum credentium, si condiscipulorum fidem, hereticis, qui non vero corpore Dominum Iesum Christum resurrexisse latrabant, diceremus: multa nobis argumenta diabolica calliditate opponerent. Sed cùm dubitantem Thomam corpus tractasse, vulnerum cicatrices tetigisse, ac mox dubitatione remota, Deum & Dominum exclamasse audiunt: qui prius erant multisoni, mox vt pisces videntur insoni, cognoscentes quia & vera caro est quæ tractari potuit; & Deus qui ianuis clausis intrauit. Et quòd Thomas dubitauit, non fors, sed Dei omnipotentis dispensatio fuit. Sic itaque, sic, Rex piissime, insperata ob militum paucitatem victoria diuinæ consilium prouidentiæ fuit: volens mortalibus indicare, quàm charus Deo esset, qui orando tam immensum cum paucis triumphum obtinere promeruit. Fortè enim, immò certè & tu priùs ignorabas quàm charus existeres: quod post te cognoscere fecit, cùm tanta victoriâ honorauit. Sancti etenim viri quid virtutis habeant, & quanti in conspectu diuini examinis existant, nisi probauerint ignorant. Quod in facto Abraham filium immolare cupientis ex verbis Angeli dicentis colligere possumus. Ait enim: *Ne extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam: nunc cognoui quòd timeas Dominum*, id est, te ipsum & posteros cognoscere feci. Nouerat enim Dominus, etiam C antequam filium immolare vellet, quanta Abraham Patriarcha sanctus eum charitate diligeret. Sed is qui diligebat, quàm perfectè diligeret non nouit, donec per dilecti filij immolationem apertissimè cognouit. Possumus & hanc ex beati Petri promissione approbare: *Domine*, inquit, *tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire.* Cui Dominus: *Dico*, ait, *tibi Petre, non cantabit in hac nocte gallus donec ter abneges nosse me.* O sancte Petre, meliùs quàm tu nouit te qui fecit te. Tu profiteris, quemadmodum putas, veram fidem: sed qui priusquàm fiant omnia nouit, ter se negaturum te esse prædixit. Huius quippe sententiæ non immemor, cùm postmodum te an se diligeres interrogaret, magis ipsi credens quàm tibi, amorem tuum hac temperata responsione declarasti, dicens: *Domine, tu omnia nosti: tu scis, quia amo te.* Conscientia quidem mea plus diligo te, quàm me, nisi quia te diligendo diligo me. Vtrum autem, vt existimo, ita se veritas habeat, ipse quàm ego meliùs nosti: qui me vt essem fecisti, & vt te diligerem amore iustissimo inflammasti. Bone itaque Rex, non ob tuam hoc, sed ob infirmorum actum est fidem, qui victoriam non nisi in multitudine putant consistere, & humanas res non nisi fortuitu prouenire. Scimus enim quia si cum XII. legionibus transires, ac victoriam obtineres, non eam tibi, sed Domino imputares. Et hæc ratio est, quòd cum paucis orando voluit te Deus vincere: vt & in se sperantes ad amorem sui magis accenderet, & te quantum diligeret nescientibus indicaret. Sed his omissis, ad alia festinemus.

OTHO, HVGO, LOTHARIVS.

De iis qui in Alsatia Othonem Regem fraude Frederici Archiepiscopi deseruerunt, & de animoso Othonis ad suos responso.

A

CAPVT XIV.

EST in Alsatiæ partibus castellum Briseegauue patrio vocabulo nuncupatum, quod & Rhenus in modum insulæ cingens, & naturalis ipsa loci asperitas munit. In hac itaque suorum Euerardus posuerat multitudinem militum. Quorum terrore non solùm sibi magnam partem præfatæ Prouinciæ vendicabat: verùm etiam circumcirca Regis fideles miserè laniabat. Rex denique bonus, non quæ sua, sed quæ suorum erant considerans, collecto exercitu in Alsatiam vt præfatum castrum obsideat proficiscitur. Cúmque eodem peruenisset, Friderici, qui cum tunc aderat, Moguntiæ Sedis Archiepiscopi exhortatione, Episcoporũ quàm plurimi defixis noctu per gyrum amissis tentoriis, cœperunt Regem deserere, clámque ad ciuitates proprias confugere, Frederico cum eodem subdolè permanente. Quod Regis milites considerantes, huiusmodi Regem sunt aggressi sermone. Consule, Rex, saluti tuæ, loca hæc deserens, & Saxoniam petens: nec clam te est, quòd Henricus frater tuus bellum tibi inferre conatur. Qui si tam paruas tecum esse copias senserit, ita repentinus irruet, vt nec fugiendi quidem locus sit. Melius est igitur reparato exercitu redire, quàm aut mori miserè, aut turpiter fugere. Quibus Rex imperterritus, vt quondam suis Iudas cognomento Machabeus: Nolite, ait, nolite talia loqui. Et si appropinquauit tempus nostrum, moriamur omnes in virtute, & non inferamus crimen gloriæ nostræ. Melius est enim pro vera iustitia mortem subire, quàm eam fugiendo turpiter viuere. Denique si illos Dei ordinationi resistentes auxilium à multitudine sola, & non à Deo sperantes, iniustè prœliari, mori, & ad intermissibiles Erebi pœnas descendere iuuat, nihilominus nos, immò acriùs pugnare delectet: qui & prœliari pro iustitia securi, & si sors carnis vniuersæ acciderit, securiùs possumus mori. Nam pro iustitia pugnatores ob copiarum paucitatem ante pugnæ experimentum terga dare, Deo diffidere est. His dictis, non solùm eos à fugæ proposito reuocauit, verùm etiam vt vehementer pugnarent animauit. B

De animoso & prudenti responso Othonis, quo confutauit impudentiam Comitis Abbatiam in præmium auxilij petentis.

CAPVT XV.

VNVM autem, vnum, Pater egregie, velim diligenter attendas: quod cùm audieris, plus eum animi passiones, quàm hostes vicisse miraberis. Huiusmodi vincere aduersarios, permittente Deo, nonnunquam & peccatores possunt: inconcussam autem animi tenere virtutem, prosperis scilicet non extolli, & aduersis non frangi, perfectorum solummodo est. Audi igitur in tanta hac fluctuante procella, quo fidei supra petram, qui Christus est, sit ardore fundatus. Comes quidam tunc prædiues cum eo erat, cuius multitudo militum Regis aciem condecorabat. Hic itaque videns quamplurimos ex Regis acie desertores ac transfugas fieri, non interiorem, sed exteriorem considerans hominem, tacitus hæc secum voluere cœpit. Quicquid à Rege in hac turbatione constituto petiero, sine dubio impetrabo: præsertim cùm & acre nobis bellum immineat, ac se ne deseram timeat. Nuntiis itaque directis, Regi supplicat, vt Abbatiam quandam Laureshem dictam, prædiis ditissimam, sibi concedat: cuius possessionibus, quod sibi deerat militibus suis ministrare præualeat. Rex autem columbina non solùm, sed vt erat viperina calliditate suffarcinatus, non hoc quid portenderet minimè aduertere potuit. Vnde & huiusmodi nuntiis apologeticum dedit: Illi quid super hac re sentiam verbis ipse potiùs explicabo, quàm nuntiis. Quod qui hos direxerat audiens, immensa est affectus animi lætitia: sperans se quod poposcerat impetrasse. Vnde & moræ impatiens Regem adiit, cúmque sententiam super hac re promere postulauit. Cui Rex populo circumstante: Obedire, inquit, magis oportet Deo quàm hominibus. Quis enim sanum sapiens ignorat, te hæc non humilitate petitionis, sed comminationis auctoritate dixisse? Scriptum est enim: *Nolite san-* C

A *ctum dare canibus*. Quod quamuis à doctoribus spiritualiter intelligendum esse prædicetur, ego tamen satis me dare canibus sanctum censeo, si Monasteriorum prædia, quæ à religiosis viris Deo sunt militantibus tradita, tulero, & seculo militantibus dedero. Tibi verò tam procaciter iniusta petenti, sub testimonio totius populi, nec hoc, nec aliud vnquam te à me accepturum esse testificor. Si cordi tibi est, cum ceteris infidelibus auolare, quantò citiùs, tantò melius. His auditis, quia facies speculum est mentis, cordis verecundiam vultus rubore nudauit: concitúsque Regis ad pedes corruens, se peccasse, se grauiter deliquisse, confessus est. Perpende itaque, qua constantia Dei athleta non solùm visibiles, verùm etiam inuisibiles conterat hostes. Antiquus etenim hostis non ei se nocuisse putauit, dum tot fortissimos Principes contra illum surgere persuasit. Fratrem etiam, qui ei Regnum auferret, instigauit: quoniam hæc exteriora esse damna cognouit. Quin & præfatum Comitem ad expetendam Sanctorum hereditatem incitauit, quatenus Rex eo velociùs offensam Dei incurreret, quo seruorum Dei stipendia suis iniustè militibus traderet. Verùm quia nequiuit, nunc quantum Rex sanctus ob tentationis huius constantiam Deo pro se pugnante creuit, in medium proferamus.

OTHO, HVGO, LOTHARIVS.

Quomodo Deo pro Othone Rege pugnante, Gilebertus & Euerardus apud Andrenacum sint occisi.

CAPVT XVI.

B DAVID sanctus ex persona Domini dicit: *Si populus meus audisset me, Israël si in viis meis ambulasset: pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam.* Quod in Rege hoc Dominum audiente, atque in viis eius ambulante, esse completum, quam prompturus sum ratio declarabit. Euerardus atque Gilebertus, audito Regem in Alsatia esse, quoniam neminem qui eis resisteret verebantur, permagno collecto exercitu Rheni alueum ad Andrenacum pertranseunt, Regísque fideles circumquaque demoliri procedunt. VDO sanè HERMANNI Ducis Sueuorum frater, necnon & CONRADVS cognomento SAPIENS, quos superiùs Regi diximus esse fideles, ipsius in partibus erant. Sed quia eorum copiæ istorum copiis impares extiterant, his occurrere trepidabant. Verùm iubente Deo, non locutionis, sed inspirationis modo, hos cum multis spoliis redeuntes ponè sequuntur. Cúmque paululum processissent, quidam eis flens & eiulans obuiam venit Sacerdos. Qui rogatus ab eis, quò iret: cur fleret? Ab istis, inquit, prædonibus ego venio, qui paupertatis meæ ærumnam vno quod solùm possederam iumento ablato dilatarunt. Quod cùm præfatus Vdo ac Conradus audirent, an Gilebertum atque Euerardum viderit, examussim sunt sciscitati. Quo respondente, quoniam cum præda cunctis penè trans Rhenum missis, ipsi soli cum eorum electis militibus (quod nec benè vertat) capiunt cibum: tanta celeritate super eos irruunt, vt si videres, non eos currere, sed diceres transuolare. C Quid plura? Euerardus gladiis occiditur, Gilebertus Rheni vndis submergitur: quas quoniam exorbere præ multitudine non potuit, anima recedente defecit. Ceterorum verò nullus aufugit, qui non aut viuus caperetur, aut gladio truncaretur. Vides igitur, quemadmodum super Regem tribulantes Dominus manum miserit, quem in viis suis ambulantem cognouit.

De nuntio, qui Othoni cædem Gileberti & Euerardi nuntiauit, cùm Templum peteret: & de pietate eius.

CAPVT XVII.

DVM hæc aguntur, Rex in Alsatia horum inscius moti potiùs quàm aduersarios fugere est paratus. Accidit itaque vt, quemadmodum ei moris erat, mane primo, quoniam Ecclesia longè aberat, super equum consideret, eóque se munitum orationibus iret: dum directis procul oculis obuiare sibi sub nimia celeritate hominem vidit, quem illicò nuntium esse intellexit, eò quòd subsecuturam lætitiam quodam præludio hilaritatis ostendit. Hoc igitur indicio quia secunda eum nuntiare qui aderant intelligunt, arrectis auribus vt eum audiant currunt. Quibus moderata huius processio, capillorum ac vestium compositio, honesta fa-

OTHO, HVGO, LOTHARIVS.

lutatio annuerat. Vidit Rex populum anhelare, & quòd dicendi moram nuntius faceret grauiter ferre. Age, ait, ad quod missus es fare, præpostero ordine rem prius exprime: circumstantium metus adime, eorúmque animos gaudio exple: » dehinc per longa exorsa & Rhetorum proœmia salutationibus nos demulce. Non » qualiter, sed quid dicas, præsens tempus expectat. Malumus enim rusticana sim- » plicitate lætari, quàm Tulliana eloquentiâ periclitari. His auditis, Euerardum atque Gilebertum hominem exutos esse primo impetu nuntiauit, volentémque qualiter hoc acciderit prosequi, Rex manu compescuit: ac mox de equo descendit, seséque cum lachrymis Deo gratias agens in orationem dedit. Qua expleta, surrexit, atque itinere quo cœperat Deo se commendaturus ad Ecclesiam tendit. A

Quomodo Otho Rex Bertholdo Baioariorum Duci amico suo res lætas denuntiauit, & nuptias sororis aut filiæ eius obtulit: & de Friderici Episcopi inani contra Regem factione.

CAPVT XVIII.

HOc in tempore BERTHOLDVS Baioariorum Dux Arnulfi Ducis frater, vir strenuus, Regis partibus toto fauebat conamine. Volens itaque Rex, vt quemadmodum tribulationis præteritæ, ita & lætitiæ præsentis fieret particeps: sequenti die, quanta erga eum Dominus beneficia egerit, nuntiis directis aperuit. B Cui etiam in augmentum lætitiæ, quoniam coniugali minimè connubio tenebatur, demandauit, ac iuramento promittere fecit, vt si sororem suam, scilicet Gileberti vxorem, habere posset, eam illi coniugio copularet. Quod si minus procederet, ipsius Gileberti ex eadem sorore genitam, quam penes se habuerat, ferè iam nubilem, maritali ei coniugio traderet. Quo audito, Bertholdus immenso est gaudio affectus: elegitque nondum nubilem potiùs filiam expectare, quàm matrem, quæ iam nupserat, tollere. Fridericus denique Moguntiacensis Ecclesiæ Archiepiscopus, cuius consilio nonnulli Episcoporum Regem dimiserant, vt quam occultè gestabat infidelitas cunctis pateret, decem fermè diebus ante prænominatorum interitum Regem deseruit, ac Moguntiam concitus venit. In qua nihil moratus, Metensem vrbem adiit. Disposuerat enim Regis frater HENRICVS, redeuntibus Euerardo atque Gileberto, cum eodem Friderico illic exercitum congregare: sicque Regi in Alsatia degenti bellum maximum præparare. Cúmque illò peruenisset nominatus Archiepiscopus, insperatè, & non opportunè ei nuntij occurrerunt: qui iam prælibatos Principes morte intercedente non viuere dicunt. Is autem animo consternatus, quid faceret penitus ignorabat.

De eiusdem Frederici Archiepiscopi captiuitate. Et de sorore Henrici, prohibente ne in munitiones quasdam contra Regem se recipiat. Et quomodo Henricus tandem ad misericordiam Regis fratris sui se submiserit. C

CAPVT XIX.

REx interea Alsatiam deserens, Franciam occupabat. Cuius ob metum Moguntiæ ciues redeuntem Archiepiscopum intra vrbis mœnia non suscipiunt. Vnde factum est, vt non multò post à Regis fidelibus captus, & ante eius præsentiam adductus, custodiæ sit in Saxoniam traditus. In qua aliquandiu commoratus, miseratione Regis dignitati pristinæ est restitutus. Henricus denique Regis sui atque fratris terrore compulsus, in castellum Capræmons vocabulo non solùm ingeniis hominum, verùm naturâ ipsa munitum, ingredi voluit. Quod eius soror, vidua scilicet Gileberti, prænoscens, non solùm ne id facere posset prohibuit, ve- » rùm huiusmodi eum sermonibus conuenit. Proh! non tete miseriarum mearum » tædet, quas interempto Gileberto marito perpetior: ni etiam meis in munitioni- » bus te occludendo, Regis iram super regionem velut aquam effundas? Non fe- » ram, non sinam, non patiar: non tanta mihi vecordia innata erit, vt ex meis in- » commodis tua compares commoda. His Henricus auditis, cùm aliud quid faceret ignoraret, assumptis secum quorum auxilio iuuaretur quibusdam Episcopis, die

OTHO, HVGO, LOTHARIVS.

A die quadam nudis pedibus Regis ad pedes ignorante ipso peruenit: supplexque misericordiam implorauit. Cui Rex, Indignum, inquit, facinus tuum misericordiam non meretur. Verùm quia video te humiliatum coram me, non inducam malum super te. Iussit itaque Rex eum ad Palatium suum, quod in Francia, in loco qui dicitur Inglinheim, constitutum est, proficisci, sollertique illum vigilantia custodiri: quoad iræ remota paululum ægritudine, quid super eum faceret, consilio sapientium definiret.

LIBER QVINTVS.

Qualiter Hermannus Sueuorum Dux Liuthulfo filio Regis Othonis Idam filiam suam coniugem obtulerit. Et de eclypsi Solis ante victoriam Radamiri in Hispania, & de apparitione cometæ. Item qualiter Rex Hugo Romam vexauerit.

CAPVT I.

B FACTVM est vt, post mortem Euerardi atque Gileberti, necnon & Henrici fratris Regis inclusionem, concurrentibus vndique ad Regem congratulationis causâ Proceribus, veniret etiam vir ditissimus Sueuorum Dux HERMANNVS: qui post congratulationis satietatem, talibus est Regem aggressus sermonibus: Non clam Domino meo est, tum prædiorum latitudine, tum pecuniarum immensitate prædiuitem me absque liberis esse: nec est præter vnam paruulam natam, quæ mearum rerum me redeunte hæres existat. Placeat itaque Domino meo Regi, filium suum paruulum LIVTHVLFVM mihi adoptare filium: quatenus vnicæ filiæ meæ maritali commercio sociatus, me migrante meatum fiat hereditate rerum magnificus. Hoc itaque quia placuit Regi consilium, quod poposcerat sine dilatione compleuit. Hoc in tempore, vt ipse, Pater, benè nosti, Sol magnam & cunctis terribilem passus est eclypsim sexta feria, hora diei tertia. Qua etiam die Abdaram Rex noster à Radamiro Rege Christianissimo Galithiæ in bello superatus est. Sed & in Italia octo continuis noctibus miræ magnitudinis cometa apparuit, nimiæ proceritatis igneos ex sese radios fundens: subsequuturam non multò pòst famem portendens, quæ magnitudine sua miserè vastabat Italiam. Eadem tempestate HVGONE Rege turpiter expulso, ALBERICVS, vt præfati sumus, Romanæ ciuitatis monarchiam obtinebat. Quem Rex Hugo quotannis grauiter opprimebat, gladio & igne quæ poterat vniuersa consumens: adeò vt ciuitates, præter Romam, in qua ipse consederat, omnes auferret. Sed & ipsam sine dubio C tum depopulando, tum ciues muneribus corrumpendo, conquisiuisset: nisi occulta & iusta iusti Dei sententia illi prohibuisset.

De Berengario & Anschario fratribus, quorum posterior Marchio Camerinorum & Spoletinorum ab Hugone constituitur. Item de Sarlio seu Harlio: quem Rex Hugo contra Anscarium noua molientem miserit: & de Anscarij verbis. Item de bono consilio VViberti, & malo Archodi Regi dato.

CAPVT II.

PER idem tempus BERENGARIVS atque ANSCARIVS in Italia fratres clarebant. Vno quidem patre, Adelberto scilicet Eporegiæ ciuitatis Marchione, sed non vna matre progeniti. Berengarium namque, vti præfati sumus, Gilla Berengarij Regis filia: Anscarium autem Ermengarda Adelberti Tusciæ prouinciæ Marchionis, quam ex Bertha Regis Hugonis filia habuerat, peperit. Quorum Berengarius consiliis prouidus, ingenio callidus, Anscarius verò ad quodlibet facinus promptus. Quem & Rex Hugo nimis suspectum habuerat, ne se occideret, ac Regnum sibimet obtineret. Consilio itaque accepto, quia THEO-

OTHO, HVGO, LOTHARIVS.

BALDVS Marchio hominem exierat, Spoletinorum eum ac Camerinorum constituit Marchionem: quatenus eò securiùs viueret, quò longiùs hunc ab sese esse sequestratum cognosceret. Quò dum profectus esset, vti animi impatiens erat, quicquid ex Rege mali mens ei cogitando suggesserat, rerum signis continuò declarabat. Quod Regem Hugonem minimè latuit. Igitur quod remedium huic ægritudini dare posset excogitans, Sarlionem ad se Burgundionum ex gente progenitum aduocat. Cui & ait: Camerinorum ac Spoletinorum hominum non est mihi fides incognita. Est enim calamo similis, cui si innisus fuerit homo, perforabit manum suam. Vade itaque, atque accepta à me pecuniâ mentes eorum corrumpe: ab Anscarij dilectione eos amoue, tibique coniunge. Te nemo est qui possit facere tum meliùs, tum commodiùs. Habes enim illius Theobaldi nepotis mei defuncti optimi Marchionis vxorem, cuius auxiliis fretus cunctus ad te veniet populus. Profectus itaque est, & eo annitente haud secus atque Rex prædixerat Camerinorum ac Spoletinorum populus egit. Congregata itaque multitudine, ad eam, in qua Anscarius erat, ciuitatem properare festinat. Quod cùm audisset Anscarius, antesignanum suum nomine VVibertum talibus adorsus est verbis. A

Sarlius imbellis multorum fisus in armis
Pugnaturus adit, cui fortes pectore & armis
Occursare decet; bellúmque inferre cruentum. B
Lecta manus iuuenum bellis exercita multis,
Post huc tendentem quæ me comitata patronum,
Protinus adueniet fuluo decorata metallo.

His auditis VVibertus, vt erat vir non audacia solùm, verùm etiam scientiâ fretus: » Mane, ait, copias prout potis es congregato. Pergraue est enim cum paucis » innumeris occurrere. Sed & si quibuscum res agitur animaduertis, Heroës sunt » haud segniùs atque nos bello assuefacti. Iam Anscarius VViberto recta sibi consulenti conniuere decreuerat, directísque vsquequaque nuntiis congregare exercitum cupierat: cùm Archodus Burgundionum sanguine ortus VVibertum sibi » consulentem dictis increpabat amaris. Cremeti, inquit, similis es: qui ob Thra» sonis metum Thaidi de occludendis ædibus consilium, quoad vocatos sibi à foro » duceret, dedit. Quem cùm Thais prohiberet, Quod cum salute tua, ait, ca» uere possis, stultum est admittere. Malo ego vos prospicere, quàm vlcisci acce» pta iniuria. Optimè, VVibertus inquit, Thrasonis fecisti memoriam militis, » qui priùs ore desæuiens cùm ad rem veram ventum esset, Syriscum in dextro » cornu, Simalionem in sinistro constituens, ipse sibi locum post principia elegit. » Burgundiones enim garrulos esse, voraces, ac imbelles, nullus qui eos nouerit » ambigit. Sed & quàm fortiter sæpè feceris, quas fugiendo declinasti, cicatrices » indicant corporis.

De prima pugna inter Sarlionem & Anscarium, in qua VVibertus lethaliter vulneratus est, & Archodus fugit. Item de secundo prœlio, in quo Anscharius strenuè pugnans Hattonem Comitem hasta occidit, ac postmodum de equo per dolum decidens ab hostibus occisus est. C

CAPVT III.

HVIVSMODI Anscarius atque VVibertus excitati dictis, vbi Sarlionem cum multis esse audiunt, quàm mox cum paucis properare contendunt. Sex Sarlio acies habuerat, quarum tres contra Anscarij vnam, in qua ipse Anscarius erat, direxerat. Ipse verò fluuio interiecto, rei spectans euentum, cum tribus remanserat. Verebatur enim, quòd nec tanta eum, multitudo quiret defendere, si suos in eum Anscarius posset obtutus inducere. Haud mora, bellum incipitur, in quo Archodus quia fugerat non videtur. VVibertus morte tenus vulneratur, quoniam quidem mori satiùs quàm fugere duxit. His itaque omnibus ab Anscario debellatis, duas in eum iterum Sarlius mittit acies, vnâ solummodo secum retenta. Cúmque Anscarius quis suorum occumberet inquirere vellet, non suo tantùm quàm aliorum sanguine cruentatus VVibertus ei occurrit. cui & ait: Duæ

A contra nos acies perpulchrè armis instructæ adueniunt, quas te potiùs declinare quàm expectare, etiam atque etiam rogo. Archodus, vt ipse benè nosti, pugnæ huius incensor, qualiter aufugerit vides. Ego verò positus in extremis non cogito iam de pugna, sed misericordem Dominum rogo pro anima, ne mihi imputet quæ ob dilectionem tui hodie commerui crimina, multa hominum neci dando corpora. His expletis expirauit. Collectis itaque Anscarius quos potuit, duabus phalangis occurrens, eas inter furibundus insiliit., stragémque innumeram dedit. Comes quidem Hatto nomine duabus illis præerat aciebus: qui hac occasione & fiducia Anscario occurrit, quoniam confracta iam lancea solam in manu eius viderat hastam. Quem dum intuitus esset Anscarius: Tu-ne es, inquit, qui contempto Crucis & sanctorum iuramento periurus in nomine Dei tui me tuum dominum deseruisti, & ad vulpem Sarlium transfuga ac desertor abisti? Esse aliquos manes & subterranea regna, in quibus periuri puniantur, Cocytum, & Stigio ranas in gurgite nigras, qui vsque modò somniasti, reipsa experiere. Hæc dicens, hastam quam sine ferro gestabat, per os illius validè iaciens, sanguine cerebróque respersam per occipitium duxit: enséque abstracto, quoniam multi super se irruerant, dimicare vehementer cœpit. Cúmque nullis sibi adminiculantibus, omnium penè hostium solus impetum sustineret: huc illúcque discurrens sonipes, quo insederat, adeò in scrobem cecidit, vt collo supposito, cruribúsque & B pedibus sursum erectis, eousque super Anscarium iaceret, donec ab irruentibus hostibus missilibúsque directis occideretur. Quo mortuo, Sarlius Marchia securè potitur, & Rex Hugo gaudio immenso afficitur.

OTHO, HVGO, LOTHARIVS.

De missis ab Hugone Constantinopolim ad Imperatorem pro nauibus & igne Græco contra Sarracenos. Item de Berengarij fuga, qui acceperat Regem Hugonem oculis suis insidias parare, & se velle excæcare: & de vxoris eiusdem fuga. Item de imprecationibus Auctoris in montes, qui illis peruij fuerunt. Item qualiter Hermannus Dux Berengarium suscepit, & Othoni Regi commendauit.

CAPVT IV.

DVM hæc aguntur, montana, quibus ab Occidua seu Septemtrionali parte cingitur Italia, à Sarracenis Fraxinetum inhabitantibus crudelissimè depopulantur. Quamobrem Hugo Rex consilio accepto nuntios Constantinopolim dirigit, rogans Imperatorem Romanum, vt naues sibi cum Græco igne transmittat: quas chelandria patrio sermone Græci cognominant. Hoc autem eò fecit, vt dum terrestri itinere ipse ad destruendum tenderet Fraxinetum, eam partem, qua mari munitur, Græci obsiderent nauigio, eorúmque naues exurerent: ac ne C ex Hispania victus eis aut copiarum subsidia prouenirent, diligentissimè prouiderent. Interea BERENGARIVS memorati frater Anscarij, atque Eporegiæ ciuitatis Marchio, occultè quædam in Regem cœpit moliri. Quod dum Regi compertum foret: simulata beniuolentia, dissimulatáque ira, dum ad sese veniret, luce eum priuare disposuit. Filius verò eius nomine LOTHARIVS Rex, & ipse paruulus, & necessariarum sibi rerum adhuc ignarus, quoniam consiliis his interfuit, celare quemadmodum puer haud potuit. Verùm destinato ad Berengarium nuntio, quod pater illi suus facere vellet aperuit. Hoc itaque Berengarius vt audiuit, Italiam quam mox deseruit, ac per montem Iouis in Sueuiam ad Hermannum Ducem properauit. Vxorem verò suam VVILLAM per aliam viam ad eandem Prouinciam venire præcepit. Quæ itinere digressionis suæ per montem auium fœta partuique vicina, qualiter montes tam asperos atque inuios transire pedibus potuerit, satis nequeo mirari: nisi quia fortunas omnes aduersas mihi fuisse certo scio. Sed, ô! quòd sibi decipulam Lotharius præparauerit, futuri ignarus videre non potuit. Dum enim Berengario consuluit, qui Regnum & Vitam auferret sibimet præparauit. Imprecor itaque mala plurima non Lothario, qui leuitate peccauit pueritiæ, idque amarè postmodum pœnituit: verùm montibus illis crudelibus contra insuetum omnibus morem facilè eis iter præbentibus. Itaque libet mihi in eorum contumeliam nunc exclamare.

OTHO, HVGO, LOTHARIVS.

Improbe mons auium,
Neque tu nomine dignus:
Conseruas quoniam pestem,
Nunc quam perdere possis.
Inuius esse soles etiam
Cum Sol igneus ardet,
Tempore quo Cererem messor
Curua falce reposcit,
Tempore quo radiis Phœbi
Cancri sidus adurit.
Pessime, nunc es inaudito
Rigida tempore bruma
Peruius. atque vtinam possent
Mea nunc vota valere:
Protinus in baratrum vulsus
Aliis montibus isses.
Ecce Berengarium seruat,
Sinit & tramite recto
Mons transire Iouis, mirum
Haud suetos perdere sanctos,
Et seruare malos, vocitant,
Heu! quos nomine Mauros:
Sanguine qui gaudent hominum,
Iuuat & viuere rapto.
Quid loquar? ecce Dei cupio
Tete fulmine aduri,
Conscissúsque chaos cunctis
Fias tempore cuncto.

A

Igitur Hermannus Sueuorum Dux venientem ad se Berengarium benignè suscepit, cúmque cum magno honore ante piissimi Regis præsentiam duxit. Quem quanta Rex deuotione susceperit, quantis ve muneribus eum donauerit, quantúmque honorauerit, stilus meus se scribere posse diffidit. Verùm quantum poterit designatis, cuius sanctitatis quantæque humanitatis Rex fuerit, quantæque etiam Berengarius improbitatis extiterit, facilè prudens lector animaduertere poterit. B

De legatione Hugonis ad Othonem, vt Berengarium non suscipiat: & de pecunia illi frustra oblata. Item de legatione Romani Græcorum Imperatoris, postulantis nepoti suo Hugonis filiam coniugem.

CAPVT V.

REx Hugo, audita Berengarij fugâ, nuntios suos Regi OTHONI direxit: promittens se secundum voluntatis eius deliberationem auri argentíque copiam ei daturum, si Berengarium non susciperet, eíque adminicula non conferret. Quibus Rex apologeticum huiusmodi dedit. Berengarius non ob dominij vestri deiectionem, verùm si potis est ob reconciliationem, nostram adiit pietatem: si qua in re adminiculari illi penes dominium vestrum potero. Gazas mihi ab illo promissas non suscipio, verùm illi meas libentissimè tribuo. Berengario verò seu cuilibet nostræ pietatis clementiam imploranti, subsidium non præbere summæ dementiæ est. Perpende itaque, quanta eum Rex pius charitate dilexerit, qui promissum non solùm non accipere, sed propriam pro illo voluit dare pecuniam. Dum hæc aguntur, Constantinopolitanus Imperator cum Regis Hugonis nuntiis suos dirigit, mandans naues & omnia quæ desideraret se ei daturum, si nepoti suo filiam suam coniugem daret. Constantinum autem Leonis Imperatoris, non ipsius Romani, filium dico. Tres enim cum Romano hoc imperabant simul: eius videlicet duo filij, Stephanus, atque Constantinus, & Constantinus Leonis Imperatoris filius. Rex itaque Hugo audita hac legatione, directis iterum nuntiis, Romano denuntiat, se legitimam ex coniugio natam non habere: sed si ex concubinarum filiabus vellet, egregiam ei forma posse præstare. Et quoniam Græci in geneseos nobilitate non quæ mater, sed quis pater fuerit, inquirunt: Imperator Romanus naues continuò cum Græco igni præparauit, munera maxima misit, atque vt illam nepoti suo coniungeret, mandauit. Quoniam meus vitricus, vir grauitate ornatus, plenus sapientiæ, Regis Hugonis fuerat nuntius: pigrum non sit mihi inserere, quod eum de Imperatoris sapientia & humanitate, & qualiter Russos vicerit, audiui sæpiùs dicere. C

A

De Nortmannis Russis, & de pugna nauali Romani cum Ingero Rege Russorum seu Nortmannorum: quem mirabiliter vicit, iniiciendo ignem.

CAPVT VI.

GENS quædam est sub Aquilonis parte constituta, quam à qualitate corporis Græci vocant Russos: nos verò à positione loci vocamus Nordmannos. Lingua quippe Teutonum *Nord* Aquilo, *Man* autem mas seu vir dicitur. Vnde & Nordmannos Aquilonares homines dicere possumus. Huius denique Gentis Rex Inger vocabulo erat, qui collectis mille & eò ampliùs nauibus Constantinopolim venit. Quod Romanus Imperator vt audiuit, quoniam naualem exercitum suum directum contra Sarracenos, & ad insularum custodiam habuit, æstuare cœpit cogitationibus. Cúmque cogitationibus non paucas insomnes noctes duceret, & Inger cuncta mari vicina diriperet: nuntiatum est Romano, xv. semifracta se habere chelandria, quæ populus ob vetustatem sola reliquerat. Quod vt audiuit, τοὺς ναυπηγοὺς, hoc est nauium fabricatores ad se venire præcepit. quibus & ait: Properantes sine dilatione, ea quæ remanserunt chelandria præparate. Sed & argumentum non solùm in prora quò ignis proiicitur, verùm etiam in puppi, insuper in vtrisque lateribus ponite. Compositis itaque secundum iussionem suam chelandriis, sapientissimos in eis viros collocat, atque vt Regi Ingero occurrant denuntiat. Profecti denique, cùm in pelago eos impositos Rex Inger aspiceret, exercitui suo præcepit vt viuos illos caperet, & non occideret. Denique miserator & misericors Dominus, qui se colentes, se deprecantes, se adorantes, non solùm protegere, verùm etiam victoriâ voluit honorare, ventis tunc placidum reddidit mare. Secus enim ob ignis emissionem Græcis erat incommodum. Igitur in Russorum medio positi, ignem circumcirca proiiciunt. Quod dum Russi conspiciunt, è nauibus confestim sese in mare proiiciunt, eligúntque potiùs aquis submergi, quàm igni cremari. Alij tunc loricis & galeis onerati, numquam visuri ima pelagi petunt: nonnulli verò natantes, inter ipsos maris fluctus vruntur. Nullúsque die illa euasit, qui fuga sese ad terram non liberauit. Russorum etenim naues ob paruitatem sui vbi aquæ minimum est transeunt, quod Græcorum chelandria ob profunditatem sui facere nequeunt. Ingenti Inger confusione postmodum ad propria est reuersus. Græci verò victoriâ potiti, viuos secum multos ducentes, Constantinopolim regressi sunt læti. Quos omnes Romanus in præsentia Regis Hugonis nuntij, vitrici scilicet mei, decollari præcepit.

B

Vt Hugo Rex Fraxinetum tendens Græcos eò cum nauibus miserit: qui cùm Fraxinetum destruere potuerit, noluit, sed cum Sarracenis fœdus icit.

C

CAPVT VII.

REx itaque HVGO congregato exercitu, classibus per Tyrrhenum mare directis ad Fraxinetum, terrestri ipse eò itinere pergit. Quò dum Græci peruenirent, igne proiecto Sarracenorum naues mox omnes exurunt. Sed & Rex Fraxinetum ingressus, Sarracenos omnes in montem Maurum fugere compulit. In quo eos circúmsedendo capere posset, si res hæc, quam promptutus sum, non impediret. Rex Hugo Berengarium, ne collectis & ex Sueuia & ex Francia copiis super se irrueret, sibique Regnum auferret, maximè timuit. Vnde non bono consilio accepto, ad propria Græcos mox remisit, ipséque cum Sarracenis hac ratione iniit fœdus, vt in montibus, qui Sueuiam atque Italiam diuidunt, starent: vt si fortè Berengarius exercitum per eos ducere vellet, transire eum omni modo prohiberent. Eo verò loco constituti, quàm multorum Christianorum ad beatorum Apostolorum Petri & Pauli limina transeuntium sanguinem fuderint, ille scit solus numerum, qui eorum nomina tenet scripta in libro viuentium. Perquàm iniquè tibi, Rex Hugo, Regnum defendere conaris. Herodes, ne terreno Regno priuaretur, innocentes multos occidit: tu vt obtineas, nocentes & morte dignos dimittis. Atque vtinam ea ratione nocentes illi viuerent tunc, ne postmo-

OTHO, HVGO, LOTHARIVS.

dum innocentes interimerent! Puto, seu, quod verius est, credo, te non legisse, A
immò nec audiuisse: qualiter iram Domini incurrerit Rex Israël Achab, dum Regem Syriæ morte dignum fœderatum dimitteret Benadab. Vnus enim de filiis Prophetarum dixit ad Achab. Hæc dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum » morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. » Quod & factum est. Verùm quantum tibi in hac re obfueris, stilus noster suis in locis opportuniùs enarrabit.

De Amedeo Berengarij milite astuto, qui explorator in Italiam venit: & de Hungaris ab Hugone in Hispaniam ablegatis.

CAPVT VIII.

TEMPORE quo BERENGARIVS ab Italia fugit, quendam secum Amedeum nomine militem duxit adprimè nobilem, & (vt postmodum claruit) non Vlysse calliditate ac temeritate inferiorem. Fortissimus Rex Otho, cùm nonnullis impeditus rebus, tum quotannis ab Hugone Rege muneribus immensis delinitus, Berengario copias parare non posset: ipse, quem præfatus sum, Amedeus Berengarium ita conuenit: Nec clam te est, inquit, Domine, quòd inuisum se imperio duro Rex Hugo cunctis Italicis effecerit: præsertim cùm & concubinarum filiis ac Burgundionibus dignitates sit largitus, nec vllus inuenitur Ita- B
» licus, qui non aut expulsus, aut dignitatibus omninò sit priuatus. Et quòd in » Regem non aliquid moliuntur, hæc causa est: quoniam quidem quem sibi con- » stituant Principem non habeant. Si itaque nostrum aliquis, mutato habitu ne » agnosceretur, eò tenderet, eorúmque voluntatem inquireret, consilium procul- » dubiò nobis bonum exculperet. Cui Berengarius: Te, inquit, tum commodiùs, » tum nemo potest facere meliùs. Igitur Amedeus mutato habitu cum pauperibus, qui orationis gratiâ Romam tendunt, Romam quasi profecturus Italiam petiit, Principes conuenit, & quid vnusquisque cordi haberet inquisiuit. Neque enim eodem se omnibus habitu ostendebat. Nunc niger aliis, subniueus aliis, maculosus aliis videbatur. Verùm fama, malum, quo non aliud velocius vllum mobilitate viget, eum in Italia esse auribus Regis indicauit. Quem dum diligenter iuberet inquiri, ipse prolixam & pulcherrimam barbam pice adeò defœdauit, capillos subaureos nigredine immutauit, faciem detutpauit, debilem finxit, adeò vt inter pauperes Regis in præsentia comedentes se Regi nudum ostenderet, & vestem ab eo qua indueretur acciperet, & quicquid Rex de Berengario & ipso loqueretur audiret. Hoc denique modo cunctis diligentissimè perscrutatis, non eodem modo quo venerat cum Oratoribus est regressus. Præceperat enim Rex Clausarum custodibus, ne quempiam transire permitterent, nisi priùs quis esset diligenti inuestigatione inquirerent. Quod Amedeus audiens, per inuia quædam & aspera nulli custodita pertransiit, atque ad Berengarium cum ea qua voluit legatione peruenit. Hoc in tempore Rex Hugo, datis decem nummorum modiis, pacem cum Hungaris fecit: quos ab Italia acceptis obsidibus expulit, atque in Hispaniam, dato eis præduce, direxit. Quòd verò & ad Hispaniam, & ad ciuitatem ipsam, in qua Rex morabatur, Cordubam non venerint, hæc causa fuit: quoniam triduò per inaquosam & asperam viam ducti, cùm timerent se siti perituros, præduce sibi ab Hugone concesso morte tenus vulnerato, celeriori cursu reuersi sunt. C

De Bertha Hugonis ex concubina filia Constantinopolim missa nuptum Romano iuniori. De fortitudine Palatij Constantinopolitani: & qualiter Stephanus & Constantinus filij Romani patrem suum è Palatio & Imperio eiecerint.

CAPVT IX.

HAc etiam eadem tempestate idem Rex HVGO Bertham filiam suam, quam ex meretrice Bezola ipse genuerat, per Sigefredum venerabilem Parmensis Ecclesiæ Antistitem Constantinopolim direxit, Romano paruulo Constantini Porphyrogeniti filio copulandam coniugio. Tenebátque summum Imperium Romanus maior, eiúsque filij duo Constantinus & Stephanus: quibus post Roma-

A num præstabat Constantinus Leonis Imperatoris filius. Cuius paruulus ex Helena Romani maioris filia natus iam nominatam Bertham, quam mutato nomine Græci Eudoxiam dixerant, vxorem duxerat. His itaque quatuor imperantibus, Stephanus atque Constantinus fratres, ignorante Constantino Leonis Imperatoris filio, aduersus Romanum patrem suum quædam dolosa machinabantur. Tædebat enim eos patris seueritate opposita, quæcumque vellent facere non licere. Vnde & malo mox accepto consilio, quatenus patrem deiicerent pertractabant. Constantinopolitanum Palatium non pulchritudine solùm, verumetiam fortitudine omnibus, quas vnquam viderim, munitionibus præstat. Quod etiam iugi militum stipatione non minima obseruatur. Moris itaque est, hoc post matutinum diluculum mox omnibus patere: post tertiam verò diei horam, emissis omnibus, dato signo, quod est *Mis*, vsque in horam nonam, cunctis aditum prohibere. In hoc igitur Romanus aureo triclinio, quæ præstantior est pars, potentissimè degens, ceteras partes Palatij genero Constantino, filiisque suis Stephano & Constantino, distribuerat. Hi denique duo, vt prædiximus, non ferentes patris iustam seueritatem, in cubiculis suis multis copiis congregatis diem constituerunt, quando patrem deiicere, solique ipsi possent regnare. Cúmque dies adueniret optata, cunctis de Palatio iuxta morem egressis, Stephanus & Constantinus facta congressione super patrem irruunt, eúmque de Palatio omnibus ignorantibus deponunt; B & ad vicinam insulam, in qua Cœnobitarum multitudo philosophabatur, tonso ei (vt moris est) capite, ad philosophandum transmittunt. Fit quàm mox multirumiger Constantinopoli sonitus. Romanum quidam eiectum, Constantinum verò eius generum alij interfectum clamitabant. Nec mora, totius populi ad Palatium fit concursus. Romanus quasi Imperator abusiuus non requiritur, verùm an supersit Constantinus ab omnibus percontatur. Cùm seditio inquisitionis non modica fieret pro Constantino, rogantibus Stephano & Constantino, ex ea parte, qua Zucanistrij magnitudo portenditur, Constantinus per cancellos crines solutus caput exposuit: suáque ostensione populi mox tumultum sedauit, ac in propria quemque repedare coëgit. Quod factum grauem duobus fratribus ingessit dolorem. Quid profuit, inquiunt, quòd abdicato patre alium, qui non est, dominum sustinemus? Tolerabilius enim decentiúsque paternam quàm exteram pateremur dominationem. Quid illud, aiunt, quòd in huius auxilium non solùm propriæ, sed exteræ venere nationes? Sigefridus quippe Episcopus Regis Hugonis nuntius, assumptis secum suæ linguæ Nationibus, à Melfatinis *, Romanis, Caietanis, nobis ad interitum huic præsidio fuit.

* al. Melnadnis.

De eisdem Stephano & Constantino, qui Constantinum Leonis filium conati sunt eiicere: à quo & ipsi sunt capti fraude Diabolini, atque in Monasterium apud patrem, qui eos lepidè redarguit, missi.

C

CAPVT X.

His dictis, armatorum manibus cubicula pro parte complent. Quibus Diabolinus præfuit, qui & eorum animorum incensor, & post paulolum proditor extitit. Constantinum denique libris incumbentem ita conuenit: Quæ tibi incommoda & à Stephano & à Constantino fratribus, immò inimicis tuis, præparentur: isthæc, quæ in te vetus permanet, religio ignorat. Si enim infortunia tibi parata cognosceres, quatenus posses viuere cogitares. Vxoris tuæ fratres Stephanus & Constantinus, armatorum manibus congregatis, atque in cubiculis iam conclusis, te non vt patrem de Palatio expellere, verùm hîc cogitant interficere. Occasio autem tui interitus hæc erit. Cœnatum te post triduum Constantinus & Stephanus inuitabunt. Cúmque sessionis tuæ medium Excellentiæ tuæ, quatenus moris est, obtinere tentabis: percusso mox scuto inclusi de cubiculo exilient, tuámque fuso sanguine vitam finient. Fidem autem si relatis exposcis, vsque in præsentiarum affirmo argumentis, quoniam conclusorum tibi personas rimis ostendo: deinde quod saluti solennius est tuæ, ostiorum tibi claues trado. His auditis, Constantinus: Age, infit, vt coniuratorum prodidisti perfidiam, quatenus deuincam hanc, exprime sententiam. Non enim tam mihi salus mea chara, quàm pietas erit in referenda gratia iocunda. Cui Diabolinus: Non enim, in-

OTHO, HVGO, LOTHARIVS. quit, clam te est, Macedones tum tibi deuotos, tum bello duros existere. Mittito itaque, ac cubilia propria, Stephano & Constantino ignorantibus, eis suffarcinato. Cúmque designata dies conuiuij aduenerit, atque ob sessionis fastum si tumultus irrepserit, dato signo, vt præfatus sum, percusso scilicet clypeo, cùm illorum manus armatorum præsidio eis esse non poterit, tui mox ex improuiso prosiliant, eósque tantò commodiùs, quantò insperatiùs capiant: atque ad vicinum Monasterium, ad quod patrem suum, socerum tuum, miserant, tonsis, vt moris est, capitibus philosophatum transmittant. Diuinæ siquidem rectitudo iustitiæ tuum negotium secundabit, cuius recompensatio ne in patrem peccarent illos non terruit, & te ne offenderes custodiuit. Quod iusto Dei iudicio ita accidisse, non solùm Europa, sed & Asia nunc cantat, & Africa. Designato etenim die, dum simulata pace Constantinum hunc & Stephanus & Constantinus fratres ad conuiuium inuitarent, & ob sessionis fastum tumultus insurgeret: percusso, vt dictum est, scuto, Macedones ex insperato proruunt: duósque fratres Stephanum & Constantinum quàm mox comprehensos, capite tonsos, ad vicinam insulam, ad quam patrem suum ablegarant, philosophatum mittunt.

De Romani in filios irrisione, & oratione ac prece, quam contra eos egit: gratias agens de eo, quòd impietatis pœnas darent. Et quomodo filij eius custodiæ addicti fuerint.

CAPVT XI.

QVORVM pater Basileus Romanus aduentum vt audiuit, gratiarum actiones Deo exhibuit, eisque extra Monasterij fores læta facie obuians: Festiuum, inquit, tempus quod humilitatem nostram imperium vestrum visitare coëgit. Charitas puto, quæ me de Palatio expulit, filiationem vestram non ibi diù permanere permisit. O factum benè, quòd me pridem præmisistis! Confratres enim mei, & commilitones mei, supernæ tantùm philosophiæ incumbentes, qualiter Imperatores susciperent ignorarent, si non me iamdudum Imperialibus institutis tritum haberent. Parata iam frigidior occiduis aqua decocta pruinis, dulces adsunt fabæ, lachana, porríque recentes. Non hîc marinæ delitiæ morbos, sed crebra potiùs ieiunia creant. Turbam verò hanc tantam tam sumptuosa modicitas nostra non recipit: vestrum solummodo imperium suscipit; quod ne paternam deserat senectutem aduenit. Romano hæc & huiusmodi perstringente, Stephanus & Constantinus filij pudibundo contuentes lumine terram, quàm inuitè Monasterium peterent, non est percontari necesse, sed credere. Expansis itaque post hæc manibus, ad altare Romanus ante crepidinem fusus, huiusmodi cum lachrymis Deo preces effudit.

Christe Pater, cum quo Pater est & Spiritus vnum,
Iure Patris Verbum, per quod Pater omnia mundo
Ostendit secreta poli, seu mystica pandens:
Respice figmentum propria bonitate creatum.
Ne patiare, precor, me dæmonis arte perire,
Sanguine quem sacro voluisti reddere vitæ.
Da, Deus, vt mundi pompas calcare superbas
Iam valeam: sistátque procul corruptor iniquus,
Cui labor est animas semper fœdare beatas.
Imperium libuit, cùm sceptra tuli, haut nunc placet. Ergo
Gratia sit tibi, dignatus quòd pellere iniquos:
Imperij teneant solium ne forte paternum.

His ita gestis, Stephanus atque Constantinus custodiâ iugi obseruantur, patre ea quæ acciderant æquanimiter perferente. Aiunt enim hunc, & sub attestatione confirmant, dum à Fratribus lentis ob purgationem culparetur, respondisse: quòd luculentiùs regnaret, qui seruorum Dei humilitatibus deseruiret, quàm qui potentibus mundi peccatoribus imperaret.

A *De aduentu Berengarij desiderati in Italiam. & cur Manasses Arelatensis eius partibus fauit. Et de Milone, ac aliis, qui deserto Hugone ad Berengarium transfugerunt: & de Berengarij in Regnum restitutione.*

CAPVT XII.

DESIDERATVS interea BERENGARIVS ex Sueuorum partibus, paucis ipsum comitantibus, à Sueuia per venustam vallem Italiam petiit: applicuitque castra secus munitionem vocabulo Formicariam, quæ à Manasse, vt iam prædiximus, Sedis Arelatensis Archiepiscopo, túncque Tridentinæ, Veronensis, atque Mantuanæ Sedium inuasore, Adelhardi eius Clerici erat vigiliæ commendata. Cúmque Berengarius nullius machinamenti apparatu, nulliúsque belli impetu hancse capere posse conspiceret, Manassis ambitionem & κενοδοξίαν, id est vanam gloriam, cognoscens, Adelhardum ad se venite coëgit. cui & ait: Si munitionem hanc potestati meæ tradideris, dominúmque tuum Manassen ad adiutorium meum inflectere potueris, illum in cathedrâ promouebo Mediolani Archiepiscopatus: te verò Cumani Episcopatus dignitate post acceptam Regni potestatem donabo. Et vt promittenti mihi fidem admittas, quod verbis spondeo iuramentis affirmo. Hæc dum Manassi ab Adelhardo narrantur, tum ille munitionem non B solùm Berengario dari iussit, verùm etiam Italos omnes in eius auxilium inuitauit. Fama igitur, malum, quo non aliud velocius vllum mobilitate viget, Berengarij aduentum quàm mox omnibus nuntiauit. Cœperunt mox nonnulli, Hugone deserto, adhærere Berengario. Horum Milo præpotens primus, qui dum Hugoni suspectus, appositis clam custodibus, obseruaretur: simulatus se non intelligere custodiri, fermè cœnam vsque ad noctis protraxit medium. Cúmque omnes tum vino tum somno aggrauati corpora quieti traderent: solo se eo qui portauerat clypeum comitante, Veronam peretitus peruenit, directisque nuntiis Berengarium exciuit: quem & in Verona, quò Hugoni firmiùs resisteret, suscepit. Sanè nulla hunc infidelitas ab Hugone diuisit, verùm illata ipsi ab eodem nonnulla incommoda, quæ iam diu sustinere non potuit. Prosequitur hunc VVido præsul Mutinensis Ecclesiæ non iniuriâ lacessitus, sed maxima illa Abbatia Nonantula, quam & tunc adquisiuit, animatus. Qui Hugonem non solùm deseruit, verùm etiam multorum multitudinem secum abstulit. Quod Hugo vt audiuit, congregatis copiis ad eius castrum Niueolam * venit: idque viriliter, sed inutiliter oppugnauit. (* al. Vicneolam) Quod quàm mendacij alienum sit, sententia subsequens declarabit. Nam dum eodem loco degeret, Berengarius ab Hardetico Archiepiscopo accitus, Veronam deseruit, ac Mediolanum concitus venit. Quo audito, Rex Hugo Papiam tristis venit. Cœperunt interea omnes Italiæ Primates omine non bono Hugonem deserere, & egenti Berengario adhærere. Egentem autem, non nihil possidentem, C sed cui nunquam quicquam satis est, aio. Quoniam improbi & auari, qui incertas atque in casu positas possessiones habent, & plus semper appetunt, (nec eorum quisquam adhuc sibi sufficiens inuentus est, cui quod haberet esset satis) non modò non copiosi diuites, sed etiam pauperes & inopes existimandi sunt. Soli enim sunt diuites, & fructuosas ac sempiternas possessiones possidentes, qui suis rebus contenti, satis esse putant quod est. Non esse cupidum, vera pecunia est. Non esse edacem *, vectigal est. (* emacem) Fateamur ergo, vter est ditior, cui deest, an cui superat? qui eget, an qui abundat? cui possessio quo est maior, eò plus requirit ad se tuendum, an qui se suis viribus sustinet? Contentum etenim suis rebus esse, maximæ sunt certissimæque diuitiæ. Verùm de hoc nunc id dictum esse sufficiat. Ad Berengarium stili initium redeat, cuius in aduentum aureum omnes seculum promittebant, & felicia quæ talem extulerant tempora clamitabant.

Quomodo Rex Hugo Lotharium filium suum Mediolanum misit ad concitandam miserationem Italorum. De Berengarij astutia. De Ioseph Brixiano Episcopo, & de VValdonis Episcopi iniquitate.

CAPVT XIII.

EO namque Mediolani degente, ac Italicas dignitates sibi adhærentibus dispensante, Rex Hugo LOTHARIVM filium suum non ad Berengarium so-

OTHO, HVGO, LOTHARIVS.

lùm, verùm ad totius populi præsentiam dirigit: petens, quia se eis non morigerum abdicauerunt, filium qui nil in eos deliquerat saltem pro Dei amore suscipiant, ac voluntatibus eorum morigerum reddant. Lothario denique Mediolanum petente, Rex HVGO Papia omni cum pecunia egressus, Italiam deserere, atque in Burgundiam ire cogitauit. Sed res ista eum retinuit, quoniam dum misericordia inclinati Lotharium in Ecclesia beatorum Confessoris & Martyrum Ambrosij, Geruasij & Prothasij, ante crucem prostratum erigerent, & Regem sibi constituerent: quàm primum ad Hugonem dirigunt nuntium, per quem illum iterum super se regnare promittunt. Hoc planè consilium, immò deceptionem, non omnes, sed Berengarius (vt erat calliditate suffarcinatus) adinuenit: non quo hos regnare disponeret, sed vti pòst claruit ne Hugo discederet, atque immensa pecunia quam habebat Burgundionum atque aliarum Gentium super se populos inuitaret. Hoc in tempore Ioseph quidam moribus senex, diebus iuuenis, ciuitatis Brixianæ clarebat Episcopus. Quem Berengarius, vt erat Dei tyrannus vehemens, ob morum probitatem Episcopatu priuauit: eiúsque loco Antonium, qui nunc vsque superest, nullo consilio habito, nulla Episcoporum deliberatione constituit. Sed & Cumis tunc non Adelhardum, vt iurauerat, verùm ob Mediolanensis Episcopi amorem, VValdonem quendam ordinauit. Quod quàm benè fecerit, subditorum depopulatio, vitium incisio, arborum decorticatio, multorum oculorum excussio, simultatis sæpissima repetitio, tum signis, tum gemitibus narrant. Adelhardum autem Regiensi præfecit Ecclesiæ. A B

Cur Berengarius Placentinum & Papiensem Episcopos dimiserit, & cur Liuthprandum Auctorem huius Operis parentes sui Berengario commendarint, factúsque sit eiusdem à secretis. Item quomodo Hugo desperans de victoria, cum omni pecunia in Prouinciam aufugerit. Et quomodo ad eum Raimundus Aquitanorum Princeps venerit, eidem militaturus. & de Hugonis obitu.

CAPVT XIV.

BOSONEM verò Hugonis Regis spurium, Placentinæ Sedis, & Liutefredum Papiensis Ecclesiæ expellere Episcopos cogitauit. Verùm intercedente pretio, ob Dei amorem eos se dimisisse simulauit. Quàm immensum tunc Italis gaudium! Alterum Dauid venisse latrabant. Sed & magno Carolo hunc cæca mente præferebant. Quanquàm enim iteratò Reges Hugonem atque Lotharium Italici susciperent, BERENGARIVM tamen nomine solùm Marchionem, potestate verò Regem: illos vocabulo Reges, actu autem neque pro Comitibus habebant. Quid plura? Tanta hac Berengarij fama, humanitate, liberalitate parentes acciti mei, ei ad seruiendum me tradunt. Cui etiam immensis oblatis muneribus, secretorum eius conscium ac Epistolarum constituunt signatorem. Cui quum fideliter longo tempore deseruirem, hac me quam prosecutus sum suis in locis mercede donauit. Verùm hæc retributio penè me ad desperationem vsque pertraheret, si in re consimili consocios plurimos non excederet. De isto enim pulchrè dictum accipimus: Pennæ struthionis similes sunt pennis accipitris & herodij. Cùm tempus aduenerit, in altum alas erigit, deridet equitem & ascensorem eius. Hic enim superstitibus Hugone & Lothario, magnus, voráxque struthio: non bonus, sed bono similis est visus. Eis autem decedentibus, & ad Regni fastigia omnibus illum promouentibus, quantum alas erexerit quantísque diludiis nos omnes irriserit, non tam verbis quàm suspiriis ac gemitibus narro. Sed his omissis, ad narrandi seriem redeamus. Rex HVGO, cùm diuinam animaduersionem declinare, ac Berengario præesse non posset, relicto LOTHARIO, & simulata pace Berengarij fidei tradito, in Prouinciam omni cum pecunia properauit. Quo audito, RAIMVNDVS Aquitanorum Princeps eum adiit, & pro minis mille se in militem dedit, fidémque ei iuramento seruaturum affirmauit: etiam congregatis copiis Italiam ingressurum, ac Berengarium debellaturum esse promisit. Quod quanto nos omnes cachinno affecerit, Gentis illius vilitas palam facit, quæ etsi præsidio esse posset, ad effectum tamen haud quaquam perduceret. Quoniam quidem vocante Domino Hugo Rex breui est viam vniuersæ carnis ingressus, Berthæ nepti suæ BOSONIS Arelatensis Comitis viduæ pecunia derelicta,

A Quam etiam breui spatio intercedente memoratus Raimundus, impudentissimæ Gentis Princeps impurior, sibi maritum effecerat: cuius non solùm concubitu verùm etiam osculo indignum elegantes formarum inspectores eum esse confirmant. OTHO, HVGO, LOTHARIVS.

De uxore Berengarij accusata crimine incesti, & quomodo sit purgata. Item de pecunia, quam Berengarius causa Hungarorum pauperibus & Ecclesiis Dei extorsit.

CAPVT XV.

HVIVS hoc in tempore soror, BERENGARII scilicet uxor, VVILLA passa est crimen incesti. Quod ita verum esse non solùm aulici, vel cubicularij, verùm aucupes & cupedinarij clamant. Habuit etiam ea Presbyterulum Capellanum nomine Dominicum, statura breuem, colore fuligineum, rusticum, setigerum, indocilem, agrestem, barbarum, durum, villosum, petulcum, insanum, rebellem, iniquum: cuius magisterio duas VVilla commendarat natas, GISLAM scilicet, atque GERBERTAM, vt eas literarum scientia epotaret. Occasione itaque puellarum, quas Presbyter Dominicus hirsutus, illotus, facetè docebat, B mater ei propitiauerat, vt visa ingrata ac tenax, hinc existeret larga. Sententia tamen Veritatis, quæ ait: *Nihil opertum quod non reueletur, & occultum quod non in publicum veniat*, diu ignorare homines passa non est. Nam cùm nocte quadam Berengario absente ad cubile dominicum more solito hirsutus idem vellet accedere, canis hunc morsu vehementi laniauit. Consurgentes denique qui in domo erant, cùm eum comprehenderent, & quò iret interrogarent, apologeticum istud anticipando domina dedit: Ad mulieres nostras ibat perditus. Sperans itaque Presbyterulus sibi leuius fore, si teneret sententiam dominæ suæ: Ita est inquit. Cœpit itaque domina vitæ eius insidiari, pretiúmque promittere, si esset qui vitam ei auferret. Sed cùm timerent omnes Deum, & mors eius differretur, peruenit ad Berengarium sermo. VVilla verò cœpit aruspices maleficósque inquirere, quo eorum carminibus iuuaretur. Vtrum autem horum carminibus, an Berengarij adiuta sit mollitie, nescio: adeo mens eius est inclinata, vt sponte maritali submitteret ora capistro. Presbyterulus itaque, quia ad dominæ asseclas adhinniuit, virilibus amputatis dimittitur. Domina verò magis à Berengario diligitur. Dixerunt autem qui eum eunuchizauerunt, quòd meritò illum domina amaret, quem priapeia arma portare constaret. Per idem tempus Taxis Hungarorum Rex magno cum exercitu in Italiam venit. Cui Berengarius nón ex propria pecunia, sed ex Ecclesiarum ac pauperum collectione, decem modios nummorum dedit. Fecit autem hoc, non vt populi curam haberet, sed vt hac occasione magnam pecuniam congregaret. Quod & fecit. In omni enim ætate vtriusque sexus támque ablactatus quàm lactens pro se nummum dedit: quibus æs commiscens, ex C paucis decem modios fecit. Ceteram verò partem, & quicquid ex Ecclesiis tulit, sibi retinuit.

LIBER SEXTVS.

PRÆFATIO.

TEMPORIS instantis qualitas Tragœdum me potiùs, quàm Historiographum quæreret, nisi pararet Dominus in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Explicare enim non possum, quot peregrè profectus quatiar incommoditatibus: iuuátque hominem exteriorem potiùs lugere, quàm scribere. Interior verò Apostolicis confirmatus institutis, in huiusmodi tribulationibus gloriatur: sciens quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Pareat itaque interiori exterior, suáque in-

OTHO. LOTHARIVS. BERENGARIVS.

fortunia non solùm non exhorreat, verùm in his potiùs conquiescat. Dúmque scribendo operam dans, fortunæ rota hos extolli, illos deprimi dixerit, præsentem incommoditatem minus sentiet: eiúsque mutabilitati congaudens deteriora quotquot fuerint, nisi mors aut membrorum debilitatio intercedat, eam non metuat, sed fortunata semper expectet. Instantia enim si maturauerit, salutem quæ deest afferet, infortunatum quod adest expellet. Scribat itaque, & superioribus veris hæc quæ sequuntur vera adiungat. A

De Oratore à Constantino Imperatore ad Berengarium misso, cum Literis, quibus illi Lotharij custodiam commendabat, Oratorémque ab eo petebat: quem vt sine sumptu mitteret, Liuthprandum impensis vitrici sui misit.

CAPVT I.

REGE Hugone Prouinciæ in partibus defuncto, BERENGARII nomen celebre apud nonnullas, præsertim apud Græcas, extitit Nationes. Is enim Italicis omnibus principabatur virtute, Rex verò LOTHARIVS solo nomine. Constantinus itaque, qui, deiectis Romano filiisque eius, Constantinopoleos regebat Imperium: audito Berengarium potentiâ præstare Lothario, per Andream, qui ab officio Comes Curiæ dicebatur, Litteras Berengario dirigit: in quibus continebatur, vehementer se Berengarij nuntium velle videre, cuius in reditu cognosceret, quanta eum charitate diligeret. Scripsit etiam & commendatitias Literas eidem pro Lothario, vt fidelis ei esset administrator, cui Deo largiente extiterat gubernator. Constantinus namque sollicitudinem non paruam Lotharij pro salute habebat: religiosè ob amorem nurus suæ cogitans, quæ Lotharij soror extiterat. Berengarius itaque calliditate suffarcinatus, cogitans quem potissimum mitteret, cui nil impensæ ob itineris longinquitatem præberet: vitricum meum, cuius tunc sub cura degebam, conueniens: Quanti, inquit, esset priuignum tuum Græcas literas non ignorare? Cui cùm diceret: Vtinam diuitiarum mearum ea gratia partem mediam distributam haberem! Non necesse, inquit, habes neque centesimam impertiri. Constantinopolitanus Imperator Literis, vt meum ad se nuntium dirigam, orat. Quod tum ob animi constantiam nemo meliùs, tum ob dicendi copiam nemo commodiùs facere potest. Quid dicam, quàm facilè doctrinas ebibet Græcas, qui tam puerilibus in annis epotauit Latinas? Hac spe quàm mox vitricus animatus, impensas omnes distribuit, méque magnis cum muneribus Constantinopolim direxit. B

Quo tempore Liuthprandus tanquam Orator Berengarij Constantinopolim venerit, Papia egressus: & de mirabili Imperatoris domo, quæ Magnaura, aut potius Megaula, aut Megaron dicta est. Et de susceptione nuntiorum, & miris ibidem ostensis in arbore & solio Imperatoris. C

CAPVT II.

DIE quippe Kalendarum Augustarum Papiâ exiens, per Eridani alueum triduò Venetias veni: vbi & Salomonem Comitem Græcorum nuntium κοιτωνίτην, eunuchum repperi ab Hispania & Saxonia regressum, Constantinopolim versus tendere cupientem, secúmque ducentem domini nostri tunc Regis, nunc Imperatoris, magnis cum muneribus nuntium, Liutefredum scilicet Maguntinum, institorem dignissimum. Octauo autem Kalendarum Septembris die Venetiis egressi, decimoquinto Kalendarum Octobris Constantinopolim venimus: vbi quàm inaudito miróque modo simus excepti, scribere non pigebit. Est Constantinopoli domus Palatio contigua, miræ magnitudinis ac pulchritudinis: quæ à Græcis ρ loco λ posita Megaura *, quasi magna aura, pro aula, dicitur. Hanc itaque Constantinus, tum ob Hispanorum nuntios, qui tunc nouiter eò venerant: tum ob me & Liutefredum, hoc modo parari iussit. Ærea, sed deaurata, quædam arbor ante Imperatoris oculos stabat: cuius ramos itidem æreæ diuersi generis deauratæque volucres replebant, quæ secundum species suas diuersarum auium voces emittebant. In primis verò solium huiusmodi erat arte compositum: vt in momento

*al. Μέγαρον

A momento humile, excelsius modò, quàm mox videretur sublime. Sed sedile, quod erat immensæ magnitudinis, incertum vtrum ærei an lignei, verùm auro tecti leones quasi custodiebant. In hac igitur duorum eunuchorum humeris incumbens ante Imperatoris præsentiam sum deductus. Cúmque in aduentu meo leones rugitum emitterent, aues secundum species suas perstreperent, nullo sum terrore, nulla admiratione commotus: quoniam quidem ex his omnibus eos, qui benè nouerant, fueram percontatus. Tertio itaque Imperatorem pronus adorans, caput sustuli: & quem prius moderata mensura à terra eleuatum sedere vidi, mox aliis indutum vestibus penes domus laquear sedere prospexi. Quod qualiter fieret, cogitare non potui: nisi fortè eo sit subuectus ergalio, quo torcularium arbores subuehuntur. Per se autem tunc nihil loquutus; quoniam etsi vellet, intercapedo maxima indecorum faceret: de vita Berengarij & sospitate per Logothetam est percontatus. Cui cùm consequenter respondissem, interprete sum innuente egressus, & in datum mihi hospitium mox receptus. OTHO.

Quæ dona Liuthprandus propriis impensis, licèt nomine Berengarij, Imperatori Constantino obtulerit: & quæ ab Imperatore vicissim munera susceperit: & in domum imperatoriam quæ decaennea cubica dicuntur, admissus miranda dona ac poma viderit.

B CAPVT III.

SED nec hæc pigeat memorare, quid tunc pro BERENGARIO egerim: scillicet vt agnoscatur, quanta cum charitate dilexerim, & cuiusmodi recompensationem pro benè gestis acceperim. Hispanorum nuncij, & nominatus Liutfredus domini nostri tunc Regis Othonis nuncius, magna ex eorum parte dominorum munera Imperatori Constantino detulerant: ego Berengarij ex parte nihil præter Epistolam, & hanc mendacio plenam detuleram. Æstuabat itaque non parum hac pro verecundia animus, & quid super hac re faceret cogitabat attentus. Æstuanti autem mihi & nimium fluctuanti, meus animus suggessit, quatenus dona quæ Imperatori mea ex parte detuleram, Berengarij ex parte conferrem: paruúmque munus prout possem verbis ornarem. Obtuli autem loricas optimas IX. scuta optima cum bullis deauratis VII. cuppas argenteas deauratas duas, enses, lanceas, verua, mancipia, quatuor carsamatia, Imperatori nominatis omnibus pretiosiora. Carsamatium autem Græci vocant amputatis virilibus & virgâ puerum eunuchum. quod Verdunensis mercatores ob immensum lucrum facere solent, & in Hispaniam ducere. His itaque gestis, Imperator me post triduum ad Palatium vocari præcepit: propriòque mecum ore loquutus, ad conuiuium inuitauit. Póstque conuiuium, magno me meósque asseclas munere donauit. Verùm quia narrandi se occasio intulit, qualis eius mensa festis præcipuè C diebus, qualésque ad mensam ludi celebrentur, bonum opinor non silere, sed scribere. Est domus iuxta Hippodromum, Aquilonem versus, miræ & altitudinis & pulchritudinis: quæ decaennea cubica vocatur. Quid nomen non ab re, sed ex apparentibus causis sortita est. Δέκα enim Græcè, Latinè decem: ἐννέα, nouem: Cubica aut à cubando inclinata, vel curuata, possumus dicere. Hoc autem ideò, quoniam quidem XIX. mensæ in ea, quæ secundum carnem est, Domini nostri Iesu Christi natiuitate apponuntur. In quibus Imperator pariter & conuiuæ non sedendo, vt ceteris diebus, sed recumbendo epulantur. Quibus in diebus non argenteis, sed tantùm aureis vasis ministratur. Post cibum autem aureis vasis tribus sunt poma delata: quæ ob immensum pondus non hominum manibus, sed purpura tectis vehiculis sunt allata. Apponuntur autem duo hoc modo. In mensa per foramina laquearis tres sunt funes pellibus deauratis tecti, cum annulis aureis depositi: qui ansis, quæ in scutulis prominent, positi, adiuuantibus inferiùs quatuor aut eò ampliùs hominibus, per vertibile quod supra laquearium est ergalium in mensam subuehuntur, eodémque modo deponuntur. Ludos denique, quos ibi perspexerim, quia nimis longum est, scribere prætermitto. Vnum solummodo ob admirationem hîc inserere non pigebit.

OTHO,

De mirabili spectaculo ligni in fronte portati, & puerorum super ipsum ludentium: & de familiari Imperatoris cum Liuthprando super ea re disquisitione. A

CAPVT IV.

VENIT quidam, vigintiquatuor & eò ampliùs pedum longitudinis lignum sine manuum adminiculis in fronte gerens: quod cubitum à summitate inferius, bicubitum transuersum in fronte habuerat. Adducti sunt autem duo pueri nudi, sed campestrati, id est succinctoria habentes: qui per lignum ascendentes, ita seruauerunt immobile, ac si radicitus terræ esset affixum. Denique post vnius descensum, alter qui remanserat, eodémque solus luserat, ampliori me admiratione attonitum reddidit. Quoquo modo enim quoadusque luserant lignum, per quod ascenderant, gubernabant. Vnus verò, qui in ligni summitate remansit, quia ita se æqualiter ponderauit, vt & luserit, ac sanus descenderit, ita me stupidum reddidit, vt ipsum etiam Imperatorem mea admiratio non lateret. Vnde & accersito interprete, quid mihi ceteris mirabilius videretur sciscitatus est: Puer-ne, qui se adeò moderatè texerat, vt immobile esset lignum? an is, qui ipsum in fronte tam argumentosè tenuerat, vt puerorum neque pondus neque ludus illud vel modicum flecteret? Cúmque me ignorare, quid mihi θαυμαστότερον, id est mirabilius videretur, edicerem: magno inflatus cachinno, se similiter nescire respondit. B

De erogatione numismatum, & aliorum donorum, pro veteri Imperatoris Græci more, ante diem Palmarum in magistratus & clientes Imperatorios.

CAPVT V.

SED neque hoc silentio prætereundum esse arbitror, quid noui mirique aliud ibidem perspexerim. In ea, quæ est ante βαϊοφόρον, quod nos palmarum ramos dicimus, hebdomade, tam in militibus quàm in diuersis constitutis officijs numismatum aureorum erogationem, prout cuiusque meretur officium, Imperator facit. Cui erogationi quia me interesse voluit, me venire præcepit. Fuit autem huiusmodi. Erat apposita decem cubitorum longitudinis, ac quatuor latitudinis, mensa: quæ numismata loculis congregata, prout cuique dabatur, numeris extrinsecus in loculis scriptis retinebat. Ingrediebantur denique ante Imperatorem non confusè, sed ordinatim secundum vocantis vocem, quæ scripta virorum nomina secundum officij dignitatem recitabat. Quorum primus vocatus est rector domus, cui non in manibus, sed in humeris posita sunt numismata cum scaramangis quatuor. Post quem ὁ domesticostos Ascalonas & ὁ de Longaristis Ploas sunt vocati: quorum alter militibus, nauigantibus præerat alter. Hi itaque paris numeri, quia dignitas par erat, numismata & scaramanga suscipientes, præ multitudine non iam in humeris portauerunt, sed adiuuantibus aliis post se cum labore traxerunt. Post hos admissi sunt Magistri numero XXIV. quibus erogatæ sunt numismatum aureorum libræ, vnicuique secundum eundem numerum vigintiquatuor cum scaramangis duobus. Patriciorum deinde ordo hos pone est secutus, & duodecim numismatum libris cum scaramanga vna donatus. Qui sicut nec Patriciorum, ita nec librarum, nisi quòd vnicuique dabatur, numerum nescio. Turba post hos immensa vocatur: Protospatariorum, Spatariorum, Candidatorum, & id genus clientum. C

A

OTHO.

De Othone primo Imperatore, & Legatis ad eum missis, & qualiter Ecclesiam Romanam, ac totam Italiam tyrannis liberauit: Imperiisque vnctionem & insignia cum iuramento Ioannis Papæ non diu in fide permansuri accepit. De Romanorum, de dicti Papæ sacrilegiis, incestis, stupris, & aliis flagitiis, querimonia. De Papæ ficta promissione de emendanda vita, & acri Imperatoris in eum recriminatione: & de eius, hoc est Papæ, obstinatione, qui Adelbertum recepit. De vtriusque eiectione, & Synodo Romæ celebrata.

CAPVT VI.

REGNANTIBVS, immò sæuientibus in Italia, &, vt veriùs fateamur, tyrannidem exercentibus BERENGARIO atque ADELBERTO: Ioannes summus Pontifex & vniuersalis Papa, cuius tunc Ecclesia supradictorum Berengarij atque Adelberti sæuitiam erat experta, Legatos sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Ioannem videlicet Cardinalem Diaconem & Azonem Scriniarium, serenissimo atque piissimo tunc Regi, nunc Augusto Cæsari OTHONI destinauit: suppliciter literis & rerum signis orans, quatenus pro Dei amore sanctorúmque Apostolorum Petri & Pauli, quos delictorum suorum cupierat esse remissores, se sibique commissam sanctam Romanam Ecclesiam ex eorum faucibus liberaret, ac
B saluti & libertati pristinæ restitueret. Hæc dum Romani Legati conqueruntur, vir venerabilis VValpertus sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus, semiuiuus ex prædictorum rabie Berengarij atque Adelberti liberatus, superiùs memorati Othonis potentiam adiit: indicans se non posse pati Berengarij atque Adelberti, necnon & VVillæ sæuitiam, quæ Manassen Arelatensem Episcopum contra ius fásque Mediolanensis Ecclesiæ Sedi præfecerat. Aiebat sanè, hanc Ecclesiæ suæ calamitatem, quæ quod se suósque capere oporteret, interciperet. Sed VValdo Cumanus Episcopus hunc pone est secutus. Non disparem à Berengario, atque Adelberto, & VVilla, quàm VValpertum contumeliam se esse perpessum clamitans. Venerant & nonnulli alterius ordinis ex Italia viri. Quos inter illustris Marchio OTBERTVS cum Apostolicis cucurrerat nuntiis, à sanctissimo Othone tunc Rege, vt dixi, nunc Augusto Cæsare, consilium auxiliúmque expetens. Horum itaque Rex piissimus lachrymosis questubus inclinatus, non quæ sua, sed quæ Iesu Christi sunt cogitans: filium suum sibi cognominem *, contra morem puerilibus in annis Regem constitutum in Saxonia dereliquit: ipse collectis copiis, in Italiam percitus venit. Qui tanto Berengarium atque Adelbertum celeriùs Regno expulit, quantò euidentiùs constat quòd commilitones Petrum & Paulum sanctissimos Apostolos habuit. Bonus itaque Rex dispersa colligens *, & confracta consolidans, quod cuique proprium fuit restituit. Dehinc Romam similia facturus adiit. Vbi miro orna-
C tu nouóque apparatu susceptus, ab eodem summo Pontifice & vniuersali Papa Ioanne vnctionem suscepit Imperij. Cui non solùm propria restituit, verùm etiam ingentibus gemmarum auri & argenti muneribus ipsum honorauit. Iusiurandum verò ab eodem Papa Ioanne supra preciosissimum corpus Petri, atque omnibus ciuitatis Proceribus, se nunquam Berengario atque Adelberto auxiliaturum, accepit. Post hæc ad patriam quantociùs repedauit. Interea præfatus Papa Ioannes iuramenti & promissionis oblitus, quam sancto fecerat Imperatori, ob Adelbertum vt se adeat mittit: iuramento ei affirmans, se illum contra sanctissimi Imperatoris potentiam adiuturum. Adeò enim eundem Adelbertum Ecclesiarum Dei eiusdémque Papæ Ioannis persequutorem, Imperator sanctus terruerat: vt omnem Italiam deserens Fraxinetum adiret, séque Sarracenorum fidei commendaret. Imperator denique iustus, cur Adelbertum Ioannes Papa, quem prius vehementi odio insequebatur, nunc diligeret, satis mirari non potuit. Accersitis quamobrem quibusdam familiaribus, si hoc verum esset, Romam dirigit percontatum. Cúmque illò iidem nuntij peruenissent, huiusmodi non à quibuslibet, aut paucis, sed ab omnibus Romanis ciuibus responsa suscipiunt: Non dispar videtur ratio, cur Ioannes Papa sanctissimum Imperatorem, suum scilicet ex Adelberti manibus liberatorem, & diabolus oderit creatorem. Imperator, quemadmodum re ipsa experti sumus, ea quæ Dei sunt

* al. æquiuocum sibi.

* congregans.

OTHO, sapit, operatur, diligit: Ecclesiastica & secularia negotia armis tutatur, mori- A
» bus ornat, legibus emendat. Ioannes Papa his omnibus aduersatur. Non clam
» est populo quod fatemur. Testis est Rainerij sui ipsius militis vidua, quam cœco
» captus igne multis præfectam vrbibus sacrosanctis beati Petri donauit aureis cru-
» cibus atque calicibus. Testis est Stephana eius amica, quæ in effusione, quod ex
» eo conceperat, recens hominem exiuit. Quòd si cuncta taceant, Lateranense Pa-
» latium sanctorum quondam hospitium, nunc prostibulum meretricum, non sile-
» bit amicam coniugem Stephanæ patris concubinæ sororem. Testis omnium
» Gentium, præterquàm Romanorum, absentia mulierum: quæ sanctorum Apo-
» stolorum limina orandi gratiâ timent visere: cùm nonnullas ante dies paucos
» hunc audierunt coniugatas, viduas, virgines, vi oppressisse. Testes sunt sanctæ
» Apostolorum Ecclesiæ, quæ non stillatim pluuiam, sed totum intrinsecus supra
» ipsa etiam sacrosancta altaria imbrem admittunt. Quanto nos terrore tigna affi-
» ciunt, cùm diuinam opem eodem deposcimus? Mors in tectis regnat, quæ nos
» orare multa volentes impedit, atque domum Domini mox linquere cogit. Te-
» stes sunt non solùm iuncearum curatura, sed & quotidianarum formarum mu-
» lieres. Cui idem est, & silicem pedibus quæ conterunt atrum, & quæ magno-
» rum subuehuntur adiutorio iumentorum. Atque hoc rei est, quòd tanta ei cum
» Imperatore sancto discordia est, lupis & agnis quanta sortitò obtigit. Illi hoc
» vt impunè liceat, Adelbertum sibi tutorem & defensorem parat. Hæc dum à re- B
» deuntibus nuntiis Imperator audiret: Puer, inquit, est, facilè bonorum immu-
» tabitur exemplo virorum. Spero eum obiurgatione honesta, suasione liberali,
» facilè ex illis sese emersurum malis. dicemúsque tunc cum Propheta: *Hæc est im-*
» *mutatio dexteræ Excelsi.* Et adiecit: Quod prius rerum ordo deposcit, Berengarium
» in Feretrato Monte resistentem propulsemus, dein paterna abdicatione domnum
» Papam conueniamus. Si non voluntate, verecundiâ saltem in virum perfectum
» sese mutabit. Sicque forsitan deuictus, benè consuescere studebit, his desuesce-
re. His expletis, Papiæ nauim conscendit, ac per Eridani alueum Rauennam vs-
que peruenit. Indéque progrediens, Montem Feretratum (quod oppidum sancti
Leonis dicitur) in quo Berengarius & VVilla erant, obsedit. Quo & præfatus
Papa Leonem venerabilem sanctæ Romanæ Ecclesiæ tunc Protoscriniarium,
nunc in eadem Sede beati Petri Apostolorum Principis Vicarium, necnon &
Demetrium Optimatum Romanorum illustriorem, sancto Imperatori nuntios
dirigit: mandans, haud mirum esse, si hactenus iuuentutis deuictus igne, quid
puerile gesserit. Iam tempus instabat, cùm alieno cuperet viuere. Mandauit etiam
dolosè, quòd quendam Leonem Episcopum, & Ioannem Diaconem Cardina-
lem, suos infideles suscepisset: & quòd sanctus Imperator promissionis suæ fidem
» violaret, dum eos, qui eo loci manebant, non ipsi, sed sibi iuramento astringe-
» ret. Quibus Imperator: Pro correctione, inquit, ac morum immutatione, quam
» promittit, gratias ago. Ex promissionis verò commutatione, cuius me arguit, C
» si verum sit ipsi perpendite. Omnem terram sancti Petri, quæ nostræ potestati
» proueniret, Ecclesiæ promisimus reddere: atque id rei est, quod ex hac muni-
» tione Berengarium cum omni familia pellere laboramus. Quo enim pacto ter-
» ram hanc ei reddere possumus, si non priùs eam ex violentorum manibus ere-
» ptam potestati nostræ subdamus? Leonem Episcopum & Ioannem Cardina-
» lem Diaconem, suos infideles, quos nos suscepisse accusat, his temporibus non
» vidimus, nedum suscepimus: Constantinopolim domno Papa eos ob iniuriam
» nostram proficiscentes dirigente, Capuæ sunt, vt audiuimus, capti. Quibuscum
» etiam Saleccum natione Bulgarum, educatione Hungarum, domni Papæ fami-
» liarissimum, & Zacheum virum reprobatum, atque humanarum inscium lite-
» rarum, à domno Papa Episcopum nouiter consecratum, & Hungaris ad prædi-
» candum, vt super nos irruant, destinatum, eodem captos esse loco audiuimus.
» Hæc domnum Papam nullis narrantibus fecisse crederemus, nisi Literæ fidem
» admitterent, quæ plumbo signatæ eius nominis characteres monstrant. His ex-
» pletis, Landohardum à Saxonia Mimendensem, & Liudbrandum ab Italia Cre-
» monensem Episcopos cum præfatis, nuntiis Romam dirigit: domno Papæ se
» inculpabilem esse satisfacturum. Quorum etiam militibus hoc Imperator iu-
» stus imposuit, vt si secus domnus Papa non crederet, duello verum esse appro-

A barent. Præfati igitur Landohardus & Liudbrandus Episcopi Romam ante domni Papæ præsentiam venientes, tanto sunt in honore suscepti, vt non eos lateret, quanto sanctum Imperatorem tædio fastidiret. Ordinatim tamen provt eis iniunctum fuerat enarrantes, non iuramento, non duello satisfactionem Papa recipere voluit, sed in eadem qua fuerat duritia permansit. Subdolè tamen post dies octo Ioannem Episcopum Narniensem & Benedictum Cardinalem Diaconem cum istis domno Imperatori destinauit: putans hunc suis posse deludere versutiis, cui nimis est verba dare difficile. Ante quorum reditum Adelbertus, inuitante Papa, à Fraxineto rediens Centumcellas aduenit. Deinde Romam profectus, non vt debuit repudiatus, sed à Papa honorificè est susceptus. Hæc dum aguntur Phœbi radiis graue Cancri sydus inæstuans Imperatorem Romanis arcibus propellebat. Sed cùm Virginale sydus gratam rediens temperiem ferret, collectis copiis, clam Romanis inuitantibus, Romam aduenit. Quid clam dixerim, cùm maior Romanorum pars Optimatum sancti Pauli castellum inuaserit, sanctúmque Imperatorem obsidibus etiam datis inuitauerit? Quid multis morer? iuxta vrbem Imperator castrametatus est. Româ Papa simul atque Adelbertus aufugiunt. Ciues verò sanctum Imperatorem cum suis omnibus in vrbem suscipiunt, fidelitatémque repromittunt: hæc addentes & firmiter iurantes, nunquam se Papam electuros aut ordinaturos præter consensum atque electionem domni Imperatoris
B OTHONIS Cæsaris Augusti, filiíque ipsius Regis OTHONIS. Post triduum rogantibus tam Romanis Episcopis quàm plebe, magnus in sancti Petri Ecclesia fit Conuentus. Sederúntque cum Imperatore Archiepiscopi: ab Italia pro Engelfrido Aquileiensi Patriarcha, quem in eadem vrbe languor repentè, vt fit, ortus arripuerat, Rodulfus Diaconus, VValpertus Mediolanensis, Petrus Rauennas. A Saxonia, Adeltac Archiepiscopus, & Landohardus Episcopus Mimendensis. A Francia, Otgerius Episcopus Spirensis, Hubertus Parmensis. Ab Italia, Liudbrandus Cremonensis, Hermenaldus Regensis. A Tuscia, Conradus Lucensis, Euerarius Ariciensis, Pisanus, Senensis, Florentius Pestruensis, Petrus Cameriensis, Spoletinus. A Romanis, Gregorius Albanensis, Sico Hostiensis, Benedictus Portuensis, Lucidus Gauensis, Theophilactus Prænestinus, VVido Syluæ candidæ, Leo Veletriensis, Sico Blebensis, Stephanus Cerensis, Ioannes Nepesinus, Ioannes Tiburtinus, Ioannes Foroiuliensis, Romanus Ferentinensis, Ioannes Normensis, Ioannes Burelensis, Martinus Sutrinus, Ioannes Narniensis, Ioannes Sapinensis, Ioannes Gallacensis, Phalarensis, Alarirensis, Ortanus, Ioannes Anagniensis, Trebensis, Sabbatinus, Terracinensis. Stephanus Cardinalis Archipresbyter titulo Balbinæ, Dominicus titulo Anastasiæ, Petrus titulo Damasi, Theophilactus titulo Chrysogoni, Ioannes titulo Equitij, Ioannes titulo Susannæ, Petrus titulo Pammachij, Adrianus titulo Calixti, Ioannes titulo Cæciliæ, Adrianus titulo Luciniæ, Benedictus titulo Sixti, * titulo quatuor coronato-
C rum, Stephanus titulo Sabinæ, Benedictus Cardinalis Archidiaconus, Ioannes Diaconus, Bonofilius Diaconus Cardinalis Primicerius, Georgius Secundicerius, Stephanus Adminiculator, Andreas Archarius, Sergius Primicerius defensorum, Ioannes Sacellarius, Stephanus, Theophilactus, Adrianus, Stephanus, Benedictus, Azo, Adrianus, Romanus, Leo, Benedictus. item Leo & Leo Scriniarij, Leo Primicerius Scholæ Cantorum, Benedictus Subdiaconus, Vrso, Ioannes, Benedictus Subdiaconus, Subpulmentarius, & Stephanus Archiacolytus, cum omnibus Acolytis & Regionariis. Ex Primatibus Romanæ ciuitatis, Stephanus filius Ioannis Superista, Demetrius Meliosi, Crescentius caballi marmorei, Ioannes cognomento Mizina, Stephanus de Muza *, Theodorus de Rufina, Ioannes de Primicerio, Leo de Camirzuli *, Richardus, Petrus de Canaparia, Benedictus cum Bulgamino filio suo. Ex plebe, Petrus, qui & Imperiola est dictus, astitit cum omni Romanorum militia.

* al. de Nitiza.
* de Casimuli.

Quæ acta sint in Concilio contra Ioannem Romanum Pontificem, in quem moderato animo & maturo consilio processit Otho. Et quæ illi flagitia obiecta sint à congregatis in Concilio: enormia certè, & vix credibilia, etiam in sicario aut pagano. A

CAPVT VII.

HIs itaque residentibus, silentiúmque summum tenentibus, ita sanctus est Imperator exorsus: Quàm decorum esset, tam claro sanctóque domnum Papam Ioannem interesse Concilio. Verùm cur tantum declinauerit cœtum, vos, ô sancti Patres, consulimus, quibus communis labor Ecclesiasticus, ac commune negocium existit. Tunc Romani Ponifices, & Cardinales Presbyteri ac Diaconi, cum vniuersa plebe dixerunt: Miramur sanctissimam prudentiam vestram, nos hoc velle percontari, quod non Hibericos, non Babylonicos, nec Indicos incolas latet. Non hic iam de illis est, qui veniunt in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Ita apertè sæuit, ita apertè diabolica pertractat negocia, vt nihil circuitionis vtatur. Imperator respondit: Iustum nobis videtur, vt accusationes nominatim exprimantur, deinde quod agendum est communi consilio pertractetur. Tunc consurgens Petrus Cardinalis Presbyter, se vidisse illum Missam celebrasse, & non communicasse, testatus est. Ioannes Episcopus Narniensis, & Ioannes Cardinalis Diaconus, se vidisse illum Diaconem ordinasse in equorum stabulo non certis temporibus, sunt professi. Benedictus cum ceteris condiaconibus & & Presbyteris dixit, se scire quòd ordinationes Episcoporum pretio faceret: & quòd annorum decem Episcopum in Tudertina ciuitate ordinaret. De sacrilegio non esse necesse percunctari dixit, quia plus videndo quàm audiendo scire potuissemus. De adulterio dixerunt, quòd oculis non viderant, sed pro certo scirent, viduam Rainerij, & Stephanam patris concubinam, & Annam viduam cum nepte sua abusum esse, & sanctum Palatium lupanar & prostibulum fecisse. Venationem dixerunt publicè exercuisse. Benedictum spiritualem Patrem suum lumine priuasse, móxque mortuum esse. Ioannem Cardinalem Subdiaconem virilibus amputatis occidisse, incendia fecisse: ense accinctum, galea & lorica indutum fuisse testati sunt. Diaboli in amorem vinum bibisse omnes tam clerici quàm laici acclamarunt. In ludo aleæ, Iouis, Veneris, ceterorúmque dæmonum auxilium poposcisse dixerunt. Matutinas & Canonicas Horas eum non celebrasse, nec signo crucis se munisse professi sunt. His auditis, Imperator, quia Romani eius loquelam propriam, id est Saxonicam, intelligere nequibant: Liudbrando Cremonensi Episcopo præcepit, vt Latino sermone hæc Romanis omnibus quæ sequuntur exprimeret. Surgens itaque sic cœpit. B

De Imperatoris Othonis matura in Ioannem Pontificem maximum consultatione per interpretem facta: & de Patrum contra eum attestatione, etiam cum sui anathematizatione, si minus vera dicerent. Déque consilio inito, vt in persona citetur ad sui purgationem. C

CAPVT VIII.

PERSÆPE contigit, & nobis expertis credimus, vt in dignitatibus constituti inuidorum infamiâ maculentur. Displicet malis bonus, quemadmodum & malus bonis. Atque hoc rei est, quòd hanc in Papam accusationem, quam modò Benedictus Cardinalis Diaconus legit, & vobiscum fecit, amphibolam retinemus: incerti vtrum zelo iustitiæ, an impietatis liuore proruperit. Vnde mihi indigno secundum concessæ dignitatis auctoritatem omnes obtestor per Deum, quem fallere & si vult nemo potest, sanctámque eius genitricem intemeratam Virginem Mariam, pérque pretiosissimum Apostolorum principis corpus, in cuius hæc recitantur Ecclesia: vt nulla in domnum Papam iaculentur conuicia, quæ non sint ab ipso patrata, atque à viris probatissimis visa. Tunc Episcopi, Presbyteri, Diaconi, reliquúsque clerus, & cunctus Romanorum populus, quasi vir vnus, dixerunt: Si non & quæ per Benedictum Diaconem lecta sunt, hisque turpiora & ampliora, Ioannes Papa indigna commisit facinora: non nos à peccatorum vinculis absoluat Apostolorum princeps beatus Petrus, qui verbo cœlum indignis

A claudit, iustis aperit. Simus anathematis vinculo innodati, atque in die nouissima in sinistra parte positi cum eis, qui dixerunt Domino Deo: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Quòd si fidem nobis non adhibetis, exercitui Domini Imperatoris saltem debetis credere, cui ante v. dies ense accinctus, clypeo, galea, lorica indutus, occurrit. Solus Tiberis, qui interfluxit, ne sic ornatus ab exercitu caperetur, impediuit. Mox sanctus Imperator dixit: Tot sunt huius rei testes, quot sunt nostro in exercitu bellatores. Sancta Synodus dixit: Si placet sancto Imperatori, mittantur Litteræ domno Papæ, vt adueniat, séque ex his omnibus purget. Tunc eidem sunt huiusmodi Litteræ destinatæ. OTHO.

Diploma siue exemplum Litterarum Imperatoriarum auctoritate Concilij ad Ioannem Papam missarum: quibus vitia à Concilio illi obiecta summatim recitantur, cum humili obsecratione, vt ad se purgandum in Concilium venire non recuset.

CAPVT IX.

SVMMO Pontifici & vniuersali Papæ domno Ioanni OTHO diuinæ respectu clementiæ Imperator Augustus: cum Archiepiscopis Liguriæ, Tusciæ, Saxoniæ, Franciæ, in Domino salutem. Romam ob seruitium Dei venientes dum B filios vestros, Romanos scilicet Episcopos, Cardinales, Presbyteros, Diaconos, & vniuersam plebem de vestra absentia percontaremur, & quid causæ esset, quòd nos Ecclesiæ vestræ, vestrique defensores videre noluissetis: talia de vobis támque obscœna protulerunt, vt si de histrionibus dicerentur, vobis verecundiam ingererent. Quæ ne magnitudinem vestram omnia lateant, quædam vobis sub breuitate describimus: quoniam si cuncta nominatim exprimere cuperemus, dies nobis non sufficeret vnus. Noueritis itaque, non à paucis, sed ab omnibus tam vestri quàm alterius ordinis, vos homicidij, periurij, sacrilegij, & ex propria cognatione, atque ex duabus sororibus incesti crimine esse accusatos. Dicunt & aliud auditu ipso horridum, diaboli vos in amorem vinum bibisse: in ludo aleæ Iouis, Veneris, cæterorúmque dæmonum auxilium poposcisse. Oramus itaque paternitatem vestram obnixè, venire, atque ex his omnibus vos purgare non dissimuletis. Si fortè vim temerariæ multitudinis formidatis, iuramento vobis affirmamus, nihil fieri præter sanctorum Canonum sanctionem. Data VIII. Idus Nouembris.

De Ioannis Papæ apologetico, id est responso, vt Auctor accipit, cùm apologiam potiùs dicat: quo excommunicatos pronuntiat, si ad noui Pontificis electionem processerint. Et de rescripto Patrum in Concilio ad eundem Papam, quod verbis sacris fulcitur.

C

CAPVT X.

HANC Epistolam cùm legisset, huiusmodi Apologeticum scripsit. Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei omnibus Episcopis. Nos audiuimus dicere, quòd vos vultis alium Papam facere. Si hæc facitis, excommunico vos de Deo omnipotente, vt non habeatis licentiam nullum ordinare, & Missam celebrare. Cùm hæc Epistola in sancta Synodo legeretur, aduenerunt qui prius defuerant religiosi à Lotharingia, Henricus Treuerensis Archiepiscopus: ab Æmilia & Liguria, VVido Muziensis, Gezo Tertonensis, Sigulfus Placentinus. Quorum consilio domno Papæ ita rescribunt. Summo Pontifici & vniuersali Papæ domno Ioanni, Otho diuinæ respectu clementiæ Imperator Augustus: sed & sancta Synodus Romæ ob seruitium Dei congregata, in Domino salutem. Præterita Synodo, quæ celebrata est VIII. Idus Nouembris, Literas vobis direximus: in quibus accusatorum vestrorum verba, atque accusationis causæ, continebantur. Rogauimus etiam eisdem Litteris magnitudinem vestram, quemadmodum iustum est. A vobis non quales temporis qualitas, sed inconsultorum vanitas exposcit hominum, Litteras accepimus. Non veniendi ad Synodum rationabilis esse excusatio debuit. Sed & præsentes magnitudinis vestræ debuerunt nuncij interesse, qui aut ægritudinis, aut certè difficultatis causâ satisfacerent, sanctam vos Synodum de-

OTHO. clinasse. Est & aliud vestris in Literis scriptum, quod non Episcopum, sed puerilem ineptiam scribere deceret. Excommunicastis enim omnes, vt non habeamus licentiam canendi Missas, ordinandique Ecclesiasticas dispositiones, si alium Romanæ Sedi constitueremus Episcopum. Ita enim scriptum erat: Non habeatis licentiam nullum ordinare. Nunc vsque putauimus, immo verè credimus, duo negatiua vnum facere dedicatiuum: nisi vestra auctoritas priscorum sententias infirmaret Auctorum. Nos verò intentioni vestræ, non verbis, respondeamus. Si ad Synodum venire, & obiecta purgare non differtis, auctoritati vestræ proculdubiò obediemus. Sed si, quod absit, venire, & obiecta vobis capitalia crimina purgare dissimulatis, cùm præsertim vos venire nil impediat, non maris nauigatio, non corporis ægritudo, non itineris longitudo: tunc excommunicationem vestram paruipendemus, eam potiùs in vos retorquebimus, quoniam quidem iustè facere possumus. Iudas Domini nostri Iesu Christi proditor, immò venditor, cum ceteris priùs ligandi atque soluendi potestatem à magistro in hæc verba acceperat: *Amen dico vobis, quæcumque ligaueritis super terram*, &c. Quamdiu enim bonus inter discipulos fuit, ligare atque soluere valuit. Postquam verò cupiditatis veneno homicida factus vitam occidere voluit, quem postea ligatum soluere, atque solutum ligare potuit, nisi seipsum, quem infelicissimo laqueo strangulauit? Data x. Kal. Decembris: & missa per Adrianum Cardinalem Presbyterum, & Benedictum Cardinalem Diaconem. Qui cùm ad Tyberim peruenissent, eum non inuenerunt. Pharetratus enim in campestria iam abierat. Nec quisquam erat qui his, vbi ipse esset, indicare posset. Cùmque eum inuenire non possent, cum eisdem Literis ad sanctam Synodum, quæ tunc tertiò est habita, sunt reuersi. Mox Imperator ait: Expectauimus aduentum eius, vt præsente eo quod nobis egerit quereremur. Verùm quoniam eum non affuturum certò scimus, quàm perfidè nobiscum egerit, vt diligenter agnoscatis, etiam atque etiam flagitamus. Notum itaque vobis facimus Archiepiscopis, Presbyteris, Diaconibus, reliquóque Clero, necnon & Comitibus, Iudicibus, omníque plebi: quòd idem Ioannes Papa oppressus à Berengario atque Adelberto rebellibus nostris misit nobis in Saxoniam nuntios, rogans vt pro amore Dei in Italiam veniremus, & Ecclesiam sancti Petri ac seipsum ex faucibus eorum liberaremus. Nos verò adiuuante Deo quantum fecerimus, non est necesse dicere, vt impræsentiarum videtis. Ereptus verò mea opera ex eorum manibus, & honori debito restitutus, oblitus iuramenti & fidelitatis, quam mihi supra corpus sancti Petri promisit, eundem Adelbertum Romam venire fecit, & contra me defendit: seditiones fecit, & videntibus nostris militibus dux belli factus, lorica & galea est indutus. Quid super hoc sancta Synodus decernat, edicat. Ad hæc Romani Pontifices, reliquúsque Clerus, & cunctus populus, dixerunt: Inauditum vulnus inaudito est cauterio exurendum. Si corruptis moribus soli sibi, & non cunctis obesset, quoquomodo tolerandus esset. Quot priùs casti, huius facti sunt imitatione incesti? Quot probi, huius exemplo conuersationis sunt reprobi? Petimus itaque magnitudinem Imperij vestri, monstrum istud nulla virtute redemptum à vitiis, à sancta Romana Ecclesia pelli: aliúmque loco eius constitui, qui nobis exemplo bonæ conuersationis præesse valeat, & prodesse sibi: rectè viuat, at benè viuendi nobis exemplum præbeat. Tunc Imperator: Placet, inquit, quod dicitis, nihílque gratius nobis, quàm vt talis, qui huic sanctæ & vniuersali Sedi præponatur, inueniri possit.

De Leonis Protoscriniarij in summum Pontificem electione, & Ioannis depositi largitione, qua Romanos in cædem Imperatoris & noui Papæ sollicitauit. Sed Imperatore vincente, frustra conati sunt. Leonis tamen indulgentia obsidibus remissis, cùm Imperator abesset, meretricularum illecebris populus Romanus rursum Ioannem recipit, qui in Leonis asseclas mirè sæuit: donec à diabolo enectus est. Post quem Romani Benedictum Papam declarant. Sed Leoni Sedes redditur, Benedicto exulante.

CAPVT XI.

HIs auditis, omnes vna voce dixerunt: Leonem venerabilem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Protoscriniarium, virum approbatum, & ad summum Sacer-

A dotij gradum dignum nobis in Pastorem eligimus: vt sit summus & vniuersalis Papa Romanæ Ecclesiæ, reprobato ob improbos mores Ioanne apostata. Cùm hoc omnes tertiò dixissent, annuente Imperatore, nominatum Leonem ad Lateranense Palatium secundum consuetudinem cum laudibus ducunt: & certo tempore in Ecclesia sancti Petri ad summum Sacerdotium sancta consecratione attollunt, & fideles se ei affuturos iureiurando promittunt. His ita gestis, sperans sanctissimus Imperator cum paucis Romæ se degere posse, ne consumeretur Romanus populus ob multitudinem exercitus, multis vt redirent licentiam dedit. Cúmque hoc Ioannes, qui dictus est Papa, cognosceret: non ignorans quàm facile Romanorum mentes pecuniâ posset corrumpere, clam Romam mittit nuntios beati Petri omniúmque Ecclesiarum pecuniam repromittentes, si super pium Imperatorem, & domnum Leonem Papam irruerent, eósque impiissimè trucidarent. Quid multis morer? Romani quàm mox exercitus paucitate confisi, immò decepti, & pecuniæ promissione animati, buccina concrepante, super Imperatorem vt eum occidant festinare contendunt. Quibus Imperator super pontem Tyberis, quem Romani plaustris impeditum habebant, occurrit. Cuius fortes milites assuefacti bello, pectore & armis intrepidi, eos inter prosiliunt, & quasi accipitres auium multitudinem nullo resistente proterunt. Non latibula, non corbes, non concaua ligna, non criptæ sordium receptacula, fugientibus tutelæ esse potuerunt. Occiduntur itaque, & vt assolet contingere, viris fugientibus, passim à tergo vulnerantur. B Quis tunc Romanorum cladis huius superstes fieret, si non Imperator sanctus misericordiâ, quæ eis nulla debebatur, inclinatus, suos adhuc interficere sitientes retraheret, & reuocaret. Itaque deuictis omnibus, atque iis qui supererant obsidibus acceptis, venerabilis Papa Leo pedibus Imperatoris prouolutus orat, vt Romanis obsides reddat, séque eorum fidei commendet. Rogatu denique venerabilis Papæ Leonis Imperator sanctus Romanis obsides reddidit, non incertus, quod prosecuturus sum, incœpturos. Igitur Romanorum fidei eundem Papam, quemadmodum lupis agnum, commisit. Deinde Roma exiens, Camerinum Spoletúmque versus, vbi Adelbertum esse audierat, properauit. Interea mulieres, quibuscum Ioannes, qui dictus est Papa, voluptatis suæ ludibrium exercebat, vt non ignobiles & plures concitauerunt Romanos, vt Leonem summum & vniuersalem Papam à Deo & ipsis electum perderent, & Ioannem in vrbem susciperent. Quod cùm fecissent, Deo miserante ex eorum manibus est venerabilis Papa Leo liberatus: paucísque secum comitantibus, ad piissimi Imperatoris Othonis misericordiam est profectus. Imperator denique sanctus, tantum dedecus ægrè ferens, tum ex domni Papæ Leonis deiectione, tum ex Ioanne Cardinali Diacono, & Azone Protoscriniario, quorum alterum manu dextera, alterum linguâ duobus digitis naribúsque abscisis Ioannes abdicatus defœdauerat, reparato exercitu Romam redire disposuit. Priusquàm tamen sancti Imperatoris copiæ essent C congregatæ, volens cunctis seculis innotescere Dominus quàm iustè esset Ioannes Papa à suis Episcopis & omni plebe repudiatus, quámque postmodum iniustè receptus: quadam nocte extra Romam, dum se cum cuiusdam viri vxore oblectaret, in temporibus adeò à diabolo est percussus, vt intra dierum octo spatium eodem sit vulnere mortuus. Sed Eucharistiæ viaticum ipsius instinctu, qui eum percusserat, non percepit: quemadmodum à suis cognatis & familiaribus, qui præsentes erant, persæpè sub attestatione audiuimus. Quo mortuo, Romani omnes iuramenti, quod sancto Imperatori promiserant, immemores, Benedictum Cardinalem Diaconem Papam constituunt: insuper & iuramento, numquam se eum dimissuros, sed eum contra Imperatoris potentiam defensuros, promittunt. Quo audito, Imperator vrbem vallauit, neminem qui non membris truncaretur exire permisit, machinis & fame vsque adeò afflixit: donec Romanis nolentibus vrbem reciperet, Leonem virum venerabilem debitæ Sedi restitueret, ac Benedictum summæ Sedis inuasorem eius præsentiæ præsentaret. Residentibus itaque domno Leone summo & vniuersali Papa in Ecclesia Lateranési, necnon & Imperatore sanctissimo Othone, & Episcopis Romanis, Italicis, à Lotharingia & Saxonia, Archiepiscopis, Presbyteris, Diaconibus, omníque Romanorum plebe, quorum nomina superiùs ascribuntur, aduenit Benedictus Apostolicæ Sedis inuasor, eorum qui se elegerant manibus adductus, Pontificalibus vestibus indutus. Quem Benedictus Car-

OTHO. dinalis Archidiaconus tali est sermone aggressus: Qua tibi auctoritate, qua-ve lege, ô inuasor, hæc Pontificalia indumenta vsurpasti, superstite hoc præsenti domno nostro venerabili Papa Leone, quem tu nobiscum, accusato & reprobato Ioanne ad Apostolicatus culmen elegisti? Num inficiari potes, præsenti domno Imperatori iuramento promisisse, nunquam te cum ceteris Romanis Papam electurum, aut ordinaturum, absque illius filiique sui Regis Othonis consensu? Benedictus respondit: Si quid peccaui, miseremini mei. Tunc Imperator, effusis lachrymis, quàm misericors esset ostendens, rogauit Synodum, ne Benedicto præiudicium fieret. Si vellet & posset, ad interrogata responderet: quòd si non posset aut nollet, ac se culpabilem redderet, tamen pro timore Dei misericordiam aliquam inueniret. Quo audito, ad domni Leonis Papæ pedes, ipsiúsque Imperatoris, idem Benedictus concitè procidens, se peccasse, séque sanctæ Romanæ Sedis inuasorem esse acclamauit. Post hæc pallium sibi abstulit, quod simul cum Pontificali ferula, quam manu gestabat, domno Papæ Leoni reddidit. Quam ferulam idem Papa fregit, & fractam populo ostendit. Deinde Benedictum in terra sedere præcepit. Cui Casulam, quam Planetam vocant, cum Stola pariter abstulit. Post autem omnibus Episcopis dixit: Benedictum sanctæ & Apostolicæ Sedis Romanæ inuasorem omni Pontificatus & Presbyteratus honore priuamus. Ob eleemosynam verò domni Imperatoris Othonis, cuius sumus opera in Sedem debitam restituti, Diaconatus eum ordinem habere permittimus: & non iam Romæ, sed in exilium destinamus.

FINIS.

A

FRAGMENTA CHRONICI NOVALICIENSIS MONASTERII,

A tempore potissimùm HVGONIS & LOTHARII Regum Italiæ, in quibus Liutprandus desinit, vsque ad Imp. CONRADVM cognomento SALICVM.

Ex Codice veteri eiusdem Monasterij, in quo quæ præcedunt, ad CAROLI MAGNI *regnum pertinentia, habentur Tomo II. pag. 223. & seq.*

B

EX LIBRO IV.

HOC tempore LAMBERTVS Rex apud Italiam regnabat, suóque tempore fuit Comes MAGINFREDVS quem interfecit, necnon & AMMVLVS Episcopus Taurinensis, qui eiusdem ciuitatis turres & muros peruersitate sua destruxit. Nam inimicitiam exercens cum suis ciuibus, qui continuò illum ab ciuitate exturbarunt. fuitque tribus annis absque Episcopali cathedra. Qui post pace peracta reuersus, & manu valida cinctus, destruxit sicut diximus. Fuerat hæc siquidem ciuitas condensissimis turribus benè redimita, & arcus in circuitu per totum deambulatorios, cum propugnaculis desuper, atque antemuralibus. Siquidem præfatum Regem idem Episcopus à filio MAGINFREDI Comiti, cùm in silua venationi exerceretur, & in gremio adulescentis somno oppresso obdormiret, dolo interfecit. Post modicum autem apparuit illi quadam die diabolus in modum vulpeculæ, cùm equitaretur, quam perniciter insecutus est, sicut fatur popularis vulgus, in tantum vt vlterius non sit visus. --- :·

CIRCA hæc tempora maxima pars Sarracenorum mare nauium vehiculis XXI.
C transfretantes ingressi sunt Fraxinetum ad habitandum. Vbi plurimos annos commorantes inexpugnabilem reddiderunt. Erat enim circumseptus nemore perdenso, maximè siluarum plurimarum --- :· Est autem locus ipse situs super ora maris in Prouincia prope Arelatem- :·

MORANTIBVS interea eisdem Sarracenis in eadem arua, discurrebant huc XXII.
illúcque deprædantes & vastantes cunctas Prouincias, quæ in circuitu suo fuerant, scilicet Burgundiam, Italiam, & ceteras, quæ proximiores videbantur.

AVDIENS itaque DOMNIVERTVS Abbas profanissimam famam eorum, XXIII.
qui tunc sanctæ NouaLiciensi præerat Ecclesiæ, nimis pauidus de eorum metu factus, Taurinensi ciuitate fugere malo suo & nostro curauit cum suis. Erat autem Ecclesia in præfata ciuitate in honore S. Andreæ & S. Clementis dedicata, vbi hodie dicitur Sanctum Benedictum, scilicet ad portam Sigusinam, quæ longè ante pertinens fuerat de ipsa Noualiciensi Abbatia. Ibi præfatus Abbas mox vt venit, cum suis consedit. Fateor in veritate, melius illi fuisset & omnibus Monachis, vt validè in loco consisterent, & colla sua ferro pro Dei amore submittere non formidarent, vt per præsentem mortem omne territorium Abbatiæ cum cuncta supellectile locum contaminatum reseruatúmque foret, quàm sic euasisse & omnia perdidisse. Heu! heu! tunc amisit sanctissima mater nostra Noualiciensis Ecclesia omnem honorem suum, insuper & dominatum suarum omnium Ecclesiarum. --- :·

Discedentibus denique Monachis ab ipso Cœnobio, statim dirissima gens Sarracenorum occupauêre locum. Qui illicò deprædantes vniuersa, quæ inuenire poterant, concremauerunt omnes Ecclesias ac domos vniuersas. Inuenerunt siquidem ibi duos senes Monachos, qui illic, ob custodiam Ecclesiarum, domorúmque relicti fuerant. Quos arripientes, ad necem vsque vulnerantes vapulauerunt. --- A

Veniente ergo Abbate Domniuerto cum Monachis suis, & cum cuncta supellectile, & thesaurum enormem in ciuitate Taurinensi, ibique Monasterium ædificantes consederunt. Erat autem tunc in Episcopio Taurinensi Episcopus nomine VVilielmus, sub cuius dominio erat Præpositus nomine Riculfus. Hic notissimus satis & amicus valdè fuerat Monachorum supratax atorum. Qui venientes in iamdictam ciuitatem non habebant domos, vbi tantos Libros & tantum thesaurum custodire quiuissent. Commendauerunt ergo ipsi Monachi ipsum thesaurum Riculfo Præposito. & aliquid ex ipso thesauro impignerauerunt, accipientes annonam sicuti mos est aduenarum qui in loco non serunt. Perturbata verò terra propter metum Sarracenorum, fugientibus Monachis, (alij namque .... nonnulli mortui) defungitur & ille Riculfus. Periitque impigneratum vt accommodatum. sicque remansit pars maxima thesauri cum Ecclesiasticis Libris, accommodati, nec postea recuperati. Hoc tempore in Taurinensi ciuitate translatio facta est sancti Secundi Martyris infra ciuitatem, qui fuit Dux Thebeorum Legionis, facta à domno VVilielmo Episcopo anno Incarnationis Domi- B
906. nicæ DCCCCVI. Hic composuit passionem S. Solutoris cum tribus Responsoriis. Et ab Apostolico Romanæ Sedis, & cunctorum Episcoporum, qui in sancta Synodo conuenerant, tribus annis ob pœnitentiæ causam ab Episcopo suspensus est.

EX LIBRO V.

De Domniuerto Abbate aliqua optamus dicere, vt cœptus ordo non omittatur. Nihil tamen boni de eo dicere quimus. Sed tamen vbi præsentem amiserit vitam, quo loco humatus sit referre habemus. Hic verò persecutionem barbarorum fugiens, à Monasterio Nouæ lucis Taurinum veniens, ... bato Monasterio sarcinam deposuit carnis. Vixit autem in regimine Abbatiæ XLII. annis. Circa hæc tempora Rodulfus Rex regnauit apud Italos.

III. Hugo. Non est nobis ignauiter accipiendum de Vgone calidissimo, qui iussu suo labefactat Regnum Italiæ. Is ortus est in finibus Viennensis, imperauítque Regno Italiæ. Hic denique mittens auriculares & præcones, qui lustrarent ciuitates & castellas, ne homines inconsultè loquerentur de eo. Tantus namque pauor inuasit cunctos, vt minimè auderent loqui palam de eo. sed more scurrarum per calamos fossos ad inuicem loquentes, sic insidias parabant ei. Ipse autem Rex genuit
Lotharius. filium, vocauítque eum Lotharium. Qui conualescens ad iuuenilem peruenit ætatem, gaudet quippe pater de semine ... etis, coniugem suadet accipere. C
Iste namque obtemperans monitis patris, coniugem accepit. Pater verò post dotem succensus face luxuriæ nurum viciat antequam ad filij perueniat thalamum. O nefas! .... sodomita inrepit, patres vt stuprum exerceant in nurus, & etiam in filias, vt in acta legitur Apollonij. Sed diuina pietas inultos abire non permittit. Illum namque fulmine percutit..... cœlitus missum. Hic post perpetrationem vicij vorticem subiit tetri vadi. Morte namque præreptus congruè, funditus amisit vitam. Eius filius succedens in Regnum tenuit Italiam. Putrida igitur radix ortus ex spinis, lædens omnia, & quæ lædere non valens conculcabat pedibus, per viam nocentiæ pertulit passus. Hic dum aliquando de Papia veniret Taurinum cum vxore sua, feria IV. quæ est XIII. die mensis Nouembris, Præceptum dedit Arduino Marchioni Abbatiæ Bremensis. qui non post multum tempus mortuus est, transacto vix spacio vnius mensis, feria VI. quæ est X. Kal. Decembris, & Mediolanum vectus. ibique tumulatur in sepulchro sui genitoris.

IV. Berengarius. Post mortem horum Regum regnauit Berengarius cum filio suo Adelberto, die Dominica quæ est quinta decima die mensis in ciuitate Papiæ ad absidam S. Michaëlis. sic electi sunt Reges vt præessent Italiæ. qui inde exientes laureati, cum VVilla vxore ipsius Berengarij Ind. IX.

Huius

A HVIVS temporibus quidam vir extitit clarus genere, sed clarior fide, nomine ALBERTVS Marchio, pater huius Berengarij. Hic dum videret loca nostra diruta à paganis, & Monachos .... egestate, tribuit Ecclesiam consecratam in honore S. Andreæ, cum porta Comitale, secus murum ciuitatis: vbi opitulante Deo Monachi diuinum exercent opus. OTHO. BERENGARIVS.

IN eodem loco, quem suprà nominauimus, erat quidam Abbas BELEGRIMMVS nomine, humilis & benè educatus, eruditus peritiâ litterarum, & vt aiunt multi, auctor extitit Hymni, *Omnipotentis Dei & genitoris*, qui more congruo per vniuersa loca habetica Bremetensis oppidi Dei in honore modulatur in Assumptione sanctæ Mariæ. Hic videns negocium diuinum nullomodo misceri posse seculari, mutat Monasterium quod constructum fuerat ante castrum, ad Ecclesiam secus murum ciuitatis situm, ad portam Comitalem. VI.

IDEM igitur domnus BELEGRIMMVS non satis cautus in iis quæ secularibus sunt, scientiâ litterarum solus, sed ignarus omnibus quæ huius seculi sunt: Quamuis foret nobilis secundum seculi putredinem. --- Tunc igitur post x. & VIII. annos vitam amisit labentis seculi. VII.

ITAQVE dum retteximus acta vel gesta Regum, dignum est vt de iussis loquamur. Arduini infelicem prolem satagimus dicere. Antiquorum scilicet sermo narrat, quia fuerunt duo fratres, ROGERIVS & ARDVINVS, & vnus eorum cliens nomine ALINEVS. Hi ergo prodigi & exuti omnibus rebus, ad Italiam veniunt de sterilibus montibus. Subdunt colla nobilibus, diuites in proximo existunt. Ipsi verò sibimet spondent, si quis eorum altior insurgeret, ceteri adiutores & seruitores essent illius numinis. O scelus! Dei improuisa sunt iudicia, & homines ante spondent honores quàm adquirant. Sed cupida mens aliquando quod optat in consequenti tempore occupat. Dum ita sermocinarentur, ROGERIVS auidus mortali honore eripit Auretitem Comitatum. Tunc quidam Comes erat, cui potestas concessa erat illius Comitatus, RODVLFVS nomine. Aliter sollers ARDVINVS non valens tenere Comitatum illum, manibus innexis militem fit Rodulfi. Ipse denique Rodulfus iam fessus longa senectute, Rogerium ad se vocat semotis cunctis. Vides me, creber in malis, Curias regales iam lustrare non sufficio. mitto te ad eum, vt consideres quæ facienda sunt. Ille autem non surdus auditor, mox complet dictum iubentis Domini, & celeri cursu ad Papiam venit ciuitatem. Rex namque illic manebat. Vbi autem venit ad Regem, salutat eum dulcibus verbis. Condescedente ei Rege, gratiam spopondit habere largissimam, si obsequium illius frequentaret innocuè. Qui moratus aliquantulum cum Rege, post non multos dies ad Seniorem suum reuertitur. Vidénsque super quod prouidenter egisset, viciniùs ad se eum clamans, inquit: Post mortem quippe meam Senior totius terræ eris, quam cognosco me pridem habuisse. Et iterum eum ornatis diuersis monilibus, ad Regem mittit. Qui adquirit Comitatum illius, & Rex illi donat interueniente Regina. Et ipse Comes interim mortuus, vxorem illius Rogerius accepit, & sic arripit potestatem illius terræ. De qua genuit filios duos, vocans vni nomen suum, alteri nomen fratris, ROGERIVM, & ARDVINVM. Hic enim MAGINFREDVM genuit. VIII.

AT nos regium captantes nomen, facili sermone eorum facta comprehendimus. Mortuo quippe LOTHARIO, vxor eius ADELHEIDA à BERENGARIO capitur, & in Papia ciuitate in quodam cœnaculo vi opprimitur, & in diuersis coangustatur calamitatibus. Sed Deus inspector omnium, nihil constituens sine remedio, qui semper est misericors humilium, Reginam otiùs liberat. Nam quædam eius tyruncula Christi præmonita dextera, dominam propriis manibus liberat. Hæc subter limina ostiorum terram cauat manibus, quendam hiatum faciens se & dominam clam liberat. Quæ indè euadentes, collocant sese in humectis locis, vt sic fugere valerent. Factum est autem vt quidam Clericus nomine VVARINVS anceps illic tenderet passus, vidénsque Reginam finxit se capi ab eius amore, & requirit scelus nefarium. At Regina nobilissima stuprum obnegat. ille minacibus verbis eam minitat, quia proderet eam Regi. Dum angustatur vndique, ammonet vt abutatur pedissequæ, ne fœdaret Reginam. Modestus namque Clericus verba renuens, ficta renuit inania. Post non multum tempus Præsul efficitur Modonensis, conferente sibi eadem Regina, vt suprà retulimus, coangustatur diuersis

OTHO. BERINGARIVS.

calamitatibus, & auxilium petit ab ATTONE, auus qui fuit BONEFACII. Qui audiens legationem, equos producit, Reginam aufert in Canusino castro. A

SED Rex Berengarius audit Reginam morari in Canusino castro, hostiliter mouit à Papia, veniénsque ad castrum, passim obsidit. Inter hæc inimicus humani generis ATTONEM alloquitur: Si meus effici eris homo, multa copia tibi subministrabuntur. Atto verò audiens hoc, respondit se esse facturum vt oportet. Interrogat qualiter hoc agere potuisset. Diabolus respondit. Adueniente Sabbato, venerit alius ad custodienda mœnia, tu verò non abibis. sed rogato eum vt tribuas tibi assensum morandi. qui antea, dum vehicula quibus sustentetis venerint. Quod ita factum est. Veniens verò coæuus eius, dum audit talia petulantia, regressus est. Mortuus est in eadem hebdomada Episcopus Regensis, Atto vi obtinet castrum. fuerat illius Episcopi. Modo ad cœpta redeamus. Regina verò dum obsideretur à Berengario, & ab ARDVINO Glabrione * consilium quærit quomodo euadere posset. Defecerat ei iam panis & vinum. Sed Deus auxiliator eius illi donat amminiculum. ARDVINVS namque loquitur ad Regem, vt fari permitteret eum cum ATTONE. Qui annuit petitioni eius, iubet vt loquatur. Adgreditur Arduinus eum, interrogátque: Quot modia sunt vobis tritici? Respondit. Non sunt nobis amplius præter quinque modia sigalæ, & III. sextaria tritici. Adquiesce, monet, meis consiliis, & accipe aper, & vescere eum tritico, emittésque eum foribus, & ego illum requiram Regi. Vt verò viderit, vehementer obstupescet, & sic præualere poteris. Hoc ideò fecit Ardoinus, ob id quia ATTO socer erat filij sui. Facto videlicet mane suadela fit Arduini. Exit aper à mœnibus castri. Arduinus illum occupat, occiditur, & exenterato eo plenus venter reperitur tritico. Exercitus videlicet ammirans, fatetur frustra se laborare. Relinquunt obsidionem, Papiam reuertuntur. Mansit quippe Regina in eodem castro pene tribus annis. B

* al. scabroso.

HOC tempore OTTO Dux Baioariorum venit in Italia, fungens legationem Langobardorum. Vindicat sibi Regnum Italicum per interpellationem accolarum. Qui accepit ADHELEIDAM in coniugio, Deo prosperante perpetim eam habuit vxorem. Berengarius autem Rex fugit in castellum sancti Iulij, quod est circumseptum lacu. & ibi obsessus ab Ottone est captus. & effosis eius oculis sic relictus est. Denique Atto remuneratur ab Ottone, quia fidelis & seruitor esset vxoris suæ, & tradidit omne ius terræ illius. Nec mora liuidus, qui & Behemoth, iterum reciprocat lethiferam sententiam. En, dixit Attoni, omnia sicut promisi feci, modo imple promissionem tuam. Faciam vt dixi, vt oportet. Præcipit nobis Apostolus, omnia agi in nomine Domini. & in illius nomine volo agere. Non ita, inquit, promisisti. Atto autem consignans se signo crucis, diabolus velut fumus euanuit. --- :·

ANTEQVAM caperetur prædictus Rex Berengarius ab Ottone, dedit præceptum hominibus morantibus in finibus Laumellinæ, in villa Folingi, vt caperent lupos qui vehementer infestabant terram illam propter densitates opacas vel nemora siluarum. Hi verò parentes præcepto Regis occidunt plurimos, & ad Curias regias properant. Rex verò videns exercitium illorum lætatus est, quia ante magnum exicium patiebantur euntes & redeuntes ab eo. C

TEMPORIBVS his duo magni fuerunt fratres in Bremito oppido, diuites & nimium locupletati. Hi ergo durum seruicium assueti ponere ceruicibus horum hominum in lateribus & in quibuscumque oneribus. Relinquentes igitur illud seruicium post præcepta regalia, Regíque soli colla submittunt. Ipsi verò tumefacti auferunt hos, & puniunt dirè: quibusdam oculos euellunt, quibusdam manus & pedes incidunt, nonnullos squaloribus carcerum damnant. Conquestio illorum ad Aulas peruenit Regis. Qui vehementer commotus, minitauit illis, iam vltra non essent possessuri terram illam.

HOS denique timor inuasit immanis, & timentes minas illius, à proprio limite subtrahunt pedes. Fugientibúsque illis, quidam illustris Marchio nomine ALBERTVS hos insequitur. & dedit pecuniam, & emit locum illum mediatum. Altera verò pars AIMO sibi vindicat. His respectus diuino moderamine sancto Petro contulit, eò quòd non haberet heredes, sanctum sibi Petrum fecit heredem. --- :·

A EODEM tempore quo fusci morabantur in castro Frascenedello, & vndique diffluentes per climata mundi tollunt & prædantur omnia: quidam eorum fuit nomine AIMO coætaneus illorum. Hic cum his exit deuastare terram illam, & rapiunt aurum, & equas, & buculas, diuersáque monilia, puellásque & paruulos. Factum est vt seruarentur quæque captauerant, & mulier quædam pulchra nimis sortitur in portione AIMONIS. Ex ea autem altercatio fit inter vtrosque. venit quidam potentior illo, subtrahit illi. Ipse autem tumefactus mansit extra illos. Volens verò Deus liberare populum, fixit illi in corde, quatenus proderet locum illum, & homines manentes in eo. Vadit quippe ad Comitem ROBALDVM Prouinciæ finibus, & adiurat eum vt nemini prodat secretum quod cupiebat illi fari, nec etiam propriæ vxori. Ipse autem testatur nemini prodere. Ille ait: Ecce trado vobis inimicos vestros perpetratores nequitiæ. Qui gauisus est valde, & spopondit ei tribuere omnia si hoc opus exercuisset. Mandat idcirco omnibus, ARDVINOque, vt adiuuent eum in quodam negocium. Omnes denique occurrunt hostiliter ei. Litigantes verò inter se homines, nescij quò tenderent. At ipse hortatur illos, vt sequantur illum. Dum itaque venirent ad castrum, hortans ROBALDVS ait: O fratres! pugnate pro animabus vestris, quia in terra estis Sarracenorum. Illi verò fortes athletæ dimicant, & depopulant locum illum. Hæc vltio dolo AYMONIS facta est. Cuius genus nostris adhuc manet temporibus.

B CARNE itaque Imperatore OTTONE maiore mortuo, illicò successit in Regno secundus OTTO filius æquiuocus eius. Migrato verò isto è seculo, tertius Otto in Regno eligitur.

IN his ergo temporibus, cum vallis Segusina inermis & inhabitabilis permaneret, ARDOINVS vir potens eripit illam, & nobis tulit. Tantum igitur erat plenus viciis, quantum & diuiciis. Superbiâ tumidus, carnis suæ voluptatibus subditus, in adquirendis rebus alienis auariciæ facibus succensus.

MORTVO denique BELEGRIMMO, per biennium Iohannes Præpositus præfuit Abbatiæ, largiente sibi ARDVINO. qui nequaquam consecrationem meruit. Sed amminiculante Deo amoto hoc, strenuissimus & humillimus GEZO Abbatiam suscepit.

DENIQVE rudibus ac posteris Fratribus insinuare cupimus, quid à Lothario Regulo iam prænominato actum sit. malumus patefacere quàm illud abdere. Tametsi in quodam Capitulo aliqua de eo carpsimus, tamen reliquimus aliqua quæ non sunt omittenda. Extitit quidam Marchio illius temporibus, cuius memoriam sæpissimè fecimus; nomine ARDVINVS Glabrio. Qui rectè coæquari lupis potest, violenter auferens aliena, & dispersor alienarum opum. Is priuatam legem sibi expetit Abbatiæ Bremensis. Quod vbi illi obtulit Regulus, dignam

C à Deo soluit vindictam, reuolutis aliquot diebus vitam amisit, mortémque inuenit.

POST hunc nutu disponente diuino OTTO fungebatur Regnum Italiæ. Abbas GEZO conquestus est, vir Deo plenus, Regi mala passa dudum Abbatiæ. Rex verò adquiescens eius petitionibus, Præceptum illud nefandum medio duci præcepit, & in conspectu omnium quiritum eius vrere. Gezoni contulit alium, quod vsque manet in armariolo nostro.

PAVLO pòst quidam Palatinus Comes nomine SAMSON, vt aiunt multi, qui nostris temporibus supersunt, illusus à propria coniuge nostrum petiit dogma, & ad sacra sancti Petri limina adtonsus factus est Monachus in loco Bremetido, vbi sarcinulam posuit carnis. Hic autem tantas opes beato Petro obtulit, vt egestas prisca repararetur. Nam adtenuata loca nostra ad tantam inopiam deuenerant, vt carerent victualibus cibis. Contulit verò aurum, argentum, equas & bubulas. & Domus Dei in proprio loco reparatur. Quin verò Curiam detulit vnam, quæ seruatur mos Regius, nomine CANNOBIVS. Est enim sita penes rupes, habilis & nimis rutilus locus, & vndique septus aquarum meatibus, piscium fertilitas multa. Ante cuius os stagnum miræ magnitudinis habetur. Quadraginta namque millibus in longum extenditur, & quinque in latum.

HIC secundus OTTO defungitur, & tertius eligitur.

DVO magni Comites fuerunt, qui hisdem temporibus vestigia sancti Bene-

OTHO. dicti arripiunt. Quorum nomina ideò à nostris cordibus pulsa non sunt, vt cognoscatur quantam dilectionem circa illos habemus. ROGERIVS vocatus est vnus, alter dictus est OTBERTVS, illustres secundum sanguinem, sed illustriores secundum stegmata diuina. Mox vt illud diuinum sumunt negocium, ditionis sacræ subeunt colla, & exercent humilitatem; quæ regina est omnium virtutum. & omnis virtus ægra iacet quam humilitas non firmat. Alunt denique sues, conglomerántque olera infusa residuum farinæ, & ciunt eos ad esum. --- :· A

EODEM tempore fuit vir idoneus & sapiens nomine VVIDO Clericus, ex stemate OTBERTI Comitis, cuius superiùs memoriam fecimus. Hic ex prædiis suis contulit sancto Petro munera, ferè quod sufficere posset ad Monachorum victus XII. Post hoc verò concupiuit videre locum Bremiti, iuit ad baptistam suum GEZONEM Abbatem. in quo tantum delectatus est, vt adiceret duo castra, Verdunum scilicet & Rodum.

ET factum est his temporibus, vt quidam Marchio nomine ODDO, afflatus alto flamine ex propriis stipendiis loca auxit nostra. Ipsemet igitur Oddo circumuolans sacra vestigia Apostolorum, reliquit sua in terris, vt glorificaretur in cœlis. Interpretari enim possumus nomen eius auctorem, quia auctor fuit habitacula vatum. O Petre, tradidit tibi Pollentiam locum dignum. memor esto doni clarissimi. Contradere cœlica dona ipsi qui tribuit terrea tibi. ibi modulatur rithmica laudum. Mœnia cuius loci emicat clare patule, quo pareat quantiuis precij fuerit. Qua latices tot reperiuntur, quot non inueniuntur loco in vllo. Præter quos est ibi latex quidam olim vocatus Impius, vbi inter fluctus conspicantur cœruleæ silices, veluti madefactum sanguinem. quo in loco multi referunt cæsa fuisse Sanctorum corpora. Tradunt multi, quia fuit ciuitas prisco in tempore, & vt verè credatur, exemplum Historiæ Romanæ in medio proferimus. Dicit enim, De malis apud Pollentiam gestis satagimus dicere aliquantisper. Quidam autem Rex nomine Attila flagellum Dei obsedit eam multis annis, ad vltimum cepit eam, & elisit maceries eius vsque in terram. B

NON ideò propagauimus sermones, vt digna facta domni GEZONIS conemur obmittere. Cuius temporibus hæc adquisita sunt ---- :· Fortè accidit vt aliquando aduentaret ad vicum, cui nomen est Supunicus, causa hospitandi. Erat enim de rebus ipsius Ecclesiæ. Vbi non post multum VVIDO Marchio venit, fremens vt leo, quem iure possumus coæquare leoni, & impœnitens thesaurizabat sibi iram in die iræ. Vbi dum veniret, audiuit domnum GEZONEM ibi adesse. non formidauit quin à propriis vernulis expellere fecisset. Sed vir timoratus non solùm non fugit, verùm etiam locum dedit iræ. & distulit pedes statu ab illo, & in domum aliam præparat sibi refectionem, paruóque interuallo meditat in orationem, ventre eius hærendo in terram. Ibi dum protelaret orationem, per visum illi patefactum est, VVIDO non diu mansurus in hac fragili vita. Quidam Sacerdos longè manens, in somnis vidit sese tendere gressum in lucum, qui est iuxta Padum, in loco Fadoë. & ibi in visione vidit duos dæmones furentes, à quorum æstu videbantur rami & folia arborum vrere, gestantes enses flamiferos in manibus. Qui dum graderentur retrorsum, aspiciunt sanctum Petrum Paulúmque venire, cedentésque locum ex via secedunt. vbi veniunt ad locum interrogant quid rei esset vt sic trepidarent. Illi inquiunt. Vos ignoratis? Sanctus verò Petrus auferens eis pugiones, virgas eis tribuit, & inquit. Ite, & VVIDONEM punite virgis, non ensibus. Euntes verò illi, percusserunt VVidonem sedentem in conuiuio. Qui extemplo amens effectus, caruit sensibus hominum. Et improbus talem luit vindictam, vt absque munimine corporis & sanguinis Domini obiret. --- :· C

REFERAM autem quid contigit LEONI Vercellensi Episcopo. Qui quodam tempore dum vsurpare vellet hanc Abbatiam simul cum Episcopio sanctæ Mariæ Eporediensis Ecclesiæ, quadam nocte venit beatissima ac gloriosissima Dei genitrix quasi consparsis crinibus & dissolutis, atque lacrimosis oculis, ducens secum beatissimum patronum nostrum Petrum, ipsum præcedens vt domina, venit ad lectum prædicti Episcopi. Ad quem cùm venisset, ait: » Dormis Episcope? Ad quam ille pauidus respondit. » Quis es? Et illa, Sum Maria genitrix Dei ac Salua-

A toris humani generis. Cui ille. Quid ad me venisti præclara domina? Et illa. Caue, ne vltra Ecclesiam meam Epporediensem atque Ecclesiam Bremetensem S. Petri Apostolorum Principis quærere audeas, si mortem pessimam non vis ociùs incurrere. Ad hoc enim venimus, ne tale scelus fieret per te. Quæ cùm talia dixisset, recessit. Ipse verò non solùm præfatas quæritare cessauit Ecclesias, sed etiam plena voce hanc visionem sibi apparuisse sæpissimè confessus est. HENRICVS.

In illis diebus, dum GEZO Abbas adueniret in Albam ciuitatem, quidam Episcopus nomine FVLCARDVS contulit ei duo magna pignora, scilicet SS. Frontiniani & Siluestri. Receptis autem pignoribus, dum ad Tanagrum fluuium aduenisset, aqua diuisit se in duas partes, & domnus GEZO transiuit per siccum in medio eius. Ideo hoc inrationabilis creatura egit, vt patefaceret quod meritis apud Deum obtinent Sancti, vt nec vecturam humidam faceret reliquias vestimenti. Is Folcardus comiter nostrum dilexit locum, quia Monachus fuit.

CIRCA hæc tempora HEINRICVS Imperator Regnum excipiens Italicum, deiecto ARDVINO, cum quo sui ante dimicarant & victi fuerant, & quem post triduum in Sparronis castrum annum obsederat integrum, quem capere minimè potuit, sed post modicum Monachus efficitur. Illo verò Regno priuato, Heinricus mox illum arripuit, tenuítque eum XX. annos. Hic multæ

B prudentiæ fuit, scientia namque litterarum strenuissimè imbutus. Marchiones autem atque Episcopos, Duces, & Comites, necnon Abbates, quorum praua erant itinera, corrigendo, multùm emendauit. Marchiones autem Italici Regni sua calliditate capiens, & in custodia ponens. quorum nonnulli fuga lapsi. alios verò post correctionem ditatos muneribus dimisit. Hic dum vixit multum amator nostræ Abbatiæ extitit, ac custos, cum coniuge sua Augusta.

IPSEMET domnus GEZO, quem supra nominamus, plenus dierum, iam conualescerat plena ætate, præ nimiáque senectute, petiit sibi adiutorem & protectorem Monachum fidelem nomine GOTEFRIDVM, & adeò mansuetum, vt mansuetior illo inueniri nequiret. Tantum iste vir timidus fuit & mansuetus, vt diceres quòd nec prospera nec aduersa eum conturbare quirent. Patientiæ verò gratia ita plenus fuit, vt numquam irasci videretur. --- :·

INTEREA quid impiissimi tyranni MAXIMIANI olim sit consecutum, breuiter colligere placuit. Cùm dispositis insidiis genero suo CONSTANTINO mortem moliretur, deprehenso dolo apud Massiliam captus est, nec multò pòst strangulatus teterrimo supplicio adfectus, impiam vitam digna morte finiuit. Circa igitur hæc tempora apud Maxiliam ciuitatem sepulchrum eiusdem Maximiani Christianorum ingentis persecutoris inuentum est. Nam sicut nobis retulerunt qui inter fuerunt, erat mirabiliter corpus eius intus & extra vnctionem balsami, & alia nonnulla genera odoramentorum oppido perfusum. Corpus quoque eius totus integer, tetro pilo, caro candida, barba permaxima. Ad caput

C verò eius pocula erant auro aurizo plena balsami. Ipse verò in locello plumbeo quiescebat in quodam labro ex marmore candidissimo, cum literis aureis desuper scriptis. Nam consilio RAINBALDI Archiepiscopi Arelatensis & ceteris fidelibus actum est, vt in mari magno cum totis Libris iactaretur. Nam diebus ac noctibus maris æquora ibi videntur semper ardere, vbi iactatum est corpus eius. --- :·

DEFVNCTO quoque Heinrico, CHVONRADVS per omnia litterarum inscius atque idiota Regnum arripuit Longobardorum. qui nonnullas subiugauit Ecclesias. Episcopia quoque, necnon Abbatias, inter quas nostra proprio domino orbata, vt infrà referemus, sub iugo Cumani Episcopi tradita est lucri causa à prædicto Chuonrado. Cuius quoque filius BENIAMIN, qui alio nomine appellatur HEINRICVS Imperator, benè peritiâ litterarum imbutus, à profano dominio quo premebatur abstrahens, & in proprio statu, id est regio, erigens, interdixit maledictionibus in proprio Præcepto, quod nobis de eadem Abbatia fecit, vt nullus Rex nec Imperator vltra subiugationi alicui eam traderet. --- :· CONRADVS.

CONRADVS.

A

EX LIBRO VI.

POST obitum domni GOTEFRIDI Abbatis, qui timore & amore Dei plenus fuisse refertur, cuius videlicet dominatus pacificè permanserat temporibus illis. Nam vocante eum Domino de hac instabili luce, ODILO quidam iuuenis Cluniacensis, nepos alterius ODILONIS Abbatis, Abbatiam nostram ab Imperatore CHVONRADO Romæ illi confertur ad regendum. Qui iuuenis tunc rudis à claustralibus exiens disciplinis, conspicit se tanti honoris sublimato, cepit turbam militarem sibi adhærere, nonnullis prædiis terrarum, vnde sumptus veniebant Monachis, illis vassis in beneficium tradidit. Contra Monachos verò, & maximè in maioribus, impudenter insurgens, ac contra eos sedulò vexans. Quid multa? Dum pueriliter cuncta agit, ac nimium iocis præoccupatur, curtémque domini sui Imperatoris parui pendens, cogitans ne quis posset ei extimplo obsistere, dat prædictam Abbatiam in beneficia cuidam ALBERICO Cumano Episcopo. --- :.

Hoc tempore LEODEGARIVS Archiepiscopus Viennensis vitam & mores, ortus & actus suorum antecessorum Archiepiscoporũ scribendo colligere curauit.

DATA itaque Abbatia est, sicut supra retulimus. Vnde Abbas cum Monachis non modicè doluerunt. Episcopus verò callidè satis agens, protinus inuadit Abbatiam, ac famulos iurare sibi fidelitatem compulit. & ei qui noluerunt motu suo ad arua exierunt, relinquentes proprias domus. Prudentiores namque Monachi suo conspectui aliquando noluerunt se præsentare. Nam omne thesaurum auferentes secum, occultauerunt. Ipse igitur Taurinum veniens, egit arte callida cum Marchione MAGINFREDO, & fratre suo ADALRICO Præsule, datóque multo precio vt Abbatem caperet. quod & fecit. Qui palam omninò nequiuit facere quod optabat. timebat enim ciues ipsius ciuitatis. sed malum cetrinum ipsi dirigens, mandánsque vt ad se veniret. & sic tradidit. In crastinum autem conuenientes omnes ciues in vnum, voluerunt Abbatem eripere vi. sed prædictus Marchio cum turba militare præualuit, interdicens illis ne quid offenderent. Episcopus verò secum Abbatem sub custodia ducens, mancipauit illum mox in carcere. ac non post multum fidelitatem illi faciens de Abbatia, dimisit eum. B

IN tempore quo messis tunditur, idem ipse Cumanus Episcopus Bremito venit, inuasítque duos Monachos vt mitteret in custodiam, qui magni tunc apud Deum & seculum habebantur. In nocte sequenti, dum cogitaret hoc nefas, sanctus Petrus ante stratum eius assistens, inquit: Alberice, quo pacto viuere potes, qui tanta mala iniecisti loco meo, Monachísque, ita agens? & in inguine percussit eum. Qui statim cernens suam internicionem, cùm redditur lux terræ proficiscitur. tamen optauit ibi mori & sepeliri. sed magno timore capti hoc ne fiat rogant. Enimuerò si hoc ageretur, viui à potestatibus terræ illius detinerentur. Ipsemet verò vectus in equis semiuiuus abiit. Mortuus denique est antequam ad Cumanam perueniret vrbem. Dum exueretur vestibus, sarabella eius stercoribus labefacta reperta sunt. Ipsi qui viderunt testimonium præbuerunt, & adhuc supersunt qui se vidisse confitentur. Dignus quippe fuit tali morte, qui seruos Dei & locum sanctum multis affecit calamitatibus. C

POST mortem huius, quidam Teutonicus Episcopatum suscepit nomine LVTIKERIVS. Hic contulit Abbatiam domno ELDRADO, reprobato Odilone. Hic Eldradus vir bonus fuit, plenus dierum, crescens in senectute bona. Demorauit Abbatiam suam x. annos cum omni moderatione æqua, pacéque cum digna. Post circulum multorum annorum mortuus est, & sepultus in pace. --- :.

IGITVR notum facimus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus præsentibus scilicet atque absentibus de malo, quod passum est Monasterium Bremetense ab illo, qui nuper Abbas visus est ODDO nomine. Nam hic in quodam prœlio percussus, magis causâ timoris quàm Dei veneratione ad Monasterium Bremetense peruenit. Ibique se Deo & S. Petro, atque domno GEZONI Abbati Monachum vouit. Interim voluentibus annorum curriculis erat Abbas illius loci senectute flebilis, volentibus cunctis Fratribus, necnon domno Imperatore HENRICO se consentienti, Abbatiam alteri dedit. Quidam frater Monasterij depre-

A catus est Abbatem, vt huic supradicto Monacho ODDONI quandam Obedientiam de Pollentia subtus eum daret. qui precibus eius adquieuit. Illo namque tempore magna persecutio erat inter ARDOINVM & MAGINFREDVM. Quod sciens prædictus Monachus, Oddo scilicet, abiit ad Ardoinum, postulatus est eum, pecuniam dante atque pollicente, vt illum Abbatem faceret de Cella vnde Prioratum habebat. Marchio autem dixit se non posse facere, quia pater suus dederat Bremetensi Monasterio. Tunc monos acephalus ait: Si mihi dederis Abbatiam, & contra Abbatem meum tenere feceris, Cartas patris tibi reddam. Tunc Ardoinus ita dixit, vt fieret. Statim quippe Iudæ padagogus furatus est Cartas, & reddidit Ardoino. Nec mora ipse Marchio duxit secum Romam, obtulit maximam pecuniam Papæ, & dedit ei consecrationem. Quo audito, Bremetensis Abbas graue pertulit, abiit ad domnum Papam, retulit per ordinem quomodo contra Deum & Ordinem suum gesserat. Tunc domnus Papa cognita veritate, dato anathemate iussit vt nec Abbas fieret, & in iussionem sui patroni rediret. deditque licentiam, vt quicúmque vellet adiuuare eum ex suo deposito, liberam haberet facultatem & benedictionem. Nec mora Abbas perrexit ad MAGINFREDVM, petiit misericordiam de suo oberrato, vt per licentiam Papæ si posset eum quocumque ingenio caperet. Interim Maginfredus præparat se ad capiendum leuiathan. incœpit, & perfecit. Insuper omnibus modis iurauit, ita dicendo: Ego ODDO B Monachus diebus vitæ meæ amplius Bremetensem Abbatiam non accipiam, neque sine licentia domini mei GOTTEFREDI Abbatis Abbatiam nec Prioratum habebo. Sic callidè liberatus, oblitus sacramentum, & omne firmamentum, ad priorem recursit delictum. Ita se habuit, domnus Imperator HEINRICVS donec regnum venit. Cognitis omnibus eius nequitiis, cunctis videntibus Episcopis qui aderant, detestabilem Sarrabaitam cepit. Baculum fregit, atque superbum de sede deposuit. Insuper vt nunquam de claustro exiret firmiter præcepit. Nec multum cum Fratribus permanens, inter eos discordiam posuit. hoc Abbas vidit. illum abscedere maluit, quàm totam congregationem in præcipitium mitteret. dedit ei vnum Prioratum, vt vel hoc sufficiens quiescceret. Quo accepto, nec quieuit. Sed quicquid in Ecclesia inuenit, libros, calices, crucésque, atque thesaurum (de vino & pane non est numerus) omnia vendidit, maximam pecuniam fecit, ALRICO Episcopo Astensi dedit pro vna Abbatia. sic res permansit. Quieuit viuentibus Abbatibus istis, Gezone, Gottefredo, Odilone. Aldrado vltimo mortuo, adiit Cumensem Episcopum LEVTICHERIVM, dedit, promisit iureiurando, spopondit, & Episcopo, Clericis, fidelibus, & famulis inter omnes quingentas libras pro Bremetensi Abbatia. quare cœpta tulit. vendidit pro pecunia, quam promisit, cruces, calices, coronas, texta Euangeliorum, tabulas altaris, turribula, quicquid de thesauro inuenit. de pane, vino, carnéque lingua dicere non sufficit. Insuper coëgit, vt Monachi iurarent sibi fidelitatem, quomodo & laici faciunt. vnus C ex maioribus idcirco quia lamentatus est nunciis domni Imperatoris, captus, & posuit in carcerem. nec inde exeundi habuit facultatem, donec ipsemet dedit sibi vnum ex famulis, & fecit pro ipso sibi ipsi iurare fidelitatem. Quicquid hîc scriptum est si quis probare voluerit, in veritate comperi, & quo modo plus sit, nihil deerit quemadmodum hîc legitur.

FRVEBATVR interea bona ipsius Abbatiæ cum suis comedens, ac distrahens cuicumque poterat. Nam in terrarum & diuersarum opum adquisitione nullomodo studebat. interdicens nostris ne anquirerent. ex suis autem totam replebat terram. Erat enim plenus dolo & simulatione. Monachos verò sibi subiectos omninò secularibus omnibus, maximè Marchionibus, malè diffamabat. ceu semet exaltans vti iustum. suis verò criminibus pessimis tanquam priuignus apud seculares criminabat. Sicque factum est, dum filios velut criminosos denudat, imitatur Cham, qui verenda patris non operuit, quin potiùs deridendo detexit, vt ipse magis postmodum in deterioribus & cœnulentis laberetur factis. Cùm verò Deus suam contemplatus esset infidelitatem, obcœcauit illum vt dignus fuerat. traderétque alteri clam ipsam Abbatiam. quod & fecit. Ergo cum periuriis & inlicitis sacramentis sine voluntate & consensu Fratrum, cupiens exinde infinitam pecuniam accipere. Vnde credimus diuino iudicio aptum, quòd tanti honoris deinceps caruisset. Dataque est alteri multo se meliori. *Explicit.*

A

FRAGMENTA DE GESTIS REGVM ET PRINCIPVM FRANCORVM IN ITALIA.

Ex Libro I. Chronici Monasterij Cassinensis, Auctore LEONE MARSICANO *Episcopo Ostiensi.*

CA.VII. PER idem tempus CARLOMANNVS, Caroli Martelli Ducis Francorum filius, cœlestis regni desiderio Regnum terrestre deseruit: Romámque ad beatum Petrum Apostolum deuotus adueniens, sese eidem Apostolico tradidit. Quem ille clericum faciens, post aliquot dies huc illum ad beati Benedicti Monasterium, cum omnibus opibus suis, Domino sub regulari magisterio seruiturum, cum ceteris misit. Vbi sub prædicti Abbatis (Petronacis scilicet) regimine, cum omni humilitate & deuotione Domino seruiens, aliquos transegit annos. Non autem ociosum erit, quantæ humilitatis, quantæque obedientiæ, idem Rex in Monasterio fuerit, ad posterorum exemplum litteris tradere. Cernens enim præfatus Abbas ita CARLOMANNI feruêre propositum, volénsque iuxta mandatum Regulæ ipsius explorare patientiam, perseuerantiámque cognoscere, paucarum ouium, quæ erant in Monasterio, curam illi tentauit iniungere: vt quotidie ad pascendum educeret, pascentes custodiret, pastásque reduceret. Quam ille obedientiam ac si ex ore Domini feruenter amplexus, satagebat quotidie quæ sibi fuerant imperata perficere. Post paucos dies, cùm longiusculè pascendas duxisset oues, latrunculi quidam repentè irruentes, aliquas ex eis nitebantur violenter abripere. Tùm ille constanter accurrens, » Oues, inquit, curæ meæ commissas auferre vos nulla ratione permitto: de me » autem quod vobis permiserit Dominus facere non contradico. Illi autem peruersæ mentis homines, eum penitus expoliantes, abire cœperunt. At CARLOMANNVS detegi pudenda non ferens, femoralia tantùm ab eis violenter eripuit: cetera patienter illos auferre permisit. Cúmque sic nudus ad Monasterium redisset, interrogatus ab Abbate ac Fratribus, rem gestam ex ordine pandit. Abbas verò probare volens, an vera esset, an simulata patientia, cœpit eum vehementer arguere, éique segniciem ac stultitiam exprobrate. Cùm ille nihil excusans, ad omnia se peccasse fateretur, iubetur vestiri, & ad opus solitum regredi. Cùm verò die quadam oues à pastu reduceret, vna ex eis ægra claudicare cœpit. Vidénsque propterea se ad constitutam horam occurrere nullatenus posse, claudicantem ouiculam imposuit humeris suis: sicque cum omnibus ad Monasterium rediit. Sed dum rediret, ouiculæ, quam gestabat humeris, perfundi eum lotio contigit. Quod ille quondam præpotens, ille Regia dignitate conspicuus, tanta patientiâ pertulit, tanta animi virtute tolerauit: vt ne ouiculam quidem idcirco deposuerit, neque indè vlla prorsus ratione murmurauerit. Id cùm Abbati nunciatum fuisset, admirans tanti viri mansuetudinem, ac prorsus regiam humilitatem, diuinóque spiritu plenum animaduertens: præcepit vt iam, illo opere omisso, hortulum sibi vt sciret excoleret. Postmodum verò cùm ab Aistulfo Longobardorum Rege rogaretur, vt pro quibusdam Regni sui negociis ad PIPINVM fratrem suum Francorum Regem Legatus pergeret, Abbate quoque id fieri postulante: ægrè consentiens, profectus tandem est. Vbi cùm aliquandiu remoratus esset, causâ pro qua venerat impediente, defunctus est. Cuius postea corpus idem Pipinus frater

A eius, locello aureo conditum, cum aliis plerisque muneribus; huc illud ad suum scilicet remisit Monasterium.

OPTATVS Abbas septimus præfuit annis x. Fuit autem temporibus Constantini Imperatoris, & Leonis eius filij, & Gisulfi prænominati Ducis, ac STEPHANI Papæ VII. Quo tempore, Aistulfus Longobardorum Rex Rauennam cepit, Romamque obsedit mensibus tribus. Qua ex causa, idem Pontifex in Franciam ad excellentissimum Regem PIPINVM ire compulsus est. A quo magna cum gloria & honore acceptus, eundem Pipinum, & duos eius filios, CAROLVM & CARLOMANNVM, vnxit in Reges. Fecit autem idem inclytus Rex, vna cum filiis, concessionem beato Petro, eiusque Vicario, de ciuitatibus Italiæ ac territoriis per designatos fines. A Lunis, cum insula Corsica, inde in Suranum, inde in Montem Bardonem: Versetum, Parmam, Regium, Mantuam, & Montem Silicis: simulque vniuersum Exarchatum Rauennæ, sicut antiquitus fuit, cum Prouinciis Venetiarum, & Histriæ: cunctumque Ducatum Spolentinum, ac Beneuentanum. Eamque donationem manus propriæ, & filiorum, plurimorumque Iudicum & Optimatum, subscriptione roborauit. Demum idem Rex vna cum Romano Pontifice in Italiam veniens, Rauennam, & alias xx ciuitates Aistulfo memorato sublatas, Apostolicæ Sedi subiecit. Cuius rei gratia, Romanorum quoque Patricius tunc constitutus est. IX. PIPPINVS.

B THEODEMARI duodecimi Abbatis temporibus, CAROLVS MAGNVS Pipini filius, agente ADRIANO Papa, cum valido Francorum, Alamannorum, atque Saxonum exercitu, contra Desiderium sæuissimum Longobardorum Regem, qui sancti Petri vrbes inuaserat, Papiam venit, eamque sex mensibus obsidens cepit: cunctumque Longobardorum Regnum sibi gloriosissime subdens, PIPINO filio tradidit. Ipsum vero Desiderium in Franciam secum vinctum deduxit anno Domini DCCLXXIV. Dum vero ea ciuitas obsidebatur, in ipso sancto Paschali sabbato, amore Principis Apostolorum ductus, Romam cum multis Episcopis, Abbatibus, atque Iudicibus venit. Ibique Paschali celebritate peracta, a prædicto Papa commonitus, donationem illam, quam ipsius pater vna secum beato Petro, eiusque Vicario domino STEPHANO dudum fecerat, nouis scriptis per Ætherium Notarium renouauit. Scripturamque ipsam donationis manu propria Rex ipse corroborans, Episcopos omnes & Abbates, Ducesque & Grafiones, ac plures qui secum venerant Honoratos, ibi subscribere mandans, super altare sancti Petri manu propria posuit: & tam ipse Rex, quam & Magnates eius vniuersi, id se in perpetuum beato Petro eiusque Vicario seruaturos, sacramento terribili firmauerunt. Post hæc prædictus Rex, vna cum PIPINO filio, Beneuentum cum exercitu contra Archim contendit, generum Desiderij Longobardorum Regis. Variisque euentibus dimicans, ad id tandem illum impulit necessitatis, vt & coronam suam, & maximam thesauri partem illi traderet; & geminas soboles, Grimoaldum scilicet, & Adalgisum, eidem Carolo pacis obsides daret. XIV. CAROLVS MAGNVS. 774.

C Hinc iam Francorum metu perterritus, Ciuitatem-nouam Beneuento addidit: Salernum quoque, inter Lucaniam & Nuceriam antiquitus conditam, mirifice reputauit. At vero idem Rex, vbi victoria potitus a Beneuento rediit, orationis causa Casinum tetendit, ad corpus sancti Patris Benedicti: seque Fratrum omnium hic Deo seruientium orationibus commendauit. Ab hoc primum Rege memoratus Abbas Præceptum confirmationis de tota hac terra sucepit. Alio item Præcepto Rex ipse Monasteria sanctæ Mariæ in Cingula, sanctæ Mariæ in Plombariola, & sanctæ Sophiæ intra Beneuentum, sancto Benedicto sua quoque auctoritate confirmauit: vna cum ceteris quæ tunc temporis habere videbatur, vniuersis quoque aquis, cum vtriusque partis ripis, vbicumque fuissent terris huius Monasterij iunctæ. Iussit quoque vt Monachi, iuxta præceptum sanctæ Regulæ, Abbatem sibi sine cuiusquam præiudicio licenter eligerent. Ad hunc Abbatem idem CAROLVS per Adalgarium Episcopum de Francia Litteras misit, rogans vt aliquot sibi de Monasterio beati Benedicti dirigeret Fratres, qui regularem disciplinam in illis partibus iam extinctam renouarent. Quod & fecit, mittens illi etiam Regulam, & Hymnos, qui tunc ex traditione Regulæ in hoc Monasterio canebantur. Pondus quoque libræ panis, & mensuram vini. Sed & calicis mensuram, quam in mixto seruitores accipere debent, & omnem consuetudinem, quæ tunc in

hoc loco seruabatur, scriptam transmisit. A

XVIII. LVDOVICVS PIVS. VLTIMO huius (Theodomari scilicet) Abbatis anno, LVDOVICVS Imperator, qui cognominatus est ALMVS, vel SANCTVS, huius Caroli filius, quarto Imperij anno Aquisgrani in Palatio, cum plurimis totius Franciæ Abbatibus religiosisque Monachis Concilium faciens, vtilissima nostri Ordinis obseruationi LXII. generalia Capitula constituit: quæ omnia apud nos, perindè ferè ac Regula sancti Benedicti, obseruantur. Hic pactum constitutionis & confirmationis fecit beato Petro Apostolo, eiúsque Vicario domino PASCHALI, parentes suos Pipinum & Carolum imitatus; manúsque suæ ac filiorum subscriptione corroborans, X. Episcopos, & VIII. Abbates, & Comites XV. Bibliothecarium, Mansionarium, & Hostiarium vnum subscribere fecit, & per Legatum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Theodorum Nomenclatorem domino Paschali Papæ transmisit.

XXV. AVTHPERTVS ordine XVII. Abbas effectus, præfuit annis tribus. Huic LOTHARIVS Francorum Rex, prædicti Ludouici filius, Præceptum fecit: confirmans omnia, quæ huic sacro Cœnobio tàm à Regibus, quàm à Principibus collata eatenus fuerant. Pratum insuper magnum in loco, qui vocatur Ceruarius, & seruos, & hereditates plurimas ad fiscum suum pertinentes in pago Marsorum, alio Præcepto huic Monasterio contulit. Ab hoc LOTHARIO Francorum Regnum diuisum est. Ipse Aquensem & Italicum, LVDOVICVS frater eius Baioariam, CAROLVS autem ex alia matre genitus Aquitaniam obtinuit. B

XXXI. DEFVNCTO iam dicto LOTHARIO, Francorum Regnum in partes quinque diuisum est. Nam, vt suprà diximus, LVDOVICVS & CAROLVS germani eius Baioariam & Aquitaniam regebant. Primogenitus autem illius filius, LVDOVICVS nomine, Italiam sortitus est, secundus LOTHARIVS Aquis obtinuit, tertius GARLITTVS* Saxoniam habuit. Huic ergo LVDOVICO admodum adolescenti ab afflictis varia peste Longobardis per venerabilem Bassacium Abbatem supplicatum est, vt ad istas se conferret partes, eósque ab infidelium vexationibus eripere, ac tantis cladibus finem dignaretur imponere. Quod & factum est. Eorum enim supplicationibus annuens LVDOVICVS, Beneuentum venit: eíque Radelchis, ac Beneuentanis Sarraceni omnes traditi sunt. Quos omnes ipso die vigiliarum sancti Pentecostes extra vrbem duci, atque ad vnum iugulari iussit. Inter quos etiam Massar illorum Dux capite cæsus est. Móxque idem Imperator, conuocatis Longobardis omnibus, totam prouinciam Beneuentanam inter Radelchis ac Sichonolfum æquo iure partitus est anno Domini DCCCLI. Paucísque pòst diebus, compositis rebus, ad sua remeauit. Demùm verò prædicti Principes, Radelchis & Sichonolfus, pactum huiusce diuisionis inter se firmantes, hoc sancti Benedicti Monasterium, sanctíque Vincentij, extra sortem esse decreuerunt, dicentes: » Hæc Monasteria ad nos minimè pertinent, quoniam sub tutela & immu- » nitate Imperatorum, Lotharij, filiíque eius Ludouici, constituta esse noscuntur.

* leg. CAROLVS Prouinciam

851.

XXXII. ITERVM verò Sarraceni apud Barim degentes, Calabriam, omnémque Apuliam, ac totam prouinciam Beneuentanam affligere ac deuastare nitebantur. Rursúmque rogatus à Principibus Bassacius Abbas, vnà cum Iacobo Abbate sancti Vincentij Franciam profectus, iam dictum LVDOVICVM ad has denuò partes venire compulit. Qui vbi aduenit, Barim protinus adiit. Cúmque per dies aliquot cum Sarracenis nequicquam dimicaret, intelligens se Capuanorum arte ac fallaciâ nihil proficere, Sichonolfi filium è Salerno in exilium misit: Principatúmque Ademaro tradens, reuersus est. C

XXXVIII LONGOBARDI igitur videntes se pro suis iniquitatibus à Deo flagellatos, afflicti, ac magna demum necessitate compulsi, tertiò iam Legatos in Franciam ad prædictum LVDOVICVM mittunt: orantes votis omnibus, vt iterùm venire, eósque ac patriam à nefandissima Sarracenorum gente dignaretur eripere. Tunc LVDOVICVS Rex generale Edictum per omnes Regni sui partes dirigens, vt nullus se omninò ab hac expeditione subtraheret, anno Domini DCCCLXVI. im-
866. mensum coëgit exercitum: simúlque cum domna ANGELBERTA Augusta coniuge sua iter arripiens, per Soram Beneuenti fines ingreditur, ac mense Iunio peruenit ad Monasterium huius sanctissimi Patris, quod deorsum est. Vbi à venerabili Abbate BERTHARIO, cunctis illi Monachis occurrentibus, maximo cum honore susceptus est. Die altera montem adoraturus ascendit, ibidémque magna

A itidem cum honorificentia acceptus à Fratribus est. Cúmque, Cœnobium omne perlustrans, decentissimè constructum esse laudasset, Præceptum confirmationis totius Monasterij, sicut sui prædecessores Reges ante iam fecerant beato Benedicto, confecit: & regalibus ibidem collatis muneribus, Fratribus se multùm commendans, de monte descendit. Post hæc indè digressus, Capuam petiit: Quam tribus obsessam mensibus cepit, eámque maxima ex parte deleuit. Indè Salernum adiit, dehinc nauigauit Amalfim. Puteolim quoque pergens, eiusdem vtitur lauacris: pérque Neapolim rediens, Sessulam adiit. Demùm apud vallem Caudinam castrametatus, non multò post intrauit Beneuentum. Congregato autem apud Luceriam Apuliæ ciuitatem omni exercitu suo, cum Saracenis repentè congreditur. A quibus primo certamine superatus, demùm ex his, opitulante Deo, victoriam insignem adeptus, omnibus eorum potitus est castris. Indè Barim contendens, quatuor illam annis obsedit. Materam interim munitissimam illorum vrbem capiens, igni, ferróque vastauit. Post hæc venit Venusiam, ibique, ac Canusij præsidio militum posito, Barim vndique expugnare cœpit, rediítque Beneuentum. Ibi cùm in eius obsequio Bertharius Abbas moraretur, paruum Oratorium, quod intra Monasterium sanctæ Sophiæ prædecessor eius Bassacius Abbas inchoauerat, omni diligentiâ studióque perfecit: illúdque in honorem sancti Patris Benedicti à Stephano Theanensis Ecclesiæ Præsule consecrari fecit. Tunc temporis idem Rex beato Benedicto Præceptum fecit de vna curte sua, in loco qui Turturitus dicitur, & de sancto Geórgio, cum omnibus rebus ac pertinentiis eorum. Cùm autem Saraceni intra Barim obsessi, vltra quod nequaquam subsisterent, misso Imperator exercitu, & ciuitatem, & Seodam cum suis omnibus cepit, eósque ferro trucidari ad vnum iussit. Dehinc Tarentum obsideri euestigiò mandat, ipsam enim illi nequissimi ceperant. Interea duo quidam Comites visi sunt insurgere in Regem. Quo ille cognito, eos Marsiam vsque persecutus est. Ibi illi consistere non ausi, fugerunt Beneuentum. Rex autem, dum illos insequitur, venit Hiserniam: quam aliquandiu reluctantem obsedit, & cepit. Indè Aliphas pertransiens, per Telesiam ad vrbem, quæ sanctæ Agathæ dicitur, venit: quam dies plurimos obsidebat. Tandem Bertharius Abbas, quoniam Hisembardus Gastaldeo, qui illam obtinebat, consanguineus ipsius erat, apud Regem pro illo interueniens, & illi gratiam, & ciuitati veniam impetrauit. Adelchis etiam Beneuentanus Princeps, genibus ipsius Imperatoris prouolutus, & his qui fugerant, & sibi qui illos seruare præsumpserat, veniam impetrauit & gratiam. LVDOVICO autem apud Beneuentum posito, Adelchis Princeps inuidiâ diaboli ductus, inuenta occasione, quòd Franci multa insolenter agerent in ciuitate, in eum nihil tale metuentem insurrexit, captúmque custodiæ mancipauit: omnésque illius milites spolians, fugere compulit. Sed Deus profectò diu passus non est innocentem Regem frustrà affligi. Infra quadraginta enim dies, innumerabili Saracenorum exercitu ab Africa aduenientes, LVDOVICVS è custodia extemplò dimissus est, & sacramentis obstrictus, à Beneuento recedens, intra tres dies abiit Berolam. Ibíque vndecim fermè menses remoratus, interim per quosdam suos Comites Saracenorum primò tria millia, dehinc nouem fermè millia apud Capuam interemit. Indè cùm adueniret Capuam, Saraceni ipsius aduentu explorato, relicto Principatu Calabriam adeunt: eámque penitus depopulantes, conscensis nauibus ad sua post longa naufragia quicumque euasêre redierunt.

LVDOVICVS II. IMP.

B

C

PER idem tempus, cùm religiosus Imperator secus insulam Piscariæ, quæ est in confinio Pennensis transitus, pertransiret, eiúsque oculis locus ipse, qui quondam Casa-aurea dicebatur, valde placuisset, & seruorum Dei recessibus aptissimum iudicasset: ab Episcopis Baluensi atque Pennensi Ecclesiam ibi in honorem sanctæ Trinitatis construi iussit, & religiosos viros in eodem loco ad Dei seruicium congregari. Quo facto, plurimis eandem Ecclesiam variisque beneficiis per diuersa loca, quemadmodum ipsius Priuilegia continent, Imperiali largitate donauit: suíque memoriam ibi semper habendam, satis deuotus indixit. Postmodum ab eiusdem loci Abbatibus Ecclesia ipsa ampliata, & sancti Clementis vocabulo est appellata. Hic idem Christianissimus Rex hoc tempore, cùm ad Monasterium sancti Angeli iuxta fluuium Sangrum, quod Baregium dicitur, peruenisset: imitatus prædecessorum suorum Præcepta, Caroli scilicet, atque Lotha- XXXIX.

Vide suprà pag. 544.

LVDOVICVS II. IMP. rij, ex suo quoque Præcepto roborans, confirmauit illic omnia, quæ per circuitum, & in pago Marsorum, atque Balua, Teate quoque, Pennæ, Aprutio, & Asculo, multipliciter possedisse antiquitus videbatur. A

XL. MEMORATVS autem Imperator, cùm annum fermè integrum Capuæ remoratus esset, sublato indè corpore sancti Germani eiusdem ciuitatis Episcopi, in Franciam demum reuersus est.

XLI. CVMQVE in reditu suo Rauennæ apud sanctum Apollinarem moraretur, adiit eum Angelarius Monasterij nostri Præpositus, quæstionem proponens de Cella sanctæ Mariæ in Maurinis, sita in Comitatu Pennensi: quam HILDEBRANDVS Dux tempore Caroli Regis, ante centum circiter annos, interuentu Beniamin Monachi, in hoc Cœnobio Præcepto firmauit; quòd scilicet tunc essent qui dicerent, res ipsas ex permissione Imperatoris se licenter tenere. Mox Imperator, cognita ipsius rei veritate, prædicti Angelarij precibus motus, scripsit, & Imperiali auctoritate præcepit, vt nullus deinceps ex eadem Cella aliquid retinere, vel attentare, neque ex sua, neque alterius cuiusque parte præsumeret: sed quieta, & omnimodis libera, in dominium Cœnobij nostri remearet.

XLII. PARVM temporis fluxerat, cùm resumptis viribus Saraceni Tarentum obtinentes, Barim exindè, ceteráque confinia acrius vrgere cœperunt. Interea Salernitani, & Malphitani, Neapolitani, & Caietani, fœdus cum Saracenis ineuntes, Romam nouis deprædationibus exagitabant. Cuius rei gratiâ CAROLVS tunc temporis IVDITTÆ filius, à Ioanne VIII. Papa multis Litteris interpellatus, LAMBERTVM Ducem, & GVIDONEM eius fratrem, illi in auxilium misit. Cum quibus idem Apostolicus Neapolim Salernúmque profectus est. Porrò Guaiferius Salernitanus Princeps in omnibus Papæ obtemperans, fœdus Sarracenorum rupit, & plurimos ex eis trucidauit. Sergius verò Neapolitanus Dux, cùm ab eis se alienare nollet, ab Apostolico excommunicatus est. Ac non multò pòst, vindice Deo, ab Athanasio Episcopo germano suo captus, atque cæcatus, Romam transmissus est. B

L. HIC Abbas (Angelarius scilicet) concessit AGELTRVDÆ Augustæ, LAMBERTI Regis matri, libellario iure, diebus tantùm vitæ suæ, Cellas duas huius Monasterij, cum omnibus rebus suis: vnam in loco qui dicitur Laude, alteram in Persiceta. Quarum gratiâ singulis annis mittebat illi eadem Augusta census nomine argenti libras tres.

LII. HIS temporibus Symbaticius Patricius Constantinopoli profectus, obsedit Beneuentum menses fermè tres; cepítque illam XV. Calend. Nouembris anno

891. Domini DCCCXCI. expletis à Zottonis primo Beneuenti Duce annis CCCXXX. Quo toto tempore Longobardorum Duces ac Principes eandem vrbem tenuerant. Post Symbaticium, Beneuento præfuit Georgius Patricius. Qui cùm præfuisset in ea tribus annis, & mensibus nouem, adueniens GVIDO Dux & Marchio, pulsis indè Græcis, duos fermè ibi annos resedit. Post hunc Radelchis annis duobus. Deinde Athenulfus ex Capuano Gastaldeo iam Comes, cum filio Landulfo. C

LX. BALDVINVS Abbas genere Francus, XXV. à beato Benedicto, fuit temporibus dictorum Principum Landulfi & Athenulfi. HVGONIS quoque & LOTHARII Regum, de omnibus Monasterij possessionibus ad hunc Abbatem Præceptum confirmationis habetur. Qui etiam Reges eo tempore Præceptum proprium Monasterio Sancti Angeli de Barregio facientes, atque ab Agarenis desolatum in pristinum statum reuocare cupientes, omnia quæ priores Reges eidem regia donatione contulerant firmauerunt.

LXIV. HOC loco quomodo Italiæ Regnum à Francis ad Teutonicos translatum sit, ociosum non erit paucis exprimere. Post mortem LVDOVICI Lotharij filij, de quo superiùs plura iam diximus, qui videlicet cum fratribus LOTHARIO atque CARVLO diuiso Regno, Italiam per tempus aliquod felici sorte possederat: inuasit Italiæ Regnum BERENGARIVS Foroiulensis, Berardi * Marchionis filius. Verùm in ipso Regni initio à GVIDONE Guidonis Comitis filio duobus prœliis superatus aufugit. Eo tempore, defuncto Agapito Papa II. Ioannes XI. natione Romanus, Alberici Romanorum Consulis filius, illi in Pontificatu successit. Guido autem cùm annos fermè sex Regnum obtinuisset, cruoris vomitu extinctus,

* Euerardi

A extinctus, LAMBERTO filio tradidit Regnum. Quo post annos item sex vitâ functo, LVDOVICVS Bosonis Regis Prouinciæ filius regnauit annis tribus. Aduersus hunc RODVLFVS Regis Burgundiæ filius in Italiam venit. Post hæc Ioannes Papa Magnatibus Italiæ iunctus, Rodulfum expulit: mitténsque accersiuit HVGONEM Aquitaniæ Ducem, qui tunc summa prudentiâ ac virtute pollebat. Qui protinus vnctus in Regem, vnà cum LOTHARIO filio strenuè atque viriliter Italiæ Regnum aliquot possedit annis. Cum hoc HVGONE in Italiam venit Azzo Comes, Berardi illius auunculus, qui Francicus cognominatus est, ipsius Regis propinquus: à quo Marsorum Comites creati sunt. Non multò post præfatus Hugo, coronato filio, & nobilissima illi coniuge ADELAIDE ex Tusciæ Proceribus iuncta, cùm ab eo, vt pote senex, negligi, & ingratè affligi cœpisset, relicto illi Regno, ipse cum omni thesauro suo, cunctisque opibus, in Burgundiam properans, Monasterium illic permagnificum construxit sumptibus propriis, quod sub titulo sancti Petri appellari voluit: ibique omnibus traditis, ipse Monachus effectus est. Demum Lotharius post annos fermè quatuor, in frenesim subitam incidens, diem clausit extremum: ipséque deinceps in Italiam regnandi Francorum Regibus terminum dedit. Eo defuncto, vxor eius ADELAIS ad Athonem propinquum suum sese in Canusam arcem munitissimam contulit. Interea BERENGARIVS prædictus cum filio ALBERTO, strenuo valde viro, denuò Regnum inuadere gestiens, atque ideo Reginam ipsam omnimodis capere cupiens, B arcem prædictam fermè triennio obsedit. Atho interim habito cum Regina consilio, nuncium ad OTTONEM Saxoniæ Ducem, Vngarorum tunc victoriâ inclytum, mittit: qui ei quæ circa se gerantur omnia referat, orétque vt Italiam continuò petere, eósque de Berengarij obsidione liberare, Reginámque ipsam coniugem simul cum Regno maturaret accipere. Prædicta arx iam ferè ad deditionem hostium cogebatur, cùm ecce disponente Deo, missus à Regina nuncius rediit: & quia ob diligentissimam obsidionem nullus sibi in arcem patebat ingressus, Literas & anulum, quem à Duce susceperat, sagittæ callidè satis inseruit: & correpto arcu, nemine id suspicante, illam in arcem misit. Tenor autem Litterarum hic erat. Ducem cum exercitu iam superatis Alpibus Veronam venisse, filiúmque LITVLFVM ante se Mediolanum processisse. Proximè illis affuturos auxilio. Viriliter agerent, se de coniugio & Regno voluntati illorum pariturum. Igitur Duce euestigio adueniente, Berengario & Alberto fugatis, soluta obsidio est: duabus Berengarij filiabus captis, atque in Teutonicam terram exilio missis. Mox Adelaidis coniugium OTTO sortitus, Teutonibus ex eo tempore in Italia regnandi initium fuit. Ac non multò pòst ingressus Romam, Imperij coronam de Ioannis Papæ XII. manibus cepit anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLXII. 962.

HVGO, LOTHARIVS.

 A

EXCERPTA CHRONICI
MONASTERII ACVTIANI,
SIVE FARFENSIS,
IN DVCATV SPOLETANO.

Quæ iussu & auctoritate eminentissimi Cardinalis FRANCISCI BARBERINI *ex Codice Ms. eiusdem Monasterij descripta sunt: procurante id viro clariss. Nicolao Fabricio Peirescio in supremo Senatu Aquensi Regis Consiliario.*

669. ALBVINVS Longobardorum Rex decimus de Pannonia Ticinum venit an. Domini DLXIX. Ep. VII. Conc. VII. & vltra annos tres obsessam obtinuit, & regnauit an. III. mens. VI. B
CLEPH. an. I. mens. VI.
Post hunc sine Rege sub Ducibus Longobardi fuerunt an. X.
Faroaldus Dux primus extitit Spoletanus. Autharius Clephonis filius regnauit an. VI.
Zotto Dux primus Beneuentanus.
Agisulfus Dux Faroaldo successit apud Spoletum.
Post hunc Teudelabius filius Faroaldi superioris.
Arichis Dux Beneuentanus an. L.
Adadoloaldus filius Gisulfi an. X. Arioaldus.
ROTHARIVS genere Arodus, in an. LXXVII. Longobardorum regn. an. XVI. mens. IV.
Aio filius Arichis an. I. mens. V.
Radualdus Dux Beneuent. an. V.
Grimoaldus Dux germanus eius an. XXV.
RADOALDVS filius Lothar. regn. an. V. diebus VII.
ARIPERTVS filius Gundualdi regn. an. I. mens. III.
Tato Dux Spoletanus.
GRIMVALDVS gener Ariperti Regis, regn. an. IX.
Transmundus Dux Spolet. Comes dudum Campan. C
PERETARIT solus regn. an. VI. cum filio suo CARRIPERTO an. X.
Romoaldus Dux Beneuent. an. XVI. Grimualdus filius eius an. III.
Gisulfus germanus eius.
Cuncipertus absque patre regnauit an. XII.
Liutpertus regn. mens. VIII.
Regimpertus Dux Taurinensis inuaso Regno moritur eodem anno.
Aripertus filius eius regn. cum eo siue sol. vsque an. XII.
Faroaldus filius supradicti Transmundi Dux Spolet.
Ansprandus regnauit m. III.
Liutprandus filius eius regn. ann. XXXI. ob. Ind. XI.
Romoaldus filius Gisulfi, Dux Beneuent.
Transmundus contra Faroaldum patrem suum rebellans, Clericum illum fecit, & Ducatum Spoletanum inuasit. Hildericus Dux Spolet.
Agiprandus nepos Regis, Dux Spolet.
Hildeprandus nepos Liutprandi.
RATCHISVS regn........ Lupo Dux Spol.
HAISTVLFVS regn.

A DESIDERIVS germanus Raitchisi Regis. hic perdidit an. Incarn. Domini DCCCLXXIV. & vna cum coniuge Franciam est delatus.

Theodicius Dux Spol.

Hildeprandus Dux Spol.

Guinichis Dux Spol.

KAROLVS Rex Francorum, & Romanorum Imperator primus, filius PIPINI Regis Francorum, coronatur anno Domini septingentesimo septuagesimo quarto.

PIPINVS filius Caroli Imperatoris.

Guinichis Dux Spol.

KAROLVS secundus Imperator.

BERNARDVS Rex Longobardorum.

LVDOVICVS Imperator I. Caroli filius.

LOTHARIVS filius Ludouici I. Imp.

Gerardus Dux.

Escrotonius Comes.

Berengarius Dux.

LVDOVICVS II. Imperator filius Lotharij.

CAROLVS filius Ludouici, Imperator.

B CAROLVS Imperator anno Domini DCCCLXXX.

Guido Princeps Italiæ, Imp. anno Domini DCCCXC.

Lambertus filius Guidonis Imperator.

Hugo Rex anno Domini DCCCCXXVII.

Lotharius filius Hugonis Regis.

Bonefacius, & Thebaldus filius eius, Duces.

Berengarius, & Albertus filius eius, Reges an. Domini DCCCCLI.

Sarillo Marchio.

Leo Dux Sabin.

Rainerius Dux Sab.

Aazo Comes Sab.

Ioseph Dux Sab.

Teuzo Comes Sab.

Transmundus Dux.

Otto I. Imperator anno Domini DCCCCLX.

Otto filius eius II. Imp.

Pandolfus Princeps, & Marchio.

Benedictus Comes.

Crescentius Comes.

C Ioannes Comes.

Theophanu Imp. anno Domini DCCCCXC.

Otto filius Ottonis II. III. Imp. anno Domini DCCCCXCVI.

Rainerius, & Crescentius Comes.

Girardus Comes.

Ioannes Comes.

Henricus I. Rex anno Domini M.XIV.

Crescent & Oddo Com.

Oddo & Ber. Com.

Gregorius Comes.

Oddo, & Petrus Comes.

Oddo, & Crescent germani Com.

Chuonradus Imperator anno Domini M.XXVIII.

Crescentius, & Ioannes nepos eius.

Ioannes Patricius.

Crescentius & Otto Com.

Henricus III. Rex an. Domini M.XL.

Henricus Imperator anno Domini M.XLVII.

Henricus Imperator anno Domini M.LVI.

Henricus Imperator anno Domini M.LXXXIV.

Carolvs Magnvs. Pag xlix. Chron. Ms.

KAROLVS Dei gratia Rex Francorum & Longobardorum, atque Patricius A
Romanorum. Omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Vicariis,
» Domesticis, vel omnibus Missis nostris discurrentibus. Quidquid enim ob amo-
» rem Ecclesiarum, vel quietem seruorum Dei exercemus, hoc nobis proculdubio
» Domino adiuuante ad æternam beatitudinem pertinere confidimus. Igitur com-
» periat magnitudo, seu vtilitas vestra, qualiter venerabilis vir PROBATVS Abbas
» Monasterij, quod est constructum in honorem beatissimæ genitricis Dei, semper-
» que Virginis Mariæ, quod vocatur ACVTIANVS, in Ducato Spoletano, vel fūdato in
» territorio Sabinensi, missa petitione Clementiæ Regni nostri dixit suggerendo, vt
» pro mercedis nostræ augmento taliter ei, vel ipsi Monasterio concedere debemus,
» qualiter ipsa Casa Dei sub tali priuilegio esse deberet, sicut cetera Monasteria Li-
» rinensium, Agaunensium, & Luxouiensium, vbi prisca Patrum Basilij, Benedicti,
» Columbani, vel ceterorum Patrum Regula custodiri videtur, vt nullus Episcopo-
» rum pro electione Abbatis dationē accipere debeat, & potestatem non habeat de
» ipso Monasterio auferendi Cruces, Calices, Patenas, Codices, vel Reliquias, quas-
» libet res de ministerio Ecclesiæ, nec ipsum Monasterium ponere sub tributo Prin-
» cipum potestatem haberet, nec demum tributum aut censum in supradicto Mo-
» nasterio eorum exigere debeat. Sed ipsa Casa Dei, sicut suprascripta Monasteria,
» quæ infrà Regna nostra sunt, sub eo priuilegio, & norma Patrum consistat. Cuius B
» petitionem pro diuino respectu vel mercedis nostræ augmento noluimus denega-
» re, sed ob amorem Domini nostri Iesu Christi ita confirmasse, vel à nouo conces-
» sisse cognoscite. Præcipientes ergo iubemus, vt nullus Episcopus, Abbas, Dux,
» Castaldus, vel quislibet de fidelibus nostris, seu iuniores, aut successores vestri, præ-
» dictum Abbatem aut Monachos suos, vel agentes ipsius Ecclesiæ, de rebus præfati
» Monasterij, quæ ibidem ex munificentia Regum aut Reginarum, vel de collatis
» populi, vel Pontificum, vel quæ ad ipsum Monasterium peruenerunt, aut in antea
» Deo adiuuante largitæ fuerint, tam per venditionis, quàm & donationis, cessionis,
» vel reliqua Instrumenta Cartarum, inquietare, aut contra rationis ordinem quo-
» quo tempore gerere præsumatis. sed sub nostro priuilegio quieto ordine residеant.
» Et si quandoquidem Abbas ipsius Monasterij de hac luce migrauerit, inter se ipsi
» Monachi quem digniorem inuenerint secundum Regulam sancti Benedicti, & si-
» cut eorum ordo edocet, & rectum est, vel eis in vnum consentientibus quem vnani-
» miter elegerint, licentiam habeant eligendi Abbatem: & neque à nobis, neque à
» successoribus Regibus, ea quæ pro mercede nostra indulsimus irruptum, aut con-
» fractum aliquando sit, sed de proprio valeant semper gaudere paterno, quatenus
» meliùs delectet ipsam Congregationem sanctæ Mariæ pro nobis vel stabilitate
» Regni nostri Domini misericordiam attentiùs deprecare. Et vt hæc præceptio no-
» stra & futuris temporibus firmior habeatur, vel per tempora meliùs conseruetur,
» manu nostra propria subter firmauimus, & de annulo nostro sigillare iussimus. Si- C
» gnum CAROLI inuictissimi Regis. Guigbaldus ad vicem Hitherij recognoui.
» Data sub die VIII. Kal. Iunij anno septimo & primo Regni Domini nostri CA-
» ROLI gloriosissimi Regis. Actum Carilego Palatio publico in Dei nomine felici-
ter.

LII. QVIDAM intereà Paulus filius Pandonis Reatinus, querelatus est Domino KAROLO Regi, dum esset in finibus Florentinis ad vadum Medianum, de Monasterio Sancti Angeli iuxta ciuitatem sito Reatin. dicens quòd de suis parentibus fuisset, & sibi pertineret. Tunc inquisitus Dux HILDEPRANDVS, respondit:
» Monasterium istud à Palatij potestate inueni, quod ego donaui Guigberto Epi-
» scopo, & confirmaui in Monasterio sanctæ Mariæ de Acutiano, & per vestræ pote-
» statis Præceptum inibi confirmatum est. Et præcepit illi Dominus Rex, vt reuer-
tens Spoletum cum suis Iudicibus causam ipsam diligenter inquisitam finiret. Et reuersus Dux, cœpit hoc vnà cum Iudicibus sollicitè inuestigare. Et affuit huius Monasterij Abbas RAGANBALDVS cum suis Monachis, & dixit, quòd ipsum Monasterium iam diebus Teudici Ducis ad partem Palatij per sacrum mandatum firmatum est, & iudicatum exindè factum est per iussionem THEODICI Ducis, per manum Degarini Castaldi & Referendarij. Et interrogatus est Pando de ipso iudicato, confessus est se illum igni combussisse, quia contrarius ei extiterat. Sed &

CAROLVS MAGNVS.

A Degarus Castaldus dixit: Ego interfui, & ad partem Palatij causa victa est, & ipsi iudicatum manibus meis scripsi. Post hæc Pando dixit, & attestatus est, dicens: Omnia vera sunt, sicut Degarus Castaldus dicit, & sacra mandata exinde facta sunt, & iudicatum ipsum nos combussimus, & exindè nulla alia munimina habemus. Tunc ab omnibus decretum est, vt idem Pando guadiam cum suis daret ad partem Palatij, & componeret iuxta Edicti paginam de ipso iudicatu incenso: & pars prædicti Abbatis haberet & possideret prænominatam Ecclesiam sancti Angeli. Et ita finitum est. Quod etiam Totemamus Notarius scripsit.-:·

DOMINVS verò KAROLVS Rex per Præceptum firmitatis confirmauit in hoc Monasterio omnes res, quas Hildericus Castaldus, & Taciperga genitrix eius, & eius coniux Hilciperga, per Cartas donationis nobis concesserunt.-:· Pa. LVI.

ET factum est ita sub die XI. mensis Maij Indict. IX. anno Domini Karoli Regis & filij eius Pipini. Cùm autem Missi Domini Regis, Mancio Abbas, Haroinus & Hisembardus, resedissent Spoleto cum Iudicibus in Placito, venit ibi Dominus Ioannes Monachus huius Monasterij, & querelatus est super GVINICHISVM Ducem, qui contendebat piscarias per singula loca Ducatus Spoletani, & retia nostra ruperant homines eius, & pisces tulerunt, atque homines huius Monasterij vapulauerant. Et ex hoc interrogatus Dux dixit: Verum est. Sed homines mei sine mea voluntate hoc fecerunt. Ego autem volo exindè parti Monasterij iustitiam B facere, sicut mihi iudicatis. Et iusserunt reuestire eundem Ioannem, & Aduocatum eius de ipsis piscariis & guadiam de compositione iuxta legem dare fecerunt: & ita finitum est.-:· LVII.

KAROLVS serenissimus Augustus à Deo coronatus, magnus, & pacificus Imperator, Romanorum gubernans Imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum. Si ea quæ à Deum timentibus hominibus locis Sanctorum ob amorem Domini, & opportunitatem seruorum Dei, condonata esse noscuntur, nostris confirmauerimus Edictis, non solùm Regiam exercemus consuetudinem, sed etiam hoc nobis proculdubio ad mercedis augmentum seu stabilitatem Imperij nostri in Dei nomine pertinere confidimus. Quapropter notum sit omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Castaldiis, Vicariis, Centenariis, Altionariis, vel reliquis fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis BENEDICTVS Religiosus Abbas Monasterij sanctæ Dei genitricis sempérque Virginis Mariæ, quod situm est in territorio Sabinensi, loco qui dicitur ACVTIANVS, mansuetudini nostræ suggessit: petens vt res ipsius Monasterij, quæ à longo tempore ad ipsum sanctum locum per diuersorum hominum donationes, videlicet Regum, Reginarum, Ducum, Pontificum, Comitum, Castaldiorum, vel collationes populi, cessiones, venditiones, comparationes, commutationésque peruenerunt, de quibus ipsa Casa Dei moderno tempore, id est ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCCIII. anno, atque anno Imperij no- 803.
C stri III. inuestitũ habere, vel quieto ordine possidere videtur, per Præceptum Regiæ auctoritatis nostræ, pro mercedis nostræ augmento, ad eundem sanctum locum pleniùs cedere, & confirmare iuberemus. Cuius petitioni annuentes, ad mercedis nostræ augmentum pro reuerentia ipsius sancti loci, vel propter deprecationem memorati viri venerabilis BENEDICTI Abbatis ita concessimus, & confirmari iussimus. Præcipientes ergo iubemus, quòd perpetualiter circa memoratum sanctum locum mansurum esse volumus, vt nullus quislibet de fidelibus nostris memorato viro venerabili Benedicto Abbati, aut successoribus suis in perpetuum de iam dictis rebus, quas præfata Casa Dei moderno tempore, id est ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCCIII. & III. Imperij nostri, iustè & rationabiliter quieto ordine possidere cernitur, aut inante Domino largiente legitimo ordine acquirere potuerit, inquietare nec condemnare, nec aliquid exindè iniustè abstrahere, aut minuere quoquo tempore præsumat. Sed per hoc nostræ Serenitatis atque confirmationis Præceptum, nostris futurisque temporibus ad ipsam sanctam Dei Ecclesiam proficiat in augmentis: quatenus omni tempore, absque cuiuslibet illicita contrarietate ipsas res superiùs comprehensas Rectores ipsius Monasterij tenere, & possidere debeant. ità vt melius delectet prædicto venerabili viro Benedicto Abbati, atque eiusdem Ecclesiæ congregationi in perpetuum pro nobis, & pro Imperij nostri stabilitate, seu pro filiis ac filiabus nostris, vel pro cuncto populo no-

LVDOVICVS PIVS.

bis à Deo dato attentiùs iugiter diuinam exorare clementiam. Et vt hæc Auctoritas firmior habeatur, & per tempora diligentiùs obseruetur, iuxta consuetudinem » Imperialem subscribere, & de annulo nostro iussimus sigillare. Datum Idibus Iu- » nij anno III. Christo propitio Imperij nostri, & XXXV. Regni nostri in Francia, at- » que XXIX. in Italia, Indictione XI. Actum Aquis nostro Palatio publico in Dei no- » mine feliciter, amen.

» LVDOVICVS diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus. Imperialem » Celtitudinem decet prædecessorum suorum facta non solùm inuiolabiliter con- » seruare, sed etiam censuræ suæ auctoritate alacriter confirmare. Perindè nouerit » sagacitas seu industria omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm & fu- » turorum, quia vir venerabilis BENEDICTVS Abbas ex Monasterio ACVTIANO » sito in territorio Sabinensi, & constructo in honore sanctæ Dei genetricis sempér- » que Virginis Mariæ, obtulit obtutibus nostris quasdam auctoritates confirmatio- » nis Domini genitoris nostri bonæ memoriæ CAROLI serenissimi Augusti, in » quibus continebatur insertum, qualiter idem Monasterium sub tali priuile- » gio consistere fecerat, sicut cetera Monasteria, quæ in Francia sub sancti Bene- » dicti Patris norma consistunt. Scilicet vt nullus Episcopus de thesauris ipsius » Monasterij aut rebus aliquid auferre, nec sub aliquo tributo ponere, aut aliquem » censum exindè exigere, aut exactare præsumeret. Vel qualiter Hildeprandus Dux » gauldum qui nuncupatur Tancies, & curtem quæ vocatur Vallantis, cum omni » integritate, & appendiciis suis, per sua Præcepta confirmauit, & curtem Tacia- » num, Monasterium Sancti Marci Euangelistæ quod est situm iuxta muros Spole- » tanæ ciuitatis, quod ipse domnus & genitor nostér ad idem Monasterium per » suum confirmauit Præceptum. & Monasterium Sancti Saluatoris situm non pro- » cul ab eadem ciuitate Spoletana. & Monasterium Puellarum, quod vocatur San- » cti Georgij, sub muro ciuitatis Reatinæ. & Ecclesiam Sancti Michaëlis Archan- » geli positam super fluuium Mellinum, iuxta ipsam ciuitatem Reatinam, cum om- » ni integritate sua. & in territorio Firmano Monasterium Sancti Siluestri, vel San- » ctæ Marinæ, cum omni integritate, vel quidquid ex largitate Regum, Regina- » rúmque, Pontificum, Ducum, Castaldorum, vel ex collatis populi, vel ceterorum » fidelium, eidem Monasterio legaliter confirmatum fuerat, suis auctoritatibus con- » firmaret. Sed & pro rei totius firmitate postulauit nos prædictus Abbas, eiúsque » congregatio, vt morem paternum sequentes nostram etiam auctoritatem super » hoc negotio fieri censeremus. Quorum petitionibus ob animæ nostræ emolumen- » tum, & æternæ retributionis fructum, libenter assensum præbuimus, & hoc nostræ » auctoritatis Præceptum inspecta auctoritate paterna fieri placuit, per quod decre- » uimus atque statuimus, vt nullus Episcopus de superiùs memoratis locis, aut de ce- » teris Monasteriis, aut Cellulis, Xenodochiis, Ecclesiis, Curtibus, Villis, Pisca- » tionibus cum Piscatoribus suis, seruis, ancillis, libellariis, cartulatis, offertis, » gualdis, molendinis, vel de omnibus eidem Monasterio iure subiectis, vel quidquid » ex munificentia Regum, Reginarum, aut ex confirmatione Pontificum, Ducum, » Castaldorum, nec non ex collatis populi, aut ceterorum fidelium liberalitate, vel » etiam ex Monachis qui in eodem Monasterio suas animas saluare cupientes intra- » uerunt, & eis tam ex donatione Regum, Reginarúmque, Pontificum, Ducum, » quàm & hereditate parentum, vel de quolibet attractu aduenerunt, & ibidem per » Cartulas delegauerunt, vel vndecumque ad eos tam per venditiones, accessiones, » commutationes, possessionésque, eidem Monasterio, sicut dictum est, venit, & mo- » derno tẽpore iustè & legaliter possidere noscitur, vel quod deinceps Domino lar- » giente ibidem collatum fuerit, nullus fidelium nostrorum, præsentium scilicet & » futurorum, memorato Abbati, eiúsque congregationi, aut suis successoribus in- » quietare, aut calumniam generare, aut aliquam iniustam repetitionem facere » tentet. Sed sicut à genitore nostro confirmatum esse dignoscitur, & à fidelibus » sanctæ Dei Ecclesiæ diuersis rebus idem locus ditatus esse constat, ita omni tem- » pore absque alicuius præiudicio, aut infestatione vel deminoratione consistat: & » per hoc nostræ confirmationis Præceptum iure perpetuo teneat, & sub nostro pri- » uilegio, atque mundiburdo consistat, & sub defensione nostra eiusdem Monachi » in eodem Monasterio quietè residere valeant, & pro nobis, & stabilitate totius Im- » perij nostri Dominum exorare. Concessimus etiam eis, vt quidquid ex copulatione

A seruorum ipsius Monasterii cum liberis feminis secundū legem Longobardorum ad publicum contingere poterat in eleemosyna nostra, per hoc nostrum confirmetur Praeceptum. Et quandoquidem diuina vocatione praedictus, vel successores eius de hac vita migrauerint, quamdiu ipsi Monachi inter se talem inuenire poterint, qui eos secundum Regulam sancti Benedicti regere valeat, licentiam habeant elegendi Abbatem. Et vt haec Auctoritas confirmationis nostrae ab omnibus meliùs & veriùs credatur, & diligentiùs conseruetur, more nostro eam subscribere, & de bulla nostra iussimus sigillari. Durandus Diaconus ad vicem Helisachar recognoui. Datum II. Non. Augusti anno Christo propicio II. Imperij nostri, Indictione VIII. Actum Franconofurd Palatio regio in Dei nomine feliciter.

QVIDAM Maiorianus, & Romanus ac Hunaldus filij eius, res proprietatis suae in hoc Monasterio per Testamenti conscriptionem condonarunt, reseruato sibi earumdem rerum vsufructu ad dies vitae eorum. Accidit autem, vt filius eiusdem Maioriani nomine Godoaldus, qui quartam portionem eiusdem possessionis eodem Testamento possidebat, instinctu Diaboli postposita fidelitate sua ad Beneuentanos, qui tunc temporis dominio CAROLI Imperatoris rebelles erant, fugiendo se contulisset, ac propter hoc res propriae illius fisco sociari debuissent. Cum quibus & portiones supradictorum Maioriani patris eius, & duorum fratrum Romani, & Hunaldi, in publicum redactae, & ita à potestate huius Monasterij ablatae sunt. Quae omnia cùm per domnum BENEDICTVM Abbatem auribus B serenissimi Imperatoris LVDOVICI referrentur, iussit Dominus Imperator praedictas trium hominum possessiones, id est Maioriani, & duorum filiorum eius Romani & Hunaldi, de parte fisci sublata huic Monasterio restitui. Sed cùm eodem anno domnus Benedictus Abbas de hoc seculo migrasset, eius successor domnus Abbas INGOALDVS suggessit Domino Imperatori, vt super his rebus huic loco Praeceptionis suae confirmationem dare iuberet. Insuper & de piscatore nomine Aunefrido manente in territorio Reatino, vbi Septepontius cum vxore, & filiis, terrâque ac domo, siue piscatione, & omnibus rebus suis, ad vsum huius Monasterij concederet. Et concessit hoc Imperator, & per Imperialis paginas Praecepti decentissimè roborauit. Actum Aquisgrani Palatio Regio. -- :·

STEPHANVS Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto in Domino filio Ingoaldo religioso --- :· Scriptum per manus Christofori Scriniarij in mense Ianuarij Indictione x. Benè valete. Dat. x. Kal. Februarij, per manus Theodori ..... sanctae Sedis Apostolicae. Imperante Domino HLVDOVICO piissimo Augusto à Deo coronato, magno, pacifico, Imperatore, anno III. & Patr. eius anno III. Indictione x.

HVIC autem domno Ingoaldo Abbati, siue in hoc Monasterio donata est ab Hilderico Castaldio quaedam casa super muros ciuitatis Reatinae, & turris, cum casa veteri in capite eius, & à quodam Ioanne Scaldasio Ecclesia sancti Ioannis in Asera super salariam publicam, & ab Octeramo Notario quaedam portio caC salis oleti in massa Interoina super Sextunum, & de Ecclesia sanctae Iustae precio sibi placito exinde accepto, & ab Hilderico Reatino Ecclesia sanctae Agathes ad Arces, & à quodam Ioanne terra & vinea in Aserra cum prato longo, & à quodam Spoletano quaedam res ad sanctum Stephanum in Carsulez, & à Teudiperto Castaldo retradita & restituta est curtis in Pitte in hoc Monasterio, Guinichiso Duce iubente, & à Missis Domini HLVDOVICI Imperatoris res Pauli, & Taxillae coniugis eius, videlicet casas XIII. in massa Amiternina, & in massa Ciculana, & molinum suptus portam Reatinam, & silua de Felecto, & pratum in Lingla, & à Leone vasso HLOTHARII Imperatoris curtis sanctae Mariae in Naciano in finibus Camertulae. Ipsis tempotibus inuestiti sunt Monachi huius Monasterij, de curte in Aciano, quae fuit Scoptolphi, & de curte in plagia loci qui dicitur Brezzenanus, & de curte in Boniano quae fuit Leonis Castaldij, & facta est commutatio cum quodam Petro prope vicum Palentiane duarum sestiarum CXXX... Et in valle Tybe à quodam Audulfo donata est in hoc Monasterio terra modiorum C. & in cordale suptus montem sancti Maroti, & in Caneria ad Campum Gelatum, & pratum in Lingla. Et reuicit praefatus dominus Abbas Ingoaldus in Placito curtem sancti Abundij in territorio Camertolo, & casas, atque casarinas nouem in Anguliano.

LVDOVICVS PIVS.

A DVM verò Ioseph Episcopus & Leo Comes Missi Domini HLVDOVICI Imperatoris residerent in iudicio Romæ in Palatio Lateranensi, in præsentia domni Gregorij Papæ, ibique adesset Leo Episcopus, & Bibliothecarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Theodorus Episcopus, Cirinus Primicerius, Theophilaptus Nummiculator, Gregorius filius Mercurij, & Petrus Dux de Rauenna, & alij plurimi, venit domnus INGOALDVS Abbas huius Monasterij cum Audulfo Aduocato, & retulit quòd domni Adrianus & Leo Pontifices per fortiam inuasissent res huius Monasterij, id est curtem Coruanianum, & curtem sancti Viti quæ est in Palmis, & curtem sanctæ Mariæ in vico nouo, & curtem in Bariliano cum rebus, & familiis. Vnde tempore Stephani, Paschalis, & Eugenij semper reclamauerat, & iustitiam minimè inuenire poterat. Tunc ipsi Missi, & Iudices, quibus Dominus Imperator in vrbe mandauerat, vt de hoc facerent iustitiam, præsente domno Apostolico, interrogauerunt Aduocatum ipsius Apostolici nomine Gregor. quòd exindè diceret. Qui dixit, quòd ipsæ curtes ipsi Monasterio nihil pertinerent. Deinde Aduocatus domni Abbatis ostendit monimina ex ipsis, & continebatur in eis, qualiter Insilberga Abbatissa sancti Saluatoris de Brixia easdem curtes in hoc Monasterio per ipsa monimina delegauerat. Et aliud monimen quod TEVDICVS Dux eidem Ansilbergæ filiæ suæ donauerat, & Præceptum DESIDERII Regis, & Domini CAROLI Imperatoris, quibus ipsas curtes cum omnibus eius pertinentibus in hoc Monasterio confirmauerant. Tunc supradicti Missi & Iudices eos reguadiare fecerunt fidei iussores vtriusque secundum suam legem ponentes; & vt alia die ad idem Placitum redirent iusserunt. Et sic venit domnus Abbas, & eius Aduocatus, vna cum testimoniis, quorum nomina sunt Gradolfus, Guaspertus de Reate, qui sic testificati sunt vt relatum est. Contra quæ prædictus Aduocatus Pontificis nihil contrarium dixit nec potuit, quia boni homines visi sunt ei. Iterum venit Ioseph Castaldus Reatinus cum bonis & veracibus hominibus, & interrogati per sacramentum quod Domino Imperatori fecerant, testimonium supradictorum virorum laudauerunt, & quod benè in omnibus recipi possent affirmauerunt, & seorsim interrogati sunt. Quorum primus » ait: Ego scio, & benè memoror, quoniam tempore Longobardorum, & Domini » CAROLI Imperatoris, ipsas curtes ad partem Monasterij vidi, & recordor ibi » Præpositos Ioannem, & Petrum, & Christianum Monachos ipsius Monasterij, » vsque dum per fortiam prædicti Pontifices exindè tollere fecerunt. Similiter reliqui dixerunt. Deinde venerunt boni, & veraciores homines XII. id est Ioannes, Clarissimus, Meitio, Teuto, Castinus, Audacius, Alboin Medicus, Gualispertus, Constantinus Notarius, Petrus Fratellus, Hydericus Scabinus. Hi omnes interrogati, quid de ipsa causa scirent, similiter dixerunt. Post hæc Audulfus Ad» uocatus iurauit, dicens: Per ista sancta quatuor Euangelia, quia sicut isti testes di» xerunt, ita fuit verum. Hæc supradicti Missi siue Iudices audientes, iudicauerunt, vt Gregorius Aduocatus Pontificis retraderet ipsas curtes Audulfo Aduocato ad partem huius Monasterij. Quod facere noluit. Sed & ipse Apostolicus dixit, nostro iudicio se minimè credere, vsque dum in præsentia Domini Imperatoris simul venirent. Idcircò autem hoc Breue factum est, vt in futuris temporibus possessor huius Monasterij ipsas curtes minimè perdere debeat. B

DOMINVS autem HLVDOVICVS Imperator Augustus huic Monasterio, eodem domno Abbate Ingoaldo petente, dona contulit per sua Præcepta plurima, & vtilia. Nam in vno constituit Præcepto, vt vbicumque contentio de rebus huic Monasterio pertinentibus exorta fuerit, qui iudiciariam potestatem habent, sic illam inquirant sicut Regiam & Imperialem causam: & semper per meliores, & veracissimos, qui in vicinioribus locis fuerunt, inuestigetur, & vbicumque per bonorum hominum testimonium rei veritas inuenta fuerit, neque vlla hoc difficultas impediit, statim huius Monasterij pars recipiat iustitiam suam, & ea tantum differantur, quæ propter coniuguitatem diffiniri non possunt. Et in alio Præcepto concessit huic Monasterio gualdum vnum in finibus Reatinis, qui nuncupatur Riuus Curuus. Cuius termini sunt, à silua eiusdem gualdi & indè recto ..... Veterana ...... Saffoli, deinde ad collem altum, ex hinc recto limite ad titulos, exinde ad pratum Barosi, inde ad Actegiam, deinde super Serram suptus Rugiani, & recta linea ad riuum, & recto itinere ad Trissilem, deinde ad Confi- C

A nium. Et in alio Præcepto confirmauit Cellam sanctæ Mariæ in Apinianici. Et curtem sancti Leucij propè ipsam, & curtem sanctæ Mariæ Transaquæ. Quæ sunt in territorio Marsicano. Et in alio Præcepto constituit, vt si Monachi vel secundum Regulam sancti Benedicti offerti sanctæ Mariæ, quos Abbas ordinaliter prouidere debet, fuga lapsi per Episcopia, & certa Monasteria, siue per diuersa loca perrexerunt, vbicumque eos inuenerit, tam ipsi, quàm & missi sui præsentialiter recipiant, absque alicuius dilatione, vel contrarietate. Et qui aliter agere voluerit, in præsentia Regali vel Imperiali in rationes aduen iant. Et in alio Præcepto confirmauit Præcepta, & confirmationes Regum Longobardorum, Ratigisi, Haistulfi, & Desiderij, & Præceptum Domini & genitoris eius Caroli, atque Priuilegia Pontificum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Adriani, Stephani, & Paschalis, per quæ Pontifices omnes res in territorio Sabinensi, siue in Romania, huic Monasterio pertinentes, nominatim per singula loca atque vocabula confirmauerunt. Insuper & res, quas deuoti homines ac feminæ pro salute animarum suarum huic Monasterio solemni donatione contulerunt, quæ ad eos ex concessione Regum, Reginarum, vel Ducum, vel per affiliationem, vel comparationem, vel alium quemlibet attractũ peruenerunt. Et res Helenæ ancillæ Dei, & quæcumque quilibet homines per instrumenta Cartarũ huic Monasterio condonarunt. Et præcepit ac iussit, vt nullus Episcopus aut Abbas, Dux, vel Castaldus, vel Actionarius, vel quislibet fidelium Imperij, siue iuniorum, siue successorum eorum, Abbati, vel

B Agentibus huius Monasterij, aut Monachis sub eo Deo militantibus, de omnibus rebus huic Monasterio pertinentibus calumniam facere, aut inquietare vllo vnquam tempore præsumat, & vt nullus eos de quibuscumque rebus Monasterij inuasiones faciat. Et si de qualicumque causa contra nos fuerit exorta contentio, non per viliores quasque personas, sed per nobiliores & veraciores rei veritas inquiratur: & secundum tenorem antiquorum Præceptorum, quæ Reges Longobardorum nobis dederunt, de Arimannis feminis, quas sibi pertinentes huic Monasterio in coniugio sociauerint, vt post transactum annuale spatium secundum edicti tenorem sic eos eásque possideamus, nobísque proprio nomine vindicemus atque defendamus. Et omnia animalia huius Monasterij in finibus Ducatus Spoletani per pascua publica omni tempore pabulare debeant vel nutriri. Similiter hominum nostrorum sine datico, herbatico, scatico, vel glandatico: & nullam molestiam neque in ponte, neque in via, neque in quocumque loco patiantur. Et licet nobis proprias Monasterij terras omni tempore defendere, atque animalia nostra ad pabulandum mittere, absque cuiuslibet personæ vel potestatis contrarietate. Et in alio Præcepto idem Dominus Imperator HLVDOVICVS confirmauit conuenientiam inter Episcopum Spoletanum Sigualdum & dominum Abbatem Ingoaldum factam, pro contentione scilicet, quæ inter eos fuerat super quadam Ecclesia prope muros ciuitatis in honore sancti Marci Euangelistæ constructa, & Ecclesia Domini Saluatoris cum Xenodochio ad se pertinente, sita in Saliono, & de rebus ac familiis earum. Dedit igitur INGOALDVS Abbas

C Sigualdo Episcopo ad partem Ecclesiæ illius curtem vnam, quæ vocatur Serulæ, ... ante posita illa curte Interamne, & casas in Laureto.... Econtra dedit vel delegauit Sigualdus Episcopus Ingoaldo Abbati ad partem huius Monasterij, pro causa firmitatis, ac pactuationis, colonicam vnam in Basiano, & de Serra particulas quatuor, & de vineis particulas VI. in finibus Terranensibus. Et pœnam interpositam auri mancusios quinque millia.

KAROLVS diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus. Comperiat volumus omnium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorúmque tam præsentium quàm & futurorum solertia, quia quidam venerabilis INGOALDVS Abbas ex Monasterio sanctæ Dei genitricis sempérque Virginis Mariæ, quod in Italia situm est, in loco qui dicitur ACVTIANVS, ad nostram veniens præsentiam, ostendit nobis Præcepta Regum Longobardorum HAISTVLFI ac DESIDERII, in quibus continebatur, quomodo ipsi, & antecessores eorum prædictum Monasterium propter diuinum amorem & reuerentiam sanctæ Dei genitricis sempérque Virginis Mariæ, semper sub sua tuitione, ac defensione tenuissent. Ob firmitatem tamen rei postulauit prædictus venerabilis Abbas, vt eorumdem Regum Præceptiones nostra auctoritate confirmaremus, & immunitatis Præceptum Monasterio suo da-

LVDOVICVS PIVS.

LVDOVICVS PIVS.

re iuberemus. Cuius petitioni, propter amorem Dei, & reuerentiam atque honorem sanctissimæ Genitricis illius, libenter acquieuimus, & sicut postulauit, ita in omnibus concedendum atque confirmandum decreuimus. Quapropter præcipientes iubemus, vt nullus fidelium nostrorum, vel Missi discurrentes, aut quilibet ex iudiciaria potestate, in Ecclesias vel Cellulas, aut loca, villas, curtes, vel agros, campos, seu reliquas possessiones memorati venerabilis Monasterij, quas olim vel moderno tempore tam in Longobardia, quàm in Romania, seu in Tuscia, & in Ducatu Spoletano, seu in quibuslibet aliis locis possidebit, vel nunc in præsenti possidet, vel quas deinceps ex quorumlibet datione fidelium acquisierit, ac possederit, ad causas audiendas, vel freda seu tributa vndecumque exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, vel fidei iussores tollendos, aut homines eiusdem Monasterij tam ingenuos quàm seruos libellarios, aldiones, & aldianas, seu clericos, vel cartulatos, aut offertos, super terram ipsius Monasterij commanentes, distringendos, vel ad publicas excubias compellendos, aut vllas redibitiones, vel quaslibet occasiones requirendas, nostris vel futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ suprà memorata sunt penitus facere præsumat. Confirmamus etiam eidem Monasterio omnes res quæ pertinent de curte sancti Gethulij, seu de curte sancti Benedicti, & curtem sanctæ Mariæ de Turano, quæ sunt in Comitatu Sabinensi, cum omnibus illarum pertinentiis, & subiacentiis. Et in Comitatu Reatino curtem sancti Angeli, & in Ducatu Spoletano Monasterium sancti Marci suptus muros ciuitatis Spoletanæ, & in castro Veterbensi infrà ipsum Cellam beatæ Mariæ, seu & Cellam sanctæ Mariæ de Minione cum ipso monte Gosberti, & cum ipso gualdo, seu & ripa Albella, & cum ipso portu maris, cum seruis, vel ancillis, aldiis, vel aldiabus, & omnibus illam pertinentiis, vel subiacentiis. Et liceat quietè memorato Abbati venerabili, & successoribus eius, res, & possessiones prædicti Monasterij sub immunitate nostra, defensione, & quieto ordine possidere. Si quis verò ausu temerario contra hanc nostræ auctoritatis iussionē venire præsumpserit, & eorum quæ fieri prohibuimus contra prædictum venerabile Monasterium quidquam facere temptauerit, sciat se compositurum auri obrizi librarum DC. summa ad partem præfati Monasterij esse multandum. Quidquid verò de prædictis Monasterij possessionibus fiscus noster sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione adipiscenda Monasterio concedimus, vt in alimoniam pauperum, & stipendia Monachorum, ibique Deo famulantium, nostris futurísque temporibus semper proficiat in augmentum: quatenus memorati serui Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis, & coniuge proléque nostra, ac pro stabilitate totius Imperij à Deo nobis commissi, iugiter Dei misericordiam inuocare delectet. Et vt hæc Auctoritas firmior habeatur, ac per futura tempora meliùs conseruetur, manu propria eidem subscribere, & de annulo nostro subter eam iussimus sigillari. Inquirinus Notarius ad vicem Liutgardi Archicancellarij recognouit. Datum IV. Kal. Martij anno Christo propitio Imperij Domini CAROLI præpotentis Augusti vnctionis suæ I. Indict. XIV. Actum Aquis Palatio in Dei nomine feliciter, amen.

HLVDOVICVS & LOTHARIVS diuina ordinante prouidentia Imperatores Augusti. Cùm locis diuino cultui mancipatis largitionis nostræ munere quippiam conferimus, id nobis ad stabilitatem Imperij nostri, & ad æternæ vitæ præmium capessendum profuturum liquidò credimus. Proinde notum esse volumus omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum sagacitati, quia nos superno amore accensi, pro remedio animæ nostræ concedimus quoddam Monasteriolum situm in finibus Teatinæ siue Vocitanæ, in loco cuius vocabulum est Lucana, & constructum in honorem sancti Stephani Prothomartyris, sub omni integritate, ad Monasterium nostrum sanctæ Mariæ semper Virginis, quod est situm in Pago Sabinensi, vbi in præsenti tempore INGOALDVS Abbas præesse dinoscitur. Monasteriolum verò supradictum cum omni integritate, cum Ecclesiis, Cellulis, territoriis, ædificiis, familiis, iustè pertinentibus, casis, amassariciis, aldiariciis, bouillicariis, vaccariciis, Alpibus Gaiis, molendinis, aquis, decursibus, pascuis, paludibus, vel quidquid præsenti tempore iustè & legaliter pertinere dinoscitur, & nostri iuris, atque possessionis iure proprietatis est, totum & ad integritatem, vel inexquisitum, prædicto Monasterio sanctæ Mariæ tradimus, & de

A nostro iure in ius & dominationem illius transferimus. Ita videlicet vt quidquid Rectores, & Ministri prædicti Monasterij sanctæ Mariæ semper Virginis de supradicto Monasterio sancti Stephani secundum auctoritatem canonicam ac regularem facere, ordinare, ac disponere voluerint; libero in omnibus potiantur arbitrio faciendi quidquid elegerint. Et vt hæc Auctoritas largitionis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora meliùs conseruetur, manibus propriis subter firmauimus, & annuli nostri impressione assignari iussimus. Durandus Diaconus ad vicem Frigducisi recognouit. Dat. x. Kalend. Iulij, anno xv. Imperij Domini HLVDOVICI, & LOTHARII VII. Indict. VII. Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei nomine feliciter, amen. -- :· LVDOVICVS ET LOTHARIVS.

PRÆTEREA LOTHARIVS serenissimus Augustus Domini Imperatoris Hludouici filius, postulatus à domno Ingoaldo Abbate, per suum Imperialem Præceptum confirmauit quandam Auctoritatem à domno Eugenio summo Pontifice huic Monasterio, sibique ac suis successoribus emissam, de duabus massis iuris Monasterij sanctæ Bibianæ positi infra vrbem Romam, vel quæ ad easdem massas pertinere noscuntur, quarum vna Propiciana, & alia Balagai nuncupatur. Quas etiam massas multo tempore à prædecessoribus scilicet Pontificibus sanctæ Romanæ Sedis præfato Monasterio eiúsque Rectoribus sub statuta annuali pensione fuisse perpetualiter concessas, quousque statutæ pensionis quantitatem ipsius Monasterij Rectores ad panem iam dicti Monasterij sanctæ Bibianæ soluere non negligerent. Et statuit idem Imperator ac decreuit, vt memoratæ massæ, sicuti ab eodem Pontifice huic Monasterio, præfatóque Ingoaldo, suísque successoribus, per scripturam fuerunt sub statuta pensione confirmatæ, ita permaneant ad ius huius Monasterij cum omni integritate perpetualiter confirmatæ. -- :· Pa. LXXXIV.

B

SED cùm auribus Domini HLVDOVICI serenissimi Imperatoris, genitoris vtique præfati Lotharij, hæc, plurimæque aliæ illatæ fuissent querelæ, misericordiæ pulsatus clementiâ, sacræ institutionis edidit constitutionem præcipuam, per quam Dei Ecclesiis illata destrueretur malitia, cuius his sacratissimos apices curauimus diligenter inserere. Pa. LXXXVI.

LVDOVICVS diuina ordinante prouidentiâ Imperator Augustus. Si præueniente gratia Dei nostri deuotionis affectum diuinis satagimus aptare obsequiis, & venerabilibus Deóque sanctisq; locis, atque Dei familiis supernæ Maiestati famulantibus Imperiali munificentia opem, & solatium nostræ defensionis impendimus, si denique præiudiciis variis, ac calamitatibus oppressis patulum & benignum accommodamus auditum, his exercitiis piísque studiis credimus superiium vbique auxilium promereri, & prosperis pollere successibus, atque imbelles gloriosis gaudere triumphis, sed & post temporalis infulas Imperij siderea feliciter consequi regna. Quapropter cùm plurimarum Ecclesiarum, venerabiliúmque custodes locorum, diuersorúmque hominum de finibus Italiæ multiplex querela nostrum pulsasset auditum, eorum lachrimosis vocibus pietate cogente moti, carissimum atque dulcissimum filium nostrum LOTHARIVM direximus pro munimine ac defensione sacrorum venerabiliúmque locorum, & pro iustitiis cunctæ plebis, quæ molestis querelis nostras, vt diximus, incessanter pulsauerant aures. Igitur ego LOTHARIVS Augustus paternæ concordans voluntati, & obtemperans iussis, cum protegente Deo quieta prosperitate ad limina beati Petri Principis Apostolorum, orationis atque exaltationis eiusdem sanctæ Dei Ecclesiæ gratiâ, venissemus: inter reliquos, qui, vt diximus, plurimas proclamabant querelas, venit INGOALDVS venerabilis Abbas Monasterii beatæ & gloriosæ semper Virginis Mariæ constituti in finibus Sabinens. asserens suum Monasterium, ablata pristina libertate, sub tributo at pensione à Romanis Pontificibus constrictum, multásque possessiones eidem Monasterio violenter ablatas. Vnde sciscitantes studiosè interrogauimus, qua ratione aut prædictas res acquirere, aut prædictæ potestatis dominium speraret euadere. Qui illicò nostris obtulit aspectibus antiqua Longobardorum Regum Præcepta, continentia quemadmodum ipsum sanctum locum Regali auctoritate sub sua defensione atque immunitate omni tempore perseuerare statuerunt. Præcipuè itaque ostendit & Præceptum confirmationis piæ memoriæ Domini aui nostri CAROLI serenissimi Augusti, Præceptum quoque Domini & genitoris nostri HLVDOVICI inuictissimi Im-

C

LVDOVICVS ET LOTHARIVS.

peratoris, quæ eidem Monasterio beneficij & puritatis munus pro mercedis suæ augmento emiserunt. In quibus continebatur, qualiter prædictum Monasterium sub suæ defensionis priuilegio cunctis diebus permanere decreuerunt, sicut cetera Monasteria, quæ in Regno à finibus Franciarum consistunt: scilicet vt nulli vnquam Pontificum, Episcoporum, Ducum, vel cuicumque Principum, liceat sæpedictum Monasterium sub tributo aut quacumque pensione ponere, aut de eo aliquid auferre, vel de rebus eidem loco subiectis quicquam minuere. Quibus inspectis, iustum & rationabile nobis nostrísque Optimatibus, atque etiam Romanis Primatibus, visum est, vt & piorum Regum Scripta, & maximè Domini Caroli, atque genitoris nostri Domini Ludouici Augustorum Præcepta, perpetua stabilitate firmissimum roborem obtineant. Res quoque eidem Monasterio violenter ablatas, omni excusatione postposita, iussimus reddere. Vnde placuit nobis genitori ac genito, vtique prædictis Principibus, concordi atque communi voluntate, vt iamdictus almus locus sub nostra successorúmque nostrorum defensione atque immunitate perpetuis perseueret temporibus: atque ad petitionem prædicti Ingoaldi venerandi eiusdem Monasterij Abbatis, ipsas aliásque res in finibus Sabin. vel vbicumque sitas, eidem Monasterio iustè pertinentes, in concussa stabilitate ibidem præsenti præceptione nostris futurisque temporibus, sine cuiusquam violenta inquietudine, firmas semper constituimus permanere. ⁖ A

Pa. IXC. HIC denique venerabilis Pater acquisiuit per Præcepti Imperialis apices confirmationem de sancti Stephani Monasterio, cum omni eius integritate in finibus Teatinis, à Domino LOTHARIO Imperatore, sicut antea concesserat Dominus HLVDOVICVS Augustus genitor illius, in hoc Monasterio. Et in Salam bona per concambium acquisiuit, terram modiorum XXII. & in valle Cupa, & in valle Matelicana mod. V. & in massa Nautona casalem Escurianum vsque ad casalem de Amiterninis, & in massa Interocina clausuram de Agligiano super sanctum Martinum, & in fundo Castellione terram modior. ⁖ B

LOTHARIVS diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus. Si illius amore, cuius munere, ceteris mortalibus prælati sumus, loca diuino famulatui consecrata congruis munificentiæ nostræ beneficiis ad diuinum cultum liberiùs exequendum sustollimus, dignæ retributionis præmio nos à Domino remunerari fideliter credimus. Igitur notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis SICHARDVS Sabinensis Monasterij Abbas, quod contructum est in honorem beatæ Mariæ Dei genitricis sempérque Virginis, ostendit serenitatis nostræ obtutibus domni recolendæ memoriæ genitoris nostri HLVDOVICI præstantissimi Imperatoris Auctoritatem, in qua continebatur, qualiter postquam nos diuino sibi nutu fauente consortes fecit Imperij, ab eo in Italiam directi sumus, & à summo inuitati Pontifice, & vniuersali Papâ, ac spirituali Patre nostro PASCHALI, quondam Romam venimus. Quo dum in præsentia eiusdem Domini Apostolici, ac nostra, procerúmque Romanorum, siue Optimatum nostrorum, atque multorum vtriusque partis nobilium virorum, quæstiones accitarentur: inter ceteras altercationes, iubente eodem Domino Apostolico, Aduocatus suus nomine Sergius, eiusdem sanctæ Sedis Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, interpellauit virum venerabilem INGOALDVM Abbatem, & memorati Sichardi prædecessorem: dicens quòd idem Sabinense Monasterium ad ius & dominationem Romanæ Ecclesiæ pertineret. Econtrà respondit prædictus Ingoaldus, nullatenus debere esse, eò quòd non solùm præcepta Regum Longobardorum præ manibus haberet, qualiter idem Monasterium semper sub tuitione & defensione eorumdem Regum Longobardorum fuisset: verùm etiam, & quòd Dominus & auus noster piæ memoriæ CAROLVS præstantissimus Imperator idem Monasterium specialiter sub suo munimine, vel successorum suorum, Regum videlicet Francorum, per Præceptum auctoritatis suæ contulisset. vt nullus Pontifex, Dux, Princeps, aut quislibet superioris vel inferioris ordinis Reipublicæ Procurator, idem Monasterium sub tributo aut censu constitueret, sed ita immune & liberum, esset, sicuti cetera Monasteria infrà Regna Francorum constituta sunt: id est Luxouiensium, Lirinensium, & Agaunensium. Interrogatum est etiam à Primatibus vtrarumque partium, quid Aduocatus Domini Apostolici contra Præcepta & Auctoritates, quæ ibi lectæ & relectæ sunt, C

A sunt, dicere voluisset, & in præsentiarum nullam auctoritatem aut traditionem ostendere potuit, per quam idem Monasterium pars prædictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad ius & dominationem suam tenere ac possidere valeret. Sed postquam res in præsentia prædicti domni Apostolici PASCHALIS, & nostra, & Optimatum atque Procerum vtriusque partis, examinata & diligenter inquisita esset, & in propatulo omnibus esset quòd prædictũ Monasterium nullatenus sub iure & dominatione præfatæ Romanæ Ecclesiæ, vel sub tributo aut pensione esse deberet: idem Domnus Apostolicus non solùm recognouit nullum dominium in iure ipsius Monasterij se habere, excepta consecratione, sed etiam omnes res tam in territorio Sabinensi, quàm & in Romania sitas, quas ex eodem Monasterio potestas antecessorum eiusdem Paschalis Papæ iniustè abstulerat, per iussionem ipsius, dante eo mappulam suam Aduocato suo supradicto Sergio, reuestiuit Leonem, qui de parte nostra eiusdem Monasterij Aduocatus erat, & vt ipsa redditio perpetim rata & inuiolata permaneret, misit Domnus Apostolicus Missum suum Gregorium nomine eiusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarium, qui res superiùs nominatas inspiceret, & Misso nostro Leutherio nomine & Monachis Monasterij sanctæ Mariæ Sabinen. redderet, sicut & factum est. Sed cùm nos ad domnum & genitorem nostrum HLVDOVICVM reuersi fuissemus, & ita per ordinem sicut superiùs comprehensum est narrassemus, placuit non solùm idem Monasterium Rectorésque eius specialiter sub sua successorũque suorum tuitione, & defensione

B constituere, sicut in Præcepto domni aui nostri CAROLI Augusti continetur, vel quemadmodum prædicta Monasteria infrà Regna Francorum constituta sunt; sed etiam omnes res, quas præsenti tempore prædictum Monasterium infrà Italiam, Tusciam, & Romaniam, vel in ceteros pagos & territoria, iustè & legaliter atque quietè tenet, vel possidet, tam per Præcepta & Auctoritates Regum, Reginarũque, Pontificum, Ducum, quamque & per traditiones, cessiones, commutationes, offertiones seu collata populi, vel pactuationes legaliter factas, siue per Iudicia.... aut per quælibet instrumenta Chartarum, nobiles homines ac deuotæ feminæ eidem contulerunt Monasterio, nominatim eiusdem genitoris nostri Præceptum, propter improborum hominum fraudes, & infestationes aut inquietudines inserere. Sed memoratus venerabilis Abbas SICHARDVS, quamuis nos eandem genitoris nostri Auctoritatem suo consensu ac iussione confirmassemus, deprecatus est Celsitudinis nostræ clementiam, vt quia nos diuinæ Maiestatis dispositio successores illius fecit in Imperio, quem & in vita sua consortem iam fecerat, eandem Auctoritatem nostræ confirmationis innouaremus, ac sanciremus Præcepto. Cuius precibus ob Dei, & Domini nostri IESV CHRISTI genitricis sempérque Virginis Mariæ reuerentiam, & amorem, vel mercedis nostræ augmentum, acquiescentes, hanc Excellentiæ nostræ Auctoritatem decreuimus, fieríque præcepimus, per quam & idem genitoris nostri Præceptum modis omnibus confirmamus, & quidquid ex tunc temporis ad illum sanctum locum diuina auxit pietas per

C religiosorum hominum deuotionem, nominatim ac sigillatim, sicut in autentico genitoris nostri habetur decreto, inserendo sancimus ac corroboramus, propter futuras prauorum hominum infestationes atque inquietudines. Idest fundum Acutianum, vbi idem venerabile Monasterium constructum est, cum finibus, & appendicibus suis..... Fundum Castrianum, in quo est Ecclesia sancti Laurentij. Fundum Pompeianum. Fundum Pinianum. Fundum Ceruinarium. Fundum Arianum, in quo est Ecclesia sancti Paterniani. Fundum Arturianum. Fundum Ordeolum. Fundum Mitolle, in quo est Ecclesia sancti Angeli. Fundum Vrbanum, qui & Vicus Lagi vocatur, in quo est Ecclesia sancti Viti, cum pratis, siluis, atque aquimol. vel omnibus ad eum Monasterium pertinentibus. Ex fundo Adriano vncias III. in quo est Ecclesia sancti Valentini. Fundum Medianam. Fundum Casalamentis. Ex fundo Arcuniano vnciam vnam. Ex fundo Aterniano vncias sex. Ex fundo Siluaniano vncias VI. Ex fundo Anciano vncias IX, vbi est Ecclesia sancti Felicis. Fundum Agellum. Fundum Cicilianum, in quo est Ecclesia sancti Donati. Fundum Paternionem. Fundum Gignianum. Ex fundo Scandiliano vncias IV. Fundum Criptulas. Fundum Marcellianellum pro vnciis quatuor. Fundum Apicianum, qui & Longitia, in quo est Ecclesia sancti Gordiani. Fundum Scaphianum. Fundum Testam. Fundum Paternionem. Fundum Centum. Fundum

LOTHARIVS. Aliniaum. Fundum Turris, in quo est Ecclesia sancti Laurentij. Ex fundo A
Pendiciano vncias duas. Fundum Cesarianum. Fundum Pulgianum. Fundum Ventilianum. Fundum Fornicatam, cum traiecto suo, seu gualdum vnum, in quo est Ecclesia sancti Gethulij & sancti Benedicti, cum omnibus eis generaliter pertinentibus. Fundum Germanicianum, vbi est Ecclesia sancti Petri. Fundum Musileum. Fundum Cassianum. Ex fundo Staberrano vncias sex. Fundum Cassulam. Fundum Lacchanianum. Fundum Medianam. Fundum Marcellianum. Fundum Monacianum. Fundum Fiscanum. Fundum Canianum. Fundum Larinianum. Fundum Balbarianum. Ex fundo Classicella vncias tres, vbi est Ecclesia sancti Petri. Ex fundo Fuliniano vncias sex. Ex fundo Rigiano vncias sex. Ex fundo Pontianello vncias sex. Fundum Perticatule. Ex fundo Aurificis vncias sex. Fundum Pacilianum. Ex fundo Cassiano vncias sex, in quo est Ecclesia sanctæ Iustæ. Fundum Mallianum, in quo est Ecclesia sanctæ Eugeniæ. Ex fundo Figniano vncias sex. Ex fundo Cesternolæ vncias octo. Ex fundo Occiano vncias septem & semis. Ex fundo Arunciano vncias sex. Fundum Oliuulam. Fundum Ponticanellum. Ex fundo Bussuli vncias nouem, & scripulos tres. Item exindè vnciam vnam. Ex fundo Macerulæ vncias sex. Ex fundo Rosiano vncias tres, in quo est Ecclesia sancti Stephani. Ex fundo Macerulæ vncias quatuor. Ex fundo Cassiano vnciam vnam. Ex fundo Sepiciano vnciam vnam, & dimidiam. Ex fundo Mediana vncias duas. B
Ex fundo Martiani vncias duas & dimidiam, vbi est Ecclesia sancti Victorini. Ex fundo Prata vncias tres. Ex fundo Agrasiano vncias quatuor. Ex fundo Catoniano vncias duas, in quo est Ecclesia sanctæ Sabinæ. Ex fundo Arsura vncias quatuor. Ex fundo Agellari vncias duas. Ex fundo Putiano vncias quatuor. Ex fundo Domitiano vncias quatuor, in quo est Ecclesia sancti Stephani. Ex fundo Crispiniano vncias quatuor. Ex fundo Cisiniano vncias nouem, in quo sunt Ecclesiæ sanctæ Mariæ, & sancti Siluestri. Ex fundo Lucaniano vnciam vnam, vbi est Ecclesia sancti Petri. Ex fundo Beciano vncias duas. Fundum Ortusianum. Ex fundo Cipiriano vnciam vnam, vbi est Ecclesia sancti Calistrati. Ex fundo Bebgiano vnciam vnam semis. Fundum Catilianum. Fundum Criptulas. Fundum Veneriæ. Fundum Moritanianum. Fundum Bebeianum, in quo est Ecclesia sancti Abundij. Ex fundo Lamneiano vncias tres. Fundum Turianum, in quo est Ecclesia sanctæ Mariæ. Fundum Morianula. Fundum Follianum, in quo est Ecclesia sancti Sabini. Ex fundo Monumenti Cupis vncias sex. Fundum Ferbilianum. Ex fundo Prætorioli vncias sex. Ex fundo Seruiliano vncias sex, vbi est Ecclesia sancti Antimi. Ex fundo Gabiniano vncias duas. Ex fundo Lauatiano vncias quatuor, vbi est Ecclesia sancti Gethulij. Ex fundo Beaginelli vncias quatuor. Fundum Arianum, in quo est Ecclesia sancti Laurentij. Ex fundo Tulliano vncias sex, vbi est Ecclesia sancti Valentini. Ex fundo Mupriano vncias tres. Fundum Paternum, in quo est Ecclesia sancti Valentini. Fundum Orcibiolum. Ex fundo Vassiano vncias sex, in quo est Ecclesia sancti Victorini. Ex fundo Cassiano vncias sex, in quo est Ecclesia sancti Cessigij. Ex fundo Auriclano vncias sex, vbi est Ecclesia sancti Petri. Ex fundo Siligni vncias tres, vbi est Ecclesia sancti Angeli. Ex fundo Graniano vnciam vnam. Fundum Mignianum, in quo est Ecclesia sanctæ Helenæ. Fundum Malianum, in quo est Ecclesia sancti Iuuenalis. Ex fundo Anciano vncias sex, vbi est Ecclesia sancti Petri. Ex fundo Ioue, vncias sex. Ex fundo Prætoriolo vncias sex, vbi est Ecclesia sancti Sebastiani. Ex fundo Vsitano, qui & Illianus vocatur, vncias sex, in quo est Ecclesia sanctæ Anatholiæ. Ex fundo Fedinulæ vncias sex, vbi est Ecclesia sanctæ Victoriæ. Ex fundo Paterno vncias tres, vbi est Ecclesia sancti Victorini. Fundum Prætorium cum appendiciis suis, tam in montibus, quàm in planitiis. Ex fundo Salliano vncias tres, vbi est Ecclesia sancti Martini. Ex fundo Coriliano vncias tres. Fundum Forianum, in quo est Ecclesia sancti Bartholomei. Ex fundo Lusiano vncias tres. Ex fundo Acliano vncias IV. seu & medietatem de gualdo, qui dicitur Laurentius, & medietatem de portione Probati Castaldi. Ex fundo Paterno vnciam vnam semis. Ex fundo Valeriano vncias quatuor, in quo est Ecclesia sancti Martini. Ex fundo Coruiano vncias sex, in quo est Ecclesia sancti Pangratij. Ex fundo Bagiano

A terram modiorum vij. Ex fundo Fiano vnciam vnam semis. Ex fundo Luccigiano vnciam vnam semis. Ex fundo Vicarij vncias tres. Ex fundo Acutiano vncias octo, in quo est Ecclesia sancti Gregorij. Fundum Motianum, in quo est Ecclesia sancti Angeli. Fundum Furianum. Fundum Paternum positum in Variano & in Culiano, in quo est Ecclesia sanctæ Ceciliæ. Fundum Iustinianum. Ex fundo Agello vncias nouem. Fundum Sensianum, in quo est Ecclesia sancti Antimi. Fundum Priuatis. Fundum Albucianum, cum appendiciis suis. Gualdum Tancies per loca designata, sicut primitus ab ipso Monasterio possessum est & concessum. Fundum Findiliani vncias duas. Et fundo Passiano vncias sex. Ex fundo Antariano vncias vi. Ex fundo Cesæ-surdæ vncias duas. Ex fundo Teruilliano vncias sex. Ex fundo Cesæ-Candidæ vncias sex. Ex fundo Polliano vncias sex. Ex fundo Leonis terram modiorum x. Ex fundo Leogniano vncias sex. Ex fundo Naiano vncias sex. Ex fundo Vetusiano vncias sex. Ex fundo Seruiliano vncias IV. Ex fundo Musiano vncias septem. Ex fundo Seriolæ vncias sex. Ex fundo Mariano vncias sex. Item ex fundo Seruiliano portiunculam vnam. Ex fundo Prætorij portiunculam vnam. Ex fundo Galignani portiunculam vnam. Ex fundo Sisiano vncias VIII. Ex fundo Catoniano vnciam vnam. Ex fundo Gai vnciam mediam. Ex fundo Turiano vncias vndecim. Ex fundo Salisiano vncias decem. Ex fundo Vasiano vncias decem, vbi est Ecclesia sanctæ Mariæ. Fundum Corbonianum. Fundum Lucianum, vbi est domus culta. Ex fundo Ariano vncias duas. Ex fundo Septiniano vnciam vnam semis. Item ex eodem vncias sex. Fundum Pippilianum cum appendiciis suis integrum. Fundum Scandilianum. Fundum Antiquum. Ex Casale Ansiano vncias tres, & Oliuietum in Proporaria. Homines quoque qui fuerunt in Maioriano, cum rebus & substantiis suis. Necnon res quas genitor & Dominus noster per sua Præcepta eidem confirmauit Monasterio. Item gualdum, qui dicitur Tancies, & curtem Vallantis, cum omni integritate, & appendiciis suis, quæ Hildeprandus per sua confirmauit Præcepta. Et res quas tradidit Theodomundo, qui per instrumenta Chartarum præfato delegauit Monasterio. Et curtem Tatianum, quam Dominus Apostolicus Adrianus Luponi per suum Priuilegium confirmauit, qui per Cartulas cum ipso Priuilegio eidem delegauit Monasterio, cum omni integritate. Et Monasteria virorum atque puellarum sancti Marci Euangelistæ iuxta murum ciuitatis Spoletanæ, quæ Dominus & auus noster CAROLVS Augustus ad idem Monasterium per suum confirmauit Præceptum. Et sancti Saluatoris situm non procul ab eadem ciuitate. Et Monasterium puellarum sancti Georgij sub muro ciuitatis Reatinæ cum omni integritate sua. Et Ecclesia sancti Michaëlis Archangeli super fluuium Mellenum iuxta ciuitatem Reatinam, cum omni integritate sua. Et in territorio Firmano Monasterium sancti Siluestri vel sanctæ Marinæ, cum omni integritate. Et res quas piæ recordationis genitor noster per Præcepta auctoritatis, & confirmationis suæ prædicto contulit Monasterio. Item res Maioriani, & Vacoris, ac filiorum eius, quas ille possedit, vel ei data fuerunt ex concessione Regum, Reginarúmque, Ducum, vel ea quæ per affiliationem vel comparationem, siue per alium quemlibet attractum, ad eum peruenerunt: seu & portum in Aso, vel alias res quas Hildeprandus Dux ei condonauit per sua Præcepta, atque domnus, & auus noster CAROLVS Imperator eidem Monasterio confirmauit; vel quæ à Domino & genitore nostro postea possessæ sunt, & ex sua donatione & confirmatione ad prædictum Monasterium peruenerunt. Et res Benedicti Presbyteri, & Magnonis, & Hildeprandi, & Benedicti nepotum eius. Res Gaidoaldi. Res Tanicisi, siue Pipini Presbyteri filij eius. Res Helenæ ancillæ Dei. Res Gualtari filii Aimonis. Res Scamanæ & Scamberti filij eius. Res Pergonis, & Liuthprandi Presbyteri. Res Solduli Clerici. Res Guillonis, & Guillipredi filij eius. Res Baselli. Res Palumbi. Res Thodolasi. Res Tattonis, & Hautonis filii eius, & Rodolindæ vxoris eius. Cœnobium quoque beati Stephani in finibus Beneuentanis, cum curtibus, cellulis, gualdis, vel omnia & in omnibus ad ipsum pertinentibus. Res verò Aldonis, & Arduini patris eius. Res Abachis, & Hiseleindæ matris eius. Res Hirminifridi, & vxoris eius. Res Hilderici, & Tacipergæ genitricis eius, & Hilcipergæ coniugis eius, & gualdum in finibus Reatinæ ciuitatis, qui nuncupatur Curuus, per loca nominata, vel designata, sicut in Præcepto genitoris nostri con-

LOTHARIVS. tinetur. Et piscatorem nomine Aunefridum, & fratres eius manentes in territorio Roatino, in loco qui dicitur Septem Pontius, cum vxoribus & filiis eorum, » terris ac domibus eorum. Et piscationem, quam ipsi facere consueuerant, cum omnibus rebus suis. Et res, quas Aduocatus prædicti Ingoaldi Abbatis, prædecessoris scilicet Sichardi venerabilis Abbatis, in præsentia Adeldrandi seu Leonis Missorum quondam genitoris nostri super GVINIGISVM quondam Ducem legibus conquisiuit, & iudicata exinde accepit. Item quas Paulus, & coniux sua, siue Gemulus & Maurica, ad idem delegauerunt Monasterium. Et res quas Salomon Francus prædicto tradidit Monasterio. Quásque iamdictus Guinigisus exinde iniustè abstulit, & per iussionem nostram RICHARDVS Dux inquisitione facta prædicto Monasterio reddidit, & reuestiuit. Et res, de quibus idem Abbas instrumenta Chartarum piæ memoriæ genitori nostro ostendit, per quæ nobiles viri vel feminæ eidem Monasterio solemni donatione contulerunt. Item res Stauraci & Petri filij eius. Res Celsi, & vxoris eius. Res Zabbennoris, & vxoris eius. Res Petri Clerici de Camerino. Res Alualdi Presbyteri, & sororis eius. Res Azilonis Presbyteri, & Aliprandi filij Sicipori. Res Astemari, & Ioannis, & Thodini fratrum. Res Grisonis Spoletani. Res Scamali filij Scamberti. Res Arsi & vxoris eius, & Luponis, & Aceriti fratrum. Res Theodemundi nepotis eorum. Res Scaptolphi & Formosæ vxoris eius, & Ioannis filij eius, quas ille per Cartulas offertionis seu donationis ad idem contulerunt Monasterium: & breues pactuationes seu conuenientiæ, quæ ex ipsis rebus factæ sunt, inuiolabiles perseuerent. Res Eufemiæ ancillæ Dei, relictæque Lamperti. Res Mauri Presbyteri Firmanæ ciuitatis. Res Hilderici patris Audulfi. Res denique superiùs conscriptæ, cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, mobilibus & immobilibus à sese mouentibus, sicut eas præfati homines possederunt, & per instrumenta Chartarum eidem Monasterio condonauerunt, vndecumque ad eos peruenissent, & præsenti tempore iustè atque rationabiliter, & quietè prædictum tenet vel possidet Monasterium: vel, sicut superiùs dictum est, ex munificentia Regum Reginarúmque, Ducum, Castaldiorum, vel ex collatis populi, siue cunctorum fidelium largitate, vel etiam Monachorum, qui in eodem Monasterio suas animas saluare cupientes intrauerunt, & ibidem res suas delegauerunt, & moderno tempore prædictum Monasterium possidere videtur, cum Monasteriis, Cellulis, Synodochiis, Ecclesiis, curtibus, villis, fundis, vel casalibus, piscariis cum piscatoribus suis, seruis, ancillis, libellariis, cartulatis, offertis, opilionibus, gualdis, molendinis, sub omni integritate ad iamdictum venerabile Monasterium nostris futurísque temporibus confirmamus. Præcipientes ergo iubemus, atque hac nostræ Auctoritatis confirmatione sancimus, sicuti in Domini & genitoris nostri continetur Præcepto, vt nullus Pontifex, Episcopus, aut Abbas, Dux vel Castaldus, Actionarius, seu quislibet Reipublicæ Procurator, siue de iunioribus aut successoribus eius, siue agentibus ipsius Monasterij, de omnibus rebus superiùs nominatis, vel de iis quæ ad eas pertinent, vel quæ deinceps diuina largiente gratiâ ibidem condonata fuerint, vllam calumniam aut iniustam infestationem facere, aut inquietare vllo vnquam tempore præsumat. Sed liceat eidem Abbati, successoribúsque eius, easdem res quieto ordine tenere, & possidere. Similiter iubemus atque præcipimus, vt nullus eos de quibuscumque rebus sine publici mali compellatione despoliare, vel de rebus Monasterij inuasionem facere præsumat. Et de omnibus animalibus Monasterij in finibus Spoletani Ducatus definimus atque iubemus, vt in pascua publica omni tempore debeant pabulare, vel nutriri, siue illæ, siue hominum eorum, sine omni datico, castaldatico, escatico, herbatico, vel glandatico, & nullam molestiam neque in ponte, neque in via, neque in qualicumque loco patiantur. Sed semper illibata ipsorum animalia ambulent, vbi & publica animalia consueta sunt pabulare. Et liceat illis propriam Monasterij terram omni tempore defendere atque integrare tam in Reate, in loco qui dicitur Lingla, & Quintiliano, & in Amiterno, in loco qui vocatur Laurianus, quámque & in Comitatu Firmiano, seu in quibuslibet reliquis locis, vel animalia eorum ad pabulandum mittere absque cuiuslibet personæ vel potestatis contrarietate. Insuper & omnia, quæ prædicti Reges Longobardorum, id est Liuthprandus, & Haistulfus, Ratgisus & Desiderius, necnon & Duces,

A siue quod domnus & auus noster piæ memoriæ CAROLVS vel genitor noster HLVDOVICVS Augustus per illorum Præcepta prædicto venerabili Monasterio propter amorem & honorem Dei & Domini nostri Iesu Christi, atque intemeratæ Genitricis, cuius nomine ipsum Monasterium dicatum esse cognoscitur, vel pro eorum elemosina, eidem Monasterio concesserunt, & confirmarunt, per hoc nostræ auctoritatis Præceptum similiter confirmamus atque concedimus. Et quandoquidem diuina vocatione prædictus Abbas vel successores eius de hac luce migrauerint, quamdiu ipsi Monachi inter se talem inuenire potuerint, qui eos secundum Regulam sancti Benedicti regere valeat, licentiam habeant eligendi Abbatem qualem meliorem & digniorem inter se inuenerint: quatenus ipsam sanctam Congregationem pro nobis, & coniuge, proléque nostra, & totius Imperij nostri stabilitate, attentiùs Dei misericordiam exorare delectet. Et vt hæc Auctoritas confirmationis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora à fidelibus sanctæ Ecclesiæ & nostris veriùs credatur, & diligentiùs conseruetur, more nostro eam subterscribere, & de bulla nostra iussimus sigillari. Druttemirus Subdiaconus, atque Notarius ad vicem Agilmari recognoui. Data XVIII. Kalend. Ianuarij anno Christo propitio Imperij Domini Lotharij pij Imperatoris in Italia XXI. & in Francia I. Indictione III. Act. Caliniaco villâ Comitatus Cabillonensis in Dei nomine feliciter. -- ∴ LOTHARIVS.

B PRÆDICTVS verò Dominus HILDERICVS cùm in huius regimine Monasterij à Fratribus esset electus, & vt à Domino Imperatore Lothario confirmaretur, ipsius præsentiæ fuisset vnà cum Petro Spoletano Episcopo directus, cui dudum hoc Monasterium commiserat Imperator; hanc in Borgo curte regia eidem Episcopo de subscriptis huius Monasterij rebus, diebus vitæ eius fecit conuenientiam, vt in ipsius manerent potestate ordinandi & disponendi eas qualiter vel quomodo sibi placeret diebus vitæ suæ tantùm. - ∴ Pag. CIII.

LVDOVICVS gratiâ Dei Imperator Augustus. Si illius amore, cuius munere ceteris mortalibus prælati sumus, loca diuino famulatui consecrata congruis magnificentiæ nostræ beneficiis ad diuinum cultum vberiùs exequendum sustollimus, dignæ retributionis præmium nos à Domino remunerari fideliter credimus. Igitur notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis PERTO Sabinensis Monasterij Abbas, quod est constructum in honorem beatæ Dei genitricis sempérque Virginis Mariæ, ostendit Serenitatis nostræ obtutibus quædam Præcepta prædecessorum nostrorum CAROLI & Ludouici gloriosissimorum Imperatorum, in quibus continebatur, semper idem Monasterium sub plenissimæ emunitatis tuitione habuisse: sed permaximè piæ recordationis nostræ genitoris nostri LOTHARII præstantissimi Imperatoris. Quod dum relegi fecissemus, inter multas altercationes, & varias discussiones euindicando, atque ab omnibus partibus liberando, in omni quietitudine retracto, sub suo nomine vel successorum suorum auctoritatis suæ censuram constituisse, vt nullus Pontifex, Dux, Princeps, aut quislibet superioris vel inferioris ordinis Reipublicæ Procurator, idem Monasterium sub tributo aut censu constitueret, sed omni quietudine suâ defensione atque Imperiali tuitione fultum consisteret. Deindè memoratus venerabilis Proto * Abbas pro plenissima in futurum securitate, vel quietudine, deprecatus est Celsitudinis nostræ clementiam, vt & nos super easdem Auctoritates Dominò fauente nostram adderemus corroborationis censuram. Cuius precibus ob Dei, & Domini nostri Iesu Christi genitricis sempérque Virginis Mariæ reuerentiam & honorem, vel mercedis nostræ augmentum, acquiescentes, hanc Excellentiæ nostræ auctoritatem decreuimus, fieríque præcipimus. Per quam & idem genitoris nostri Præceptum modis omnibus confirmamus, & quidquid ex tunc temporis ad illum sanctum locum diuina auxit pietas per religiosorum hominum deuotionem nominatim ac singulatim, sicut in authentico genitoris nostri habetur decreto inserendo, sancimus atque corroboramus propter futuras prauorum hominum infestationes atque inquietudines. Id est fundum Acutianum, vbi idem venerabile Monasterium constructum est, &c. *vt in Præcepto Lotharij suprà.* Insuper & omnia quæ prædicti Reges Longobardorum, id est Liutprandus & Haistulphus, Ratgisus, ac Desiderius, necnon & Duces, siue quod Dominus & bisauus noster piæ memoriæ

Pag. CVI. LVDOVICVS II. Imp.

* sup. Perto.

LVDOVICVS II. IMP. CAROLVS, vel auus noster LVDOVICVS, atque genitor noster LOTHARIVS, Augusti, per illorum Præcepta prædicto venerabili Monasterio propter amorem, & honorem Dei, & Domini nostri Iesu Christi, & sanctæ atque intemeratæ genitricis, in cuius nomine iam dictum Monasterium dedicatum esse cognoscitur, vel pro eorum eleemosyna, eidem Monasterio concesserunt & confirmauerunt, per hoc nostræ auctoritatis Præceptum similiter confirmamus atque concedimus. Et quandoquidem diuina vocatione prædictus Abbas, vel successores eius de hac luce migrauerint, quamdiu ipsi Monachi inter se talem inuenire potuerint, qui eos secundum Regulam sancti Benedicti regere valeat, licentiam habeant eligendi Abbatem, qualem meliorem & digniorem inter se inuenerint: quatenus ipsam Congregationem pro nobis, & totius Imperij nostri stabilitate, attentiùs Domini misericordiam exorare delectet. Porrò vt hæc Auctoritas confirmationis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris veriùs credatur, & digniùs conseruetur, more nostro eam subterscribere, & de bulla nostra iussimus sigillari. Data Kal. Decembris, anno Christo propitio Imperij Domini Ludouici piissimi Augusti VIII. Indictione VIII. Actum Papia ciuitate Palatio Regio. A

ITEM in alio Præcepto idem confirmauit Imperator, quo iussit insuper. Si autem aliqua querimonia aduersus huius Monasterij Rectores insurrexerit de iamdictis rebus, vel de reliquis Monasterij mobilibus, & immobilibus, quæ ibi legaliter non eis visum fuerit posse esse definitum, nostræque acclamauerint clementiæ præsentiam, Comes noster & Missi nostri discurrentes, seu ministri Reipublicæ, faciant ambas partes in nostram audientiam guadiare. Præcipimus quoque, atque expressè iubemus, vt neque de istis rebus, neque de aliis quas in vsus Monachorum vel Hospitum, seu eleemosynarum constituimus, aut inantea Deo auxiliante eidem fuerint collatæ Congregationi ab omnibus hominibus, vllam habeat scientiam iste præsens Abbas, sed neque ipsius successores, qui pro tempore fuerint, alicui homini exindè aliquid dare, aut in beneficium concedere, nisi seruitoribus ipsius Ecclesiæ & commend.... atque illi qui meliora & apta de suis rebus eidem Monasterio cupiunt concedere. B

P. CXVI. LVDOVICVS diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus. Quotiescumque Imperialis magnitudo diuinæ studet operam dare propitiationi, proculdubio sanctæ Dei Ecclesiæ statum, & totius Imperij salutem operatur, atque sibi à Deo profutura longiùs parat tempora. Quapropter omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorúmque, præsentium scilicet & futurorum, comperiat industria, quia cùm sancto die Pentecostes in Monasterio sanctæ Dei genitricis Mariæ, quod situm est in territorio Sabinensi, moraremur, & per Basilicam atque Refectorium simul cum Monachis eiusdem Cœnobij, necnon & de Monasterio quod est proximum in honore Domini & Saluatoris nostri, reuerentiæ causâ deambularemus, nemine mortalium suggerente, vel commonente, nisi solius sancti Spiritus inspiratione, in cuius consolatione lætabamur, accensi, visum est complacuitque nostræ à Deo protegendæ magnificentiæ, hoc bonum esse in conspectu Saluatoris nostri Dei, si omnes res & possessiones ad præfata Monasteria pertinentes, videlicet Domini Saluatoris, & gloriosæ Virginis Mariæ eius secundum carnem genitricis, ob præsentem futurámque salutem, vniuersique Imperij nostri stabilimentum, sub integritate redderemus, & nostra liberalitate in perpetuum confirmaremus. Quam maximam, prout ferebatur, ex ipsis rebus partem plerique homines sub quadam detinebant occasione, & quibus nullum in illis sanctis locis fiebat obsequium. Quod nostra Imperiali auctoritate destruere, & quod rectum est stabilire decernentes, ac si in conspectu omnipotentis Dei in medio Monachorum Collegio, astante quoque fidelium nostrorum multitudine, omnes adiacentias eorumdem Monasteriorum atque pertinentias sub omni integritate reddidimus, atque per hoc nostrum Præceptum confirmare decreuimus: scilicet cum Cellis, casalibus, & villis, vtriusque sexus familiis, tam quæ in præsenti diiudicantur habere, quàm ea quæ in futurum largiente Domino potuerint acquirere. Insuper & proprietates, quas Salichi, vel cuiuscumque gentis homines, id est Eudibertus Castaldus, Petrus Presbyter, Hildebertus Castaldus, Herico Castaldus, Berteradus, Gisolfus, Liuduinus Diaconus, Adalbertus & Petrus germani Teuponis, Ba- C

A rumcellus Codimundus, & Sinualdus de Furcone, qui se in eisdem Cœnobiis ad seruiendum Deo deuouentes, ibidem condonauerunt, vbique, & in omnibus concedimus, ac deinceps cum securitate hac vniuersa vt possideant statuimus. Quatenus absque alicuius diminoratione vel inquietudine, horum Cœnobiorum præsentes Abbates, Anastasius scilicet & Ioannes, eorúmve successores, quieto ordine & tranquilla deuotione cum gregibus sibi commissis inibi Deo deseruiant, & in integrum eadem Monasteria singuli, iuxta quod vnicuique competit, iustè, atque regulariter ordinent: vti pro nobis, ac dilecta coniuge, proléque nostra, Domini Dei nostri clementiam orationibus implorare delectentur assiduis, necnon & deuotionem suam nulla præpediente necessitate inuiolabilem Christo Domino, cui militant, conseruare valeant. Confirmamus etiam prædictis Monasteriis omnes scripturarum Auctoritates atque Præcepta, quæ progenitores & prædecessores nostri, piissimi scilicet Augusti, necnon Reges, seu Duces in ipsis reuerendis Cœnobiis fieri decreuerunt. Pontificum quoque, ceterorúmque nobilium Deum timentium oblationes inibi pariter confirmamus. Præstarias quoque, quas Petrus Aretinus Episcopus cum Honorato Abbate iniustè fecit, iubemus irritas esse absque pœna ligatæ solutionis. Res autem, & familiæ eorumdem Cœnobiorum, sicut Imperialem causam inquiri sancimus. De Teloneis verò mercatorum, & pontium, & de decimis ad portam Monasterij dandis, sicut in aliis Præceptis continetur, pariter roboramus. Si quis autem huic nostræ benignæ liberalitati B contradictor, & non deuotus existere temptauerit obsecutor, infamiæ publicæ reatum incurrens, nouerit se xx. libras auri optimi sæpedictis Monasteriis persoluendum. Porrò vt hæc quæ statuimus pleniorem in Dei nomine obtineant vigorem, & à nostris fidelibus diligentiùs obseruentur, manu propria subterfirmauimus, & annulo nostro roborari præcepimus. Datum v. Kal. Iunij, anno Christo propitio Imperij Domini LVDOVICI piissimi Augusti XXIII. Indict. v. Acta in ciuitate Roma Palatio Imperatoris, in Dei nomine.

CAROLVS Dei omnipotentis gratia Imperator Augustus. Cùm petitionibus seruorum Dei iustis ac rationabilibus diuini cultus amore fauemus, & his opportuna beneficia largimur, præmium nobis æternæ remunerationis à Deo rependi non diffidimus. Ideò notum fieri volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, quia venerabilis IOHANNES Abbas Monasterij sanctæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ, quod in Italia situm est, in loco qui dicitur ACVTIANVS, ad nostram veniens præsentiam, ostendit nobis Præceptum aui nostri CAROLI Imperatoris, & Domini ac genitoris nostri LVDOVICI piissimi Augusti, & LOTHARI fratris nostri, necnon & LVDOVICI nepotis nostri olim Imperatoris: in quibus continebatur, quomodo ipsi & antecessores eorum, Liutprandus scilicet, Ratgisus, Haistulphus, ac Desiderius, Reges Longobardorum, prædictum Monasterium propter diuinum amorem & reuerentiam sanctæ Dei genitricis C Mariæ semper sub sua tuitione ac defensione tenuissent, ob firmitatem rei postulauit prædictus Abbas, vt eorumdem Imperatorum Præcepta nostra auctoritate confirmaremus, & immunitatis Præceptum Monasterio dare iuberemus. Cuius petitioni propter amorem Dei libenter acquieuimus, & sicuti postulauit in omnibus concedendum ita atque confirmandum decreuimus. Quapropter præcipientes iubemus, vt nullus fidelium nostrorum, vel Missi discurrentes, aut quilibet ex iudiciaria potestate, in Ecclesias, vel Cellulas, aut loca, villas, curtes, vel agros, campos, seu reliquas possessiones memorati venerabilis Monasterij, quas moderno tempore tam in Longobardia quàm in Normania, seu in Tuscia, & in Ducato Spoletano, seu in quibuslibet aliis locis possidet, vel quas deinceps ex quorumlibet fidelium datione acquisierit, ac possederit, ad causas audiendas, vel freda, seu tributa vndecumque exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, vel fidei iussores tollendos, aut homines eius Monasterij tam ingenuos quàm seruos libellarios, siue Clericos, vel Cartulatos, aut offertos, super terram ipsius Monasterij commanentes distringendos, vel ad publicas excubias compellendos, aut vllas redhibitiones, vel quaslibet occasiones requirendas, nostris vel futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ suprà memorata sunt penitus facere præsumat. Confirmamus etiam eidem Monasterio Priuilegia Pontificum, simul cum omnibus rebus sibi collatis à diuersis hominibus, commutationes, donationes, offertiones,

P. CXXI.

CAROLVS CALVVS. seu & omnia quæ per instrumenta Cartarum ad idem peruenerunt Monasterium, A cum omnibus ad se pertinentibus. Qui verò de his, quæ fieri prohibuimus, temerè aliquid præsumpserit infidelitatis, cum noxa omni nostro subdi censemus. Vnde monemus fidelitatem vestram, vt cùm iam fatus Abbas, vel Monachi, aut Aduocatus eiusdem Monasterij, in vestra ministeria iustitias requirendas venerint, Dux aut Comes, qui pro tempore fuerint, in quorum Ducatu vel Comitatu præfatum Cœnobium aliquid possidere dinoscitur, defensores, atque adiutores existant in omnibus tam præfato Abbati, quàm & successoribus eius: vt nullius potestatis personam, vim, aut inuasionem aliquam inferre permittant in his, quæ ad memoratam Ecclesiam pertinent. Si verò de qualibet causa à parte ipsius Monasterij orta fuerit intentio, non per viles personas, sed per nobiliores homines, & veraciores, sicuti ad partem nostram, rei veritas inquiratur. Nulla denique multatura ab Aduocato ipsius Monasterij penitus requiratur, nec etiam bannum nostrum pro qualibet causa à parte ipsius Monasterij aliquo modo exigatur. Sed liceat memorato Abbati, & successoribus eius, res & possessiones prædicti Monasterij sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere. Si quis verò ausu temerario contra hanc nostræ Auctoritatis iussionem venire præsumpserit, & eorum quispiam quæ fieri prohibuimus contra prædictum Monasterium facere temptauerit, sciat se secundum constitutionem Domini & genitoris nostri LVDOVICI Imperatoris ac nostram sexcentorum solidorum summam ad partem B Monasterij esse multandum. De famulis eiusdem loci, & de omnibus rebus præcipimus ita. De teloneis verò mercatorum & pontium, & decimas ad portam Monasterij dari iubemus. Præstarias verò ac commutationes iniustè factas volumus irritas esse, absque pœna ligatæ solutionis. Offertos verò eiusdem Monasterij nolumus in seculo vagari, sed vbicumque inuenti fuerint, licentiam habeat Abbas qui pro tempore fuerit, aut Monachi, eos ad Monasteria reuerti faciant. Quidquid verò de prædicti Monasterij possessione fiscus noster acquirere poterit, totum nos pro æterna remuneratione memorato Monasterio concedimus, vt in alimonia pauperum, & Monachorum ibidem Deo famulantium, nostris futurísque temporibus proficiat in augmentis. Quatenus memoratos seruos Dei liberiùs pro nobis, & pro stabilitate Imperij nostri Domini clementiam exorare delectet. Et cùm Abbas ab hoc seculo migrauerit, eligant inter se de ipso Monasterio quemcumque vtiliorem inuenerint. Et vt hæc Auctoritas firmior habeatur, ac per futura tempora meliùs conseruetur, manu propria subter eam firmauimus, atque annuli nostri impressione assignari iussimus. Data VII. Kal. Ianuarij, anno XXXVI. Regni Domini Caroli in Francia, & in successione Lotharij VI. & Imperij eius I. Actum in sancto Petro, Indictione IX.

P.CXXXVIII. IGITVR imperabat tunc Leo Porphyrogenitus filius Basilij, qui post Michaëlem filium Theophili imperauit in Constantinopolitana vrbe. Formosus quoque Portuensis ciuitatis Episcopus Romanæ Sedis summus Pontifex habebatur. Huic C quidam Sergius Romanæ Ecclesiæ Diaconus erat contrarius, qui per Adelbertum Marchionem Papa constitutus, vt impius eundem Formosum iam defunctum è sepulchro extrahi, & in Sede Romani Pontificatus Sacerdotalibus vestibus indutum decollari præcepit. Et tunc sacratis exutum vestimentis, tribúsque illius digitis abscissis, in Tyberim iactari fecit, cunctósque ab eo ordinatos deposuit, & reordinauit. Sed idem Formosus post hæc à piscatoribus inuentus, ad beati Petri Ecclesiam deportatur. Quem etiam Sanctorum quædam imagines in loculo positum venerabiliter salutarunt. Interea Rex Galliæ CAROLVS cognomento CALVVS moritur, & completur Imperium Francorum Regum, qui post expletionem Longobardorum Regum Italicum Regnum strenuè potentérque per multa spatia temporum honorificè gubernarunt, Ecclesias Dei exaltando, pauperes recreando, iustitiam & legem vbique adimplendo. Postquam enim illorum potestas ab Italico Regno peccatis facientibus cœpit cessari, prædictúmque Regnum paulatim annullari, iusto Dei iudicio viginti tantùm Sarraceni lintre parua ex Hispania egressi, nolentes vento delati sunt in oppidum Fraxinetum, in Italiæ Prouincialiúmque confinio situm. Qui Piratæ noctu egressi, clámque villam ingressi, Christicolas, proh dolor! iugulant, ipsúmque sibi locum vindicant, & in Monte-Mauro refugium præparant. Tunc in Hispaniam Nuntios dirigunt, vt se-

A cum reducant Sarracenos alios tantum centum. ARNVLFVS. HENRICVS.

ITAQVE Rege Galliæ CAROLO defuncto, vt suprà retulimus, quidam GVIDO præpotens ex Italiæ Principibus, qui illi seruiens adhæserat, Imperator constituitur Dominicæ Incarnationis anno DCCCXCI. Arnulfus autem Rex 891. post Carolum præfatum Baioariis, Sueuis, Francis, Teutonicis, Lotharingis, audacibúsque principabatur Saxonibus. Hic quoque Romam venit Dominicæ Incarnationis anno DCCCXCVI. Huius adiutorio BERENGARIVS Princeps 896. Italicus præualens Guidonem extinxit, & potenter Regnum accepit. Italienses autem, quia semper geminis vti volunt Dominis, vt alterum alterius terrore coherceant, Guidonis præfati filium nomine LAMBERTVM adhuc ephebum, nimísque bellicosum, Regem constituunt. Post mortem autem Arnulfi Regis, filius eius LVDOVICVS regnauit. Et non multò post gens Hungariorum Italiam petiit, & Ticinum nullis resistentibus venit. Cum quibus Berengarius prædictus pugnans vincitur, interfectis fugatísque Christianis. Hac tempestate præfatus Ludouicus Rex moritur, & CHVONRADVS genere clarus, & Francus, à cunctis populis Rex ordinatur. Qui anno VII. ad extrema veniens, Principibus suis præcepit, vt HENRICVM Ducem Saxonum, & Turingionum, qui tunc fortè aberat, Regem eligerent, Dominúmque constituerent. quod & factum est.

HIS præterea temporibus, LVDOVICVS quidam genere Burgundionum B ab Italiensibus penè omnibus inuitatus venit, & contra Berengarium agens, eum à Verona expulit, Regnúmque sibi viriliter subiugauit. Sed non multò post ab eo est captus, oculisque priuatus. Interea Hungariorum rabies per Italiam nullis resistentibus dilatatur. Sed eorum amicitiis fruitur Berengarius prænominatus. Eodem quoque tempore Sarraceni ab Africa ratibus euntes Calabriam, Apuliam, Beneuentum, Romanorúmque ciuitates occupare cœperunt. Ipso autem tempore Romanæ Sedis Pontificatum Ioannes Rauennas tenebat. Theodora quoque Romanæ ciuitatis monarchiam obtinebat. Huius filia nomine Marosia ex Papa Sergio genuit filium nomine Ioannem, qui post Stephanum septimum Romanus Pontifex efficitur. Et ex Alberico Marchione habuit Albericum, qui post eiusdem vrbis accepit Principatum. Italienses autem RODVLPHVM genere Burgundionum, vt à Regno expelleret Berengarium, accersierunt. A quo victus, & à Regno est Berengarius expulsus, Regnúmque sibi potentissimè subiugauit Rodulphus. Qui, cùm sibi quidam Italienses existerent rebelles, BVRCHARDVM quendam Ducem suúmque socerum associauit in auxilium. Hic Mediolanum venit, & iuxta muros eius pergens, suos lingua Teutonica conuenit, dicens: Si omnes Italienses vno vti calcare tantummodo, informésque caballicare equos non fecero, non sum Burchardus. Pergebat Nouariam, & ciuitatem exinde tendebat Hyportegiam. Tunc Italicæ super eum irruerunt phalanges, quem equus eius discurrens in fossam proiecit, quæ muros circuit ciuitatis: vbi lanceis C confossus vitam finiuit. Quod vt Rex Rodulphus audiuit, Italiam dereliquit. Interea Lambertus Mediolanensis Archiepiscopus consensu omnium HVGONEM potentissimum & sapientissimum Arelatensium siue Prouincialium committi mandauit. Qui precibus Papiam venit, ibique conuenientibus cunctis Italicis Regnum suscepit anno DCCCCXXVII. Domini nostri Iesu Christi humanæ 927. Incarnationis.

EO tempore respexit Deus super afflictionem populi sui, & vndique Paganos P. CCIV. effugare fecit. Denique Ioannes Rauennas tunc præsidebat Romanæ Ecclesiæ. Qui consultu Landulfi Beneuentanorum & Capuanorum Principis clarissimi Legatos direxit ad Imperatorem Constantinopolim. A quo acceptis non modicis copiis, simúlque accersitis Camerinis atque Spoletanis, virísque Italicis plurimis, contra Pœnos satis pugnam præparare studuit. In quo bello visi sunt à religiosis fidelibus sanctissimi Petrus & Paulus Apostoli, quorum precibus Christiani victoriam obtinuerunt, & pœnos viriliter effugarunt. Ex quibus in Gareliani montis summitatem ascensis nec vnus superfuit, qui non aut gladio trucidaretur, aut viuus continuò non caperetur.

SVSCEPTO autem suprascriptus HVGO Italico Regno, Mantuam perrexit, quò Papa Ioannes Rauennas occurrens, fœdus cum eo percussit. Veniens verò præfatus Rex Hugo ad Firmanam Marchiam, parentes RIMONIS Abba-

BERENGARIVS. tis eiecit de propria Prouincia, & illum cum eis. Qui Romam venit, & completo anno, quidam flebotomarius malitiolus veneno imposito flebotomo illum interfecit. A

Pag. ccv. 930. HIC denique venerabilis Pater Dominicæ Incarnationis anno DCCCCXXX. & Regni HVGONIS quinto, Indictione tertia, acquisiuit in hoc Monasterio per commutationem terræ petiam vnam in Amiterno, vbi dicitur Orinianus, mod. VI. & in Castaldatu Reatino, vbi dicitur Peranus, mod. II. & in territorio Pirconino vbi dicitur Perella mod. XL. & in fundo Apriano mod. IX. Et dato pretio solidorum centum emit in pago Amiternino montem aureum, vbi ipsum castellum est ædificatum, mod. XII.

ITEM prædicti Hugonis anno decimo, & Lotharij filij eius quinto, & Theobaldi Ducis septimo, acquisiuit in hoc Monasterio in territorio Pinnensi, in casale Petiano, mod. X.

P. ccxiii. IN nomine Dei æterni. BERENGARIVS diuina fauente clementia Imperator Augustus. Cùm petitionibus seruorum Dei iustis ac rationabilibus diuini cultus amore fauemus, & his opportuna beneficia largimur, præmium nobis æternæ remunerationis à Deo rependi non diffidimus. Ideo notum fieri volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, quia quidam venerabiles Monachi, Ioannes videlicet atque Campo ex Monasterio sanctæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ, quod in Italia situm est, in loco qui dicitur Acutianus, ad nostram venientes præsentiam ostenderunt nobis Præceptum proaui nostri CAROLI serenissimi Imperatoris, necnon & LVDOVICI piissimi Augusti filij illius, & LOTHARII fratris ipsius, itémque LVDOVICI eiusdem Caroli nepotis, & senioris nostri olim Imperatoris. In quibus continebatur, quomodo ipse, & antecessores eorum, Liutprandus scilicet, Ratgisus, Haistulfus, ac Desiderius, Reges Longobardorum, eorum prædictum Monasterium propter diuinum amorem, & reuerentiam sanctæ Dei genitricis Mariæ semper sub sua tuitione ac defensione tenuissent. Ob firmitatem tamen rei postulauerunt prædicti religiosi Monachi per ARDINGI reuerendi Episcopi, ac dilectissimi fidelis nostri, humilem interuentum, & supplicem petitionem, vt eorumdem Imperatorum Præcepta nostra auctoritate confirmaremus, & immunitatis Præceptum præscripto Monasterio dare iubemus. Quorum petitionibus inflexi libenter acquieuimus, & sicuti postulauerunt in omnibus concedendum atque confirmandum decreuimus. Confirmamus etiam eidem Monasterio omnes res, quas Lupo & Iohannes nepos eius, atque Turrem positam in loco qui dicitur ad Cupeneum sub muro ciuitatis Reatinæ iuxta Mellenum fluuium, ad prælibatum Monasterium contulerunt, atque res illas cum curte nuncupante Ophida, sitas in Comitatu Asculano, quas Ioannes Clericus Galitrudæ filius pro remedio animæ suæ prætaxato Monasterio obtulit, seu quidquid Geroardus, & Deodatus, atque ALBERICVS Marchio, in idem Monasterium aliquâ inscriptione condonarunt in Comitatu Firmano. Omniáque Priuilegia Pontificum, simul cum omnibus rebus sibi collatis à diuersis hominibus, & commutationes, donationes, offertiones, seu & omnia quæ per instrumenta Cartarum ad idem prouenerunt Monasterium, cum omnibus ad se pertinentibus. Si quis verò ausu temerario contra hanc nostræ Auctoritatis iussionem venire præsumpserit, & eorum quippiam quæ fieri prohibuimus contra prædictum Monasterium facere temptauerit, sciat se secundum constitutionem prædecessorum nostrorum, ac nostram, sexcentorum solidorum summam ad partem Monasterij esse multandum. Et vt hæc Auctoritas firmior habeatur, ac per futura tempora meliùs conseruetur, manu propria subter eam firmauimus, atque annuli nostri impressione assignari iussimus. IOHANNES Episcopus & Cancellarius ad vicem Ardingi Episcopi & Archicancellarij recognoui. Datum II. Kalend. Iul. anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXX. Domini verò BERENGARII XXVIII. regni, Imperij autem V. Indictione VIII. Actum in curte Olonna. B C

P. ccxxvii. ERAT autem tunc temporis Albericus Romanorum Princeps gloriosus.

P. ccxxix. CAPSAM de auro purissimo, cum gemmis mirabilibus, quam CAROLVS Rex pro anima sua dedit in hoc Monasterio. Alias capsas duas de argento, sigilla duo de auro, quæ miserunt Carolus & PIPINVS filius eius in vno Præcepto

A Alia sigilla duo de auro, quæ GVIDO & LAMBERTVS Imperatores miserunt, in alio Præcepto fecerunt. -- :· OTHO.

VIGESIMVS octauus namque in huius sacri Cœnobij regimine præfuit Abbas ADAM. Defuncto enim præfato domino DAGIBERTO, necnon & Alberico Principe migrante, filius eius Iohannes, qui patre viuente Papa ordinatus est, maliuolum Camponem cœpit exosum habere, sicuti & suus pater. -- :· P. CCXXXII.

PER idem tempus bellum magnum commissum est pro contentione Marchiæ Firmanæ inter Ascherium & Sarilonem, in qua præualens Sarilo interfecit Ascherium, & obtinuit Marchiam. Contra quem HVGO Rex exarsit magno furore, prosequens illum pro eodem Ascherio germano suo. Et cùm esset idem Sarilo in quodam reclusus Tuscano oppidulo, videns se nulla ratione illum effugere posse, noctu indutus Monachilem vestem, & summo diluculo, ligato in gutture fune, eius se potestati tradidit. Et motus Rex misericordiâ super eum, perdonauit ei ipsam culpam, ac præposuit eum super cuncta Monasteria regalia infra fines Tusciæ, & Firmanæ Marchiæ. Cui omnes humiliati sunt eorumdem Monasteriorum Abbates, excepto Hildeprando inuasore. Sed præualens Sarilo ad tempus, de prænominato castello Sanctæ Victoriæ eiecit illum. Iterum superuenit Hildeprandus, & turpiter indè expulit illum. Secunda autem vice Sarilo recuperauit, B indéque eum eiecit. Sed pauco tempore aduixit, mortuus est quoque ac sepultus ibi. -- :· P. CCXXXVII

PER idem autem tempus Iohannes Papa præfatus pro sua nequitia expulsus, fugit ad partes Campaniæ, ibique in siluis & montibus latitabat more bestiæ. Tunc OTTO Imperator Romam venit. Quem omnes Romani consensu Cleri rogauerunt, vt Leonem Protoscriniarium eis eligerent, Papámque constituerent. Quod & factum est. Qui sedit anno vno, & mensibus tribus. Quo viuente, iniquè conciliati sunt Romani, vt sceleratum Iohannem reducerent, & dominum Leonem abiicerent. Facta est autem fames magna in tota vrbe. Exiens verò dominus Leo in partibus Spoletanis, ad Imperatorem venit; qui statim militibus armatis contra Romanos maximas insidias parauit. Romanorum autem Nuncij ad eum in Reatina ciuitate venerunt, mortémque Iohannis intimantes Benedictum ei Diaconum petierunt. sed minimè obtinere valuerunt. Reuertentes autem Legati, eundem elegerunt Benedictum sine consensu Imperatoris. Vnde Imperator magis in iram exarsit, & ciuitatem vndique girauit, & in tantam penuriam adduxit, vt modius furfuris venderetur triginta denariis. Coangustati verò Romani innocentem Benedictum Imperatori tradiderunt, & dominum Leonem Papam coacti receperunt, spondentes ei & Domino Imperatori, super corpus beati Apostoli Petri. Dimisit autem eis quanta & qualia mala perpessus est ab illis.

TRIGESIMVS autem huic Congregationi præfuit Abbas IOANNES tertius. Hic acquisiuit Præceptum Imperiale à Domino OTTONE Imperatore, de C omnium huius Monasterij bonorum optima libertate. -- :· CCLXVIII.

VNA Matrona nomine Theoderanda, filia GRATIANI Consulis Romani, pro anima mariti sui Ingebaldi Francigenæ, tempore Alberici Romanorum Principis. -- :· P. CCCLXI.

SACRATISSIMÆ Religionis institutores, defensores, cooperatores, Principes, Reges, necnon Imperatores, Carolus, Pipinus, Ludouicus, cæteríque eorum successores, Germani, Salichi, Longobardíque Reges, siue Imperatores, vnusquisque secundum temporis posse sanctæ Dei Genitricis exsequentes promissionem, venerabili loco innumerabilia prædia sua contulêre liberalitate. -- :· P. CCCCXIII.

A

EXCERPTA ALIA CHRONICI MONASTERII SANCTI VINCENTII PROPE VVLTVRNVM FL. IN PROVINCIA CAPVANA.

Iussu & mandato Eminentißimi Cardinalis FRANCISCI BARBERINI *descripta ex veteri Libro MS. ipsius Monasterij.*

EX LIBRO I.

STEPHANVS Romanus an. V. d. XXIII. sepultus ad sanctum Petrum. Iste Priuilegium Sedis Apostolicæ contulit domno Antonio Abbati S. Vincentij, & PIPINVM Regem vnxit.

Paulus Rom. an. x. m. I. sepultus ad sanctum Petrum.

Stephanus Siculus an. III. m. V. d. XXVII. sepultus ad sanctum Petrum. B

Adrianus Rom. an. XXXIII. m. X. d. XVII. Iste accepit pactum confirmationis à CAROLO.

Leo Rom. an. XX. m. V. d. XVI. Iste CAROLVM coronauit Imperatorem.

Stephanus Rom. an. VII. sepultus ad sanctum Petrum.

Paschalis Rom. an. V. m. I. d. XVII. sepultus ad sanctum Petrum. Iste Ecclesiam Christi Martyris Vincentij dedicauit, quam Abbas Iosue fecit, & confirmationis pactum à LVDOVICO Imperatore accepit.

Eugenius Rom. an. IV. sepultus ad sanctum Petrum.

Valentinus Rom. sepultus ad sanctum Petrum.

Gregorius Rom. an. XVI. sepultus ad sanctum Petrum.

Sergius Rom. an. III. Iste LVDOVICVM coronauit Imperatorem.

Leo Rom. an. VIII. m. III. d. VI. sepultus ad sanctum Petrum.

Benedictus Rom. an. II. m. VI. d. VI. sepultus ad sanctum Petrum.

Nicolaus Rom. an. IX. m. VI. d. XX. sepultus ad sanctum Petrum. Iste in generali Synodo statuit, & confirmauit, vt post depositionem Romani Pontificis conueniant simul Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales: & quemcumque sano consilio decreuerint eligant Pontificem. Quod si intra vrbem non potuerint, liceat eis in quocumque loco conuenire potuerint idipsum agere: ne sit venale quod decet esse diuinum. C

Adrianus Rom. sepultus ad sanctum Petrum.

Ioannes Rom. an. X. sepultus ad sanctum Petrum. Iste oleo vnxit & Imperatorem constituit CAROLVM filium Ludouici Regis. Et hoc tempore deletum est hoc Monasterium Christi Martyris Vincentij à Sarracenis.

IN tantum autem omnipotens Deus illos magnificauit, vt vndique fama illorum sanctitatis excrescens perueniret ad aures piissimi Imperatoris CAROLI. Scilicet qualiter patriam, parentes, & mundi gloriam relinquentes, locum hunc pro Dei omnipotentis amore petierunt, & quomodo pro multarum salute animarum hoc Cœnobium ædificare cœperunt. Sed Imperator scire certiùs cupiens, vtrum hæc illorum fama vera esset, vtpote qui bellorum triumphis gloriosus, & diuinæ Religionis exequutor feruentissimus, Christi quoque seruis his temporibus amicissimus erat adiutor. Apocrisarium suum sibi admodum carissimum illuc dirigere curauit, quem cuncta sagaciter perscrutari præcepit, & sibi ociùs veritatem assertionis deferre. Veniens autem præfatus Apocrisarius, in Monasterio à suis Patribus cum omni solatio humanitatis studiosè susceptus est. Dicénsque se tantùm gratia orationis venisse, se suique aduentus causam Dei seruis omninò celabat. Per continuos ergo septem dies cum eis in Monasterio demoratus, diligenti studio diu noctúque illorum conuersationem contemplabatur: admirans eos quotidie vsque ad vesperum ieiunantes, nihilque in alimento quotidiani victus præter panem, & legumina

A legumina & parum aquæ sumentes, multos quoque ex eis biduanas & triduanas agentes, ac toto diei spatio operi manuum insistentes, noctes verò in vigiliis & orationibus perpetes agentes, & Deo in orationibus centies genua flectentes. Si verò parum obsonij iure naturæ soluere cogerentur, humi quiescentes ciliciis tantum pro indumento vtentes. Hæc omnia cùm videret prædictus Apocrisarius, nimis illorum conuersationem admiratus, tandem illorum pedibus prostratus, & multum se omnium commendans orationibus, gaudens & exultans ad Dominum suum Augustum reuersus est. Quem vt vidit Imperator, gaudio gestiens magno, diligenter eum sciscitatus est, an vera essent quæ de Dei seruis ad se fama detulerat. Cui ille: Nouerit, Domine meus, vestra certissimè Imperialis Sublimitas, non solùm quæ vobis olim delata sunt in Dei seruis, sed Monasterio altiora Religionis exercitia eminere. Nec vnquam meminisse scias, vel in Francorum prouinciis, vel Italici Regni ambitu, clariores huius Ordinis reperiri posse viros. Cúmque omnia hæc piissimus Imperator audisset, omnipotenti Domino gratias referens, pios omnes exhortari cœpit, vt pro Dei amore, & Dei Martyris Vincentij obsequij deuotione Christi famulos visitare, & locum hunc conspicere deberent. quod factum est.

PROPERANTE autem Imperatore ad Monasterium cum vniuersis Magnatibus suis, cum valida multitudine nobilium Francorum, sanctissimi Patres cum sacro collegio Monachorum eunt obuiam cum cereis, lampadibus, & vniuersis thimiamatibus, atq; cum magna animi exultatione illos in Ecclesiam vsq; deducunt. B Mox ergo Imperator ante Crucem prostratus, diutiùs orauit. Inde surgens, sanctorum vestigiis Patrum aduoluitur, & illorũ pedes Regiam dignitatem paruipendens cum multis lacrymis sæpissimè exosculans, orat vt pro se Dominum precarentur. A quibus oratione percepta cum magna reuerentia eleuatur, osculatis omnibus, postquam eum diligentissimè de Dei seruicio, & de diligenda iustitia, de defensione Ecclesiarum & iure sacrarum admonuerunt, simul cum eo deambulantes omnia Monasterij ædificia circumierunt. Obsecrantibus autem sanctis Patribus Imperatorem, vt vel vna die apud eos demoraretur, libentissimè annuit impetratis, & ibidem vt sancti Patres voluerunt cum eis demoratus est. Post acceptam verò refectionem, prædictus Imperator famulos Christi ad se venire rogat. Quos vt vidit, de solio suo se erigens, & obuiam eis procedens, honorificè salutauit eos, & resalutatus ab eis per manus illos apprehendens, iuxta se rogat sedere. Quibus recedentibus, cœpit Imperator illorum nimis laudabilem attollere conuersationem, aspiciens habitus, gloriæ secularis contemptum, ciborum parsimoniam, & diuinis laudibus iugem perseuerantiam, & iterum de solio suo erigens se. Asserebat enim se neque in Francorum prouincia, neq; in aliis terrarum partibus constitutis Monasteriis, aut audisse, aut vidisse tunc temporis tantæ Religionis viros. Idcircò se obnixè petere, vt ab ipsius Imperiali munificentiâ aliquid accipere dignarentur, C pro sua suorúmque incolumitate, pro Regni stabilitate, & futuræ vitæ mercedis augmento. Idipsum autem vniuersi Comites cum Magnatibus, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Marchionibus, & vniuersis, illorum vestigiis prostrati, agebant Principibus, & inquit Imperator: Iustum est, vt à nostra Excellentia tam religiosi & probabilis vitæ Patres ditiora, & ampliora dona accipiant, & locus iste ab Imperiali potentia sublimetur: quatenus nos & nostri hæredes, cunctique nostri fideles, suffragante beatissimo Leuita & Martyre Vincentio, & intercedentibus istis præsentibus atq; futuris Dei seruis, mereamur accipere à piissimo Domino veniam & indulgentiam omnium peccatorum nostrorum. Tantis precibus sancti Dei famuli compulsi, non tam suæ cõmoditati, quàm futuræ aliorum necessitati consulentes, hoc sibi solùm sufficere tunc posse dixerũt, si ea, quæ iam sibi ab aliquibus fidelibus collata, vel clarissimi Ducis Gisulfi, vel aliorum Ducum Præceptis erãt firmata, sua etiam Imperiali dextera fierent roborata, atque sub ipsius tuitionis munburdum omni tempore pacata & quieta valerent persistere. Tunc clementissimus Imperator horum petitionibus libentissimè annuit. Et conuocato ad se Archicancellario suo, præcepit Imperiale scribi Præceptum, secundum quod Dei famuli voluissent. Et hoc est Præceptum, quod ab Imperiali manu acceperunt.

IN nomine Domini Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. CAROLVS gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum. Cùm

CAROLVS MAGNVS. constet nos à summo, viuo & vero Deo, in seculo isto mortales esse creatos, & eius diuinæ miseratione pietatis tam Regni apicem, quàm inimicorum victoriam nobis datam credamus: iure illi nos semper subditos esse oportet, & eius Ecclesiis digna cum reuerentia honorem impendere, ac ea quæ sunt necessaria nostro obsequio exhibere debemus. Quod nos, vt possumus, salubriter agentes, cùm ad beati Petri corpus Romæ diuina gratiâ de Francorum Prouincia venissemus, comperta opinione eximiæ Religionis Cœnobij Christi Martyris Vincentij, quod à sanctis viris Paldone, Tutone, & Iasone, in Samnij Prouincia super Vulturnum fluuium ædificatum fuerat, deuotè illuc pergere nostrorum fidelium consilio curauimus. A quibus gratissimè suscepti, eorum nos orationibus commendantes, cùm eos obnixè peteremus, vt sibi aliquod competens beneficium à nostra Imperiali magnificentia expetere dignarentur, iamdicti venerabiles Christi serui nostram exorauerunt clementiam, vt illorum prædia, & potestates, seu Ecclesias per diuersos fines Regni Italici sibi subiectas, Præcepta quoque Regum Longobardorum, & Ducum, seu quorumlibet aliorum oblationes virorum, ac Deo deuotorum, eidem Cœnobio Christi Martyris Vincentij confirmaremus. Quorum dignis petitionibus annuentes, pro Dei amore & animæ nostræ remedio, nostri quoque Regni stabilitate, ac nostra, nostrorúmque fidelium incolumitate, per hoc nostræ confirmationis Præceptum, præfata Præcepta, Scriptiones, vel offertiones, confirmamus, concedimus, & penitus corroboramus, in præfato Cœnobio terram cultam & incultam, declarantes nominatiuè ipsas hereditates per hos fines. De ipsa Zitula quomodo ascendit per fluuium Sangrum, vsque in Montem-Malum, & quomodo coniungit cum monte Aze, & reuoluentem eodem monte Aze vsque in fluuio Melsa, & quemadmodum decurrit ipsa Melsa vsque vbi coniungitur cum paruo fluuio, qui dicitur Mellarinus, & abhinc in verticem montis qui super vrbem est, & mons ipse appellatur Barbola, & supercilium eiusdem montis vsque in montem Ananum, & Montem-Marthæ, montémque Casale, eósque videlicet montes extrinsecus circumdantes in ortum, vsque riaginem quæ nominatur Rauennola, & quemadmodum decurrit ipsa Rauennola vsque in fluuium Bantram, & sicut Bantra coniungit cum fluuio Farolo, & quomodo Farolus percurrit vsque in viam antiquam, & inde coniungit cum riuo vicino qui nominatur Gizoli, & inde vadit in riuo, in quo non semper aqua decurrit, & sic vadit vsque in Sangrum. Præterea in acta Baluense, in locum, qui nominatur Quinque millia, Ecclesiam sanctæ Mariæ per fines sic subscriptos: Qualiter vadit fluuius Sangro versum, qua parte Rasinus fluuius, & exindè decurrit riuus, qui exit de Quinque millia vsque in Petra, vbi fuit antiquitus castellum, & quomodo tota ipsa vallis vadit in riuo de Camarda, & ipse riuus decurrit in fluuio Sangro, & infrà hos fines quæcumque continentur, cum omnibus Ecclesiis, Cellis, curtibus, terris, vineis, pratis, pascuis, siluis, piscationibus, aquis, riuis, molendinis, castellis, villis, & omnibus rebus inde vsque pertinentibus. Ecclesiam quoque sanctæ Dei genitricis & Virginis Mariæ, iuxta fluuium Triuium. Ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ dicitur In-duas-Basilicas, iuxta Sangri fluuium sitam, & aliam Ecclesiam S. Mariæ, quæ similiter dicitur In-duas-Basilicas, in territorio Pinnense. Ecclesiam S. Mariæ in Canneto. Ecclesiam S. Mariæ in Palenæ. Monasterium S. Petri iuxta Beneuentanam ciuitatem, iuxta fluuium Sublaci, cum omnibus territoriis & pertinentiis. Ecclesiam S. Mariæ in Loco-sano, cum omnibus suis pertinentiis. Ecclesiam S. Vincentij in Tocco, cum omnibus rebus & familiis sibi pertinentibus. Ecclesiam S. Sossij in Liburias, cum inclyto vvaldo, quem obtulit Dominus Gisolfus Dux. Omnia ad iamdictum Cœnobium subiecimus in integrum, ad habendum, & possidendum, tam per hoc nostrum Imperiale Præceptum, quàm & aliis rationibus. Præcipientes insuper iubemus, vt nullus Rex, Dux, Princeps, Marchio, Comes, Vicicomes, Castaldeus, Sculdais, vel aliquis Reipublicæ exactor, Abbatem, vel Monachos de præfato Monasterio, de Cellis, prædiis, vel aliquibus rebus inquietare, disuestire, aut per Placita secularia ducere præsumant. Sancimus insuper, & nostra Imperiali institutione corroboramus, vt si aliquo tempore orta fuerit contentio inter Abbatem, vel Aduocatum suum, seu de seruis, vel aliqua causa, inter vicinum suum, seu qualemcumque hominem; li-

A ceat eis se defendere per scariones eiusdem Monasterij, sicuti antiquitus consuetudo fuit. Nec audeat aliquis ipsos Abbates vel Monachos ad sacramentum inuitare, quia contra diuinam auctoritatem, & contra Regulam est. Præcipimus præterea præfatum Monasterium cum omnibus Monasteriis, villis, terris, rebus quoque ac familiis ibidem respicientibus, ac Monachis ibidem Deo famulantibus, sub nostrum tuitionis munburdum omni tempore permanere. Quod si quisquam contra hanc nostram confirmationem, & concessionem insurgere, vel molestias inferre tentauerit, sciat se compositurum auri purissimi libras mille, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem præfato Monasterio. Actum anno Incarnationis Dominicæ DCCXV. Indictione XIV. Signum Iacob.....ad vicem Radonis. Data VIII. Kal. Iunij.

CAROLVS MAGNVS

INITO autem Præcepto, vel corroborato, ipse piissimus Imperator illud propriis manibus suis super altare beatissimi Vincentij cum multis aliis donis posuit, & ter se sanctorum Patrum pedibus, & ceterorum Fratrum aduoluens, multum se illorum orationibus commendauit. Sicque lætus & exultans, & Deo gratias agens, cum suis omnibus ad propria reuersus est. Spondens Deo, & eius Martyri Vincentio omni anno in ipso sacro Monasterio plurima se dirigere dona.

HOC tempore CAROLVS MAGNVS filius Pipini inuitatus ab Adriano Papa propter Desiderium Regem, super Papiam venit. Hic beato Petro Præ-
B ceptum genitoris sui sacramento terribili cum suis magnatibus & filio PIPINO viconfirmauit.

Vita vel obitus domni Authperti venerabilis Abbatis.

QVÆ verò de sanctissimo Abbate AVTHPERTO sequuntur, operæ pretium reor aliquantulum prolixiùs enarrare. Equidem non ambigo me meritis ipsius posse iuuari apud Deum, cuius originem, actus, vel aduentum in hoc sacro Cœnobio Christi Leuitæ Vincentij partim vetus Scriptura tradidit, partim verò, sicut venerabilium Patrum fidei relatione didici, pariter comprehendens, & ad laudem Dei nostri omnipotentis scribens, posteris perfectionem religionis ac exemplum proferimus perseuerantiæ iusti laboris pro Dei amore, vt decet tantis sacri Cœnobij institutis: vt quicumque aspiciens huius contempletur nobilitatem se quantociùs à seculi conuertat vanitate, huius attendens prudentiam & caritatem auidiùs Christi sectetur humilitatem, & eò magis si seculi diuitias alacriter studuit calcare, de sibi promissa in cœlis à Domino gaudeat felicitate. Si pauper verò, propriam abrenuntians voluntatem, sub iugo sanctæ Regulæ Deo se professus est militare, nouerit se iam de crastino non debere cogitare, sed meminerit quoniam humiles spiritu Dominus dignabitur saluare.

HIC quidem sanctissimus Pater Galliarum Prouinciis oriundus, parentibus
C admodum Christi Religione & seculi dignitate clarissimis, & luciferi Solis radius Chistianitate conspicuus enituit. Qui nimirum cùm puellares ageret annos, litterarum studiis traditus, totis viribus innocenter Christi mandata custodiens, tam mundanæ quàm diuinæ Philosophiæ verus Christi Philosophus efficaciam adeptus est. Post quod in Regali Aula diuæ memoriæ CAROLI Imperatoris, cùm à cunctis diligeretur, maximéque ab eodem Imperatore Carolo, siue eius genitore pio PIPINO, cœpit eiusdem Imperatoris magister, & institutor esse prudentissimus, ipsiúsque Imperialis Aulæ Archicancellarius supra ceteros haberi strenuissimus. Et cùm à cunctis veneraretur atque attolleretur sibi iure dignis laudibus, præcipuísque obsequiis: tamen ille pij pectoris simplicitatem & puræ caritatis sinceritatem custodiebat attentiùs. Sed cùm his temporibus Monasterium beati Martyris Vincentij super Vulturni fluminis fontem à sanctis Patribus Paldone, Iatone, & Iasone, esset constructum, magnáque ibi sanctorum Deo famulantium Congregatio permaneret, quæ præcipuis penè tunc temporis Italiæ Monasteriis præferretur, factum est, vt eorum sanctæ Religionis opinio longè latéque flagrans, etiam ipsius clementissimi Imperatoris Caroli perueniret ad aures. Qui ductus diuino amore, præcipuéque suasus ab eodem suo venerabili Magistro & Archicancellario Authperto, primitus quidem huius opinionis veritatē explorare voluit, misso ad idem Monasterium suo Apocrisiario. Dehinc magna stipatus caterua potentum Romam veniens, ad sancti Pontificis Petri limina oraturus, & vt Ecclesiarum po-

CAROLVS MAGNVS. puli, & Patriæ excidium vlcisceretur, peractis necessariis rebus, cum maxima multitudine, tam religiosorum Episcoporum, vel Abbatum, quàm sequentium Comitum, ac Marchionum, ad idem dignatus est Monasterium accedere. Vbi qualiter dignissimè à sanctis Patribus est susceptus, quámque ipse ibidem humiliter sit ingressus, in libro vitæ eorum plenius continetur, quod ex Præcepto domini Iasonis Abbatis à venerabili Petro Presbytero satis lucidè descriptum est. A

AT cùm idem serenissimus Imperator post dona magnifica, quæ ibidem contulerat, postquam firmatis Regali Præcepto longè latéque possessionibus sanctorum Patrum vestigiis prostratus, illorum se diutiùs orationibus commendans, sumptis benedictionibus festinanter vellet reuerti, vir Domini Authpertus contemplatus piæ conuersationis exempla sanctorum Patrum, admodum mirabatur, iamque eius animus hisce similem fieri delectabatur.

HOC denique euoluto tempore, CAROLVS Imperator Beneuentum aggressus diutina obsidione ciues vexabat, sed ei ad capiendum omninò vrbs difficilis erat. Interea Arichis ipsius ciuitatis Princeps pia consideratione ciuium saluti consulens, datis obsidibus duobus liberis, cùm eo pacificatur. Indè rediens Imp. Romam Benedicti Monasterium petiit, orationibus seruorum Dei se commendans plurima ibi dona largitus est, & Imperiali Præcepto quæque possiderat confirmauit. Adiungens & alia multa ad Monasterium Christi quoque Martyris, datis ex parte sua magnis muneribus, tam venerabilem virum AVTHPERTVM, quàm & magnificum Ætherium Imperialis æquè Aulæ Magistrum reuerenter transmisit, qui sua vota pia fideliter Dei seruis deferrent. Tunc ergo venerabilis Dei famulus Authpertus ductus amore sanctæ Religionis, Imperialibus vestigiis semetipsum prosternens, orat se iam Deo militaturum, relictis mundanis tumultibus, in beati Vincentij Monasterio vsque ad finem vitæ libentissimè persistere velle, & pro ipsius Imperatoris salute Deo se donari poposcit. Quod Imperator audiens, multis effusis lacrymis, pro deuotione viri, licèt magnis eius videretur destitui subsidiis, tamen postulatus à multis annuit impetratis. Huius exemplo plurimi ex Aula Regia militiæ cingulum deponentes, in sancto proposito Religionis ei adhæserunt, & omnia quæ habere videbantur pro Dei amore penitus demiserunt. B

SANCTÆ igitur Religionis habitum vir Dei indutus, omnibus se inferiorem ita intimo credebat sui cordis affectu, vt nihil omninò scire vellet præter quæ ab Abbate dabantur quotidiani victus necessaria. quæ quidem & ipsa ceteris sumere videbatur. Et cùm esset in Aula Regia admodum delicatus, ita se ipsum diuinis mancipabat obsequiis, vt nulla illi hora vacua præteriret, qua vel insisteret orationi, vel in lectione diuina eius animus versaretur.

DENIQVE vt comperimus, plurimos sanctarum Scripturarum Libros exposuit. Nam Leuiticum Moysi, Cantica Salomonis, Psalterij Flores, melliflua suauitate, quæ in his diuina maneant arcana sacramentorum, quæve vniuscuiusque fidelis disciplina morum, siue Christi obseruatio mandatorum, suorum edisserens patefecit documento verborum. Librum quoque de conflictu vitiorum, sed & Homelias aliquas Euangeliorum pulchra suorũ edidit declaratione sermonum. Vitam etiam beatorum Patrum Paldonis, Iatonis, & Iasonis, cum Historia sui Monasterij plena relatione describens, cunctis in exemplum Monachis ita proponit, vt diuinæ munere Trinitatis tam præcipuæ charitatis, quàm vnicæ pro Christo paupertatis, tres illos Fratres speculum ostendat esse normámque viuendi. Testatur hoc etiam venerandus Paulus Diaconus in Historia, quam de Longobardorum aduentu tunc temporis in Italiam descripsit, vbi eundem virum eruditissimum Authpertum, & eiusdem Monasterij Abbatem fuisse contendit. C

FERTVR præterea, quia cùm quadã die idem felicissimus Pater AVTHPERTVS in Ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ prolixè Domino preces funderet, & eandem Dei genitricẽ sedulò interpellaret oratu, vt sibi linguæ dissertitudo largiretur. Fuerat quippe aliquantulum impeditioris linguæ. Tunc subitò soporatus ante sacrum Altare, adesse sibi conspicit in visione beatissimam & gloriosam Mundi Dominam perpetuam Virginem Mariam, læta facie & vltrà Solis splendore rutulantem: quæ quasi annuens deprecanti tetigit labia eius, eúmque de pauimento surgere iubens, deinceps suæ laudis vota persoluere, & præconia attollere, vt ipse iam desidera-

A uerat, monet: séque illi semper præsentem adesse promisit. Lætus ergo de visione surgens, quæ fuerat iussus ore facundo excœpit persoluere laudes, & carmina digna reddebat alacri corde. CAROLVS MAGNVS.

HIC Pater sanctus cùm in eodem venerabili Monasterio pretiosi Martyris Christi Vincentij per plures annos Domino deseruiret, iámque cunctis in exemplum foret rectè viuendi, defuncto eiusdem sanctæ Congregationis venerabili Abbate IOANNE, licèt inuitus ac renuens sacri regiminis baculum post sanctum Paldonem septimus ipse suscepit. Namque ex tunc suscepta gregis curâ, ita dignè agere satagebat, vt cunctis aperto cœlestis Regis thesauro veras diuitias mundanis opibus præferendas fidei deuotione agiliùs capere, non solùm sermonibus, sed etiam sibi subiectis suis doceret moribus, & forma fieret gregi, sicut beatus docet Apostolus. Hic namque à dignæ memoriæ Carolo Imperatore inclitum sui Monasterij Præceptum obtinuit huiusmodi.

IN nomine Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. CAROLVS diuina ordinante clementia Romanorum Imperator Augustus. Cùm petitionibus Sacerdotum, & seruorum Dei, quæ nostris auribus insinuauerint adnuimus, & ea, cum Dei auxilio ad effectum perducimus, non solùm Regiam consuetudinem exercemus, sed etiam tam ad præsentis vitæ prosperitatem quàm ad futuræ beatitudinem, non minimum emolumenti addimus. Idcircò notum sit omnibus fide-
B libus sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis AVTHPERTVS orator noster, Abbas videlicet sancti Vincentij Leuitæ & Martyris Christi, quod situm est in territorio Beneuentano super fluuium Vulturnum, à nobis illuc destinatus, nostram exorauit clementiam, vt Præcepta Regum vel Ducum Longobardorum; Aistulfi videlicet, Desiderij, atque Gisulfi, nostræ confirmationis Præcepto confirmaremus. Adiungentes illi quidquid nobis aptum & congruum esse videretur. Cuius petitioni propter amorem Domini nostri Iesu Christi, & propter animarum nostrarum remedia, iuxta quod rogauerat prædicta Præcepta, scriptiones vel offertiones concedimus, & confirmamus. declarantes ipsas hereditates nominatiuè infra hos fines. De ipsa Zetula quomodo ascendit per fluuium Sangrum vsque ad Montem-Malum, & quomodo coniungit cum monte Acze, & reuoluente eodem monte Acze vsque in fluuio Melsa, & quemadmodum decurrit ipsa Melsa vsque vbi coniungit cum paruo flumine qui dicitur Mellarinus, & ab hinc in verticem montis, qui est super vrbem, & mons ipse appellatur Barbola, & supercilium eiusdem montis, vsque in Montem-Arcanum, & Montem-Martæ, montémque Casale, eósque vltra montes extrinsecus circumdantes in hortum vsque riaginis, quæ nominatur Rauennola, & quemadmodum decurrit ipsa Rauennola, vsque in fluuio Vulturno, & quomodo Vulturnus coniungit cum fluuio Vantra, & sicuti Vantra coniungit cum fluuio Foruli, & quomodo Forolus percurrit vsque in viam antiquam, & indè coniungit cum biuio,
C qui nominatur Gizzoli, & indè vadit in Riuo in quo non semper aqua decurrit, & sic vadit vsque in Sangrum. Et omnia castella infra hos fines, & villas, & siluas positas, cum Ecclesia beati Petri Apostoli posita in loco Iritæ, Ecclesia sanctæ Mariæ in Apianica, Ecclesia S. Mariæ in duas Basilicas, Ecclesia S. Mariæ in Cameto, Ecclesia S. Mariæ in Pallene, Ecclesia S. Mariæ in Quique millia, cum omnibus illorum pertinentiis. Ea videlicet ratione, quatenus prænominatus Abbas, & sui successores, de omni iam præfata tam in hoc Præcepto quàm in aliis scriptionibus habeant potestatem tenendi iustè, commutandi, ordinandi, instruendi, vel quidquid iustum fuerit faciendi: & nullis sit deinceps licentia infra prædictos fines aliquam contrarietatem seu molestias partibus inferre præfati Cœnobij per inclytos fines, neque per possessiones parentum, seu per aliam quamlibet rationem: excepto per verissimas Cartulas, cum quibus se accusatores regulariter defendere queant, iustásque consignationes vtiliter consignatas. Præcipimus prætereà præfatum Monasterium, cum omnibus præfatis Monasteriis, ac Cellis, rebus quoque ac familiis ibidem aspicientibus, & cum Fratribus, ac Monachis ibidem Deo famulantibus, sub nostræ tuitionis munburdum omni tempore permanere. Quòd si quislibet contra hanc nostram concessionem vel confirmationem insurgere, vel molestias inferre tentauerit, sciat se cōpositurum auri purissimi libras duo millia, medietatem sacro nostro Palatio, & medietatem eidem venerabili Monasterio. Et vt hæc nostra lar-

CAROLVS MAGNVS. gitio firmiorem obtinere possit vigorem, & per curricula annorum inuiolabilem ac incommutabilem obtineat firmitatem, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ diligentiùs conseruetur, manu subterscripsimus, & annuli nostri impressione signari iussimus. Signum Domini Caroli serenissimi Imperatoris. Data XII. Kal. Maij, XIII. Indictione, anno Dominicæ Incarnationis DCCLXXV *.

EXPLETO itaque in sancto regimine venerandus Abbas AVTHPERTVS anno vno, mensibus duobus, & diebus XXV. iusti operis palmam suscipiens, feliciter migrauit ad Christum, anno Incarnationis Dominicæ DCCLXXVIII. Indictione II. in beati Petri Ecclesia digno sepulchro locatus.

De Paulo Diacono.

LIBET in hoc loco aliqua inferre de Paulo Diacono. Siquidem, & ipse de nostris quædam reuerenti stylo descripserat, & cum hoc venerabili Patre Authperto maxima illi fuerat cognitio. Hic cùm esset Regis Desiderij Notarius, ex Longobardorum gente originem ducens, patre Guarnefrido, & matre Theodelinda ortus, à puero disciplinis liberalibus eruditus, maximum in Curia Desiderij Regis locum obtinuit, & Aquiliensis Patriarchæ Archidiaconus extitit. Qui post captionem Desiderij Regis Carolo quoque admodum amabilior factus est. Sed post à quibusdam inuidiosè accusatus quòd propter fidelitatem Desiderij illum occidere voluisset, interrogatus à Rege, respondit se pro certo fidelissimum sui Domini semper fuisse, & in eadem fidelitate cum vita perseuerare. Et Rex iratus præcepit eum manibus truncari. Sed in se reuersus pro magnitudine illius scientiæ suspirans, ait: Et si manus eius abscidimus, vbi iam tam elegantem Scriptorem reperiemus? Percunctatus autem à Proceribus, quid illis super hoc videretur aiunt illi: O Rex, dignè tanto viro compateris. Sed ne alicui aliquando vestras litteras dirigat, iubete vt eruantur oculi eius. Et Rex: Quando, inquit, tam insignem Historiographum inuenire valebimus? Tunc illi videntes Regis clementiam, suaserunt, vt in Diomedis insula, quæ à tribus montibus Tremite dicitur, eum exiliaret. factúmque est ita. Sed post paruum tempus, homunculus quidam eum inde extrahens, Beneuentum perduxit. Quem Arichis suscipiens, eum honorificè retinuit. A quo Palatium infrà Beneuentum, & aliud in Salerno constructum, vassibus decorari fecit. Indéque Cassini Montis habitacula repetens, Monachus est factus. Ad quem præfatus Carolus Litteras metricè compositas à Roma mittere studuit, ita.

Hinc celer egrediens facili mea Charta volatu
Per siluas, colles, valles quoque, præpete, curua
Alma Deo cari Benedicti tecta require.
Est nam certa quies fessis venientibus illuc.
Hic olus hospitibus, piscis, hic panis abundans,
Pax pia, mens humilis, pulchra & concordia Fratrum;
Laus, amor, & cultus Christi simul omnibus horis,
Sic Patri, & sociis cunctis: Saluete, valete.
Colla mei Pauli gaudendo amplectere dulcis;
Dicens multoties: Salue Pater optime, salue.

HAINRAD Abbas S. Vincentij præfuit annis III. mensib. X. Obiit IV. Nonas Nouembris anno ab Incarnatione Domini DCCLXXX. Indict. III.

POTO Abbas S. Vincentij præfuit annis II. mensib. V. diebus XVI. Obiit X. Kal. Maij anno ab Incarnatione Domini DCCLXXXIII. Indict. VI.

PAVLVS Abbas S. Vincentij. Hic ædificauit in eodem Monasterio Ecclesiam S. Mariæ iuxta flumen, quæ minor vocabatur. Et quoniam hoc tempore altercatio orta fuerit ab hominibus villæ Tuitensi sita in fines Baluenses, quam Rex Desiderius donauerat Cœnobio beati Vincentij prò vtilitate Monachorum: ideóque relatio causæ istius clementissimo Imperatori CAROLO ab eodem domno Paulo Abbate ostensa est. Cuius precibus idem Imperator innuens, direxit illuc Missos suos Rismum & Agilbertum, qui rei huius veritatem inuenirent secundum iustitiam legis. Quæ autem ibi inuenta, & in conspectu Imperatoris relecta, & posteris ad memoriam relicta, illorum manibus sunt descripta. hinc quoque à nobis inter cætera sunt admixta.

A DENIQVE clementissimus Imperator huius assertionis notitiam capiens, Præceptum suæ potestatis contulit venerabili PAVLO Abbati huius super hac precaria confirmationis. CAROLVS MAGNVS.

CAROLVS Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum. Viro venerabili PAVLO Abbati seu Monachis Monasterij S. Vincentis siti in Territorio Beneuentano partibus Samniæ.- . Et quia detulit nobis Præceptum Desiderij Regis, qualiter villa Tritæ sita in finibus Baluense ad ipsum sanctum Cœnobium pro vtilitate Monachorum condonasset. Vnde, & nos super idem Præceptum nostræ confirmationis edidimus. Sed dum postea aliquas altercationes inter vos & ipsos homines, qui se per Cartas Ducum dicebant esse liberos, consurrexisse manifestum est. Pro quibus nos Missos nostros Rismum & Agilbertum ibidem directos habuimus, per quos omnem causam liquidiùs inquirentes, omnem veritatem exindè cognouimus. Propterea pro mercedis nostræ augmento, nos ad ipsam causam sancti Vincentij Martyris præfatos homines de memorata villa Tritæ, sicut ab antiquo tempore illorum origo ad seruitium reddendum debiti fuerunt, ita & deinceps remota de medio omni libertate, legitimum seruitium & obsequium perpetualiter omni tempore per mansurum donationis Præceptum, vt perficiant iubemus.

DE ordinando quoque Abbate sine qualibet cuiuscumque molestia liberam B concessionem Imperialis Maiestatis, & sibi subiectas Cellas ordinandi, iudicandi, & disponendi, perpetualiter, Præceptum largitus est idem Imperator & Rex CAROLVS huiusmodi præfati Monasterij Monachis sancti Vincentij Leuitæ & Martyris.

CAROLVS gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum. Omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Iudicibus, Castaldeis, Autionariis, Vicariis, Centenariis, vel reliquis fidelibus nostris, præsentibus scilicet ac futuris. Maximè Regni nostri in hoc augeri credimus munimentum, si petitionibus Sacerdotum atque seruorum Dei, in quo nostris auribus fuerint prolatæ, libenti animo obtemperamus, atque ad effectum perducimus, Regiam consuetudinem exercemus, & hoc nobis ad mercedis augmentum, vel stabilitatem Regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus. Quapropter nouerit solertia vestra, qualiter nos ad petitionem religiosi viri PAVLI Abbatis ex Monasterio sancti Vincentij Martyris, quod est constructum in locum qui dicitur Samnij super fluuium Vulturnum, tale beneficium circa ipsum Monasterium visi fuimus concessisse, vt in Monasteriis legitimè sibi subiectis, quorum vocabula sunt: Monasterium sancti Petri Apostoli, quod fundatum est prope muros ciuitatis nostræ Beneuento: & Monasterium S. Mariæ, quod situm est in finibus Spoliti, in loco qui dicitur Apinianicæ: insuper & cetera Monasteria, vel Cellas, siue curtes, vel reliquas possessiones, quæ ex largitate Regum, Reginarum, siue Ducum, C vel bonorum hominum, ibi sunt datæ, vel delegatæ, seu etiam excusatos, seu offertos, qui in præfatis Monasteriis legitimè iam subiecti sunt, vel qui deuotè offerre se cum suis rebus voluerint, iustè & rationabiliter licentiam habere debeant. Necnon & vndecumque ipsa Casa Dei moderno tempore iusto tramite vestita esse cernitur, vel quod inantea à Deum timentibus hominibus ibidem legibus additum, vel delegatum fuerit, vt nullus Iudex publicus ad causas audiendum, vel freta vndique exigendum, seu mansiones aut paratas faciendum, vel fideiussores tollendum, aut homines ipsius Monasterij stringendum, nec vllas redditiones publicas requirendum, vllo vnquam tempore ingredere neque esactarare penitus præsumatur. Propterea hanc emunitatem scribere iussimus, per quam specialiter decernimus ordinandum, vt nullus quislibet de vobis, aut à iudiciaria potestate, vel qualibet persona, à modo & deinceps in Monasteriis, vel Cellis, seu curtibus, necnon reliquas possessiones superscriptas, siue vndecunque ipsa Casa Dei nunc tempore iusto tramite vestita esse dignoscitur, infra Regnum Christo propitio nostrum, nemo ibidem ad causas audiendum vt diximus, vel freta vndique exigendum, seu mansiones aut paratas faciendum, vel fideiussores tollendum, aut homines ipsius Monasterij distringendum, siue vllam nouam consuetudinem ponendum, nec vllas reddibitiones publicas requirendum ingredere, vel exactorare quoquo tempore præsumat. Similiter in Dei nomine concessimus, vel confir-

LVDOVICVS PIVS. mauimus erga ipsum sanctum locum, sicut habet humana fragilitas, vt quando- A
quidem Abbas ex ipso Monasterio de hac luce migrauerit, licentiam habeant secundùm Regulam sancti Benedicti qualem meliorem ac digniorem & sapientiorem inuenerint, absque cuiuslibet inquietudine, vel contradictione, inter se eligendi Abbatem, & sub emunitatis nomine...... omnes fructus concessos valeant, omníque tempore Rectores ipsius Monasterij S. Vincentij, tam ipsi, quàm & successores eorum, quámque ipsi Fratres qui ibidem Deo famulari videntur, quietè regulariter viuere, ac residere: quatenus eis melius delectet pro nobis vxoribúsque nostris, ac liberis, vel cuncto populo nostro misericordiam Dei attentiùs exorare. Et vt hæc Auctoritas firmior habeatur, ac diurnis temporibus inuiolata Deo adiutore conseruetur, manu propria subter eam roborare decreuimus, & annulo nostro sigillare iussimus. Signum CAROLI gloriosissimi Regis. Signum Iacob ad vicem Radonis. Data IX. Kal. Aprilis anno decimo nono, & decimo quarto regni nostri. Actum Capuæ ciuitatis nostræ in Dei nomine feliciter amen.

CONSVMMATIS igitur in sua sede pater Paulus annis IX. mensibus V. diebus XX. migrauit ad Christum, XIV. Kal. Aprilis, die Dominica anno Incarnationis Dominicæ septingentesimo nonagesimo secundo, Indictione XV. sepultus in pace.

APVD Casinum verò Teodemar decem & nouem annis peractis, Gisulfus præficitur Abbas. Beneuenti quoque defuncto Arichis, Grimualdus eius filius successerat, Carolo Augusto Imperij iura quadraginta & nouem annis moderante, B
sed in his superstite. HLVDOVICVS filius eius, qui almus dictus est, Regni & morum heres, successit. His itaque finitis, nos quoque huius nostri primi finem facimus Libri.

EX LIBRO II.

Vita vel obitus domini Iosue venerabilis Abbatis.

ADMIRANDÆ igitur virtutis perfectionem, quæ in venerabili Patre IOSVE effloruit, silendum non arbitror. Cuius quidem ethimologia nominis, vt Saluatoris dicitur & habetur, qui verè à Christo Saluatore pro multorum salute in hoc loco directus, tam sancta conuersatione quàm digni operis labore maxima lucra salutis animarum Deo præstitit hîc congregatarum: & non solùm tunc præsentium, sed & post sequentium Pater egregius singularis enituit. Denique ex Regali progenie ortus, Regali quoque Aulæ nutritus, liberalibus studiis apprimè eruditus, puritatem innocentis vitæ felici ortu præuenit. Vnde iure meruit adipisci præmia digna. Cum enim esset Imperatoris HLVDOVICI, qui Almus est appellatus, ex præclara coniuge ipse quoque cognatus, tandem à Domino fore vocatus, & sub sacro habitu Christo militaturus accessit, & propositum diuinæ Religionis piis exercebat operibus. Sed dum in sacro Cœnobio vltra ceteros, qui sibi videbantur esse commilitones, ita summa virtutis ope excederet, vt in sanctæ conuersationis studio præcelsior haberetur, ex diuino nutu, totiúsque sanctæ Congregationis electione, vndecimus post sanctum Saldonem constitutus est Abbas. C

HIS diebus Augustus Hludouicus, qui totius Italiæ post piæ memoriæ Carolum genitorem suum Regni iura susceperat, cùm esset Romæ, ac summum gereret studium pietatis, cognita præclara opinione præcipuæ Religionis præfati Cœnobij congregationis, prædicti quoque sui cognati, digno amore dilectionis eundem per semetipsum deuotè dignatus est visitare Cœnobium. Quò cùm peruenisset, & ab eisdem sanctis Patribus honorificè susceptus fuisset, pluribus obsequiis charitatis impensis, cùm maxima dona eidem Monasterio idem Imperator contulisset, & obtutibus illius venerandus Pater IOSVE simul cum vniuersis Fratribus supplices se exibentes, eum obnixè deposcunt, vt illis concederet Templum antiquissimum in teritorio Capuano, quod maximis columnis & diuersis lapidibus ab antiquis fuerat institutum, in locum vbi Ædes Imperatoris, vel Cryptæ dicebantur. Et quia tantis Patribus in vnum congregatis esse illis parua orationis domus videbatur, suæ pietatis auxilio Ecclesia in eodem Monasterio ad honorem

A summi Dei & eius pretiosi Martyris vocabulo Vincentij tantæ congregationi competenter sublimior & celsior ædificaretur. Quibus Augustus libenter annuens postulata concessit, & quæque vtilia vel necessaria ob hoc eis esse videbantur tribuit. Ita autem virtus Domini cor Regis in huius amore conuertit, & Fratrum deuotionem ac laborantium manus iussit; vt non multo tempore præclaro opere & maximis columnis Ecclesia leuaretur. In cuius Ecclesiæ fronte ita deauratis litteris legebatur.

Quæque vides hospes pendentia celsa vel ima,
Vir Domini Iosue struxit cum Fratribus vna.

Erat enim ipsa Ecclesia in longitudine habens passus triginta sex, & in latitudine cum ipsos porticus passus sexdecim, & in altitudine passus duodecim, vsque ad trabes. Cameras quoque iuxta sacras Ædes firmissimas habens.

PERFECTIS igitur ædificiis, inuitatur ad eiusdem Ecclesiæ solemnia dedicationis Augustus. Quique gaudens, & lætus cum sua Regina, eiusdem felicissimi Abbatis IOSVE germana sorore, ac magna multitudine vtriusque conditionis & sexus aduenit. Adest & Apostolicus Papa primus PASCHALIS, cum collegio sacro Episcoporum, Cardinalium, diuersorum Clericorum, atque innumera multitudine fidelium populorum vndique concurrentium. Et cum maxima exultatione & lætitia prædictam dedicant Basilicam, vbi eadem die Rex & Regina dona contulerunt magnifica. Per singulas denique columnas singulas palliorum cortinas B pendere iussit Regina: quæ columnæ hinc & inde simul fuerunt triginta duæ. Certè nos, qui nunc vidimus, vel qui tunc illis videre temporibus, satis mirari non possunt illius Ecclesiæ magnitudinem vel pulchritudinem in his Regionibus.

HOC tempore idem Imperator Conuentum Religiosorum Episcoporum & Abbatum fecit in Aquisgrani Palatij, & cum multis Franciæ Abbatibus. Inter quos etiam venerandus Pater IOSVE affuit, septuaginta & duo Capitula nostri Ordinis generalia constituit. Tunc quoque beatissimo Papæ Paschali pactum constitutionis & confirmationis faciens, etiam propriæ manus & trium filiorum suorum signaculo illud corroborans, per Legatum S. R. E. Theodorum Nomenculatorem prædicto Papæ transmisit; in quo decem Episcopos, octo Abbates, Comites quindecim, Bibliothecarium, Mansionarium, & Ostiarium subscribere fecit. Contulit etiam ibidem venerabilis Iosue Præcepta sui Monasterij confirmationis, quæ cùm à prioribus temporibus hoc idem Monasterium donatione vel concessione Ducum, Regum, siue Principum, aut quorumlibet oblatione possederat fidelium, seu possidere contigerit, vt hæc in perpetuum æquitatis iure, sine alicuius contradictione, vel molestatione possideat. Horum textus ita continetur.

IN nomine Domini Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. HLVDOVICVS diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus. Cùm petitionibus Sacerdotum & seruorum Dei, quas nostris auribus insinuauerint, libenter annuimus, non C solùm Regiam consuetudinem exercemus, sed etiam hoc nobis tam ad præsentis vitæ prosperitatem, quàm ad futuræ beatitudinem adipisci, non minimum emolumenti afferre confidimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis IOSVE Abbas Monasterij Martyris Christi Vincentij, quod situm est in finibus Beneuentanis, nostram adiens Serenitatem, obtulit obtutibus nostris Præcepta Regum Longobardorum, Aistulfi scilicet, & Desiderij, necnon & Præceptum piæ recordationis Domini & genitoris nostri CAROLI piissimi Augusti. In quibus illi tam antecessorum suorum videlicet Regum, quàm & Ducum, vel aliorum quorumlibet Deo deuotorum hominum donationes partibus prædicti Monasterij spontanea voluntate contulerunt. Suggerens ac petens, vt eadem præcepta nostræ confirmationis confirmaremus. Cuius petitioni propter amorem Domini nostri Iesu Christi assensum præbentes, prædicta Præcepta nostra auctoritate confirmamus. In primis decernentes quidquid Domini genitoris nostri CAROLI Imperatoris Præcepto continetur, & de Iudicaria Baluense in loco Tritæ, sicut per Præceptum Desiderij Regis & Ansanæ condonatum est. Deinde quidquid Astulfus vel Desiderius iam dicto Monasterio contulerunt, similiter maneat inconuulsam. Quod verò Duces hi, Lupus & Hildeprandus, eidem Monasterio suis Præceptis condo-

LVDOVICVS PIVS. nauerunt, hac nostra præsenti Auctoritate abhinc in futurum stabilis perseueret A
& firma. De quibus vna est donatio, quam Lupus Dux ad prædictum sanctum lo-
» cum fecit, de vatcinatico, id est animalia, quæ exigebantur ad mensam Principis
» Ducatus Spoletani. Altera Hildeprandi Ducis de eadem re. Tertia eiusdem do
» clausura in Marsis. Quarta eius de valdo Liburiano. Quinta eiusdem de quatuor
» casis in Marsis. Has quinque donationes ad idem venerabile Monasterium sancti
» Vincentij nostra auctoritate, vel quidquid in ipsis Rectores suprà memorati Mo-
» nasterij pro eiusdem auctoritate facere voluerint, absque vllius contradictione or-
» dinent, & disponant. Et vt hæc Auctoritas confirmationis nostræ per curricula an-
» norum inuiolabilem atque inconuulsam obtineat firmitatem, & à fidelibus sanctæ
» Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, veriùs credatur, & diligen-
» tiùs conseruetur, manu propria supterscripsimus, & annuli nostri impressione si-
» gnari iussimus. Signum HLVDOVICI serenissimi Imperatoris. Data IV. Idus
» Iunias, anno Christo propitio III. Imperatoris Domini Hludouici piissimi Au-
» gusti, Indictione IX. Actum Aquisgrani Palatio Regio, Dei nomine fęliciter.

POST hæc idem Imperator Hludouicus Romam venit, Liguriam, Emiliam, Apuliámque peragrauit, & diuersas Ecclesias multis in locis constituens, prædia delegauit, & aliis quæ possidebant Præcepti sui firmitate roborauit. Ædificauit namque tunc Monasterium in honore sanctæ Trinitatis, quod posteà ab Abbatibus illius loci mutatum est in vocabulo sancti Clementis Martyris, iuxta fluuium B Piscariæ, in insula vbi dicitur CASA-AVREA, eúmque rebus & possessionibus admodum ditauit amplissimis. Huius Monasterij nostris temporibus Abbates fuerunt quidam ex nostris senioribus, ex quibus fuit præcipuus nostri Monasterij Præpositus nomine..... Ante hæc tempora fertur, quòd filia Regis Francorum per incontinentiam excedens patrem offenderet. Vnde permotus Rex, quòd pudoris thorum violasset, datis rebus necessariis, mandat ductoribus illam extra patriam exulem fieri. Qui deducentes eam, multis diebus longo itinere confectis, tandem Valeriæ partibus applicuere, vbi à quodam illustri viro nomine Morino excepti, agnitis ab eodem causis, eandem Regis filiam filio suo in matrimonio dare deposcit: eo quòd sibi sufficiens diuitiarum & patrimonij copia maneret. Quod cùm facilè obtinuisset, & iura matrimonij gratificè peregissent: prædicti eius ductores Franciam regrediuntur. Post hæc Rex mulieris huius pater mortuus est. Tunc ergo HLVDOVICVS Imperator prædictas terrarum partes circumiens, in eadem regione peruenit. Et cùm à ministris anxiè quæreretur locus opportunus, quo Imperator recumbere potuisset, supradicta mulier prudenti consilio conuocatis duobus filiis, quos de suscepto viro genuerat, quíque iam iuuenili ætate florebant, monet vt Regem adeuntes in sua eum domo peterent commanere. suis suorúmque obsequiis libenter vti valere. Quorum precibus Rex motus, facilè annuit impetratis. At cùm in domo illorum conuiuatus alacer resideret, genitrix aduenit, secretò Regem petiit, & eius genibus prouoluta, quæque sibi acciderant misera- C biliter exponit. Motus in lachrimis Augustus, benignè amplectitur sororem, fatetur eadem se reminiscere, quæ olim in domo patris ei acciderant: filiósque eius sibi adhærere præcipiens, ex interuentu matris omnia quæ fuerant defuncti patris Regali præcepto illis firmauit, ac post aliquod tempus totius Valeriæ Prouinciæ Comites instituit. Inde igitur Apuliam iterum profecturus, iuniore fratre cum matre relicto, maiorem secum comitare præcepit. Qui in illius obsequio aliquandiu demoratus, incidit in infirmitatem. Vnde Rex admodum contristatus, exoratus ab ipso, & multis aliis, pluribus obsequiis & muneribus in itinere præbitis, ad propria iubet reuerti, ne fortè mors succedens materna viscera valde cruciaret. Ergo cœpto itinere corrupti aëris pestem cauere cupiens, Beneuenti fines peragrans deducebatur à suis. Et cùm inualescente languore iam deficientem cernerent, iter accelerantes deducunt illum ad Monasterium Christi Martyris Vincentij. Vbi à venerabili Patre IOSVE & cunctis Fratribus satis humanè susceptus, post aliquot dies temporali caruit visu. Cuius corpus candido marmore facto sepulchro ante ipsius Basilicæ limen diligenter locatum est. Mox tristi nuntio materna viscera commota, innumeris sumptis muneribus diuersa in comitatu famulorum agens obsequia, vnà cum sibi superstite prole Monasterium Christi Martyris Vincentij quantociùs petierunt. Quo tumulum sui filij mater aspiciens, amplexata est

A eum, & multis lachrimis lauans, diris vocibus satisfaciebat doloribus. Vix tandem aliquantulum à venerabili IOSVE Abbate & fratribus consolata finem fecit clamoribus. Et post aliquantos dies discessura obtulit cum filio suo omnibus sibi fauentibus suis hominibus in sacro Monasterio S. Vincentij quidquid pretiosum inuentum est in thesauris. Testamento quoque oblationes facientes, iure hereditatis totius Comitatus defuncti filij, quæcumque in Valbensi territorio esse potuissent, cum Ecclesia sancti Ruffini ibidem constructa in Campo de Rota, quàm & aliis Ecclesiis & Cellis circumquaque manentibus. Quæ omnia post à Domino HLVDOVICO Imper. in eodem Monasterio firmata sunt. Ecclesia sancti Domitij in Pectoriano. Ecclesia sancti Leopardi in Pacentria. Ecclesia sancti Vincentij in Selmone, cùm terris, qualiter decurrit aqua Labella, & riuus Gizzoli, vsque vbi pariter iunguntur omnia infra hæc. Ecclesia S. Petri in Accule subtus ipsa crypta, supra ipsos padulos, & campo de Mesu. Ecclesia S. Vincentij in Bazzano, in Boniara, in ipsa porcaricie. Ecclesia S. Vincentij in Alizie, & Ecclesia S. Iustini. Ecclesia S. Vincentij ad vada Pasquali, & in Misane, & in Campo S. Petri, & in Campo S. Pelini. Ecclesia S. Felicis in Bottorite, & in Appiniani, & in Casale, & in Pompiniano, & in Prata. Ecclesia S. Marci, S. Vincentij, & sanctæ Mariæ in Valle. Ecclesia S. Liberatoris, vbi oritur Piscaria fluuius, & ipsæ terræ quæ dicuntur Monaiculæ, & in Ruza cap. Omnes has Ecclesias cum diuersis territoriis, & B municipiis, & rebus pertinentibus, alias quoque quamplures infra ipsius Comitatus fines adiacentes. Et quoniam supradictam Ecclesiam S. Ruffini, Ecclesiamquoque sanctæ Dei genitricis Mariæ, in proprio solo ædificatione & dote magna & diuitiis ampliatas, ab eadem Dei deuotissima femina didicimus, ante ipsius Ecclesiæ limen ad mortem veniens se sepeliri iussit. Nomen quoque eius, quod multis fuerat incognitum, in superliminari eiusdem Ecclesiæ scriptum nos ipsi vidimus ita; ZMILLA * HVMILIS ANCILLA SANCTÆ MARIÆ.

LVDOVICVS PIVS.

* fort. GVILLA

CONFIRMAVIT etiam hoc tempore HLVDOVICVS in venerabili Monasterio Christi Martyris Vincentij quæcumque Desiderius Rex Longobardorum, & PIPINVS Rex Francorum, ac CAROLVS Imperator Romanorum, obtulerunt in Comitatu Baluensi, & in Comitatu Pinnensi, vel in valle Tritana. In primis Monasterium beati Petri Apostoli, cum omnibus sibi pertinentibus terris & villis, seruis & ancillis, Cellis & Capellis. In curte de Roncessi, in Sandarissi, in Caput aquæ, in Cerquito, in Martinisci, in Laurentisci, in Marzanisci & Tribilio, in Cellaria, in Osene, in Presciano, in Tuino, in Furmecusi. Item in Carapille, in Tursine, in Bute, in Termoline, in Præsuto........in Facte, in Volubro, in Feliculc, in Superi, in Limiti, in Calaso. Item in Presbiterani, in Stephanisci, in Caporzani, in Tusci, in Cerule, & in Campo Dominico & Coliniano, in Lapide-viuo, & ad Sancta in Thoro, & ad Benatum, in Turri, in vallibus, montibus, & planis, in Perillo, in Azano. Et reliqua, sicut continetur in Præcepto Desiderij Regis per C suos fines.

EO siquidem tempore rara in his regionibus castella habebantur, sed omnia villis & Ecclesiis plena erant: nec erat formido, aut metus bellorum, quoniam alta pace omnes gaudebant, vsque ad tempora Saracenorum. Cessante quoque deuastatione, & persecutione illorum, qui tunc euadere potuerunt, vel sua inuenire valuerunt, Regis iudicio, & precariis possiderunt, vsquequo Normanni in Italiam peruenerunt. Qui sibi omnia diripientes, castella ex villis ædificare cœperunt, quibus ex locorum vocabulis nomina indiderunt, & ex his quæ obtinere potuerunt velut sine Rege & sine lege agentes, ipsarum se Ecclesiarum patronos, immò dominatores dicentes, vix iusto iure Dominis, quantum sibi videbatur, & hoc inuito, censusper soluebant per annos. Quod malum vsque hodie perseuerat, & Ecclesiarum prædia, & possessiones non sine graui sacrilegio, hereditario quasi iure sibi & filiis suis assumunt. Sed iam ad priora.

TRADITVM accepimus à senioribus, quòd sub eodem superiori tempore Imperator HLVDOVICVS Monasterium S. Angeli constituerit in Barregias, cúmque rebus & possessionibus ditatum venerabili Monasterio S. Vincentij subdiderit. Sed tempore Saracenorum vincentium postquam à quibusdam restauratum, & Congregationem Fratrum, & Abbatem eis ibidem fuisse ordinatum. Sed in sequenti tempore à primo Ottone, secundo quoque, diuersis Præceptis in

LVDOVICVS PIVS. Monasterio sancti Vincentij illum inuenimus confirmatum. A

SCIRE autem volumus omnes qui huius Libri lectores accesserint, nihil me scribere, nisi quod aut vetus scriptura me docuit, aut à senioribus ipsa canicie aut grauitate venerandis fida relatione didici, aut ego ipse nostris temporibus meis oculis aspicere potui.

IGITVR sexto Imperij sui anno Augusto HLVDOVICO apud Aquisgrani Palatio Regio constituto, vir Domini Iosue ad eum illuc pergens, secundum ab eo Præceptum accepit, cuius hîc textus exprimitur.

De Vualdo Liburiano Confirmationis Præceptum.

» IN nomine Domini Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. HLVDOVICVS diuina ordinante clementia Imperator Augustus. Cùm petitionibus Sacerdotum, & seruorum Dei, quas nostris auribus insinuauerint, libenter annuimus, non solùm regiam consuetudinem exercemus, sed etiam hoc nobis tam ad præsentis vitæ prosperitatem, quàm ad futuræ beatitudinem adipisci non minimum afferre emolumentum confidimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris præsentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis IOSVE Abbas Monasterij beati Martyris Vincentij, quod situm est in territorio Beneuentano, super fluuium Vulturnum, nostram adiens Serenitatem obtulit obtutibus nostris Præcepta Longobardorum Principum & Ducum, videlicet Gisulfi, & Sicardi, necnon & Præceptum piæ recordationis Domini & genitoris nostri CAROLI piissimi Augusti. In quibus illi tam antecessorum suorum Regum, quàm & Ducum, vel aliorum quorumlibet Deo deuotorum hominum concessiones, & offertiones, vel legales scriptiones, quas illi pro amore vitæ futuræ, & remedio animarum suarum, atque remissione peccatorum, in partibus præfati Monasterij de suis rebus spontanea voluntate contulerunt. Suggerens ac petens, vt eadem Præcepta, & offertiones legales nostræ confirmationis Præcepto confirmaremus. Cuius petitioni ob amorem, & honorem Domini nostri Iesu Christi, & propter reuerentiam eiusdem Martyris Christi S. Vincentij, cuius honori atque nomini prædictum Monasterium dicatum esse cognoscitur, assensum præbentes, iuxta quod rogauerat præfata Præcepta, & omnes offertiones, vel legales scriptiones cõcedimus, & confirmamus, ac penitus corroboramus in præfato Cœnobio Christi Martyris Vincentij. Omnes res, & possessiones per diuersos fines Italici positas per eadem Præcepta, vel quaslibet legales scriptiones à Principibus, Ducibus, reliquisque fidelibus collatas, necnon Monasteria & Cellas inferiùs nominatas, omnia in præfato Cœnobio concedimus, & confirmamus. In primis quoque Cellam S. Iossij, cum inclita curte, & vualdum, quæ est in partibus Liburiæ, qui dicitur Pantanum, quæ data est à Duce Gisulfo in prædicto Cœnobio. Per hos quoque fines pro parte est via quæ de Ducenta venit, & sicut descendit via ipsa, & intrat in ipsum Pantanum, & siluam, & paludem coniunctam Laneo. A secunda verò parte, quæ nihilominus est antiqua, quæ dicitur Vicana. A tertia verò iterum vsque ad viam quæ est antiqua, vnà cum ipsa piscina eiusdem Monasterij: & decurrit via ipsa terras & vualdum antedicti Monasterij, & aliam terram ipsius Monasterij, quæ dicitur Tortona, & terras aliorum hominum quæ ibi affines sunt, & sicut incipit super ipsam piscinam, & qualiter voluitur circa ipsam terram de eodem vualdo, & iam dictã terram, quæ dicitur de Tortona, & vadit ad ipsum Pantanum prædicti Monasterij, & qualiter perrexit super ipsum Pantanum, & siluam, & paludem, vsque in ipsum Frigidum. A quarta autem parte, vsque in iamdictum Frigidum, & prædictum Laneum, cum omnibus intro habentibus super vel subtus, qui dici vel nominari possent, nostra Imperiali auctoritate & eidem Cœnobio concedimus, & confirmamus. Deinde similiter alium vualdum coniunctum in eodem loco, qui datus est in eodem Monasterio à Sicardo Principe Beneuentanæ ciuitatis, per hos similiter fines. Ab vno latere via antiqua, quæ venit à Ducenta, & ipsum vualdum prædicti Monasterij, & quemadmodum perrexit vsque in ipsum Pantanum eiusdem Monasterij. Ex alio verò latere fine viæ publica, quæ vadit inter ipsum Macianum & Scarafena, & terra de hominibus de Centora, & directè exit vsque ad locum qui dicitur Crée, vnde aqua exit, & sic directè intrat in lacum Patriensem. Et ab vno capite via publica quæ dicitur vicana, & pergit ad Cumis. Ab alio autem capite finis lacus Patriensis.

A trienſis. Hæc autem omnia qualiter ſuprà ſunt iudicata,& ſicut Præcepta eiuſdem continent Monaſterij, cum omnibus inferiùs ſuperiùſque conſiſtentibus, cum viis & aquis,& cum Lantano ipſo ripio, & cum omnibus quæ dici poſſunt, in eodem concedimus Cœnobio, & confirmamus. Item concedimus atque confirmamus in eodem Cœnobio Monaſterium S. Petri, quod ſitum eſt in territorio Capuano, non longè ab arcu Dianæ, quod dicitur de Iuntulo, cum Eccleſia S. Martini quod eſt in partibus Liburiæ, cum inclyto caſale, qui dicitur Seuerano, & cum aliis caſalibus & territoriis, & puntariis, in loco vbi dicitur ad Tranſangulum, ſicut eius Præcepta continent, & ſcriptiones, quam,& Eccleſiam S. Vincentij in Liburia, vbi dicitur Tremoiola, cum omnibus territoriis ſuis. Item Cella S. Vincentij de Cume, cum curte, & caſis ſuis. Item Cella S. Georgij infra Salernitanam ciuitatem. Sancti Vincentij in fundo Tuſciano. Cella S. Valentini in fundo Biſentino. Cella ſancti Vincentij in fundo Tenſa, cum omnibus aliis Capellis & pertinentiis eorum, & omnibus aliis Cellis,& terris per diuerſos fines Regni Italici poſitis, ex quibus pars legalis iam dicti Cœnobij ſcriptiones quocumque oſtenderit tempore, in eodem Monaſterio concedimus & confirmamus, vt abhinc in futurum hæc omnia, quæ ſuprà diximus, firma perſeuerent. Ita videlicet vt quidquid in ipſis vel de ipſis Rectores, vel Miniſtri eiuſdem Monaſterij diſponere, vel ordinare placuerit, abſque quorumlibet contradictione ordinent atque diſponant, prout vtiliter congruere B proſpexerint. Et nulli ſit deinceps licentia infra præfatos fines, ſeu in Cellis, vel terris, aliquam contrarietatem aut moleſtiam partibus inferre Cœnobij. Neque aliquis per parentum poſſeſſiones eius hereditates reſidere audeat, ſicut Aiſtulfus Rex Longobardorum conſtituit de Eccleſiis. Et nullus audeat Abbates, vel Monachos eiuſdem Cœnobij ad iurandum quærere, quia contra diuinā credimus eſſe legem. Sed per ſcariones omnibus temporibus finem faciant, ſicut priſca conſuetudo fuit. Statuimus quoque, vt nullus ex ſeruis, aut ex familia eiuſdem Monaſterij, vel eas quas Cortiſiannos vocant audeat inquietare, aut quodlibet penſum eius exactor tollere, vel exigere præſumat. Quòd ſi quiſlibet contra hanc noſtram conceſſionem inſurgere, vel moleſtias inferre tentauerit, ſciat ſe compoſiturum auri puriſſimi libras mille quingentas, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem præfato venerabili Monaſterio. Et vt hæc noſtræ Auctoritatis largitio firmiorem obtineat vigorem,& per curricula annorum inuiolabilem atque incommutabilem obtineat firmitatem,& à fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris veriùs credatur, diligentiúſque ab omnibus conſeruetur, manu propria ſubter ſcripſimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari iuſſimus. Signum domni HLVDOVICI ſereniſſimi Imperatoris. Data III. Idus Ianuarias, anno Chriſto propitio VI. Imperii domni Hludouici piiſſimi Auguſti, Indictione duodecima. Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei nomine feliciter.

LVDOVICVS PIVS.

PATER autem egregius IOSVE poſt ædificationem ſui Monaſterij, ſanctæ Con-C gregationis velut optimus Paſtor ſedulè inuigilabat, & in animabus colligendis ac ſaluandis tam perfectiſſimus erat, vt diuina ſe protegente gratiâ, tam præclaræ Congregationis numero, quàm præcipuæ Religionis cultu maximis etiam tunc Italiæ Monaſteriis excellentior haberetur. Ferebatur quoque vbique fama ſanctitatis illorum, adeò vt Francorum prouinciis plurimi patriam, parentes, opéſque relinquentes, eorum ſe ſubderent magiſterio, etiam ex Aula Regia, illorum Religionem ſequi cupientes. Confluebant præterea ex cunctis Italiæ finibus nobiles quoque Duces, Principes, & Comites, ac potentes: beatos ſe fore æſtimantes, ſi aliquid Deo in eodem Monaſterio pro ſuæ mercedis emolumento ex ſuis facultatibus, & poſſeſſionibus offerre potuiſſent. Vnde factum eſt, vt Hildeprand Dux Spolitinorum offerret Deo in eodem Monaſterio per Præceptum ſuæ poteſtatis Eccleſiam S. Donati in Comino, cum terris & montibus, ſeruis, & ancillis: & Eccleſiam ſancti Iuliani cum terris, & aquis, montibus & planis, cum omnibus ſuis pertinentiis. Obtulit quoque Præceptum in Marſis de quatuor Caſis, & de ſancto Petro de Vezano, & de clauſura in Marſis, & de vuarcinatico, id eſt animalia quæ exigebantur ad menſam Ducis Spoletini, & de vualdo Liburiano Præceptum confirmationis. In Eccleſia verò ſanctæ Dei genitricis Mariæ in Loco-ſano ſubdita prædicto Monaſterio Chriſti Martyris Vincentij Præceptum obtulit ſuæ oblationis de duodecim Cordonis ſeruorum. Siquidem in anteriori tem-

LVDOVICVS PIVS. pore Præcepta obtulerat de inclyta Valle-Sorana, & de Monasterio sancti Dei Genitricis Mariæ in fines Spolitenses, territorio Marsicano, quod dicitur Apinianicis, cum inclitis territoriis, seruis & ancillis, & de ipsa valle de Flaterno, &c. A

GRIMALDVS etiam Beneuentan. Dux Arichis filius obtulit per Præceptum suæ potestatis in eodem Monasterio Curtem quam habebat in valle Benfrana, cum inclitis terris & montibus vno se tenente, & vocatur terra ipsa Cicerana.-- ⁝

SCIENDVM quia causâ Regiæ dignitatis priùs Regalia Præcepta scribere voluimus, ne fortè error fieret legentibus. Diuersorum enim Ducum, videlicet Grimoaldi, Siconis, & Sicardi, atque Hildeprandi, Pater iste Iosue viguit temporibus.

De Sancto Donato.

» IN nomine Domini Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Regnante domno
» CAROLO excellentissimo Rege Francorum, atque Longobardorum, anno Re-
» gni eius in Italia Deo propitio quinto, ego in Dei nomine HILDEPRANDVS
» gloriosus & summus Dux Ducatus Spoletini.

De Benafro.

» IN nomine Domini Dei Saluatoris nostri Iesu Christi. Concessimus nos vir B
» gloriosissimus Grimualdus Dei prouidentia Beneuentanæ prouinciæ Princeps per
» rogum Romualdi Referendarij nostri, in Monasterio S. Vincentij Martyris, quod
» situm est in finibus Sanniæ iuxta Vulturno flumine.

PRÆTEREA Apostolicæ Sedis summus Pontifex Paschalis eiusdem magnifici Patris IOSVE ita sibi familiarissimi amico sæpè vtebatur consilio, & Romanæ Ecclesiæ necessariis rebus adiutorio, vt cùm à supradicto Imperatore Ludouico pactum confirmationis acciperet, sicuti in Pontificali eiusdem Ecclesiæ Romanæ scriptum reperi, inter reliquos Franciæ Abbates eum adesse pro parte sedis Apostolicæ voluisset. Cui etiam redeunti vice dilectionis atque gratiarum quædam insignia cum huiusmodi pr....lio contulit- ⁝

VENERANDVS autem Pater Iosue postquam annis vigintiquatuor, mensibus sex, & diebus sexdecim, sanctæ Congregationis rexerat gregem, sumptus in gloria migrauit à seculo IV. Non. Maij mens. anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo decimo octauo, Indict. XIII. vltrà humanum modum secundum merita sua. Cuius sanctum corpus ante eandem Ecclesiam in dexteram partem sepultum est in pace. Sed longo pòst tempore, id est post vltimam desolationem ipsius Ecclesiæ, cùm fama celebri didicissemus aliquos ad eius corpus diuina sæpe sensisse beneficia, illius ossa & venerabilis Authperti, cuius superiùs vitam descripsimus, & aliorum Patrum antiquorum, hoc in loco attulimus, atque in sarcofago grandi posuimus cum domni Abbatis Hilarij corpore, de quo adiuuante Domino quæ nouimus suo loco narrabimus. C

EPIPHANIVS Abbas S. Vincentij præfuit annos XVII. mens. XI. dies VIII. Hic fuit de S. Martino in Monte-Marsico. Ædificauit verò duas Ecclesias, sanctæ Mariæ in insula, & S. Laurentij in alia insula. Iste accepit Præceptum à domno HLVDOVICO Imperatore de seruis in Emiterno, & de seruis in villa Tritensi, & confirmationis aliorum Præceptorum. Aliud quoque Præceptum accepit à Sicardo Principe de vualdo in Liburias, & Præceptum de sancto Secundino finibus Acerentinis, & duo alia Præcepta eiusdem Principis de terris & montibus in finibus Benafranis, seruis & ancillis.

Præceptum de Amiterno.

» IN nomine Domini Dei & Saluatoris Iesu Christi. HLVDOVICVS diuina or-
» dinante prouidentia Imperator Augustus. Omnibus Episcopis, Abbatibus, & Du-
» cibus, Comitibus, Castaldeis, Actionariis, Vicariis, Centenariis, ceterisque fideli-
» bus nostris, præsentibus scilicet & futuris. Notum sit quia venerabilis EPIPHANIVS
» Abbas Monasterij S. Vincentij Martyris, quod situm est in territorio Beneuentano
» super fluuium Vulturnum, per Legatos suos direxit ad nos quandam confirmatio-
» nem, quam Lupus quondam Dux Monasterio memorati S. Vincentij Martyris, de

A quibusdam Casis in Amiterno & Sauino fecerat, necnon & quatuor Iudicata de quibusdam seruis & ancillis ex villa Trita, qui se subtrahere à debito seruicio quasi per Præcepta Ducum nitebantur. Quæ in præsentia Supponi Comitis, ac Benedicti, Hilpiani, & Ansfridi Castaldorum, ceterorúmque Scabinorum, de prædictorum hominum statu acta fuerant. Et petiit, vt firmitatis gratiâ nostræ confirmationis Auctoritatem super ea fieri iuberemus. Cuius petitionem exaudientes, super nominatam confirmationem ac Iudicata hoc nostræ confirmationis Præceptum fieri decreuimus, per quod decernimus atque iubemus, vt nullus vestrum, aut successorum vestrorum de memoratis locis, in quibus secundùm memoratorum Legatorum assertionem casæ vigintiquatuor, cum totidem hominibus in eis consistentibus, sitæ esse noscuntur, quorum nomina hæc sunt Ioannes, Theopo, item Ioannes, Cortulus, Petrus, Theodobertus, Hiso, Maio, Acepertus, Hilimundus Roppolus, Marinus, Georgius, Halo, Audactus, Audebertus, Audoaldus, Hildulfus Paulerissi, Robertus filius Martæ, cum Barbano, Sico, Alaysio, Senepergas, atque Gemula. Hæc de statu prædictorum hominum, qui sicut dictum est de memorata Trita villa se à debito seruitio quasi per Præcepta Ducum subtrahere nitebantur, ad pristinum seruitium reuocati sunt, vllam inquietudinem, aut contrarietatem iniustè facere præsumat. Sed liceat Agentibus & Ministris eiusdem Monasterij memoratas casas cum hominibus in eis consistentibus, ac seruos qui ad memoratam

B Tritam villam per Auctoritatem genitoris nostri domni CAROLI præstantissimi Imperatoris ad debitum seruitium reuocati sunt, quietè possidere, & iuxta opportunitatem & vtilitatem eiusdem Monasterij absque cuiuslibet contrarietatis impedimento quidquid de eisdem, vel in eisdem rebus & hominibus iustè facere, vel ordinare decreuerunt, libero in omnibus perfrui arbitrio faciendi. Et vt hæc nostra confirmationis Auctoritas ab omnibus veriùs certiúsque credatur, ac diligentiùs conseruetur, manu propria subter eam signauimus, & annuli nostri impressione signari iussimus. Signum HLVDOVICI serenissimi Imperatoris. Data Kal. Aprilis anno Christo propitio XVIII. Imperij domni Hludouici piissimi Augusti, Indictione..... Actum in Palatio Regio in Dei nomine, amen.

LVDOVICVS PIVS.

PER idem tempus Regnum Francorum trifariam diuisum est. Tunc HLVDOVICVS Augustus Beneuentum adueniens, à Ranelchis, & reliquis honorificè susceptus, ei omnes Saraceni contraditi sunt: quos omnes ipso die vigiliarum sanctæ Pentecostes extra ciuitatem ductos cum Duce illorum Massar decollari fecit. Móxque Imperator conuocatis Longobardis totam Beneuenti prouinciam inter Ledelchis & Sichenolfum æquo discrimine partitus est. Porrò prædicti Principes pactum diuisionis Principatus inter se firmantes, Monasterium beati Vincentij & beati Benedicti extra sortem esse decreuerunt, dicentes: Hæc Monasteria ad nos non pertinent, quoniam sub tutela Dominorum Imperatorum Hludouici, atque

C Lotharij constituta sunt. Siquidem Imperator per IACOBVM venerabilem Abbatem beati Martyris Vincentij & Bassacium beati Benedicti inuitatus adueniens, & victoriam obtinere, & maxima rebus vtilia illorum consilio consequi meruerat.

LVDOVICVS II.

AT post plura bonitatis acta præfatus Pater Iacobus, peractis in huius Monasterij regimine annis nouem, obiit Prid. Idus Ianuarii anno Incarnationis Dominicæ octigentesimo....... Indictione prima.

TEVTO Abbas S. Vincentij. Iste construxit Ecclesiam S. Eleutherij in Fundiliano, & multas hereditates & possessiones acquisiuit. Obtinuit quoque Præceptum aliorum Præceptorum Regum & Ducum, cuius textus huiusmodi est.

De confirmatione aliorum Præceptorum.

IN nomine Domini Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. HLVDOVICVS diuina ordinante clementia Imperator Augustus. Cùm petitionibus Sacerdotum, ac seruorum Dei, quas nostris auribus insinuarint, libenter annuimus, & eas cum Dei auxilio ad effectum perducimus, non solùm regiam consuetudinem exercemus, sed etiam nobis tam ad præsentis vitæ prosperitatem, quàm ad futuræ beatitudinem adipisci, non minimum emolumenti afferre confidimus. Idcircò notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis TEVTO Abbas Monasterij beati Martyris Vincentij, quod est situm finibus Beneuentanis, nostram adiens Serenitatem, obtulit obtutibus nostris

LVDOVICVS II. Præcepta Regum Longobardorum, Aistulfi videlicet & Desiderii, nec non & Præceptum recordationis domni & genitoris nostri CAROLI piissimi Augusti. In quibus illi tam antecessorum suorum, videlicet Regum, quàm Ducum, Gisulfi Ducis Longobardorum, & Liutprandi Ducis Ducatus Spoletini, vel aliorum quorumlibet Deo deuotorum hominum, donationes quas illi pro amore vitæ futuræ, & pro remedio animarum suarum, atque pro remissione peccatorum, partibus præfati Monasterij de suis propriis rebus spontanea voluntate contulerunt. Suggerens, ac petens, vt eadem Præcepta nostræ confirmationis Præceptione confirmaremus. Cuius petitioni propter amorem & honorem Domini nostri Iesu Christi, & propter reuerentiam memorati venerabilis Martyris Christi beati Vincentii, cuius honori ac nomini præfatum Monasterium dicatum esse cognoscitur, adsensum præbentes, iuxta quod rogauerunt prædicta Præcepta nostra auctoritate confirmamus. In primis decernentes, vt quidquid domni & genitoris nostri CAROLI Imperatoris Præcepto continetur, id est de Iudicaria Baluense, vel quod Præcepto Desiderii Regis & Ansanæ condonatum est, & in ipso Præcepto continetur, & postea per Missos eiusdem domni & genitoris nostri Incilbertum & Arismum Cancellarium inquisitum est, ac definitum inter Balbenses & Soranensis finibus, & Monachos prædicti Monasterij, quemadmodum in breue Iudicati, quod ab ipsis factum est, continetur, ad possessionem præfati venerabilis Monasterij pertinet, firmum & stabile permaneat. Deinde quidquid vel Aistulfus, vel Desiderius gentis Longobardorum Reges, sua magnificentia in iamdicto Monasterio contulerunt, similiter maneat inconuulsum. Quod verò Duces, Gisulfus gentis Longobardorum, & Hildeprandus Dux Ducatus Spoletini, eidem videlicet Monasterio suis Præceptis condonauerunt, quia sine reali confirmatione huiusmodi donatio rata esse non potest, hac nostra præsenti Auctoritate ita confirmetur, vt abhinc infuturum habilis, & firma perseueret. De quibus vna est concessio, quam Gisulfus Dux gentis Longobardorum ad præfatum sanctum locum fecit de Ecclesia sancti Martiani, quam ædificauit Toto Presbyter & Monachus in proprio loco Soranensis finibus, & Ecclesia sancti Saluatoris, necnon & Ecclesia sancti Angeli, cum omnibus rebus pertinentibus ad ipsas Ecclesias. Altera Hildeprandi Ducis donatio atque concessio, quam donauerat atque concesserat in iamdicto Monasterio, Ecclesia sancti Donati in territorio Comino, cum terris & montibus, & Ecclesia sancti Iuliani in prædicto territorio, cum terris & montibus, & aquis ac pascuis ad eandem Ecclesiam pertinentibus. Has quinque donationes, quas iamdicti Duces per sua Præcepta ad supradictum venerabile Monasterium sancti Vincentii Leuitæ & Martyris confirmauerunt, propter honorem Dei atque æternam retributionem, ad idem venerabile Monasterium nostra confirmamus auctoritate. Ita videlicet, vt quidquid de ipsis, vel in ipsis Rectores & Ministri supranominati venerabilis Monasterii disponere, atque ordinare, vel pro voluntate eiusdem loci facere voluerint, absque vllius quolibet honore vel dignitate, siue iniusta contradictione, ordinetur atque disponatur, & faciatur quidquid supradicti Monasterii vtilitati concurrere & conuenire perspexerint. Et vt hæc Auctoritas confirmationis nostræ per curricula annorum inuiolabilem atque inconuulsam obtineat firmitatem, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris veriùs credatur, & diligentiùs conseruetur, manu propria subterscripsimus, & annuli nostri impressione signari iussimus. Signum HLVDOVICI serenissimi Imperatoris. Data IV. Id. Iunii, anno Christo propitio Imperij Domini Hludouici piissimi Augusti, ... Indict. VIII. Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei nomine feliciter.

HIS temporibus Landulfus Comes, derelicta Capua vetere, ascendit habitaturus in monticulum qui dicitur Triplifcus, qui alio nomine dicebatur Sicopolis, anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo primo. Qui post tertium annum defunctus est. Nam vigintiquinque annis & mensibus tribus Capuam veterem tenuerat. Cui succedit Lando filius. Qui cùm præfatam ciuitatem, quam pater suus ædificarat nouam in præfato monticulo, annis tredecim & mensibus octo dominatus fuisset, prædicta ciuitas funditus igne consumpta est. Tunc conuocatis fratribus suis, Landone, Pandone, & Landulfo Episcopo, ad pontem Cassilii, condiderunt ibi ciuitatem, quæ nunc est Capua. In qua præfatus Lando

LVDOVICVS II.

A præfuit annis tribus, & mensibus octo. Túncque Capuani cum Neapolitanis infinita bella habere cœperunt. Supradictus autem Abbas Teuto causâ vtilitatis huius Monasterij commutauit cum Principibus Beneuentanis res & possessiones quas habebant in Caudetanis, à quibus accepit possessiones & res inclytas, cum Ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ vocatur Oliueto. Superior quoque Iacobus Abbas iam tunc commutauerat à Sinenolfo Principe Salernitano res ipsas in Tusciano, pro quibus accepit proprias res patrimonij ipsius Principis in locum, qui dicitur ad Pontem-Lapideum.

ARTEFVSVS Abbas S. Vincentij. Iste Præceptum accepit à Domino HLVDOVICO Imperator de hereditate Monasterij per circuitum huiusmodi.

IN nomine Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, HLVDOVICVS diuina ordinante clementia Imperator Augustus. Cùm petitionibus Sacerdotum, ac seruorum Dei, quas nostris auribus insinuauerint, libenter obaudimus, & eas cum Dei auxilio ad effectum perducimus, non solùm Regiam consuetudinem exercemus, sed etiam hoc nobis tam ad præsentis vitæ prosperitatem, quàm ad futuræ vitæ beatitudinem adipiscendam, non minimum emolumenti conferre confidimus. Idcirco notum sit omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Gastaldeis, Actionariis, Vicariis, Centenariis, ceterisque fidelibus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis Artefusus Abbas Monasterij beati Martyris Christi Vincentij, quod situm est in territorio Beneuentano super fluuium Vulturnum, nostram adiens Serenitatem, obtulit obtutibus nostris Præceptum Ducum & Principum, atque offertiones aliásque scriptiones, in quibus tam illi, quàm quorumlibet Deo deuotorum hominum concessiones, quas illi pro amore vitæ futuræ, atque remissione peccatorum, partibus prædicti Monasterij de suis rebus spontanea voluntate contulerunt: suggerens ac petens, vt eadem Præcepta, offertiones, vel ceteras scriptiones nostræ concessionis & confirmationis præceptione confirmaremus. Cuius petitioni propter amorem Domini nostri Iesu Christi, & propter reuerentiam Christi memorati Martyris S. Vincentij, cuius honori atque nomini prædictum Monasterium dicatum esse cognoscitur, adsensum præbentes, iuxta quod rogauerat, prædicta Præcepta, scriptiones, offertionésque nostra auctoritate concedimus, & confirmamus. Decernentes videlicet per hos fines, incipiente primitus à fluuio qui dicitur Sangro, deinde per montes publicos, vsque montem qui dicitur Acte, & sic reuoluente monte eodem vsque in fluuio qui dicitur Melfa, & quemadmodum decurrit ipsa Melfa vsque vbi coniungit se cum paruo fluuio, qui dicitur Mellarinus, & abhinc in vertice montis vsque in Montem-Arcanum & in Montem-Marthæ, montémque Casale, cósque videlicet montes extrinsecus circumdantes in ortum vsque riaginis, quæ nominatur Rauennola, & à capite eiusdem riaginis venientes iuxta montes publicos in montem vsque Benafrum, qui est super vrbem. Eodem verò

C reuoluente monte, vsque in cilium montis, qui est super terram quæ vocatur Arcora, quæ est Ecclesiæ hereditas sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ Oliuetum vocatur, subiecta præfati Monasterij, & Ecclesia nihilominus sanctæ Christianæ, cum inclitis territoriis suis, & cum reliquis finibus, ipsa hereditas circumdata fluuio vsque Vulturno. Nam iterum ex alia parte iterum inchoante prima fine cum iam dicto fluuio Sangro, ipsóque relinquente quomodo decurrit à paracolle, & pergentes in riuulo qui dicitur Foruli, eodémque decurrente riuo, vsque in fluuio Vantra, & quemadmodum ipsum decurrit flumen iuxta trans eiusdem Monasterij vsque in præfatis finibus & terris Ecclesiæ sanctæ Mariæ, per hos quoque fines, vna cum seruis & ancillis, & cespitibus suis, necnon & cum castris, montibus, collibus, vallibus, teronibus, Ecclesiis, aquis, pascuis, & omnia infra ipsis finibus manentia, hac nostra præsenti Auctoritate in præfato Cœnobio ita concedantur, & confirmentur, vt abhinc in futurum stabilia & firma perseuerent. Ita videlicet, vt quidquid de ipsis vel in ipsis Rectores & Ministri ipsius memorati venerabilis Monasterij disponere, atque ordinare, vel pro vtilitate eiusdem loci facere voluerint, absque vllius quolibet honore vel dignitate prædicti iniusta contradictione ordinent atque disponant, & faciant quidquid supradicti Cœnobii vtilitati congruere, & conuenire prospexerint. Et nulli sit deinceps licentia, infra prædictos fines aliquam contrarietatem seu molestiam partibus inferre prædi-

LVDOVICVS II. cti Cœnobii per inclitos supradictos fines, neque per possessiones parentum, seu per aliam quamlibet rationē, excepto per verissimas Cartulas, cum quibus se causatores legaliter defendere queant, iustásque consignationes vtiliter consignatâ. Quod si quislibet contra hanc nostram concessionem vel confirmationem insurgere, vel molestias inferre tentauerit, sciat se compositurum auri libras trecentas, medietatem sacro nostro Palatio, & medietatem eidem venerabili Monasterio. Et vt hæc nostræ Auctoritatis largitio firmiorem obtineat vigorem, & per curricula annorum inuiolabilem atque incommutabilem obtineat firmitatem, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, credatur, & diligentiùs conseruetur, manu propria subterscripsimus, & annuli nostri impressione signari iussimus. Signum HLVDOVICI serenissimi Imperatoris. Data III. Idus Iunij anno Christo propitio XVII. Imperij Domini HLVDOVICI piissimi Augusti, Indict. XIV. & postquam cepit Capuam anno primo. Actum Capua ciuitate in Dei nomine feliciter. A

COMPLETIS venerabilis Abbas Artefusus in sacro regimine annis nouem, obiit XVIII. Kal. Maij anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo septuagesimo secundo, Indictione VI. Apud Cassinum verò Bassacius XVIII. annis peractis, Bertarius succedit. MAIO Abbas S. Vincentij sedit annis VIII. Istius tempore dum HLVDOVICVS Imperator filius Hlotarij totius Romani Imperij piè sollicitudinem agens, ac maximè pro Ecclesiarum defensione, Valeriæ prouinciam circuiret, contigit virum venerabilem Maionem Abbatem illi occurrere, & ab eo suppliciter pro causa sui Monasterij iustitiam quærere. A quo honorificè susceptus, quæ proposuerat impetrauit. Et quoniam ex villa Tritensi & Monasterio beati Petri maxima multitudo seruorum subdolè se à seruicio & solutione vectigalium subtraxerant, datis à latere suo Augustus idem Iudicibus, præcepit vti prædictus Abbas in omnibus iustitiam consequeretur. Quæ ab eis inuenta, & recto iudicio Monasterio sunt restituta, vt in suis scriptis reliquerunt. B

DVM in Christi omnipotentis nomine venisset domnus HLVDOVICVS serenissimus Augustus in Castaldatum Baluensem, loco qui vocatur Valle-Tritana, in Cella de Monasterio S. Vincentij sita in ipso loco Tritæ, tunc veniens MAIO venerabilis Abbas eiusdem Monasterij, eius misericordiam reclamans, quod de ipsa Cella Trite vel de aliis locis, per prauos & iniquos homines subdolè & ingeniosè seruos, & ancillas, vel obligatos, vel alias res subtractas esse de ipso Monasterio, & minimè exindè iustitiam vsque hactenus inuenire potuisset. Ille verò misericordiâ motus ADRALDO Vicecomiti Palatij iussit, vt resideret in Iudicio cum Agelmundo & Petro Scabinis Palatij, & ipsius Abbatis postulationem pleniter adimplerent. Et tunc nos Adraldus cum ipso Iudice Palatino, & cum Sansone Castaldeo ipsius ciui Baluense, resedissemus nos ibidem in Trite ad Ecclesiam S. Iuuenalis in Plaito, & ipse prænominatus Abbas ibidem nobiscum in ipso Plaito resideret, & quotidie reclamaret, vt suam iustitiam inuenire potuisset: & dum nos per plures dies ibidem in Plaito resedissemus, sed ipsos seruos, qui subtracti erant minimè habere potuissemus, dum nos Adraldus ipsos seruos, nec per destrictum, nec per demandatum, ad nostrum Plaitum habere potuissemus, sic perreximus ad domnum Imperatorem, & renunciauimus omnia hæc supradicta. Tunc ipse Augustus statim præcepit ipsi Adraldo & Sansoni Castaldeo, vt statim pergerent ad ipsum Abbatem cum suis Monachis, & Teudelasio Abocatore eorum reinuestirent de omnia supradicta, quæ subtracta fuerant de ipso Monasterio, ad partem præfati Monasterij. Et sanctum præceptum Augusti ita factum est. Tunc ab ipso Augusto Sanson superscripto Castaldeo, vt in Vicecomiti sui Palatij pergeret cum ipso venerabili Abbate ad eius iustitiam pleniter adimplendam ad partem ipsius Monasterij, vt omnes ipsi serui qui subtracti erant de villa Orsene, & Cerquetum, cum eius vocabulis, & de Martinis, & de Tribilio, Larensci, Martianisci, Prescianu, Obino, Furmecusi, vel de aliis locis in ipsa Valle-Tritana, qui ad eius Placitum venire noluissent, potestatiuè eos apprehenderet, & in ipso seruitio eos replicaret, cum famulis, & filiis, rebus & mobilibus, absque cuiuslibet contradictione ad partem præfati Monasterij. Et ipsi homines, qui ad eius Placitum venissent, & legibus serui de ipso Monasterio esse deberent, vel in ipsius præsentia sic eos replicaret in seruitio de ipso Monasterio, sicut & in præsentia Ducum C

A vel Comitum Palatij mei, sic per suam auctoritatem in ipso Monasterio confirmare dignatus. Et dum nos Sanson Castaldeus, & Missus Domini Imperatoris, in Christi nomine in Plaito resedissemus in ipsa Valle Tritana, in villa Cerquetum, vt iussionem Domini Imperatoris adimpleremus: vbi nobiscum erant in ipso Plaito Adelmundus filius quondam Affradeli olim Castaldei, Gualbertus Notarius & Scribanus, Ioannes filius Asoaldi, Adelmundus Sculdais, vel reliqui plures. Ibique venientes in nostri supradicti præsentia Maio venerabilis Abbas vnà cum Theodolasio Abocatore suo, & querelas nobis reddentes super Azefredum filium quondam Anzumi, cum fratribus suis Anzum, & Verteramum, & super idem, & Casium filium quondam Vrsi, & Daco filio quondam Antecisi, Specioso filio Speciosi, Gundepertus filius quondam Bonuli, Mainulo filius quondam Mainulfi, Gunipertus filius quondam Ansiperti, Rainulb, Redonatus, Faroaldus filius quondam Scattuli, Vrsus filius quondam Rimeperti, Ado & Lucefredo filij quondam Alunij, Leo filius quondam Aldeperti, Magno filius qu. Aldeperti, &c. Isti omnes prænominati, qui hic præsentes stare videntur, patres eorum, & matres eorum, serui & ancillæ fuerunt de præfato Monasterio, de eius Cella Trite. modò se substraxerunt de ipso seruitio, pro qua causa nescimus. At contra responderunt prænominati suprascripti homines, & dixerunt: Nec faciat Deus, nec est veritas, quòd patres nostri, nec matres nostræ serui & ancillæ fuissent de præfato
B Monasterio. tantum iudicate quod non est. Audientes nos qui supradicti Iudices, vno tenore eis respondentes, sic interrogauimus eos: Si per testes probare potuissent, sicut dixerant. Illi vno tenore vnanimiter dixerunt, Quia per testes sic probare possumus nostram libertatem, & talem quòd iam dare fecimus, & ipse Theodelasius dedit, guadiam de parata, & fideiussorem inter se posuerunt de vtraque parte. Sed dum de ambarum partium reuenisset in alio Placito in villa offerre in præsentia Sansonis Castaldei, & Missorum Domini Imperatoris, vbi & cum eo aderant in ipso Placito Adelpertus, & Ioannes, & Gualpertus, Scabini, Adelmario filius quondam Affredi, Odelrich filius quondam Alburij, Ioannes filius quondam Proaldi, Adelmundo Sculdalis, vel reliqui plures. Sic ante nos Iudices quæstus est Maio venerabilis Abbas vna cum Theodelasio Abocatore suo, & dixerunt: Ecce nos parati sumus ad ipsa testimonia recipienda de ipsis prænominatis & supradictis hominibus, sicut guadia dederunt nobis qui sui præsentes stare videntur. Illi prænominati homines vnanimiter vno tenore dixerunt: Verè de nostra libertate minimè probare possumus, quia patres nostri, & matres nostræ serui & ancillæ fuerunt de præfato Monasterio de Cella eius Trite, & nos cum lege serui esse debemus de ipso Monasterio. Tantum iudicate quod vobis placet. Audientes nos supradictus Castaldeus & Missus Domini Augusti talem professionem eos facientes, rectum nobis apparuit, velut ita, & iudicauimus se-
C cundum iussionem Domini Augusti, & eius Auctoritatem, quæ coram nobis relata est: vt ipsos supradictos seruos recolligeret ipse Abbas venerabilis cum Theodelasio Abocatore suo, cum suis Monachis, in eorum seruitio ad partem prædicti Monasterij. quod ita factum est. Vnde hæc acta est causa vel deliberata, præsentis notitiæ Iudicatum, nos qui suprà Castaldeus cum subscripto Iudice Vualper Notarium scribere iussimus, atque condictauimus. Quam & ego Vualper ibi fui, & hunc notitiæ Iudicatum scripsi in anno Imperij Domini Hludouici Imperatoris XXIII. & die mense Ianuario prima, Indictione quinta. Actum feliciter in Balba.

LVDOVICVS II.

EX LIBRO III.

ANNO Incarnationis Dominicæ DCCCLXXXII.* Indictione XV. residente in Sede Apostolica CVIII. ab Apostolorum Principe Petro Papa Ioanne, apud Constantinopolim imperante Basilio quadragesimo septimo post Constantinum, Italiæ verò HLVDOVICO filio LOTHARII Regni iura tuente, Monasterium preciosi Martyris Christi Vincentij & beatissimi Confessoris Benedicti apud Cassinum, in quibus plurimorum Fratrum sancta Congregatio cum vene-

* Auctoris annorii computus & hic & alibi sæpius errauit.

LVDOVICVS II. randis Patribus Maione & Berthario in omnipotentis Dei seruitio permanebat, A
ab Agarenis deprædata, & ignibus combusta sunt. Ex paucis vix euadentibus, plurima turba Fratrum cum prædictis Patribus gladiis necati sunt. Quod qualiter actum sit, operæprecium enarrare existimantes, non ab re esse arbitror, si aliquantulum excedentes à superioribus exordium sumamus, id est ex quo Reges Francorum sumpserunt Imperium Romanorum: & tam veridicas sequentes lineas Historiographorum, quàm ex relatione Patrum religiosorum quæ didicimus adiicientes posteris nostris pietatis exemplo sanctorum Patrum nostrorum pro Christo occisorum memoriam relinquamus. Re enim vera pro Christo occisi occubuerunt, qui longo vitæ suæ tempore sub instituto sanctæ legis vnanimes conuersantes, Christi gratia ad hoc pertingere meruerunt, vt Christo ministrantes ipsum sequerentur vsque ad opus magnæ charitatis, ac roseo cruore suæ passionis septemplici Spiritus sancti munere decorati perpetui Triumphi caperent diadema beatum. Ergo quia non immeritò illos loci huius semper inspectores ac bonorum iugiter suffragatores specialiùs esse confidimus, oportet vt annis singulis eorum memoria ab omnibus dignissimè celebretur: quatenus tam eorum, quàm & omnium Sanctorum meritis & precibus de mundi periculis, & ab inimicorum insidiis eripi mereamur, & peccatorum nostrorum veniam consequamur.

Historia Decollatorum nongentorum Monachorum huius Monasterij. B

LONGOBARDORVM itaque Gens cùm Italiæ fines inuasisset, vtpote aliis Gentibus viribus fortiores, & Reges eorum post Iulij-forum Ticini sibi Regni sedem statuissent, erant ex his Duces tam in Beneuento quàm & in Spoletio ciuitatibus. Denique Constans Imperator cupiens à Longobardis Italiam eripere, cùm multis diebus Beneuentum cum valida exercitus sui multitudine obsedisset, & verens Grimoaldi Regis aduentum, accepta Romoaldi sorore ab obsidione discessisset. Idem Romoaldus Rex post Beneuentanorum exceptionem Ticinum repedare volens, Trasemundum, qui dudum Capuæ Comes fuerat, data ei in matrimonium alia sorore Romoaldi, filia videlicet sua, apud Spoletum Ducem effecit. Gisulfo enim Foroiulanorum Duce à Cacano Rege Auarorum, qui & Hunni dicti sunt, in bello perempto, frater ipsius Grasulfus constituitur. Quo defuncto, ei in Ducato Ago successit, & hoc mortuo Lupus Dux efficitur, qui plurimas donationes contulit Monasteriis seruorum Dei: sed præcipuè Monasterio beatissimi Vincentij. Hic cùm in prœlio Auatorum diu decertando occubuisset, Guttur vir benignissimus Ducatum suscepit. Isto quoque mortuo, Elander Dux factus est. Post quem Radoald succedit. Grimoaldus verò Rex supradicti Lupi Ducis filiam Theoderandam nomine post mortem patris suo filio Romualdo Beneuentanorum Duci in matrimonium tradidit, ex qua tres filios, Grimoaldum, Gisulfum, & Arichis, genuit. Denique Romoaldus multitudine sui exercitus congregata Tarentum & Brundusium expugnauit, omnémque circa latissimam regionem suo dominio subiugauit. Tunc quoque eius coniux Theoderanda extra muros Beneuentanæ ciuitatis Basilicam in honorem S. Petri Apostoli construxit, & C
multarum ancillarum Dei Cœnobium statuit. Ecclesiam quoque in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ in Loco-sano pari modo ædificauit. Quæ omnia beatissimi Vincentij Martyris Monasterio obtulit sequenti tempore. Cuius oblatio postea à Gisulfo eius filio Duce per Præceptum confirmata est.

PER idem tempus Bulgarum Dux Abzeco nomine cum magno exercitu ad Grimoaldum Regem venit, ei se seruiturum, & in eius patria habitaturum promittens. Quem ille ad Romoaldum dirigens, vt ei cum suo populo loca ad habitandum concederet præcepit. Quos Romoaldus excipiens, speciosa loca tribuit, quæ vsque ad illud tempus deserta erant: scilicet Sepinum, Bouianum, & Yserniam, & alias cum suis territoriis ciuitates. Ipsúmque Abzeconem mutato nomine de Duce Castaldeum vocari præcepit. Qui multis temporibus in his locis habitantes, quanquam Latinè loquerentur, linguæ propriæ vsum non amiserunt.

RODOALDO igitur Foroiulanorum Duce defuncto, Ferdulfus succedit. Quem Coruolus sequitur, & post hunc Pennio Ducatum promeruit. Hoc tem-

A pore Gisulfus Dux Beneuentanorum Soram, Arpinum, Romanorum ciuitates, & Arcipari oppida cepit, & vsque in locum qui Horreas dicitur castrametatus, totam Campaniam deuastauit. Hic multa bona Monasteriis seruorum Dei contulit, sed præcipuè beatissimi Vincentij, & sanctissimi Benedicti. Spoletinorum quoque Duce Trasemundo mortuo, Faroaldus eius filius succedit, qui multa Monasteriis seruorum Dei dona concessit, sed præcipuè Monasterio Farfensi. Sed hic à filio suo Trasemundo captus, & Clericus factus est, cuiúsque locum idem Trasemundus inuasit. Et iste cùm aduersus Liutprandum Regem rebellasset, expulsus Hildericus Ducatum Spoletinorum accepit. Póstque iterum Trasemundus Spoletum rediens, Hildericum extinxit, & Ducatum recepit. At verò Liutprandus Rex Spoletum veniens, in loco ipsius Agiprandum suum nepotem constituit. Pemmonem quoque Foroiulanorum Ducem Ducatu expoliauit, quoniam Patriarcham validissimis tribulationibus afflixit. Filium verò ipsius Rachis pro eo in Ducatu substituit.

IGITVR Longobardorum Gentis Regibus decedentibus, vel succedentibus, vigesimus nonus extabat tunc Aistulfus admodum crudelior omnibus. Hic etenim multas & grauissimas persequutiones populo excitauit Romano. Pro qua persequutione Stephanus II. Papa Apostolicæ Sedis ascitos venerabiles viros, videlicet Annonem Abbatem Monasterij beatissimi Vincentij, & Optatum Monasterij sancti Benedicti in Cassino positi, ad eundem Regem Aistulfum destinauit, B obsecrando, vt à cœpta persecutione cessaret. Ita enim validissimè insistebat, vt vrbem Romam niteretur inuadere obsidione circumdatam, & ex omni populo per vnumquemque singulos aureos expetebat. Sed cùm peruenissent ad eum nuncij, & ea quæ in mandatis acceperant detulissent, honorificè quidem suscepti sunt, sed nihil ab eo de prolatis negotiis pro parte Pontificis obtinere potuerunt. quinimo per aliud iter ad propria remissi sunt Monasteria. Is autem Papa, & Missos PIPINI Regis Francorum, & Legatos Imperiales misit ad eundem Regem pro ablatis vrbibus. Et cùm nihil proficeret, cum eisdem Francorum Missis per Papiam ad Gallias profectus est, & in S. Dionysij Monasterio PIPINVM cum duobus filiis suis CAROLO, & CARLO MAGNO Reges inunxit. Pipinus autem cum exercitu super Papiam aduenit, & obsedit, ac sacramentis à Longobardis acceptis pro reddendis vrbibus ablatis, Galliam repedauit. Post hæc Aistulfus sacramento dirupto nihil de rebus statutis adimplere voluit, sed omnes vrbes Rauennatium & Pantapoleos à dominio Reipublicæ auferens, etiam vrbem secundò vndique circumdans fortiter obsedit. Tunc marino itinere nunciatum est Pipino Regi Francorum, qui sine mora veniens Ticinum obsedit eandem, donec daret idem Aistulfus cum Missis Pipini, qui redderent omnes vrbes beati Petri Vicario. quod & factum est. Pipinus verò via qua venerat rediit. Aistulfus autem post hæc in venatione sagitta percussus mortuus est. Post quem Desiderius cum C filio Aldegiso regnauit annos decem & octo, mensibus duobus, & diebus decem. Hic licèt bello fuerit austerus, tamen plurimis locis Ecclesias construxit, ornauit, atque ditauit rebus ac possessionibus multis. Denique ex iussione Principis Apostolorum Petri Monasterium ædificauit in honorem & vocabulum nominis ipsius in Valle-Tritana iuxta Siler fluuium, cui dotem & possessionem tribuit quidquid continetur in coniunctione duorum fluuiorum, quidquid etiam continetur per Alpes, & colles, qui habentur contra Tritensem & Pinnensem diuisionem, vsque ad montem Sigilla, & à Boreali parte: à Meridiana verò & australi parte quidquid habetur intra Furcunensem Comitatum & fluuium Calidum, atque ad coniunctionem fluminis Piscariæ, & quomodo decurrit ipsa Piscaria vsque ad prædictos fines. Hæc omnia, scilicet Monasterium cum prænominatis finibus, ipse Rex cum sua Regina Ansa nomine donauit, concessit, & confirmauit in venerabili Monasterio pretiosi Martyris Vincentij, vbi tunc sanctus Pater TASO regimine paterno sanctæ Congregationi præerat.

TAMEN quia, sicut præmissum est, prædictus Rex bello austerus erat, & populo Romano diuersas persecutiones inferebat, vrbes quoque ablatas reddere nolebat, vel quia filios CAROLI fratris MAGNI CAROLI cum matre illorum ad se fugientes susceperat, super Papiam Carolus Rex aduenit tempore Adriani Papæ mense Iunio. Quam vndique districtiùs obsidens coartabat cum Francis,

CAROLVS MAGNVS. Alemannis, Burgundionibus, Saxonibus, aliarúmque Gentium multitudine, cepitque eam cum Rege atque multitudine nobilium Longobardorum. A

PRÆDICTVM verò Regem & eius coniugem in Franciam postmodum asportauit. Cuius filiam idem Carolus in coniugem sociauit. Et veniens Romam, reddidit omnia quæ pater eius Pipinus dederat beato Petro, ciuitates & territoria per designata confinia à Lunis cum Insula Corsica, inde in Surianum, inde in montem Pardonem, inde in Vercetum, inde in Parma, inde in Regium, inde in Mantuam, & Montem-Silicis, vniuersum Exarchatum Rauennæ cum Prouinciis Venetiarum & Histriæ, adiuncto Ducato Beneuentano & Spoletino. In quo videlicet Ducatu Spoletinorum post Agiprandum Dux fuerat constitutus Hildeprandus vir omninò Catholicus, qui multa dona Monasteriis seruorum Dei contulit, sed præcipuè Monasterio beatissimi Vincentij.

IGITVR capta Papia, & subiugata sibi Italia, Rex CAROLVS coronam Romani Imperij accipiens, filios suos Pipinum & Hludouicum Reges constituit, cum quibus crebriùs Beneuentum adiit capescendam. Quo tempore Arichis gener iam fati Desiderij Regis, Beneuenti Dux erat. Qui ciuium saluti consulens, datis duobus liberis vice pignoris, cum illis pactus est. Cum quibus coronam auream, & maximam thesaurorum partem tribuit. Quibus recedentibus, prædictus Arichis illorum metus occasione iuxta Beneuenti mœnia ciuitatem nouam construxit. Sed & vrbem munitissimam .... conditam Salernum restaurauit. Templum etiam opulentissimum Domino infra Beneuenti mœnia condidit, quod sanctam Sapientiam nominauit, & Monasterium Puellare statuens sub iure beatissimi tradidit Benedicti. Pari quoque modo in territorio Aiphano Ecclesiam Domini Saluatoris construxit, & Monasterium Sanctimonialium instituens ditioni subdidit pretiosi Martyris Vincentij: vbi etiam alias multas hereditates & possessiones contulit tam in planis quàm in montanis. B

HOC tempore Imperator CAROLVS confirmauit suo Imperiali Præcepto in eodem venerabili Monasterio beatissimi Vincentij quæcumque Aistulfus & Desiderius Reges Longobardorum, Gisulfus, Lupus, Hildeprandus, vel reliqui Duces contulerant. Prædictum verò Monasterium cum omnibus suis pertinentiis sub suæ tuitionis munburdum decreuit omni tempore permanere: adiiciens illi plurima dona, & hereditates.

DEFVNCTO dehinc Arichis apud Beneuentum, Beneuentanorum precibus Grimoaldus à Carolo receptus reuocatur, & paternum ipse suscepit Ducatum. Iste multa dona Ecclesiis & Monasteriis seruorum Dei contulit: sed præcipuè beatissimi Vincentij. Grimoaldo verò mortuo, alter Grimoaldus exadelfus ei succedit, & hoc decedente Sico subrogatur.

PER idem tempus CAROLVS Imperator Regni iura feliciter moderatus per annos quinquaginta nouem, HLVDOVICO, filio Cæsare constituto, humanis rebus exemptus est. Beneuenti verò Sicone defuncto, Sicardus eius filius succedit. Hic multa dona Monasteriis seruorum Dei contulit, sed præcipuè beatissimi Vincentij. C

HIS diebus Monasteria S. Martini & sanctæ Crucis in Monte Marsico à Beneuentanis commutata sunt in Monasterio beatissimi Vincentij, pro quibus Ecclesias SS. Lupuli & Zosioni, castrum quoque quod dicitur Cerbinaria in Caudetanis acceperunt. Decedente ergo ab hac luce Sicardo, Redelgisus substituitur, & isto obeunte Redelgarius præficitur.

INTER hæc mortuo HLVDOVICO Augusto, qui Almus dictus est, LOTHARIVS eius filius Regni hæres effectus est. Lothario quoque mortuo, primogenitus eius filius HLVDOVICVS nomine regnàuit in Italia.

PER idem tempus Agareni Barim ciuitatem incolentes, qui pridem à Pandone eiusdem ciuitatis Castaldeo ibidem inuitati fuerant, bellum agentes contra Sigenolfum Principem Salerni, cœperunt deuastantes stirpitus deprædari totam Apuliam, Calabriámque: ac pedetentim Salernum, Beneuentum quoque depopulare intrarunt. Tunc lamentabili supplicatione suggestum est piissimo Augusto HLVDOVICO per Bassacium Abbatem S. Benedicti & Iacobum Abbatem beati Vincentij, vt properare quantociùs dignaretur, & suo aduentu populum Christianum misericorditer liberaret. Motus itaque Imperator clementissimus

A tam istorum precibus, quàm & aliorum querimoniis, maximéque Capuanorum, sine mora cum incredibili multitudine Barim perrexit. Sed præ omnibus obliti Capuani suæ sponsionis, quam per venerabiles viros Iacobum & Bassacium Abbates sanctorum Vincentij & Benedicti Imperatori direxerunt, in vrbibus se recondentes, Landulfum tamen Antistitem sua vice illuc destinarunt. Videns autem supradictus Cæsar illorum fallaciam, & se nihil proficere, absque emolumento recedens abiit. Concesso Principatu Salernitano Ademaro illustri viro & forti, Sigenolfum exulem fecit. Quarto igitur Principatus sui anno Radelgarius obiit Beneuenti. Cui successit Germanus eius nomine Adelgis omni bonitate deformis, sed quod peius est, Prouincia in multis diuisa, ad exitum magis quàm ad salutem de die in diem à malis damnatoribus ducebat.

INTER hæc Sangdam nequissimus ac sceleratissimus Rex Ismaëlitarum totam terram Beneuentanam igne, gladio & captiuitate crudeliter deuastabat: ita vt non remaneret in ea habitus. Quamobrem & Gallorum exercitus crebriùs adueniens ob eorum efferitatem comprimendam, sed nihil proficiens, via qua venerat repedabat. Vnde factum est, vt Adelgis Beneuenti Princeps, data pensione, & obsidibus, pacem cum eo firmaret. Quo tempore Magelpertus Telesenus, & Vuandelpertus Bouianensis Castaldei multa cum prece conduxerunt LANDBERTVM Ducem Spoletinorum, & Geraudum Comitem Marsorum, obuiantes eidem Sangdam, cùm de Capuæ depopulatione reuerterentur, in Aruium tellure B irruerunt super eum. Sed exurgens Sangdam, super Beneuentanos & Francos fortiter se iniecit, nonnullos cepit, & fortiter extinxit. Geraudus verò Comes, & Magelpertus, & Vuandelpertus, in eadem acie occubuerunt. Qua de re audaciam ex illa die potiorem sumens, Beneuenti confinia funditus deleuit: ita vt nullus locus præter vrbes præcipuas eius feritatem euaderet. Quibus diebus Telesiam, Aliphas, Sepinum, Bouianum, & Hiserniam, castrum quoque Benafranum cepit, funditúsque deleuit.

MONASTERIVM verò pretiosi Martyris Vincentij, quod quidem à piissimo Augusto HLVDOVICO, filio videlicet Augusti CAROLI, miro amore, præcipuo labore, pulchróque decore, cum sanctissimo Deóque dignissimo eiusdem Abbate Iosue maximis ædificiis renouatum, præcipuis quoque tunc Italiæ Monasteriis præcellebat, ab eodem nequissimo Sangdam omninò deprædatum est, & pro ædificiis non combustis tria millia aureorum accepit, totidem à beati Benedicti Vicario acceptis. Inuitatus dehinc Hludouicus Cæsar in.... à Beneuentanis, & Capuanis, cunctísque commarchianis ad tuitionem prædictæ patriæ, Beneuenti fines per Soram ingreditur, ac priùs ad Monasterium beati Benedicti applicuit. Quò ad eum Legati de diuersis vrbibus venerunt, inter quos etiam Landulfus Capuanus affuit cum suis. Is igitur ad solitas vergens fallacias, Capuanos, quos Cæsari præsentauerat, fugere compulit. Ipse solus cum eo remanens, quasi C nihil culpabile penes eum egisset. Sed Augustus hæc pro nihilo ducens adiit Capuam, obsessámque tribus mensibus funditus deleuit. Ciues autem cùm nullum ab eo placitum habere potuissent, LAMBERTO Comiti illius se tradiderunt: putantes se rectiùs facere, pessimè corruerunt. Vnde postea pro nihilo ducti, omni ferè mense diuersis Iudicibus dabantur in prædam. Hoc iam peracto, à Guaiferio sine omni sponsione priùs Salerni, & sic demum ab Aldegiso Beneuenti exceptus est.

SEQVENTI autem anno multis fultus auxiliatoribus Barim perrexit, ac cum sæpedicto Sangdam Augustalis exercitus pugnam commisit. A quibus exuperatus, aufugit, amissa non modica parte sui exercitus. Dehinc omnia eorum sata circumquaque comburens Materem adiit, quam sine mora igne cepit. Tunc venit Venusiam, castrametatúsque in ea, cœpit renouare, & Barim hinc inde grauiter expugnans demolitus est, positóque præsidio pugnatorum in Canusia præcipuè eos cornibus ventilabat. Quo tempore perculsi multi ad Augustalem confugientes clementiam, dari sibi petebant dextras. Quibus solitam misericordiam non negauit. Post hæc iterum itum est Orientanam in vrbem. Sicque reuersus est Beneuentum, atque annuente sibi dextera superna, cùm iam ad extremitatem maximam peruenissent Sarraceni, misso exercitu Barim cepit, capto in ea Sangdane Effert Rege cum aliis satellibus eius. Deinde Tarentum obsidere iuſ-

LVDOVICVS II. sit. Quibus ita patratis, cœperunt Galli instinctu Diaboli diuersis modis Beneuentanos persequi, & crudeliter vexare. Qua de re Adelgisus Princeps aduersus HLVDOVICVM Augustum erectus cum suis infra Beneuenti mœnia securè quiescentem, actu doloso summum Beneuentanæ Prouinciæ saluatorem comprehendit, & custodiis mancipauit, bonáque eius diripuit. Cunctos quoque viros exercitales spolians, fugere compulit, & de exuuiis eorum onustatus est. Consistente verò Augusto in custodiam, excitauit Deus spiritum Ismaëlitarum, eósque ab Africana regione protinus euexit, vt vlciscerentur opprobrium Augusti. Absolutus autem, Deo iubente, Cæsar magnificus, statim Sarraceni Salernum applicuerunt quasi triginta millia. Quam grauiter obsidentes forinsecus, stirpitus deleuerunt, occisis in ea innumerabilibus colonis. Et depopulati sunt ex parte Neapolim, Beneuentum, & Capuam. Quo tempore ambo LAMBERTI Comites Augusti furorem metuentes, Beneuentum recesserunt, & ab Adelgiso honorificè suscepti sunt. Quorum auxilio fretus super Sarracenorum scaram irruit, & viriliter strauit, occisis ex eis penè tribus millibus viris. Quibus etiam diebus Capuani mille ex eis peremerunt. Cúmque hac obsidione prope terminaretur, annuo misso exercitu iamdictus Augustus peremit ex profanis Capuæ nouem millia virorum. Posthæc per semetipsum dignatus est Capuam aduenire. Cuius aduentu cognito Sarraceni Salernum relinquentes, Calabriam adeunt, eámque inter se diuisam reperientes funditus depopularunt. A B

HLVDOVICVS autem Imperator volens Beneuentum acquirere, sed non valens, ad propria recessit: coniugem suam & filiam Capuæ relinquens. Dehinc Augusta Rauennam pergens, prole Capuæ dimissa, non post multum Imperator diuæ memoriæ diem clausit extremum. Cuius mortis indicio stella sicut facula ardere visa est post Septentrionem, septimo die Iunij mensis. Et tunc idem Imperator defunctus est tertio-decimo die mensis Augusti.

RECEPTIS deinde viribus Sarraceni in Tarentum, quos penè captos reliquerat Augustus, cœperunt Barim & Cumense territorium deprædari. Quibus occurrit Adelgis in finibus Apuliæ. Sed nihil præualens inuictus, & triumphator abscessit. Quo tempore Athmannus, qui à Sangdan exul fuerat ab Africa, cum Annoso veniens Tarentum intrauit, & Rex effectus est. Egressúsque Beneuentum grauiter deprædauit, tantámque victoriam adeptus est, vt Sangdan potestate ab Adelgiso recolligeret. Nam Annosum & Abdelbach ante Apocrisarios miserat. Hoc audientes, qui Barim residebant, Gregorium Baiolum Imperialem Græcorum, qui tunc in Ydronto degebat, cum multis exercitibus ob Sarracenorum metum Barim introduxerunt. Qui statim apprehensum Castaldeum, illiúsque Primores Constantinopolim misit, quibus iureiurando fidem dederat.

INTEREA ipsi Græci crebriùs Legatos cum schedis Beneuentum, Salernum, & Capuam dirigebant: vt auxiliarentur contra Sarracenos. Sed hi vno consilio eorum spernebant deprecatores.

TVNC Salerno, Neapoli, & Gaieta, pacem habentibus cum Sarracenis naualibus, Romam grauis coangustabat depopulatio. Sed cùm CAROLVS filius Iudittæ Romæ sceptrum insignem suscepisset, LAMBERTVM Ducem & GVIDONEM germanum illius Ioanni Papæ dedit in adiutorium, cum quibus Neapolim & Capuam profectus est. Sergius verò Magister militum consilio Adelgisi, & Lamberti deceptus, noluit se alienare ab inimicis. Qui statim anathematizatus est. Vnde contigit, vt apprehensos viginti quinque Neapolitas milites decollari faceret. Quo etiam anathemate mulctatus est Sergius idem, & non post multum à germano proprio captus, missus est Romam. Ibique suffossis oculis miserabiliter vitam finiuit. Ipse autem frater eius Athanasius in loco illius seipsum Principem constituit. C

ADELGIS verò dum castrum Triuensem in obsidem caperet, ad propriam remeans vrbem, à generis, nepotibus, & amicis in via non longè ab vrbe interfectus est, anno Principatus sui mediante vigesimo quinto: & in loco eius Gaiderius filius Radelgarij constitutus est.

PER idem tempus Athanasius Præsul Neapoli militum Magister præerat. Hic cum Sarracenis pacem iniens, ac illos priùs intro portas æquoreas & vrbis murum collocans, omnem terram Beneuentanam, simúlque Romanam, necnon & partem

A tem Spoleti, cunctáque Monasteria & Ecclesias, vrbes & oppida, vicos, montes & colles, insulásque deprædarunt. Tunc, heu, proh dolor! profana Gens in vltionem peccatorum diuino iudicio debacchans, sanctuaria diuinis cultibus consecrata sine aliquo metu conculcantes, pro nihilo ducebant. Omnis ætas, omnis sexus sine aliqua miseratione continuè necabantur, nec erat qui posset eripere pereuntes, vel aliquod probare solamen. Quoniam sicut scriptum est: *Gladius vindex Domini manducabat carnes.* Qualis tunc miseria, & tribulatio Christianorum populos obtinuerat, quis considerare valeat? Videres vrbes desertas, Ecclesias subuersas, omnémque terram Christianorum sanguine conspersam. Nec erat fugæ latibulum, quoniam per montes & colles simile versabatur excidium. Putabant homines iam tunc Mundi finem appropinquasse, nisi quòd signa quædam ex Euangelio prædicta adhuc minimè videbant. Tamen Mundi finis in his iam decurrebat. Etenim & scribimus quæ in antiquis inuenimus voluminibus, & veterum probata ratio tradidit seniorum. Cùm nefanda Gens Agarenorum ceteras terrarum partes deprædantes, incendentes, ac subuertentes, consummarent, tum de profana turba impiorum, cuius manus sunt contra omnes, nec dum humano sanguine satiata, omnibus bestiis atrociores, ad pretiosi Martyris Vincentij sacrum Cœnobium furibunda procedit. Moris tunc erat Monachorum vtriusque Cœnobij beatissimi Vincentij & sanctissimi Benedicti, charitatis gratia se inuicem B sedulè visitare. Cùm igitur die quadam ad prædictum Cœnobium Fratres quidam Monasterij Cassinensis de more abissent, & de suo ad inuicem Ordine loquerentur, repentè illuc Sangdam sæuissimus cum suis satellitibus superuenit. Cuius Monachi rumore comperto, qui aduenerant ad castellum ipsius Monasterij proximum maturato cursu nimis licèt pauidi, incolumes tamen aufugerunt. Quod vbi à Dei seruis auditum est in Monasterio, illicò omnem Ecclesiæ thesaurum absconderunt. Ipsi verò non timore territi, sed constantes atque intrepidi, inuicem se cohortantes, paucis tamen relictis senioribus ætate & vita venerabilibus ad Ecclesiæ numina, reliqui omnes cum subiectis sibi famulis obuiam procedunt venientibus Ethnicis.

In loco igitur iuxta pontem, qui Maroneus dicitur, pariter conuenerunt iter, quo ad Monasterium peruenirent. Illis ergo ex vna parte, & istis ex altera consistentibus, valde pugna inter vtrosque cœpit, dum aduersæ partis hostes inualidi redderentur. Etenim non erat illis leue transitum habere per istos. Lapidibus quippe, vel quibuslibet armis ad manum inuentis, pellebant procul tyrannos condensa silua, & nostrorum subleuare lacertos.

Qvid diu moror referre crimina dira, plebeia manus quæ gessit fronte iniqua? Quidam enim ex seruis sacri Monasterij videntes se immenso certamine fatigari, & quia diuina gratia protegente nulla dabatur facultas transeundi hostiC bus, magísque Tyrannorum acies acriùs prosternebatur, Dominos suos deserentes clam se subduxerunt; illísque in aciem derelictis, Sarracenorum Regem adierunt, & libertatem cum vita ab eo postulantes, maioris lucri victoriæque potioris euentum se posse ferre dixerunt. Mox ille gauisus seruorum animos donis aureis, & mortiferis suasionibus oblectans, incitat explere promissa. Sponsione ergo accepta, & inito fœdere, mali malorum Duces effecti, Dominis illorum nescientibus, verso itinere pars maxima pugnatorum subitò ex aduerso super sacrum Monasterium irruerunt, eúmque vndique circumdantes ignibus combusserunt, sanctos & seniores quos ibidem inuenerunt gladiis necauerunt. Extat igitur sanctorum sanguis Monachorum pro Christo effusus, euidentia indicia hodiéque demonstrans, illitis vel aspersis eiusdem Ecclesiæ parietum & pauimentorum saxis ac lapidibus. Nec mora post hæc flammarum globis alta astrorum sidera rutilantibus, qui bello affusi prolixo diei spatio legitimo certamine desudauerant, vt conspexerunt agnoscunt se proditos fore, móxque istorum aciem hinc redeuntium à tergo opperiuntur. Quibus versa facie dum resistere vellent, inter medias acies sunt simul admixti, grauísque contra istos pugna iactura decurrit. At vbi concito gradu illis insequentibus, & istis contraire nitentibus, telluris locum aliquanto spatio planitiem obtendunt. Quare ex detruncatis ibi corporibus hactenus incolæ vocant. Omnium tela contra istos vertuntur: & concurrentibus cunctis, iam fessis artubus non ampliùs resistere possunt. Ruunt inter carni-

ficum ictus. Et quamuis ex eis Ethnici plurimi sint prostrati, tamen ex istis pauci superstites remanserunt. Sed melius multis fuit occisis gladio quàm in captiuitate ductis. Denique peracta cæde, cùm in vnum conuenissent, seruorum indicio fodientes hinc atque illinc vniuersum Ecclesiæ thesaurum receperunt, quem illorum pauore serui Dei iampridem absconderant: & illum sibi in prædam diuidentes, cuncta vastauerunt, plurima fregerunt, frumenta & legumina in fluuium qui secus effluit dispersserunt. Et cùm iam post laborem & triumphum exultantes discumberent, bibebat ille nefandissimus Sangdam in sacris calicibus, & cum thurribulis aureis sibi thurificari iubebat. Facta est hæc cædes beatorum Monachorum decimo die mensis Octobris, feria tertia. Ab ædificatione verò ipsius Monasterij iam ierat annus centesimus sexagesimus quintus. -- ⁖ A

EX LIBRO IV.

TRANSACTIS ergo non paucis diebus, supradictus Maio cum aliquantis Fratribus, qui à facie Agarenorum fugierant, veniens Capuam ad piissimos Principes Atenulfum & Landulfum, intimauit eis desolationem sui Monasterij. Ipsi quippe, id est pater & filius, tunc Beneuenti, & Capuæ pariter principabantur. B Nam Gaiderio annis duobus, mensibus sex, diebus decem & nouem Beneuenti exactis, Radelchis filius Radelchis successit. Et hic annis tribus, mensibus octo, diebus viginti & vno expletis, Aioni Principatum reliquit. Quo similiter decedente post annos septem, Vrsus Principatus sedem suscepit. Et hic non amplius quàm vnius anni spatio administrato, Subbaticius Straticos cum valida Græcorum manu adueniens Beneuentum cepit. Cuius dominium cùm annis tribus, mensibus nouem, & diebus viginti, exegisset, Georgius Patricius ei successor extitit. Post Georgium verò sequitur Barsacius Patricius. Adueniente autem Guidone Duce & Marchione in auxilium Beneuentanis, Græci inde misertimè sunt expulsi, & in Græcias redire compulsi. Dehinc Guido Dux præfuit annis duobus, mensibus sex. Et iterum Radelchis annis duobus, & dimidio. Quo expulso, Athenulfus, qui præerat Capuæ, Comes à Beneuentanis inuitatus, Princeps constituitur, anno quinquagesimo primo postquam Capua ædificata est. Qui post annum vnum Landulfum filium suum secum principari constituit, cum quo præfuit annis decem, & mensibus quinque. Ergo tam Princeps quàm & ciues Capuanæ vrbis nimio pro desolatione prædicta mœrore afflicti, inito pietatis consilio, pro Dei amore, pro redemptione animarum suarum, suorúmque ciuium salute, dederunt Abbati & Fratribus Presam intus Capuanam ciuitatem, vt ibidem construerent Monasterium in honore beatissimi Vincentij. Quod vt potuerunt aliquantulum ædificare cœperunt. Pro cuius ædificio, vel suæ paupertatis grauissima necessitate, C pariterque eorum, qui adhuc à Sarracenis captiui tenebantur, redemptione, multa prædia & possessiones pariter quibusdam libellario ordine tradiderunt.

HIS temporibus visæ sunt sagittæ volitare per aëra, & in terram cadere. Tunc Vngri in Apuliam venerunt. HVGO Rex Longobardiæ Romam venit, sed turpiter rediit. Ioannes sanctæ Romanæ Ecclesiæ inuasor, qui fuit Archiepiscopus Rauennas, ab omni populo Romano deponitur. Leo Papa VI. constituitur, & post hunc Stephanus septimus. -- ⁖

» HVGO & Lotharius prouidente clementia Reges -- ⁖ Gisseprandus Camerarius ad vicem Roionis Episcopi Archicancellarij recognouit. Dat. XIII. Kalend. Aug. anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLI. Regni verò Domini Vgonis piissimi Regis XV. Lotharij X. Indictione XIV. Actum in Campania iuxta oppidum Romaniæ feliciter, amen.

» IN nomine Domini Dei æterni. BERENGARIVS & ADELBERTVS diuina prouidente clementia Reges. Si iustis petitionibus nostrorum fidelium aures inclinamus, ad statum Regni nostri proficere nequaquam ambigimus. Quocirca omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorúmque, præsentium scilicet ac futurorum, vniuersitas nouerit, qualiter quidam Abbas nomine Leo Cœnobij

A Christi Martyris Vincentij sito in finibus Beneuentanis nostram adiens Celsitudinem, detulit nobis Praecepta praedecessorum nostrorum Imperatorum, Regum, & parentum nostrorum, videlicet Desiderij, Caroli, Ludouici, atque Lotharij, & Hugonis, & Lotharij: per quae contulerunt ex suis rebus in praefatum Monasterium, ac confirmauerunt res, & possessiones ibi à Principibus, Ducibus, reliquisque fidelibus collatas. Signum Dominorum Berengarij & Adelberti Regum. Hubertus Cancellarius ad vicem Bruningi Episcopi & Archicancellarij recognoui & subscripsi. Data VI. Kal. Octobris, anno Dominicae Incarnationis DCCCCLI. regni verò Domini Berengarij atque Adelberti piissimorum Regum I. Indictione X. Actum in Plebe S. Martini in Dei nomine feliciter, amen.

PROFECTVS autem venerabilis Pater Paulus ad Ottonem Imperatorem seniorem, Praeceptum ab eo petiit, & accepit inclitum. Tunc etiam Monasterio beati Benedicti aliud detulit Praeceptum, rogatus ab Aligerno ipsius Monasterij venerabili Abbate. Et cùm in Regia Aula satis Christianissimo Imperatori acceptissimus haberetur, facilè quae poscebat impetrare valebat. Vnde & pro diuersis Monasterij possessionibus longè latéque recolligendis alia sub eodem tempore Praecepta obtinuit.

HOC denique tempore Otto Imperator Romam venit, & à quinto Gregorio Papa coronam Imperij accepit, & cum Sarracenis bellum fecit. Facta victoria Romam rediit, Ecclesiis Dei plurima bona restituit.

B HOC tempore Landenolfus Princeps occisus est à Longobardis intus ciuitate Capua, & ipsa ciuitas magna pestilentia afflicta est, vt vix tertia pars populi in ea remaneret. Luna obscuratur, fame & terraemotu tota Italia dolet. HVGO Marchio Capuam obsedit, quam clandestino consilio capere quaerit. In quo consilio fuerunt Ysimbardus Archiepiscopus, Roffridus Abbas inter procellas & turbines in eodem Monasterio fugiit per ipsum fluuium Vulturnum. Hugo verò Marchio cum suis Comitibus citò discessit. Tunc surrexit quidam filius irae & maledictionis, qui dicebatur Coppari de S. Benedicto, & mercatus pretio praedictum Coenobium, obtinuit per decem menses: multáque praedia, seruos & ancillas distraxit malignè. Monachi verò in tantis tribulationibus gementes, Monasterium reliquerunt, & erant sicut oues non habentes Pastorem. In his diebus OTTO tertius Romam veniens, coronatus est Imperator. Ad quem beatus Abbas Roffridus profectus, & honorificè susceptus, omnem sui Monasterij querelam exponit.

HIC etiam plures hereditates huius Monasterij recollegit. Obiit II. Kalend. Decembris anno Dominicae Incarnationis M. XI. Indict. IX. Otto III. Imperator obiit. ENRICVS Dux consobrinus eius fit Rex. Hoc tempore Monasterium S. Trinitatis apud Salernum à tribus Heremitis inhabitari coepit.

DENIQVE hoc tempore Henricus Imperator Romam venit, & de manu Benedicti VIII. Papae Imperij coronam accepit: ac cùm Apuliae fines peragraret Beneuentum venit.

C MORTVO igitur Henrico Imperatore pio, CONRADVS nepos eius factus est Imperator. Hic Romam veniens, coronam accepit à Benedicto Papa IX. Inde Capuam ingreditur, vbi eo residente, venerabilis Abbas Hilarius ad eum venit.

INTER haec Normandi Italiam venientes cum Melo Duce, Apuliam expugnare coeperunt. ENRICVS Imperator Italiam venit, & super Troioe. Pandulfum verò Princ. Capuanum, quia multas tribulationes intulerat Monasterio beati Vincentij & S. Benedicti, Vinetum secum portauit vltra montes, Pandolfum Principem constituens Comitem Teanensem. Mortuo verò Henrico Imperatore Pandulfus de custodia fugiens Capuam reuertitur. Sed cùm à Capuanis non reciperetur, venit in Montanis istis, & vndecumque sibi posset collegit milites, qui adiuuarent eum. Iam tunc ij, qui dicebantur filij quondam Borelli, coeperant habitare iuxta Sangrũ fluuium. Habuerant & isti originem ex Baluensi Comitatu. Quibus iunctus multa dona quae non debebat promittens, die quadam incumbentibus tenebris aggressi sunt muros Monasterij huius, & Fratres exterriti omnes dispersi sunt. Illi verò Monasterium omne depraedantes epulabantur per aliquot dies. Tunc venerabilis Abbas HILARIVS hoc audito, Capuae magnis precibus à domino Guaimario Principe obtinuit, qui direxit illuc Rainulfum Comitem,

conductis Normandis & Capuanis. Quibus cum prædicto Abbate venientibus, A præfati sacrilegi raptores fugati & dispersi sunt. Non certè contigerat huic Monasterio similis tribulatio tempore Sarracenorum. CONRADVS Rex Italiam venit, & Romæ coronam accepit. Iste Capuam veniens, prædictum Pandulfum iterum exiliauit, & illustrem virum Guaimarium Capuæ & Salerni Principem ordinauit, qui multa Bona Ecclesiis Dei contulit.

GVAIMARIVS Princeps, & Bonifacius Marchio interficiuntur.

SANCTVS Leo Papa IX. cum Normandis dimicauit iuxta ciuitatem Beneuentum. Ab hoc quoque tempore Normandi Capuam obsidentes, finitima quæque acriter deuastare cœperunt.

HOC tempore DESIDERIVS Abbas cœpit renouare Monasterium S. Benedicti in Cassino. Domnus Nicolaus Papa obiit, & domnus Alexander constitutus est anno Incarnationis Dominicæ MLXXI. Richardus Capuam intrauit, & primus ex Normandis illic factus Princeps est ROBERTVS.

Hucusque Chronicon Cœnobij S. Vincentij prope Vulturnum fluuium.

EPISTOLARVM VOLVMEN,

QVAS ROMANI PONTIFICES GREGOR. III. STEPHANVS III. ZACHARIAS I, PAVLVS I. STEPHANVS IV. ADRIANVS I. ET CONSTANTINVS MISERVNT AD PRINCIPES ET REGES FRANCORVM, CAROLVM MARTELLVM, PIPINVM, ET CAROLVM MAGNVM.

Olim ſtudio & curâ ipſius CAROLI MAGNI collectum, ac primùm tandem publici iuris factum à IACOBO GRETSERO Societatis Ieſu Theologo.

INSCRIPTIO CODICIS MEMBRANACEI venerandæ vetustatis.

REGNANTE *in perpetuum Domino & Saluatore nostro* IESV CHRISTO. *Anno Incarnationis eiusdem Domini nostri* DCCXCI. *Carolus excellentissimus, & à Deo electus Rex Francorum & Langobardorum, ac Patricius Romanorum, anno felicissimo regni ipsius* XXIII. *diuino nutu inspiratus; sicut ante omnes, qui ante eum fuerunt, sapientia & prudentia eminet, ita in hoc Opere vtilissimum sui operis instruxit ingenium, vt vniuersas Epistolas, quæ tempore bonæ memoriæ domni Caroli, aui sui, necnon & gloriosi genitoris sui Pipini, suisque temporibus, de summa Sede Apostolica beati Petri Apostolorum Principis, seu etiam de Imperio ad eos directæ esse noscuntur, eò quòd nimia vetustate, & per incuriam iam ex parte dirutas atque deletas conspexerat, denuò memorabilibus membranis summo cum certamine renouare ac rescribere decreuit.*

INCIPIENS *igitur, vt suprà diximus, à principatu præfati Principis Caroli, aui sui, vsque præsens tempus, ita omnia exarans, vt nullum penitus testimonium sanctæ Ecclesiæ profuturum suis deesse successoribus videatur, vt scriptum est:* Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, *&c.*

A

EPISTOLAE SVMMORVM PONTIFICVM AD PRINCIPES ET REGES FRANCORVM.

B

Epistola GREGORII *Pontificis ad* CAROLVM MARTELLVM.

Iniit Pontificatum anno Christi 731. mortuus 741.

I.

DOMNO *excellentissimo filio* CAROLO *Subregulo*, GREGORIVS *Papa*. NIMIA fluctuamur tribulatione, & lacrymæ die noctúque ab oculis nostris non deficiunt, quando conspicimus cotidie, & vndique Ecclesiam sanctam Dei à suis, in quibus spes erat vindicandi, destitui filiis. Propterea coartari dolore in gemitu & luctu consistimus, dum cernimus id, quod modicum remanserat præterito anno pro subsidio & alimento pauperum Christi, seu luminariorum concinnatione, in partibus Rauennatium, nunc gladio & igni cuncta consumi à Luithprando & Hilprando Regibus Langobardorum: sed in istis partibus Romanis mittentes * plura exercita similia nobis fecerunt & faciunt, & omnes * salas sancti Petri destruxerunt, & peculia, quæ remanserant, abstulerunt, & nulla nobis apud te, excellentissime fili, refugium facientibus peruenit hactenus consolatio; sed vt conspicimus, dum indultum à vobis eisdem Regibus est motiones faciendi, quòd eorum falsa suggestio plusquam nostra veritas apud vos recepta est; & timemus, ne tibi respiciat ad peccatum; quando nunc, vbi resident ipsi Reges, ad exprobrationem nostram ita proferunt verba dicentes: Adueniat Carolus, apud quem refugium fecistis, & * exercita Francorum, & si valent, adiuuent vos, & eruant de manu nostra.

Exstat apud Baron. Tom. 9. anno 740. num. 10. & Cent. 8. Magdeb. Cap. 10.

* plures exercitus.

* Baron. scalas.

C

* exercitus

O quàm insanabilis dolor pro his exprobrationibus in nostro retinetur pectore, dum tales ac tanti filij, suam spiritualem matrem, sanctam Dei Ecclesiam, eiúsque populum peculiarem, non conantur defendere! Potens est, carissime fili, ipse Princeps Apostolorum, ob à Domino sibi concessam potestatem, defendere domum, & populum peculiarem, atque de inimicis dare vindictam, sed fidelium filiorum mentes probat. Non credas, fili, falsidicis suggestionibus ac suasionibus eorumdem Regum. Omnia enim falsò tibi suggerunt, scribentes circumuentiones, quòd quasi aliquam culpam commissam habeant eorum Duces, id est, Spoletinus & Beneuentanus. Sed omnia mendacia sunt. Non enim pro alio, (satisfaciat tibi veritas, fili) eosdem Duces persequuntur capitulo, nisi pro eo, quòd noluerunt præterito anno de suis partibus super nos irruere; &, sicut illi fecerunt, res sanctorum Apostolorum destruere, & peculiarem populum deprædare: ita dicentes ipsi Duces, quia contra Ecclesiam sanctam Dei, eiúsque populum peculiarem non exercitamus: quoniam & pactum cum eis habemus, & ex ipsa Ecclesia fidem accepimus; ideóque mucro eorum desæuit contra eos. Nam ipsi prædicti Duces parati fuerunt, & sunt, secundum antiquam consuetudinem eis obe-

CAROLVS MARTELLVS. dire, sed illi retinentes iram pro eo quod superius diximus, per exquisitam occasionem volentes illos & nos destruere & inuadere; ideò vtrosque persequentes vestræ bonitati suggerunt falsa, vt & Duces illos nobilissimos degradent, & suos ibidem prauos ordinent Duces, & multò ampliùs cotidie & ex omni parte Dei Ecclesiam expugnent, & res beati Petri Principis Apostolorum dissipent, atque populum peculiarem captiuent. A

* Baron. penitus. TAMEN vt rei veritas vobis * declaretur, Christianissime fili, iubeas, post ipsorum Regum ad propria reuersionem, tuum fidelissimum Missum, qui non à præmiis corrumpatur, dirigere, vt propriis oculis persecutionem nostram, & Dei Ecclesiæ humiliationem, & eius rerum desolationem, & peregrinorum lacrymas * conspiciat, & tuæ bonitati omnia pandat. Sed hortamur bonitatem tuam coram Domino, & eius terribili iudicio, Christianissime fili, vt propter Dominum & animæ tuæ salutem, subuenias Ecclesiæ S. Petri, & eius peculiari populo, eosdémque Reges sub nimia celeritate refutes, & à nobis repellas, & iubeas eos ad propria reuerti Non despicias deprecationem meam, neque claudas aures tuas à postulatione mea. Sic non tibi ipse Princeps Apostolorum claudat cœlestia regna.

* Bar. conspicietur, & tuæ deuotioni omnia pandantur.

* Bar. per Deum. CONIVRO te * in Dominum viuum & verum, & ipsas sacratissimas claues Confessionis beati Petri, quas vobis ad Regnum dimisimus, vt non præponas amicitiam Regum Langobardorum amori Principis Apostolorum, sed velociùs & sub nimia festinatione sentiamus, post Deum, tuam consolationem, ad nostram defensionem, vt in omnibus gentibus declaretur vestra fides, & bonum nomen: quatenus & nos cum Propheta mereamur dicere, *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob.* Harum autem litterarum portitor, * Anchard vester fidelis, quod oculis suis vidit, & nos ei iniunximus, omnia tuæ benignæ excellentiæ viua voce enarrabit. Et petimus bonitatem tuam coram Deo teste & iudice, vt nimis festinanter nostros lenias dolores, & lætabunda nobis celeriter mittes nuncia, vt læti effecti animo, die noctúque pro te tuísque fidelibus, coram sacris sanctorum Principum Apostolorum Petri & Pauli Confessionibus Domino fundamus preces. B

Psal. 19.

* Bar. Antchardus, & *in marg.* Authardus.

Item Epistola GREGORII *secunda ad* CAROLVM *missa similiter pro defensione sanctæ Ecclesiæ.*

II.

Extat Cent. 8. Magdeb. Cap. 10. DOMNO *excellentissimo filio* CAROLO *Subregulo*, GREGORIVS *Papa*. OB nimium dolorem cordis & lacrymas, iterata vice tuæ excellentiæ necessarium duximus scribendum, confidentes te esse amatorem filium beati Petri Principis Apostolorum, & nostrum; & quòd pro eius reuerentia nostris obedias mandatis, ad defendendam Ecclesiam Dei, & peculiarem populum, qui iam persecutionem & oppressionem Gentis Langobardorum sufferre non possumus. Omnia enim luminaria ad ipsius Principis Apostolorum, & quæ à vestris parentibus, & à vobis * offerta sunt, ipsi abstulerunt: & quoniam ad te, post Dominum, confugium fecimus, propterea nos ipsi Langobardi in opprobrium habent, & opprimunt. Vnde & Ecclesia sancti Petri denudata est, & in nimiam desolationem redacta; tamen omnes nostros dolores subtiliùs in ore posuimus præsenti portitori, tuo fideli, * quæ in auribus tuæ Excellentiæ suggerere debeat. Tu autem, fili, habeas cum ipso Principe Apostolorum, hic & in futura vita, coram omnipotenti Deo nostro; sicut pro eius Ecclesia, & nostra defensione disposueris, & decertaueris, sub omni velocitate, vt cognoscant omnes Gentes tuam fidem & puritatem, atque amorem, quæ habes erga Principem Apostolorum beatum Petrum, & nos, eiúsque peculiarem populum zelando & defendendo. Ex hoc enim tibi poteris immortalem & æternam acquirere vitam. C

* oblata.

* Centur. quos.

A *Item Epistola tertia, quam transmisit* STEPHANVS *Papa ad Domnum Regem* PIPPINVM, *&* CAROLVM *vel* CAROLOMANNVM, *seu omni Generalitati Francorum. In nomine sancti Petri comprehensa, postquam per semetipsum iam dictus Papa in Francia fuit, & secunda vice voluit adiutorium obtinere contra Longobardos.*

PIPPINVS, CAROLVS, CARLOMANNVS. Stephanus III. electus anno Christi 752. mortuus 757.

III.

PETRVS vocatus Apostolus à Iesu Christo Dei viui filio, qui ante omnia secula cum patre regnans in vnitate Spiritus sancti, in vltimis temporibus pro nostra omnium salute incarnatus & homo factus, nos suo redemit precioso sanguine per voluntatem paternæ gloriæ, quemadmodum per sanctos suos destinauit Prophetas in scripturis sanctis, & per me, omnis Dei Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, caput omnium Ecclesiarum Dei, ipsius Redemptoris nostri sanguine super firmam fundata Petram, atque eiusdem almæ Ecclesiæ Stephanus Præsul, gratia, pax & virtus ad eruendam eandem sanctam Dei Ecclesiam, & eius Romanum populum mihi commissum de manibus persequentium, plenius ministretur à Domino Deo nostro, vobis viris excellentissimis PIPPINO, CAROLO & CARLOMANNO tribus Regibus, atque sanctissimis Episcopis, Abbatibus, Presbyteris, vel cunctis religiosis Monachis, verùm etiam Ducibus, Comitibus, & cunctis generalibus exercitibus & populo Franciæ commorantibus. *Exstat apud Bar. 755. & Cent. 8. c. 10.* B

EGO Petrus Apostolus, dum à Christo, Dei viui filio, vocatus sum supernæ clementiæ arbitrio, illuminator ab eius potentia totius mundi sum prærordinatus, ipso Domino Deo nostro confirmante: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Et iterum: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, & mihi suo exiguo seruo & vocato Apostolo, singillatim suas commendauit oues, cùm ait: *Pasce oues meas, pasce agnos meos.* Et rursum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non praualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues Regni cælorum. Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis*: Quamobrem omnes, qui meam audientes impleuerunt prædicationem, profectò credant, sua in hoc mundo, Dei præceptione, relaxari peccata, & mundi atque sine macula in illam progredientur vitam. Etenim * quia illuminatio Spiritus sancti in vestris refulsit præfulgidis cordibus, vósque amatores effecti estis sanctæ & vnicæ Trinitatis per susceptum Euangelicæ prædicationis verbum: profectò in hac Apostolica Dei Romana Ecclesia nobis commissa, vestra futuræ retributionis spes tenetur adnexa: ideóque ego Apostolus Dei Petrus, qui vos adoptiuos habeo filios, ad defendendum de manibus aduersariorum hanc Romanam ciuitatem, & populum mihi à Deo commissum, seu & domum, vbi secundum carnem requiesco, de contaminatione Gentium eruendam, vestram omnium dilectionem prouocans adhortor, & ad liberandam Ecclesiam Dei mihi à diuina potentia commendatam omnino protestans admoneo, pro eo quòd maximas afflictiones & oppressiones à pessima Langobardorum gente patiuntur. *Matth. 28.* *Ioan. 21.* *Matth. 16.* ** Centur. quibus.* C

NEQVAQVAM aliter teneatis, amantissimi, sed pro certo confidite, per memetipsum, * tanquam in carne, coram vobis, viuus adsisterem, per hanc adhortationem validis constringimus atque obligamus adiurationibus: quia secundum promissionem, quam ab eodem Domino Deo & redemptore nostro accepimus, peculiares inter omnes gentes vos omnes Francorum populos habemus. Itaque protestor & admoneo, tanquam in ænigmate, & firma obligatione coniuro vos Christianissimos Reges, Pippinum, Carolum & Carlomannum, atque omnes Sacerdotes, Episcopos, Abbates, Presbyteros, vel vniuersos religiosos Monachos, vel cunctos Iudices: item Duces, Comites & cunctum Francorum Regni populum, & tanquam præsentaliter, in carne viuus adsistens coram vobis, ego Apostolus Dei Petrus: ita firmiter credite vobis * adhortationis alloqui verba, quia etsi carnaliter desum, spiritualiter autem à vobis non desim; quoniam scriptum est: *Qui suscipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem suscipit Prophetæ.*

** Bar. tanquam in carne corā vobis viuū assistere, & per hanc adhortationem validis constringere atque obligare adiurationibus.* ** Bar. per adhortationis alloqui verbū.*

PIPINVS, CAROLVS, CARLOMANNVS.

SED & Domina nostra, Dei genitrix semper Virgo MARIA, nobiscum vos magnis obligationibus adiurans protestatur, atque admonet & iubet, simul etiam throni atque dominationes, & cunctus cœlestis militiæ exercitus: nec non & Martyres atque Confessores Christi, & omnes omninò DEO placentes, & hi nobiscum adhortantes & coniurantes protestantur; quatenus doleat vobis pro ciuitate ista Romana, nobis à Domino Deo commissa, & ouibus Dominicis in ea commorantibus, nec non & pro sancta Dei Ecclesia, mihi à Domino commendata, & defendite atque liberate eam sub nimia festinatione de manibus persequentium Langobardorum: ne, quod absit, corpus meum, quod pro Domino Iesu Christo tormenta perpessum est, & domus mea, vbi per Dei præceptionem requiescit, ab eis contaminentur, & populus meus peculiaris lanietur amplius, nec trucidentur ab ipsa Langobardorum gente, qui tanto flagitio periurij rei existunt, & transgressores diuinarum scripturarum probantur. Præstate ergo populo meo Romano, mihi à Deo commisso in hac vita, fratribus vestris, Domino cooperante, præsidia totis vestris viribus, vt ego Petrus vocatus Dei Apostolus, in hac vita, & in die futuri examinis, vobis alterna impendens patrocinia, in regno Dei lucidissima ac præclara vobis præparentur tabernacula; atque præmia æternæ retributionis, & infinita Paradisi gaudia vobis pollicens adinuicem tribuam. dummodo meam Romanam ciuitatem, & populum meum peculiarem, fratres vestros, Romanos, de manibus iniquorum Langobardorum nimis velociter defenderitis. A

CVRRITE, currite, per Deum viuum & verum vos adhortor & protestor, currite & subuenite, antequam fons viuus vnde satiati & renati estis arescat: antequam ipsa modica fauilla de flagrantissima flamma remanens, ex qua vestram lucem cognouistis, extinguatur: antequam mater vestra spiritalis, sancta Dei Ecclesia, in qua vitam speratis percipere æternam, humilietur, inuadatur & ab impiis inuoletur atque contaminetur. Protestor vos, dilectissimi filij mei adoptiui, per gratiam Spiritus sancti protestor, & nimis coram Deo terribili, creatore omnium, adhortor atque admoneo, ego Apostolus Dei Petrus, & vnà mecum sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, quam mihi Dominus commisit, ne patiamini perire hanc ciuitatem Romanam, in qua corpus meum constituit Dominus, quam & mihi commendauit, & fundamentum fidei constituit. Liberate eam, & eius Romanum populum, fratres vestros, & nequaquam inuadi permittatis à gente Langobardorum. Sic non sint inuasæ prouinciæ & possessiones vestræ à Gentibus, quas ignoratis, non separemini à populo meo Romano. Sic non sitis alieni aut separati à regno Dei & vita æterna. Quidquid enim posceretis à me, subueniam vobis videlicet, & patrocinium impendam; subuenite populo meo Romano, fratribus vestris, & perfectiùs decertate, atque finem imponite ad liberandum eos. Nullus enim accipit coronam, qui non legitimè decertauerit, & vos decertate fortiter pro liberatione sanctæ Dei Ecclesiæ, ne in æternum pereatis. B

CONIVRO vos, coniuro, vt præfatum est, dilectissimi, per Deum viuum, & omnino protestor, minimè permittatis, hanc ciuitatem meam Romanam, & in ea habitantem populum amplius à gente Langobardorum laniari, ne lanientur & crucientur corpora & animæ vestræ in æterno atque inextinguibili tartareo igne cum Diabolo, & eius pestiferis Angelis, & ne dispergantur amplius oues Dominici gregis mihi à Deo commissi, videlicet populus Romanus. Sic non vos dispergat & proiiciat Dominus, sicut Israëliticus populus dispersus est. Declaratum quippe est, quòd super omnes Gentes, quæ sub cœlo sunt, vestra Francorum Gens, prona mihi Apostolo Dei Petro extitit, & ideo Ecclesiam, quam mihi Dominus tradidit, vobis per manus Vicarij mei commendaui ad liberandum de manibus inimicorum. Firmissimè enim tenete, quòd ego seruus Dei, vocatus Apostolus, in omnibus vestris necessitatibus, dummodò precati estis, auxiliatus sum, & victoriam per Dei virtutem vobis de inimicis vestris tribui, & in ante attribuam nihilominus, credite, si ad liberandum hanc meam ciuitatem Romanam nimis velociter occurreritis. Mementote & hoc, quomodo & inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ, dum contra vos prælium * ingruerunt, à vobis, qui paruo numero contra eos fuistis, * prosternere feci. Pro quo decertate hanc meam velociter adimplere admonitionem, vt perfectius meum adipisci mereamini auxilium per gratiam, quæ data est mihi à Christo Domino Deo nostro. C

* B. incæperunt.
* B. prosterni.

A ECCE, filij cariſſimi, prædicans admonui vos, ſi obedieritis velociter, erit vobis pertingens ad magnam mercedem, & meis ſuffragiis * adiuuati, & in præſenti vita omnes veſtros inimicos ſuperantes, & longæui perſiſtentes, bona terræ comedetis, & æterna procul dubio fruemini vita. Sin autem, quod non credimus, & aliquam poſueritis moram aut adinuentionem, minimè velociter hanc noſtram implendam adhortationem, ad liberandam hanc meam ciuitatem Romanam & populum in ea commorantem, & ſanctam Dei Apoſtolicam Eccleſiam mihi à Domino commiſſam, ſimul & eius Præſulem, ſciatis vos ex auctoritate ſanctæ & vnicæ Trinitatis, per gratiam Apoſtolatus, quæ data eſt mihi à Chriſto Domino, vos alienari pro tranſgreſſione noſtræ adhortationis à regno Dei & vita æterna. Sed Deus & Dominus noſter IESVS CHRISTVS, qui nos ſuo pretioſo redimens ſanguine, ad lucem perduxit veritatis, nos quoque prædicatores & illuminatores totius mundi conſtituit, det vobis ea ſapere, ea intelligere, eáque diſponere nimis velociter, vt celeriùs hanc ciuitatem Romanam & * omnem populum, ſeu ſanctam Dei Eccleſiam mihi à Domino commiſſam, ad eruendum occurratis, quatenus miſericorditer, ſicut fidelibus ſuæ potentiæ, meis pro vobis interuenientibus ſuffragiis, & in præſenti vita longæuos, ſoſpites, & victores conſeruare iubeat, & venturo in ſeculo dona ſuæ remunerationis faciat multipliciùs promereri, cum Sanctis & electis ſuis. Bene valete.

PIPPINVS, CAROLVS, CARLOMANNVS.
* adiuti. B. adiuuati.
* B. eius.

B

Item Epiſtola eiuſdem Papæ ad domnum Regem PIPPINVM, *&* CAROLVM *vel* CARLOMANNVM, *ſeu omni Generalitati, in nomine ipſius Papæ comprehenſa, pro deſolatione & deuaſtatione ſanctæ Dei Eccleſiæ & vrbis Romanæ: per Georgium Epiſcopum, & VVarneharium Abbatem, & Thomaricum Comitem, Miſſos ipſius Apoſtolici directa, poſtulando nimis cum adiurationibus adiutorium contra Langobardos.*

IV.

DOMNIS *excellentiſſimis* PIPPINO, CAROLO *&* CARLOMANNO *tribus Regibus, & noſtris * Romanorum Patriciis; ſeu omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Presbyteris, & Monachis, ſeu glorioſis Ducibus, Comitibus, vel cuncto exercitui Regni & Prouinciæ Francorum;* STEPHANVS *Papa, & omnes Epiſcopi, Presbyteri, Diacones, ſeu Duces, Carthularij, Comites, Tribuni, & vniuerſus populus & exercitus Romanorum omnes in afflictione poſiti.* QVANTA luctuoſa & amariſſima triſtitia circumuallati, quantáque anxietate atque anguſtia coartati ſimus, & quantas, crebreſcentibus continuis malis, oculi noſtri deſtillantes profundant lacrymas, credimus, quòd & ipſa omnium elementorum * figmenta enarrent. Quis enim harum tribulationum C conſpector non lugeat? Quis auditor harum nobis inhærentium calamitatum non vlulet? Quamobrem cuiuſdam bonæ mulieris, Suſannæ pudicæ, verba loquimur. *Anguſtiæ nobis vndique, & quid agamus ignoramus.* O Chriſtianiſſimi, ecce venerunt nobis dies anguſtiæ, præſto ſunt dies fletus & amaritudinis: quoniam quod timebamus, à Langobardis euenit. Pro quo anguſtiati, afflicti, & ex omni circumquaque parte circumdati, ab eorum nequiſſimo Haiſtulfo Rege & gente, cum Propheta Dominum deprecantes dicimus. *Adiuua nos* DEVS *ſalutaris noſter, & propter honorem nominis tui libera nos,* &c. Et rurſum; *Apprehende arma & ſcutum, & exſurge in adiutorium noſtrum.* Ecce enim cognitum habetis, quomodo pacis fœdera à præfato impio Haiſtulfo Rege & omni Gente diſſipata ſunt, & qualiter nihil iuxta, vt conſtituit, & per vinculum ſacramenti confirmatum eſt, valuimus impetrare, & iam in ipſis Ianuarij Kalendis cunctus eiuſdem Langobardorum exercitus Tuſciæ partibus, in hanc ciuitatem Romanam coniunxerunt, & reſederunt iuxta portam beati Petri, atque beati Pancratij, & Portuēſem. Ipſe verò Haiſtulfus cum aliis exercitibus coniunxit ex alia parte, & ſua fixit tentoria iuxta portam Salariam, & ceteras portas: & ſæpiùs nobis * direxit: Aperite mihi portam Salariam, & ingrediar ciuitatem, & tradite mihi Pontificem veſtrum, & patientiam ago in vobis. Si minus, ne muros euertens, vno vos gladio interficiam, & videam quis vos eruere poſſit de manibus meis.

Exſtat apud Bar. To. 9. anno 755. & Cent. 8. c 10.
* Bar. Romanis.
* Bar. & Cent. ſegmenta.
Daniel. 13.
Pſal. 78.
Pſal. 34.
* Bar. dixerit.

PIPPINVS, CAROLVS, CARLOMANNVS,

SED & Beneuentani omnes generaliter in hanc Romanam vrbem coniungentes, resederunt iuxta portam beati Iohannis, & beati Pauli Apostoli, & ceteras istius Romanæ vrbis portas, & omnia extra vrbem prædia longè latéque ferro & igne consumpserunt, domos omnes comburentes penè ad fundamenta destruxerunt, Ecclesias Dei incenderunt, & sacratissimas sanctorum imagines in ignem proiicientes, suis gladiis consumpserunt: & munera sancta, id est, corpus Domini nostri Iesu Christi, in suis contaminatis vasibus, quos folles vocant, miserunt, & cibo carnium copioso saturati, comedebant eadem munera, velamina altarium Ecclesiarum Dei, vel omnia ornamenta, quod nimis crudele etiam dici est, auferentes in propriis vtilitatibus vsi sunt, seruos Dei Monachos, qui pro officio diuino in Monasteriis morabantur, plagis maximis tundentes, plures laniauerunt, & sanctimoniales fœminas atque reclusas, quæ ab infantia & pubertatis tempore pro Dei amore sese clausuræ tradiderunt, abstrahentes cum magna crudelitate polluerunt, qui etiam & in ipsa contaminatione alias interficere visi sunt, & omnes domos cultas beati Petri igni combusserunt, vel omnium Romanorum, vt dictum est, domos comburentes extra vrbem funditus destruxerunt, & omnia peculia abstulerunt, & vineas ferè ad radices absciderunt, & messes conterentes, omnino deuorarunt, & neque domui sanctæ nostræ Ecclesiæ, neque cuiquam in hac Romana vrbe commoranti spes remansit viuendi: quia, vt dictum est, omnia ferro & igne consumpserunt, & multos homines interfecerunt. Sed & copiosam familiam beati Petri, & omnium Romanorum, tam viros quámque mulieres, iugulauerunt, & alios plures captiuos duxerunt. Nam & innocentes infantulos à mammillis matrum suarum separantes, ipsasque vi polluentes, interemerunt ipsi impij Langobardi, & tanta mala in hac Romana prouincia fecerunt, quanta certè nec paganæ gentes aliquando perpetratæ sunt. Quia etiam (si dici potest) & ipsi lapides nostras desolationes videntes, vlulant nobiscum. Quinquaginta & quinque dies hanc afflictam Romanam ciuitatem obsidentes, & ex omni parte circumdantes, prælia fortissima die noctúque cum pessimo furore incessanter cum diuersis machinis & adinuentionibus plurimis contra nos ad muros istius Romanæ vrbis commiserunt, vt suæ potestati, quod auertat Diuinitas, subiiciens, omnes vno gladio idem inimicus Haistulfus interimeret. Ita enim cum magno furore exprobrantes nos asserebant. *Ecce circumdati estis à nobis, veniant nunc Franci, & eruant vos de manibus nostris.* Nam & ciuitatem Narniensem, quam beato Petro concessistis, abstulerunt, & aliquas ciuitates nostras comprehenderunt. Quamobrem constricti vix potuimus, marino itinere, præsentes nostras Litteras & Missum ad vestram Christianitatem dirigere, quas & cum magnis lachrymis scripsimus. A B

VNDE, dilectissimi nobis, peto vos, & tanquam præsentialiter adsistens cum diuinis mysteriis coniuro coram Deo viuo & vero, & eius principe Apostolorum beato Petro, vt sub nimia festinatione nobis subueniatis, ne pereamus. Non nos derelinquatis, sic non vos derelinquat Dominus in omnibus vestris actibus. Non nos spernatis, sic non vos spernat Dominus, eius inuocantes potentiam. Ne elongetis à nobis auxilium vestrum, Christianissimi, sic non elonget Dominus auxilium suum à vobis, dum ingressi fueritis contra inimicos vestros ad dimicandum. Adiuuate nos sub magna velocitate, dilectissimi nobis; occurrite, occurrite, & subuenite nobis, antequam gladius inimicorum ad cor nostrum pertingat. Peto vos ne pereamus. Nequando dicant Gentes, quæ in cuncto orbe terrarum sunt, Vbi est fiducia Romanorum, quam, post Dominum, in Regibus & in gente Francorum habebant? Non nos permittatis perire, & ne differatis nobis ad solatia dandum, nec à vestro separetis auxilio, sic non sitis alieni à regno DEI, & ne obduret Dominus aurem suam vestras ad exaudiendas preces, & ne auertat faciem suam à vobis in illo futuro examinis die, quādo cum beato Petro, & ceteris suis Apostolis ad iudicandum sederit omnem ordinem, omnémque potestatem humanam, & seculum per ignem, dicatúrque; quod auertat diuinitas; *Nescio vos*, quia non auxiliati estis Dei Ecclesiæ, & defendere minimè procurastis eius periclitantem peculiarem populum. C

Matth. 25.

AVDITE nos, dilectissimi, audite nos, & subuenite nobis. Ecce adest tempus saluandi nos, saluate nos, antequam pereamus, Christianissimi. Omnes etenim gentes, quæ circumquaque sunt positæ, & ad vestram, per Dei potentiam, Francorum

A eorum fortissimam Gentem refugium fecerunt, saluæ factæ sunt, & si omnibus auxilium impertire non differetis, multò amplius sanctam Dei Ecclesiam, & eius populum de inimicorum impugnatione debueratis liberare. Considerate, dilectissimi, & omninò percogitate, per Deum viuum vos coniuro, quoniam post Deum, & eius principem Apostolorum, nostræ omnium Romanorũ animæ in vobis pendent, & si perire quod absit, contigerit, pensate, in cuius animam respiciat ad peccatũ. Certè enim omninò credite, Christianissimi, si nobis aliqua euenerit calamitas, quod absit, periclitandi, vos de omnibus ante tribunal Dei eritis reddituri rationem. Sed magis, dilectissimi nobis, agite & liberate, post Deum, in vobis confugientes, vt fructum bonũ afferentes in futuri examinis die mereamini dicere, Domine noster princeps Apostolorum beate Petre, ecce nos clientuli tui, cursum consummantes, fidem seruantes tibi, Ecclesiam Dei à superna clementia tibi commendatam de manibus persequentium defendentes liberauimus, & adsistentes immaculati coram te, offerimus tibi pueros, quos nobis commisisti de manibus inimicorũ eruendos, hospites atque incolumes existentes. Tunc & in præsenti vita & in futuro seculo cœlestium præmiorum gaudia adipisci mereamini, audientes paternam desiderabilem vocem illam inquientis: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis præparatum est ab origine mundi.*

B QVARE direximus præsentem nostrum Missum Georgium reuerendissimum ac sanctissimum fratrem & coëpiscopum nostrum, atque VVarneharium religiosum Abbatem Missum vestrum, & Thomaricum Comitem magnificos eosdem nostros Missos, qui vobis omnes nostros dolores & cunctas desolationes, quas à Langobardorum gente, & eorum proteruo Rege passi sumus, & assiduè patimur, vobis subtili enarratione, quæ propriis oculis viderunt, viua voce edicere debeant. Quibus & in omnibus, tanquam nobismetipsis credere iubeatis, & nostram liberationem nimis festinanter procurare, & coniuro vos per Deum viuum & verum, vt nequaquam amplius discredatis nostras afflictiones, & neglectum ponatis ad liberandum nos. Ne quod absit, si amplius credere distuleritis, & neglexeritis nos eruendum, nobis, quod auertat Diuinitas, irruat calamitas pereundi, & vobis pertineat ad magnum detrimentum, & peccatum, atque condemnationem in præsenti & æterna vita, quia vobis animas omnium nostrorum Romanorum tradidimus: sed magis magisque vos, vt, præfatum est, coniuramus, per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Trinitatem indiuisam, vt nostras tribulationes, & angustias, atque dolores, & desolationes, credere sine qualibet ambiguitate iubeatis, & nobis propter Deum subuenire, & ad liberandum nos de manibus Langobardorum inimicorum nostrorum nimis festinanter occurrere iubeatis: vt fructum afferentes copiosum, vitam æternam, intercedente beato Petro, perfrui mereamini. Præfatus verò VVarneharius prò amore beati Petri loricam se induens per muros istius C afflictæ Romanæ ciuitatis vigilabat die noctúque, & pro nostra omnium Romanorum defensione atque liberatione, vt bonus athleta Christi, decertauit totis suis cum viribus. Bene valete.

Item Epistola ZACHARIÆ *Papæ ad domnum* PIPPINVM *missa, quæ prætitulata est sub* MAIORVM DOMVS *nomine, eò quod nondum in Regis dignitatem esset eleuatus, vna cum Capitulis suis consultis, etiam dicto Domnò Pippino vel Sacerdotibus in partibus Franciæ, qualiter respondendum, scripsit iam dictus Pontifex.* Matth. 25. Pontifex creatus anno salutis 741. obiit 752.

V.

DOMNO *excellentissimo atque Christianissimo* PIPPINO *Maiori Domus, seu dilectissimis nobis vniuersis Episcopis Ecclesiarum, & religiosis Abbatibus, atque cunctis Dominum timentibus Principibus, in regione Francorum constitutis,* ZACHARIAS *Episcopus sanctæ Dei Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ in Domino salutem.* GRATIA vobis & pax à Deo Patre omnipotente & Domino Iesu Christo, vnico filio eius, & ab Spiritu sancto ministretur. Gaudio magno gaudemus in Domino, addiscentes per relationem sublimissimi, & à Deo seruati prædicti filij nostri Pippini, vestram omnium bonam conuersationem, & quod in bonis & Deo placitis Exstat Tom. 9. Bar. anno 744. & Cent. 8. c. 10.

PIPPINVS. dispositionibus, vnanimes atque cooperatores estis. Ita & Ecclesiæ Dei & venerabilia loca per vniuersam vestram prouinciam sita, atque earum Præsules, Sacerdotes & religiosi Abbates, vt condecet, in sancto habitu & conuersatione Sacerdotali conseruetis, vacantes orationibus, insistentes precibus ad implorandum diuinam potentiam, & cœlitus victoriam tribuendam aduersus paganos & infideles Gentes pro pugnatoribus vestris. Etenim vobis in vera confessione & simplici corde ad Dominum accedentibus, sicut Moyses, ille amicus Dei, orando pugnabat, * & Iesu Naue cum populo Israel bella Domini præliando, vincebat: ita & vos agere oportet, carissimi mihi, vt sitis adiutores populo vestro orando, & bonis actibus inhærendo, declinantes à curis & negotiis secularibus. Scriptum est enim: *Vacate & videte, quoniam suauis est Dominus.* Et iterum: *Accedite ad eum, & inluminamini, & vultus vestri non erubescent.*

Exod. 17.

* B. & Ionathas. *Ita etiam Centuriatores.*

Psal. 45.

Psal. 33.

PRINCIPES & seculares homines atque bellatores conuenit curam habere & sollicitudinem, cõtra inimicorum astutiam, & prouinciæ defensionem. Præsulibus verò, Sacerdotibus atque Dei seruis pertinet salutaribus consiliis & orationibus vacare, vt vobis orantibus, & illis bellantibus, Deo præstante, prouincia salua persistat, fiatque vobis in salutem, laudem & mercedem perpetuã. Ex hoc quippe Præsulatus vester apparebit in sanctitate, & principatus dilecti filij nostri Pippini approbabitur per subiectorũ potestatem & bonum dispositum. Itaque, vt flagitauit à nobis, cum vestro consultu, superiùs effatus filius noster Pippinus, vt de omnibus Capitulis, quibus innotuit, responsum demus, inquantum Domino dante valemus, de vnoquoque Capitulo inferiùs conscriptum, iuxta quod à sanctis Patribus traditum habemus, & sacrorum Canonum sanxit auctoritas, etiam & nos quod Deo inspirante Apostolica auctoritate decernere potuimus, mandauimus in responsis.

Primum Capitulum: *Quomodo honorari debeat Metropolitanus Episcopus à Chorepiscopis & parochialibus Presbyteris.* In Canone sanctorum Apostolorum capitulo tricesimo quinto scriptum est. *Episcopos gentium singularum scire conuenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment, & nihil amplius, præter eius conscientiam, gerant, quum illi soli singula, quæ parochiæ propriæ, & villis, quæ sub ea, competant, sed nec ille præter omnium conscientiam faciat aliquid. Sic enim vnanimitas erit, & glorificabitur Deus per Christum in Spiritu sancto.*

ITEM in Canone Antiocheni Concilij capitulo nono continetur ità. *Per singulas regiones Episcopos conuenit nosse, Metropolitanum Episcopum totius Prouinciæ sollicitudinem gerere, propter quod ad Metropolim omnes vndique qui negotia videntur habere concurrent. Vndè placuit eum & honore præcellere, & nihil amplius, præter eum, cæteros Episcopos agere, secundum antiquam à Patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum, quæ ad suam diœcesim pertinent, possessionésque subiectas. Vnusquisque enim Episcopus habeat suæ Parochiæ potestatem, vt regat, iuxta reuerentiam singulis competentem, & prouidentiam gerat omnis possessionis, quæ sub omni est potestate. Item, vt Presbyteros & Diaconos ordinet, & singula suo iudicio comprehendat. Amplius autem nil agere * tentet præter Antistitem Metropolitanum. Nec Metropolitanus aliquid gerat, sine ceterorum Sacerdotum consilio.*

* B. præter Antistitem Metropolitanum tentet.

ITEM ex libro Decretorum B. Leonis Papæ capitulo 32. continetur. *Igitur secundum sanctorum Patrum Canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, Metropolitanos singularum prouinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus, ita vt regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant, aut in habitu aut incessu sanctitatis.* Nam & nos ab Apostolica auctoritate subiungimus, vt Episcopus iuxta dignitatem suam indumentis vtatur. Simili modo & Presbyteri Cardinales, & qui monachica vita velle habeant viuendi, plebi quidem sibi subiectæ præclariori veste induti debitum prædicationis persoluant, & in secreto propositum seruent sui cordis, vt qui videt in abscondito Deus, reddat illis in palam. Scriptum quippe est: *Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.* Non enim nos honor commendat vestium, sed splendor animarum.

Psal. 4.

MONACHI verò lanea indumenta, iuxta normam & regulam * Monachicæ disciplinæ, atque traditionem sanctorum probabilium Patrum, sine intermissione vtantur. Si enim abrenunciantes ea, quæ sæculi sunt, tota se Deo intentione contulerunt, de omnibus licitis debent abstinere, vt quantum corpori suo sustinue-

* Monasticæ.

A tint laborem, tantum remunerationis præmium à Deo percipere mereantur. Apostolis quippe diuinum datum est mandatum, duas tunicas non habendi. Tunicas dixit Christus, vtique laneas, non lineas. Qui ergo obedierit Dominico præcepto, bonis actibus inhærens, habebit vitam æternam. PIPPINVS. Matth. 10.

ITEM ex Canone Antiocheni Concilij Capitulo decimo, de his qui vocantur Chorepiscopi decretum est: *Qui in vicis, vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamuis manus impositionem Episcoporum perceperint, & vt Episcopi consecrati sint, tamen sanctæ Synodo placuit, vt modum proprium recognoscant, & gubernent subiectas sibi Ecclesias, earúmque moderamine curáque contenti sint, ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos atque Exorcistas, quibus Promotiones istæ sufficiant. Nec Presbyterum vero, nec Diaconum audeant ordinare præter ciuitatis Episcopum, cui ipse cum possessione subiectus est. Si quis autem transgredi statuta tentauerit, depositus, quo vtebatur, honore priuetur. Chorepiscopum vero ciuitatis Episcopus ordinet, cui ille subiectus est.*

SECVNDO Capitulo de Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus damnatis, quod pristinum officium vsurpare non debeant: ex libro Canonum sanctorum Apostolorum Capitulo vicesimo nono dictum est. *Si quis Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus depositus iustè super certis criminibus, ausus fuerit attrectare ministerium dudum sibi commissum, hic ab Ecclesia penitus abscindatur.*

TERTIVM Capitulum de Presbyteris superuenientibus ex Concilio Carthaginense capite vndecimo: *Si quis Presbyter contra Episcopum suum inflatus schisma fecerit, anathema sit. Ab vniuersis Episcopis dictum est: Si quis Presbyter à præposito suo correptus fuerit, debet vtique apud vicinos Episcopos conqueri, vt ab ipsis eius causa possit audiri, ac per ipsos suo Episcopo reconciliari. Quod nisi fecerit, sed superbia, quod absit, inflatus secernendo se ab Episcopi sui communione subduxerit, ac separatim cum aliquibus faciens sacrificium Deo obtulerit, anathema habeatur & locum amittat. Si querimoniam iustam aduersus Episcopum non habuerit, inquirendum erit.*

B

QVARTVM Capitulum de Presbyteris agrorum, quam obedientiam debent exhibere Episcopis & Presbyteris Cardinalibus ex Concilio Neocæsariensi cap. 13. ita continetur: *Presbyteri ruri, & in Ecclesia ciuitatis, Episcopo præsente, vel Presbyteris vrbis ipsius, offerre non possunt, nec panem sanctificatum dare, calicémque porrigere. Si vero absentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, solidare debebunt. Chorepiscopi quoque ad exemplum quidem & formam septuaginta videntur esse, vt quod ministrauerunt propter studium, quod erga pauperes exhibent, honorentur.*

QVINTVM Capitulum de Monachis, id est, ancillis Dei, de quibus flagitatum est, si liceat eas ad Missarum solemnia, aut Sabbato sancto publicè lectiones legere, & ad Missas psallere, aut Alleluia vel Responsorium. De his in libro decretorũ beati Gelasij Papæ cap. 23. destinatum est: *quod nefas sit fœminas sacris altaribus ministrare vel aliquid ex his, quæ virorum sunt officiis deputata, præsumere.* Nihilominus impatienter audiuimus tantum diuinarũ rerum subiisse despectum, vt fœminæ sacris altaribus ministrare firmentur, cunctáque, quæ non nisi virorũ famulatui deputata, sexum, cui non competit, exhibere, nisi quod omnium delictorum, quæ singulatim perstrinximus, noxiorum reatus eos respicit Sacerdotes, qui vel ista committunt, vel committentes minimè publicando prauis excessibus se fauere significant.

C

SEXTVM Capitulum de viduis si possint in propriis habitaculis suis saluare animas, item ex eodem libro, cap. 21. ita continetur, vt viduæ non violentur à Pontificibus, & si professam continentiam, proposito mutato, calcauerint, ipsæ per se rationem Deo pro suis sint actibus redditure. Nam de viduis sine vlla benedictione velandis superius latius duximus disserendum, quæ si propria voluntate professam primi coniugij castitatem, mutabili mente, calcauerit, periculi eius interit, quali Deum debeat satisfactione placare. Sicut enim si se forsitan continere non poterat, secundum Apostolum, nullatenus nubere vetabatur: sic * habitam secundum deliberationem, promissam Deo pudicitiæ fidem, debuit custodire. Nos autem, nullum talibus laqueum debemus inijcere; sed solum adhortationes præmij sempiterni, pœnásque proponere diuini iudicij, vt nostra sit absoluta conscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio. * Bar. habita.

SEPTIMVM Capitulum de laico pellente suam coniugem, ex Canone sanctorum Apostolorum, cap. 48. *Si quis laicus vxorem propriam pellens, alteram, vel ab alio dimissam duxerit, communione priuetur.*

PIPINVS. OCTAVVM Capitulum de Presbyteris & Diaconibus, qui se à ministerio Ecclesiastico subtrahunt, & seorsum collectas faciunt, ex Canone Antiocheni Concilij, cap. 5. promulgatum est. *Si quis Presbyter aut Diaconus Episcopum proprium contemnens se ab Ecclesia sequestrauerit, & seorsum colligens altare constituat, & commonenti Episcopo non adquieuerit, nec consentire vel obedire voluerit, semel & iterum conuocanti, hic damnetur omnimodo, nec vltra remedium consequatur, quia recipere non potest dignitatem. Quod si Ecclesiam turbare & sollicitare persistit, tanquam seditiosus per potestates exteras opprimatur.*

NONVM Capitulum de Clericis & Monachis non manentibus in suo proposito, quod interrogatum est, in Canone Chalcedonensi, cap. 7. decretum est: *Qui semel in Clero deputati sunt, aut Monachorum vitam expetiuerunt, statuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam, aut hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, quominus *redire debeant, ad id, quod propter Deum primitus *elegerant, anathematizari.*

* Bar. redirent.
* Bar. elegerint.
* Hospitalibus.

DECIMVM Capitulum de Clericis qui sunt in * Ptochiis, Monasteriis, atque Martyriis, ex Canone Chalcedonensis Concilij, cap. 9. ita decretum est: *Clerici, qui praficiuntur Ptochiis, vel ordinantur in Monasteriis & Basilicis Martyrum, in Episcoporum, qui in vnaquaque ciuitate sunt, secundum sanctorum Patrum traditiones, potestate permaneant. Nec per contumaciam ab Episcopo suo desiliant. Qui verò audent euertere huiusmodi formam quocumque modo, nec proprio subiiciuntur Episcopo, siquidem clerici sunt, Canonum correptionibus subiacebunt, si verò laici vel Monachi fuerint, communione priuentur.* B

VNDECIMVM Capitulum, qui Clerici etiam ab vxoribus abstinere debeant, ex Concilio Africano, cap. 37. ita continetur. *Præterea, cùm de quorundam Clericorum, quamuis erga vxores proprias, incontinentia referretur, placuit Episcopos, & Presbyteros seu Diaconos secundum propria statuta, etiam ab vxoribus continere: Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico remoueantur officio. Ceteros autem clericos ad id non cogi, sed secundum vniuscuiusque Ecclesiæ consuetudinem obseruari debere.*

DVODECIMVM Capitulum, de his, qui vxores, aut viros dimittunt, vt sic maneant, ex Concilio suprascripto Africano, cap. 69. ita continetur. *Placuit, vt secundum Euangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito, alteri coniungantur, sed ita maneant, aut sibi inuicem reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.*

DECIMVM tertium Capitulum. Inquisitum est, quod Monachus, si Clericus factus fuerit, quid * agi debeat. Ex Decreto B. Innocentij Papæ. Cap. 17. continetur. *De Monachis, qui diu morantur in Monasteriis, & postea ad Clericatus ordinem peruenerint, non debere eos à proprio proposito deuiare: Aut enim, sicut in Monasterio fuit, & quod diu seruauit, in meliori gradu positus, amittere non debet: Aut si corruptus postea baptizatus, & in Monasterio sedens, ad Clericatus ordinem accedere voluerit, vxorem omnino habere non poterit, quia nec benedici cum sponsa potest, iam antea corruptus. Quæ forma seruatur in Clericis, maximè cùm vetus regula hoc habeat, vt quisque corruptus baptizatus, clericus esse voluisset, sponderet se vxorem omnino non ducere.*

* B. agere.

DECIMVM quartum Capitulum. Quod Presbyteri aut Diaconi, si in aliquo crimine prolapsi fuerint, non possint per manus impositionem pœnitentiæ remedium consequi. In Decreto beati Leonis Papæ, cap. 16. decretum est ita: *Alienum est à consuetudine Ecclesiastica, vt qui in Presbyterali honore aut Diaconij gradu fuerint consecrati, hi pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi, quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est: Sacerdos si peccauerit, quis orabit pro illo? Vnde huiusmodi lapsis ad promerendum misericordiam Dei secreta est expetenda secessio, vbi illis satisfactio fuerit digna, sed etiam fructuosa.*

DECIMVM quintum Cap. pro eo, quod interrogatum est de laicis, qui Ecclesias in suis proprietatibus construunt, quis ipsos debeat regere, aut gubernare. *A sanctis Patribus ita statutum est, & in præceptis Apostolicis continetur: Iuxta petitoris imploratum, vt si in quolibet fundo cuiuscumque iuris Oratorium siue Basilica fuerit constructa, pro eius deuotione in honorem cuiuscumque Sancti, in cuius Episcopi parochia fuerit fundatum Oratorium aut Basilica, percepta primitus donatione legitima, id est, * præstantem tot, gestisque municipalibus allegatis, prædictum Oratorium per Missas publicas solenniter*

* B. præstante.

A *consecrabis*, ita vt in eodem loco nec futuris temporibus baptisteria construantur, nec Presbyter constituatur Cardinalis, sed & si Missas ibi facere maluerit, ab Episcopo nouerit Presbyterum postulandum: quatenus nihil tale à quolibet alio Sacerdote nullatenus resistatur, nisi ab Episcopo fuerit ordinatum. PIPPINVS.

SEXTVM decimum Capitulum de Clericis qui proprias Ecclesias relinquunt, quid de eis agi debeat, ex Canone sanctorum Apostolorum, cap. 15. ita continetur. *Si quis Presbyter aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum relinquens propriam parochiam pergat ad alienam, & omnino Presbyter declinans Episcopi sui conscientiam in aliena parochia commoretur, hunc vlterius ministrare non patimur, præcipuè si vocatus ab Episcopo redire contempserit, in sua inquietudine perseuerans.* * *Tamen tanquam laicus ibi communicet.*

* B. Sed tanquam. Cent. Causam tanquam.

DECIMVM septimum Capitulum. Item pro Episcopis, qui alterius Clericos susceperint, vt excommunicentur, in eodem Concilio cap. 16. continetur. *Episcopus verò, apud quem memoratus esse constiterit, si contra eos decretam cessationem pro nihilo reputans tanquam Clericos fortè susceperit, velut magister inquietudinis communione priuetur.*

DECIMVM octauum Capitulum, qui Clerici vxores sortiri debeant, * in 27. cap. Canonum sanctorum Apostolorum decretum est: *Innuptis autem, qui ad clerum prouecti sunt, præcipimus, vt si voluerint, vxores accipiant, sed Lectores Cantorésque tantummodo.*

* In 2 & 9. sic & Cent.

B NONVM decimum Capitulum, vt nullus Presbyter aut Diaconns sine commendaticiis Epistolis suscipiatur, in eodem Canone sanctorum Apostolorum continetur. *Nullus Episcoporum peregrinorum aut Presbyterorum, seu Diaconorum, sine commendaticiis suscipiatur Epistolis, & cùm scripta detulerint, discutiantur attentius, & ita suscipiantur, si prædicatores pietatis extiterint. Sin minus, neque necessaria subministrentur eis, & ad communionem nullatenus admittantur, quia à surreptione multa proueniunt.*

VICESIMVM Capitulum de virginibus velatis, si deuiauerint, quid de illis agendum sit, in libro Decretorum beati Innocentij Papæ, cap. 14. assertum est. *Quæ Christo spiritaliter nubunt, & à Sacerdote velantur, si postea vel publicè nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is cui se coniunxerat, de mundo recesserit. Si enim de hominibus hæc ratio custoditur, quæcunque, viuente viro, alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendi pœnitentiam licentia concedatur, nisi vnus ex his fuerit defunctus: quanto magis de illa tenenda est, quæ ante immortali se sponso coniunxerat, & postea humanas ad nuptias migrauit?*

VICESIMVM primum Capitulum, idem de non velatis virginibus, si deuiauerint, in eodem libro 20. cap. continetur. *Hæ verò, quæ nondum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulauerunt permanere, licèt velatæ non fuerint, si fortè nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia * sponsio eius domino tenebatur.*

* Bar. & Cent. quia sponsione eiusmodi tenebatur.

C *Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solui sine vindicta non poterit. Nam si Apostolus Paulus, quæ à proposito viduitatis discesserant, dixit eas habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quanto potiùs virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere sunt conatæ?* Hæc itaque, fratres charissimi, si plena vigilancia fuerint ab omnibus Dei Sacerdotibus obseruata, cessabit ambicio, iniquitas superata calcabitur, veritas spiritali feruore flagrabit, pax prædicata labiis cum voluntate animi concordabit. Implebitur edictum Apostoli, vt vnanimes vnum sentientes, permaneamus in Christo, nihil per contentionem nobis neque per inanem gloriam vindicantes, non hominibus, sed Deo nostro Saluatori placentes. Philip. 2.

VICESIMVM secundum Capitulum de his, quæ duobus fratribus nupserint, vel qui duas sorores vxores acceperint, in Concilio Neocesariense cap. 2. continetur: *Mulier, si duobus fratribus nupserit, abiiciatur vsque ad mortem: veruntamen in exitu, propter misericordiam, si promiserit, quod facta incolumis, huius coniunctionis vincula dissoluat, fructum pœnitentiæ in vita * permanenti.* Nos autem, gratia diuina suffragante, iuxta prædecessorum & antecessorum Pontificum decreta, multo amplius confirmantes dicimus, vt dum vsque sese generatio cognouerit, iuxta ritum & normam Christianitatis & religionem Romanorum, non copulentur coniugiis. Sed nec spiritalem, id est, commatrem, aut filiam, quod absit, quis

* Sic etiam Bar. & Cent. In ipso Concilio est: Fructum pœnitentiæ cõsequatur.

PIPPINVS. ducat temerario ausu vxorem. Est namque nefas & perniciosum peccatum coram Deo & Angelis eius. In tantum enim graue est, vt nullus sanctorum Patrum, neque sacrarum Synodorum assertiones, vel etiam in Imperialibus legibus quispiam iudicatus sit, sed terribile Dei iudicium metuentes siluerunt, sententiam dare. A

VICESIMVM tertium Capitulum de his, qui homicidium sponte perpetrauerunt, in vicesimo primo capitulo Ancyrani Concilij continetur: *Qui voluntariè homicidium fecerint, pœnitentiæ iugiter se submittant, perfectionem verò circa vitæ exitum consequantur.*

VICESIMVM quartum Capitulum, item de his, qui homicidium non sponte perpetrauerunt, in eodem Canone cap. * 22. continetur. *De homicidiis non sponte commissis, prior quidem definitio post septem annorum pœnitentiam, perfectionem consequi præcepit, secunda verò, quinquennij tempus explere.*

* XXV. Bar.

VICESIMVM quintum Capitulum de his, qui adulteras habent vxores, vel si ipsi adulteri comprobantur. In Concilio Ancyrano cap. 19. continetur. *Si cuius vxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem consequi secundum pristinos gradus.*

VICESIMVM sextum Cap. de Monachis & virginibus propositum non seruantibus in libro Decretorum beati Syricij Papæ cap. 6. continetur. *Præterea Monachorum quosdam, atque Monacharum, abiecto proposito sanctitatis, in tantum protestaris demersos esse lasciuiam, vt prius clanculo, vel sub Monasteriorum prætextu illicita ac sacrilega se contagione miscuerint; postea verò in abruptam conscientiæ desperationem perducti, de illicitis complexibus liberè filios procrearent, quod & publicæ leges & Ecclesiastica iura condemnant. Has igitur impudicas detestabilésque personas à Monasteriorum cœtu electorúmque conuentibus eliminandas esse mandamus, quatenus retrusæ in ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes purificato possint pœnitudinis igne decoquere, vt eis, vel ad mortem, saltim solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam, possit indulgentia subuenire.* B

VICESIMVM septimum Cap. de his, quæ non coactè, sed voluntate propria virginitatis propositum susceperunt, quod delinquant cùm nupserint, etsi nondum fuerint consecratæ, in libro Decretorum beati Leonis Papæ, cap. 28. continetur. *Puellæ quæ non parentum coacta imperio, sed spontaneo iudicio virginitatis propositum atque habitum susceperunt: si postea nuptias eligunt, præuaricantur etiam, si nondum eis gratia consecrationis accessit, cuius vtique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent.*

HÆC itaque, carissimi nobis & dilectissimi, quæ superiùs annexa sunt, in quantum miserante Deo valuimus, inter cetera Cap. deflorantes, tam sanctorum Apostolorum, quàm etiam beatorum Patrum sanctiones, seu etiam & probabilium beatissimorum Pontificum decreta, vt vniuscuiusque Capituli sententia continet, in breui eloquio perstringentes, ad vestri Præsulatus notitiam & prædicationem, atque populi vobis à DEO crediti ædificationem, mandauimus ministranda atque perficienda, hortantes vestram omnium prudentissimam sanctitatem, & Procerum dilectionem, * omni moderatione non declinantes à dextris aut sinistris, sed viam regiam incedentes, * constantissimè obseruetis Apostolica mandata. Etenim hæc, amantissimi nobis, vobis dedimus in mandatis, vt nec nos coram Deo de taciturnitate iudicemur, nec vos de neglectu coram eo cogamini reddere rationem, sicut scriptum est in Dominico præcepto: *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Itaque nihil excusationis adhibentes, omnium rationabilium animarum salutem procuretis, ita currentes in agone, vt non vituperetur ministerium vestrum, sed magis de palma victoriæ brauium accipietis iuxta egregij Apostoli dictum, habentes bonis actibus inhærendo, *repositam coronam iustitiæ* in siderea mansione, quam vobis reddat in illum diem iustus Iudex Dominus Deus & Saluator noster IESVS CHRISTVS, qui viuit in vnitate cum Deo patre omnipotente & Spiritu sancto per omnia secula seculorum, Amen. C

* B. vt omnimoda ratione.
* B. fortissimè.
Ioan. 15.
2. Tim. 4.

A *Item Epistola* STEPHANI *Papæ, ad Dominum* PIPPINVM *Regem, specialiter & singillatim pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ directa, vt in superiore eiusdem continetur Epistola, adiutorium volens obtinere contra Langobardos, per Georgium & VVarnebarium similiter directa.* PIPPINVS.

VI.

DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* STEPHANVS *Papa.* QVANTA luctuosa & amarissima tristitia circumuallati, quantáque anxietate atque angustia coarctati simus, & quantas crebrescentibus continuis malis oculi nostri distillantes profundant lachrymas, credimus quòd & ipsa omnium elementorum * figmenta enarrent. Quis enim harum tribulationum conspector non lugeat? Quis auditor harum nobis inhærentium calamitatum non vlulet? Quamobrem cuiusdam bonæ mulieris Susannæ pudicitiæ verba loquimur: *Angustia nobis vndique, & quid agamus ignoramus.* O filij excellentissimi & Christianissimi, vtinam omnipotens rerum creator Dominus, quemadmodum priscis temporibus Abacuc illum Prophetam ad refocillandum & consolandum Danielem præcipuum Prophetam abstrusum in leonum lacu, repentino volatu adportatum ab Angelo miserat; ita & nunc B si dici potest, eius misericordissima longanimitas à Deo seruatam Excellentiam tuam vel vnius horæ momento præsentem fecisset ad contemplandas ærumnosas & lugubres angustias & tribulationes, quas immaniter à Langobardorum gente & eorum nefando Rege patimur. Ecce venerunt nobis dies angustiæ, præsto sunt dies fletus & amaritudinis, dies anxietatis & gemitus doloris, quoniam quod timebamus euenit, & quod verebamur accidit. Pro quo angustiati, afflicti atque oppressi, & ex omni circumquaque parte circundari ab eorum nequissimo Haistulfo Rege, & eorum Langobardorum gente, profusis lacrymis percussóque pectore cum Propheta Dominum deprecantes dicimus: *Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter honorem nominis tui libera nos.* Et rursum: *Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium nostrum. Domine iudica nocentes nos, & expugna impugnantes nos.* Etenim sæpiùs bonitati tuæ innotescere videmur licèt nostras tribulationes, tamen & nunc luctu & gemitu referendum malorum pericula, quæ ab eodem proteruo Rege passi sumus, & eius gente Langobardorum, magno cogente periculo significandum statuimus.

* Baron. & Cent. segmenta.

Dan. 13.

Psal. 78.

Psal. 34.

IAM credimus, Christianissime & excellentissime fili, & spiritalis compater, omnia Nobilitati tuæ esse cognita, quomodo pacis fœdera ab impio Haistulfo Rege & eius gente dissipata sunt, & qualiter nihil iuxta vt constituit & per vinculum sacramenti confirmatum est, valuimus impetrare, etiam quia nullum augmentum nobis factum est, potius autem post desolationem totius nostræ Prouinciæ, & C plura homicidia ab eadem Gente perpetrata, etiam quod cum magnis lacrymis & dolore cordis dicimus, cognoscas, excellentissime fili & spiritalis compater, in ipsis Ianuariarum Kalend. cunctus eiusdem Haistulfi Langobardorum Regis exercitus è Tusciæ partibus in hanc ciuitatem Romanam coniunxerunt, & resederunt iuxta portam sancti Pancratij & Portuensem. Ipse verò Haistulfus cum aliis exercitibus coniunxit ex alia parte, & sua fixit tentoria iuxta portam Salariam, & ceteras portas, & nobis direxit dicens: "Aperite mihi portam Salariam, & ingrediar ciuitatem, & tradite mihi Pontificem vestrum, & habebo in vobis compassionem. Alioquin muros subuertens, vno vos gladio interficiam, & videam quis vos eruere possit à manibus meis."

SED & Beneuentani omnes generaliter in hanc Romanam vrbem coniungentes, resederunt iuxta portam beati Ioannis Baptistæ, & iuxta portam beati Pauli Apostoli, & ceteras istius Romanæ ciuitatis portas, & omnia extra vrbem prædia longè latéque ferro & igne consumpserunt, domos omnes comburentes, penè ad fundamenta destruxerunt, Ecclesias Dei incenderunt, & sacratissimas Sanctorum imagines in ignem proiicientes, suis gladiis consumpserunt, & munera sancta, id est, Corpus Domini nostri Iesu Christi in suis contaminatis vasibus quos folles vocant miserunt, & cibo carnium copioso saturati, comedebant eadem mu-

PIPPINVS. nera. Velamina altarium Ecclesiarum Dei, vel omnia ornamenta, quod nimis crudele & dici est, auferentes, in propriis vtilitatibus vsi sunt. Seruos Dei Monachos, qui pro officio diuino in Monasteriis morabantur, plagis maximis tundentes, plures laniauerunt, & Sanctimoniales fœminas atque Reclusas, quæ ab infantia & pubertatis tempore pro Dei amore sese clausuræ tradiderunt, abstrahentes cum magna crudelitate polluerunt. Qui etiam & in ipsa contaminatione alias interficere visi sunt, & omnes domos cultas beati Petri igni combusserunt, vel omnium Romanorum, vt dictum est, domos comburentes, extra vrbem funditus destruxerunt, & omnia peculia abstulerunt, & vineas ferè ad radices absciderunt, & messes conterentes, omninò deuorauerunt, & neque domui sanctæ nostræ Ecclesiæ, neque cuiquam in hac Romana vrbe commoranti spes viuendi remansit, quia, vt dictum est, omnia ferro & igne consumpserunt, & multos interfecerunt. Sed & copiosam familiam beati Petri, & omnium Romanorum, tam viros quàm mulieres iugulauerunt, & alios plures captiuos duxerunt. Nam & innocentes infantulos à mamillis matrum suarum separantes, ipsásque vi polluentes, interemerunt ipsi impij Langobardi, & tanta mala in hac Romana prouincia fecerunt, quanta certè nec paganæ Gentes aliquando perpetrarunt: quia etiam si dici potest, & ipsi lapides nostras desolationes videntes vlulant nobiscum. Quinquaginta & quinque dies hanc afflictam ciuitatem Romanam obsidentes, & ex omni parte circundantes, prælia fortissima die noctúque cum pessimo furore incessanter contra nos ad muros istius Romanæ vrbis commiserunt, & non deficiebant impugnantes nos, vt suæ potestati, quod auertat Diuinitas, subiiciens omnes vno gladio idem iniquus Haistulphus interimeret. Ita enim exprobrantes nobis asserebant: » Ecce circumdati estis à nobis, & non effugietis manus nostras. Veniant nunc Franci, & » eruant vos de manibus nostris. Nam & ciuitatem Narniensem, quam beato Petro tua Christianitas concessit, abstulerunt; & aliquas ciuitates nostras comprehenderunt. Quamobrem afflicti vix potuimus per maximum ingenium marino itinere præsentes nostras Litteras & Missos ad tuam excellentissimam Christianitatem dirigere, quas & cum magnis lacrymis scripsimus, qui etiam probante veritate dicimus, per vnamquamque Literam lacrymas sanguine mixtas exprimeremus. Et vtinam præstaret nobis Dominus, vt qua hora nostram luctuosam exhortationem legeris, in præsentia tua per omnem Literam sanguine plenæ lacrymæ fluerent!

VNDE, fili excellentissime & spiritalis compater, peto te, & tanquam præsentialiter adsistens, prouolutus terræ & tuis vestigiis me prosternens, cum diuinis mysteriis coniuro coram Deo viuo & vero, & eius Principe Apostolorum beato Petro, vt sub nimia festinatione & maxima celeritate nobis subuenias, ne pereamus: quoniam post Dominum, in tuis manibus nostrûm omnium Romanorum commisimus animas. Non nos derelinquas, sic non te derelinquat Dominus in omnibus tuis actibus & operibus. Non nos spernas, sic non te spernat Dominus inuocantem eius potentiam. Ne elonges à nobis auxilium tuum, Christianissime fili & spiritalis compater, sic non elonget Dominus auxilium suum & protectionem à te tuáque Gente, dum ingressi fueritis contra inimicos vestros ad dimicandum. Adiuua nos, & auxiliare nostri sub magna velocitate, Christianissime, sic adiutorium sumas à Deo omnipotente, qui te vnxit super turbas populorum per institutionem beati Petri in Regem. Occurre, occurre fili, occurre & subueni nobis, antequam gladius inimicorum ad cor nostrum pertingat. Peto te, ne pereamus, » nequando dicant Gentes, quæ in cuncto Orbe terrarum sunt: Vbi est fiducia » Romanorum, quam post Dominum in Regibus Francorum habebant? Non nos patiaris perire, & ne moreris, aut differas nobis * solatiandum. Nec à tuo nos separes auxilio, sic non sis alienus à regno Dei, & inseparatus à tua dulcissima coniuge, excellentissima Regina & spiritali nostra commatre. Non nos amplius anxiari & periclitari, atque in luctu & fletu perseuerare permittas, bone excellentissime fili & spiritalis compater, sic non superueniat tibi luctus de tuis meisque dulcissimis filiis domno Carolo & Carolomanno excellentissimis Regibus & Patriciis. Non obdures aurem tuam ad audiendum nos, & ne auertas faciem tuam à nobis. Ne confundamur in nostris petitionibus, & ne periclitemur vsque in finem. Sic non obduret Dominus aurem suam tuas ad exaudiendum preces, &

* ad solatiandum.

A ne auertat faciem suam à te, in illo futuri examinis die, quando cum beato Petro & ceteris suis Apostolis ad iudicandum sederit omnem ordinem, omnem sexum, omnémque potestatem humanam, & seculum per ignem: dicatúrque tibi, quod auertat diuinitas: Nescio te, quia non auxiliatus es Dei Ecclesiæ, & defendere minimè procurasti eius peculiarem populum periclitantem.

Avdi me, fili, audi me, & subueni nobis. Ecce adest tempus saluandi nos, salua nos antequam pereamus, Christianissime Rex! Quid enim melius, quídve elegantius aut egregius, quàm periclitantes & in angustia positos saluare? Scriptum quippe est: *Qui saluat, tanquam qui ædificat.* Hinc enim præcipuus Isaias Propheta ait: *Subuenite oppresso.* Omnes enim Gentes, quæ circumquaque sunt positæ, & ad vestram per Dei potentiam Francorum fortissimam gentem refugium fecerunt, saluæ factæ sunt. Et si omnibus Gentibus auxilium impertire non differtis, & per vos saluæ efficiuntur, multò amplius sanctam Dei Ecclesiam & eius populum de inimicorum impugnatione debueratis liberare. O quanta fiducia in nostro inerat corde, quando vestrum mellifluum conspicere meruimus vultum, & in caritatis vinculo sumus alligati atque connexi, in magna quiete & securitate nos permanere! Sed dum à vobis sperabamus lucem videre, eruperunt tenebræ, & facta sunt nouissima nostra peiora prioribus. Considera fili, considera, & omninò percogita, per Deum viuum te coniuro, quoniam & nostra, & omnis Romanorum populi animæ post Deum & eius Principem Apostolorum in tua à Deo B protectâ Excellentiâ, & gente Francorum à Deo tibi commissâ pendent, quia, vt prælatum est, in gremio tuo nostras commisimus animas: & si perire, quod absit, & auertat diuina clementia, nos contigerit, perpende obsecro, & omni modo perpensa, in cuius animam respiciat ad peccatum. Certè enim omninò crede Christianissime, si nobis aliqua euenerit calamitas, quod absit, periclitandi, tu de omnibus, à Deo protecte, dilectissime nobis, ante tribunal Dei eris redditurus rationem, cum omnibus tuis Iudicibus, quoniam, vt prælatum est, nulli alio, nisi tantummodò tuæ amantissimæ Excellentiæ, vel dulcissimis filiis, & cunctæ genti Francorum per Dei præceptionem, & beati Petri sanctam Dei Ecclesiam, & nostrum Romanorum Reipublicæ populum commisimus protegendum.

Ecce omnes nostros dolores & anxietates atque angustias tuæ à Deo protectæ bonitati innotuimus. Tu verò, excellentissime fili, & spiritalis compater, age & libera post Dominum in te confugientes, vt fructum bonum afferens in futuri examinis die merearis dicere: Domine meus Princeps Apostolorum beate Petre, ecce ego clientulus tuus, cursum consummans, fidem tibi seruans, Ecclesiam à superna clementia tibi commendatam de manibus persequentium defendens, liberaui, & assistens immaculatus coram te, offero tibi pueros quos mihi commisisti, de manibus inimicorum eruendos, sospites atque incolumes existentes. Tunc & in C præsenti vita Regni gubernacula tenens, etiam & in futuro seculo cum Christo regnans, cœlestium præmiorum gaudia adipisci merearis, audiens nimirum paternam desiderabilem vocem illam inquientis: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis præparatum est ab origine mundi.* Matth. 25. Incolumem Excellentiam tuam superna gratia custodiat.

* *Embolum.*

* Vulgo Post scriptum.

* Opere namque direximus ad vestram Christianissimam Excellentiam præsentem nostrum Missum Georgium reuerentissimum ac sanctissimum fratrem & Coëpiscopum nostrum, atque VVarneharium religiosum Abbatem, Missum vestrum, seu Thomaricum & Comitem, magnificos item missos nostros, qui vobis nostros omnes dolores & cunctas desolationes quas à Langobardorum gente & eorum proteruo Rege passi sumus, & assiduè patimur, vobis subtili enarratione, sicut propriis oculis viderunt, viua voce dicere debeant, quibus & in omnibus tanquam nobismetipsis credere iubeat Christianissima Excellentia vestra, & nostram liberationem nimis festinanter procurare. Et coniuro te per Deum viuum & verum, à Deo protecte fili & spiritalis compater, vt nequaquam amplius discredas nostras afflictiones, & nullo modo neglectum ponatis ad liberandum nos, ne, quod absit, si amplius credere distuleris, & neglexeris nos eruendum, nobis, quod auer-

* Oporti- néque.

PIPPINVS, CAROLVS, CARLOMANNVS.

cat diuinitas, inruat calamitas pereundi, & vobis pertineat ad magnum detrimentum & peccatum atque condemnationem, in præsenti & æterna vita: quia vobis animas omnium nostrum Romanorum tradimus; sed magis magisque vt prælatum est, coniuramus te, à Deo seruate excellentissime fili & spiritalis compater, per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Trinitatem indiuisam, vt nostras tribulationes & angustias atque dolores & desolationes credere iubeatis sine qualibet ambiguitate, & nobis propter Deum subuenire, & ad liberandum nos de manibus Langobardorum inimicorum nostrorum nimis festinanter occurrere digneris; vt fructum afferens copiosum, victor, intercedente beato Petro, super omnes barbaras Nationes efficiaris, & vitam æternam possideas. Præfatus verò VVarneharius Abbas pro amore beati Petri loricam se induens, per muros istius afflictæ Romanæ ciuitatis die noctúque vigilauit, & pro nostra omnium Romanorum defensione atque liberatione vt bonus athleta Christi totis suis viribus decertauit.

Item Epistola eiusdem STEPHANI *Papæ ad domnum* PIPPINVM *Regem, &* CAROLVM *&* CARLOMANNVM, *pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ, quia Haistulfus irritum fecerat pactum quod cum eis fecerat, & suum sacramentum non conseruauerat, sicut pollicitus eisdem Regibus fuerat, &c.* B

VII.

DOMNIS *excellentissimis filiis* PIPPINO *Regi & nostro spiritali compatri,* CAROLO *&* CAROLOMANNO *item Regibus, & vtrisque Patriciis Romanorum,* STEPHANVS *Papa.* DVM Regni vestri nomen inter ceteras Gentes erga sinceram fidem beati Petri principis Apostolorum lucidissimè fulserit, valde studendum est, vt vnde gloriosiores ceteris Gentibus in seruitio beati Petri vos omnes Christiani asserunt, inde omnipotenti Domino, qui dat salutem Regibus, pro defensione sanctæ suæ Ecclesiæ perfectiùs placeatis, vt fidem, quam erga eundem Principem Apostolorum colitis, adiutricem in omnibus habeatis. Optaueramus quidem, præcellentissimi filij, ampliùs protelando nostram locutionem dilatare. Sed quia pro multis ab iniquo Haistulfo Rege Langobardorum nobis ingestis tribulationibus, cor nostrum omninò atteritur dolore, & tædet spiritus noster, ideò à multorum sermonum prolixitate declinauimus, & vnum, quod est necessarium, excellentissimæ Christianitati vestræ innotescere studuimus, à Deo protecte nosterque spiritalis compater, & vos dulcissimi filij, pro mercede animarum vestrarum, quemadmodum misericors Deus noster cœlitus victorias vobis largiri dignatus; iustitiam beati Petri, in quantum potuistis, exigere studuistis, & per donationis paginam restituendum confirmauit bonitas vestra.

NVNC autem, sicuti primitus Christianitati vestræ de malitia ipsius impij Regis ediximus: ecce iam mendacium & iniqua peruersitas, atque eius periurium declaratum est. Antiquus quippe humani generis hostis diabolus eius perfidum inuasit cor, & quæ sub vinculo sacramenti adfirmata sunt, irrita facere * visus est. Nec vnius enim palmi terræ spatium beato Petro sanctæque Dei Ecclesiæ, vel reipublicæ Romanorum reddere passus est. Tanto quippe à die illo, à quo ab inuicem separati sumus, nos affligere, & in magna ignominia sanctam Dei Ecclesiam habere conatus est, quanto non possunt hominum linguæ enarrare: quia etiam & ipsi lapides, si dici potest, tribulationem nostram magno vlulatu flerent, & ita nos visus est affligere, vt denuò in nobis innouata fuisset infirmitas. Nimis namque lugeo, excellentissimi filij, cur verba nostræ infelicitatis non audientes, mendacium plus quàm veritatem credere voluistis, illudentes vos & irridentes. Vnde & sine * affectu iustitiæ beati Petri, ad proprium ouile & populum nobis commissum sumus reuersi. Omnes denique Christiani ita firmiter credebant, quòd beatus Petrus, Princeps Apostolorum, nunc per vestrum fortissimum brachium suam percepisset iustitiam, dum tam maximum ac præfulgidum miraculum vestris felicissimis temporibus demonstrauit, talémque vobis immensam victoriam Dominus Deus & Saluator Iesus Christus per intercessiones sui Principis Apostolorum pro defensione sanctæ suæ Ecclesiæ largiri dignatus est. Sed tamen boni filij credentes

* *for.* ausus est.

* effectu.

Vide Bar. anno 755. *n.* 24. *& seq.*

A eidem iniquo Regi, quod per vinculum sacramenti pollicitus est, propria vestra voluntate per donationis paginam beato Petro sanctæque Dei Ecclesiæ, & reipublicæ, ciuitates & loca restituenda confirmastis. Sed ille oblitus fidem Christianam & Deum, qui eum nasci præcepit, irrita, quæ per sacramentum firmata sunt, facere * visus est. Quapropter *iniquitas in verticem illius descendit*, patefactus quippe est laqueus, quem effodit, & in eo, pro suo mandato & periurio, incidit.

PIPPINVS, CAROLVS, CARLOMANNVS.

* ausus est. *Psal. 7.*

CONIVRO vos, filij excellentissimi, & à Deo protecti, per Dominum Deum nostrum, & sanctam eius gloriosam sempérque Virginem genitricem Mariam, Dominam nostram, omnésque Virtutes cœlorum, & per beatum Petrum principem Apostolorum, qui vos in Reges vnxit, vt doleat vobis pro sancta Dei Ecclesia, & iuxta donationem, quam eidem protectori vestro Domino nostro beato Petro offerre iussistis, omnia reddere & contradere sanctæ Dei Ecclesiæ studeatis: & nequaquam iam ipsius nequissimi Regis, vel eius iudicium, * seductuosa verba, & illusionis mandata credatis. Ecce enim patefactum est eius mendacium, vt nequaquam vlterius vires credendi habere possit; sed magis, cognito eius iniquo ingenio & iniqua voluntate, eius fraudantur insidiæ, & quod semel beato Petro polliciti estis, & per donationem * vestram manu firmatam, pro mercede animæ vestræ, beato Petro reddere & contradere festinate.

Vide hanc donationem apud Bar. loc. cit. n. 26. & 27.

* seductoria.

* vestra.

B BEATVS denique Paulus Apostolus ait, *Melius est non vouere, quàm post votum non reddere.* Et enim nos omnes causas sanctæ Dei Ecclesiæ in vestro gremio commendauimus, & vos reddetis Deo & beato Petro rationem in die tremendi iudicij, quomodo decertaueritis pro causa eiusdem Principis Apostolorum, & restituendis eius ciuitatibus & locis. Vobis denique, multis iam deuolutis temporibus, hoc bonum opus reseruatum est; vt per vos exaltetur Ecclesia, & suam Princeps Apostolorum percipiat iustitiam. Nullus meruit de vestris parentibus tale præfulgidum munus, sed vos prælegit & præsciuit Deus ante tempora æterna, sicuti scriptum est: *Quos præsciuit & prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, illos & iustificauit.* Vocati estis, iustitiam ipsi Principi Apostolorum sub nimia festinatione facere studete, quia scriptum est: *Fides ex operibus iustificatur.* De omnibus verò tribulationibus nostris, quas passi sumus, vel denuò patimur, Deo auxiliante, Folradus filius, vester Consiliarius, & eius socij, enarrabunt vobis: & ita agite de causa beati Petri, vt & in hac vita victores fauente Domino existatis, & in futuro, intercedente ipso Principe Apostolorum beato Petro, gaudia possideatis æterna. Benè valete excellentissimi filij.

Hæc sententia est Ecclesiastæ cap. 5. Cur ergo adscribitur S. Paulo? Quia Pōtifex sensū spectauit. Exstat autē sensus 1. Timot. 5. vbi viduæ, quæ primā fidem irritam fecerūt damnationē habere affirmātur. Iacob. 2. vbi fides sine operibus mortua dicitur: & multa de iustificatione ex operibus recensentur.

Item Epistola eiusdem ad Domnum PIPPINVM *Regem, per Folradum Capellanum, & Georgium Episcopum, atque Ioannem Sacellarium, post mortem * Haistulfi directa. In qua continentur gratiarum actiones, & benedictiones vberrimæ pro victoria & restitutione sanctæ Dei Ecclesiæ, poscens in futurum ea quæ deerant restituenda.*

C

* Mortuus est anno Christi 756.

VIII.

DOMNO *excellentissimo filio & nostro spiritali compatri* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* STEPHANVS *Papa.* EXPLERE lingua, excellentissime fili, non valemus, quantum tuo opere, tua vitâ delectamur. Facta quippe diebus nostris virtute diuinâ miracula vidimus, quod per Excellentiam tuam sancta omnium Ecclesiarum Dei mater & caput, fundamentum fidei Christianæ, Romana Ecclesia: quæ valde ab hostium impugnatione * periculorum impugnationibus lamentabatur, magna nunc gaudij soliditate, nimirum est translata atque confirmata, & mœrentes Christianorum animæ tuo fortissimo præsidio maximè sunt releuatæ lætitia. Pro quo in vestro opere & nostra exultatione libet cum Angelis exclamare: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et quia elapso anno, isto in tempore, valde ab hostium depopulosa impugnatione sauciati, & vltra citráque circumdati affligebamur, nunc autem tuo potentissimo auxilio erepti ab imminentibus periculis, immenso exultamus gaudio, & benedicentes nomen Domini cum Psalmographo consona dicimus voce: *Hæc*

Exstat apud Bar. Tom. 9. anno 756. & Cent. 8. cap. 10.

* *Ita quoquè Centur. sed Bar.* Quæ valde ab hostiū impugnationibus lamentabatur.

Luc. 2.

PIPPINVS. Psal 76. Psal. 29. *est immutatio dextera Altißimi.* Et rursum: *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Cuius enim vel saxeum pectus tam benigno opere à tua præclarâ bonitate peracto cognitóque, non statim in omnipotentis Dei laudibus, atque in tuæ Excellentiæ amorem mollescat? Hæc me, fateor, excellentissime fili, & spiritalis compater, quæ per te mirabiliter facta sunt, sæpè conuenientibus ex vniuerso Orbe terrarum nationibus, dicere; sæpè cum eis pariter admirari delectat, & extensa voce mellifluæ tuæ Excellentiæ laudes persoluere indeficienter, hæc me plerumque etiam in momento horarum excitant indeflexibili oculo pro immensa bonitatis tuæ & vniuersæ Gentis Francorum sospitate omnipotenti Deo fundere preces. Denique, amantissime & à Deo inspirate victor, felix, & diuina prouidentia fortissime Rex, qualiter beatus Petrus Apostolorum Princeps tuæ deuotionis affectum, quem pro eius causa decertans adhibuisti; susceperit, ipsa Prouerb. 15. cunctis liquidò vita vestra testatur. Scriptum quippe; *vota iustorum placabilia.* Libet quippe omninò, excellentissime fili, tuæ bonitati magnas gratiarum persoluere laudes, & nomen Domini pro tam maxima benignitate glorificantes exhilarata Luc. 1. voce canere: *Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitans plebem suam & redemptionem facere* cupiens populo suo, suscitauit te nobis, Christianissime victor nostris diebus fortissimum liberatorem. Quid enim aliud, quàm nouum te dixerim Moysen, & præfulgidum asseram Dauid Regem? Quoniam quemadmodum illi ab oppressionibus allophylorum populum Dei liberauerunt; ita quoque tu, benedicte à Deo victor, fortissime Rex, tuo certamine, Ecclesiam Dei, & eius afflictum populum, ab hostium impugnatione eruere studuisti. B

BENEDICTVS es, eximie fili, à Deo excelso, qui fecit cœlum & terram. Et benedictus Deus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiæ, & tuos amantissimos natos, meósque spiritales filios, domnum CAROLVM & CAROLOMANNVM, à Deo institutos Reges Francorum, & Patricios Romanorum, cum Christianissima eorum matre, excellentissima Regina, dulcissimáque coniuge, fidele Dei, spiritali nostra commatre, tueatur, & in omnibus protegat. Dilatet Deus semen vestrum, & benedicat in æternum, atque solium Regni fruendum perenniter concedat, & vniuersam Gentem Francorum sub vestra ditione permanentem illæsam custodiat.

VALE in Domino, Rex benignissime, quia per te sanctæ Dei Ecclesiæ inimici humiliati sunt, & magna lætitia ipsa sancta Dei Ecclesia est releuata, & eius peculiaris populus iocundatur, & per te benedictus dicitur, pro quo & eius benedictio super te pleniùs est effusa. Gaudium enim vberrimum in vniuersum Orbem terrarum intulisti. Magna sunt hæc, & omnipotentis Dei laudibus tribuenda, sed inter hæc misericordissimi Dei nostri clementiam indesinenter petimus, vt cœlestis sui regni * gaudia vobis tribuat vicissitudine.

* B. & C. gaudio vobis tribuat vicissitudinem.

QVAPROPTER cum magnâ fiduciâ, tanquam præsentialiter, coram tuo mellifluo consistens aspectu, flexis genibus petens peto te, & omninò coram Deo viuo deprecor, vt iubeas firmiter in hoc bono opere, sicut certè confidimus, vsque in finem permanere pro sanctæ Dei Ecclesiæ perfecta exultatione, & eius populi deliberatione, & integra securitate, & plenariam iustitiam eidem Dei Ecclesiæ tribuere digneris, atque optimum & velocem finem, in causa fautoris tui beati Petri, adhibere iubeas, vt ciuitates reliquas, quæ sub vnius dominij ditione erant connexæ, atque constitutos fines, territoria, etiam loca & saltora, in integro matri tuæ spiritali sanctæ Ecclesiæ restituere præcipiatis: vt populus Dei, quem à manibus inimicorum redemisti, in magna securitate & delectatione, tuo auxilio adiutus, viuere valeat, quoniam & filius noster Deo amabilis Folradus, fidelis vester, omnia conspiciens * satisfactus est, quòd nequaquam ipse populus viuere possit extra eorum fines, & territoria atque possessiones, absque ciuitatibus illis, quæ semper cum eis sub vnius dominij ditione erant connexæ. Peto te, fili, peto te coram Deo viuo, & fortiter coniuro, spiritalis compater, vt in hoc bono opere perfectiùs maneas, & non hominum blandimentis aut suasionibus, vel promissionibus, quod absit, faueas, & in aliam declines partem: sed magis verè timens Deum, omnia, quæ beato Petro sub iureiurando promisisti, adimplere iubeas, & sicut cœpisti, plenariam iustitiam illi impertire. C

* Bar. & Cent. satis testatus est.

ETENIM tyrannus ille, sequax Diaboli, Haistulfus deuorator sanguinum

Christia-

A Christianorum, Ecclesiarum Dei destructor, diuino ictu percussus est, & in inferni voraginem demersus. In ipsis quippe diebus, quibus hanc Romanam vrbem deuastandam profectus est, post annui spatij circulum, ita diuino mucrone percussus est, vt profectò in eo tempore, quo fidem suam tentans diuersa piaculi scelera perpetratus est, in eo & suam impiam finiret vitam. Nunc autem, Dei prouidentia, per manus sui principis Apostolorum beati Petri, simul & per tuum fortissimum brachium, præcurrente industria Deo * amabilis viri FOLRADI, tui fidelis, nostri dilecti filij, ordinatus est Rex super Gentem Langobardorum Desiderius, vir mitissimus, & in præsentia ipsius Folradi sub iureiurando pollicitus est, restituendum beato Petro ciuitates reliquas, Fauentiam, Imolam, & Ferrariam, cum eorum finibus, simul etiam & saltora, & omnia territoria: necnon & Ausimum, Anconam, & Humanam ciuitates, cum eorum territoriis: & postmodum per Garinodum Ducem, & Grimoaldum nobis reddendum spopondit ciuitatem * bonam cum finibus eius, & in pacis quiete cum eadem Dei Ecclesia & nostro populo semper mansurum professus est, atque fidelem erga à Deo protectum Regnum vestrum esse testatus est; & petiit nos, quatenus bonitatem tuam deprecaremur, vt cum eo & cuncta Gente Langobardorum magnam pacis concordiam confirmare iubeas.

PIPPINVS.

* Vide Bar anno 756. n. 3. & seq.

* Bononiã.

NAM & Spoletini Ducatus generalitas per manus beati Petri, & tuum fortissimum brachium, constituerunt sibi Ducem, & tam ipsi Spoletani, quámque etiam Beneuentani, omnes se commendare per nos à Deo seruatæ Excellentiæ tuæ cupiunt, & imminent anhelantius in hoc deprecando bonitatem tuam. Vnde petimus te, excellentissime fili, & spiritalis compater, vt si prædictus Desiderius, quemadmodum spopondit, iustitiam sanctæ Dei Ecclesiæ suæ, Reipublicæ Romanorum, beato Petro protectori tuo pleniùs restituere, & in pacis quiete cum Ecclesia Dei, & nostro populo, sicut in * pactibus, à tua bonitate confirmatis continetur, permanserit cum vniuersa sua Gente, iubeas in id, quod petiit, tuas à Deo inspiratas aures inclinare. Hoc interea anhelantius, vt nimis velociter, eidem Desiderio Regi, obtestando, admonendo, etiam & præcipiendo, dirigere iubeas, vt reliquas ciuitates, loca, fines & territoria, atque patrimonia & saltora, in integro suæ Ecclesiæ reddere debeat, & tale fundamentum, & optimum finem in causa eius imponere iubeas, vt auxiliante Domino ipsa sancta Dei Ecclesia secura maneat vsque in finem seculi, vt plenaria iustitia à iusto Iudice, Domino Deo nostro, & memoriale nomen tibi in secula maneat, vel etiam cunctæ Christo protectæ Genti vestræ Francorum.

B

* pactis; B. partibus.

INSPIRATVS autem à Deo nimis festinanter causam sanctæ Ecclesiæ perficies; quia sunt aliæ canonicæ causæ, quas perficere debeamus, pertinentes ad magnam Regni tui laudem, & magnam animæ tuæ, vel cunctæ Gentis Francorum, immensam mercedem. Et hoc obnixè postulamus præcelsam bonitatem tuam, vt inspiratus à Deo, & eius principe Apostolorum beato Petro, ita disponere iubeas de parte Græcorum, vt fides sancta Catholica & Apostolica per te integra & inconcussa permaneat in æternum, & sancta Dei Ecclesia, sicut ab aliis, & ab eorum pestifera malitia liberetur, & secura reddatur, atque omnia proprietatis suæ percipiat. Vnde pro animæ vestræ salute indefessa luminariorum concinnatio Dei Ecclesiis permaneat, & esuries pauperum egenorum vel peregrinorum nihilominus * resecetur, & ad veram saturitatem perueniant.

C

* f. releuetur.

QVALITER autem cum Silentiario locuti fueritis, vel quomodo eum tua bonitas absoluerit, vna cum exemplari Litterarum, quas ei dederitis, nos certiores reddite: vt sciamus, qualiter in communi concordia agamus, sicut inter nos & Folradum, Deo amabilem, constitit. Ipse verò dilectus filius noster Folradus in omnibus causis iuxta tuam præceptionem peregit, & maximas gratias illi egimus pro suo certamine. Qui videlicet ad vos reuertens, omnia qualiter acta sunt, bonitati vestræ intimabit. Præsentes verò fidelissimos nostros, id est, Georgium reuerentissimum ac sanctissimum Fratrem & Coëpiscopum nostrum, atque Ioannem Regionarium, nostrúmque Sacellarium, petimus, vt hilariori suscipiens vultu, in omnibus acceptare iubeas, & quicquid nostra vice bonitati tuæ locuti fuerint, eis in omnibus credere digneris, atque cum effectu causæ & lætabundis nuntiis ad nos remeandos absoluere iubeas. Nam & hoc obsecramus bonitatem tuam,

PIPPINVS. vt nimis celeriter ad nos * coniungendum absoluere præcipias reuerendissimum A Fratrem & Coëpiscopum nostrum VVicharium.

* B. & C. cõmigrandum.

OMNIPOTENS autem Deus in cunctis actibus tuis, excellentissime victor Rex, suæ dextræ extensione te protegat, tibique & præsentis vitæ prospera, & post multorum annorum curricula gaudia æterna concedat, faciatque cum tua dulcissima coniuge, excellentissima Regina, spiritali nostra commatre, & vestris meisque dulcissimis filiis maximo gaudio iocundari, & Regni vestri gubernacula à Deo vobis concessa perfrui, & qui in præsenti vita Regni potestatem tenetis, etiam futuro in seculo cum Christo in æternum regnetis, promerentes illam Dominicam promissionem audire: *Venite benedicti patris mei*, pro eo quod certamen bonum certati estis, cursum consummastis, fidem seruastis. Sumite positas vobis coronas, & accipite Regnum vobis ab origine mundi præparatum. Nam & ex hoc præcelsæ & à Deo custoditæ Excellentiæ vestræ innotescimus, quia petiit nobis Optatus religiosus Abbas vestri Monasterij sancti Benedicti pro Monachis suis, qui cum tuo germano profecti sunt, vt eos absoluere iubeas, sed qualiter tua fuerit voluntas, ita de eis exponere iubeas. Incolumem Excellentiam tuam gratia superna custodiat.

Matth. 25.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad domnum PIPPINVM, CAROLVM, *&* CAROLOMANNVM *dilectum, in quo continetur quòd Haistolfus irritum fecerat pactum & iuramentum, quod iisdem Regibus de iustitia sancti Petri pollicitus fuerat, cum nimiis adiurationibus, iterum postulans adiutorium obtinere contra eundem.* B

IX.

Exstat apud Bar. anno 755. & Cent. 8. cap. 10.

DOMNIS *excellentissimis filiis* PIPPINO *Regi & nostro spiritali compatri, seu* CAROLO *&* CAROLOMANNO *item Regibus, & vtrisque Patriciis Romanorum*, STEPHANVS *Papa*. PROVIDI & sapientissimi Salomonis Prophetica ita fertur assertio: *Nomen bonum super misericordiam*. Nomen quippe bonum est, fidem, quam quis pollicitus fuerit, immaculato corde & pura conscientia custodire, & operibus implere. Nomen enim bonum est, totis viribus ad exaltationem sanctæ Dei Ecclesiæ, per quam & salus Christianorum existit, decertare. Bonum enim inter omnes Gentes de vobis exiit nomen; si operibus fuisset impletum. Redemptor namque noster misericors & multum miserator Dominus, illis propitiator existit, quos omninò tota mentis integritate fideles & defensores sanctæ suæ Ecclesiæ cognouerit. Qualis remuneratio, aut merces sub cœlo existimanda & coæquanda est, ad eam quæ pro defensione Dei Ecclesiæ & domus beati Petri est rependenda? Ideo namque excellentissimam & à Deo protectam bonitatem vestram super turbas populorum, & multarum Gentium idem Rex Regum & Dominus dominantium saluos vos instituit, vt per vos sancta Dei Ecclesia exaltetur. Potuerat namque alio modo, vt illi placitum fuisset, sanctam suam vindicare Ecclesiam, & iustitiam sui principis Apostolorum exigere. Sed quia mentem & conscientiam vestram, à Deo profectè spiritalis compater, & dulcissimi filij, probare voluit, ideò nostram infelicitatem ad vos venire præcepit. Tradidimus enim corpus & animam nostram in magnis laboribus viam spatiosam & longinquam prouinciam. Valde fisi in vestra fide, per Dei nutum, illuc profecti sumus, afflicti in niue & frigore, æstu & aquarum inundatione, atque validis fluminibus & atrocissimis montibus, seu diuersis periculis. C

ETENIM dum vestris mellifluis obtutibus præsentati sumus, omnes causas Principis Apostolorum in vestris manibus commendauimus, quoniam quidem, inspirati à Deo, aurem petitionibus nostris adcommodare dignati estis, & vos beato Petro polliciti estis eius iustitiam exigere, & defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ procurare, & vt verè fideles Deo, pura mente, pro defensione Dei Ecclesiæ dimicandum properastis. Sed omnipotens Dominus, qui conterit bella ab initio, qui superbos humiliat, & humiles exaltat, illicò iustitiam beati Petri vestræ bonitati, & omnibus Christianis demonstrauit, & tale præfulgidum miraculum osten-

A dit, quale omninò gloriosum est referendum: illi enim inimici Dei & sanctæ Ecclesiæ, qui in sua ferocitate confidebant, veloces pedes habentes ad effundendum sanguinem, super breuem numerum populi vestri irruerunt, & ita per manum beati Petri omnipotens Dominus victoriam vobis largiri dignatus est, vt illi, qui innumerabiles existebant, à paucis hominibus fuissent interempti, & humiliati sunt ipsi inimici beati Petri vsque ad terram; & ita timorem & tremorem in illis Dominus immisit per intercessiones beati Petri, vt ad nihilum deuenirent. Non enim gladius hominis, sed gladius Dei est, qui pugnat. Videns namque suam deceptionem iniquus Haistolfus Rex cum suis Deo destructis Iudicibus, per blandos sermones, & suasiones atque sacramenta illuserunt prudentiam vestram, & plus illis falsa dicentibus, quàm nobis veritatem asserentibus, credidistis. PIPPINVS, CAROLVS, CARLOMANNVS.

MAGNO namque dolore & tristitia, excellentissimi filij, cor nostrum repletum est. Cur minimè bonitas vestra nos audire voluit? Omnia denique, quæ per Dei iussionem vobis locuti sumus, veraciter ediximus, & iam patefacta sunt, vt facta ipsa demonstrant. Etenim sicut primitus Christianitati vestræ ediximus, iniquus Haistolfus Rex, ingresso in eius perfido corde Diabolo, omnia, quæ per sacramentum beato Petro, per nostros Missos, restituenda promisit, irrita fecit, & nec vnius palmi terræ spatium beato Petro reddere voluit. A die enim illo, quo à mellisflua bonitate vestra separati sumus, tantum nos affligere, & tribulare visus est, quantum non potest os hominis enarrare. In magna namque despectione sanctam Dei Ecclesiam, & nostram humilitatem, & vestros Missos habere visus est;
B quia etiam & ad nostram propriam animam auferendam mala eius imperatio & summissio facta est. Quid multa dicimus? Tantum nos tribulauit, quia etiam, si dici potest, & ipsi lapides pro nobis flerent, tamen omnia vester consiliarius Fulradus Presbyter & Abbas, vna cum suis sociis, si Deum præ oculis habent, omnia vobis enarrare possunt. Non enim, quia iam reddere, vt constituit, propria beati Petri voluit, sed etiam * scameras atque deprædationes seu deuastationes in ciuitatibus & locis beati Petri facere sua imperatione nec cessauit, nec cessat. Oblitus quippe est Deum, qui fecit eum, & fidem Christianam transgressus est, quomodo vlterius credendus est siue ipse, siue eius consentanei, qui tanta Dei mysterij sacramenta præbuerunt, & noluerunt conseruare? Verè enim omnia vobis prædiximus de eiusdem impij Regis mendacio & falsitate, & quemadmodum diximus, manifesta sunt vobis, & periurium eius declaratum est. * Bar. scamaras.

PRO quo peto vos, excellentissimi & à Deo protecti filij, & nimis obsecro, doleat vobis pro sancta Dei Ecclesia, & beati Petri causa, & quæ per donationem beato Petro offerendum promisistis, ei possidendum contradere debeatis. Mementote & semper in vestris præcordiis firmiter tenete, quod promisistis eidem ianitori regni cælorum. Nulla iam vos seducat suasio aut acceptilatio. Considerate quàm fortis existit exactor idem princeps Apostolorum beatus Petrus; videte omnia quæ
C ei promisistis, & per donationem offerendum polliciti estis, contradere festinate, vt non lugeatis in æternum, & condemnati maneatis in futura vita. Vita enim huius mundi breuis est, & sicut vmbra declinatur, & sicut vestimentum inueterascit. Illam vitam æternam, quam vobis beatus Petrus pro sua causa & iustitia promisit, tota mente & integro corde quærite: Decertate bonum opus, quod cœpistis, implere, & quæ per donationem manu vestra confirmastis, protectori vestro beato Petro reddere festinate, quoniam scriptum est: *Melius est non vouere, quàm vouere, & votum non reddere.* Sciatis enim, quia sicut Chirographum, vestram donationem princeps Apostolorum firmiter tenet, & necesse est, vt ipsum Chirographum expleatis, ne dum iustus Iudex ad iudicandum viuos & mortuos, & seculum per ignem, aduenerit, in futuro iudicio, idem princeps Apostolorum idem Chirographum demonstrans nullam habere firmitatem, destrictas cum eo faciatis rationes. Sed magis explete quod promisistis velociter, vt iterum vitam æternam, quam ab ipso principe Apostolorum promissam habetis, possideatis. Eccles. 5.

CONIVRO vos, excellentissimi & à Deo protecti filij, per Deum omnipotentem qui continet omnia sua potentia, & per sanctam eius matrem gloriosam semper virginem Mariam, dominam nostram, atque per virtutes cœlorum, & per beatos principes Apostolorum Petrum & Paulum, atque per tremendum iudicij diem, vbi omnes constrictè, ad reddendum de nostris factis rationem, adsistere

PIPPINVS. habemus, vbi nulla est ingeniosa excusatio, velociter & sine vllo impedimento, A quod beato Petro promisistis per donationem vestram ciuitates & loca, atque omnes obsides & captiuos beato Petro reddite, vel omnia quæ ipsa donatio continet, quia ideo vos Dominus per humilitatem meam, mediante beato Petro, vnxit in Reges, vt per vos sancta sua exaltetur Ecclesia, & princeps Apostolorum suam iustitiam suscipiat.

MAGNVM desiderium in nostro corde habebamus vestros mellifluos vultus aspicere, & de vestræ iocunditatis lætitia gaudere, iuxta quod sapientissimus ait Salomon, *Per vicos & plateas quæsiui quem dilexit anima mea.* (Cant. 3.) Et certè, quos dileximus, per Dei iussionem inuenimus, & quos desiderauimus amplexi sumus, pro quo diffusa est super vos benedictio & gratia beati Petri, vt Domini fuit prouisio, quod nullus de vestris parentibus meruit suscipere vos suscepistis, & princeps Apostolorum præ ceteris Regibus & Gentibus vos suos peculiares faciens, omnes suas causas vobis commisit, & vos reddetis rationem Deo, quomodò pro iustitia ipsius Ianitoris regni regnorum decertaueritis. Cunctus namque noster populus Reipublicæ Romanorum, magno dolore & amarissimis lacrymis vna nobiscum tribulantur, pro eo, dum ad tam longam & spaciosam prouinciam properauimus, & præ fatigio validi itineris caro nostra minuata est. Sic vacui & infructuosi, sine effectu iustitiæ reuersi sumus. Attamen nos infelices, iuxta Dominicum Præceptum egimus, & omnes causas beati Petri vobis commendauimus, & vobis pertinet hoc siue ad peccatum siue ad mercedem. B Nam & omnes Gentes ita firmiter tenebant, quod beatus Petrus nunc per vestrum fortissimum brachium suam percepisset iustitiam, & factum non est, & in magno cordis stupore de hoc omnes euenerunt.

SED peto excellentissimam bonitatem vestram, vt vituperium hoc agentibus auferatis, & omnibus fidem vestram operibus ostendite, eò quòd fides, vt scriptum est, sine operibus otiosa est. Cum qua enim fiducia aut fortitudine ad expugnandos inimicos vestros pergere potestis, si iustitiam beati Petri, vt promisistis, & initiastis, non perfeceritis? Si enim, vt cœpistis, operibus adimpleueritis, eritis semper victores & fortissimi super vestros inimicos, & præsens Regnum per multorum annorum spacia cum bona possidebitis fama, & vitam percipietis æternam. Tantoopere direximus ad vos VVilharium reuerentissimum & sanctissimum Fratrem & Coëpiscopum & fidelem, qui vobis omnia de nostra tribulatione & causa beati Petri proprio ore enarret, cui in omnibus credere iubeatis, & exitum bonum in causa beati Petri ponere. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. Bene valete.

Item Epistola eiusdem Papæ per Droctegangum Abbatem directa, in qua continentur gratiarum actiones, & vberrimæ benedictiones. C

X.

DOMNO *excellentissimo filio* PIPPINO *Regi*, STEPHANVS *Papa*. PRÆSENS Droctegangus Abbas sacris liminibus protectoris tui beati Apostolorum principis Petri, & nostris obtutibus præsentatus imposita sibi verba salutationis ac sospitatis, à Deo seruatæ atque amantissimæ Excellentiæ tuæ * innumeras omnipotenti Deo læti effecti gratias referentes egimus: petentes eius diuinam misericordiam, licèt peccatores & indigni, vt pro sua te protegat pietate, excellentissime fili, & multò ampliùs atque perfectiùs suo timore tuum Regnum confirmet, & amore Apostolico, quatenus & præsenti vita * longè feliciter fruaris, & æternæ beatitudinis consors, fructu Apostolici amoris, effici merearis. Etenim præsens Droctegangus, fidelis tuus Missus, iuxta quod nobis locutus fuit, congruum per eum tuæ sublimissimæ bonitati in ore ponentes remisimus responsum, cui & in omnibus credere iubeas, fili, quia in omnibus quæ mandasti, Christo cooperante, salutaria tibi mandauimus. Sed imple Dominicum dictum, sicut scriptum est: *Quoniam qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit.* Ex hoc enim centuplum accipies, & vitam possidebis æternam. Hoc autem petimus, fili, vt dum Missos tuos ad nos remittere iusseris, cum responsis hunc Ioannem, virum religiosum, cum eis mittere iubeas. Fidelis enim tuus est, & prudenter reportat responsa. Benè vale.

* exponens, vel simile quid.

* longæua.

A

Item Epistola eiusdem Papæ generalis, in qua continentur gratiarum actiones & vberrimæ benedictiones.

X I.

STEPHANVS *Episcopus seruus seruorum Dei, viris gloriosis, nostrisque filiis, omnibus Ducibus Gentis Francorum.* LÆTA gaudet sancta mater Ecclesia in prouectu fidelium filiorum. Propterea etsi corpore absentes, spiritu verò præsentes, gloriosam prudentiam, atque dilectionem vestram, sublimissimi filij, ac si præsentialiter amplectentes, in osculo pacis salutamus in Domino dicentes: *Benefac Domine bonis & rectis corde.* Psal. 124. Quoniam fiduciam habemus, quòd Deum timetis, & protectorem vestrum beatum Petrum principem Apostolorum diligitis, & cum tota mentis deuotione pro eius perficienda vtilitate in nostra obsecratione cooperatores & adiutores eritis: pro certo tenentes, quòd per certamen, quod in eius sanctam Ecclesiam vestram spiritalem matrem feceritis, ab ipso principe Apostolorum vestra dimittantur peccata, & pro capti cursu laboris centuplum accipiatis de manu Dei, & vitam possideatis æternam.

B IDCIRCO obsecramus atque coniuramus vestram sapientissimam charitatem per Deum, & per Dominum nostrum Iesum Christum, & diem futurum examinis, in quo omnes pro nostris facinoribus erimus reddituri rationem ante tribunal æterni Iudicis, vt nulla interponatur occasio, & non sitis adiutores, ad obtinendum filium nostrum à Deo seruatum Pippinum, excellentissimum Regem, pro perficienda vtilitate fautoris vestri beati Apostolorum Principis Petri, sicut per præsentem Droctegangum religiosum Abbatem, eiúsque concomites direximus, quatenus vobis concurrentibus, dum nostra deprecatio fuerit impleta, ipso Principe Apostolorum, cuius causa est, largiente, vestra deleantur peccata, & vt habet potestatem à Deo concessam, sicut clauiger regni cœlorum vobis aperiat ianuam, & ad vitam introducat æternam. Sed attendite, filij, & ad participandum hoc quod optauimus, studiosiùs elaborate, scientes, quòd si quis declinauerit in aliam partem, ab æternæ beatitudinis hæreditate erit alienus. Scriptum quippe est, *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Matth. 10. *Diligentibus namque Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. 8. Bene valete.

*Exemplar Præcepti, quod fuit factum * à* PAVLO, *sanctæ recordationis Pontifice, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & vniuersali Papa.*

* Iniit Paulus Pontificatum anno Christi 757. obiit anno 767.

C

X I I.

PAVLVS *Episcopus seruus seruorum Dei, præcellentissimo filio* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum, & per eum venerabili Monasterio beati Syluestri Confessoris Christi atque Pontificis, & cunctæ Monachorum Congregationi, * nam & in posterum illic consistentium in perpetuum.* Summa. 1. apud Bar. & Cent. * quin. SALVBRI prouidentia, quicquid venerabilium locorum requirit vtilitas, illis nimirùm committendum credimus esse personis, quibus diuinæ illustrationis gratia diffusa, ea, quæ pertinent ad laudem Redemptoris nostri, & ad maximum redintegrationis statum sanctorum locorum pertinere monstratur, totis conatibus perficere nituntur. Et quoniam constat præcelsa eximietas vestra à nobis petisse Monasterium, scilicet beati Syluestri Pontificis atque Confessoris, situm in monte * Serapt, necnon & alia illi tria subiacentia Monasteria, sancti scilicet primi Martyris Stephani, & beati Andreæ Apostoli, atque Victoris, cum vniuersis rebus & possessionibus, locis etiam & diuersis præsidiis, vel omnibus eis generaliter pertinentibus, in integrum: ecce præcelsæ Excellentiæ vestræ, & voluntati annuentes, per huius Præcepti seriem, nostrum Monasterium beati Syluestri, cum prædictis aliis tribus ei subiacentibus Monasteriis, id est, beati Stephani, atque beatorum Andreæ & Victoris, cum omnibus eis generaliter & in integro pertinentibus, à præsenti quinta decima Indictione, & in perpetuum, pro sustentatione peregrinorum & alimoniis Fratrum nostrorum, Christi pauperum, atque Monachorum, illic nunc & in posterum

* Soracte. Vide Bar. 747. n. 9.

PIPPINVS. ſpiritalem vitam degentium, firma ſtabilitate vobis concedimus, & per vos in præfato venerabili Monaſterio hanc noſtram Apoſtolicam exarationis præceptionem perenniter permanendam, concedimus atque largimur. Quatenus veſtro ſtudio ea, quæ ad laudem Redemptoris noſtris, & meliorem ſtatum prædictorum venerabilium Monaſteriorum, pertinere noſcuntur, in omnibus, Deo auſpice, pro æterna Excellentiæ veſtræ memoria, & maxima remunerationis mercede, nihilominus proficiant decernentes. A

ITAQVE ſi quo tempore Præceptum illud, quod à ſanctæ recordationis prædeceſſore noſtro, beatiſſimo domino Zacharia Papa, quod CARLOMANNO germano veſtro de eodem Monaſterio emiſſum eſt, vel aliud quodlibet de ipſis præfatis Monaſteriis munimen, vbi repertum fuerit, cauſam inanem atque vacuam eſſe nullam in ſe habentem firmitatem ſtatuentes: interea & hac Apoſtolica cenſura diuini iudicij obteſtatione, & anathematis interdictione, hæc, quæ ad laudem Dei dinoſcimur conſtituiſſe pro ſuſtentatione peregrinorum, vt dictum eſt, & cunctæ Monachorum illic conſiſtentis congregationis, ſtabilitate, in perpetuo permanere illibata.

Exemplar Epiſtolæ, vbi PAVLVS *Diaconus & electus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſignificans de tranſitu Stephani Papæ, per Immonem miſſæ, Miſſum domni* PIPPINI *Regis.* B

XIII.

Summ. 1. apud Bor. & Cent. DOMNO *excellentiſſimo filio* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* PAVLVS *Diaconus, & in Dei nomine electus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, cum graui gemitu & immenſo mœrore cordis.* INNOTESCIMVS à Deo protectæ Excellentiæ tuæ, potentiſſime victor Rex, Dei vocatione de hac luce, ad æternam requiem eſſe ſubtractum ſanctę recordationis dominum & germanum meum Stephanum Papam. In cuius etiam tranſitu & ipſi lapides, ſi dici poteſt, nobis conflentes lacrymauerunt, in cuius Apoſtolatus ordinem à cuncta populorum caterua mea infelicitas electa eſt, & dum hæc agerentur, conuenit Romam Immo Chriſtianiſſimæ Excellentiæ tuæ Miſſus, & cum eo loquentes, vna cum noſtris Optimatibus, aptum perſpeximus eum hic detineri, donec Dei prouidentia ſacra Apoſtolica benedictione illuſtrati fuiſſemus, & tunc plenius ſatisfactus de noſtra vel * cuncti puritate & dilectione, quam erga tuam benigniſſimam Excellentiam, & cunctam Gentem Francorum gerimus, eum ad vos repedandum, cum noſtris Miſſis Apoſtolicis abſolueremus. Quoniam nos pro certo agnoſcas, excellentiſſime & à Deo protecte noſter, poſt Deum, auxiliator & defenſor Rex, quòd firmi & robuſti vſque ad animam & ſanguinis noſtri effuſionem in ea fide & dilectione, & caritatis concordia, atque pacis fœdere, quæ præfatus beatiſſimæ memoriæ dominus & germanus meus ſanctiſſimus Pontifex vobiſcum confirmauit, permanentes, & cum noſtro populo permanebimus vſque in finem. Vnde & indeſinenter extenſis palmis ad cœlum pro vitæ incolumitate Excellentiæ tuæ atque dulciſſimorum filiorum & excellentiſſimæ Reginæ ſoſpitate, Domini Dei noſtri exoramus clementiam tuam, vt ſemper tuum auxilium & firmiſſima protectio extendatur ſuper nos. Incolumem Excellentiam tuam gratia ſuperna cuſtodiat. C

* *f.* populi.

Item exemplar Epiſtolæ PAVLI *ſanctæ recordationis Romani Antiſtitis per Andream & Gundricum miſſæ, in qua continentur gratiarum actiones & poſtulationes, volendo adiutorium obtinere contra Langobardos.*

XIV.

DOMNO *excellentiſſimo filio & noſtro ſpiritali compatri* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* PAVLVS *Papa, cum maximo honorificentiæ conatu & dilectionis affectu.* QVAS præclara excellentia veſtra miſit Literas, adferentibus Andrea & Gunderico, ſollertiſſimis viris, Chriſtianitatis veſtræ Miſſis, acceptantes ſuſcepimus * Litteras quibus ſolita gratulatione, lætitia relegentes,

* *videtur redundare.*

A & mente & corde oppido sumus læta ti, dum per eas optata nobis desideria, affectio & lætitia, multum de vestra prosperitate nobis compertum est, Deo omnipotenti immensas referentes grates, qui nos iuxta, vt crebrò optamus, de vestra immensa sospitate lætos reddere annuit. Nihil enim nobis dulcius, nihil suauius in hac vita extitit, quàm vestræ incolumitatis gaudia assiduè prosperis relationibus addiscere, dum nimirum prosperitatis vestræ lætitia, sanctæ Dei Ecclesiæ * exultatio, & omnium orthodoxorum extitit vberrima defensio, & eis denique à vobis directis syllabis, nos certos in omnibus reddidistis vos paratos adesse in adiutorium & defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ, in quibus necessitas ingruerit, atque in ea vos fide & dilectione firmiter esse permansuros cum beato Petro Apostolorum principe, atque beatissimæ recordationis domno & germano meo Stephano sanctissimo Papa, solliciti estis omnia adimpleri, & inuiolabiliter conseruari adfirmantes, quæ eidem Dei Apostolo polliciti, & ob veniam delictorum vestrorum confessi estis. Quod quidem nos, dum cor Excellentiæ vestræ in manu Dei est, & diuina benedictione sanctæ vnctionis gratia, per Apostolum eius, & regni cœlorum clauigerum, beatum Petrum in Regem, excellentissime atque præcellentissime Rex, esse dinoscitur vnctus, magna nobis id est confidendi spes, quod in ea ipsa caritate & dilectione atque promissione, quam cœlestis regni Ianitori spondere studuistis, vos firmiter esse permansurum, dum & procul dubio & per Litteras & vestros sedulo destinatos Missos nobis confidendi materia confe-B retis.

PIPPINVS.

*exaltatio.

VNDE & nos firmiter in vestra caritate & dilectione, cunctis diebus vitæ nostræ erimus permansuri, & nullus nos poterit, per quamlibet temporum interruptionem, à vestro amore & charitate, atque dilectione, * quem medio nostrum adnexa est, separare. Pro quo obnixis deprecationibus quæso, & coram terribili futuro iudicio Excellentiam vestram coniurans deprecor, vt iuxta quod ex vestro mellifluo ore prolata, & beato Petro promissa sunt, firma constantia permanere iubeatis, respuentes inimicorum sanctæ Dei Ecclesiæ & fidei orthodoxæ impugnationum impias suasiones, & inanes promissiones, & Deo magis & beato Petro semper placere procurate, qui vobis præsentis Regni gubernacula tribuit: quatenus & temporalis regiæ potestatis vel culmen largiri dignatus est, cœlestia quoque vobis regna perenniter tribuat possidenda, & immensas de hostibus, Apostolorum principis suffragiis, largiri dignetur victorias.

*quæ iii

DE eo verò, quod innotuit Excellentia vestra, vobis à Desiderio Langobardorum Rege esse insinuatum, nullam malitiam vel inuasionem à Langobardis in nostris partibus fuisse illatas, ominò credat nobis beniuola Excellentia vestra, non veridicè in hoc vobis direxistis. Etenim, benignissime fili, & spiritalis noster compater, Christianissime Rex, dum tantæ ab eisdem Langobardis deuastationes in nostris finibus ac ciuitatibus factæ fuissent, & à nobis ex hoc ammonitus fuisset, C comminationis suæ ad nos direxit Litteras, quas necessitate coacti, infra nostras Apostolicas Litteras hoc præterito anno, vestræ Excellentiæ direximus intuendas. Hostiliter quippe in ciuitate nostra * Synogaliensi per Gentes, ferro & igne, quæ extra eandem ciuitatem consistebant, deuastauerunt, & plurimam exinde auferentes prædam, aliquantos ibidem interfecerunt homines. Similiter & in partes Campaniæ, id est, castro nostro, quod vocatur Valentis, hostiliter inruentes, talia, sicut paganæ Gentes, egerunt, de quibus vsque hactenus nequaquam iustitiam ab eis recipere valuimus. Et ideo Excellentiæ vestræ direximus, vt vestrum annuissetis dirigere Missum, quatenus eius præsentia inter partes iustitiæ peruenissent, vt non ex hoc aliqua à nostra vel Langobardorum parte ad easdem perueniendum iustitias dilatio perueniret.

* Senogalliensi.

VNDE pro vestra amplissima satisfactione adprobationem fecimus, in præsentia prædictorum vestrorum fidelium Missorum, cum iam dictis Langobardorum Regis Missis, & satisfacti sunt vestri Missi de tantis iniquitatibus, & cognouerunt * vestram veritatem & eorum mendacium, & ob hoc non possumus tantas ab eis nobis illatas malitias tacere, sed necesse nobis vestro regali culmini, vtpote post Deum huius prouinciæ liberatori, cuncta innotescere, quo per vos omnis istius prouinciæ à vobis redemptæ populus ad suam pertingere valeat iustitiam.

* nostram

INTEREA, præcellentissime ac benignissime Rex, Christianissime fili, & spiri-

PIPPINVS. talis compater, suscepimus & mensam illam, quam olim sanctæ recordationis A
domino & Germano nostro beatissimo Stephano Papæ, & per eum beato Petro Apostolo obtulistis: quam & cum hymnis & canticis spiritalibus Letaniæ laudes solenniter Deo referentes, infra aulam ipsius principis Apostolorum introduximus, quámque vestri Missi in sacram Confessionem, super corpus scilicet eiusdem cœlorum regni Ianitoris ex vestri persona obtulerunt: quam & chrismate vnctionis sanctificantes, & sacram oblationem super eam imponentes, sacrificium laudis Deo omnipotenti, * paterna animæ vestræ remuneratione, & regni vestri stabilitate * offeruimus, decernentes Apostolica censura sub anathematis interpositione nulli vnquam licere, eam ab Ecclesia beati Petri alienare. Et ecce memorale vestrum in eadem Apostolica aula fulgens permanet in æternum, cuius remunerationem vos credite à iusto retributore Domino Deo, & beato Apostolorum principe Petro, in cœlestibus regnis adepturum.

* pro paternæ animæ vestræ remuneratione.

* obtulimus.

De Regió itaque & Petro, quod innotuistis, omnino agnouimus, sed hoc in vestræ voluntatis arbitrio relaxamus, vt qualiter vobis placuerit, ita ex eis agatis siue illis apud vos eos detinendo, siue etiam ad nos absoluendo, quoniam omninò, quæ vobis placita sunt, & nobis omninò congrua & prospera esse videntur. Præfati denique Missi vestri omnia, quæ à vobis iniuncta extiterunt, liquidiùs nobis retulerunt, de quibus ad singula responsum reddimus, eósque de cunctis informatos ad vos enarrandum absoluimus, perficientes & causam prædicti Andreæ, vt eius fuit voluntas, & vestra extitit præceptio. B

Omnipotens autem Dominus, qui diues est in misericordiis, suæ extensionis brachio vos continua defensione protegat, & omnes aduersarios ac rebelles vestris regalibus subiiciat vestigiis, tribuens longæuiter ac salubriter, vna cum excellentissima filia & spiritali nostra commatre, benignissima Regina, & amantissimis natis Carolo & Carolomanno, excellentissimis Regibus & Patriciis Romanorum, atque Gisila nobilissima, Regni gubernacula possidenda, & æterna præmiorum gaudia cum Sanctis & electis perfruenda. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum Regem Pippinvm *missæ pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ, significans quòd Desiderius Pentapolin deprædauit, & omnia alimenta populi ferro & igne consumpsit, & quia Albinum Ducem Spoletinum in vinculis detrusit, & quia Dux Beneuentanus in Osorotana ciuitate retrusus alium Ducem Argisem in Beneuento constituit, & quia locutus est cum Misso Imperiali Georgio, & inuitauit exercitum Imperatoris in Italia contra Rauennam, & exercitum de Sicilia contra Otorantanam ciuitatem, & professus est eam tradere partibus Imperialibus, vel aliis pluribus capitulis.* C

X V.

Summ. 16. apud Cent. & Bar.

Domno *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri* Pippino *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* Pavlvs *Papa.* Qvotiens perspicua eximietatis vestræ merita, mystica consideratione cernens, cordis oculis confero, oppido me admirari conuenit, intemeratam superfluámque Excellentiæ tuæ mentis constantiam, & feruentissimum affectum, * quod circa Dei amorem, & eius principis Apostolorum incessanter gestas, quoniam Deo magis quàm hominibus fauere niteris. Vnde perspicuum est, vos præ omnibus Regibus & potentibus piis pollere operationibus, quia absumpto cœlesti triumpho vltro te, excellentissime fili & spiritalis compater, ad liberandam Dei Ecclesiam adhibuisti. Et ideo, vt ipsum piæ operationis vestræ certamen effectui mancipetur, crebro nos congruit, sicut liberatori ipsius sanctæ Dei Ecclesiæ, & eius peculiaris populi, Apostolicos dirigere apices.

* quem.

Primvm omnium, nobis super omnia nectarea dulcia existunt, & desiderabilia prosperitatis vestræ gaudia addiscere. Deinde verò, quæ sanctæ Ecclesiæ Dei

A & nobis consistunt necessaria, quantocius intimare. Vt verò, excellentissime fili, & noster spiritalis compater, agnoscas non pridem per Apostolicas Litteras eximietati tuæ innotuisse, quia in his partibus à Desiderio Langobardorum Rege impiè peracta sunt, atque crudeliter perpetrata. Igitur dum tam perniciosam eius operationem cerneremus, aptum prospeximus, præsentem fidelissimum vestrum missum RODBERTVM hîc apud nos detinere, quatenus quid cœpta iam fati Desiderij Regis, vel Langobardorum populi malitia pareret, præsentialiter agnoscens atque conspiciens vestram certiorem reddidisset eximiam præcellentiam. Etenim sicut pridem, ecce & nunc, innotescimus à Deo seruatæ Excellentiæ vestræ, quòd præfatus Langobardorum Rex Pentapolensium per ciuitates transiens, quas beato Petro pro magna animæ vestræ mercede contulistis, ferro & igne omnia sata, & vniuersa, quæ ad sumptus hominum pertinent, consumpsit, sicque Spoletinum & Beneuentanum, qui se sub vestra à Deo seruata potestate contulerunt, ad magnum * spretum Regni vestri, desolauit, atque ferro & igne eorundem Ducatum, loca & ciuitates deuastauit, & comprehensum Albinum Ducem Spoletinum, * cum eo Satrapibus, qui in fide beati Petri & vestra sacramentum præbuerunt, infixis in eis pessimis vulneribus in vinculis detinet.

PIPPINVS, CAROLVS, CARLOMANNVS.

* despectũ.

* & cum eo Satrapas.

APPROPINQVANTE autem eo Beneuento, ilico Dux Beneuentanus fugam arripuit in Otorantinam ciuitatem, & dum diu immineret, vt ex ipsa sua B ciuitate exire eundem Ducem suaderet, & nequaquam in eo suam adimplens voluntatem, constituit Ducem alium in eodem Beneuentano Ducatu nomine Argis. Et confestim dirigens Neapolim idem Desiderius Rex, accersiuit Georgium imperialem Missum, qui ad vos Franciam directus fuerat, cum quo nefariè clam locutus est, iniens cum eo consilium, atque suas Imperatori dirigens Litteras, adhortans eum, vt suos Imperiales dirigat exercitus in hanc Italiam prouinciam, & ipse Desiderius cum vniuerso Langobardorum populo professus est, Deo sibi contrario, auxilium præfatis Imperialibus exercitibus impertire: quatenus ex vna parte, ipsius exercitus, & ex alia isdem Desiderius cum vniuerso Langobardorum populo vtrique dimicantes Rauennatium ciuitatem comprehendere queant, suámque Imperator, quod Dominus non permittat, adimplere valeat in quocunque voluerit voluntatem. Nam & cor cum eodem Georgio Imperiali Misso constituit, vt * dromonorum Siciliæ istorum in Otorantina ciuitate dirigatur, vt tam Græci quàm Langobardi ipsam obsidentes comprehendere valeant ciuitatem, eámque concedat Imperatori, cum hominibus & facultatibus quæ in ea consistunt, & tantummodo Ducem illum, atque eius nutritorem Iohannem prædicto Regi restituat.

* dromonum.

POST verò dissolutionem eorundem Ducatuum coniunxit hîc ad nos Romæ itidem Langobardorum Rex: & cum eo loquentes, nimis eum adhortati sumus, & C per sacratissimum corpus beati Petri, atque etiam per tuam à Deo protectam Excellentiam fortiter illum coniurauimus, vt ciuitates illas, id est * Immulas, Bononiam, Ausimum, & Anconam, quas nobis præsentaliter, simul per vestros Missos, id est, FOLRADVM Deo amabilem, Abbatem & Presbyterum, atque RODBERTVM excellentissimæ Christianitati tuæ, & per te etiam beato Petro Apostolorum principi pollicitus est redditurum, restituere deberet. Quod minimè adquiescere inclinatus est, sed simulans, vt certè Strofarius varias occasiones adhibuit, inquiens, vt si suos, quos illic Francia habere videtur obsides reciperet, tunc in pacis concordia nobiscum conuersaretur.

* Immolã

VNDE petimus te, excellentissime fili & spiritalis compater, & obnixè deprecamur à Deo inspiratam eximietatem tuam, vt iubeas perfectam liberationem sanctæ Dei Ecclesiæ, & eius peculiaris populi exercere, & ita id, quod magna animæ tuæ mercede beato Petro pollicitus es, firmiter permanere, ipsúmq; Desideriũ Langobardorum Regem fortiter constringere digneris, vt prolatam à Deo promissionem beato Petro protectori vestro restituere debeat, atque in omnibus adimplere, tuíque studij sit bene, potentissime Rex, sicut cœpisti, perfectiùs hanc sanctam Dei Ecclesiam & eius peculiarem populum de hostium incursione eruere, vt, annuente Deo, certamen benignæ operationis tuæ vbertimè fœcundetur: quatenus in die aduentus Domini Dei & Saluatoris nostri IESV CHRISTI luceas, sicut radiantissimus Sol, inter vniuersos Reges & Potentes, atque merearis

PIPPINVS. ipsam sanctam Dei Ecclesiam, & eius populum, tuo adminiculo ereptum, diuinæ maiestati, absque vlla læsionis sæuitia, offerre, & tunc centuplum remunerationis ab eodem Domino Deo nostro, iusto iudice, percipere, & vitam æternam possidere merearis. A

CONIVRO te, fili excellentissime, per omnipotentem Deum, & eius principem Apostolorum beatum Petrum, vt benigno intuitu & libentissimo animo nostras preces audire iubeas, vt Deus tibi omnipotens, in his, quæ eius potentiam deprecatus fueris, suæ diuinitatis aures inclinet, & victorem te super omnes barbaras nationes faciat. Omnes enim omninò gentes, quæ super faciem vniuersæ terræ consistunt, compertum habent tuum certamen, quod ad defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ adhibuisti, & magnum te ac præcipuum Regem laudabiliter asserunt. Sed & nos bonam tuam famam longè latéque protelare atque dilatare non desistimus in eo, quod certè, post Deum, sicut murum inexpugnabilem, tuam firmissimam fidem in nostro pectore conferimus: magnam in te, post Dei præsidium, possidentes spei fiduciam, quod & plerumque ob tam tuæ immaculatæ promissionis fideíque meritum consecuti sumus. Etenim magnoperè præsentes nostros Missos, id est, reuerendissimum & sanctissimum fratrem & coëpiscopum nostrum Georgium, atque dilectum filium nostrum Stephanum Presbyterum, ad vestram à Deo custoditam Excellentiam misimus: dúmque vestris Deo amicabilibus vestigiis fuerint vna cum * Rodberto fidelissimo vestro Misso præsentati, cuncta viua voce Christianissimæ Excellentiæ tuæ, quæ acta sunt, & rei exigit meritum, nobisque necessaria existentia intimabunt. Maximo namque desiderio nostro anhelabat animus, Apostolicas Excellentiæ vestræ dirigere Literas salutationis ac visitationis, ob causam rerum euentus significandum: & minimè valuimus, imminentibus circumquaque Langobardorum Regis insidiis. B

* Radberto.

ATTAMEN ecce iam duas Apostolicarum Litterarum adsertiones Excellentiæ vestræ clam, per maximam industriam, misimus, & ignoramus, si ad vos ipsæ peruenerint Litteræ. Vnde ambigimus, ne à Langobardis comprehendantur. Pro quo & nunc per prænominatos nostros Missos alias vobis Litteras misimus, quasi obtemperantes præfati Desiderij Regis voluntati * suos hospites absoluendum, & pacem confirmandum. Sed, bone excellentissime fili & spiritalis compater, ideo istas Litteras tali modo exarauimus, vt ipsi nostri Missi ad vos Franciam valerent transire: quoniam si hoc non egissemus, nulla penitus ratione per Langobardorum fines transire valuissent. Sed susceptis ipsis Litteris, earum seriem nullo modo perficiatis, neque præfatos * hospites permittatis parti Langobardorum restituere. Potius autem coniuramus te excellentissime fili, & spiritalis compater, per Deum viuum, & corpus beati Petri, vt fortiter ipsum Desiderium vel eius Langobardorum Gentem constringere iubeas, quatenus præfatas, quas pollicitus est, ciuitates tuæ mellifluæ Excellentiæ, & per te beato Petro, fautori tuo, restituat: quoniam nullam vt præfatum est, de his, quæ primitus pollicitus est, cum eo firmam valuimus stabilire conuenientiam. C

* ad suos obsides.

* obsides.

ORAMVS autem omnipotentem Deum, vt pio intuitu de throno maiestatis suæ super vos vestrúmque Regnum respiciat, & sua dextera Excellentiam vestram circumtegat, atque in omnibus muniat, & præsentis vitæ cursum salubriter exsequi, & Regni potentiam gubernare permittat per plures annorum metas, vna cum excellentissima & à Deo seruata filia, & spiritali nostra commatre, atque amantissimis vestris meisque filiis, & gaudeatis de eorum florigero germine, & * mittat omnipotens Deus, vt semen vestrum splendidissimum vsque in finem mundi * eundum Regni fruatur culmen. Etiam venturo in seculo infinita gaudia cum Sanctis & electis suis vobis concedat, quatenus sicut in præsenti vita, & in futura beatitudine adepti promissam vobis mercedis coronam, cum Christo regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

* permittat.

* idem.

Embolum.

PRO veræ benedictionis causa, direximus vobis Apallateam vnam spatam ligatam in gemmis cum balteo suo, annulum vnum, habentem * isacinthum, storacinum pallium vnum habentem Paones. Quam paruam benedictionem peti-

* hyacinthum.

A mus, vt, excepta iniuria, suscipere iubeatis. Domino Carolo & Carlomanno pro magna Apostolica benedictione annulos singulos habentes * yacinthos. PIPPINVS. * hyacinthos.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum PIPPINVM *Regem directa pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ, & pro Monasterio, quod ei concessit prope montem Serapten situm, gratias magnas referendo.*

XVI.

DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum*, PAVLVS *Papa*. DVM diuinas scripturarum historias in nostro memoriali reuoluimus, & diuersorum Dei electorum merita perpendimus, & vestræ diuinæ inspirationis studia in nostræ mentis intuitu conferentes: nouum te * Gentes Moysen in his diebus refulsisse, præcellentissime fili & spiritalis compater, comperimus. Ille quidem, vt Israëliticum populum ex affligentium erueret oppressionibus, à diuina Maiestate præcepta suscepit. Tu quoque præcellentissime atque eximie Rex, ad liberandam sanctam vniuersalem, Catholicam, & Apostolicam Dei Ecclesiam, diuinitus es inspiratus. Per illum denique Dominus in monte Sina, legis mandata eidem Hebraico populo obseruanda tradidit, & lumine eum claritatis suæ illustrauit. Per te quoque Redemptor noster, Dei hominúmque Mediator, Ecclesiæ suæ & vniuerso populo Christiano, eius pretioso redempto sanguine, pacem tribuit, & eius fidei orthodoxæ perfectam contulit defensionem. Et sicut idem Moyses legislator abominationes Gentium & culturam dæmonum exterminauit, ita & tu, Christianissime Regum, hæreticorum schisma & auctores impij dogmatis respuisti. Pro quo meritò, diuinæ gratiæ lumine & oleo sanctificationis inter fideles Reges, qui olim Deo placuerunt, vnctus connumeratúsque comprobaris. Vnde libet certè Psalmigraphi vocem & laudem Excellentiæ vestræ canere: Inuenit te Dominus benignissime Regum, fidelem sibi, & præcepta eius seruantem, & ideo oleo sancto vnxit te, & ecce manus eius auxiliabitur tui, & brachium ipsius confortabit te.

Summ. 25. apud Bar. & Cent.

* Gentibus.

B

Psal. 88.

NEC mirum tam benignissimum Regem tanto diuino munere esse præornatum, quoniam *spiritus vbi vult, & in quibus vult, inspirat.* Et profectò in eis inspirat, qui piis fulgent operibus, sicut vestra fulgere dinoscitur Excellentia. Nam qualiter dilectionis vestræ amor erga beatum Petrum Apostolorum principem, & circa nostram caritatem feruesceret, licèt solitè vestris apicibus atque Responsalibus discurrentibus, excellentissima Christianitas vestra pronunciauerit, nunc tamen per eas, quas in præsenti per harum latorem misistis, Syllabas, amplissimè nobis paternitatis vestræ affectum protulistis, significans, bone excellentissime fili, & spiritalis compater, & noster post Deum defensor & liberator, firma perseuerantia in amore ipsius principis Apostolorum, & nostra charitate permansurum, quod quidem nos securi de vestra immutabilis verbi pollicitatione * existerimus. Scimus enim cui credidimus, & certi sumus, omnia, verbis iuxta vt asseris, perfici. Quid itaque ex hoc vestræ valebimus rependere Excellentiæ? Aut quam vicissitudinem reddere potuerimus pro tantis beneficiorum suffragiis, quæ sanctæ Dei Ecclesiæ & Christianorum fidei inferre præcelsa eximietas vestra dignata est, dum ad referendas gratiarum laudes mens nostra die noctúque prouocatur?

Ioan. 3.

C

* extiterimus.

ADMIRANDVM mihi potiùs est, & valde stupendum, quomodo oris mei loquacitas tantorum præsidia beneficiorum proferre queat. Veruntamen calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo, & crebrò eleuatis oculis & palmis extensis ad æthera diuinam pro vobis indesinenter exposcam clementiam, vt ipse super vos de throno maiestatis suæ respiciat, & Regni vestri fastigium foueat, atque immensas vobis de cœlo tribuat victorias, & omnes barbaras Gentes vestris prosternere dignetur vestigiis, & terminos regalis vestræ potentiæ dilatet. Etenim nos, fili excellentissime & spiritalis compater, testem proferimus veritatis Deum, in cuius manu cor excellentiæ vestræ * corrigatur, quod sicut sæpius * nostri recordationis, Dominum & germanum nostrum, sanctissimum Stephanum Papam, & per eum, cum sancta Dei Ecclesia confirmatum est, permanentes permanebi-

* regitur. * nostræ.

PIPPINVS. mus, vestris obtemperantes voluntatibus, & absit à nobis, quòd à vestro quoquo modo separemur amore. Nulla quippe præmiorum datio, nulla promissionis qualitas, nullaque blandimentorum suasio, nos, sicut sæpiùs diximus, à vestra charitate poterit auellere. Sed peto, & tanquam præsentaliter obsecro mellifluam Excellentiam vestram, vt amplissimam iam fatæ spiritalis vestræ matris Ecclesiæ exaltationem perficere, & firmissimus Christianorum fidei defensor existere iubeas, benignissime Regum: quatenus ex hoc memoria nominis vestri, vsque in finem mundi, in domo Domini celebretur, & suffragiis Apostolorum & præsentis vitæ prospera, & æternæ beatitudinis vobis tribuantur gaudia. A

INTEREA, excellentissime fili, & spiritalis compater, quia inspiratus à Deo nobis Monasterium illud secus montem * Saraptem situm, concedere dignatus es, magnas atque innumerabiles gratiarum actiones eximiæ præcellentiæ vestræ referimus, sit vobis ex hoc Dominus retributor, & dignam cœlestium præmiorum remunerationem in æterna beatitudine concedat. Nos quidem Monasterium illud ad laudem Dei, & vestri memoriam, atque æternam mercedem, nostro Monasterio dinoscimur subdidisse, vt quia beatus Syluester, Christianorum illuminator fidei, cuius sanctum corpus in nostro Monasterio à nobis reconditum requiescit, ibidem persecutionem paganorum fugiens, conuersatus est, iustum prospeximus, vt sub eius fuisset ditione, vbi ipsum reuerendum requiescit corpus. Veruntamen nos penitus, neque de hoc Monasterio, neque de aliis quibuslibet causis, extra vestram voluntatem, nequaquam quippiam agere volumus: B sed vt vestra fuerit voluntas, de omnibus agere studemus. Itaque noster animus lætus effectus est, & Deo omnipotenti, & vestræ præcellentiæ, immensas retulimus grates, in id, quòd nostram deprecationem à Deo inspiratus exaudire dignatus es, benignissime Rex, & Præceptum regalis vestri culminis nostro Monasterio dirigendum pronuntiastis, firmam eiusdem sanctæ mansionis procurantes, nunc & retro cunctis temporibus. Vnde petimus diuinam clementiam, vt sicut vos nostrum Monasterium, quod ad laudem Dei constitutum est, confirmare studetis, ita vestrum Regnum confirmare super omnes Gentes dignetur, & pro certo sciat excellentissima Christianitas vestra, quòd omnes illos Martyres, qui pro Christi nominis confessione suum fuderunt sanguinem, & in eodem sancto requiescunt Monasterio, firmissimos apud diuinam clementiam habebitis intercessores.

* Soracten.

DE eo verò, quod innotuistis de nostra vos certos effici sospitate, nos, bone & Christianissime Rex, in eo sospes fatemur esse, dum vestri corporis sospitas & salus animæ opitulante Deo adcrescit, quia vestra salus, nostra est prosperitas. His prælibatis, omnipotens rerum opifex & arbiter Deus sua vos gratia foueat, & longæuo ac prospero senio regalis culminis sceptra, cum magna victoria vobis, cum dulcissima vestra coniuge, præcelsa filia, & spiritali nostra commatre, Domina BERTRADA eximia Regina, & amantissimis vestris, nostrisque filiis, eximiis Regibus & Patriciis Romanorum Domnis CAROLO & CARLOMANNO, C nec non & domna GISILA nobilissima perfrui concedat, & cœlestis regni gaudia cum Sanctis & electis possidenda per infinita tribuat secula. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ad Domnum PIPPINVM *Regem, per VVitmarum & Gerbertum Abbates, atque Hugbaldum directa, in qua continentur gratiarum laudes pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ, & postulans, vt semper in id decertare debeat.*

XVII.

Summ. 14. Bar. & Cent.

DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* PAVLVS *Papa.* DVM tam maxima nobis dilectionis affectio erga vestram à Deo inspiratam Excellentiam insistit, ob hoc, sicut terra sitiens imbriferam desiderat inundationem, ita quoque vestræ prosperitatis cupimus addiscere nuntia, & de vestris profectibus gratulari. In hoc quippe nostri cordis est deuotio exultandi, dum nimirum salus vestra, nostra existit securitas.

Interea

A Interea duarum Epistolarum series, quas vestra direxit Excellentia, cum magno suscepimus amore, vnam quidem primitus per Petrum primum Defensorem Missum nostrum, & aliam per præsentes fidelissimos vestros Missos, VVidmarum scilicet & Gerbertum Abbates, atque Hugbaldum virum illustrem, quarum paginam indagantes, mox liquidò cuncta in eis exarata didicimus, immensas protinus Deo nostro referentes laudes, qui nos de vestra annuit sospitate gratulari.

In ipsis denique vestris relationibus solitam nobis à Deo illustratæ mentis vestræ constantia protulit spei fiduciam, in id, quòd impensius innotuistis, atque sedulo ex operibus demonstrastis, vos totis viribus pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ, & fidei orthodoxæ defensione esse decertaturos, & in ea vos fidei pollicitatione permansuros, quam beato Petro principi Apostolorum, nostróque decessori, Domino & germano beatissimo Stephano Papæ spopondistis. Vnde & in nostra fixi charitatis connexione, ideo iuxta id quod petendo direximus, præfatos ad nos vestros videmini direxisse Missos, qui apud Langobardorum imminerent Regem, pro diuersis sanctæ Dei Ecclesiæ causis ac iustitiis, & in nostro assisterent solatio. Pro quo innumerabiles vobis referimus gratiarum actiones, quia verè, sicut benignus Rex & amator spiritalis matris vestræ sanctæ Dei Ecclesiæ agere, Christianissime fili & spiritalis compater, semper studes, & profectò erit tibi Dominus & in præsenti & futuro dignus retributor.

B Nos itaque, excellentissime & à Deo protecte fili, & spiritalis compater, firmi in vestræ charitatis dilectione permanemus. Nec est vlla rerum aut temporum qualitas, quæ nos à vestra charitate possit separare, quia tu verè noster, post Deum, constas esse defensor & auxiliator. Præfati denique Missi vestri, in nostri præsentia, cum Langobardorum Missis, necnon & Pentapolensium, ac singularum nostrarum ciuitatum hominibus adsistentes, comprobatio coram eis facta est de habitis inter vtrasque partes aliquibus iustitiis, videlicet de peculiis inter partes restitutis. Nam de finibus ciuitatum nostrarum & patrimoniis beati Petri, ab eisdem Langobardis retentis atque inuasis, nihil vsque hactenus, etiam ea, quæ primitus reddiderant, denuo inuaserunt. Vnde constitit, vt nostri ac singularum nostrarum ciuitatum Missi, ad Desiderium Langobardorum Regem, cum vestris progredi debeant Missis, vt in eorum atque prædicti Regis præsentia, pro eisdem finibus ac patrimoniis, comprobatio fiat, nobisque omnia iuxta pactionem restituantur. Et nescimus, quid ex hoc proueniendum sit, attamen per præfatos vestros Missos rei agnoscere potestis meritum.

Qvapropter quæsumus à Deo protectam Excellentiam vestram, vt ita disponere iubeat vt plenarias de omnibus recipere valeamus iustitias, quatenus idem beatus Petrus, princeps Apostolorum, pro cuius restituendis luminariis decertatis, firmissimus vobis sit auxiliator, ac optimus remunerator: Nam pro certò C agnoscat excellentissima Christianitas vestra, quia si nobis præfati ciuitatum nostrarum ab eisdem Langobardis inuasi fines, atque patrimonia reddita non fuerint, etiam ea, quæ primitus reddiderunt, inuadere insidiabuntur. Quapropter obnixè petimus Christianitatem vestram, vt vestra solita dispositione exaltatio sanctæ Dei Ecclesiæ, & istius à vobis redemptæ cum Dei virtute prouinciæ salus proficiat, & ea omnia, quæ vestri Missi sibimet à vestra præcellentia iniuncta habuerunt, nobis liquidius referentes, ad singula eis responsum reddidimus, & de omnibus eos informauimus, quæ vestræ Excellentiæ referre debeant, nostrasque petitiones vestris studeant intimare auribus.

His itaque præmissis Dei nostri omnipotentis exoramus clementiam, vt sua vos fouere annuat gratia, & præsenti temporali Regno in longo senio cum prosperitate corporis & salute animæ perfrui concedat, vna cum dulcissima coniuge vestra excellentissima Regina, filia & spiritali nostra commatre, atque præcellentissimis vestris natis, & cœlestia quoque vobis per infinita tribuat præmiorum gaudia possidenda. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

PIPPINVS. A

Item exemplar Epistolæ ad Domnum PIPPINVM *Regem, per Haribertum Abbatem & Dodonem Comitem directa, in qua continentur vberrimæ benedictiones & gratiarum laudes, de firmo atque incommutabili pollicitationis verbo, & magna perseuerantia in perficiendis causis Apostolicis.*

XVIII.

Summ. 23. Bar. & Cint.

DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri,* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* PAVLVS *Papa.* Explere verbis nequeo & penitus sermonum copia nequaquam complecti valeo, excellentissime & reuera præ cunctis Regibus Christianissime atque orthodoxe Regum, quantum vestris meritis, atque piis operationum studiis intima cordis nostri affectio congratulatur: dum profectò vestro certaminis præsidio & laborioso conamine sancta Catholica & Apostolica vniuersalis mater vestra spiritalis Dei Ecclesia, atque orthodoxa Christianorum fides, ab æmulorum impugnationibus ereptæ consistunt, & ex hoc indesinenter ab omni populo Christiano Redemptori nostro Domino Deo, ob tantum vestrum adhibitum beneficij adminiculum, referuntur laudes. Vnde meritò, Christianissime fili, & spiritalis compater, cum egregio illo ac præcipuo Dauid Rege, & eximio Prophetarum, in cœlestibus regnis participem te esse omnium fidelium mentes opinantur, quia sicut honorum infulis, ita quoque & operibus eum coæquare Christianitas tua, vt ipsa rei operatio demonstrat, dinoscitur. Ille enim, erepta ab Allophylis arca Domini, cum hymnis & canticis spiritalibus ac Psalterij modulatione exultans iocundabatur. Tu quoque fundamentum & caput omnium Christianorum, sanctam Romanam redimens Ecclesiam, & vniuersum ei subiacentem populum, gaudens atque lætus omnipotenti Domino Deo nostro offerre satagis, cuius tam pij operis perfectionem adhibere benignitas tua anhelat, de quo iam repositam sibi in cœlestibus arcibus præmiorum credat consequi remunerationem. B

PROPERANTES siquidem ad vos præsentes solertissimi viri, Haribertus scilicet Abbas, & Dodo Comes, Excellentiæ vestræ fidelissimi Missi, detulerunt nobis mellifluas, & nimis desiderabiles syllabas à vestra præclara Christianitate directas. In quibus solicitè nos de vestro firmo atque incommutabili pollicitationis verbo, & magnæ perseuerantiæ constantia, quam in Apostolicis perficiendis causis gerere videmini, certos reddere studuistis. Quod quidem nos firmi & omninò freti in vestro benigno proposito existimamus, fine tenus vos permansuros atque perfectius operaturos, id quod beato Petro Apostolorum principi, & prædecessori domino & germano nostro beatissimo Stephano Papæ, polliciti estis.

INTEREA ferebatur, & hoc in eisdem vestris apicibus, quia id, quod & præsentes de parte vestra velle habuistis nos debere cognosci, scriptis nequaquam propalare maluistis, sed informatis de singulis causarum meritis præfatis vestris Missis, quæ nostris deberent innotescere auribus, & ita, iuxta, vt à vobis præcepta sunt, egerunt, quòd quidem nos de singulis, quæ nobis affati sunt, liquidiùs eos informauimus qualiter nostram vitam à Deo institutæ regali vestræ potentiæ enarrare debeant. Sed & præsentes nostros Missos, id est, Ioannem Subdiaconum & Abbatem, atque Petrum primum Defensorem, cum eis pariter ad vestra regalia direximus * vestigia, quos petimus benignè solitè à vobis suscipi, & quicquid vobis ex nostra informatione enarrauerint, eis in omnibus credere iubeatis: vt perfecta liberatio atque exaltatio sanctæ Dei Ecclesiæ & fidei orthodoxæ proficiat, & meritò repositam vobis in cœlo consequamini mercedis coronam. C

* fastigia.

DEVS autem omnipotens, qui in excelsis habitat, & humilia respicit, qui palmo vniuersum mundum concludit, in cuius manu omnia Regnorum iura consistunt, sua vos protegat gratia, & è cœlo vobis tribuat victorias, subiiciens vestro regali culmini omnes aduersantes Nationes, æuisque ac prosperis temporibus Regni gubernacula faciat possidere, cum excellentissima filia, & nostra spiritali commatre, benignissima Regina, dulcissima vestra coniuge, atque amantissimis natis CAROLO & CARLOMANNO, excellentissimis Regibus, & nobilissima

A atque excellentissima GISILA, nostra spiritali filia, & vitam æternam per infinita vobis tribuat secula possidendam. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. PIPPINVS.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum PIPPINVM *Regem, per VVilharium Episcopum, atque Dodonem & VVichardum directa, in qua continentur gratiarum actiones, eiusdem Papæ fidei constantia, vt nullus fauor, aut terror ab eius amore aut charitate vllo modo possit separare.*

XIX.

DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri*, PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum*, PAVLVS *Papa*. AD referendas gratiarum actiones præclaræ ac benignissimæ Excellentiæ vestræ ob tanta beneficij præsidia sanctæ Dei Ecclesiæ & populo Romano à vobis irrogata, nullus, vt opinor, humanus sermo sufficere valebit. Neque præmia huius mundi ad horum remunerationem digna vobis possunt rependi. Veruntamen est vnus solus & verus, in tribus * substantiis consistens, Deus, qui iusta regni gaudia & victoriæ triumphum impertire ac retribuere Excellentiæ vestræ potest. Interea properantibus ad nos, VVilchario scilicet, reuerendissimo Fratre & Coepiscopo nostro, atque Dodone, & * VVichardo, fidelissimis vestris Missis, obtulerunt nobis mellifluos ac desiderantissimos apices, à vestra destinatos Christianissima Excellentia. Quos intuentes, protinus agnita prosperitate vestræ lætitiæ, solito exultationis gaudio interna pectoris nostri viscera redundauerunt, Creatorem nostrum ac Redemptorē Dominum Deum continuis precibus implorantes, vt diu nos ac sedulo de vestra ampliori iocunditate, & cœlitus de hostibus concessis vobis victoriis annuat gratulari. At verò, excellentissime fili, & spiritalis compater, per easdem honorabiles vestras syllabas certissimam nobis solitæ pollicitationis fiduciam contulistis: vos firma perseuerantia decertaturos fore, ad defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ, & vniuersi populi Romani, atque totius Prouinciæ, iuxta id, quod polliciti estis beato Petro, & eius Vicario, prædecessori nostro, domno & germano meo, sanctæ recordationis Stephano Papæ, & in ea vos sponsionis fide permansuros. Et profectò, bone Christianissime, atque à Deo institute Rex, magna nobis in hoc credendi materia * confe« ritur. Nec enim aliter fidelium mentes æstimare possunt, quàm id, quod crebrò à vobis pro intuitu operatum cernimus, & rei experimentum didicimus.

Summ. if. Bar. & Cent.

* personis.

* Vulchario.

B

* conferit.

SED bone potentissime Regum, ecce nunc oportunitas, ecce necessitatis dies cogunt, & tempus ingruentis meriti exigit, vt sanctæ Dei Ecclesiæ, & huic à vobis liberatæ prouinciæ solitè subuenire atque succurrere quantocyus Christianitas vestra satagat. Nos quippe, post Deum, & eius sanctam gloriosam Genitricem, atque sacratissimos ipsius Apostolos, fiduciam nostram alibi non habemus, nisi in vestram præclaram Excellentiam. Tu enim, post Deum, nobis refugium, Christianissime Rex, tu cum Dei brachio firma existis opitulatio, & vestri à Deo confortati Regni securitas, nostra est immensa lætitia: quo tam nos, quàmque vniuersus noster populus istius prouinciæ, (diuina vos satisfaciat Maiestas,) firmi atque immobiles in vestra charitate, ac dilectione, & Regni vestri à Deo protecti Francorum, amoris constantia permanentes permanebimus, & nullus nos poterit humanus fauor aut terror à vestri amoris dulcedine, charitatisque affectu separare: sed vna nobis erit in vestro amore vita ac mors.

C

QVIA verò innotuistis, ob hoc vos præsentes direxisse Missos, vt agnoscere per eos valuissetis, vtrum nobis à parte Langobardorum plenariæ factæ fuissent iustitiæ, an non: ipsi omninò causæ meritum comperti sunt, & callidam versutiam, atque solitè falsiloquam propositionem eorundem vestrorum nostrorúmque æmulorum agnouerunt, eisque ad vos reuertentibus, Deo propitio, vestris propalabunt in auribus. Eis denique de singulis, quæ à vobis iniuncta habuerunt, nobis referentibus, singillatim de omnibus responsum reddentes, in eorum posuimus ore, quæ vestræ Excellentiæ suggerere debeant, effectum ex hoc à vestra adipisci optantes excellentia.

DEVS autem omnipotens de throno suæ Maiestatis super vos, regnúmque

PIPPINVS. vestrum, atque amantissimam coniugem, præcelsam Reginam, spiritalem verò commatrem nostram, atque dulcissimos, vestros quidem carnales natos, nostros autem spiritales filios, nec non & super vniuersum Francorum populum, respicere dignetur, & sui brachij dexteram super vos extendat, atque victorias vobis de cœlo concedat, omnésque aduersarios ante faciem vestram prosternat, & præsentem vitam longo senio, & futuram beatitudinem vobis tribuat perenniter possidam. Deus te incolumem custodiat, excellentissime fili. A

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum Regem PIPPINVM, *per Flauinum Capellanum & Ioannem Subdiaconum & Abbatem, atque Pamphilum Defensorem Regionarium sanctæ Ecclesiæ directa: in qua continentur gratiarum actiones, de ipsis Missis, qualiter vna cum Missis Imperialibus honorificè suscepti sunt &c.*

XX.

Summ.22. Bar. & Cent.

DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri*, PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum*, PAVLVS *Papa*. CVM regalis potentiæ culmen plus fidei virtute, quàm bellatorum armis videatur præsidio & fortitudine circumtegi, quid mirum, excellentissime & vere orthodoxe Regum, si studiorum vestrorum conatus, ad protegendum Dei institutionem ac fidei Chistianorum censuram, impensiùs imminere non desistat, & ob hoc & cælestis vobis victoria datur, & prospera à Redemptore nostro credite præcellentiæ vestræ fore largitura. Remeantibus siquidem ad nos Missis nostris, quos ad vestram præclaram Excellentiam directos habuimus, Iohanne videlicet Subdiacono & Abbate, atque Pamphilo Defensore Regionario, spiritalis matris vestræ, sanctæ nostræ Ecclesiæ, vna cùm vestro Misso, Flauino Capellano, attulerunt nobis honorabiles, & nimis desiderabiles Christianitatis tuæ Literas. Quas cum nimio iocunditatis gaudio suscipientes ac relegentes, protinus earum adsertio, tanquam suauitatis flagrantia, nos adficiens ac salutaris prouidentiæ fomento medens, lætos effecit. B

PORRO Christianissime Rex, amantissime fili, & spiritalis compater, innotuit benignitas vestra, qualiter nostri ac Imperatoris Missi à vobis suscepti sunt, & quemadmodum illis de singulis, quæ præclaro culmini vestro affati sunt, respondere studuistis, eos, pro amore fautoris vestri beati Petri nequaquam suscipi, aut illis responderi adquiescentes absque nostrorum Missorum præsentia. Sed & ipsi nostri Legati ea ipsa nobis retulerunt. Vnde licèt nos ob tantam cordis vestri sinceram affluentiam, quam erga spiritalem matrem vestram, Dei Ecclesiam, & nostram fragilitatem habere videmini, digna rependere non valemus. Est tamen protector vester Dominus Deus noster, qui vos regnare iussit, & sanctam suam Ecclesiam ad defendendum vobis commisit, qui dignam præmiorum in præsenti ac futura vita præcellentiæ vestræ rependere potest remunerationem. C

ITAQVE & Litteras, quas vobis, simulationis ac illusionis causa ipsi Imperiales Missi attulerunt, nobisque à vobis directas suscipientes, earum agnouimus seriem, & omnino in hoc benignitatis vestræ pia consideratio exultationis lætitiam nobis intulit, quia verè constat, non pro humano fauore, sed pro Dei timore, ita vos peregisse. Sed & ea quæ præfati nostri Missi cum Imperialibus Missis de obseruatione fidei orthodoxæ, & pia Patrum traditione, in vestri præsentia disputantes altercati sunt, nobis liquidius per eadem vestra scripta innotuistis, simulque & exemplar Litterarum, quas præfato Imperatori direxistis, responsionis quippe modum & solutionem petitionum, de his, quæ ab eo vobis intimata sunt, nobis dirigere à Deo illustrata Excellentia vestra annuit: verum etiam & quemadmodum eisdem Imperialibus Missis responsum reddidistis, & vnum ex eis * Anthi nempe Spatarium cum vestris Missis regiam direxistis Vrbem, & alium, videlicet Synesium Eunuchum, apud vos detinuistis: simili modo nobis minutius intimastis, agnitisque omnibus à vobis, pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ, & fidei orthodoxæ defensione, peractis, lætati sumus gaudio magno, & ita nobis placabilia existunt, sicut certè, non hoc humano consilio, sed Dei prouidentiæ intuitu, vos talia egisse ac

* *forte*, Antimum *seu* Anthymũ.

A respondisse ambiguum non est. Verè enim, Domine Rex, fili Christianissime, & spiritalis compater, spiritus Dei intimi cordis tui illustrat piam considerationem, & qui Spiritus sancti gratia redundat, non aliis, nisi quæ spiritalia sunt, exuberat, quoniam cor potentiæ vestræ in manu Dei consistens, in suo procul dubio illud inclinat beneplacito.

DIREXISTIS si quidem nobis per eadem vestra scripta significantes, quòd nulla suasionum blandimenta vel promissionum copia vos possit auellere ab amore & fidei promissione, quam beato Petro, principi Apostolorum, & eius Vicario, prædecessori & germano nostro sanctæ recordationis domno Stephano Papæ polliciti estis: sed in ea ipsa vos charitate & sponsionis fide fine tenus fore permansuros. Et quidem nos, præcellentissime Regum, experimento comperimus, & operibus comprobauimus, vos firma atque robustissima constantia in ea ipsa sponsione in finem permanere; & in vobis confidimus, quòd si vniuersi mundi thesaurorum copia in co nspectu vestro offeratur ac tribuatur, nullo modo in aliam partem vestram firmam & à Deo impulsam mentem declinare inflectereque valebit, quoniam vos omnipotens Dominus, præ cunctis Regibus seculi, elegit, & in vobis complacuit, vt vestro certamine sancta vniuersalis Dei Romana Ecclesia, & caput omnium Ecclesiarum, ac firmamentum fidei Christianæ, ab impugnatorum insi-
B diis liberata extitisset, & illud, quod à constitutione seculi Dominus per vos perfici decreuit, ecce mirabiliter operatum est.

VNDE magnam post Deum in vestro regali culmine spei fiduciam habemus, quòd perfectius ipsa sancta Dei Ecclesia, atque hæc miserrima & afflicta Prouinciola, à perfidia inimicorum liberetur, quia antiquus humani generis hostis non desinit inimicorum corda pulsare, vt suas iaculentur solitè insidias. Sed bone orthodoxe Rex, tuo solito certaminis præsidio, eorum cum Dei virtute stude confringere malitiam, vt sancta Dei Ecclesia & populus eius peculiaris perfectiùs ab inimicorum sæuitia liberetur, & meritò suffragiis Apostolorum circumsepti, mercedis vobis in cœlo repositam coronam consequi mereamini. Direximus itaque Excellentiæ vestræ iuxta, vt intimastis, signum nostrum per præsentem Missum vestrum.

INTEREA & hoc innotescimus Christianitati vestræ, quod iam sæpiùs nos petisse dinoscitur TASSILO Bauariorum Dux, vt nostros Missos ad vestram præclaram Excellentiam dirigi annuissemus, vt ea inter vos prouenirent, quæ pacis sunt. Vnde nos data occasione libentissimè nostros Missos, id est Philippum dilectum filium nostrum Presbyterum, atque Vrsum nostrum etiam fidelem ad vestri præsentiam visi sumus direxisse, transacto Maio mense, eo videlicet modo, vt qualiter vestra fuisset voluntas, ita peragere debuissetis. Et properantibus ipsis nostris
C Missis vsque Ticinum, aduersa suspicione arreptus Desiderius Langobardorum Rex, minimè eos permisit ad vestram à Deo conseruatam Excellentiam pertransire, tamen & easdem Litteras, quas vobis dirigebamus, infra hæc nostra scripta Christianitati vestræ transmisimus. Itaque & hoc à Deo protectæ Christianitati vestræ aptum duximus intimandum. Quod relectis Imperialibus Litteris, vobisque * defertis per præfatos Anthi Spatarium & Synesium Eunuchum, quas nobis * delatis. ob earum seriem intuendam, pro amore beati Petri, fautoris vestri, dirigere dignati estis, reperimus in eis adnexum, quòd vestri ac nostri homines, qui ipsas Imperiales syllabas, quæ vobis nobisque directæ sunt vel diriguntur, interpretantur non iuxta, vt ibidem exaratum est, sed aliud pro alio falsè interpretari audent: & Missi, qui inter partes properant, non sicut illis iniungitur, sed acceptilationis præmio corrupti, alia pro aliis deferunt. Et in hoc perpendat vestra Excellentia, quanta est inimicorum malitia, dum contra animas eorum, non quæ veritatis sunt, sed per hanc occasionis versutiam iniqua proferunt mendacia in id, quod nec suis nec vestris ac nostris credant Missis. Dum & vos satisfacti estis de vestris hominibus, simili modo & nos de nostris, quod nullo modo hoc agere penitus præsumant.

SATISFACIAT omnipotens Deus, qui cordis ac renum scrutator est, mellifluum cor Excellentiæ vestræ, quod nequaquam nostrum quispiam, vt ipsi adserunt, talia agere perpetrauit. Sed in hoc vehementer idem Imperator irascitur, & occasionis versucias adhibet, pro eo quod nequaquam siluimus ei prædicandum ob constitutionem sanctarum imaginum, & fidei orthodoxæ integritatem. Nam

PIPPINVS. illud in ipsis suis apicibus adferunt, quod dilectus filius noster Christophorus Primicerius & Consiliarius, sine nostra auctoritate nobis quasi ignorantibus, suggestiones illas, quas sæpius ei direximus, fecisset, & alias pro aliis eius ac vestris Missis relegisset, & in hoc testem & iudicem proferimus Deum, quod ita nequaquam est. Nihil enim ipse noster Consiliarius extra nostram voluntatem aliquando egit vel agere præsumpsit, quoniam nostri prædecessoris ac germani, domni Stephani Papæ, simul & noster sincerus atque probatissimus fidelis extitit, & in omnibus, existit, & satisfacti sumus de eius immaculata fide & firma cordis constantia, & ob hoc credimus, illud, quod nobis falsè profertur, non improperium, sed brauij corona nobis à Deo computatur, & idcirco vtrisque nobis Dominus adiutor est, & non timebimus, quid nobis faciat homo. Habebimus enim, post Deum, & clypeum protectionis, & arma virtutis, vestram à Deo illustratam præclaram Excellentiam. At verò Christianitas vestra suos iubeat inquirere Missos, & in omnibus vos satisfaciatis, quoniam mendacium contra nos idem adseruit Imperator, eo quòd eam direximus suggestionem, eis relegentes pariter cum ipsis quæ direximus & confirmauimus, tamen & eius exemplar à nobis vobis directum apud vos habere videmini. A

HIS præmissis, flexis poplitibus, vna cum vniuersa plebe Dei, polorum cœlorum opificem Dominum Deum verum exoramus, vt vobis præsentis vitæ longæuitatem cum magna de hostibus victoria concedat, & æterna gaudia tam Excellentiæ vestræ quàmque Christianissimæ Reginæ, filiæ & spiritali nostræ commatri, amantissimæ vestræ coniugi, atque dulcissimis natis excellentissimis Carolo & Carlomanno Regibus Francorum & Patriciis Romanorum largiri dignetur. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. B

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum PIPPINVM *Regem, per Petrum Presbyterum directa: in qua continetur * Abbasciatum Remedij Episcopi & * Audecarij Comitis, qualiter iustitias beati Petri Apostolorum principis apud Desiderium, quondam Regem, ex parte receperit, & reliquas iustitias faciendum pollicitus est.*

* Legatio. * Andegarij.

XXI.

Summ. 10. Bar. & Cent.

DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum*, PAVLVS *Papa*. QVIA Excellentia vestra merito bonorum operum, superno examine, fuerit comprobata, ipsis iam in manifesto rerum exhibitarum effectu demonstratum est: dum nimirum, adepta desuper diuinæ sapientiæ participatione, regalis fastigij sceptra cœlesti benedictione constet * effectius promeruisse. Vnde cùm sibi hanc ab omnipotente Deo gratiam missam eximietas vestra non ambigit, profectò ei placere, qui eam contulit, totis intendit nisibus, & pro eius, quam suo eruit, diuino nutu, certamine, scilicet sanctæ vniuersalis Ecclesiæ & exaltationis vigore, decertare non desistit cordis sui oculis à Deo protegenda eximietas vestra, adhibens illa, quæ sibi, pro huiuscemodi laboris fructu, à beato Apostolorum principe Petro, cœlorúmque regni clauigero, ætherea promissa sunt præmia. Vbi iam non humana inter homines gloria, sed inter Angelos, diuina nunquam amittenda felicitate gaudetur. Exultáque & lætare, felicissime Rex, quia tuo, annuente Deo, certamine, sancta spiritalis mater vestra, vniuersalis Dei Ecclesia, ab æmulorum insidiis erepta atque exaltata triumphat, fidésque orthodoxa tuo zelo & fortitudinis brachio illibata ab hæreticorum iaculis consistit. C

*efficacius.

PRO quo beatus & iustus effectus es in omnibus operibus tuis, fili dulcissime & spiritalis compater victoriosissime, eximiéque Rex. Innotescimus siquidem præcelsæ Christianitati vestræ, quòd nuper dum ad nos * coniunxissent fidelissimi vestri, scilicet à Deo amabilis REMEDIVS vester, atque * AVTHARIVS gloriosissimus Dux, constitit inter eos & Desiderium Langobardorum Regem, vt per totum instantem Aprilem mensis istius XIII. Indictionis, omnes iustitias fautoris vestri, beati Petri, Apostolorum principis, omnia videlicet patrimonia, iura

* peruenissent. * Andegarius.

A etiam & loca, atque fines & territoria diuersarum ciuitatum nostrarum Reipublicæ Romanorum, nobis plenissimè restituisset. Vnde ex parte quidem easdem iustitias nobis idem Langobardorum Rex fecisse dinoscitur, & reliquas omnes iustitias se profitetur atque omninò spondet nobis esse facturum. Quapropter impensius nos præfatus Desiderius Langobardorum Rex obsecratus est, vt vestræ à Deo protectæ Excellentiæ nostris Apostolicis relationibus intimare debuissemus; & ecce sicut nostro, post Deum, liberatori, hoc ipsum eximiæ atque sublimissimæ, & à Deo protectæ Christianitati vestræ, per has Apostolicas nostras innotuimus syllabas. Dirigentes magnoperè ad vestram à Deo inspiratam præcelsam Sublimitatem præsentem dilectum filium nostrum Petrum Presbyterum, quem petimus, benigno solitè aspectu à vobis suscipi, & cum effectu atque prospero nuntio, de perfecta plenariáque iustitia diuersarum causarum fautoris vestri beati Petri Apostolorum principis, ad nos remeandum absoluere dignemini. Si verò in ea, * quæ præfatus Desiderius Rex, vel eius Langobardorum Gens, profitentes pollicentur, permanserint sponsione, nobisque omnia, secundum vt constitit, & pactorum fœdera continent, restituta ab eis nobis fuerint, tunc à Deo conseruandæ Excellentiæ vestræ meritum intimantes innotescemus ei. PIPPINVS. * quam.

VNDE obsecrantes petimus, & obnixè deprecamur, imò & coniuramus te, excellentissime atque Christianissime Rex, amantissime fili, & spiritalis compater, per omnipotentem Deum, & beatum Petrum, qui te in Regem vnxit, vt perfe-
B ctiùs ea, quæ pertinent ad exaltationem, & ad * ampliatam liberationem sanctæ Dei Ecclesiæ, & istius à vobis redemptæ Prouinciæ, sicut beato Petro & nostro prædecessori Pontifici sanctæ recordationis domno & germano nostro beatissimo Stephano Papæ polliciti estis, cuncta perficere & adimplere iubeatis, quatenus promissam & expositam vobis mercedis coronam de manu omnipotentis Dei nostri misericordis, vt sua vos circumtegat gratia, vna cum dulcissima coniuge, excellentissima Regina, filia & spiritali nostra commatre, atque amantissimis natis, id est, præcelsis Regibus, & præsentis Regni culmen & triumphum victoriæ possidere, & æterna gaudia in cœlestibus regnis cum Sanctis perfrui concedat. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. * ampliorē.

Item Epistola eiusdem Papæ ad domnum PIPPINVM *Regem directa, in qua continentur lamentationes, eo quòd Desiderius Rex consilium iniit cum Georgio Imperiali Misso, qui hîc Francia adfuit, vt Imperator suum exercitum in Italia contra Rauennam vel Pentapolim ad Romanam vrbem ad comprehendendum mittat, & ipse Desiderius cum vniuerso Regno Langobardorum in eius adiutorium vel solatium ea mala ad perpetrandum decertet, & quia cotidie scamaras & depradationes in eorum finibus faciebant. Cum nimiis adiu-*
C *rationibus postulans adiutorium obtinere contra ipsos Langobardos. Et ideo minimè in hoc Volumine est scripta, quia præ nimia vetustate iam ex parte erat diruta. Tamen alia Capitula in eadem non continentur inserta, sed sicut in superiore Epistola legitur, sic & in ista scriptum reperitur.*

Deest ergò hæc Epistola. Nec eius meminerũt in Sũmariis Bar. & Centuriatores. Facilior tamen iactura est, si nihil aliud cõtinebat, quã superior Epistola.

Item exemplar generale eiusdem Papæ ad cunctum exercitum à Deo protectum Regni Francorum, in quo continentur gratiarum actiones, & vberrimæ benedictiones, pro certamine eorum, & vt magis in seruitio Dei omnipotentis, & sanctæ Dei Ecclesiæ, certando perseuerent, animum Domini PIPPINI *Regis ad hoc peragendum excitent.*

XXII.

PAVLVS *seruus seruorum Dei, omnibus dilectis nobis Episcopis, & venerabilibus Presbyteris & Abbatibus, atque religiosis Monachis, gloriosis etiam Ducibus & Comitibus, seu vniuersæ Christo dilectæ Generalitati exercitus à Deo protecti Regni Francorum, constitutis.* CONSIDERANTIBVS nobis, & velut ignitam coram nostris as- *Bar. Sum. 29. Centuriatores extra reliquarum ordinem*

PIPPINVS. *huius Epistolæ Summarium colle-ctant.* * studetis.

pectibus splendifluam, Christo amabilis fortitudinis vestræ fidem, & laboriosum certamen adhibentibus, quod liberationi sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, quæ vos verbo prædicationis, peculiaritatis modo sinceros genuit filios, exhibere totis nisibus * studemini, magna nobis admirandi inhæret qualitas, & hæc laudis præconia vestro nomini & benedictæ generationi proferre in vniuerso non desistimus Orbe terrarum. O dulcissimi atque amantissimi nobis, quam vicissitudinis repensationem vestro exercitui conferemus? Aut quæ thesaurorum copiæ dignæ sint ad tot beneficiorum præsidia, quæ sanctæ Ecclesiæ contulistis? Et licèt in hoc mentis consideratio & possibilitas coartetur vobis digna rependere, verumtamen est iudex iustus in cœlis, Dominus Deus noster, qui digna vestrorum retribuet operum merita. Verè enim eleuatum est nomen Gentis vestræ super multas generationum Nationes, & Regnum Francorum vibrans emicat in conspectu Domini: quod talibus benignissimis Dei Catholicæ & Apostolicæ sanctæ Ecclesiæ liberatoribus præornatur Regibus. Nouus quippe Moyses, nouúsque Dauid, in omnibus operibus suis effectus est Christianissimus, & à Deo protectus filius, & spiritalis compater Dominus Pippinus, Dei nutu victoriosissimus Rex: per quem exaltata Dei Ecclesia triumphat, & fides Catholica ab hæreticorum telo illibata consistit. A

Et vos quidem, charissimi, Gens sancta, Regale Sacerdotium, populus adquisitionis, cui benedixit Dominus Deus Israël, gaudete & exultate, quia nomina vestra, Regúmque vestrorum exarata sunt in cœlis, & merces vestra magna est coram Deo & Angelis eius. Firmum quippe beatissimum Petrum Apostolorum principem, cui à Redemptore nostro ligandi soluendíque peccata, in cœlo ac in terra concessa est potestas, adepti estis protectorem. Sed omnipotens Dominus eiusdem sui Apostoli intercessionibus benedicat, protegat, atque confortet & corroboret Deo amabilem communitatem vestram, actúsque vestros in beneplacito suo disponat, tribuens vobis à cœlo victoriam, fines vestros dilatet, subiiciens excellentissimis Regibus vestris omnes barbaras Nationes ad perfectam liberationem & exaltationem sanctæ vniuersalis Dei Ecclesiæ, & fidei orthodoxæ integritatem, détque vobis ea sapere, quæ illis sunt placita, & multò amplius corda vestra in amore beati Petri, & eius Apostolicæ Sedis illustret, fideliíque studio eius præceptis Apostolicis obtemperantes, vestrorúmque Regum mandata obseruantes, & præsentis vitæ cursum cum victoria & bona fama exequi, & æterna gaudia cum cœli ciuibus perfrui mereamini. B

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad dominum PIPPINVM *gloriosum Regem, per Georgium Episcopum directa, in qua continentur gratiarum actiones pro liberatione sanctæ Dei Ecclesiæ: & in Embolo postulat, vt filium eius qui tunc natus fuit, ex sacro Baptismatis fonte excipere mereretur.* C

XXIII.

Summ. 19. apud Bar. & Cent. * *f.* relatio.

DOMNO *excellentissimo filio nostro spiritali compatri*, PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum*, PAVLVS *Pap*. SOLET epistolaris * latio mentem semper vi sua reficere, & materia quodammodo charitatis existere. Quia ergo spiritalium dilectio sincera filiorum paternos sustinet desideranter affectus, summa nos cum alacritate implere conuenit quod puræ conscientiæ deposcit affectus; & licèt ad reddenda paternæ charitatis officia, prolixitate itineris imminente, raritas portitorum impediat. Quotiens autem necessitas inciderit occasionis, excellentissimam Christianitatem vestram non desistimus scriptis discurrentibus visitare, & honore solito amplectentes, * vtilitate: quatenus hoc, * quod oculis carnalibus * præsentium videre non possumus, eos aliquatenus scriptis valeamus alternantibus intueri. Itaque ita vbique, Deo illustrante, Excellentiæ vestræ merita diffusa diuulgauit opinio, vt ex rebus ab ea gestis, omnibus laudabiliter demonstretur. Vnde in quantum valet nostri oris assertio, protensæ laudationis attestatione, vestræ eximietati gratiarum reddentes actiones, aptum prospeximus, præsentem sanctissimum atque reuerentissimum Fratrem Georgium, & Coëpiscopum nostrum, illuc vsque ad vestra præclara Deo inuitabilia transmittendum.

* *Videtur hic etiam reponendum:* visitare. * hos quos. * præsentes.

A vestigia, cui singillatim omnium spiritalis matris vestræ, sanctæ Dei Ecclesiæ, & istius à vobis redemptæ Prouinciæ vtilitatum necessitates, à Deo protegendæ sublimitati vestræ Excellentiæ referendas commisimus. PIPPINVS.

SED petimus, à Deo seruate fili, & spiritalis compater, benignissime Rex, nostérque post Deum liberator, & obnixè deprecamur, vt iubeas eundem nostrum Missum benigno solitóque gratulationis aspectu commendatum suscipere, nostrísque postulationibus, quæ ad exaltationem sanctæ Dei Ecclesiæ, & maximè ad tuæ animæ mercedem & æternam memoriam respiciunt, à Deo impulsas benignitatis tuæ aures, & congruum atque velociorem de cunctis adhibere digneris effectum: quoniam, sublimissime Regum, amantissime fili, & spiritalis compater, ad hoc te omnipotens Deus sanctæ suæ Ecclesiæ voluit, per manus beati Petri, liberatorem adesse, vt tuo solito præsidio plenissima salus & redemptio sanctæ suæ Dei Ecclesiæ, & istius Prouinciæ proficiat. Orantes Dominum Deum nostrum, quia actus vestros ita sua pietate disponat, quatenus Excellentiæ vestræ præsentis vitæ spatia cum prosperitate disponat, * victoria Regni gubernacula perfruens longæuiter exequatur, & ad promissionis æternæ præmia, cum dulcissima coniuge, excellentissima Regina, spiritali nostra commatre, & eximiis natis, id est, Regibus, cum securitate pertingat, & in cœlestibus regnis, cum Sanctis & electis suis, vtrosque vestrum idem omnipotens Deus faciat perenniter gratulari. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. * victoriâ.

B

Embolum.

INTEREA, sublimissime Regum, nostræ perlatum est notioni, quòd, Dei nutu, nouum Regem ex vestris visceribus, ad exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ, omnipotens Deus contulit: de cuius natiuitate maximo gaudio sumus releuati. Vnde obnixè te petimus, vt à sacratissimo Baptismatis lauacro eundem maximum vestrum filium suscipere mereamur. Quatenus duplex Spiritus sancti gratia in medio nostrum, & geminæ festiuitatis nobis oriatur lætitia.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad domnum PIPPINVM *Regem directa, in qua continetur, quod sex Patricij cum trecentis nauibus & stolo de Sicilia in partibus Romæ vel Franciæ properant: & de iustitiis sanctæ Dei Ecclesiæ, quas Desiderius coram Missis suis facere promisit, quia nihil exinde, sicut pollicitus fuit, adimpleuit.*

XXIV.

C DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri,* PIPPINO *Francorum Regi, & Patricio Romanorum,* PAVLVS *Papa.* A Deo institutæ præcellentiæ vestræ his nostris Apostolicis syllabis, bone potentissime Rex, fili excellentissime, & spiritalis compater, sicut nostro, post Deum, liberatori, ea quæ ad agnitionem nostram de diuersis adueniunt partibus, summopere innotescere studemus. Agnoscat siquidem Eximietas vestra, intimasse nobis quosdam sincerissimos fideles spiritalis matris vestræ, sanctæ nostræ Ecclesiæ: quòd sex Patricij, deferentes secum trecenta nauigia, simúlque & Siciliensem * stolum, in hanc Romanam vrbem absoluti à * Regia vrbe, ad nos properant. Quid ij velint agere, aut pro qua diriguntur causa, rei veritatem ignoramus. Hoc tantum nobis nuntiatum est, quòd ad nos progredi, & ad vestram summè laudabilem præcellentiam in Franciam ingredi sunt dispositi, easdémque nobis destinatas Litteras infra hæc nostra scripta vestræ Excellentiæ direximus intuendas. *Summ. 17. apud Bar. & Cent.* * classem. * Constantinopoli.

ITAQVE & hoc conseruandæ Eximietati vestræ innotescimus, quod quemadmodum in præsentia Missuum vestrorum constitit cum Desiderio Langobardorum Rege, vt nostras Romanorum iustitias ex omnibus Langobardorum ciuitatibus pleniùs primitus acciperemus, & ita postmodum ad vicem ex omnibus nostris ciuitatibus integras Langobardis faceremus iustitias, freti in huiuscemodi eius pollicitatione, quam in præsentia prædictorum Missuum vestrorum exhibuit,

PIPPINVS. nostros Missos direximus ad easdem recipiendas faciendásque iustitias. Ipse verò varias adhibens occasionum versutias, nequaquam nobis primitus, vt constitit, plenarias de omnibus suis ciuitatibus facere voluit, quas exquirimus, iustitias, & ita demum suas in integro ex omnibus nostris ciuitatibus recipere, sed singillatim tantummodo de vna ciuitate facere, & de alia recipere maluit, volens per hoc dilationem inferre, ne pars nostra Romanorum propriam consequatur iustitiam. Et ecce nostri Missi nihil impetrantes, ad nos sine effectu reuersi sunt, & plures deprædationes extunc, atque multa & inaudita mala in nostris immittit finibus. Vnde ecce suas confestim direxit Litteras, per quas, confidens in sua ferocitate, Deum præ oculis non habens, nec beatum principem Apostolorum Petrum metuens, comminationes nobis direxit, & inania detractionum verba pertulit, quas & de præsenti infra hanc nostram exarationis seriem vestro præfulgido, & à Deo instituto culmini direximus, vt earum præcelsa eximietas vestra agnoscens textum, consideret, quanta sit eius malitia, & elationis cordis superbia, in id, quod contra beatum Petrum, & vestram regalem potentiam, se erigens malitias nobis comminatur inferre. A

SED nos spem nostram, post Deum, sicut inexpugnabilem murum, firmissimam, in vestram à Deo corroboratam Excellentiam habemus. Pro quo flexo poplite te petimus, & per nos etiam beatus Petrus Apostolorum princeps vestram adgreditur eximiam Præcellentiam, quatenus inspiratus ab omnipotente Deo, qui vos sanctæ suæ Ecclesiæ defensorem ac liberatorem constituit, salutem nostram amplissimè procurare, & contra omnium nostrorum inimicorum ferocitatem & arrogantiam solitus auxiliator & protector noster existere iubeas, Christianissime & spiritalis compater: quatenus lucratissimum præmium à Redemptore nostro Domino Deo, intercedente beato Petro Apostolorum principe, consequi mereamini: & sicut terrenum, ita & cœleste regnum cum Sanctis & electis Dei per infinita secula consequi mereamini. B

DE omnibus verò subtili enarratione, præsenti CONIBERTO, vestro fidelissimo Vasso iniunximus, cuncta liquidiùs vestræ Regali potentiæ suggerere. Sed & hoc obnixè postulamus benignam Excellentiam vestram, vt Missos vestros aptos, quales vobis placuerint, ad nos dirigere debeatis, qui in nostro inueniantur esse auxilio. Vnus tamen ex eis vsque Ticinum properare debeat, vt dum cum Desiderio Rege loquutus fuerit, quicquid eis in responsis reddiderit, vestræ Excellentiæ renunciet. Reliqui verò duo cum vestro disposito & ordinatione apud nos coniungere festinent, vt in nostro, vt dictum est, consistant auxilio. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad domnum PIPPINVM *Regem per Langbard directa, in qua continentur gratiarum actiones, & vberrima benedictiones pro vita & incolumitate ipsius, vel Domini* CAROLI *&* CARLOMANNI, *nobilissimis liberis eius, volens adiutorium obtinere, cum multis adiurationibus contra Langobardos, & in* * *Embolum continetur Præceptum, quod Marino Presbytero direxit, de titulo Chrysogoni, & de libris quos ei transmisit.* C

* Embolo.

XXV.

Summ. 18. apud Bar. & Cent.

DOMNO *excellentissimo filio & nostro spiritali compatri*, PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum*, PAVLVS *Papa*. PROPERANS ad nos Litterarum transuector, Langbard scilicet, illustris vir, fidelis eximietatis vestræ Missus, detulit nobis nectaream atque florigeram à Deo protectæ Excellentiæ vestræ syllabarum relationem. Cuius adnexam paginam enucleatius perscrutantes, quæ textus eius loquebatur ad singula comperimus. In ipsis quippe Sublimitatis vestræ affatibus, desiderabilem nobis & super omnia huiusmodi delectamenta amplexabilem sospitatis vestræ lætitiam agnoscentes, vberiore nostri animi ouantes gaudio, maximè sumus relaxati, in id, quòd optata nostri promeruimus comperire cordis. Et postmodum nostris à vestris Deo imitabilibus vestigiis reuertentibus

A Missis, & ea ipsa vestræ prosperitatis gaudia deferentes à nobis in responsis, gemina exultationis iocunditas nostro inserta est cordi. Nam & dum in auribus omnis Sacerdotum, Cleri, etiam Optimatum, & reliqui populi, ampliata vestra insonuisset prosperitatis lætitia, & ex hoc nimio gaudio repleti gratulantes; exultarunt vna nobiscum in Domino, agnita nimirum proprij post Deum defensoris sospitate. PIPPINVS.

PORRO, excellentissime & à Deo seruate fili, & spiritalis compater, vehementi dilectione vos erga amorem Apostolorum principis beati Petri, atque circa nostram charitatem vos flagrare experimento didicimus, præsertim dum ipsa Excellentiæ vestræ Epistola charitatis calamo cernitur esse conscripta. Etenim ex corde lingua tinxerat, quod in chartæ refundebat paginam. Quamobrem magnas gratiarum actiones à Deo protectæ Excellentiæ vestræ referimus, quoniam dum nimirum diuina te clementia, per interuentum sui principis Apostolorum, defensorem atque opitulatorem, benignissime Rex, sanctæ suæ constituit Ecclesiæ, cura vestræ eximietati insistat perfectam redemptionem istius Prouinciæ, atque exaltationem huius sacrosanctæ Ecclesiæ procurare. Vnde Domini Dei nostri, vna cum vniuerso populo nobis commisso, imploramus clementiam, vt sua vos protegat gratia: & victoriam vobis de cœlo ministrans, cunctas barbaras Nationes vestris subiiciat vestigiis, & longæuiter Regni gubernacula faciat promereri, vna cum B dulcissima vestra coniuge, excellentissima Regina, spiritale nostra commatre, & vestris nostrisque amantissimis natis, domno Carolo & Carlomanno potentissimis Regibus, & domna Gisila excellentissima, & vitæ æternæ cum electis Dei concedat gaudia.

PETO itaque & deprecor te, excellentissime fili, spiritalis compater, atque per omnipotentem Deum, & corpus beati Petri, cuius & optimus fidelis existis, coniuro, & maximis supplicationibus deposco, quatenus iubeas sedulè in tuo sancto, & à Deo inspirato mellifluo corde * confertum retinere. Illud, quod vos sanctæ recordationis domnus & germanus noster beatissimus Stephanus Papa Dei nutu admonuit, atque deprecatus est peragendum, & in ea charitate atque amicitia permanere, cunctáque qualiter vos terribili adhortatione petiit ad id implere, & effectui mancipare iubeatis, vt perfectam mercedem, & repositam plenissimæ redemptionis nostræ coronam à iusto iudice omnium conditore, Domino Deo nostro, qui vos in Regem vnxit, consequi mereamini, & gaudia æternæ beatitudinis cum Sanctis & electis Dei, dum plebem Dominicam perfectius liberans, atque sanctam Dei Ecclesiam defendens, diuinæ maiestati illæsum à sæuientium malitia præseruaueris. Pro quo & magnam, post Deum, benignissime Rex, in tuæ pollicitationis sponsione, quàm beato Petro contulisti, spei gerimus fiduciam, vna cum omni populo istius Prouinciæ à vobis redempto. * comperitum.

C SALVTANT itaque communem Excellentiæ vestræ Christianitatem, cuncti Sacerdotes & Clerus istius sacrosanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ. Salutant vos & cunctus Procerum Senatus, atque diuersi populi congregatio, optantes vna nobiscum, de vestra amplissima prosperitate & vberrima lætitia diu gaudere, & in Domino Deo salutari nostro exultare. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Embolum.

PER aliam quippe Epistolam suam, à Deo protecta eximietas vestra sicut certè suo benè cupienti patri direxit, quatenus Titulum protectoris vestri beati Christi Martyris Chrysogoni cum omnibus sibi pertinentibus dilectissimo atque fidelissimo vobis Marino Presbytero concedere deberemus. De quo & præceptum nobis dirigi petistis, quod nempe ob vestram dilectionem, & in eo, quod fidelis vester, nosterque idem sanctissimus atque dilectissimus Marinus Presbyter existit, præfati Tituli præceptum, cum omnibus locis & possessionibus sibi pertinentibus, vrbanis vel rusticis, vobis exaratum, atque manu nostra roboratum, per harum latorem direximus eximietati vestræ deportandum. Direximus etiam excellentissimæ Præcellentiæ vestræ & Libros, quantos reperire potuimus, id est, Antiphonale & Responsale, insimul artem * Grammaticam Aristotelis, Dionysij Ariopagitæ Libros, Geometricam, Orthographiam, Grammaticam, omnes Græco eloquio scriptores, necnon & horologium nocturnum. * f. Dialecticam.

PIPPINVS. A

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad dominum PIPPINVM *Regem, per VVlfardum & socios eius directæ, in qua continentur vberrimæ laudes, & de Missis Apostolicis, vel Græcorum in Francia morantibus, seu de * Georgio & Petro.*

* Centur. Gregorio Episcopo.

XXVI.

Summ. 16. apud Bar. & Cent.

DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri*, PIPPINO *Francorum Regi, & Patricio Romanorum*, PAVLVS *Papa*. VOTIVA cordis nostri desideria, & intimi pectoris affectum, vt vestræ Excellentiæ beneficiorum suffragia sanctæ Dei Ecclesiæ vota proferentes, optabilem, nimisque amabilem salutem præcelsæ Christianitati vestræ, atque excellentissimæ, & nostræ benignissimæ filiæ & commatri, optimæ Reginæ, simúlque amantissimis ac præclaris vestris, nostrisque in Christo amabilibus filiis, Carolo & Carlomanno, excellentissimis Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum, necnon & omnibus reuerentissimis Fratribus nostris, ac dilectissimis nobis Episcopis, Presbyteris, etiam religiosis Abbatibus, simúlque & cunctis Optimatibus, Iudicibus, Ducibus videlicet & Comitibus, necnon & vniuerso à Christo protecti Francorum Regni populo vobis subiacẽtibus, destinamus perennem salutem. Persistentes etiam vna nobiscum, B & in osculo charitatis vos amplectentes, vniuersi sanctissimi Fratres nostri Episcopi, Presbyteri etiam, & cunctus sanctæ & spiritalis matris vestræ Romanæ Ecclesiæ Clericorum ordo, & Procerum, Optimatum, & vniuersi Romani magni vel minoris congregatio, sedulis interuentionibus pro vita & incolumitatis vestræ lætitia, cœlitúsque vobis concedendis victoriis, diuinam nobiscum deprecantes clementiam. Et verè debitum vobis est, excellentissime fili, nostérque post Deum defensor ac liberator, solitæ honorificentiæ affectum persoluere, & impensius salutationis verba promere, & ea, quæ ad Regni vestri immensam * exultationis laudem, & animæ vestræ salutem respiciunt, amplissimè prolatari.

* exaltationis.

IGITVR regressis nostris Missis, quos ad vestræ Regalis clementiæ vestigia destinatos habuimus, Petro scilicet Notario Regionario sanctæ nostræ Ecclesiæ, & Ioanne Mansionario Confessionis Basilicæ fautoris vestri beati Petri, coniungentibus etiam & vestris Missis, VVulhardo nempe, eiúsque sociis, protulerunt nobis honorandas nimisque desiderandas syllabas Præcellentiæ vestræ. Quas cùm in conuentu Fratrum consacerdotúmque meorum, & Cleri atque cuncti laicorum ordinis cœtu legissemus, nostri ac vestri Missi, ea sibique à vobis iniuncta, de vestra immutabilis mentis constantia, & puritatis integritate, quam pro spe sanctæ Dei Ecclesiæ & fidei orthodoxæ habere videmini, retulissent: illicò nimio gaudio repleti, eleuatis ad æthera oculis, extensísque palmis, immensas omnipotenti Deo nostro, & vestræ Excellentiæ tulimus grates. Angelicam illam pro vestris C meritis diuinæ eius potentiæ canentes laudem: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Neque enim, bone Rex, aliter mentes fidelium credere poterant, quàm quod in earum ex operibus cernentes comperimus à vobis peractum, qui pro intuitu humanas suasiones & inanes promissiones respuentes, nihil amori & certamini, quod erga beatum Petrum geritis, præponere maluistis. Sed omnia terrena lucra, velut lutum, quod pedibus conculcatur, reputantes, ei vos placere, eiúsque mandatis totis nisibus obtemperare vestræ imminet curæ, & idcircò, ecce bone Rex, præcelse fili, & spiritalis compater, thesaurizasti tibi thesauros infinitos in sidereis arcibus, vbi ærugo non præualet, nec tinea ea quæ iustis tribuenda sunt consumi possunt, dum ita mirabiliter præcelsæ Excellentiæ vestræ opera rutilant, quis de vobis quoquomodo ambigere possit, dum ea quæ beato Petro polliciti, & ob veniam vestrorum concedere studuistis delictorum, illibato eius iure perenniter permanenda conseruare satagitis, & vestris à vobis & à Deo conseruandis magnis exhortationibus committitis. Et ideò nobis nimis vel cuncto populo nostro confidendum est, in huiuscemodi pio proposito immutabilis constantiâ mentis, vos vestrásque soboles & vniuersum Regnum Francorum firmiter esse permansuros; quoniam iuxta, vt nobis Excellentia vestra innotuit, scimus, cui credimus, & certi sumus.

Luc. 2.

DE

A De nostrâ itaque puritate & dilectione, quam ergà vos & cunctum à Deo protectum Regnum Francorum habere dinoscimur, credimus iam vos plenissimè esse satisfactos. Pro quo & ampliori certificatione Deum cœli testem proferentes, in ea nos charitatis dilectione, quam cum sanctæ recordationis domno & germano nostro beatissimo Stephano Papa, & per eum cum omnibus successoribus Pontificibus, vos vestræque suboles, & cuncta vestra proles, atque vniuersum Regnum Francorum vsque in finem seculi conseruare spopondistis, & nos etiam, atque nostros successores Pontifices, confitemur esse permansuros pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ, & fidei orthodoxæ defensione. Nulla nos rerum qualitas ab eadem charitatis confirmatione potens poterit separare. PIPPINVS.

Direxit itaque nobis Excellentiæ vestræ Christianitas, significans de Missis nostris, vestrísque atque Græcorum, qui à Regia Vrbe reuersi sunt, eos apud vos esse detentos, interim quòd aggregatis vestris Sacerdotibus, atque Optimatibus, coniicere seu perpetrare valeatis, quid de his, quæ vobis directa sunt, respondendum sit. Et quidem nobis hac de re aliter confidendum non est à vobis respondeti; nisi, quæ ad exaltationem sacrosanctæ spiritalis matris vestræ Romanæ Ecclesiæ, caput omnium Ecclesiarum Dei, atque orthodoxæ fidei, pertinere noscuntur, & quia quod semel beato Petro, & pro æternæ vitæ retributione obtulistis, nulla vos deberet ratione ab eius iure & potestate separare. Scimus enim,
B quòd nulla apud vos suasionis fabulatio præualet, dum diuina verba & Apostolica documenta firmiter in vestro corde retinetis adnexa. Et ecce sicut nobis per vestras Litteras, & nostros vestrósque Missos maximam confidendi materiam intulistis, præstolamur lætabunda hac de re nuntia à vobis suscipi, & solitè de vestro benigno mentis proposito gratulari. Et hoc præcelsa Christianitas vestra per easdem suas à nobis petiit syllabas, Georgium Episcopum, & Petrum Presbyterum in vestro permanere seruitio, nos debere concedere. Et quidem præcellentissima vestra benignitas agnoscat, nos iamdudum de hoc vestræ obtemperasse voluntati. Per Andream quippe religiosissimum Missum vestrum, sicuti poposcistis, in exaratis destinatis Apostolicis syllabis, eos vobis dignoscimur concessisse. Intimantes, vt siue retinendos, siue etiam absoluendos esse vestra fuisset voluntas, ita de eis peragere deberetis. Vnde etiam & nunc in vestro voluntatis arbitrio relaxamus, aut qualiter vobis de eis placuerit tam retinendos quàm absoluendos faciatis, dum semel à nobis vobis concessi sunt. Sed vtinam ipsi placabiles in vestro possint esse seruitio! Pro quo dirigite nobis, quid de Episcopatu prædicti Georgij, & de Ecclesia, quæ prænominato Petro, commissa est, peragere debeamus; ne ampliùs illis admonitis in nimiam neglectus incuriam deueniant.

Interea duos vestros Missos, id est, VVulfardum & eius socium, secun-
C dum vestram præceptionem pro vtilitatibus sanctæ nostræ Ecclesiæ, spiritalis matris vestræ, in his partibus retinuimus. Illud præterea Excellentia vestra innotuit Desiderio vos Langobardorum Regi direxisse, vt Saxulum puerum nostrum, qui à nobis fugam arripuerat, reddere deberet. Sed agnoscat Christianitas vestra, quod etiam vos creditum cognitum habere puto, * coniunxisse hoc præterito autumni tempore eundem Desiderium Langobardorum Regem ad Apostolorum Limina, causa orationis, eundémque nostrum puerum secum deferens nobis contradidit. Cum eodem quippe Rege, pro iustitiis inter partes perficiendis, loquente, constitit, vt vestris eiúsque Missis per diuersas ciuitates progredientibus, ipsæ præparatæ fuissent iustitiæ. Et ecce, Deo propitio, de partibus Beneuentanis atque Tuscanensibus & fecimus, & adinuicem nostras recepimus. Nam de Ducatu Spoletino, nostris vel Langobardorum Missis illic adhuc existentibus, ex parte iustitias fecimus ac recepimus. Sed & reliquas, quæ remanserunt modis omnibus, plenissimè inter partes facere student. In * Embolim verò direxit nobis à Deo protecta Excellentia vestra, præfatum vos Desiderium admonuisse Reges Neapolitanos ac Caietanos constringere, ob restituenda patrimonia protectori vestro beato Petro illic Neapoli sita, & largiri * electis solitè ad suscipiendam Episcopalem consecrationem, ad hanc Apostolicam properandi Sedem. Quapropter maximas de hoc, & de omnibus, Excellentiæ vestræ referimus grates.

* peruenisse.

* In Embolo, *vel* Embolio.

* licentiam.

PIPPINVS.

His præmissis, omnipotens Dominus Deus noster sua vos continua protectione circumtegat, & ab omnibus aduersitatibus eripiat, & vestris vestigiis omnes barbaras subiiciat Nationes: concedés vobis & præsens Regnum feliciter per multorum annorum curricula vna cum amantissima coniuge & præcelsis filiis perfrui, & vitam æternam cum Sanctis tribuat possidendam. Deus te incolumem custodiat, excellentissime fili. A

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad domnum PIPPINVM *Regem per VVlfardum directa, in qua continentur gratiarum actiones, & vberrimæ laudes, pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ: poscens adiutorium, contra Langobardos, eo quòd ipsi Langobardi in magna arrogantia permanentes, & iustitias sanctæ Dei Ecclesiæ minimè reddentes.*

XXVII.

DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri,* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* PAVLVS *Papa.* LATOR præsentium Litterarum sollertissimus VVulfardus, Eximietatis vestræ fidelissimus, plenas iocunditate nobis attulit Litteras, quas & cum ingenti lætitia mancipantes, atque lectioni reserantes, magna exultatione ouantes releuati sumus: agnito scilicet per eas præfulgidæ Excellentiæ vestræ dilectionis affectu erga Apostolicam sanctam Romanam Ecclesiam, atque fautorem vestrum, cœlorum regni Ianitorem, principem Apostolorum, beatum Petrum, à vobis exhibito. Qua de re iuges omnipotenti Deo efficaciùs persoluimus grates profectò, dum tam præcipuum fortissimúmque virorum his in diebus sanctæ suæ contulit Ecclesiæ tutorem. B

INTEREA, Christianissime Dei prouidentia victor Rex, gemina festiuitatis peregimus gaudia, in eo quòd optata cordis adepti desideria, in vinculo spiritalis fœderis pariter sumus adnexi. Præfatus nempè sodalitatis vestræ illustris Missus, preciosissimum nobis supernæ gratiæ munus attulit, * Sabanum videlicet, in quo nostra dulcissima, atque amantissima spiritalis filia, sacratissimo lauacro abluta, suscepta est, quem & cum magna iocunditate, aggregata populi cohorte, infra * auram sacrati corporis auxiliatricis vestræ beatæ Petronillæ, quæ pro laude æterna memoriæ nominis vestri nunc dedicata dinoscitur, celebrantes Missarum solemnia, cum magno gaudio suscepimus, & per allatum eundem Sabanum, eam tanquam præsentaliter nos suscepisse gaudemus. Vnde quia amor fidei vestrum benignum igniuit cor, nobis per vinculum spiritalis fœderis adhærendum: iuxta quod domno & germano meo beatæ recordationis sanctissimo Stephano Papæ spopondistis, magnas gratiarum actiones à Deo protectæ Excellentiæ vestræ persoluimus, implorantes crebro diuinam misericordiam, vt * æuis vos ac prosperis in solio Regni conseruans tueatur temporibus, & magno gaudio de ipsius spiritalis nostræ filiæ perfecta ætate vos iocundari permittat, ad exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ. C

** Exstat eadem vox apud S. Bonifacium Epist. 10. & 145. Hic linteum illud significat, quod filiolæ Pipini iam iam baptizatæ tegumentum præbuit.*
* f aram.
* longæuis.

ET quia copiosa nobis, ipsa Spiritus sancti scilicet compaternitatis gratia, quæ, opitulante Deo, inter nos rata consistit, auctoritas, fiduciam contulit, peto & deprecor, benignissime spiritalis compater, optime Rex, vt cœptum redemptionis Dei Ecclesiæ & plenariæ iustitiæ beati Petri perficere iubeas bonum opus. Direxit quippe nobis insignis bonitas vestra, per suos affatos sibi innotescere aduersantium causarum euentus. Vnde certam à Deo protectam eximietatem vestram reddimus, nihil nos vsque hactenus recepisse de his, quæ per nostros Legatos Excellentiæ vestræ petendo mandauimus. Solitè namque perfidi & maligni illi in magna arrogantia cordis permanentes, nequaquam inclinantur iustitiam beati Petri restituere. Tamen omnia qualiter acta sunt, referentibus vestris Missis, agnoscere potestis: & subsequentem nostrum Missum ad vos dirigimus, dignas vobis gratias de omnibus referentes, & cuncta per eum Eximietati vestræ dirigimus in responsis de his, quæ in antea prouenerint. Sergio verò Archiepiscopo, iuxta id, quod vestræ innotuit Excellentiæ, indesinenter imminemus, vt suæ restituatur Ecclesiæ. Petimus autem Excellentem bonitatem vestram, vt reuerendissimum & sanctissimum Fratrem & Coepiscopum nostrum VVulcharium, sicut præfatus,

A beatæ recordationis domnus & germanus meus sanctissimus Stephanus Papa, eum benignæ eximietati vestræ commendauit, in omnibus commendatum habere iubeatis. His prælibatis, trinus & vnus Deus noster sua vos extensionis dextera protegat, cum dulcissima coniuge, excellentissima Regina, spiritali nostra commatre, atque amantissimis vestris meisque filiis in solio Regni sospites permanentes, & in præsenti vita, & in æterna beatitudine vbertimè concedat valere. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. PIPPINVS.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum Regem PIPPINVM, *pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ directæ, in qua continentur vberrimæ laudes. Et Embolo continetur, vt præfatus Domnus Rex Pippinus Desiderio Regi Langobardorum suam praeceptionem dirigeret, vt si necesse exigeret, auxilium præstare deberet tam Rauennæ, quámque aliis maritimis ciuitatibus, ad dimicandum contra inimicorum impugnationem.*

XXVIII.

DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri,* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* PAVLVS *Papa.* PRÆCELSÆ, & à Deo seruatæ B Christianitati vestræ, eximie fili, & spiritalis compater, sicut nostro, post Deum, liberatori, ea quæ superueniunt, vel aguntur in his partibus, quantocius significare vobis procuramus, & ideo his Apostolicis relationum syllabis mellifluæ & à Deo institutæ regalis vestræ potentiæ culmini innotescimus, suscepisse nos, post absolutionem nostrarum Litterarum, syllabas à sanctissimo fratre nostro Sergio Archiepiscopo Rauennate, quas Leon imperialis eius sanctitati, Rauennatum prouinciæ, visus est direxisse, & ecce infra has nostras Apostolicas Litteras præclaræ Excellentiæ vestræ, earum instar, direxisse, vt suasionis versutiam in eis annexam præfulgida Excellentia vestra agnoscens, merito sanctæ Dei Ecclesiæ fideique orthodoxæ defensionem perfectiùs studeat procurare, quatenus repositam sibi in cœlestibus regnis coronam mercedis à Domino Deo nostro percipere mereatur: optantes vos de reliquo æuis & prosperis semper in Domino valere temporibus. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Sum. Cent. 14. Litteras proditorias Sergij Rauennatis Episcopi mittit, & petit auxilium.

Ambiguè admodum. Suspicari enim quis posset, ipsum Sergium proditorias litteras scripsisse. Quod non est ita, vt docet hæc Epistola.

Embolum.

EXEMPLAR denique Epistolæ secretò directæ à quibusdam fidelibus Veneticis sanctissimo fratri nostro Sergio Archiepiscopo, simul & ex Litteris, quas idem sanctissimus vir nobis direxit, infra hæc nostra scripta vobis misimus, & peto, & tanquam præsentaliter deprecor, atque per omnipotentem Deum coniuro excel- C lentissimam Christianitatem vestram, vt nimis velociter dirigere iubeatis vestram præceptionem Desiderio Regi Langobardorum, vt si necesse exegerit, auxilium præstare debeat tam Rauennæ quàm Pontapoleos maritimis ciuitatibus ad dimicandum contra inimicorum impugnationem.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum PIPPINVM *Regem, per Georgium Episcopum & Stephanum Presbyterum, seu Radbertum, Missos directa. In qua continentur gratiarum actiones pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ, & præfatus Papa poscens, vt Dominus Rex Pippinus Desiderio Regi suo obsides restitueret, & pacis fœdera cum eo confirmaret.*

XXIX.

DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri,* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* PAVLVS *Papa.* DVM tam copiosam omnipotens Deus suæ benignitatis humano generi crebro irrogat misericordiam, valde administrandum est, quid retribui eius potentiæ diuinæ, aut quas carminum laudes longanimitati ipsius humana fragilitas referre valeat. Quod quidem

Summ. 13. apud Bar. & Cent.

PIPPINVS. nos tanto eius releuati beneficio, licèt meritis nequaquam suffragantibus, nos eius A
Psal. 115. potentiæ melodicas persoluemus grates: tamen iuxta Psalmographi monita, *calicem salutaris accipiam, & nomen Domini* incessanter *inuocabo*, inquiens. *Magnus es Domine, & magna opera tua. Magnificat* namque *anima mea Dominum*, caro & lingua benedicit. Quoniam respiciens respexit super humilitatem nostram, & ad tam præcipuum pontificale culmen, non nostris prosequentibus meritis prouexit. Quamobrem dum, eo dignante, mediator Dei & hominum speculator animarum institutus sum, commissa sic Apostolaris cura prouocat atque hortatur omnino, & indesinenter compellit salutem populi Dei pio studio procurare, & pacem in cunctis gentibus cum magna cordis constantia prædicare: quoniam profectò beatitudinis gratiam promerentur, qui intrepidè illam prædicare maluerint. Scriptum quippe est: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Et rursum: *Quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona.* Etenim, excellentissime fili, & spiritalis compater, quoniam Deus omnipotens ex vtero matris suæ te prædestinatum habens, ideo te benedicens, & in Regem vngens, defensorem te & liberatorem sanctæ suæ Ecclesiæ constituit. Pro quo ea, quæ ad vtilitatem ipsius sanctæ Dei Ecclesiæ respiciunt, per hos nostros Apostolicos apices benignæ Excellentiæ tuæ deprecandum maturauimus. Agnoscat siquidem excellentissima bonitas tua, quia * coniungens ad Limina Apostolorum excellentissimus filius noster Desiderius Rex, pacificè atque cum magna humilitate, cum quo salutaria vtrarumque B partium locuti sumus, & pollicitus est nobis restituere ciuitatem Immolas, ea videlicet ratione, vt nostros ad tuam Excellentiam dirigere debeamus Missos, & suos obsides, quos ibidem ad vos habere videtur, recipere debeat, & pacem cum eo confirmare studeatis.

Tob. 13. Luc. 1. Matth. 5. Rom. 10. * perueniens.

VNDE petimus te, excellentissime fili, & spiritalis compater, vt iubeas ipsos obsides prædicto filio nostro Desiderio Regi restituere, & pacis fœdera cum eo confirmare, & in magna amicitia cum eo conuersari: vt annuente Deo, tuis lætabundis temporibus populus Dei vtrarumque partium in magna securitate & pacis quiete degere valeat, quatenus longæuum te omnipotens Deus in solio Regni conseruare dignetur. Ideo enim direximus præsentes nostros fidelissimos Missos, id est, reuerendissimum & sanctissimum Fratrem & Coepiscopum nostrum Georgium, atque dilectum filium nostrum Stephanum Presbyterum, vna cum Rodberto vestro Misso, ad vestram à Deo seruatam excellentissimam prudentiam, vt ea ipsa eximietati vestræ enarrare debeant. His præmissis, petimus diuinam misericordiam vt * æuis ac lætabundis temporibus in solio Regni piis inhærens operibus, conseruare dignetur, & vitam æternam concedat. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

* longæuis.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum Regem PIPPINVM, *pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ directæ, in qua continentur gratiarum actiones, & vberrimæ benedictiones, pro integritatis orthodoxæ fidei obseruatione.* C

XXX.

DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri*, PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum*, PAVLVS *Papa*. DVM tanto vestræ sublimissimæ Excellentiæ beneficio, & impenso opitulationis adminiculo, sancta spiritalis mater, & peculiaris vestra vniuersalis Dei Ecclesia dinoscitur releuata, quæ humana lingua sufficere valeat, ad huius benignæ vestræ operationis merita gratiarum referre actiones? Et licet in hoc humanæ considerationis capacitas rependere nequeat, veruntamen ille, qui potens est, omnipotens & inuisibilis Dominus Deus noster, cuius ordinatione vestra Regalis potentia confirmata consistit, interuentionibus sacri principis Apostolorum, beati Petri, dignam vobis remunerationem in præsenti vita, & in futura beatitudine retribuet: præsertim dum & fortissimus sanctæ orthodoxæ fidei, & venerabilium Patrum piæ traditionis defensor esse videris, excellentissime fili, & spiritalis compater, & ob hæc ipsa, quam veneranter colis, & defendere studes, orthodoxam fidem semper habebis adiutricem, & profectò cœlestis tibi, contra aduersantium cuneos, administrabitur victoria.

A INTEREA quoniam magno affectu circa vestram à Deo protectam eximiam Excellentiam feruescimus, debitum visitationis & salutationis nauiter procurauimus sublimitati vestræ persoluere, eximie fili & spiritalis compater. Hoc interea vestram meminisse volumus Excellentiam, nuper nobis direxisse, quatenus in pacis dilectione cum Desiderio Langobardorum Rege conuersare studeamus. Quòd quidem si ipse excellentissimus in vera dilectione & fide, quam vestræ Excellentiæ, & sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ spopondit, permanserit, vtique & nos in charitate firma & stabili pace cum eo permansuri erimus, obseruantes illud Dominicæ præceptionis documentum: *Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur.* PIPPINVS. Matth. 5.

HOC itaque innotescimus Christianissimæ eximietati vestræ, eò quòd conuenit inter nos & eundem Langobardorum Regem, vt pariter nos in Rauennatium vrbe præsentare studeamus ad perficiendas quasdam vtilitates spiritalis matris vestræ, sanctæ nostræ Ecclesiæ, & pertractandum pro Græcorum malitia, qui cotidie imminent in ipsam Rauennatem ingredi ciuitatem. Dúmque pariter præsentati, quicquid locuti fuerimus, vel rei exegerit meritum, excellentissimæ & à Deo protectæ eximietati vestræ innotescemus. Orantes de reliquo diuinam clementiam, vt ad perfectam exaltationem sanctæ Dei Ecclesiæ & orthodoxæ fidei defensionem, de * æuis & prosperis temporibus excellentissimam Christianitatem *longæuis.
B vestram, in solio Regalis potentiæ, cum dulcissima coniuge, excellentissima Regina, spiritali nostra commatre, atque amantissimis natis conseruare & protegere dignetur, tribuens vobis æterna cœlestis patriæ gaudia possidenda. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad domnum Regem PIPPINVM, *in qua continentur benedictiones, & præfatus Papa poscens, vt Dominus Rex Pippinus suos Missos partibus Romæ dirigeret, & sibi de salute vel sospitate sua innotesceret, & qualiter in itinere egisset, & quomodo Dominus inimicos eius in manus ipsius tradidisset, & sub pedibus eius humiliasset.*

XXXI.

DOMNO *excellentissimo & nostro spiritali compatri,* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* PAVLVS *Papa.* QVOTIES fidelium Dei spiritalia referuntur studia, protinus audientium mentes ignitæ in Dei amore & mandatis diuinis efficiuntur, atque ad supernæ considerationis merita amplissimè ad laudem Dei proferre, & perennibus temporibus permanenda scripturæ testimoniis tradere, * dum vestro concursu & auxilio Ecclesiæ Dei exaltatio, & fidei orthodoxæ * profligatur defensio, pro quo benedictus & laudabilis in omnibus Regibus coram Deo & hominibus esse dinosceris, Christianissime Rex, & nomen benignitatis tuæ exaratum fulget in conspectu Diuinitatis. Etenim dum huius euoluto temporis spatio, quo nos nec vestræ sospitatis relationem meruimus suscipere, nec penitus agnoscere, quid circa vos ageretur, vel qualiter in itinere, quo profecti estis, peregistis, nimis anxietatis feruore desiderij nostri affectio in hoc ipsum ad discendum sedulò prouocatur, præsertim, dum & à nostris vestrisque inimicis aduersa nobis de ipsis partibus adnuntiantur. Vnde desiderium magnum nobis inhæret vestræ sospitatis gaudia addiscere, & vestris salutaribus profectibus gratulari, & contra inimicorum contritionem agnoscere. Pro quo, quæsumus, vt certos nos, sicut desideramus, per vestros nuntios, de vestra prosperitate & lætitia reddere iubeatis, quoniam vestra salus nostra est prosperitas, & vestra exaltatio nostrum proculdubio est gaudium & immensa securitas: * dignámque ex hoc Dei deprecamur potentiam, vt ipse protector noster, & cum eius Angelis dignetur præcellentissimam Christianitatem vestram tueri & gubernare, vt in cœlestibus regnis, & cum Sanctis & electis, qui ab initio mundi placuerunt Deo, multipliciter consequaris mercedem. Optantes quidem, vt nos certiores vestra faciat à Deo protecta Excellentia, quid erga vos, aut Christianam gentem vestram agere videmini, & quomodo Deus noster vestros ac nostros humiliauit inimicos, & vt fati sumus, certos nos, sicut desideramus, de vestra prosperitate & lætitia reddere iubeatis. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Summ. 11. apud Bar. & Cent.
C
* accenduntur, vel aliquid simile.
* procuratur.
* diuinámque.

PIPPINVS. *Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad domnum* PIPPINVM *Regem, in qua continentur gratiarum actiones, & de sanitate ipsius, seu* CAROLI, *& de Marino Presbytero, atque de Rauenna, qualiter contra eandem mala machinantur consilia.* A

XXXII.

Summ. 10. apud Bar. & Cent.

DOMNO *excellentissimo filio nostro spiritali compatri,* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* PAVLVS *Papa.* EXIMIÆ & à Deo protectæ Excellentiæ vestræ, harum deferente portitore, destinatos apices omni plenos dulcedine ac amore, quos cum magno venerationis affectu acceptantes, liquidiùs cuncta in eis inserta agnouimus. Inter hæc quippe, excellentissime fili, vestra nobis præcelsa innotuit benignitas, qualiter diuina Dei nostri fauente misericordia, sani atque sospites & illæsi existentes sitis, simul cum excellentissimis natis vestris, spiritalibus nostris filiis, Carolo & Carlomanno, magnis Regibus; atque domna BERTRADA Regina dulcissima * spiritali commatre nostra, necnon & Gisila nobilissima nostra filia. Quibus agnitis, magnas ac innumerabiles polorum arbitro ac Regi Regum Domino Deo nostro retulimus laudes, quoniam iuxta id, quod anhelantius optantes desideramus, vestram addiscere meruimus sospitatem. Pro quo Dominum Deum nostrum sedulis deprecationibus imploramus, qui nos per multorum curricula annorum de vestra integra sospitate faciat exultare, eo quòd vestra salus, nostra est exultatio, & vestra prosperitas nostrum, procul dubio, existit gaudium. B

* coniuge vestra.

ET hoc in vestris Regalibus apicibus continebatur adscriptum, quatenus vobis innotescentes significaremus, si circa sanctam Dei Ecclesiam, atque nostram mediocritatem, vel populi nobis commissi salus aut integritas profligaretur. Nam & de hoc magnas & innumerabiles gratias Deo omnipotenti, & vestræ Excellentiæ referimus, quia sicut reuera Christianissime, & vere Dei cultor, Ecclesiam Dei & populum vestra Excellentia visitare non piget, sed hoc non nostris meritis, sed diuina proueniente misericordia, agitur, dum omnia prospera circa sanctam Dei Ecclesiam, atque nostram mediocritatem, vel nobis commissum populum existunt. Pro quo Deum cœli, penitus omnium bonorum largitorem, rogabimus, vobis pro hoc præcipuo ac pio opere sit retributor, ob tantam benignitatem & sollicitudinem, quam circa sanctam Dei Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, vel eius * familiarem populum habere dinoscimini.

* peculiarem.

SED & hoc in ipsis vestris relationum apicibus continebatur, per vestros vobis fuisse nuntiatum Legatos, quòd à quibusdam malignis & mendacium proferentibus, in istis partibus diuulgatum esset, quia si aliqua nobis necessitas eueniret, nullum nobis auxilium præbere volueritis. De quo nefario dicto nequaquam nobis fuit, aut est hæsitatio, quia, diuina faciente misericordia, magnam in vobis, post Deum, spem & fiduciam habemus. Agnoscentes, quòd, Deo propitio, nullum de quacumque parte erit impedimentum, vobis defensionem atque auxilium sanctæ Dei Ecclesiæ, vel eius peculiaris populi impertiendi, iuxta id, quod beato Petro Apostolo per beatæ memoriæ prædecessorem domnum & germanum nostrum, ob remedium animæ vestræ & veniam delictorum vestrorum, pollicentes spopondistis. Quod in perpetuis temporibus, Domino annuente, firmum ac robustum credimus permanere. C

AT verò, vnde nobis Christianissima vestra direxit Excellentia, quòd si quis è vestris aduersariis, aut contemptoribus ad nos venerit, nullo modo cum eis nos, aut in eorum societate misceri, absit à nobis, vt hanc rem faciamus, dum profectò vestri inimici, sanctæ Dei Ecclesiæ & nostri existunt. Quapropter testatur veritas, quia vbi vestros amicos agnouerimus, tanquam amicos & fideles sanctæ Dei Ecclesiæ oblectare & amplecti cupimus; & vbi vestros inimicos inuenerimus, veraciter, tanquam inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostros proprios, ita eos respuimus atque persequimur: quia vestri amici, sanctæ Dei Ecclesiæ & nostri existunt, & qui inimicitias contra vos machinantur, profectò inimici sanctæ Dei Ecclesiæ & nostri esse comprobantur.

A DE Missis verò vestris ac nostris, quia ad Regiam Vrbem simul properauerunt, de quibus petiit nos vestra præclara Excellentia, sibimet à nobis significari, si quid ex eis addiscere potuimus, cognoscat vestra à Deo protecta eximietas, quòd in his diebus nihil ab ipsis cognoscere potuimus, dum profectò vobis incognitum non est, quòd pro tam sæua huius hiemalis temporis asperitate nullus de illis partibus adueniens nobis adnunciauit, qualiter circa eos agatur. Et ideo ad præsens ignoramus, quid vobis de eis veraciter significemus. PIPPINVS.

AT verò de Marino Presbytero scripsit nobis Christianissima Excellentia vestra, quòd demum in pristino esset constitutus honore, secundùm qualiter vobis postulantes direximus, nos quidem testem Deum proferimus quòd pro nulla alia re pro eo vobis direximus, nisi propter lachrymas & cotidianas lamentationes, quas eius genitrix effundere non cessat, quæ & orbata lumine existit, & ideo vobis direximus, vt apud vos eum absoluere debuissetis, quia nihil de eo vobis fuit aut est, sed nec nobis, nisi tantum modo de eius iniqua malitia, quam contra sanctam Dei Ecclesiam maligna atque peruersa motus audacia agere præsumpsit. Sed de hoc, sicut per anteriores nostras Litteras Excellentiæ vestræ direximus, in vestro sit arbitrio vel potestate, quid de eodem disponere volueritis. Nulla nobis de eo cura est, nisi vt prædiximus, qualiter vestra fuerit voluntas ita de eo disponere debeatis. At verò nobis direxit Excellentia vestra, vt vobis intimare debeamus si nobis idem Marinus suas direxit Litteras, de quo, teste veritate, dicimus: nunquam nobis B suas direxit Litteras, ex eo, quando illuc apud vestram Excellentiam properatus est. Nam nullo modo vobis vetare habuimus, si factum fuisset.

INTEREA nempe ea, quæ à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris, id est, de partibus Rauennæ ad nos peruenerunt, aptum prospeximus vestræ Excellentiæ intimanda, eo quod æmuli sanctæ Dei Ecclesiæ & nostri, atque vestræ Excellentiæ, die noctúque non desinant pertractare, qualiter nos sibi Deo contrario præualere ac superare possint. Tamen & ea ipsa scripta, quæ exindè suscepimus, infra has nostras Litteras Excellentiæ vestræ direximus, quatenus rei meritum addiscentes agnoscatis, quòd illi à suo maligno proposito & solita nequitia nequaquam desistunt. Pro quo, Christianissime bone fili, & spiritalis compater, enixiùs elaborare, atque decertare iubeas, quatenus bonum opus quod cœpisti per te compleatur, & vt sancta Dei Ecclesia, & eius peculiaris populus, perfectam habeat liberationem, & securi ab inimicorum insidiis permaneant.

DE reliquo verò petimus diuinam Dei nostri misericordiam, vt vos per multorum annorum curricula in solio Regni vestri conseruare dignetur, vna cum excellentissimis vestris natis, nostrisque spiritalibus filiis, Carolo & Carlomanno, Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum, nec non domna Bertrada excellentissima Regina, spiritali nostra commatre, vestra coniuge, simúlque & Gisila nobilissima puella, nostra spiritali filia, ad exaltationem & defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ, simúlque & eius peculiaris populi, optantes diu vestræ prosperitatis gaudia ad- C discere, atque immensam pro vobis diuinam implorare clementiam. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum Regem directa pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ, & de conlocutione cum Desiderio Rege in vrbe Rauenna.

XXXIII.

DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri,* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* PAVLVS *Papa.* DVM tanto vestæ sublimissimæ Excellentiæ beneficio, & impenso opitulationis amminiculo, sancta spiritalis mater, & peculiaris vestra vniuersalis Dei Ecclesia dinoscitur releuata, quæ humana lingua sufficere valeat ad huius bona vestræ operationis merita gratiarum referre actiones. Et licèt in hoc humanæ considerationis capacitas rependere nequeat, veruntamen ille, qui potens est omnipotens, & inuisibilis Dominus Deus noster, cuius ordinatione vestra regalis potentia confirmata consistit, interuentionibus sacris principis Apostolorum beati Petri, dignam vobis remunerationem *Summ. 9. Bar. & Cent.*

PIPPINVS. in præsenti vita * beatitudine retribuet: Præsertim dum & fortissimus suæ orthodoxæ fidei, & venerabilium patrum piæ traditionis defensor esse videris, excellentissime fili, & spiritalis compater, & ob hoc ipsam, quam veneranter colis, & defendere studes, orthodoxam fidem, semper habebis adiutricem, & profectò cœlestis tibi contra aduersantium cuneos administrabitur victoria. A

* & futura.

INTEREA quia magno amoris affectu circa vestram à Deo protectam eximiam Excellentiam feruescimus, debitum visitationis & salutationis gnauiter procurauimus sublimitati vestræ persoluere, eximie fili & spiritalis compater. Hoc interea vestram meminisse volumus Excellentiam, nuper nobis direxisse, quatenus in pacis dilectione cum Desiderio Langobardorum Rege conuersari studeamus. Quod quidem si ipse excellentissimus vir, in vera dilectione & fide, quam vestræ Excellentiæ, & sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ spopondit, permanserit, vtique & nos in charitate firma, & stabili pace cum eo permansuri erimus, obseruantes illud Dominicæ præceptionis documentum: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Hoc itaque innotescimus Christianissimæ eximietati vestræ, eò quòd conuenit inter nos, & eundem Langobardorum Regem, vt pariter nos in Rauennatium vrbe præsentare studeamus ad perficiendas quasdam vtilitates spiritalis matris vestræ sanctæ nostræ Ecclesiæ, & pertractandum pro Græcorum malitia, qui cotidie imminent in ipsam Rauennam ingredi ciuitatem. Dúmque pariter præsentati quicquid collocuti fuerimus, vel rei exegerit meritum, excellentissimæ & à Deo protectæ eximietati vestræ innotescemus. Orantes de reliquo diuinam clementiam, vt ad perfectam exaltationem sanctæ Dei Ecclesiæ, & orthodoxæ fidei defensionem, æuis & prosperis temporibus excellentissimam Christianitatem vestram in solio regalis potentiæ, cum dulcissima coniuge, excellentissima Regina, spiritali nostra commatre, atque amantissimis natis, conseruare & protegere dignetur, tribuens vobis & æterna cœlestis patriæ gaudia possidenda. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. B

Matth. 5.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum PIPPINVM *Regem directæ, in qua postulat adiutorium contra Græcos.*

XXXIV.

Summ. 8. Bar. & Cent.

DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri,* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* PAVLVS *Papa.* PRÆCELSÆ & à Deo seruatæ Christianitati vestræ his nostris Apostolicis innotescimus apicibus, quòd iam, absolutis vestris Missis, qui nuper ad nos coniunxerunt, VVlchario videlicet sanctissimo Fratre & Coepiscopo nostro, & Felice Religioso, & Ratberto viro illustri, coniunxit ad nos nuntium Missum à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, spiritalis matris vestræ, qui vera nobis semper adsolent indicare: significans nobis, quòd nefandissimi Græci, inimici sanctæ Ecclesiæ Dei, & orthodoxæ fidei expugnatores, Deo sibi contrario, super nos & Rauennatium partes inruere cupiunt, atque motionem facere. Vnde quia alibi, post Deum, & beatum Petrum, nostra spes non est, nisi apud vestram nobilissimam Excellentiam, ideo obnixis deprecationibus petimus te, excellentissime fili, & spiritalis compater, vt iubeas propter Deum, & reuerentiam beati Petri, salutem istius prouinciæ à vobis redemptæ procurare, & confestim vestrum dignemini dirigere Desiderio Langobardorum Regi Missum, vt si necessitas fuerit, significatum auxilium nobis pro incursione eorundem inimicorum impertire debeat, præcipiens Beneuentanis atque Spoletinis seu Tuscanis, nobis è vicino consistentibus, vt ipsi nostro occurrant solatio. Deprecantes & hoc à Deo institutam Excellentiam vestram, vt ad nos, hoc adueniente Martio mense, vestrum dirigere iubeatis Missum, qui hic Romæ nobiscum demorari debeat, & ipse si necessitas exigeret apud Desiderium imminere debeat Regem, pro eodem nobis transmittendo solatio: quia, vt plenissimè satisfacta est vestra Excellentia, non ob aliud ipsi nefandissimi nos persequuntur Græci, nisi propter sanctam & orthodoxam fidem, & venerandorum Patrum piam traditionem, quam cupiunt destruere atque conculcare. C

PRO quo iubeat solitè vestra benigna disponere Excellentia, vt eorundem ini-

A micorum ad nihilum redigatur vesania, & perfectius hæc prouincia, vestro certamine redempta; & à vobis beato Petro pro remedio animæ vestræ concessa, ab æmulorum insidiis vestra consueta permaneat protectione, vobisque copiosa in cœlis adscribatur merces, & nominis vestri laus, & vniuersæ gentis exaltatio, sicut etiam factum est, & nunc multo amplius, in vniuerso orbe terrarum diuulgetur, atque, intercedente beato Petro, victoriæ triumphum è cœlo vobis Dominus super omnes tribuat Gentes, dum vestro auxilio confusis expugnatoribus sanctæ orthodoxæ fidei, pax & lætitia, & obseruatio Christianorum fidei in omnibus prædicata fuerit Ecclesiis, meritóque ex hoc cœlestia vobis à Deo conferantur gaudia. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. PIPPINVS.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum PIPPINVM *Regem directa, de Monacho quodam Acosma ab Alexandrino Patriarcha directo.*

XXXV.

DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri,* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* PAVLVS *Papa.* QVIA Spiritus sancti gratia præueniente, cor benignæ eximietatis vestræ amor Dei inflammauit, profectò constat, à Deo seruate præcellentissime Rex, piis te profectibus adhærere, & dum B tantam in vobis cumulatam gratiam conspicimus, omnino nobis & omnibus Christianis fiduciæ materia de vobis admissa est, quòd ea, quæ ad cultum Dei & veræ fidei orthodoxæ obseruantiam respiciunt, toto mentis conatu vos esse operaturos conspicimus. Summ. 7. Bar. & Cent.

INTER hæc verò, sublimissime fili, & spiritalis compater, si quid ad nos peruenerit, libentissimè, sicut orthodoxo Regi & defensori fidei Christianæ significamus. Innotescimus quippe, iam absolutis vestris Missis, coniunxisse ad nos nauigium à partibus Africæ, in quo quidam Monachus Acosma ab Alexandrino Patriarcha cum Literis directus aduenit, quarum instar præfulgidæ Excellentiæ vestræ misimus intuendum; vt ea, quæ nobis pro integritate fidei ab Orientalibus Præsulibus & ceteris Nationibus diriguntur, agnoscatis, & lætetur cor vestrum in huiuscemodi eorum affectu, quem in mandatis Dei habere videntur: quia dum piæ considerationis studio mens vestra intenta existit, nimirum oppidò gaudere vos credimus, si ea vobis, quæ pro integritate fidei pertinent, innotescimus: sed ipsa sancta orthodoxa, quam venerando colitis, fides, vos & in præsenti vita longæuiter cum victoria foueat, & æterna cum Sanctis tribuat gaudia possidenda. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

C *Item exemplar Epistolæ generalis Populi Senatúsque Romani ad Domnum* PIPPINVM *Regem directa, in qua continentur gratiarum actiones, & de Litteris quas Dominus* PIPPINVS *Rex eidem populo direxit pro fide seruanda erga sanctam Dei Romanámque Ecclesiam, & Dominum Paulum Apostolicum.*

XXXVI.

DOMNO *excellentissimo atque præcellentissimo, & à Deo instituto, magno, victori,* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum, omnis Senatus atque vniuersa populi Generalitas à Deo seruatæ Romanæ vrbis:* Si interiùs mente operum vestrorum studia humanus voluerit sensus pensare, nihil, vt opinamur, ad horum vicissitudinem dignum potest existimari, aut in hac temporali vita rependi, sed tantummodo illa sunt consideranda vobis retribui à iusto iudice Domino Deo nostro, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Hæc nempe vobis digna est retributio, dum nimirum vestro certamine sancta Dei Ecclesia atque Christianorum orthodoxa fides dinoscitur esse defensa, omniúmque nostrum constant procurata salutis remedia. Et quia, præcellentissime Domine Rex, dignatus est Deus noster redemptionem suæ sanctæ Ecclesiæ nostrúmque omnium operari, meritò nos conuenit operum eius mirabi-

PIPPINVS. lia decantare, consona cum Propheta canentes voce, *quoniam magnificata sunt opera tua Deus. Omnia in sapientia fecisti, repleta est terra mirabilibus tuis. Quis enim loquatur potentias Domini, auditas faciat omnes laudes eius?* Lætantur enim cœli, & exultat terra, in eo, quòd talem Dominus Deus noster suæ sanctæ Ecclesiæ contulit defensorem, per quē cum fiducia nomen Domini in sancta aula eius glorificatur. A

Psal. 103.
Psal. 105.

DIRECTAS itaque præcellentissimæ ac Christianissimæ benignitatis vestræ Litteras magno honoris affectu acceptantes suscepimus, & ita in earum susceptione lætati sumus, tanquam si vestram Excellentiam præsentialiter conspiceremus, gemina festiuitatis gaudia nobis inferentes, dum vestram lætitiam amplissimè comperimus, quoniam nihil nobis dulcius, Domine Rex, in hac vita existit, quàm de vestris prosperitatibus gratulari, dum vestra salus nostra post Deum est securitas. At verò in ipsis vestris mellifluis apicibus nos salutari prouidentia vestra & ammonere Præcellentia vestra studuit, firmos nos ac fideles debere permanere erga beatum Petrum principem Apostolorum, & sanctam Dei Ecclesiam, & circa beatissimum & coangelicum spiritalem Patrem vestrum, à Deo decretum Dominum nostrum Paulum summum Pontificem & vniuersalem Papam. Pro quo omnino lætati sumus in tam vestra prudentissima admonitione. O quanta diuina adspiratione interna viscerum nostrorum præcordia in nobis, vestris fidelibus, redundant! Verè enim, Domine Rex, profectò spiritus Dei in vestro mellifluo inhabitat corde, & ideo tam salutari consilio vestros bene cupientes admonere studuistis. Nos quidem, præcellentissime Regum, firmi ac fideles serui sanctæ Dei Ecclesiæ, & præfati ter beatissimi & coangelici spiritalis Patris vestri, Domni nostri, Pauli summi Pontificis & vniuersalis Papæ consistimus, quia ipse noster est Pater, & optimus Pastor, & pro nostra salute decertare cotidie non cessat, sicut & eius germanus, sanctæ recordationis, beatissimus Domnus Stephanus Papa, fouens nos & salubriter gubernans, sicut reuera rationales sibi à Deo commissas oues, dum nimirum & mitissimus & verè in omnibus misericors existit, imitator effectus beati Petri, cuius vices gerit, & dum eius vicarius consistit. Nos quidem, excellentissime ac Christianissime Domine Rex, firmam fiduciam in huiuscemodi vestra habemus pollicitatione, sed obnixè deprecamur, & tanquam præsentaliter vestris regalibus prouoluti vestigiis, petimus, etiam & per nos beatus Petrus vestram adgreditur Excellentiam, vt iubeas, benignissime Regum, nosterque post Deum defensor, ita solitè decertare ac disponere, vt perfecta sanctæ Dei Ecclesiæ exaltatio, & fidei nostræ orthodoxæ, omniúmque nostrum * profligetur defensio. Petentes & hoc coram Deo viuo, qui vos in Regem per suum Apostolum beatum Petrum vngui præcepit, vt dilatationem huius Prouinciæ à vobis de manu Gentium ereptæ perficere iubeatis, & in eo, quod cœpistis, bono permaneatis opere, quatenus in magna securitatis quiete degere valeamus, & ex hoc æternam vobis in cœlo exoratam retributionis mercedem recipiatis: quoniam maximam, post Deum, & beatum Petrum, in vestri fortissimi Regni brachio possidemus spem. Credimus in omnipotentis Dei nostri misericordiam, quòd amplissimè nobis ea nostra ipsa spes operum vestrorum inferat fructum. B C

* procuretur.

EXAVDI, Domine Rex, supplicationem nostram omnium bene cupientium vobis, & libentissimè aures tuas accommoda in hoc ipsum quod postulamus. Sic te exaudiat Dominus in omnibus tuis petitionibus. Tu enim post Deum noster es defensor & auxiliator, etsi omnes capitis nostri capilli linguæ effecti fuerint, non valebunt ob tanta vestra beneficia dignas referre gratiarum actiones. Veruntamen in quantum mens nostra valet, laudis vestræ præconia in omnibus Gentibus diuulgamus. Vnde eleuatis oculis extensisque palmis ad æthera, Dominum Deum nostrum immensis exoramus precibus, sua vos foueri gratia, mittens Angelum potentiæ suæ propugnatorem ante faciem vestram, qui omnes aduersarios vestros expugnans, vestris subiiciat vestigiis, Regnique vestri dilatet terminos, & victoriam vobis è cœlo concedat, ad perpetuam atque perennem sanctæ Dei Ecclesiæ & nostram immensam securitatem, æuisque ac felicissimis temporibus regale culmen vobis, ac excellentissimæ Dominæ Reginæ, atque præclaris vestris natis, excellentissimis Regibus, concedat possidendum, & æterna præmiorum cum Sanctis & electis multipliciter tribuat gaudia. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

A *Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum* PIPPINVM *Regem directa, in qua continentur gratiarum actiones pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ, & vt Missum suum Romam dirigeret.*

XXXVII.

DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri,* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* PAVLVS *Papa.* DVM illa, quæ nostris stipendiis aguntur, nulla possunt obliuione deleri, quanto magis illa, quæ ad laudem Redemptoris Domini Dei nostri, eiúsque sacratissimæ Ecclesiæ, & beati Petri Apostolorum principis, geruntur, nec temporum prolixitate, nec diuersitate qualitatum, obliuioni mandantur: sed semper ad gloriam supernæ potentiæ, & fidelium eius pio exemplo permanent declarata? Scias, excellentissime fili, & spiritalis compater, bone orthodoxe Rex, præcelsa vestra & pia operatio & in cœlo coram Angelis Dei illustrata fulget, & in vniuerso orbe terrarum laudabiliter in cunctis Gentibus permanet vulgata: quoniam vestro, post Deum, auxilio, & optimo certamine sancta spiritalis mater vestra, Dei Ecclesia, constat ab inimicorum insidiis B erepta, & orthodoxa Christianorum fides ab impugnatoribus defensa. Pro quo exulta in Domino, & lætare, benignissime Rex, quia nomen Excellentiæ tuæ in libro vitæ exaratum rutilat in conspectu Dei. Interea dum tanta nostro cordi desiderij capacitas imminet, de vestra prosperitate lætos certósque effici, aptum prospeximus, Missis sanctæ Dei Ecclesiæ nostris relationibus, Excellentiæ vestræ persoluere, * dum nihil nobis dulcius nihílque suauius in hac vita existit, quàm de vestra prosperitate in Domino iocundari, in eo quod vestra salus, sanctæ Dei Ecclesiæ, & fidei exaltatio & vera defensio, vt semper scripsimus, existit. Vnde & à te, quia corporali visione procul ab inuicem consistimus, per nostras tamen relationes amore mutuo spiritaliter adnecti desideramus.

Summ. 6. Bar. & Cent.

* *debitum, vel* vinculũ *vt infra, Epist. 41.*

ITAQVE nimis deprecamur Excellentiam vestram, sicut per anteriores nostras Litteras postulandum direximus, vt iubeatis vestrum fidelissimum Missum hîc ad nos Romam dirigere, qui nobiscum pro insidiis inimicorum demorari debeat, per quem & meritum rei, vt causæ euentus exegerit, Excellentiæ vestræ debeamus significare. Vnde nunc direximus ad vestram à Deo seruatam Excellentiam præsentem Petrum, primum Defensorem sanctæ nostræ Ecclesiæ, fidelissimum Missum, cui de omnibus Apostolicis causis iniunximus benignitati vestræ enarrandum. Quem petimus hilari à vobis suscipi animo, eúmque pro amore fautoris vestri beati Petri Apostolorum principis in omnibus acceptare, atque nostris precibus aurem benignitatis vestræ accommodare dignemini, & ad nos cum effectu atque C lætabundis nuntiis absoluere iubeatis. Supplici deprecatione te bone orthodoxe Rex, quæsumus postulantes, vt sis nobis, post Deum, firmus protector ac defensor, constanter in eo, quod cœpisti, bono ac pio redemptionis sanctæ Dei Ecclesiæ permanens opere. Optimè enim præcellenti vestræ Christianitati compertum existit, quanta qualísque sit impia hæreticorum Græcorum malitia, inhianter meditantes atque insidiantes, qualiter Deo illis contrario sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam humiliare atque conculcare, & fidem sanctam orthodoxam atque sanctorum Patrum traditionem destruere possint.

SED tu, bone potentissime Rex, viriliter, sicut verè orthodoxus, eisdem impiis resistere hæreticis, atque solitè sanctam Dei Ecclesiam & Christianorum orthodoxam fidem, tuo à Deo protecto solito auxilio atque congruo disposito defendere digneris: quoniam magnam, post Deum in vestra Excellentia & fortissimi Regni vestri brachio existit fiducia, & credimus quod, Deo cooperante, eadem nostra spes firma permanens ad optatum perducatur desiderium, vt merito ex hoc à iusto Domino Deo nostro, vobis in præsenti & futura vita tribuatur remuneratio, beato principe Apostolorum interueniente, pro cuius amore in eius decertatis causis, lætique solitè de vestro proposito effecti, cum Propheta consona canere valeamus voce, Saluum fac Domine Christianissimum PIPPINVM Regem, quem oleo sancto per manus Apostoli tui vngui præcepisti, & exaudi eum in quacunque die inuocauerit te. Cum his verò deprecationibus, & hoc eius pietatem quæsu-

PIPPINVS. mus, vt longo senio Regni potentiam Excellentiæ vestræ, commatri à Deo protectæ Reginæ, atque amantissimis natis vestris Domnis Carolo & Carlomanno, præcelsis Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum, atque nobilissimæ Dominæ Gisilæ salubriter concedat possidendam, tribuens vobis & æternam in cœlestibus regnis beatitudinem perfruendam. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. A

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum PIPPINVM *Regem directæ, de sanitate vel incolumitate eius percunctandum, simúlque & de Missis suis, qui ad Regiam fuerunt directi Vrbem.*

XXXVIII.

Summ. 3. Bar. & Cent. DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spirituali compatri,* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* PAVLVS *Papa.* PRÆMISSIS nostris apicibus & affatibus, per Droctegãdum & VVulkardum, Deo amabiles, fidelissimos vestros Missos, sumus impensius deprecati eximiam Excellentiam vestram, vt nos certiores atque lætiores reddere annueretis de vestra amplissima sospitate, & de eo quo profecti estis itinere, qualiter erga vos Dominus esset operatus. Et dum tanto euoluto tempore nullam à vobis responsionis seriem de huiuscemodi re agnouimus, vehementer noster attritus est animus. At verò per diuersos ex ipsis regionibus liminibus Apostolorum aduenientes peregrinos didicimus, sospitem te ad propria, præcellentissime fili, & spiritalis compater, esse, annuente Deo, reuersum. Vndè magno gaudio noster animus releuatus est. B

QVAPROPTER, destinatis præsentibus nostris Apostolicis Syllabis, visitationis causa, obnixè petimus, vt dignetur sublimis vestra Excellentia, quantotius nos de amplissima incolumitatis vestræ sospitate lætos reddere, significans, Christianissime fili, & spiritalis compater, qualiter erga vos & excellentissimam filiam, & spiritalem nostram commatrem, & eximios filios agatur, vt noster animus maxima iocunditatis exultet lætitia, quoniam nimio desiderio feruescimus, vestram sedulè addiscere sospitatem, & de vestro gaudio exultare. Quoniam vestra salus exaltatio est sanctæ matris vestræ Ecclesiæ, & prosperitas vestra nostra esse probatur lætitia.

ITAQVE, præcellentissime fili, & spiritalis compater, bone & optime Rex, ecce hactenus nullam rei veritatem de nostris Missis, qui à Regia profecti sunt Vrbe, addiscere valuimus, quid erga eos ageretur, & ideo nequaquam vobis quippiam de eis significare valuimus. Dum verò rei agnoscere potuerimus veritatem, confestim eximiæ Excellentiæ vestræ dirigemus in responsis.

HIS præmissis, Deum cœli petimus, vt vobis & præsentis vitæ longæuitatem, & Regni gubernacula cum excellentissima Regina filia & spiritali nostra commatre, Christianissima Regina, vestráque dulcissima coniuge, atque amantissimis vestris natis, nostrisque filiis, iisdem eximiis Regibus & patriciis Romanorum, perfruendum concedat, & cœlestis regni participes faciat, nósque permittat de vestra amplissima sospitate semper gratulari. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. C

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum PIPPINVM *Regem directæ, de Marino Presbytero, & eius iniquo consilio, & de consecratione ipsius.*

XXXIX.

Summ 4. Bar. & Cent. DOMNO *excellentissimo filio & nostro spirituali compatri,* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* PAVLVS *Papa.* OMNINO compertum habet vestra Christianissima Excellentia, qualiter Marinus Presbyter noster ibidem ad vos moratur, iniqua operatione contra sanctam Dei Ecclesiam fidémque orthodoxam, Deo sibi contrario, cum Georgio quodam imperiali à secretis, consilia Sedi nostræ contraria & vestræ simili modo ingerere cupiens. Quod quidem & idem Imperator vestræ à Deo protectæ Excellentiæ per suas innotuit Litteras. Vnde quia

A quia defensorem fidei orthodoxæ atque propugnatorem gregis sui, vel populi Christiani liberatorem Christianissimam bonitatem vestram beatus Apostolus & princeps Apostolorum Petrus eligere, & confirmare dignatus est, idcircò adoptamus atque deprecamur eximiam bonitatem vestram, optime Rex & spiritalis compater, vt iubeas sanctissimo fratri nostro VVulchario Episcopo præcipere, quatenus ipse eundem Marinum Presbyterum, nostra vice, Episcopum consecrare debeat, & in vna ciuitatum vestrarum illis in partibus constituta, in qua præuiderit vestra sapientissima eximietas, eum ordinare disponite, quatenus perpetrati sceleris sui recordans, se iniquè egisse pœniteat: ne in eo, quod absit, antiquus humani generis hostis mentem illius vagantem inueniens quasi in sublime extollat, sæuissiméque quoquomodo valeat funditus disperdere. Sed magis, vt confidimus in vestram benignissimam Excellentiam, atque à Deo præclaram cordis vestri dilatationem, huic nostræ postulationi vestra præclara Excellentia aurem adcommodare dignetur, quatenus & ille securus de huiuscemodi re persistat, & nos pro vestra immensa lætitia atque sospitatis gaudio indesinenter Dominum Deum cœli exorare iubeamus. Bene valete. CAROLVS, CARLOMANNVS.

B *Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Dominum* CAROLVM *&* CAROLOMANNVM *Reges directa, in qua continentur gratiarum actiones, & de Litteris ab eis directis, & vt cum Domino genitore eorum semper pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ decertare debeant.*

XL.

DOMNIS *excellentissimis filiis* CAROLO *&* CAROLOMANNO *Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum*, PAVLVS *Papa*. QVANTO decoris nitore regalis gloriæ fastigium ornetis, ex hoc vtique omnibus patenter datur intelligi, dum nimirum, sicut præclaro genere orti, piis operibus ac dignis videmini illustrari moribus. Vnde vnam quidem huius diuini muneris gratiam possidetis ex genere, & alia fruimini ex opere. Et nec mirum, si tantis infulis gloriæ nobilitas vestra pollet, dum profectò scriptum est: *Generatio rectorum benedicetur.* Glorificamus enim atque conlaudamus Dei nostri clementiam, qui tantam vobis Spiritus sancti gratiam contulit, iam nempe prædestinatos vos habuit, antequam de materno proditetis vtero, quoniam *quos præsciuit, & prædestinauit: quos prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, illos & magnificauit.* Verè enim magnificauit Dominus misericordiam suam super vos, & in Reges per suum Apostolum beatum Petrum vos vnguens, defensores sanctæ suæ Ecclesiæ atque fidei orthodoxæ constituit, vt participes, in hoc bono opere, vestri Christianissimi efficiamini genitoris, pro quo digna vobis C erit in cœlestibus regnis cum eo concessa remuneratio, & cum omni eritis Sanctorum computati collegio.

Summ. 28. Baronius Cent. extra ordinē mentionem faciunt triunt Epistolarum ad Carolum & Carlomannum. Psal. 111. Rom 8.

INTEREA reuersus ad nos Petrus primus Defensorum, Missus noster, detulit nobis quas direxistis Litteras, quibus relectis, magna cor nostrum repletum est lætitia. Per has quippe innotuistis, excellentissimi atque præcellētissimi filij, vos semper in amore beati Petri & spiritalis matris vestræ, sanctæ Dei Ecclesiæ, atque nostro esse permansuros, & viriliter decertaturos pro ipsius sanctæ Dei Ecclesiæ, atque fidei orthodoxæ defensione. Et quidem nobis, boni præcellentissimi Reges, de vestra firma huiuscemodi constantia omnino confidendum est, magnam, post Deum, in vobis habentes spem. Sed omnipotens Dominus, qui diues est in misericordiis, ad perfectam vos perducat ætatem, tribuens vobis longæua ac felicia tempora, corroborétque in vobis fortitudinem brachij sui, atque victores vos super omnes barbaras efficiat nationes, dilatans Regni vestri terminos, atque de vestro præclaro semine super regale solium potentiæ vestræ vsque in finē seculi sedere permittat, pro æterna sanctæ suæ Ecclesiæ vniuersali exaltatione & fidei orthodoxæ defensione.

SED peto, excellentissimi filij, vt imitatores vestri Christianissimi genitoris efficiamini, eiúsque Deo placita sequentes vestigia, vt sicut ipse operibus omnibus Gentibus demonstrauit, ita quoque & vos bonum quod cœpistis opus perficere studeatis, & viriliter cum eo decertare: quatenus amplissima sanctæ Dei Ecclesiæ procuretur exaltatio, dum vestro auxilio beatus Petrus receperit iustitias suas,

CAROLVS, CARLOMANNVS. dignámque ex hoc coram Deo, & Angelis eius, eodem principe Apostolorum A beato Petro interueniente, cœlestium præmiorum recipiatis remunerationem, & vestri nominis memoria laudabilis maneat in seculum seculi diuulgata. Deus autem omnipotens, qui cuncta ex nihilo suæ potentiæ verbo firmauit, suis vos diuinis adhærere faciens mandatis, vestra in beneplacito suo dirigat studia, tribuátque vobis prudentiæ industriam, qualiter Regni culmen gubernare valeatis, atque aduersantium Gentium nationes vestris subiiciat pedibus, & sicut in præsenti vita regalem vobis concessit dignitatem, ita quoque & cœlestia vobis conferat præmiorum gaudia.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum CAROLVM *&* CARLOMANNVM, *Reges directa, in qua continentur gratiarum actiones & vberrimæ benedictiones.*

XLI.

DOMNIS *excellentissimis filiis* CAROLO *&* CARLOMANNO *Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum,* PAVLVS *Papa.* MISSAM relationem Excellentiæ vestræ, deferentibus harum gerulis Droctegango scilicet & VVulfardo, religiosis Abbatibus, suscipientes votiuo sumus incolumitatis vestræ nuntio releuati, optantes vt vitam actúsque vestros sua misericordia Dominus & protegat & B disponat, atque ad perfectam perducat ætatem. Per easdem siquidem Syllabas innotuistis, maximam vos tenere verecundiam in id, quod interim munerum commoda per harum latores nobis dirigere non valuistis. Sed quid est, dulcissimi atque amantissimi filij, victoriosissimi Reges, quod nos muneribus vestris lætificare inhiatis? Nulla enim alia munera desideramus, quàm vestræ incolumitatis prosperitatem sedulè addiscere, & de vestris profectibus gratulari. Hæc est locupletatio nostra, * vestram, quam inhianter amplectamur, * exultationibus iocunditatem: hæc est exaltatio sanctæ Dei Ecclesiæ, & defensio fidei orthodoxæ, vestræ protectionis integritas. Vos quippe Dominus elegit præ omnibus Regibus, & liberatores sanctæ suæ Catholicæ & Apostolicæ constituit Ecclesiæ, & in Reges per manus beati Petri vngui dignatus est.

*f. vestra. *f. exultationis iucunditas.

SED omnipotens Dominus, per quem Reges regnant, ad perfectam vos perducat ætatem, & solium Regni vobis, vestróque præclaro semini, * æuis prosperisque temporibus ad exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ & amplissimam Christianorum orthodoxæ fidei defensionem concedat possidendum, tribuens vobis è cœlo victorias, omnésque barbaras nationes vestris Deo imitabilibus subiiciens vestigiis, & æternæ vitæ gaudia largiri dignetur: quatenus, sicut in præsenti vita regnatis; & venturo in seculo cum Christo regnare mereamini, dicátque omnis populus. *Amen, fiat, fiat.* Bene valete.

*f. longæuis. *Psal.* 105.

C

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *&* CARLOMANNVM *Reges directa, in qua continentur gratiarum actiones pro defensione sancta Dei Ecclesia.*

XLII.

DOMNIS *nobilissimis atque excellentissimis filiis* CAROLO *&* CARLOMANNO *Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum,* PAVLVS *Papa.* OLIM omnipotens Deus cernens populi sui Israëlitici lamentationem & impiam ab Ægyptiis illatam oppressionem, misertus est eis mittens famulum suum Moysen, per quem signa & prodigia exercens eundem suum eripuit populum, & per eum legem illis instruens ad optatam eos illis perduxit requiem. Cui etiam Iosue, vt præliet ur bella Domini, adnectitur, atque alios sui diuini nominis cultores, eis concessit auxiliatores. Sed in omnibus illis non ita complacuit eius diuina Maiestas, sicut in Dauid Rege, seruum meum secundum cor meum, in oleo sancto vnxi eum, cui & Regnum & semini eius in æternum gloriosè tribuit possidendum. Sic enim, præcellentissimi atque nobilissimi filij, à Deo instituti Reges, idem Dominus Deus noster in vestra Christianissima complacuit Excellentia, atque in vteromatris vos

A sanctificans ad tam magnum regale peruexit culmen, mittens Apostolum suum beatum Petrum per eius nempe Vicarium,& oleo sancto vos, vestrúmque præcellentissimum genitorem vnguens, cœlestibus repleuit benedictionibus, & sanctam suam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam atque orthodoxam Christianorum fidem vobis commisit exaltandam, atque viriliter defendendam. Quod profectò, excellentissimi filij, Spiritus sancti gratia repleti,& cœlesti protectione adiuti, agere totis nisibus * statuistis,& vestro auxilio atque certamine ipsa sancta Dei Ecclesia, spiritalis mater vestra, ab inimicorum insidiis liberata exultat. In Domino Iesu Christo,& in conspectu Diuinitatis vestra effulgent pia opera,& cum Dauid atque Salomone Regibus & ceteris Dei cultoribus vestra in cœlestibus regnis adscripta sunt nomina. PIPPINVS. * studuistis.

INTEREA, dum tanto vestro beneficio dinoscimur esse releuati, amor nos hortatur, Christianissimi ac dulcissimi filij, de vestra prosperitate sedulè addiscere, & in Domino gratulari. Et ideò visitationis atque salutationis paterno affectu, his nostris Apostolicis apicibus persoluimus vinculum, magnopere præsentem Petrum primum Defensorum, sanctæ nostræ Ecclesiæ, nostrúmque fidelem Missum, ad vestram dirigentes Excellentiam, quatenus desiderabilem nostra vice referat salutem. Quem petimus benignè à vobis suscipi,& de vestra per eum sospitate nos certos lætósque reddi. Obnixè petentes, dulcissimi filij, Excellentiam vestram, vt pia vestigia sequentes, imitatores efficiamini Christianorum parentum vestrorum, B nempe & proaui, atque excellentissimi & à Deo instituti magni Regis genitoris vestri, & præcellentissimæ genetricis vestræ à Deo conseruandæ Reginæ, qui verè præ omnibus Regibus fideles Deo & beato Petro esse comprobantur, quorum merita in cœlestibus regnis fulgent. Vnde & petimus misericordissimam Dei nostri longanimitatem, vt sua vos gratia protegens, * æuis & prosperis temporibus regalia sceptra concedat perfruenda, dilatans terminos Regni vestri, & victorias vobis de cœlo tribuat, omnésque aduersarios vestris prosternat vestigiis,& sicut terrenũ, ita & cœleste regnum vobis per infinita secula tribuat possidendum. Bene valete. * longæuis.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum PIPPINVM *Regem directæ, de Simeone vel Monachis Remedij Episcopi.*

XLIII.

DOMNO *excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri,* PIPPINO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* PAVLVS *Papa.* CVM charitatis amor, quem erga vestram à Deo illustratam insignem gerimus Excellentiam, nostro enucleatius vigeat cordi, curæ idcirco nostræ existit, excellentissime Regum, vestræ gnauiter & præclaræ totis obtemperare nisibus voluntati, præsertim dum & amplissimo vestræ Excellentiæ præsidio releuati, & post Deum, ab insidiatorum videamur C sæuitia erepti. Et ideo quotiens nobis relationum vestrarum apices perferuntur, gratuito acceptantes animo, confestimque quod eorum textus eloquitur, effectui satagimus mancipandum. Vnde susceptis in præsenti à Deo protectæ Excellentiæ vestræ syllabis, nempe relectis protinus, cuncta quæ ferebantur in illis libenter adimpleuimus. In eis siquidem comperimus exaratum, quòd præsentes Deo amabilis REMEDII germani vestri Monachos Simeoni Scholæ Cantorum Priori contradere deberemus, ad instruendum eos in psalmodiæ modulatione, quam ab eo adprehendere, tempore quo illic in vestris regiminibus extitit, nequiuerant. Pro quo valde ipsum vestrum asseritis germanum tristem effectum in eo, quòd non eius perfectè instruxisset Monachos.

ET quidem, benignissime Rex, satisfacimus Christianitati tuæ, quòd nisi Georgius, qui eidem Scholæ præfuit, de hac migrasset luce, nequaquam eundem Simeonem à vestri germani seruitio abstrahere niteremur. Sed defuncto præfato Georgio, & in eius idem Simeon, vtpote sequens illius, accedens locum, ideo pro doctrina Scholæ, eum ad nos accersiuimus. Nam absit à nobis, vt quippiam, quod vobis, vestrisque fidelibus onerosum existit, peragamus quoquomodo. Potiùs autem, vt præfatum est, in vestræ charitatis dilectione firmi permanentes, libentissimè, in quantum virtus suppetit, voluntati vestræ obtemperandum decertamus.

CAROLVS.

PROPTER quod & præfatos vestri germani Monachos, sæpedicto contradimus Simeoni, eósque optimè collocantes, sollerti industria eandem psalmodiæ modulationem instrui præcepimus, & crebro in eadem, donec perfectè eruditi efficiantur pro amplissima vestræ Excellentiæ atque nobilissima germani vestri dilectione, Ecclesiasticæ doctrinæ cantilenas disposuimus efficaci cura permanere. Optantes de reliquo Excellentiam vestram * æuis ac prosperis temporibus in Domino valere, & Regni perfrui sceptro, atque triumphales de hostibus, intercedente beato Petro, consequi victorias. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. A

* longæuis

Item exemplar Epistolæ * STEPHANI *Papæ ad Domnum* CAROLVM *Regem & eius præcelsam genetricem directa, in qua continentur gratiarum actiones, & collaudans Itherium Abbatem, & postulans, vt ei digna retributio pro suo certamine fieret.*

* Stephanus IV. electus anno 768. mortuus anno 772.

XLIV.

DOMNÆ *religiosæ filiæ* BERTRADÆ *Deo sacratæ, seu domno filio* CAROLO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum,* STEPHANVS *Papa.* DVM tantos beneficiorum in diuersis Apostolicis causis atque vtilitatibus à vobis, cumulatis suffragiis, nimia iocunditatis lætitia sancta spiritalis mater vestra, vniuersalis Dei Ecclesia releuata exultat, nulla, vt opinor, oris assertio ad referendas sanctissimæ Religiositati vestræ atque Christianissimæ Præcellentiæ tuæ gratiarum laudes sufficere valebit. Sed tamen licèt digna vobis ab hominibus pro tanto vestro pio opere rependi non possit vicissitudo, veruntamen misericors Deus noster, qui potens est, & scit bonis bona reddere, ipse copiosam laborum vestrorum vobis cœlestium retribuet præmiorum recompensationem. Sed & nostra sincera cordis habita erga vos affectio sedulò pro vobis diuinæ non desistit maiestati orationum persoluere vota. B

Huius Epist. meminerūt Centuriatores Cent. 8. ca. 10. vbi de hoc Pontifice agunt, quem ipsi vocant Stephanum tertium. Et Bar. anno 772. qui etiā citant Epistolam eiusdē Stephani ad Pipinum initio Pontificatus scriptam, qua petiit, vt homines doctos Romam mittat ad Synodū: quæ in apographo non comparet.

ITAQVE præsens Itherius, religiosus ac prudentissimus vir, & reuerà noster & vester sincerus fidelis, quem cum suis concomitibus, & reliquis vestris Missis pro exsequendis faciendisque iustitiis fautoris vestri, beati Petri, direxistis, ad nos coniungens, ilico in partes Beneuentani profectus est Ducatus, pro recolligendo illis in partibus sito patrimonio eiusdem protectoris vestri, Apostolorum principis. Qui videlicet sollertissimus vir in omnibus secundum vestram nostrámque decertauit voluntatem, suíque laboris constantiam, iuxta vt à vobis illi præceptum est, in ipsis Apostolicis exhibuit vtilitatibus. Vnde nimis cor nostrum in eius defensionis certamine, & firma operationis perseuerantia, lætatum est, quia profectò secundum quod, cœlestis muneris gratia, magnæ scientiæ illustratur prudentia, piis quoque meritis atque immutilatæ fidei decoratur integritate, tantam in eo reperimus fidelitatem in vestro nostróque seruitio, quantam diutissimè nostra ardentiùs de eo optabat agnoscere mens. C

VNDE maximas atque innumerabiles gratiarum actiones religiosissimæ sobrietati vestræ, * atque præsentialiter Christianissimæ Excellentiæ tuæ referimus, & ideo obnixè, tanquam præsentialiter, benignitatem vestram petimus, vt amplissimam fauoris vestri gratiam atque largitatis munificentiam, & dignam consolationem eidem religioso viro, pro eius laborioso certamine, quod in vestro atque nostro vt dictum est Apostolico seruitio exhibuit, impertire iubeatis: quatenus sicut ab omnipotenti Deo, intercedente beato Petro, digna operis eius in cœlestibus regnis exarata fertur remuneratio, ita & à vobis consolationis consequatur opem.

* quasi, vel tanquam.

OMNIPOTENS autem Deus noster, sacris Apostolorum principum interuentionibus, sua vos circumtegat gratia, & præsentis vitæ prospera, & æterna felicitatis vobis multipliciter tribuat gaudia. Incolumem Religiositatem vestram, atque Excellentiam tuam, gratia superna custodiat.

CAROLVS. CARLOMANNVS.

A *Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum* CAROLVM *&* CARLOMANNVM *Reges directæ, prohibendo, atque cum nimiis adiurationibus obligando, vt de gente Langobardorum vxores minimè acciperent.*

XLV.

DOMNIS *excellentissimis filiis* CAROLO *&* CARLOMANNO *Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum*, STEPHANVS *Papa*. DVM omnium electorum Dei præcipuam vitam, & digna operum merita, in nostram memoriam reuoluimus, inuenimus profectò nulla eos potuisse qualitatis diuersitate ab eorum cordis statu, & pristina sponsionis constantia amoueri. Vnde & variis antiqui hostis suasionibus ac blandimentis circumuallati, immutabiles in suæ mentis firmitate constat permansisse, & ob hoc cum triumpho victoriæ ad optata pertingere meruerunt gaudia. Et nimirum considerandum est, quia si quis quibusdam suasionibus demulcitus, victus fuerit, à recto confestim tramite, qui ducit ad vitam æternam, per abrupta declinans deuia * recontendat, vt ex hoc in procliuem delabatur noxam. Nam plerumque certum est, quia idem antiquus hostis B per infirmam naturam fidelium mentes subripere nititur. Hinc est enim, quòd olim primo homini in Paradiso constituto, per infirmam mulieris naturam, pestiferis valuit suadere blandimentis, diuinum transgredi mandatum, & ob hoc diræ mortis humano generi inrepsit excidium. Et ideò, præcellentissimi filij magni Reges, tantò studiosiùs eiusdem molimini resistendum est; ne quemquam suis irretire valeat argumentis, quanto cernimus eius crebrò insidiis ad decipiendum fidelium corda insistere.

(Marginal notes: Recitant hanc Epist. integram Bar. an. 770. & Cent. Cent. 8. c. 10. — * ire contendat.)

ITAQVE nostræ perlatum est notioni, quod certè cum magno cordis dolore didicimus, quòd Desiderius Langobardorum Rex vestræ persuadere dinoscitur Excellentiæ, suam filiam vni ex vestra fraternitate in connubio copulare. Quod certè, si ita est, hæc propria diabolica est immissio, & non tam matrimonij coniunctio, sed consortium nequissimæ adinuentionis esse videtur. Quoniam plures comperimus, sicut diuinæ Scripturæ historia instruimur, per alienationis iniustam copulam à mandatis Dei deuiare, & in magno deuolutos facinore. Quæ est enim, præcellentissimi filij, magni Reges, talis desipientia, vt penitus vel dici liceat, quod vestra præclara Fräcorum gens, quæ super omnes Gentes enitet, & tam splendiflua ac nobilissima regalis vestræ potentiæ proles, perfida, quod absit, ac fœtentissima Langobardorum gente polluatur, quæ in numero gentium nequaquam computatur, de cuius Natione & leprosorum genus oriri certum est? Nullus enim, qui mentem sanam habet, hoc vel suspicari potest, vt tales nominatissimi Reges tanto C detestabili atque abominabili contagio implicentur. Quæ enim *societas luci ad tenebras? aut quæ pars fideli cum infidele?* Etenim, mitissimi, & à Deo instituti benignissimi Reges, iam Dei voluntate & consilio, coniugio legitimo ex præceptione genitoris vestri copulati estis, accipientes, sicut præclari & nobilissimi Reges, de eadem vestra patria, scilicet ex ipsa nobilissima Francorum gente, pulcherrimas coniuges, & earum vos oportet amori esse adnexos.

(Marginal note: 2. Cor. 6.)

ET certè non vobis licet, eis dimissis, alias ducere vxores, vel extraneæ Nationis consanguinitate immisceri. Etenim nullus ex vestris parentibus, scilicet neque auus vester, neque proauus, sed nec vester genitor, ex alio Regno, vel extranea natione, coniugem accepit. Et quis de vestro nobilissimo genere se contaminare aut commiscere cum horrida Langobardorum gente dignatus est, vt nunc vos suademini, quod auertat Dominus, eadem horribili Gente pollui? Itaque nullus, externæ Gentis assumpta coniuge, innoxius perseuerauit. Aduertite, quæso, quanti qualésque potentes per alienigena coniugia à præceptis Dei declinantes, & suarum sequentes vxorum alienigenæ Gentis voluntatem, validis innexi excessibus, immensa pertulere discrimina. Impium enim est, vt vel penitus vestis ascendat cordibus, alias accipere vxores super eas, quas primitus vos certum est accepisse. Non vobis conuenit tale peragere nefas, qui legem Dei tenetis, & alios, ne talia agant, corripitis. Hæc quippe paganæ Gentes faciunt. Nam, absit hoc à vobis, qui perfectè estis Christiani, & Gens sancta, atque Regale estis Sacerdotium. Recordamini

CAROLVS, CARLOMANNVS.

A

& considerate, quia oleo sancto vncti per manus Vicarij beati Petri, cœlesti benedictione estis sanctificati, & cauendum vobis est, ne tantis reatibus implicemini. Mementote hoc, præcellentissimi filij, quod sanctæ recordationis prædecessor noster Dominus Stephanus Papa excellentissimæ memoriæ genitorem vestrum obtestatus ést, vt nequaquam præsumeret dimittere Dominam & genetricem vestram, & ipse, sicut reuera Christianissimus Rex, eius salutiferis obtemperauit monitis.

NAM & illud Excellentiam vestram oportet meminisse, ita vos beato Petro & præfato Vicario eius, vel eius successoribus spopondisse, se amicis nostris amicos esse, & se inimicis inimicos, sicut & nos in eadem sponsione firmiter dinoscimur permanere. Et quomodo nunc contra animas vestras agere contenditis, & cum nostris inimicis coniunctionem facere vultis, dum ipsa periura Langobardorum gens semper Ecclesiam Dei expugnantes, & hanc nostram Romanorum prouinciam inuadentes, nostri esse comprobantur inimici? Itaque & hoc peto ad * vestri referre studete memoriam, eo quòd dum * CONSTANTINVS Imperator nitebatur persuadere sanctæ memoriæ mitissimo vestro genitori, ad accipiendum coniugio filij sui germanam vestram, nobilissimam GISILAM, neque vos * aliæ Nationi licere copulari, sed nec contra voluntatem Apostolicæ Sedis Pontificum quoquo modo vos audere peragere. Et quam ob causam nunc contra Apostolica mandata, & voluntatem Vicarij Apostolorum principis, agere conamini, quod nunquam vester pater perpetrauit? An nescitis quod non infelicitatem nostram, sed beatum Petrum, cuius licèt immeriti vices gerimus, spernitis? Scriptum est enim: *Qui vos recipit me recipit, & qui vos spernit me spernit.* Recordamini peto, excellentissimi filij, quomodo * vos fide dicere visus est præfatus vester Domnus ac genitor, promittens in vestris animabus Deo & beato Petro, atque eius Vicario antefato sanctæ recordationis prædecessori nostro, domno Stephano Papæ, firmiter debere vos permanere erga sanctæ Ecclesiæ fidelitatem, & omnium Apostolicæ Sedis Pontificum obedientiam, & illibatam charitatem: & postmodum prædecessori nostro domno Paulo Papæ eadem vos, vna cum eodem vestro genitore, certũ est plerumque per Missos & scripta promisisse. Et post decessum antefati sanctæ memoriæ patris vestri, & vos ipsi sæpiùs tam per vestros Missos, quámque per Litteras, simúlque & per Sergium fidelissimum nostrum Nomenculatorem, & per alios nostros Missos nobis spopondistis, in eadem vos vestra promissione, sicut genitor vester, circa sanctam Dei Ecclesiam, & nostram fidelitatem, esse perseueraturos.

* vestram.
* Copronymus.
* alij.

B

Matth. 10.
Luc. 10.
* vobis fideliter. Sic corrigit Bar.

SED & illud quæso ad vestram referte memoriam, qualiter vos præfatus dominus Stephanus Papa, in suo transitu, per sua scripta, sub terribili adiuratione adhortari studuit, firma stabilitate vos esse permansuros erga dilectionem sanctæ Dei Ecclesiæ, & illibatam charitatem Apostolicæ sedis Pontificum, & omnia vos adimplere, iuxta vestram eidem Dei Apostolo adhibitam sponsionem. Et * nunc ista est vestra promissio? O quantum laborem sustinuit isdem præcipuus ac beatissimus Pontifex, qui ita imbecillis existens, tanto se exhibuit prolixi itineris periculo, & nisi Dominus præstò fuerit, in vacuum eius labor deducetur. Fuitque nobis iter illud, quod ibidem idem noster prædecessor in Franciam properauit, in magnam ruinam, dum nostri inimici plus nunc quàm pridem in superbiæ ferocitatem eleuati sunt. Et ecce, quod verebamur, euenire cernimus, conuersáque est nostra lætitia in luctum, & facta sunt nouissima mala peiora prioribus, & vnde exspectabamus nobis lumen oriri, eruperunt tenebræ.

* fort. vbi est.

C

QVAPROPTER & beatus Petrus, princeps Apostolorum, cui regni cœlorum claues à Domino Deo traditæ sunt, & cœlo ac terra ligandi soluendíque concessa est potestas, firmiter Excellentiam vestram per nostram infelicitatem obtestatur, simúlque & nos vna cum omnibus Episcopis, Presbyteris, & ceteris Sacerdotibus, atque cũctis Proceribus, & Clero sanctæ nostræ Ecclesiæ, Abbatibus etiam & vniuersis religiosis, diuino cultui deditis, seu Optimatibus & Iudicibus vel cuncto nostro Romanorum istius prouinciæ populo, sub diuini iudicij obtestatione vos adiuramus per Deum viuum & verum, qui est iudex viuorum & mortuorũ, & per eius ineffabilem diuinæ maiestatis potentiam, atque per tremẽdum futuri iudicij diem, vbi omnes principes & potestates, & cunctum humanum genus, cum tremore assistere habebimus, nec non & per omnia diuina mysteria, & sacratissimum corpus

CAROLVS & CARLOMANNVS.

A beati Petri, vt nullo modo quisquam de vestra fraternitate præsumat filiam iamdicti Desiderij Langobardorum Regis in coniugium accipere. Nec iterum vestra nobilissima germana, Deo amabilis Gisila, tribuatur filio sæpefati Desiderij. Nec vestras quoquomodo coniuges audeatis dimittere. Sed magis recordantes, quæ beato Petro Apostolorum principi polliciti estis, viriliter eisdem nostris inimicis Langobardis resistite, distringentes eos firmiter, vt propria sanctæ Dei Ecclesiæ Romanæ Reipublicæ reddere debeant, eo quòd omnia quæ vobis polliciti sunt transgredientes, nos cotidie affligendo & opprimendo non cessant: etiam quia aliquid nobis reddere minimè sunt inclinati; etiam & nostros inuadere fines noscuntur, & tantummodo per argumentum in præsentia de vestris Missis simulant iustitias nobis facere. Nam nihil ad effectum perducitur, & quidquam ab eis de nostris iustitiis nequaquam recipere valuimus.

VNDE ecce, vt cuncti nostri dolores subtiliter vestris auribus suggerantur, direximus nostros Missos, videlicet Petrum dilectum filium nostrum Presbyterum, & Pamphilum Defensorem Regionarium sanctæ nostræ Ecclesiæ, quos & de imminente nobis tribulatione, necnon & de singulis causis subtiliter informauimus, vestro regali intimandis culmini. Et petimus, vt solita benignitate eos suscipere, nostræque petitioni vestras à Deo inspiratas aures accommodare dignemini, & amplissimam liberationem, atque exaltationem sanctæ Dei Ecclesiæ, B spiritalis matris vestræ, & istius à vobis redemptæ Prouinciæ defensionem perficere iubeatis, vt perfectam remunerationem à iusto Iudice, Deo nostro, intercedente eius principe Apostolorum beato Petro, suscipiatis.

PRÆSENTEM itaque nostram exhortationem atque adiurationem in Confessione beati Petri ponentes, & sacrificium super eam atque hostias Deo nostro offerentes, vobis cum lachrymis ex eadem sacra Confessione direximus. Et si quis, quod non optamus, contra huiusmodi nostræ adiurationis atque exhortationis seriem agere præsumpserit, sciat se auctoritate domni mei beati Petri Apostolorum principis anathematis vinculo esse innodatum, & à regno Dei alienum, atque cum diabolo & eius atrocissimis pompis, & ceteris impiis æternis incendiis concremandum, deputatum. At verò qui obseruator & custos istius nostræ exhortationis extiterit, cœlestibus benedictionibus à Domino Deo nostro illustratus, æternis præmiorum gaudiis, cum omnibus Sanctis & electis Dei, particeps effici mereatur. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad domnum CAROLVM *Regem & eius præcelsam genitricem directæ, de Christophoro, & Sergio filio eius, qui cum Dodone & ceteris Francis Stephanum Papam interficere conati sunt.*

XLVI.

C DOMNÆ *religiosæ filiæ* BERTRADÆ, *Deo consecratæ, seu domno excellentissimo filio* CAROLO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum*, STEPHANVS *Papa*. CVM magno dolore & gemitu cordis tribulationis atque mortis periculum, quod nobis per sequaces diaboli iam eueniebat, ecce subtilius per has nostras Apostolicas syllabas à Deo consecratæ religiositatis vestræ, atque præcellentissimæ Christianitatis tuæ auribus intimare studemus, eo quòd nefandissimus Christophorus, & Sergius nequissimus eius filius, consilium ineuntes cum Dodone, Misso germani tui CARLOMANNI Regis, nos interficere insidiabantur. Vnde cum eodem Dodone, & eius Francis, cum aliquibus eorum nequissimis consentaneis aggregantes exercitum super nos, in Lateranensium sanctum Patriarchatum cum armis ingressi sunt, confringentes & ianuas, atque omnes cortinas ipsius venerandi Patriarchij lanceis perforantes, atque intus in Basilicam domni Theodori Papæ, vbi nullus ausus est aliquando vel etiam cum cultro ingredi, cum loricis & lanceis, vbi sedebamus, introierunt. Sicque ipsi maligni viri insidiabantur nos interficere. Sed omnipotens Deus cernens rectitudinem cordis nostri, quòd nulli vnquam malum cogitauimus, de eorum nos eripuit manibus, & vix per multum ingenium, dum hîc apud nos excellentissimus filius noster Desiderius Langobardorum Rex, pro faciendis nobis diuersis iustitiis beati Petri exi-

Huius Epistolæ Summ. recitant Bar. & Cent.

CAROLVS. CARLOMANNVS. steret, per eandem occasionem valuimus, cum nostro Clero, refugium facere ad protectorem vestrum, & continuo direximus nostros Sacerdotes ad eosdem malignos Christophorum atque Sergium, vt ab eadem iniquitate, quam pertractauerant nobis ingerere, resipiscerent, & ad nos ad beatum Petrum properarent. Illi mox, vt audierunt, de præsenti, cum Dodone & eius Francis turmas facientes, & portas ciuitatis claudentes, fortiter resistebant, & nobis comminabantur, atque in ciuitatem nos ingredi minimè permittebant. Et dum in eadem perfidia permanerent, & cognouisset vniuersus noster populus eorum iniquum consilium, de præsenti eos dereliquerunt, qui etiam & plures per murum descendentes ad nos properauerunt. Alij verò portam ciuitatis aperientes, ad nostri progressi sunt præsentiam, & ita ipsi maligni viri coacti atque nolentes ad nos in Ecclesia sancti Petri sunt deducti. Quos interficere vniuersus populus nitebantur, & vix de eorum manibus eos valuimus eripere, & dum infra ciuitatem nocturno silentio ipsos saluos introducere disponeremus, ne quis eos conspiciens interficeret, subitò hi, qui eis semper insidiabantur, super eos irruentes, eorum eruerunt oculos, Deo teste dicimus, sine nostra voluntate atque consilio. A

VNDE magno dolore nostrum atteritur cor, & credite nobis à Deo consecrata filia, atque excellentissime fili, nisi Dei protectio, atque beati Petri Apostoli, & auxilium excellentissimi filij nostri Desiderij Regis fuisset; iam tam nos, quámque noster Clerus, & vniuersi fideles sanctæ Dei Ecclesiæ & nostri, in mortis decidissemus periculum. Ecce quantas iniquitates & diabolicas immissiones hic seminauit atque operatus est prædictus Dodo, vt qui debuerat in seruitio beati Petri, & nostro fideliter permanere, ipse è contrario, animæ nostræ insidiabatur. Non agens iuxta id, quod à suo Rege illi præceptum est, in seruitio beati Petri & nostra obedientia fideliter esse permansurum. Et certò credimus, quòd dum tanta eius iniquitas ad aures excellentissimi filij nostri CARLOMANNI Regis peruenerit, nullo modo ei placebit, in eo, quòd in tantam deminorationem atque deuastationem sanctam Dei Ecclesiam is Dodo, cum præfatis suis nefandissimis sequacibus, cupiebat deducere. Et ideo nostras tribulationes & angustias atque pericula à Deo institutæ religiosissimæ Christianitati tuæ, atque Excellentiæ vestræ innotuimus, quoniam profectò omnipotens Deus credentes in se, & confidentes in eius misericordia non dereliquit. B

AGNOSCAT autem Deo amabilis Religiositas vestra, atque Christianissima Excellentia tua, eo quòd in nomine Domini bona voluntate nobis conuenit cum præfato excellentissimo, & à Deo seruato filio nostro Desiderio Rege, & omnes iustitias beati Petri ab eo pleniùs & in integro suscepimus. Tamen & per vestros Missos de hoc plenissimè eritis satisfacti. Deus autem omnipotens sua vos protectionis dextera circumtegat, & præsentis Regni gubernacula * æuis atque prosperis temporibus perfrui annuat, & æterna præmiorum gaudia multipliciter faciat adipisci. Incolumem Religiositatem vestram atque Excellentiam tuam gratia superna custodiat. C

* longæuis

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *&* CAROLOMANNVM *Reges directæ, in qua continentur vberrimæ benedictiones, & pro eorum fraternitatis concordia gratiarum actiones, & de iustitiis S. Petri.*

XLVII.

Meminerunt huius Epistolæ Bar. & Cent.

DOMNIS *excellentissimis filiis,* CAROLO *&* CAROLOMANNO *Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum,* STEPHANVS *Papa.* BENEDICTVS Dominus Deus noster, pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui consolator & propitiator existit omnium inuocantium eum in veritate. Ipse enim Redemptor noster preces clamantium ad se exaudiens mœrentium tribulationes ad gaudium conuertit; quòd certè nunc in nobis atque vniuerso peculiari populo sanctæ Dei Ecclesiæ eius, diuinæ pietatis clementiam & misericordiæ benignitatem cernimus esse diffusam, in eo, quòd nostræ orationis vota exaudiens & mœroris nostri lamentationem, quam vsque hactenus habuimus ex ipsa diuisione discordiæ, quam antiquus hostis, inimicus pacis, intra vestram fraternitatem immi-

A ferat; nunc, Deo propitio, eodem pestifero æmulo confuso, in communem dilectionem & concordiam, vt verè vterinos & germanos fratres, vos connexos esse discentes, in magnam lætitiam conuertere dignatus est.

ITAQVE, præcellentissimi filij, magni victoriosissimi Reges, & Dei prouidentia nostri Romanorum Patricij, coniungentes ad nos fidelissimi ac solertissimi vestri Missi, scilicet GAVZIBERTVS reuerendissimus & sanctissimus Frater noster Episcopus, atque Fuchbertus religiosus, & Ansfredus seu Helingarius gloriosissimi vestri, detulerunt nobis honorabiles Syllabas vestras à Deo instituta regali potentia directas. Per quas innotuistis contentionis rixas ac litigia inter vos versata fuisse: sed, annuente Domino, nunc ad veram dilectionem, & vnitatis concordiam, & fraternum amorem conuersi extitisse videmini. Quo audito, magno gaudio atque lætitia, vna cum vniuerso populo nostro istius Prouinciæ, à vobis redemptæ, repleti sumus, & gemina festiuitatis gaudia peregimus: immensas Deo nostro omnipotenti referentes gratiarum actiones, atque victricem eius clementiam collaudantes, consona cum prophetica voce cantantes atque dicentes. Benedictus es Domine Deus noster, & benedicta omnia opera tua. Ecce enim nunc gaudet Deus noster in cœlis, gaudet & vniuersus chorus Angelorum, & in terra etiam cunctus exultat populus Christianus, & solus Diabolus inimicus pacis, & discordiæ seminator, luget, dum victum se esse & superatum conspicit. Non enim
B aliter fidelium mentes existimare poterant peruenire, quàm quod nunc factum esse gaudemus, si Deus omnipotens illam pacem & fraternam dilectionem in vobis multiplicet, & multiplicatam corroboret, quam suis donauit sanctis Apostolis. Vnde de vestra vnitate etiam sancta spiritalis mater vestra, Dei Ecclesia, & eius vniuersus populus exultat. * Nam si verò & in his ipsis vestris ferebatur apicibus, tota vestra virtute vos esse decertaturos pro exigendis iustitiis protectoris vestri beati Petri, & sanctæ Dei Ecclesiæ, atque in ea promissione amoris, quæ à vestro pio genitore, sanctæ recordationis, domno Pippino, eidem principi Apostolorum, & eius Vicariis, facta est, polliciti estis esse permansuros, & plenarias iustitias sanctæ Dei Ecclesiæ, atque eius exaltationem esse operaturos. Et quidem nos, excellentissimi filij, Christianissimi magni Reges, omninò de hoc certi, atque in omnibus satisfacti sumus. Quod nulla hominum suasio, aut thesaurorum copiosa datio vos poterit declinare, aut ab eadem vestra promissione, quam beato Petro spopondistis, quoquomodo immutare: tamen nunc firmitatem vestram comprobauimus, dum non corruptori & fragili homini, sed Deo omnipotenti & eius Apostolorum principi, placere procurastis. Vnde obnixè, tanquam præsentialiter, petimus, & coram Deo viuo, qui vos regnare præcepit, coniuramus Excellentiam vestram, vt plenarias iustitias beati Petri, sub nimia velocitate, secundum capitulare, quod vobis per præsentes vestros fidelissimos Missos direximus,
C exigere, & beato Petro reddere iubeatis; sicut & vestra continet promissio, & omnia, quæ beato Petro, & eius Vicariis, cum vestro sanctæ memoriæ, progenitore promisistis, adimplere dignemini, quatenus intercedente eodem principe Apostolorum, perfectam ab omnipotenti Deo in præsenti vita, & futura beatitudine suscipiatis, post Deum in nobis habemus fiduciam, & in vestro amore atque charitatis dilectione firmiter, vsque ad animam & sanguinis effusionem, vnà cum vniuerso populo permanemus atque permanebimus. Tamen & de hoc & de omnibus iustitiis beati Petri prædictis vestris Missis subtiliùs locuti sumus, vestro regali culmini cuncta enarranda, & iam, sicut terra sitiens imbrem præstolatur; ita vestrum auxilium & congruum effectum de nostris petitionibus postulamus.

* Namque.

ET videte, excellentissimi filij, quia obtestamur vos per tremendum diem iudicij. Etiam beatus Petrus per nos vos adhortatur, atque obtestatur, vt sub nimia velocitate ipsas iustitias eiusdem principis Apostolorum exigere à Langobardis iubeatis, fortiter eos cum Dei virtute distringentes, vt sua propria idem princeps Apostolorum, atque sancta Romana Ecclesia recipiat. Nam si, quod non credimus, ipsas iustitias exigere neglexeritis, aut distuleritis, sciatis vos de istis rationem fortiter ante tribunal Christi eidem principi Apostolorum esse facturos. Si quis autem vobis dixerit, quòd iustitias beati Petri recepimus, vos vllo modo ei non credatis. Deus autem omnipotens sua vos dextera protegat, & victoriam vobis de cœlo tribuat, suúmque Angelum ante faciem vestram mittat, qui vos præ-

CAROLVS, CARLOMANNVS. cedat, & inimicos vestros coram vestris prosternat vestigiis, atque à Deo instituti A Regni vestri terminos dilatet, & præsenti Regno longæuiter ac prosperè gubernacula perfrui faciat. Etiam & post huius vitæ longæuitatem, cœlestia vobis regna per infinita tribuat secula possidenda.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLOMANNVM *Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones, & postulabat, vt filium suum ex fonte sacri baptismatis suscipere mereretur.*

XLVIII.

Summar. apud Bar. & Cent. DOMNO *excellentissimo filio* CAROLOMANNO *Regi Francorum, & Patricio Romanorum*, STEPHANVS *Papa*. DVM tantam piæ considerationis gratiam, atque efficacem sollertiam Creator noster omnipotens Dominus vestro mellifluo Regali cordi pro defensione & exaltatione sanctæ suæ Ecclesiæ infundere dignatus est, præcellentissime fili ac benignissime Rex, idcircò opinatissimi nominis tui præclara memoria, & indita cœlitus prudentia in toto Orbe terrarum diuulgata permanet, etiam in cœlestibus regnis digna operum tuorum refulgent merita. Vnde beatus es, bone Christianissime Rex, quod quidem nos conspecta fidei tuæ constantia, quam in Apostolicis causis, & nostri amoris feruore habere B dinosceris, firmi in tua dilectione permanentes, sedulò eidem nostro Conditori, pro immensa vestra lætitia, & à Deo instituti Regni vestri stabilitate, preces fundere nequaquam desistimus.

INTEREA coniungentes ad nos BERALDVS religiosus Abbas, & AVDBERTVS vir inluster, detulerunt nobis honorandas, nimísque desiderabiles Syllabas à Deo protectæ Excellentiæ vestræ, quas cum magno honoris affectu suscipientes atque relegentes, quæ in eis ferebantur, omninò agnouimus. Sed & ipsi vestri fidelissimi Missi, ea, quæ à vestra à Deo protecta Excellentia iniuncta habuerunt, nobis subtilius retulerunt. De quibus, sicut vestris fidelibus, ad singula eis responsum reddidimus, vestro à Deo inspirato culmini liquido enarrandum.

AT verò, quia amoris vestri feruor in nostris firmiter viget præcordiis, magna nobis desiderij ambitio insistit, præcellentissime Regum, vt Spiritus sancti gratia scilicet compaternitatis affectio inter nos adueniat. Pro quo obnixè quæsumus Christianitatem tuam, à Deo institute bone Rex, excellentissiméque fili, vt de præclaro ac Regali vestro germine, quod vobis Dominus pro exaltatione sanctæ suæ Ecclesiæ largiri dignatus est, in nostris vlnis ex fonte sacri baptismatis, aut etiam per adorandi chrismatis vnctionem spiritalem suscipere valeamus filium: vt eadem, Deo prosperante, compaternitatis gratia in medio nostrum corroborata, magna lætitia ex hoc tam nos quámque vniuersus noster populus pariter releuati, exultare valeamus in Domino. C

DEVS autem omnipotens, per quem Reges regnant, & Principes imperant, sua vos protegat gratia, & victoriam vobis de cœlo pro suæ sanctæ Ecclesiæ defensione tribuat, atque longæuos & sospites in solio Regni pariter cum excellentissima & Christianissima filia nostra Regina, dulcissima vestra coniuge, & amantissimis natis conseruare, & cœlestis regni æterna gaudia concedere dignetur possidenda. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ ADRIANI *Papæ ad Domnum* CAROLVM *Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones pro vita & sanitate Domni Regis, & vxoris vel filiorum eius, necnon & pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ: & postulans, vt filium suum ex sacro baptismatis fonte suscipere mereretur.*

XLIX.

Summ. 35. apud Bar. & Cent. DOMNO *excellentissimo filio* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa*. DVM nimio prouocati amore aptum duximus, primitus quidem à Deo protectæ Excellentiæ vestræ, seu

A spiritalis filiæ nostræ Reginæ proles, etiam Episcopos & Presbyteros, necnon & vniuersos Optimates, cunctúmque præclaræ Gentis vestræ Francorum populum, ad vestrum à Deo confortatum Regnum pertinentem, his nostris Apostolicis visitare apicibus, & certos de vestra salute ac lætos effici, impensiùs prosperitatis ambientes integritatem. Igitur dum ad nos reuersi fuerunt Missi spiritalis matris vestræ sanctæ Dei Ecclesiæ, è vestigio à Deo protecti Regni vestri, id est, reuerendissimus Frater noster Philippus Episcopus, & Megistus dilectissimus filius noster Archidiaconus, retulerunt nobis de fidei & charitatis vestræ constantia, quam erga beatum Petrum Apostolorum principem, & nostram humilitatem habere dignati estis, pro vestræ animæ mercede. Hoc audito, magno gaudio noster releuatus est animus, & cœpimus Deo laudes referre, & beato principi Apostolorum Petro, pro exaltatione Regni vestri, atque filiæ nostræ Reginæ, coniugis vestræ, prolis etiam, & pro cunctis Francis, fidelibus beati Petri Apostoli, atque vestris.

At verò illud, vnde vestræ Eximietati per iamdictos nostros Missos, scilicet reuerendissimum Fratrem nostrum Philippum Episcopum, & dilectissimum nostrum Megistum Archidiaconum, dignati estis nobis repromittere, vt in sanctam diem Paschæ ad limina beati Apostolorum principis Petri, vna cum spiritali filia nostra Regina, Domino auxiliante, properare debuissetis, vt filium, qui nunc vobis procreatus est, à sacro baptismate in vlnis nostris susciperemus, sicut terra B sitiens imbrem, ita & nos exspectantes fuimus mellifluam Excellentiam vestram. Et dum appropinquasset ipse dies sanctus Paschæ, & nullum mandatum de aduentu vestro suscepissemus, aut de Missis vestris, secundum Placitum, quod inter nos extiterat, valde tristes effecti sumus. Sed obnixè te petimus, præcellentissime & magne Rex, vt secundum quod inter nos constitit, pro ipso sancto baptismate nostrum adimplere iubeas desiderium, de eodem eximio vestro filio, quatenus duplex Spiritus sancti gratia in medio nostrum adcrescat, & gemina festiuitatis lætitia nobis celebretur. Et hoc deprecamur vestram Excellentiam amantissime fili, & præclare Rex, pro Dei amore & ipsius Clauigeri regni cœlorum, qui solium Regni patris vestri vobis largiri dignatus est, vt secundum promissionem, quam polliciti estis, eidem Dei Apostolo, pro animæ vestræ mercede, & stabilitate Regni vestri, omnia nostris temporibus adimplere iubeatis, vt Ecclesia Dei omnipotentis, id est, beati Petri Apostoli, cui claues regni cœlorum ab omnium opifice, facinorum nexus soluendi, simúlque ligandi attributa est facultas, in omnibus ampliùs atque ampliùs sancta Dei Ecclesia exaltata permaneat, & omnia secundum vestram pollicitationem adimpleantur, & tunc vobis in cœlestibus arcibus adscribatur merces, & bona opinio in vniuerso mundo.

Et sicut temporibus beati Syluestri Romani Pontificis, à sanctæ recordationis piissimo Constantino magno Imperatore, per eius largitatem sancta Dei Catholica & Apostolica Romana Ecclesia eleuata atque exaltata est, & potestatem C in his Hesperiæ partibus largiri dignatus est: ita & in his vestris felicissimis temporibus atque nostris sancta Dei Ecclesia, id est, beati Petri Apostoli, germinet atque exultet, & ampliùs atque ampliùs exaltata permaneat, vt omnes Gentes, quæ hæc audierint, edicere valeant: *Domine saluum fac Regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.* Psal. 19. Quia ecce nouus Christianissimus Dei Constantinus Imperator his temporibus surrexit, per quem omnia Deus sanctæ suæ Ecclesiæ beatorum Apostolorum principis Petri, largiri dignatus est. Sed & cuncta alia, quæ per diuersos Imperatores, Patricios, etiam & alios Deum timentes, pro eorum animæ mercede, & venia delictorum in partibus Tusciæ, Spoleto, seu Beneuento, atque Corsica, simul & Sauinensi patrimonio, beato Petro Apostolo, sanctæque Dei & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ concessa sunt, & per nefandam Gentem Langobardorum per annorum spatia abstracta atque ablata sunt, vestris temporibus restituantur. Vnde & plures donationes in sacro nostro scrinio Lateranensi reconditas habemus, tamen & pro satisfactione Christianissimi Regni vestri, per iam fatos viros, ad demonstrandum eas vobis, direximus: & pro hoc petimus eximiam Præcellentiam vestram, vt in integro ipsa patrimonia beato Petro & nobis restituere iubeatis. Et dum omnia per vestrum congruum dispositum sancta Dei Ecclesia effectum susceperit, ipse princeps Apostolorum beatus Petrus ante tribunal Omnipotentis clementiam pro vestra sospitate atque longæuitate, & exul-

CAROLVS MAGNVS.

tatione à Deo confortati Regni vestri deprecetur. Magnoperè enim direximus apud vestram eximiam Præcellentiam, id est, reuerēdissimum & sanctissimum Fratrem nostrum Philippum & Andream Episcopos, seu Theodorum Ducem nostrum, quibus & in ore posuimus, vt vestræ à Deo protectæ Excellentiæ minutiùs enarrare debeant. Quibus & eis in omnibus credere debeatis, & solita benignitate eos suscipere iubeatis, pro amore fautoris vestri beati Petri Apostoli: vt dum ad nos reuersi fuerint cum effectu causæ, ante Confessionem ipsius Dei Apostoli, cum omnibus Episcopis, & Sacerdotibus, atque cuncto Clero, Senatu, & vniuerso nostro populo, pro vestra sospitate atque longæuitate & exaltatione Regni vestri Domino fundere valeamus preces, vt æuis temporibúsque Eximietatem vestram conseruare dignetur, ad exaltationem spiritalis matris vestræ, sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ: & sicut terrena gaudia largitus est, ita & cœlestia tribuat sempiterna. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. A

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continetur de fide & constantia ipsius, & Anastasio Misso ipsius Apostolici, qui in Francia demoratus fuerat.*

L. B

Exstat huius Epist. Summar. apud Bar. Tom. 9. anno Christi 795. Summ. 32. & apud Cent.

DOMNO *excellentissimo filio* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa.* DESIDERANTISSIMÆ vestræ Excellentiæ Scripta suscepimus, in quibus tantum de absenti collocutione gauisi sumus, quantum & ipsum qui locutus est semper mihi cupio esse præsentem. Quas relegentes, & de vestra immensa prosperitate agnoscentes, nimis sumus gratulati, quoniam vestra prosperitas nostra esse comprobatur lætitia, & vestra exaltatio nostra existit, post Deum, securitas. Ferebatur enim in ipsis regalis vestræ potentiæ apicibus, quod remeantes ad vos Missi vestri, scilicet VVulcharus sanctissimus Frater noster Archiepiscopus, & Dodo religiosus Abbas, vobis retulissent, quòd ea, quæ eis à vobis iniuncta fuissent, benignè atque amabiliter à nobis essent suscepta. Sed cognoscit omnipotens Deus noster, cui arcana cordis reserata assistunt, quia omnem Missum à vestris regalibus obtutibus directum cum nimio amore & decenti honore suscipere studemus, & omnem vestram voluntatem sincera mentis integritate implere satagimus, atque cum prosperitate ad vos repedandum absoluere festinamus, neque vllis nos posse huius mundi transitoriis ac labentibus opibus, vel humanæ suasionis blandimentis ab amore & dilectione vestræ mellitæ Sublimitatis, vel ab eis, quæ vobis polliciti sumus, declinare, dum hic aduixerimus, sed firmi & stabiles in vestra permanemus charitate. C

ABSIT namque à nobis, charissime & nimis nobis dulcissime fili, vt ea, quæ inter nos mutuo coram sacratissimo corpore fautoris tui beatorum Apostolorum principis Petri, confirmauimus atque stabiliuimus, per quemuis modum irrita facere * adtemptemus, quoniam & nos satisfactus vestrum culmen deprecari visus sum, si quis de nobis nequissima dicta vestris auribus proferre maluerit, cupiens per fallaciam se vobis commendare, nullam credulitatis illi admittatis copiam, quia, vt prædiximus, nos firmi in vestra permanemus dilectione, magis dum & Saluator designanter expressit, dicens: *In hoc cognoscimus, quòd mei estis discipuli, si dilectionem habueritis in inuicem.*

* attentemus.

Ioan. 13.

INTEREA continebat series Excellentiæ vestræ, quòd accedente proximo mense Octobri, dum, Deo fauente, in partibus Italiæ adueneritis, omnia, quæ beato Petro regni cœlorum clauigero, & nobis polliciti estis, ad effectum perducere maturabitis: lætitia enim patris est profectio filiorum, & de eorum prouectu naturalis affectus congaudet. Quapropter salutis tuæ agnoscentes perfectionem, hilares redditi sumus, & quia pro augmento & exaltatione matris suæ, sanctæ Dei Ecclesiæ, in Italiam destinatis properare, vt perficiatur magis magísque optamus. Sed Deus & Dominus noster Iesus Christus faciat nobis in propinquo de vestra præsentia gaudere, & vna vobiscum in inuicem exultare.

De

A De Missis nempe nostris, Andrea videlicet Coëpiscopo, seu Pardo * Egumeno, vnde nobis intimandum direxistis, vt cum Missis vestris Possessorem Fratrem Episcopum, atque Dodonem religiosum Abbatem, à vestris regalibus vestigiis repedantes, dirigerémus, ita adimplere velociùs destinauimus. Sed Pardus Egumenus, propter imbecillitatem corporis sui proficisci minimè valuit, & direximus in vicem illius Valentianum Episcopum.

CAROLVS MAGNVS.
* Hegumeno, id est, Monachorū Præfecto, seu Antistite.

Illvd verò, quod de Anastasio Misso nostro nobis indicastis, quod aliqua importabilia verba, quæ non expediebat vobis, locutus fuisset, vnde valde tristes effecti fuistis, & pro hoc adhuc apud vos eum detinetis: nimis noster frangitur animus, dum Langobardi & Rauennates fatentur, inquientes quia nullomodo Rex in Apostolica permanet charitate, dum eius Missum apud se detinet. Sed neque ab ipsis mundi exordiis cognoscitur euenisse, vt Missus protectoris tui beati Petri, magnus vel paruus, à quacumque Gente detentus fuisset, sed iubeat nobis eum vestra sollicitudo dirigere, & seuerissimè eum sciscitantes, iuxta noxam ei repertam eum corripiemus. Nam de Langobardo illo, qui cum eodem Anastasio Misso nostro ad vos properauit, nomine Gaidifridus, vnde nobis significastis, vt dum in nostro fuisset Palatio, fraudem agebat aduersus vestram regalitatem, insuper & vestro suasisset Notario falsas conficere Literas, per quas nos cupiebat in scandalum vobiscum mittere. Quod auertat Diuinitas, neque inuenie-B tur homo qui nos possit per quemuis modum aduersus vos in iracundiam prouocare. Sed testis nobis est Deus, qui occulta hominum cognoscit, per nullum argumentum eum infidelem vobis cognouimus. Sed, vt breuiùs dicamus, si ille, qui ab amatore tuo beato Petro ad vos destinatur, talia suscipere meruit, quid considerandum est de nefandissimis & nimis stropharìis Paschali & Saratino, qui talia, vt & vos per honorandos vestros apices insinuastis, in hac Romana vrbe agere ausi sunt, quale nunquam ab exordio mundi auditum est? Fortasse & dum talia egissent, & vestris obtutibus se coniunxissent, non ambigentes pro reatu, quem operati sunt, vos deprecati sunt, vt eos in nostram reduceres gratiam. Sed magis coram vestra præsentia, & nostris Missis, detractionibus vacabant. Et miror valdè, quod illos, qui talia & inaudita de his coram vestris obtutibus proferebant verba, in magnis deliciis habere dinosceris. An nescit vestra Præcellentia, quia si quæcumque persona de qualibet Gente aduersa, aut inania de vestra eximia Celsitudine retulisset verba, dignam in eum exercentes vindictam, vinctum eum vsque ad vestram direxissemus Excellentiam, sicut & de Paulino egimus. Pro quo deprecamur atque coniuramus Præcellentiam vestram, dulcissime fili, per Redemptorem Dominum nostrum Iesum Christum, vt viriliter, Deo vobis inspirante, exurgatis, & miseræ & flagitiosæ præsumptionis, vt pium Regem decet, Regalem vindictam vobis de eis exercere iubeatis: vt in hoc cognoscant Gentes, C quia ob amorem beati Petri magnam in nobis habeatis dilectionem, vt qui nobis dolentibus condolent, ita & nobis lætantibus congaudeant. Aut nobis eos dirigere digneris, vt omnipotens Deus, respiciens de excelso, pro iusta vindicta à nobis eis inferenda, concedat tibi vna cum excellentissima filia nostra Regina, & amantissimis natis, lōga spatia vitæ per metas annorum. Et ego licèt peccator, dum de eis perfectam suscepero iustitiam, magis ac magis, vt ago, ante ipsius Ianitoris regni cœlorum sacram Confessionem assiduò pro vestra incolumitate fundere valeam preces. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum Carolvm *Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ, & de Missis Domini Regis, qui autumni tempore Romam venire debuerunt.*

LI.

Domno *excellentissimo filio* Carolo *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, Adrianvs *Papa*. Dvm in tanta securitatis lætitia spiritalis mater vestra sancta Dei Catholica & Apostolica Romana Ecclesia consistens exultat, ob hoc opinatissima nominis vestri memoria in vniuerso

Summ. 33. Bar. & Cent.

CAROLVS MAGNVS.

Orbe terrarum dilatata atque laudabiliter permanet diulgata, etiam ab Apostolica aula ob vestrorum veniam delictorum sedulò à nobis, & cunctis Dei Sacerdotibus, orationum vota, & sacrificiorum hostiæ diuinæ offeruntur Maiestati. Itaque præcellentissime fili, recordari credimus à Deo protectam Christianitatem vestram, nobis direxisse in responsis per Andream reuerendissimum & sanctissimum Fratrem nostrum Episcopum, quòd hoc autumni tempore vestros ad nostri præsentiam studeretis dirigere Missos, qui nobis omnia secundum vestram promissionem contradere deberent: & exspectantes fuimus vsque hactenus per totum Septembrem & Octobrem & præsentem Nouembrem mensem, ipsos vestros suscipere Missos, & de vestra sospitate per eos agnoscere. Et dum minimè ad nos aduenissent, direximus nostras Apostolicas Literas vsque Papiam ad Iudices illos, quos ibidem constituere visi estis, vt nobis significare deberent de aduentu eorumdem vestrorum Missorum. Qui ita nobis direxerunt in responsis, nequaquam ad nos vestros nunc esse profecturos Missos. Vnde magnum desiderium nostro imminet cordi, & interea mentis nostræ viscera in vestro ardentiùs feruescunt amore. Idcirco cupientes de vestra prosperitate certos lætósque effici, magnoperè studuimus præsentes nostros Missos, scilicet antefatum Andream sanctissimum Fratrem nostrum Episcopum, & Pardum Deo amabilem, dilectum filium nostrum Egumenum, ad vestra regalia transmittere vestigia, visitantes & salutantes per eos tam præcellentissimam Christianitatem vestram, quámque excellentissimam filiam nostram, amantissimam coniugem vestram, à Deo illustratam Reginam, & dulcissimos ac nobilissimos natos vestros. Prædictis quidem nostris Missis cuncta in ore subtiliùs posuimus, eósque diligenter informauimus, quæ de singulis causis vestræ à Deo protectæ Excellentiæ, nostra vice, enarrare debeant: eósque benignè atque hilari vultu à vobis suscipi petimus, eorúmque sermonibus, quos nostra vice protulerint, credere, & aurem benignitatis vestræ accommodare, cunctáque perficere & adimplere dignemini, quæ sanctæ memoriæ genitor vester Domnus Pippinus Rex beato Petro vna vobiscum pollicitus, & postmodum tu ipse, à Deo institute magne Rex, dum ad limina Apostolorum profectus es, ea ipsa spondens confirmasti, eidémque Dei Apostolo præsentialiter manibus eandem obtulisti promissionem. Nos enim magnam fiduciam habemus in vestri cordis firma constantia, & certi sumus omninò de benigno mentis vestræ proposito.

VNDE & copiosum à vobis suscipere præstolamur fructum, vt, sicut cœpisti, bonum opus perficias, tuísque temporibus sancta Dei Ecclesia multò ampliùs exaltata permaneat. Quatenus omnipotens Dominus, intercedente beato Petro principe Apostolorum, dignam vobis remunerationem tribuat, & in cœlestibus regnis cum Sanctis & electis post huius vitæ longæuitatem perenniter exaltandos vos recipiat. Per te enim, bone victoriosissime Rex, præfata sancta vniuersalis Dei Ecclesia, de inimicorum impugnationibus erepta, magno, vt dictum est, triumphat gaudio, & orthodoxa Christianorum fides vestro præsidio in pristino venerationis statu permanet immutilata. Pro quo obnixè quæsumus, vt de vestra prosperitate nos quantociùs certos reddere iubeatis, quia vestra salus nostra est securitas, & vestra lætitia nostrum esse comprobatur gaudium. Vnde firmi in vestro amore & dilectionis charitate permanentes, incessanter diuinam deprecamur clementiam, vt sua vos gratia multipliciter tueatur, tribuens Præcellentiæ vestræ, atque excellentissimæ filiæ nostræ Reginæ, & amantissimis natis vestris, longæuis ac prosperis temporibus Regni gubernacula possidenda, vestrísque vestigiis cunctas barbaras Nationes prosternat, dilatans multipliciter terminos Regni vestri, etiam & cœlestis regni gaudiis vos faciat esse participes. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

* Centur. chartam insertitiam vocant.

* *Embolum de proteruia Leonis Archiepiscopi.*

ET hoc vestræ à Deo protectæ Excellentiæ innotescimus, eò quòd postquam à vobis reuersus est Leo Archiepiscopus in nimiam superbiam eleuatus, nullomodo nostris præceptionibus, sicut antea, obedire voluit, sed brachio forti vsque hactenus in sua potestate detinere videtur Imolam atque Bononiam, dicens: Quòd easdem ciuitates nullomodo beato Petro neque nobis concessistis, nisi

A tantummodo eidem Leoni Archiepiscopo. Vnde dirigentes ibidem nostrum Missum, id est Gregorium Sacellarium, qui Iudices earumdem ciuitatum ad nos deferre deberet, & sacramenta in fide beati Petri, & nostra atque Excellentiæ vestræ à cuncto earum populo susciperet. Sed nequaquam idem Archiepiscopus eundem nostrum Sacellarium illuc ire permisit. Nam & Dominicum, quem nobis in Ecclesia beati Petri tradidistis atque commendastis; Comitem constituimus in quandam breuissimam ciuitatem Gabellensem, Præceptum eiusdem ciuitatis illi tribuentes. Sed minime illum permisit ipsum actum agere, sed dirigens exercitum, vinctum eum Rauennam deduxit, & sub custodia habuit. Nam & de aliis ciuitatibus Æmiliæ, id est, Fauentia, Ducatu Ferrariæ, Comiaclo, & Foro-Liuij, & Foro-Populi, Cæsnia, & Bobio, seu Tribunatu decimo, nullum hominem exinde ad nos, pro suscipiendis præceptis actionum, aduenire permisit. Nam illi omnes parati erant ad nos coniungere. CAROLVS MAGNVS.

De reliquis verò ciuitatibus, vtrarumque Pentapoleos ab Arimino vsque Eugubium omnes, more solito, ad nostri aduenerunt præsentiam, & Præcepta actionum de ipsis ciuitatibus à nobis susceperunt, & in nostro seruitio atque obedientia fideliter cuncti permanent, nisi solummodo ipse Archiepiscopus in sua ferocitatis superbia existit. Sed petimus te coram Deo viuo, præcellentissime fili, vt nullomodo hoc tibi placeat, vt ea, quæ sanctæ memoriæ genitor tuus, & tu ipse beato B Petro concessistis atque obtulistis, quod absit, temporibus vestris auferantur, & Ecclesia beati Petri per malignos homines, qui iniqua immittunt, humilietur. Sed magis semper per vos exaltata permaneat.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continentur vberrimæ benedictiones pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ, & de Epistola Ioannis Patriarchæ Gradensis.*

LII.

DOMNO *excellentissimo filio* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa*. DVM tanta amoris dilectio, & firma charitatis integritas, inter nos, Deo auspice, corroborata existit, magnum nobis imminet feruoris desiderium, de vestra immensa prosperitatis lætitia certos effici. Quapropter paterno sinceritatis affectu vestram à Deo protectam Excellentiam ter & in Domino plurimum osculantes, quæsumus vt nos celeriùs de vestra sospitatis integritate, atque præcellentissimæ filiæ nostræ, à Deo illustratæ magnæ Reginæ dulcissimæ filiæ nostræ, necnon & excellentissimorum filiorum vestrorum, non lætos quantociùs efficere studeatis in eo, quod exspe- C ctantes vsque fuimus vestros suscipere Missos, sed nondum ad nos peruenerunt. Et ob hoc maxima nos dilectionis affectio cogit sinceram cordis nostri puritatem vestro regali culmini enucleanter proferre: dum nimirum vestra salus, nostra est lætitia, & prosperitatis vestræ commoditas, nostra est exultatio. Itaque innotescimus Excellentiæ tuæ, suscepisse nos Epistolam directam nobis à Ioanne Patriarcha Grandense. Vicesima septima enim die Octobris mensis ipsa ad nos peruenit Epistola, & protinus nec potum, nec cibum sumpsimus, neque nos, neque huius scriptor nostræ Apostolicæ relationis, sed eadem hora eodémque momento ipsam antefati Patriarchæ Epistolam cum his nostris Apostolicis Syllabis vobis transmisimus. Itaque valde tristes effecti sumus, quoniam asifoniatas bullas eiusdem Epistolæ reperimus, à Leone Archiepiscopo, primitus relecta nobis directa est, & in hoc comprobare potest excellentissima Christianitas vestra, qualis est fraudulenta fides ipsius Leonis Archiepiscopi. Quia non pro alio præsumpsit eandem Epistolam primitus reserare ac relegere, nisi vt omnia quæ adscripta sunt, vt certè omnibus manifestum est, adnuntiaret tam Arghiso Duci Beneuentano, quàm reliquis nostris vestrísque inimicis, & dubium non est cuncta iam præfatis æmulis ab eodem Archiepiscopo esse adnuntiata. Nos quidem veritate testante, coram Deo, dicimus puriter & fideliter, in vestro permanetes amore, iuxta quod, inter nos præsentialiter in aula Apostolica confirmatum est, ea quæ ad nos peruenint de præsenti cum magna cautela vobis studemus denunciare, quia post Deum, & Summ.29. apud Bar. & Cent.

CAROLVS MAGNVS.

beatum Petrum, alibi nostra spes & fiducia non est, nisi in vestra à Deo protecta Excellentia. Tu enim, dulcissime magne à Deo illustrate Rex, noster cum Deo defensor & protector existis, quia per te sancta Dei Ecclesia spiritalis mater tua exaltata, magno exultat gaudio, confidentes cuncta à vobis beato Petro promissa velociter effectui mancipanda. A

SED Deus omnipotens, in cuius manu omnia mundi Regna consistunt, sua vos multipliciter foueat gratia, & beatorum Apostolorum principum Petri ac Pauli intercessionibus, longo ac prospero senio Regni gubernacula possidere, & pariter cum excellentissima filia nostra Regina & amantissimis natis gaudere, & cœlestia præmiorum cum Sanctis perenniter vos faciat adipisci regna. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Embolum de Leone Archiepiscopo.

ETENIM innotescimus excellentissimæ Christianitati vestræ, eò quòd, quando à vestro regali vestigio reuersus est Leo antefatus Archiepiscopus, in magnam superbiam, & tyrannicam elationem peruenit, & nullo modo, sicut antea nostris Apostolicis obtemperare inclinatus est mandatis, & nullum ex Rauennatibus vel Æmilia pro accipiendis præceptis de diuersis actionibus ad nos venire permisit: ita eis indignatus comminatus est, dicens: Quod si quis ex eis ad nos venire præsumpsisset, non potuisset venire. Nam Pentapolenses omnes obedientes existentes in nostro Apostolico seruitio, ad nos proni, sicut tempore prædecessoris nostri domni Stephani Papæ properauerunt, & præcepta de singulis eorum ciuitatibus more solito acceperunt. De reliquis verò ciuitatibus Æmiliæ, simúlque & Gabello, qui à nobis ibidem ordinati sunt, ab eo exinde proiecti sunt, & alios ex eis in vinculis detinet. At verò de ciuitatibus Imulensi seu Bononiensi, ita profanizat dicens: Quod vestra Excellentia ipsas ciuitates minimè beato Petro & nobis concessit, sed sibi ipse Archiepiscopus à vobis fuisse concessas ac traditas asserit, sub sua potestate permanendas. Vnde nullum hominem ex eisdem ciuitatibus ad nos venire permisit, sed ipse ibidem actores, quos voluit, sine nostra auctoritate ordinauit, & in sua eas detinet potestate. Et non tibi placeat, excellentissime fili, vt tanto despectui hanc Apostolicam habeat Sedem, non reputans de sua promissione, quam beato Petro & eius Vicariis iureiurando adhibuit, sed sicut transgressor mandatorum Dei in periurij reatus incidit. Etenim nos firmiter credimus, & magnam habemus fiduciam, quòd omnia, quæ beato Petro per vestram donationem offerenda promisistis, adimplere, pro magni Regni vestri stabilitate, & æterna vobis conferenda retributione, studeatis. B

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Dominum CAROLVM *Regem directæ per Andream & Anastasium, pro iustitia sanctæ Dei Ecclesiæ: & de Leone Archiepiscopo, qui ad iam præfatum Dominum Regem properauit.* C

LIII.

Summ. 30. apud Bar. & Cent.

DOMNO *excellentissimo filio* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* REVERTENTES ad nos Missi nostri, quos ad vestram à Deo illustratam Præcellentiam nuper visi sumus direxisse, scilicet Andreas reuerendissimus Frater noster Episcopus, & Anastasius Cubicularius, detulerunt nobis honorandos atque mellifluos benignissimæ Christianitatis vestræ apices, quorum series, dum nostris recitaretur auribus, liquidò cuncta in eis adnexa didicimus. Sed & ipsi præfati vestri Missi indeminute nobis omnia, quæ illis à vobis iniuncta sunt, detulerunt plenissimè, adserentes de vestra beneuola puritate, & magna cordis constantia, quam erga beatum Petrum principem Apostolorum, & nostram mediocritatem secundum vestram promissionem habere videmini. Pro quo nimio repleti gaudio, illico, extensis palmis ad æthera, omnium Creatori Domino Deo nostro immensas tulimus grates: impensiùs pro vestra prosperitate eius diuinam exorantes clementiam, vt confirmet idem Dominus Deus noster hoc ipsum in vestro florigero pectore, quatenus velociorem

A atque copiosum fructum sancta spiritalis mater vestra Romana nostra Ecclesia, caput omnium Ecclesiarum Dei, de vestra consequatur promissione. CAROLVS MAGNVS.

SED bone dulcissime atque praecellentissime fili, Domine mi, à Deo institute magne Rex, deprecor & obnixè peto, tanquam praesentialiter coram tuis adsistens obtutibus, cum magna fiducia, vt velociter ea, quae beato Petro pro magna animae tuae mercede, & à Deo protecti Regni vestri stabilitate beato Apostolorum principi Petro, coelorum regni clauigero, per tuam donationem offerenda spopondisti; adimplere iubeas: quatenus idem princeps Apostolorum multò amplius tibi protector & auxiliator apud diuinae Maiestatis potentiam existat. Plenissimè enim satisfactus es, praecellentissime Regum, qualis fortissimus ac validus ipse Ianitor regni coelorum beatus Petrus tuae extitit Excellentiae adiutor, & quomodo eius sacris interuentionibus omnipotens Dominus Deus noster victoriam tibi tribuit, Regnúmque Langobardorum tuae tradere iussit potestatis ditioni, & in antea magnam habeto fiduciam, quia eius suffragiis circumuallatus, tuis regalibus vestigiis ceteras barbaras Nationes omnipotens Dominus substernet: quia nos omninò satisfacti sumus, & magnam habemus fiduciam in vestri cordis constantia, celeriter vos omnia perficere, quae eidem Apostolo Apostolorúmque principi spopondistis. Optimè enim cognoscimus, qualis firmitas & integritatis stabilitas B inter nos, Deo auspice, in Apostolica aula corroborata est, & scimus cui credidimus, & certi sumus.

DE eo verò, quod innotuistis, ad vos properasse Leonem Archiepiscopum, nos quippe, vt testatur veritas, libentissimè acceptamus eos, qui ad vestra regalia accelerant vestigia: quoniam vna dilectio, vna charitas, eadémque puritatis affectio inter nos consistit. Et si praefatus Archiepiscopus nobis direxisset ad vestri se praesentiam velle proficisci, gratuito animo nostrum Missum cum eo direxissemus. Itaque praesens vester Missus aliam nobis obtulit Praecellentiae vestrae Epistolam, cuius confertam paginam discentes, valde noster laetatus est animus in vestrae mentis benigno proposito, Redemptorem nostrum multipliciter deprecantes, vt longo ac prospero senio, cum magna de hostibus victoria, coelestis regni gubernacula, pariter cum excellentissima & à Deo protecta filia nostra benignissima & verè Christianissima Regina, fidelissimáque amatrice beati Petri, dulcissima verò vestra coniuge, atque amantissimis natis, vos perfrui annuat, tribuens vobis & coelestis regni cum Sanctis perenniter possidenda gaudia. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolae eiusdem Papae ad Domnum CAROLVM *Regem directae, in qua continetur de proteruia Leonis Archiepiscopi Rauennatium ciuitatis.*

C

LIV.

DOMNO *excellentissimo filio* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* PERVENIT ad nos eo quod proteruus & nimis arrogans Leo Archiepiscopus Rauennatium ciuitatis suos ad vestram excellentissimam benignitatem, ad contrarietatem nostram, falsa suggerendo direxit Missos. Etenim, praecellentissime magne Rex, postquam vestra Excellentia à ciuitate Papia in partes Franciae remeauit, ex tunc tyrannico atque procacissimo intuitu rebellis beato Petro & nobis extitit, & in sua potestate diuersas ciuitates Aemiliae detinere videtur, scilicet Fauentiam, Forum-Populi, Forum-Liuij, Cesinas, Bobium, Comiadum, Ducatum Ferrariae, seu Imolas atque Bononias: asserens, quòd à vestra Excellentia ipsae ciuitates, vna cum vniuersa Pentapoli, illi fuissent concessae. Et continuò direxit Theophylactum Missum suum per vniuersam Pentapolim hoc ipsum denuntians, cupiens eosdem Pentapolenses à nostro seruitio separare. Sed ipsi nullo modo se illi humiliare inclinati sunt. Nec à seruitio beati Petri & nostro recedere maluerunt, magis autem firmi in nostris Apostolicis mandatis, quemadmodum extiterunt sub nostro praedecessore, domno Stephano Papa, cui sanctae recordationis genitor tuus, simúlque & praeclara Excellentia tua, ipsum Exarchatum sub iure beati Petri permanendum tradidit, in omnibus firmiter permanere noscuntur. Summ. 31. apud Bar. & Cent.

CAROLVS MAGNVS.

NAM prænominatas ciuitates, vt dictum est, Æmiliæ, ipse nefarius Archiepiscopus in sua potestate detinens, ibidem actores quos voluit constituit, & nostros quos ibidem ordinauimus proiicere visus est. Sed & cunctas actiones infra ciuitatem Rauennatium ipse ordinauit, & ecce quod nunquam sperauimus, in magnam humilitatem sancta spiritalis mater tua Romana Ecclesia venisse dinoscitur, & nos etiam in nimiam deminorationem atque despecti esse videmur, dum ea quæ potestatiuè temporibus Langobardorum detinentes ordinare ac disponere videbamur, nunc temporibus vestris à nostra potestate impij atque peruersi, qui vestri nostrique existunt æmuli, auferre conantur, & ecce improperatur nobis à plurimis nostris inimicis, exprobrantes nos & dicentes: » Quid vobis profuit, quod » Langobardorum Gens est abolita, & Regno Francorum subiugata? Et ecce iam nihil de his quæ promissa sunt adimpletum est, insuper & ea, quæ antea beato Petro concessa sunt à sanctæ recordationis domno Pippino Rege, nunc ablata esse noscuntur. Etenim illud, quod antefatus nefandissimus Archiepiscopus asserit proponens occasionem, in ea potestate sibi Exarchatum Rauennatium, quam Sergius Archiepiscopus habuit, tribui, nos, excellentissime fili, quemadmodum tempore domni Stephani Papæ, qui illuc in Franciam profectus est, cui & ipse Exarchatus traditus est, ita & nostris temporibus eum sub nostra potestate disponere atque ordinare volumus, & omnes in hoc cognoscere possunt, qualem potestatem eius Beatitudo in eandem Rauennatium vrbem & cunctum Exarchatum habuit, qui etiam Archiepiscopum Sergium exinde abstulit, dum contra eius voluntatem agere spiritu superbiæ nitebatur.

ETENIM ipse noster prædecessor cunctas actiones eiusdem Exarchatus ad peragendum distribuebat, & omnes actores ab hac Romana vrbe, præcepta earumdem actionum accipiebant. Nam & Iudices ad faciendas iustitias omnibus vim patientibus in eadem Rauennatium vrbe residentes ab hac Romana vrbe direxit, Philippum videlicet illo in tempore Presbyterum, simúlque & Eustachium quondam Ducem, & vt pleniùs de hoc satisfacere Christianissima Excellentia vestra potest, dignetur aduocare prædictum Philippum Episcopum. Eóque de huiusmodi re inquisito, certissimè veritatem agnoscere potestis, quia omnia ita sunt, quemadmodum innotuimus. Et non tibi placeat, bone & excellentissime fili, vt in tantum despectum atque humilitatis deminorationem sancta Dei Ecclesia Romana, spiritalis mater tua, quæ caput est omnium Ecclesiarum Dei, veniat, sed magis peto te coram Deo omnipotente, vt ita disponere iubeas, eundémque Archiepiscopum sub nostra potestate contradere digneris, vt à nobis cunctus Exarchatus disponatur, sicut sæpefatus domnus Stephanus beatissimus Papa temporibus sanctæ memoriæ genitoris vestri domni Pippini disponere visus est: quatenus vestris felicissimis temporibus ipsa sancta vniuersalis Dei Ecclesia exaltata permaneat, & ex hoc in præsenti vita suffragiis Apostolorum beati Petri & Pauli Regni gubernacula longo senio cum immensis victoriis possidere, etiam & in futura beatitudine cœlestia regna adipisci mereamini. Ecce enim magnopere direximus ad vestra regalia vestigia præsentem Anastasium, fidelissimum nostrum Cubicularium, cui & in ore posuimus quæ nostra vice vestræ Excellentiæ enarrare debeat, quem in omnibus vobis commendantes cuncta illi credere, & ad nos cum prospero nuntio & effectu causæ absoluere iubeatis. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

* Bar. & Cent. *Ausfridum.* In marg. Bar. *Ansfridum.*

Item exemplar Epistolæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ per* * *Gausfridum Abbatem, in qua continetur de victoria ipsius prædicti Regis, & de Episcopis Pisano & Lucano, vt ad proprias sedes atque Ecclesias pro sua pietate remeare concederet.*

L V.

Summ. 26. Bar. & Cent.

DOMNO *excellentissimo filio* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* REVERSVS à vestris à Deo dilectis regalibus vestigiis præsens Gausfridus habitator ciuitatis Pisanæ, nostrísque præsentatus obtutibus, retulit nobis de immensis victoriis, quas vobis

A omnipotens & Redemptor noster Dominus Deus per intercessiones beati Petri principis Apostolorum concedere dignatus est, sed & de vestra prosperitate nos certos in omnibus reddidit. Quo audito, vehementi exultationis lætitia noster in Domino exsultans releuatus est animus, & protinus, extensis palmis ad æthera, Regi Regum & Domino dominantium opimas laudes retulimus, enixiùs deprecantes ineffabilem eius diuinam clementiam, vt & corporis sospitatem, & animæ salutem vobis tribuat, & multipliciter de hostibus victorias tribuat, omnésque barbaras Nationes vestris substernat vestigiis.

CAROLVS MAGNVS

Et certè, crede nobis magne Christianissime Rex, bono præcellentissime fili, maximam habeto fiduciam, quia dum tu fideli studio in amore ipsius principis Apostolorum, secundum tuam promissionem, permanseris, & cuncta eidem Dei Apostolo adimplere studueris, & salus tibi & immensa victoria ab omnipotenti Deo tribuetur indesinenter. Et quidem nos Deum proferimus testem, cui omnium cordium occulta reserata existunt, ab illo tempore, die, quo ab hac Romana vrbe in illas partes profecti estis, cotidie momentaneis etiam atque singulis horis, omnes nostri Sacerdotes, seu etiam religiosi Dei famuli Monachi, per vniuersa nostra Monasteria, simúlque & reliquus populus tam per titulos, quàm per Diaconos trecentos, *Kyrie eleison*, extensis vocibus pro vobis Deo nostro ad clamandum non cessant, flexisque genibus eundem misericordissimum Dominum Deum nostrum exorantes, vt & veniam delictorum vobis, & maximam prosperitatis lætitiam, etiam & copiosas victorias vobis multipliciter è cœlo concedat.

B

Ipse retulit nobis siquidem Gausfridus, dum à vobis absolutus reuersus est, voluit eum interficere * Allo Dux. Vnde dum vellet ipse Gausfredus ad vestra denuò reuerti vestigia, posuit exploratores atque insidiatores in itinere, qui eum interficerent. Quo cognito, apud nos refugium fecit, & dum se petisset ad vestra absolui vestigia, dum iam adesset, tum habuimus Anastasium nostrum Missum ad vestram Excellentiam dirigendum, cum ad vestram præsentiam cum ipso nostro Misso absoluimus. Quem petimus, vt pro amore beati Petri & nostra postulatione benignè suscipere, & protectionis atque fauoris vestri opem illi impertiri dignemini, deprecantes & hoc, vt * massas illas, quas ei concessistis, per vestram auctoritatis largitatem possideat. Sed & hoc nimis quæsumus atque postulamus benignitatem tuam, vt Episcopos illos, id est, ciuitatis Pisanæ seu Lucanæ Regij, ad proprias sedes atque Ecclesias, & plebes eis commissas absoluere iubeatis reuerti: quia ita, bone Rex, excellentissime fili, animæ tuæ expedit, vt ipsi Episcopi propriis sedibus restituantur, omnésque Dei Ecclesiæ suis Præsulibus ornatæ consistant, & cunctus Dei populus in magna lætitia vestris felicissimis temporibus degere valeat, vobísque hoc respiciat ad æternam mercedem. Nos itaque firmi in vestra charitate permanentes, ideo ea, quæ pertinere cognoscimus ad salutem animæ tuæ fiducialiter vos satagimus deprecari, vt Deus noster omnipotens vestris semper placatus existat piis operibus, & copiosam vobis ex hoc in præsenti & futura vita tribuat remunerationem. Incolumem Excellẽtiam vestrã gratia superna custodiat.

C

* Allonis fit etiam mentio infra Epist. 65.

* f. mansos illos.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continetur de fide vel constantia ipsius Apostolici erga prædictum Regem.*

LVI.

DOMNO *excellentissimo filio* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa*. RECORDARI vos credimus, excellentissime & à Deo protecte fili, & magne Rex, quomodo disposuistis vestros prudentissimos ac fidelissimos Missos, vt cum nostris pariter Missis pergerent ad suscipiendum in integro patrimonium nostrum Rauennense, quod pro vestræ animæ mercede, & venia delictorum, beato Petro protectori vestro concedi iussistis. Dum verò nostri vestrique illuc pergerent Missi, inuenti sunt ibidem fidelissimi atque seniores testes annorum plus minus centum, qui testificantes super altare, intus Ecclesiam sanctæ Dei Genitricis Mariæ, in loco quidem Forobono, coram sanctis Euangeliis, in præsentia fidelissimorum ac nobilissimorum vestrorum Missorum, scilicet Itherij & * Magnarij tantummodo vestri Missi, absque

Summ. 25. Bar. & Cent.

* Monegarij Cent. Machinarij.

CAROLVS MAGNVS.

præsentia nostrorum Missorum, adfirmantes dixerunt (quod & ipsi vestri Missi vobis suppliciter, sicut testes illi iurati patefecerunt, referre possunt) quomodo antiquitus ipse beatus Petrus, sanctaque nostra Romana Ecclesia idem detinuit patrimonium, & minimè ipsum suscepimus in integro patrimonium, vel nostris Missis contraditum est, sicut isti testes adfirmantes, coram sanctis Christi Euangeliis testificantes dixerunt. A

SED petimus te, excellentissime fili, & magne Rex, atque spiritalis compater, vt vestram adprehendere debeant dexteram, & iurantes dicant ipsi vestri nobilissimi, quid de eodem patrimonio Sauinensi beati Petri præuiderunt atque cognouerunt. Testem enim inuoco Deum, quia nullorum fines irrationabiliter appeto, sed, sicut ex antiquitus fuit, ipsum iam fatum patrimonium, & id in integro beato Petro Apostolo concessistis, ita suscipere optamus, * quatenus petimus vestram præcelsam regalem potentiam, vt pro amore eiusdem Dei Apostoli, atque nostro, ipsos iam fatos fidelissimos Missos vestros, aut vnum ex illis, cum alia persona, quæ vobis placuerit, dirigere iubeatis, vt ipsum patrimonium Sauinense, sicut cœpistis, in integro, iustitia annuente, nobis contradatur. Quapropter vsque in finem perseuerare debeat vestra regalis potentia, sicut idem patrimonium in integro eidem Dei Apostolo, pro vestræ animæ mercede, concessistis atque tradidistis: vt hic, & in futuro, à Domino Deo nostro, & ab ipso Clauigero regni cœlorum, retributionem boni operis suscipere mereamini, vna cum excellentissima filia nostra, domna Regina, nostráque spiritali commatre, & vestra nobilissima prole, atque memoriale vestrum in Ecclesia eiusdem Dei Apostoli opinatissimè in æternum permaneat. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. B

* *Videtur redundare, aut aliquid deest, cum quo cohæreat.*

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continetur de Mauricio Episcopo, quod Histrienses ei oculos eruissent.*

LVII.

DOMNO *excellentissimo filio* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa*. CREDIMVS, quod iam ad vestræ à Deo protectæ Excellentiæ aures peruenit de Episcopo Mauricio Histriensi, qualiter, dum eum fidelem beati Petri & nostrum cognouissent nefandissimi Græci, qui in prædicto ibidem territorio residebant Histriensi, & dum per vestram Excellentiam dispositus fuit prænominatus Mauricius Episcopus, vt pensiones beati Petri, quæ in superiùs nominato territorio iacebant, exigeret, & eas nobis dirigere deberet, zelo ducti tam prædicti Græci, quamque ipsi Histrienses, eius oculos eruerint, proponentes ei, vt quasi ipsum territorium Histriense vestræ sublimi Excellentiæ tradere debuisset.

PROPTEREA petimus à Deo protectam Excellentiam vestram, amantissime fili, & magne Rex, vt iubeas dirigere Marcario Duci præcipiendum, vt iam fatum Mauricium Episcopum, qui in visione vestræ Excellentiæ præsentatus est, vt eum in suo Episcopio reuerti faciatis pro vestræ animæ mercede, eo quòd ipse iam dictus Episcopus ad nos properauit, & nos eum iterum direximus ad Marcarium Ducem Foroiuliensem, vt qualiter à vobis fuerit dispositus, ita peragere debeat. Et hoc petimus Excellentiam vestram, vt per vestrum congruum dispositum ipsa adprehendatur, pro vt salus populi, qui ibidem commoratur, proueniat. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. C

* Rabigando.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ, & de Possessore & * Rabigando, ipsum Apostolicum despicientes Spoleto ad Hildebrandum Ducem perrexerant, & inde Beneuento peruenerant.*

LVIII.

Summ. 24. Bar. & Cent.

DOMNO *excellentissimo filio* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa*. OMNINO confidimus & certi

A sumus, quòd tua à Domino protecta Excellentia in his, quæ pariter loquentes inter nos conuenerunt, firmiter atque immutabiliter permanere studeat, & charitatis vinculum in medio nostrum corroboratum, toto mentis adnisu, atque sincero affectu, obseruare procuret, dum nos, Deo propitio, in ea ipsa habita in inuicem dilectionis concordia cum magna sinceritate mentis satagimus perseuerare, quia Deo teste dicimus, à quo cum vestra melliflua Christianitate in alterno amicitiæ amore colligati sumus, maximam in tua à Deo inspirata benignitate habere videmur fiduciam, quod omnes causas sanctæ Dei Ecclesiæ, & Prouinciæ nostræ, salubri mancipentur effectui.

At verò, excellentissime & à Deo seruate fili, bone & optime Rex, tuæ per huius nostræ Apostolicæ relationis seriem deducimus notioni, quod dum ad nos peruenisset de fidelissimorum vestrorum Missorum aduentu, scilicet Possessoris, sanctissimi fratris nostri Episcopi, seu & Rabigaudi religiosi Abbatis, in magno gaudio noster releuatus est animus, quoniam desiderabilissimum est, adsiduè Missos Excellentiæ vestræ solitè cum magno gaudio & decenti honore suscipere, & per eos de vestræ sublimitatis sospitate certos esse. Vnde nos ilico secundum quod Missos vestræ regalis potentiæ decet, omnem præparationem seu & caballos obuiam eis direximus. Illi nempe, dum Perusium coniunxissent, relaxantes recto B itinere ad nos coniungendum, secundum quod à vestro à Deo protecto culmine directi fuerunt, & vt vestros honorandos apices relegentes inuenimus, nos despicientes, ad Hildebrandum in * Spoletium perrexerunt, dirigentes nobis per nostros Missos, quòd tantummodo cum Hildibrando loquimur, & deinde vt directi sumus, vna vobiscum apud Domnum Apostolicum coniungemus. Postmodum enim, dum cum prædicto Hildebrando locuti fuissent, & apud eum diutius morarentur, nostras Apostolicas eis adiurantes direximus Syllabas, per Deum omnipotentem, & vitam excellentissimi filij nostri Domini Caroli Magni Regis, vt directi estis, ad nos coniungere satagite, vt vnanimiter pertractemus, quod ad exaltationem sanctæ Dei Ecclesiæ pertinuerit, & ad laudem Regni vestri præcellentissimi filij, agere studeamus, & tunc per dispositum, vt eius Præcellentiæ decet Missos, apud Beneuentum vos proficisci disponemus.

* Spoletii.

Sed illi, nescimus, quid pertractantes, statim à Spoleto in Beneuentum perrexerunt, nos in magna derelinquentes ignominia, & Spoletinos ampliauerunt in proteruia. Vnde valde hanc nostram perturbauerunt prouinciam, & pro hac re in magna tristitia noster iacet animus, quia quantum per illos exspectabamus suscipere sperata nuncia de exaltatione sanctæ nostræ Ecclesiæ, sicut & in vestris reperimus honorandis apicibus, & nostri nobis tulerunt Missi, qualiter à vestra regalitate iniunctum habuerunt, in tanta afflictione & deminoratione conati sunt.

Sed recordari te credimus, dulcissime atque amantissime fili, qualiter nos be-C nignissimo vestro ore affati estis, dum ad limina beatorum principum Apostolorum Petri & Pauli properati estis, quia non aurum, neque gemmas, aut argentum, vel literas, & homines conquirentes, tantum fastidium cum vniuerso à Deo protecto vestro Francorum exercitu sustinuissetis, nisi pro iustitiis B. Petri exigendis, & exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ perficienda, & nostram securitatem ampliare certantes, sed tanquam præsentaliter coram vestris mellifluis regalibus obtutibus assistentes, obsecrantes petimus vestram à Deo fundatam regalem potentiam, vt de tanta & tali tribulatione, in qua nos ipsi vestri dereliquerunt Missi, velociter per fidelissimos & benignissimos vestros Missos, nos consolari & lætificari iubeatis, quia & ipsum Spoletinum Ducatum vos præsentialiter obtulistis protectori vestro beato Petro, principi Apostolorum, per nostram mediocritatem, pro animæ vestræ mercede, & ita obnixè quæsumus, præcellentissime fili, vt nostram deprecationem de prædicta afflictione & prænominato Spoletino Ducatu celeriùs effectui mancipetis, quatenus dignam à misericordissimo Deo nostro, intercedente beato Petro Apostolorum principe, pro cuius amore & reuerentia aurem nostris petitionibus accommodare inspiratus fueris, suscipias mercedem, quia, Deo teste dicimus, nil nisi vestram cupimus exaltationem & lætitiam, dum, annuente Deo, magna inter nos atque insolubilis charitatis concordia corroborata est, permanentes in his, quæ mutuo inter nos asserentes confirmauimus. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

CAROLVS MAGNVS.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum CAROLVM *Regem directa, in qua continetur, quod Hiltibrandus &* * *Aragis, atque Rodgaus, nec non &* * *Regimbaldus Duces consilium inierant, qualiter se in vnum conglobarent cum Græcis & Adalgiso terra marique ad dimicandum contra Romam & Italiam, & sub nimiis adiurationibus postulans adiutorium contra eos.* A

* Bar. & Cent. *Arogis.*
* *Reginaldus. Reginaldus.*

LIX.

Summ. 22. Bar. & Cent.

DOMNO *excellentissimo filio* CAROLO *Regi Francorum, & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa*. REMINISCI considerantus à Deo protectam Excellentiam vestram, quòd sæpiùs vobis innotuimus de Hiltibrando Spoletino Duce, seu Arigiso Beneuentano Duce, atque Rodgauso Foroiuliano, de sæuissimo consilio, quod erga nos atque vos gerere non differunt. Nunc verò dum fidelissimi vestri Missi, reuera sanctissimus frater noster Possessor Episcopus, atque * Rabigaudus religiosus Abbas, à Beneuento repedantes, per prædictum Hildibrandum ad nos properant, nimis nos obsecrantes, propter nominati Hiltibrandi noxam, vt ei veniam tribueremus: adserentes, vt apud eum nostrum indiculum & obsides pro sua dubitatione,* & Hildibrandus nostris se præsentaret obtutibus. Nos quippe secundum fidelissimorum Missorum vestrorum dictum, illuc vsque Spoletum direximus Stephanum nostrum fidelissimum dudum Sacellarium, qui cùm eum affatus fuisset, & tunc nostros ibidem destinassemus obsides, ipse nempe noster Missus, cùm apud eum coniunxisset, in magna eum inuenit proteruia, eò quòd Missos Arigisi Beneuentani Ducis, seu & Rodgausi Foroiuliani, necnon & Regnibaldi Clusinæ ciuitatis Ducum, in Spoletio cum præfato reperit Hiltibrando, adhibentes aduersus nos perniciosum consilium, qualiter, Deo eis contrario, proximo Martio mense adueniente, vtrosque se in vnum conglobarent, cum caterua Græcorum, & Athalgiso Desiderij filio, & terra marique ad dimicandum super nos irruant, cupientes hanc nostram Romanam inuadere ciuitatem, & cunctas Dei Ecclesias denudare, atque ciborium fautoris vestri, beati Petri, auferre, vel nosmetipsos, quod auertat Diuinitas, captiuos deducere, nec non Langobardorum Regem integrare, & vestræ regali potentiæ resistere. B

* Rabigandus.

* mitteremus, *vel aliquid simile deesse videtur.*

OB hoc, præcellentissime Rex, & dulcissime fili, peto te & tanquam præsentaliter adsistens cum diuinis mysteriis, coniuro coram Deo viuo & vero, & eius principe Apostolorum beato Petro, vt sub nimia festinatione, & maxima celeritate nobis subuenias ne pereamus, quoniam post Deum in tuis manibus nostras omnium Romanorum commisimus animas, ne nos derelinquas aut differas * solatiandum, vt dicant Gentes, quæ in cuncto orbe terrarum sunt, Vbi est fiducia Romanorum, quam post Deum, in Regem & Regnum Francorum habebant? Et tu de omnibus, à Deo protecte dilectissime fili, ante tribunal Dei eris redditurus rationem, quoniam, vt præfati sumus, tuæ dulcissimæ Sublimitati, per Dei præceptionem, & beati Petri, sanctam Dei Ecclesiam, & nostrum Romanorum Reipublicæ populum commisimus protegendum: & ita ad limina protectoris tui beati Petri Apostolorum principis properare satagite, vt cunctos aduersarios sanctæ Dei Ecclesiæ, atque nostros seu vestros, regalis vestri culminis substernantur vestigiis, & ea quæ eidem Dei Apostolo vestris propriis pro animæ vestræ mercede obtulistis manibus, ad effectum perducatis, vt fructum bonum offerens in futuri examinis die » merearis dicere: Domine meus, princeps Apostolorum, beate Petre, cursum con- » summaui, fidem tibi seruans Ecclesiam Dei à superna clementia tibi commenda- » tam de manibus persequentium defendens liberaui, & adsistens immaculatus co- » ram te, offero tibi pueros, quos mihi commisisti de manibus inimicorum eruen- » dos, sospites atque incolumes existentes. Tunc & qui in præsenti vita Regni gubernacula tenes, etiam & in futuro seculo cum Christo regnans cœlestia præmiorum gaudia adipisci merearis, audiens nimirum paternam desiderabilem vocem illam inquientis: *Venite benedicti patris mei, percipite Regnum quod vobis præparatum est ab origine mundi.* Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. C

* solatium, ne.

A *Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum Regem directæ, in qua continetur de transitu Constantini Imperatoris, & de Raginaldo Duce Clusinæ, præfatus Papa postulans, vt ipsum * actum Domnus Rex ei habere non permitteret, eo quòd multa mala in castello Felicitatis indesinenter agere non desistebat.* CAROLVS MAGNVS. * Ducatum.

L X.

DOMNO *excellentissimo filio* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* EXCELLENTISSIMÆ & à Deo protectæ Christianitati vestræ his nostris Apostolicis innotescimus apicibus, peruenisse ad nos, nuntiis præcurrentibus, quòd Constantinus Imperator, diuina euocatione, de hac subtractus esset luce. Sed quia certum non didiceramus, hac de re vestræ à Deo protectæ Excellentiæ indicare distulimus. Nunc verò suggessit nobis sanctissimus ac reuerendissimus Frater noster Stephanus, Neapolitanæ vrbis Episcopus, per has Syllabas ea ipsa nobis intimare, quas & septima die præsentis Februarij mensis suscipientes, easque peragrantes, confestim vestro regali culmini significare maturauimus, & pro magna Sublimitatis vestræ satisfactione eosdem affatus infra hæc nostra scripta vobis directa posuimus. *Summ. 21. Bar. & Cent.*

B INTEREA & hoc vestræ Præcellentiæ, dulcissime & amantissime fili, dirigimus de perfido illo & seminatore zizaniorum atque instigatore humani generis æmulo Raginaldo, dudum in castello Felicitatis Castaldio, qui nunc in Clusina ciuitate Dux esse videtur, eo quòd plurima mala per suas iniquas summissiones spiritali matri vestræ, sanctæ Dei Ecclesiæ, & nobis ingerere non desinit, dum omnino ea, quæ beato Petro principi Apostolorum à vestra Excellentia pro animæ vestræ mercede oblata sunt, per suum iniquum argumentum abstollere anhelat, & in suo proprio seruitio ea habere desiderat. Vnde & per semetipsum cum exercitu in eandem ciuitatem nostram castelli Felicitatis properans, eosdem Castellanos abstulit, & nequaquam credimus, benignissime fili, & Christianissime Rex, quòd pro prædicti Raginaldi Ducis exaltatione mutationem fecisset vestra à Deo corroborata regalitas, vna cum excellentissima filia nostra Regina, atque dulcissimis natis vestris, vel cuncto à Deo instituto Francorum exercitu, nisi pro sustentatione amatricis vestræ, sanctæ Dei Ecclesiæ, vt in vestro benigno certamine perenniter permanens eniteret.

IDCIRCO poscimus, & nimis supplicando insistimus, vestram à Deo illustratam potentiam, vt ob amorem beati Petri Apostoli nullo modo prænominatum Raginaldum ibidem in Tusciæ partibus esse permittatis. Sed neque illum ei agere * cedatis, & non vobis hoc durum pareat, pro dilectione, qua in inuicem compaginati sumus, fiducialiter hoc petere deducimus, & obtinere speramus: eo C quòd & sub Desiderij temporibus iurgia & scandala frequenter seminare non omittebat. Sed, excellentissime fili, vt nos, post Deum, in tuo fortissimo brachio vna cum vniuerso nostro populo speramus, & die noctúque pro vestra sospitate atque victoriis diuinam exoramus clementiam, ita cum omnibus causis sanctæ Dei Ecclesiæ disponere acceleretis, vt sancta Dei Ecclesia & nosmetipsi tuis felicissimis temporibus permaneamus, vt sicut temporalia largitus est, ita & cœlestia tribuat possidenda. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. * cōcedatis.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continetur de camerado vel trabibus seu lignamine, quod necesse erat ad ipsam Ecclesiam sancti Petri faciendum, & de corpore sancto quod * Fulgatus petiit.* * Fulradus.

L X I.

DOMNO *excellentissimo filio* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* DIRECTVS à vestigio regalis Excellentiæ vestræ * Ado, Deo amabilis Diaconus, noster vesterque fidelis, mul- *Summ. 18. Bar. & Cent.* * Oddo.

CAROLVS MAGNVS. ta nobis consueta, quæ erga nos & beatum Petrum Apostolorum principem geritis, retulit, quatenus omnipotenti Deo & eiusdem Apostolo gratias egimus, indesinenter orantes pro vestra sospitate atque ampla victoria. Porrò dilectissime atque excellentissime fili, sicut direxistis nobis nostram petitionem adimpleri pro trabibus ad restaurationem sanctæ Ecclesiæ, poscimus vestram à Deo promotam Excellentiam, vt Kalendis Augusti, hîc ad limina beati Petri fautoris vestri, si fieri potest, paratæ inueniantur, vt exinde sempiterna memoria vestra & hîc & in futuro permaneat. De *camarado* autem, quod est *hypochartosa*, ad renouandum in Basilica beati Petri Apostoli, nutritoris vestri, prius nobis vnum dirigite Magistrum, qui considerare debeat ipsum lignamen, quod ibidem necesse fuerit, vt sicut antiquitus fuit, ita valeat renouari. Et tunc per vestræ regalis Præcellentiæ iussinem dirigatur ipse Magister in partibus Spoleti, & * demandationem ibidem de ipso faciat lignamine, quod in prædicto *hypochartosin*, hoc est, *camarado*, necesse fuerit, quia in nostris finibus tale lignamen minimè reperitur. Et pro hoc sanctissimus frater noster VVulcharius Archiepiscopus, nunc minimè fatigetur venire, dum ipsum lignamen per semetipsum siccetur, quia dum viride est non audemus exinde opera qualiacumque facere.

* *f.* le mandatione.

PRÆFATVS autem * Addo Deo amabilis Diaconus, olim dum cum fratre nostro Fulrado, Deo amabili, religioso Abbate & Presbytero, huc venisset, petiit nos, vt ei corpus sanctum tribueremus. Sed nos, sicut iamdudum vobis diximus, per reuelationem territi, nullo modo audemus ex ipsis sanctorum corporibus amplius quid exagitare. Sed si vestra voluntas fuerit in corpore beati Candidi Martyris, quod apud VVulcharium fratrem nostrum Archiepiscopum reiacet, si mutatum non est, sed ipsum est, quod sanctæ recordationis prædecessor noster domnus Paulus Papa concesserat dudum Aciulfo Presbytero, vna vobiscum ipsum illi concedimus sanctum corpus, quia per concilium & fide dignas personas testimonium reddentes, eius locum atque Ecclesiam reperimus, vnde à iam fato domno Paulo Papa ipsum sanctum corpus apud iam dictum Aciulfum Presbyterum concessum est.

* Oddo.

DE partibus autem Neapolitanis, sicut cum nefandissimis Græcis seu Beneuentanis * conciliant, qualiter vobis insinuantes per nostras Apostolicas Syllabas diximus, omnia minutiùs in ore posuimus fidelissimi vestri Missi, scilicet Addoni Diacono, quod vobis enucleatiùs simúlque per ordinem enarrare debeat: vt sicut semper, & nunc per vestram à Deo confirmatam regalem potentiam sancta Ecclesia exaltata triumphet in ampliato honore, vna cum spiritale filia nostra Regina, seu præcellentissima vestra prole, à terreno Regno fulgentes in perpetuum cum Sanctis omnibus regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

* consiliãt.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, pro exaltatione sanctæ Ecclesiæ, & de orationibus ipsius Apostolici.*

LXII.

Summ. 19. Bar. ibid.

DOMNO *excellentissimo filio* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* MELLIFLVÆ, & à Deo protectæ tuæ Excellentiæ, benignissime fili, honorabiles suscepimus Syllabas, quibus & cum nimio amore liquido informati sumus. Sed omnipotens, clemens & misericors Deus, in cuius manu cor Excellentiæ tuæ, bone & Deo imitabilis fili, regitur, corroboret cor & mentem tuam, & brachium suæ potentiæ tibi extendat. Nos quidem die noctúque nunquam desistimus, cum Sacerdotibus, cunctóque Christiano populo, in Confessione beati Petri principis Apostolorum suppliciter exorare, vt vna cum excellentissima filia nostra Regina, & præcellentissima vestra nobilissima prole, victorem te super omnes barbaras Nationes faciat, quatenus omnes sub tuo brachio humiliati vestigia pedum tuorum prorsus osculentur, & Ecclesia Dei à vestra à Deo instituta regali potentia * nimirum exaltetur. Nunquam enim, credimus, quod semel pollicitus es super venerabile corpus beati Petri Clauigeri regni cœlorum, vt qualibet falsa potestas seu principatus poterit tuam firmissimam

* *f.* nimiû.

A ſimam Excellentiam ſegregare à charitate & amore, quem à cunabulis tuis beato Petro principi Apoſtolorum habuiſti, ſed in ea fide & dilectione, ſimúlque & promiſſione te confidimus permanere, in qua & nos firmi & ſtabiles, quod facie ad faciem polliciti ſumus, Domino præſidiante, & beato Petro principe Apoſtolorum mediante, vſque in finem manemus. Vndè omnipotens pius & miſericors Deus, longo ac proſpero ſenio, vna cum præcellentiſſima filia noſtra Regina, & nobiliſſima ſobole regni gubernacula faciat perfrui, & vitam æternan vobis tribuat poſſidendam. Incolumem Excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat. CAROLVS MAGNVS.

Item exemplar Epiſtolæ eiuſdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directa, in qua prædictus Papæ poſtulans, vt Domnus Rex reuertens à Saxonia ad limina ſancti Petri properaret, quemadmodum ei pollicitus fuerat.*

LXIII.

DOMNO *excellentiſſimo filio* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* DVM tanta ſecuritatis lætitia *Summ. 18. Bar. & Cent.*
B ſpiritalis mater veſtra, ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Romana Eccleſia, dilatata laudabiliter permanet, etiam in Apoſtolica aula, ob veſtrorum delictorum veniam, ſedulo à nobis, & cunctis Dei Sacerdotibus, orationum vota & ſacrificiorum hoſtiæ diuinæ * proferuntur Maieſtati. Itaque, præcellentiſſime fili, coniungentes ad nos fideliſſimi veſtri Miſſi, ſcilicet Poſſeſſor ſanctiſſimus frater noſter Epiſcopus, & Rabigaudus religioſus Abbas, detulerunt nobis deſideratiſſimas veſtræ ſublimitatis Syllabas, quas & cum nimia amoris dulcedine acceptantes, ſuſcepimus, relegentéſque, & de veſtra immenſa proſperitate agnoſcentes, magnas omnipotenti Deo noſtro tulimus laudes, qui nobis tam benigniſſimum ac Chriſtianiſſimum Regem ſuæ Eccleſiæ detulit defenſorem. Continebatur quippe in ipſis veſtris regalibus apicibus, quòd Domino protegente remeantes vos à Saxonia, mox & de præſenti, Italiam vel ad limina protectoris veſtri beati Apoſtolorum principis Petri, ad implenda, quæ ei polliciti eſtis, properare deſideratis. De quo audito nimis noſter lætatus eſt animus, vna cum vniuerſo noſtro populo, eo quòd nimis deſiderabiles ſumus prominentiſſimum veſtrum conſpicere vultum. * offerantur.

QVONIAM ſatisfaciat tibi veritas, dulciſſime & amantiſſime fili, atque à Deo inſtitute magne Rex, in eadem ſponſione, qua in inuicem ante ſacram eiuſdem Dei Apoſtoli Confeſſionem adnexi ſumus, firmi atque incommutabiles, diebus vitæ noſtræ, cum vniuerſo noſtro populo permanere ſatagimus. Vnde
C & charitas veſtri regalis culminis nos prouocat ſedulo de veſtra ſoſpitate addiſcere, & cognoſcat veſtra conſpicua Excellentia, quia ſi mora de veſtro aduentu prouenerit, magna nobis imminet voluntas, ibidem in veſtrum aduentum, vbicumque vos valuerimus coniungere, obuiam proficiſci.

INTEREA notioni veſtræ Excellentiæ deducimus de prædictis veſtris fideliſſimis Miſſis, quia ſicut ad nos peruenerant, & veſtræ regali Potentiæ per noſtros apices intimandum direximus, dum nobis præſentati fuiſſent ipſi Miſſi veſtri, fideles in ſeruitio fautoris veſtri beati Petri Apoſtolorum principis, & noſtro atque veſtro reperimus. Pro quo petimus, vt benignè eos ſuſcipere iubeatis.

HIS prælibatis, diuinam exoramus clementiam, vt ſua vos gratia multipliciter tueatur, tribuens vobis atque excellentiſſimæ filiæ noſtræ Reginæ, & amantiſſimis veſtris natis, longæua ac proſpera tempora, Regni gubernacula poſſidenda, veſtriſque veſtigiis cunctas barbaras Nationes proſternat, dilatans multipliciter terminos Regni veſtri, etiam & cœleſtis regni gaudiis vos faciat eſſe per infinita ſecula participes. Incolumem Excellentiam veſtram, domne fili, ſuperna gratia cuſtodiat.

CAROLVS MAGNVS.

A

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continetur, quòd Neapolitani cum Græcis ciuitatem Terracinensem inuasissent.*

LXIV.

Summ. 17. Bar. & Cent. Principium corruptum est.

DOMNO *excellentissimo filio* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* NVLLVM plus credimus victoriosissimæ regalis Excellentiæ vestræ vti præsidium, quàm quod erga beatum Petrum Apostolorum principem, & pro eius sanctæ Ecclesiæ exaltatione, sicut cœpistis, vsque in finem decertari, quatenus salutantes triumphatorissimæ erga vos beniuolentiæ vestræ per hos nostros affatus enucleatiùs vobis de partibus istis insinuamus, qualiter nefandissimi Neapolitani, & Deo odibiles Græci, præbente malignum consilium Arighis Duce Beneuentano, subitò venientes, Terracinensem ciuitatem, quam seruitio beati Petri Apostolorum principis, & vestro atque nostro antea subiugauimus, nunc autem in valido consilio, iterum ipsi iam fati nefandissimi Neapolitani cum peruersis Græcis inuasi sunt. Nos quidem sine vestro consilio nullatenus ibidem dirigere voluimus. Sed poscimus vestram à Deo promotam regalem Excellentiam, vt sicut solita est, pro amore beati Petri, clauigeri regni cœlorum, disponere debeat, & celeriter nobis VVulfrinum dirigere, vt hic apud nos Kalendis Augusti paratus esse festinet, atque talem eidem mandationem facere iubeatis, vt cum omnibus Tuscanis seu Spoletanis, atque cum ipsis nefandissimis Beneuentanis in seruitio vestro paritérque nostro ad recolligendam ipsam ciuitatem Terracinensem adueniant, simúlque Domino annuente ad expugnandum Caietam seu Neapolim, nostrum recolligentes patrimonium, quod ibidem in territorio Neapolitano ponitur, occurrant, vt eos in omnibus subiugantes, sub vestra atque nostra sint ditione. B

** ipsis fallacibus Neapolitanis.*

PLACITVM quidem cum * ipsi fallaces Neapolitani per Missum eorum nomine Petrum in festum sanctum Paschæ habuimus, patrimonium nos beati Petri Apostoli, quod ibidem in Neapoli ponitur, exquirentes, & in vestro seruitio eos subiugare desiderantes: vt quindecim obsides ex nobilissimis eorum filiis nobis dantes, ipsam ciuitatem Terracinensem illi colligerent, sub ea videlicet ratione, vt issent ad Patricium eorum in Sicilia, & si nostrum patrimonium reddere voluissent, ipsam ciuitatem & obsides reciperent. Sed nos sine vestro consilio neque obsides, neque ipsam ciuitatem reddere habuimus, eo quòd pro vestro seruitio ipsos obsides apprehendere cupiebamus: quia eorum malignum consilium aliud non est, nisi vna cum infidelissimo * Arighi Duce Beneuentano tractantes, & quotidie Missos nefandissimi Patricij Siciliæ ipso Arighi suscipiente, impedimentum iam fatus Arighis solus fecit, vt minimè nos obsides à iam dictis Neapolitanis reciperemus: quia quotidie ad istam perditionem filium nefandissimi Desiderij dudum nec dicendi Regis Langobardorum expectat, vt vna cum ipso pro vobis nos expugnent. Sed hoc petimus vestram à Deo promotam Excellentiam, vt nulla qualisuis persona vobis pro hoc impedere valeat, pro amore beati Petri & nostro: quia nullo modo potest eos sinere vt vobiscum pariter ab illis derideamur, quia nostra virtus atque gloria vna cum beato Petro Apostolorum principe vos estis. Nos quidem pro nihilo deputamus ipsam ciuitatem Terracinensem, sed vt non per illum vitium incurrat, vt infideles Beneuentani sicut desiderant locum inuenientes, à vestra subtrahantur fide. Idcirco ista vobis insinuantes dirigimus, vt per vestrum adminiculum, sicut fati sumus, Ecclesiâ protectoris vestri beati Petri Apostoli exaltatâ, laus vestra atque victoria in vniuerso mundo sonetur, & in perpetuum vna cum excellentissima filia nostra Regina, atque præcellentissimis vestris suboles, cum Sanctis omnibus regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

** Arichi.*

C

A *Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum* CAROLVM *Regem directa, in qua continetur de venundatione mancipiorum Genti Paganæ Saracenorum facta, & prædictus Papa excusans, Romanos nunquam tale scelus perpetrasse, sed à Langobardis & Græcis eos traditos esse dicit.* CAROLVS MAGNVS.

L X V.

DOMNO *excellentissimo filio* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* INSIGNIS præconij vestræ à Deo fundatæ regalis potentiæ Syllabas suscepimus, & Deo omnipotenti gratias egimus, qui nos certos reddidit de sospitate à Deo protecti Regni vestri, simul & de spiritali filia nostra Regina, dulcissima vestra coniuge, & prole, * & pro cunctis Episcopis, diuersis Sacerdotibus, Senatu, & vniuerso à Deo conseruato populo Francorum. Cognitor enim & scrutator cordium, & renum, Deus noster, quia & sincerè, sine qualibet occasione, in vestra melliflua regalis potentiæ permanemus charitate, & deprecamur Dei omnipotentis clementiam cum nostris Episcopis, Sacerdotibus, Clero, atque Senatu, & vniuerso nostro populo, vt vobis indesinenter victorias tribuat, & vestrum dilatet Regnum ad exaltationem spiritalis matris vestræ, sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ, & salutem populi nobis à Deo commissi: quia vestra exaltatio nostra est lætitia, & semper desideramus & cupimus quæ bona sunt atque prospera, de vestro à Deo protecto Regno, & omnium Francorum, salutaria addiscere, quia nos post Deum, in alio fiduciam non habemus, nisi in vestro fortissimo brachio. Et sicut prædecessor noster, domnus Stephanus Papa, bonam habuit fiduciam in genitore vestro sanctæ recordationis Domno Pippino Rege, ita & nos multò amplius in vestro fortissimo Regno confidimus, & certi permanemus. Summ. 16. Bar. & Cent. * Videtur aliquid deesse pertinens ad preces fusas pro Carolo, & vniuersis Regni statibus. B

REPERIMVS etiam in ipsis vestris mellifluis apicibus de venalitate mancipiorum, quasi per nostros Romanos venundati fuissent Genti nefandæ Saracenorum. Sed nunquam, quod absit, in tale declinauimus scelus, aut per nostram voluntatem factum fuit, sed in litoraria Langobardorum semper nauigauerunt, nec dicendi Græci, & exinde emebant ipsam familiam, & amicitiam cum ipsis Langobardis fecerunt, & per eosdem Langobardos ipsa suscipiebant mancipia. In quibus & direximus exinde Alloni Duci, vt præpararet plura nauigia, & comprehenderet iam dictos Græcos, & naues eorum incendio concremaret. Sed noluit nostris obtemperare mandatis, quia nos nec nauigia habemus, nec nautas, qui eos comprehendere potuissent. Tamen in quantum valuimus, Domino proferimus teste, quia magnum exinde habuimus certamen, cupientes hoc ipsum scelus vetare, qui & naues Græcorum gentis in portu ciuitatis nostræ Centumcellensium comburi fecimus, & ipsos Græcos in carcere per multa tempora detinuimus. Sed à Langobardis, vt præfati sumus, multa familia venundata fuit, dum famis inopia eos constringebat; quia alij ex eisdem Langobardis, propria virtute, in nauigia Græcorum ascendebant, dum nullam habebant spem viuendi. C

DE Sacerdotibus autem nostris, quod vobis falso, & contra Deum, & animam eorum, suggerere ausi sunt, mentita est iniquitas sibi, & nulla est, Domino annuente, in nostris Sacerdotibus pollutio, nec talia credere debet vestra Sublimitas: Dum verò, Domino cooperante, per intercessiones sanctæ semper Virginis Mariæ, Dominæ nostræ, & beati Petri Apostolorum principis, in vinculo charitatis atque dilectionis nos adnectere dignatus est, nunc verò quærunt æmuli nostri, qui semper zizania seminauerunt, aliquam, illis Deo contrario, inter partes malitiam seminare. Sed Domino auxiliante, per intercessiones beati Petri Apostoli, præualere minimè habebunt, quia nos cum Domini virtute talem in vestro regali culmine habemus fiduciam. Dicit enim Psalmista: *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam * maliloquam,* qui talia nobis inaudita mala suggerunt, & crimina in nostris Sacerdotibus ponunt. Deus autem noster suæ protectionis dextera vos conseruare dignetur ad exaltationem sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. Psal. 11. * magniloquam.

CAROLVS MAGNVS.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continetur de trabibus maioribus ad Ecclesias restaurandas: quas Domnus Rex ei dare præceperat, & ipsos actores neglegentes nihil exinde, sicut eis à dicto Rege iniunctum fuerat, fecisse dicit, & de stanno ad ipsam Ecclesiam sancti Petri recooperiendam.* A

LXVI.

Bar. ibid. Summ. 15.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa*. SÆPE vestræ à Deo protectæ regali potentiæ poscentes direximus, vt pro mercede animæ vestræ trabes maiores ad Ecclesias Dei restaurandas per vestrum Regale præsidium emittere iuberetis, & nullum ab illis, quibus præceptum est, suscepimus effectum, quatenus & ipsæ Ecclesiæ, in quibus nobis trabes maiores necessariæ sunt, ex parte ruerunt, & alias ruere conspicimus, & ipsas trabes præstolantes, quid agemus, nescimus & pro hoc in magna tristitia degentes existimus. Quapropter obnixè vestram triumphatorissimam Excellentiam poscentes quæsumus, vt nulla deinceps eueniat mora, sed per vestrum à Deo protectum regale dispositum nobis ipsas trabes maiores celeriùs emittere præcipiatis: vt nullo modo quemlibet neglectum ponere audeant, quia confidentes prorsus existimus, quantæ Dei Ecclesiæ ex ipsis trabibus restauratæ fuerint, in vestrum sempiternum memoriale seu Domnæ Reginæ, vestræque nobilissimæ subolis, restaurantur. Quapropter poscimus, vt vestrum proprium idoneum Missum dirigere iubeatis, qui ipsos actores, qui pro iam dictis trabibus neglectum ponere ausi sunt, distringere debeat, vt ipse nobis eas tradere per vestrum dispositum studeat, vt exinde magnam, vt fati sumus, recipere valeatis mercedem. B

PORRO & hoc vestræ regali potentiæ innotescimus, quia Arichis Beneuentanus Dux iustitias de hominibus suis quærens, exercitum duxit super Amalfitanos Ducatus Neapolitani, & vndique eos circumuallans incendit omnes possessiones eorum atque habitacula foris posita. Quo audito, Neapolitani direxerunt in adiutorium ipsorum plures homines, qui vincentes eos, interfecerunt plurimam multitudinem Ducatus Beneuentani. Vndè cùm ceteros plures, tum optimates captiuos apud se habent. Quod in his verò partibus actum est, vobis enucleatiùs enunciare festinauimus.

SIMILI modo & hoc recordari credimus vestram à Deo promotam præcellentiam, qualiter pro amore beati Petri clauigeri regni cœlorum, & eiusdem Ecclesiæ restaurationis, pro ipsius aulæ tecto vestra Excellentia nobis est pollicita dirigere stanni libras mille. Simili modo & Itherius vester fidelissimus per vestrum eximium dispositum, similiter alias mille libras dirigere promisit. Pro quo poscentes petimus vestram regalem Præcellentiam, vt ipsum stannum nobis per vestrum bonum dispositum dirigere iubeatis, quia ipsa Ecclesia fautoris vestri beati Petri tempore verno ab aquis nimis inualuit, & vnde eius aulæ tectum restauremus, minimè habemus. Sed obnixè petimus, vt per Comites vestros, qui in Italia sunt actores, ipsum iam dictum stannum dirigere iubeatis, per vnumquemque Comitem libras centum, vt dignam pro hoc ab ipso Dei Apostolo retributionem suscipere mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. C

* musiuo.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continetur de * mosiuo atque marmore Palatij Rauennatæ ciuitatis. prædictus Papa Domni Regis ditioni, vel quicquid exinde facere voluisset, libenti animo se tribuere dicit.*

LXVII.

Summ. 12. Bar. & Cont.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa*. PRÆFVLGIDOS atque nectareos regalis Potentiæ vestræ per Aruinum Ducem susce-

A pimus apices, in quibus referebatur, quòd Palatij Rauennatis ciuitatis musiua atque marmora, ceteráque exempla tam in strato, quámque in parietibus sita, vobis tribueremus. Nos quippe libenti animo & puro corde, cum nimio amore vestræ Excellentiæ, tribuimus effectum, & tam marmora, quámque mosiuum, ceteráque exempla de eodem Palatio vobis concedimus auferenda, quia per vestra laboriosa regalia certamina, multis bonis fautoris vestri beati Petri clauigeri regni cœlorum Ecclesia cotidiè fruitur, quatenus merces vestra copiosa adscribatur in cœlis. CAROLVS MAGNVS.

SVSCEPIMVS etiam per eundem Aruinum equum vtilem vnum à vobis directum. Alius autem, qui cum ipso directus est, defectus in ipso itinere, mortuus est. Vnde ob vestram memoriam maximas referimus grates. Sed secundum nostrum amorem, quem ex intimo corde erga vestrum habemus præfulgidum Regnum, tales nobis famosissimos emittite equos, qui ad nostram sessionem facere debeant, in ossibus atque plenitudine carnis decoratos, qui dum in omnibus aspectibus laudabiles existunt, vestrum præfulgidum triumphis laudare valeant nomen. Et pro huiusmodi re, sicut soliti estis, dignam ab ipso Dei Apostolo suscipere valeatis retributionem, vt vna cum domina Regina, vestráque nobilissima prole, in hoc mundo regnantes, in ætheriis arcibus vitam æternam adipisci mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

B *Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum* CAROLVM *Regem directæ, in qua continetur de territorio Sauinense, qualiter Itherius & Maginarius Missi Domni Regis ipsum territorium in integro partibus sancti Petri reddere voluerunt, sed propter iniquos homines minimè potuerunt.*

LXVIII.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* AD referendum præcellentissimæ regalis Potentiæ vestræ beneficiis gratias, mens humana, vt reor, fari non potest, de tantis laboriosis certaminibus, quæ erga fautorem vestrum beatum Petrum Apostolorum principem & nos geritis, * cotidie bonitas suffragia, quatenus ab ipso Dei Apostolo dignam retributionem, & hîc & in futuro vestra protectissima Excellentia procul dubio credat habere. Summ. ij. Bar. & Cent. * Hæc deprauata sunt.

EVNTES autem apud Sauinense territorium nostri vestríque fidelissimi Missi, videlicet filius noster Itherius venerabilis Abbas, seu Maginarius religiosus Capellanus, sicut per vestrum bonum dispositum, voluerunt nobis contradere in integro iam fatum Sauinense territorium, & minimè potuerunt, mittentes varias occasiones peruersi & iniqui homines. Tamen & ipsi iam fati fidelissimi Missi, omnia C vobis subtiliter vice nostra referre possunt. Quapropter vestræ à Deo protectæ regali Potentiæ reuerendissimum Missum nostrum Stephanum, dudum Sacellarium, direximus suggerendum, vt pro mercede animæ vestræ sicut cœpistis, ita in integro iam * fato territorio Sauinense beato Petro, regni cœlorum clauigero, contradere iubeatis: vt ipse Dei Apostolus pro vestra à Deo promota regali Præcellentia præcipuè suffragans, cum sanctis omnibus regnare mereamini. Quatenus pro eiusdem Dei Apostoli amore, & mercedis animæ vestræ, vnum è duobus iam fatis Missis, cum præfato Stephano Misso nostro, nobis dirigere iubeatis: vt, sicut ex antiquitus fuit, & in veritate iam fati vestri fideles Missi satisfacti sunt, in integro nobis contradere præcipiatis, & signa inter partes constituentes, vt sine qualibet contentione aut controuersia maneamus, vt opinatissima vestra memoria pro hoc in cœlestibus regnis maneat ampliata. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. * fatum territoriū.

CAROLVS MAGNVS.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ, & de territorio Sauinensi, quemadmodum prædictus Rex sancto Petro pollicitus fuerat, quòd in integro contradere iuberet.* A

LXIX.

Summ. 14. Bar. & Cent.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* BEATVS Dauid Rex & Propheta, Spiritu sancto repletus, pro futuri Regni vestri erga beati Petri Apostolorum principis sanctam Ecclesiam beneuolentia, dignáque solatia ac splendidissima rutilantia orans, canit & dicit. *Manda Domine virtutem tuam, confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis à templo sancto tuo, quod est in Ierusalem, tibi offerunt Reges munera.* (Psal. 67.) Ex quibus muneribus ditata spiritalis mater vestra sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, per vestra à Deo protecta laboriosa certamina releuata exultat, à templo sancto beati Petri, fautoris vestri. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis,* crebro orantibus in vobis triumphum, & mandat cotidie virtutem suam per beatum Petrum Apostolorum principem, vobis subiiciens omnes barbaras Nationes, dilatans atque amplius exaltans in toto Orbe terrarum vestrum splendidissimum Regnum. Et quoniam non valet linguæ nostræ ferculum, vt dignum est, de vestro præcelso mihíque dulcissimo amore explicare, Apostolica voce proclamamus dicentes: *Multifariè, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissime diebus istis,* (Hebr. 1.) per Vnigeniti sui magnificæ operationis virtutem ostendit magnalia in Orbe terrarum, donans vobis per beatum Petrum clauigerum regni cœlorum victorias, * quas, dextera Dei cooperante & protegente, multis documentis de vestris allatis muneribus, Ecclesia beati Petri enituit, tam de ciuitatibus, quàm de diuersis territoriis sub integritate eidem Dei Apostolo à vobis * offertis. Et ideò poscentes vestram à Deo promotam regalem clementiam petimus, vt sicut à vestra prærectissima Excellentia beato Petro, nutritori vestro, pro luminariorum concinnationibus atque alimoniis pauperum Sauinense territorium sub integritate concessum est, ita id tradere integrum eidem Dei Apostolo, præsidiante vestro præcellentissimo annisu, dignemini. Quicquid enim regni cœlorum Ianitori, beato Petro Apostolo, adfertis, in sempiterna memoria pro vobis, simúlque & præcellentissima filia nostra, & spiritali commatre Domna Regina, & pro vestris nobilissimis atque excellentissimis natis, nec non & pro omni Christo dilecta genealogia vestra, sacrificium purissimum atque holocaustum diuinæ suauitatis odore fragrante in ara vestri pectoris, eius inuisibili Maiestati mactatis, & pro tam magna vobis concessa à Deo super omnes Reges, per beatum Petrum, gratia, nullus sit de aduersariis, qui vestro mellifluo cordi suadere valeat, ab amore beati Petri Apostoli, protectoris vestri, seu à nostra dilectione, quam vsque optantes permanemus, vt non deficiat laus vestra per totum orbem terrarum de ore hominum, victorias vobis à Deo concessas prædicantium ac disfamantium.

* quibus.

* oblatis.

MAGNOPERE enim direximus vestræ regali Potentiæ fidelissimos Missos nostros, videlicet dilectissimum filium nostrum Agathonem Diaconum, seu Theodorum eminentissimum Consulem & Ducem nostrúmque nepotem, qui vice nostra vobis enucleatius, sicut eius in ore posuimus, poscentes suggerant. Quos petimus, pro amore beati Petri Apostoli, benignè cum nimio amore eos suscipere, & illis pro causis beati Petri, principis Apostolorum, vestræ à Deo protectæ regali Potentiæ suggerentibus dignemini obaudire preces: vt dum à vobis remeauerint, & nobis vestram renuntiauerint prosperitatem, referentes, simul de causis eiusdem Dei Apostoli effectum, & noster pro hoc releuatus fuerit animus, dignè valeamus cum Propheta psallentes orare: *Domine saluum fac Regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.* (Psal. 19.) Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam suam, quam cœpit, perficiat, atque vitam vestram, vnà cum præcellentissima filia nostra, & spiritali commatre, domna Regina, vestráque nobilissima prole, & hîc per multorum annorum circula extendat: simul gubernacula annuat in ampliori culmine victoriis

A perfrui, & post longa tempora, senióque * profecto, in cœlestis vos patriæ congregationem recipiat; vt ibidem sine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

CAROLVS MAGNVS. * prouecto.

Perioche huius Epistolæ in manuscripto Codice nulla est. Ex Baronio igitur accipe istud Summarium. CAROLVS per Georgium Episcopum Papæ de suis certaminibus & laboribus pro beato Petro susceptis indicauerat. Quare ADRIANVS ipsi gratias maximas agit, commendans ipsi Georgium Episcopum.

LXX.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri*, CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa.* Summ. 41. apud Bar. & Cent.

OMNIPOTENS Deus repertor omnium, in cuius manu sunt omnia iura regnorum, reperiens secundum cor suum vestram excellentissimam regalem Potentiam, ipse eam ad magnam consolationem atque exaltationem spiritalis matris vestræ sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ concessit Ecclesiæ, quem vice Apostolica
B poscimus, præmia vobis vitæ donari æternæ. Quapropter suscipientes Georgium reuerentissimum & sanctissimum Episcopum nostrum à vestra triumphatissima Præcellentia, tanta bona de vestro laborioso certamine, atque beneficia, quæ erga beatum Petrum, clauigerum regni cœlorum, & nos geritis, denuntiauit. Quæ si enucleatius exarare voluissemus, nullus ori nostro sufficeret sermo, vt opinor. Sed ipse princeps Apostolorum fautor vester beatus Petrus, pro cuius amore hæc omnia geritis, ipse vestrum protegat, atque in omnibus dirigat in triumphis Regnum.

VERVM fidelem ipsum reuerendissimum & sanctissimum præfatum Episcopum, vestrum nostrúmque reperientes, nimis eum vobis commendari poscimus, vt secundum suam certam fidem atque dilectionem, quam erga vos & nos gerit, ita consolatus, prorsúsque totus, nobis poscentibus, à vestra præfulgida regali potentia mereatur per se * clamare, vt dum per nostram suggestionem, vestram ampliatam super se præcipuam habuerit vndique beniuolentiam, quietus pro vobis valeat fundere preces, nósque in Confessione beati Petri Apostolorum principis solitas orationes enixiùs pro vobis fundentes, super omnes barbaras Nationes victores inueniamini, atque vna cum præcellentissima filia nostra & spiritali commatre domna Regina vestráque nobilissima subole Regni gubernabula in æuum fruentes, in ætheriis arcibus cum Sanctis omnibus regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. * f. amari.

C

Neque huic Epistolæ præfigitur Periocha in Cod. MS. Apud Baronium & Centuriatores ita concipitur. Ipsum mendacij arguit & obiurgat, quòd Rauennam ad electionem noui Pontificis Legatos suos direxit. *Sed quisquis hic Summarium fecit, parum attentè Epistolam legit. Nullum enim in ea verbulum, ex quo euinci queat, Carolum tantum Imp. mendacij accusatum esse. Absit hæc accusatio à tanto Pontifice. Qui neque Carolum obiurgat, sed simplici narratione exponit, quid vetus mos in electione Archiepiscopi Rauennatis ferat, modestissimè simul rogans, vt Carolus maleuolorum sermunculis aures suas occludat.*

LXXI.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa.* Summ. 39. apud Bar. & Cent.

DIRECTVS à vestra insigni regali Præcellentia, videlicet Ermenbertus religiosus Presbyter, inter responsionis suæ verba, obtulit nobis commemoratorium vt asserebat vestræ Excellentiæ exaratum, scilicet de electione Episcoporum Rauennatis Ecclesiæ, quia quando Sergius Archiepiscopus obiit in electione Leonis Ar-

CAROLVS MAGNVS.

chiepiscopi fuerunt Missi vestri Hucbaldus vel pares sui. In hoc enim omninò valde vestram Excellentiam meminisse credimus, quia quando prædictus Sergius Archiepiscopus obiit, per suam arrogantiam Michaëlius præsumptor inuadere ausus fuit Ecclesiam Rauennatem, & per auxilium Desiderij sæuissimi Regis, ipsam enormiter inuadens Ecclesiam diu detinebat, & à suo proprio rectore destituta atque viduata manebat. Tunc ad decessorem nostrum sanctæ recordationis domnum Stephanum Papam, prædictus Hucbaldus à vestra directus regali Excellentia pro ceteris causis, ab eodem præfato domno Stephano Papa, per vestrum à Deo roboratum regale adminiculum, Rauennam missus est, vt eundem præfatum Michaëlium inuasorem ex ipsa Rauennate Ecclesia expelleret, & huc Romam tanquam transgressorem sacrorum Canonum deferret. Nam nos nullomodo meminimus, neque à deprædecessoribus nostris sanctis Pontificibus, neque à sanctæ recordationis præcellentissimo genitore vestro domno Pippino magno Rege, neque à vestra in triumphis regali victoria Missum ad electionem Rauennæ directum esse, tam in electione Iohannis Archiepiscopi, quàm in electione Gratiosi Archiepiscopi eiusdem. Sed dum de hac luce contigisset migrare Archiepiscopum ciuitatis Rauennatium, olitaria traditione clerus & plebes consistens Sedis Apostolicæ petebant immutilatam doctrinam, quatenus vna concordia, vna eadémque voluntate, vnóque consilio conglobati Apostolicam suscipientes admonitionem, talem sibi eligerent Pastorem, qui nec à sacris canonibus respueretur, nec vllo extra capitulo possit obsistere. Qui cum iocunditate decreti omnium manuum subscriptione roborati ad nostram Apostolicam Sedem occurrebant, proprium sibi Antistitem consecrandum, sicut & nunc canonicè factum est, petentes. B

ITAQVE his omnibus vestram suadentes regalem Excellentiam quæsumus, vt linguas dolosas, quæ aduersus sanctam Romanam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam garrire simulant, proculdubio longè à vobis respuantur, & nullomodo iis iniquis & dolosis credere iubeatis, quia sicut in * Commonitorium illud referebatur, pro honore vestri Patriciatus nullus homo esse videtur in mundo, qui plus pro * vestra regali Excellentia decertare moliatur exaltatione, quàm nostra Apostolica assidua deprecatio. Et sicut in nostris præcordiis, nisibus totis, vbique super omnes vos honorauimus & honoramus, ita ampliùs ac ampliùs honorem Regni vestri præcellere omnibus, qui in mundo esse noscuntur, optamus. Verumtamen & de ipsa beniuolentia, quam in vestrum gerimus culmen honoris, in vniuerso intonuit mundo, sicut nempe omnibus patet, quia die noctúque in Confessione fautoris vestri beati Petri non intermittimus fundere preces, vt vna cum domna Regina vestráque præcelsa prole æuis temporibúsque in hoc mundo victores regnantes, in vita æterna sine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

* Commonitorio illo.

* vestræ regalis Excellentiæ.

Ex Baronio.

Indicat, quomodo contentionem Monachorum ad se Missorum composuerit. Et quòd Potho Abbas cum decem Monachis ad CAROLVM *Regem proficisci voluerit, vt ibidem quoque de obiectis criminibus se purgaret.* C

LXXII.

Summ. 40. Bar. & Cent.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa*.

PRÆCELSAS ac à Deo inspiratas per reuerentissimum & sanctissimum Possessorem Archiepiscopum, fidelissimum Missum vestrum, sagacissimas Syllabas suscipientes, valde in his noster releuatus est animus, regales triumphos in eis atque sospitates reperientes, & pro hoc magnas omnipotenti Deo tulimus grates, in aula fautoris vestri beati Petri Apostoli diuinam exorantes clementiam. Referebatur quippe in ipsis vestris regalibus apicibus, quia causa vestra nostra sit, & nostra vestra. In hoc verò freti existimus, quia diuina inspiratione veritas hæc proculdubio à vobis exarata prorsus omnibus manifesta ac certa splendescit. Et quo ad nostrum iudicium canonicè simúlque regulariter contentiones inter Monachos venerabilis Monasterij sancti Vincentij, & Abbates eiusdem Monasterij, scilicet Autbertum & Pothonem, discuti atque examinari vestra direxit præcelsa regalis Excel-

A lentia. Ipſe quippe præfatus Autbertus Abbas, dum callem itineris peragraret, repentina morte occupatus minimè noſtris Apoſtolicis valuit ſe manifeſtare præſentiis.

QVAPROPTER conuenientes plures ex primatibus Monachis cum præfato Pothone Abbate ipſorum, adſtiterunt omnes pariter in conſpectu Apoſtolici decreti noſtri. Qui reſidentes, vna cum reuerendiſſimo & ſanctiſſimo Poſſeſſore Archiepiſcopo, ſeu Anſoaldo Abbate venerabilis Monaſterij ſancti Petri, pariter Aquilino Abbate, * deua regio, atque Raginbaldo Abbate venerabilis Monaſterij ſanctæ Dei genitricis, ſimúlque Giſulfo Abbate venerabilis Monaſterij ſancti Petri, Hiltibrando Duce, Taciperto & Prandulo, ſimúlque noſtris adſtantibus ſeruitiis, Theophylacto Bibliothecario, Stephano Sacellario, Campulo Notario, Theodoro Duce, & ceteris pluribus. Et dum ingreſſus fuiſſet Rodigauſus eiuſdem Monaſterij Monachus, referebat aduerſus eundem Pothonem Abbatem teſtimonium, dicens: Domine dum curſum horæ ſextæ expleſſemus, & ſecundum « conſuetudinem pro Regis incolumitate eiúſque prole propheticum decantare- « mus Pſalmum, videlicet: *Deus in nomine tuo ſaluum me fac*, ſubitò ſurrexit Abbas & pſallere noluit. Item referebat quia pariter peragrantes, cœpit mihi Abba di- « cere: Quid tibi videtur de hac cauſa, quia exinde exſpectaui ſignum videre, & « minimè vidi? Tunc ergo reſpondi: Deus omnipotens humiliet cor ipſius, & fa- « B ciat nos incolumes reuerti, quia non ſunt talia noſtra merita, vt taliter agnoſcere « mereamur. Et dixit mihi Abba iterum, quia ſi non mihi fuiſſet pro Monaſterio & « terra Beneuentana, talem eum habuiſſem ſicut vnum canem. Et iterum aduerſus eum addidit, quia tanti ex Francis remanſiſſent, quantos ego in humero * vedare valeo.

* locus corruptus.

Pſal. 53.

* vectare.

ET dum à nobis ſciſcitatus fuiſſet præfatus Potho Abba, ſi ita eſſet, cum nimia ſatisfactione reſpondit, dicens: Quia ſemper congregatio noſtra pro eius Excellentia, ſimúlque pro ipſius prole, proculdubio in Monaſterio pſallit. Sed dum in opera eſſem cum ipſo, & ceteri infantes, expleta oratione, proſtrati in terra initiantes pſallerent: *Deus in nomine tuo ſaluum me fac:* ſubitò ſurrexi pro opera quæ ad vtilitatem ipſius Monaſterij fiebat. De itineris verò collocutione, nullomodo ad iniuriam eius regalis Excellentiæ quicquam locutus ſum, niſi fatus ſum: Quòd ſi pro Monaſterij deſertione, ſeu terra illa mihi non fuiſſet, omninò in talem pergere habuiſſem locum, vbi neminem curaſſem. Porrò de Francis, quod fatus eſt: Nullo modo talia protuli, aut ex meo exiuit ore. Sed cùm talia ex omni parte mihi opponit, * & à nobis interrogatus fuiſſet prænominatus Rodigauſus, ſi hæc alij cum eo audiſſent, tunc adfirmauit quia ſolus eſſet, & nullus ſecum alius audiſſet. Tunc plures ex ipſis priores Monachi aſſerebant teſtimonia pro ipſo Rodicauſo dicentes: Quia in ſtupro captus cum propria nepte ſua, ex Presbytero Mo- C nachus effectus eſt, & tale crimen aduerſus Abbatem noſtrum imponere minimè valebit; quia à ſacris canonibus reſpuitur.

Pſal. 53.

* Videtur aliquid deeſſe.

ET introducti ſunt alij tres Monachi, qui cum Hiltibrando Duce venerunt, & cum Autberto Abbate morati erant, adſerentes aduerſus Pothonem Abbatem, quia nos cupientes ad excellentiſſimum Regem peragrare, à cuſtodia comprehenſi ſumus, & in carcerem miſſi. Ad hæc reſpondit antedictus Abba: Veritas eſt, quia « cuſtodes habui in ponte, non vt eos, qui ad Regem irent, deuetarent. Sed eos qui « ſuam regulam relinquunt, & ad ſuum vomitum in ſeculo, peccato imminente, re- « uertunt, eos comprehendere iuſſi. Et tunc quando dicunt, ibidem minimè fui, ſed « ad magnum Regem iter carpebam.

TVNC nos liquidiùs pertractantes, & ſacrorum Canonum inſtituta inquirentes, reperimus in Concilio Chalcedonenſi, cap. 18. confirmante ita: *Coniurationis & conſpirationis crimen & ab exteris eſt legibus prohibitum, multò magis hoc in Dei Eccleſia ne fiat, admonere conuenit, &c. Si qui ergo Clerici vel Monachi reperti fuerint coniurantes aut conſpirantes, aut inſidias ponentes Epiſcopis aut Clericis, gradu proprio penitus abiiciantur.* Item cap. 21. *Clericos aut laicos accuſantes Epiſcopum, aut Clericos, paſſim & ſine probatione, accuſationem recipi non debere, niſi prius eorum diſcutiatur exiſtimationis opinio.* Simul & in Africano Concilio cap. 8. fertur: *Præterea ſunt quàm plurimi non bonæ conuerſationis, qui exiſtimant maiores natu, vel Epiſcopos, paßim vagéque in accuſatione pulſandos, debent tam facilè admitti, necne?* Aurelius Epiſcopus

dixit: *Placet igitur charitati vestræ, vt is, qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem aduersus maiorem natu non habeat accusandi? Ab vniuersis Episcopis dictum est. Si criminosus est, non admittatur, placet.* Et hæc omnia considerantes, & quoniam habet has proprius hostis insidias, vt quos in prauorum actuum perpetratione, Deo sibi resistente, decipere non valet, opiniones eorum falsas ad præsens simulando dilacerat. Et quia vtrum vera essent an non, districta diutius per triduum fecissemus inquisitione perquiri, & nullam in ea de his quæ dicta fuerant, culpam inuenissemus. Sed ne quid nobis videretur omissum, aut vestro potuisset cordi dubium remanere, præfatum Abbatem Pothonem sacramentum proferre decreuimus: quia nulla talia pro infidelitate regalis vestræ potentiæ dixisset. Sed nec aliquando eidem magno Regi infidelis fuit, vel erit cunctis diebus vitæ suæ. Simul & alij decem primates Monachi ipsius venerabilis Monasterij, quinque ex genere Francorum, & quinque ex genere Langobardorum, statuimus vt præberent sacramentum, quia numquam audierunt ex ore Abbatis quamlibet infidelitatem aduersus vestram regalem Excellentiam. Ipsi verò petierunt se omnes pariter ad vestram regalem venire præsentiam. Nos quippe illorum exquirentes fidem, erga vestram regalem venire potentiam fiuimus properare, solitè pro vobis in Confessione beati Petri, clauigeri regni cœlorum, non omittentes fundi preces, vt vna cum domna Regina, vestrâque subole, multorum annorum curriculis hîc pollentes cum Sanctis omnibus sine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. B

Omnes ex Clero Romano.

Paulus Presbyter, Venerandus Presbyter, Faroaldus, Adalbertus, Gaudiosus, Benedictus Diaconus, Iosue Diaconus. Hermenfridus, Raginbertus, Autscarius, Gregorius, Agemodus, Dauid, Gaidualdus, Ariolfus, Stephanus, Garibaldus, Gregorius, Sauinus, Aldosinto, Rothbertus, Ratchis, Haribertus, Leo, Martinianus, Allo, Maio, Beaptulfus, Cunualdus, Leminosus, Magnus, Vrsus, Autbaldus, Aldefusus, Petrus, Ansualdus, Allo, Petrus, Gratiosus, Faroaldus, Vrsus, Adualdus.

LXXIII.

DESTINAVIT nobis per vestros apices à Deo constituta regalis potentia, quia, Deo sibi contrario, Agarenorum Gens cupiunt ad debellandum vestros introire fines. Hoc verò cognito, in magna exinde tribulatione atque afflictione positi sumus. Sed nequaquam Dominus Deus noster talia fieri permittat, nec beatorum Apostolorum Petrus princeps. Nos verò, dulcissime fili & magne Rex, incessanter pro vobis cum omnibus nostris Sacerdotibus atque religiosis Monachis, & cuncto Clero vel vniuerso populo nostro, Domini Dei nostri deprecamur clementiam, vt ipsam nec dicendam Agarenorum Gentem vobis subiiciat, & vestris eam substernat pedibus, vt minimè præualere aduersus vos valeant: quia sicut populus Pharaonis demersus est in mari rubro, eo quòd non crediderint Deo, ita & in hac vice Dominus Deus noster per intercessiones beati Petri Apostoli in vestris eos tradat manibus. Confortamini autem & estote robusti, quia Dominus omnipotens confidentibus in eum vestri Regni dabit victoriam de inimicis vestris atque nostris. Et sicut indesinenter die noctúque ante Confessionem eiusdem Dei Apostoli Domini deprecamur Maiestatem, vt vestrum dilatet Regnum, ita nos faciat de vestra sospitate & exaltatione Regni vestri semper in Domino exultare, in quibus & ante aliquantos dies istius Maij mensis, quòd vestros suscepissemus apices, direximus apud vestram à Deo protectam Excellentiam Andream & Philippum sanctissimos Episcopos, atque Theodorum eminentissimum nostrum nepotem, pro consolatione, atque visitationis causa, & prosperitatis vestræ lætitiam agnoscere. Et hoc petimus te, amantissime fili, vt pro amore fautoris vestri beati Apostolorum principis Petri, benignè eos solitè suscipere iubeatis, vt cum gaudio & effectu causæ, & exaltatione sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ, ad nos remeantes, celeriter eos absoluere dignemini: vt ipse princeps Apostolorum pro vobis intercedat ante Domini Dei nostri maiestatem, vt ampliùs

A vestrum dilatet Regnum, & victorias tribuat. Nósque etsi peccatores, ante confessionem ipsius Dei Apostoli fundere valeamus preces.

Et hoc agnoscat à Deo protecta Præcellentia vestra, quia aliquantas ciuitates nostras Campaniæ operantes æmuli vestri, atque nostri nefandissimi Beneuentani, ipsi nostro populo persuadentes subtrahere à nostra ditione decertant, vna cum habitatoribus castri Caietani seu Terracinensium, obligantes se validis sacramentis, cum ipso Patricio Siciliæ, qui in prædicto castro Caietano resider, & decertant à potestate & ditione beati Petri & nostra eosdem Campanos vsurpare, & Patricio Siciliæ subiugare. Nos verò dum hoc ipsum agnouissemus, viribus atque vicibus admonere & prædicare per nostros Episcopos, & fideles beati Petri eis direximus, cupientes eosdem Campanos nos saluos habere, vt aliqua malitia eis minimè eueniret, vt ad nostri præsentiam coniungerent, aut per vnamquamque ciuitatem primatos quinque ad vestram à Deo fundatam Præcellentiam destinarent. Sed neque ad vestri præsentiam eos dirigere valuimus, nec ad nostros obtutus coniungere voluerunt. Tamen & reuerentissimum Fratrem nostrum Philippum seu & Paschalem nostrum nepotem eis direximus, vt nostris se præsentarent obtutibus, aut apud vestram regalem Potentiam coniungere properarent. Nec tunc nostris admonitionibus se accommodare voluerunt. Dum verò eorum nequitiæ præualere minimè potuimus, disposuimus; cum Dei virtute atque auxilio, vna cum vestra Potentia generalem nostrum exercitum illuc dirigere, qui eos constringere

B debeant, & inimicos beati Petri atque nostri seu vestri emendare.

Sed petimus te, amantissime fili, coram Deo viuo, vt nefandissimos & Deo odibiles Beneuentanos, per vestra scripta atque fidelissimum vestrum Missum protestando dirigere iubeatis, vt à tali iniqua operatione resipiscant, & in nostris Campanis talia non immittant, quia nos per nullum tenorem ipsos nefandissimos Beneuentanos aut eorum Missos recipere volumus. Sed nec ad consecrationem Episcoporum suscipere, dum contrarij beati Petri atque nostri & vestri effecti sunt. Interea petimus te magne Rex, & dulcissime fili, vt sicut à vobis poscere per Andream & Philippum sanctissimos Episcopos nostros, & Theodorum eminentissimum nostrum nepotem direximus, ita in omnibus nostram postulationem adimplere iubeatis, vt Angelus Dei omnipotentis vos præcedat, & faciat vestram Præcellentiam triumphantem, atque cum magnis victoriis & exaltatione ad proprij Regni vestri culmen, vna cum omni Deo dilecto Francorum exercitu, incolumem reuerti.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continetur de Monasterio sancti Hilarij Confessoris in Calligata: orat, ne ipsum, seu hospitales, qui per colles Alpium siti sunt, in susceptione*

C *ne peregrinorum, vt à nulla magna paruáque persona inuadi sineret. Vt Gundibrando Duci Florentino mandet, vt quæ eidem Monasterio abstulit reddat.*

LXXIV.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri,* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* Summ. 18. Bar. & Cent.

NOVIMVS regalis Excellentiæ vestræ benignitatem pro Domini amore, atque beati Petri Apostolorum principis, à quo meritis & præclara est dignitate ditata Ecclesia, & sicut amans iustitiæ, vnicuique suffragium impertire. Quatenus petentes quæsumus, vt pro eiusdem beati Petri fautoris vestri amore, nostráque paterna dilectione, sicut solita est vestra perfulgida Regalis Potētia, piorum locorum solicitudine, restaurationis iuuamina ferre. Ita in * subiectis Monasteriis spiritalis matris vestræ sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ, quibus aura vibrantissima regali in triumphis Præcellentia concessa atque offerta sunt. Scilicet Monasterium sancti Hilarij Confessoris Christi * qui pons in Calligata, vna cum hospitalibus qui per colles Alpium siti sunt, pro peregrinorum susceptione poscimus, vt à nulla magna paruáque persona qualibet inuasione brachium pati vestra eximia sinat clementia. Sed in omnibus pro Monachorum Deo seruientium laudibus, atque susceptione

* sanctis.

* qui locus.

CAROLVS MAGNVS. peregrinorum, iustitiam illic conseruare sicut solita est dignetur, & inuasionem, A quam Gundibrandus Dux ciuitatis Florentinæ in eodem Monasterio ingerit, in curte quadam Sasantina, territorio scilicet Florentino, arripiens ex ea inliciter plura peculia, quæ illi minimè pertinent, abstollenda, emendare * iubemini: simúlque terras, quas ex ipsa curte plures homines sine ratione abstulerunt, reddere vestra à Deo inspirata regalis Potentia faciat, & pro amore eiusdem regni cœlorum clauicularij, & nostro, præfati Monasterij Missos mitissimo vultu ac benignissima hilaritate eos suscipientes, iustitiæ, quam à vobis petierunt, clementissimè sicut soliti estis accipiant effectum, vt dignam pro ipsis Monachis seu peregrinorum susceptione suscipientes mercedem, potiùs valeamus in Confessione Ianitoris regni cœlorum pro vobis filiáque nostra domna Regina, vestráque triumphatissima prole, diuinam exorare clementiam, vt hîc æuis temporibúsque Regni gubernacula fruentes in æthereis arcibus consortes, cum ipso Christi Confessore beato Hilario effecti inueniamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

* iubeatis.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continetur de fide vel dilectione, quam erga beatum Apostolorum principem Petrum habere pollicitus est, vt inconcussa & insolubilis permaneat, & nulla callida versutia ab Apostolico amore eius animus disiungi possit.* B

LXXV.

summ. 37. Bar. & Cont.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa*. GRATIA sancti Spiritus igniti calore nulla quiescimus plus ratione, cuilibet terrenæ potestatis splendido, præterquam vestræ à Deo promotæ regali Potentiæ, cùm opprtunitas datur, ex totis nostris præcordiis intimare, quam tam firmam stabilémque annexam fideliter, ac ita vnanimes in vnitate conglobatos esse speramus, vt nullomodo credamus, quamlibet magnam paruámque personam, inter Apostolicam Sedem & vestram Excellentiam posse eam dirimere, talem prorsus vestrum præfulgidum in triumphis Regnum erga amorem beati Petri Apostolorum principis, fautoris vestri, & nostram dilectionem agnoscentes vsque hactenus persistere & indissolubilem permanere. Quod numquam possit quamlibet callida versutia hominum, ab amore clauigeri regni cœlorum disiungere, quem prorsus auxiliatorem in opinatissimis vestris triumphis, nobis poscentibus atque precantibus, credimus & propugnatorem habere, procedens & introducens vestrum præcelsum regalémque triumphum calcare super omnes barbaras Nationes. Quatenus semper pro vobis diuinam exorantes clementiam, Deíque timorem præ C oculis habentes, atque pro anima sanctæ recordationis præcellentissimi genitoris vestri domni PIPPINI summi Regis, & pro omnibus fidelibus Francis, simúlque diuinum considerantes Iudicium, nitebamur emendare de prauis atque peruersis actibus, videlicet * Heleutherium & Gregorium, ineptos atque inutiles nugaces. Qui pro eorum proterua contumacia, non sinebant in eorum iudicari partibus, Rauennæ inopes atque pusillos opprimentes miserè, tam in venalitate hominum apud paganas venundantes Gentes, quàm * de panis eorum absque vlla misericordia auidè deglutiebant, ex qua pestilentia plurima pars deficientes atque ruentes dissipati sunt: insuper ignobilium vulgus, cateruámque cruentorum nequiter congregantes, non intermittebant cotidie nefandas perpetrare neces. Vnde dum in Ecclesia quadam die Missarum celebrarentur solemnia, & eadem hora quidam Diaconus sanctum Christi Euangelium populis prædicaret, intus in eodem sanctuario, ab eorum impiissimis hominibus sanguis effusus est innocens, pro sacrificio laudis homicidium perpetrantes. Et dum ipsi certi existerent, quòd nos tales iniquas terras atque peruersas operationes minimè illos vt Christiano populo peragere sineremus, idcircò superba arrogantia elati, conati sunt, sine nostra scientia, ad vestros properare regales obtutus existimantes, se per eorum infidelem atque iniquam fallaciam à fide puritatis & dilectione beati Petri & nostra vos separare.

* Eleutherium.

* locus corruptus. Num, de panibus.

A separare. Nescientes miseri & infelices, quia qui præcipui fideles eiusdem Dei Apostoli sunt, & vestri felicissimi Regni fideles sunt: pariter & qui eius inimici esse videntur, vestri proculdubio inimici sunt. CAROLVS MAGNVS.

QVAPROPTER poscentes quæsumus vestram à Deo protectam regalem Potentiam per beatum Petrum Apostolorum principem, cui à Domino potestas ligandi soluendíque peccata in cœlo & in terra data est, & ipsum sanctum Baptisma, quod inter nos per Spiritum sanctum habere videmur, illorum procacitati vester præfulgidus aspectus & hilaris minimè manifestetur. Neque recipere ipsos nefandos vultu dignissimo dignemini, sed tanquam inimicos beati Petri & vestros existentes, eorum superbam gloriationem respuentes, ad nos dehonestati per fidelissimos Missos vestros humiles veniant, vt omnia quæ fati sumus eorum comprobemus præsentia: quatenus qui agunt talia, iniqua atque peruersa per eos emendentur, & illibata oblatio, quæ à sanctæ recordationis genitore vestro Domno Pippino magno Rege allata, & vestris præfulgidis regalibus manibus in Confessione beati Petri, clauigeri regni cœlorum, oblata, atque nimirum confirmata sunt, inconcussa & immaculata in æternum permaneant, vt ante tribunal Christi ipse protector vester beatus Petrus Apostolus dignus retributor vobis appareat, & sicut in hoc terrenum Regnum vna cum præcellentissima subole vestra & omnibus
B fidelibus Francis in triumphis pollentes tuetur & protegit, ita & in æthereis arcibus cum Sanctis omnibus faciat sine fine regnare. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directa, in qua continetur de sacratione Petri Episcopi, seu & de territorio Sauinensi.*

LXXVI.

DOMNO *excellentissimo* filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* Summ. 16. apud Bar. & Cent.

NECTAREAS mellifluásque regalis Excellentiæ vestræ per harum transuectorem Petrum reuerendissimum & sanctissimum Fratrem iam & Coëpiscopum nostrum, suscepimus Syllabas, in quibus de eius ordinatione reperientes, illicò benignæ voluntatis vestræ mandata, sicut soliti sumus, impleuimus. Quem petimus pro amore beati Petri Apostolorum principis, fautoris vestri, & nostra inuicem firma dilectione, in omnibus eum tenentes, ampliùs illum exaltare dignemini. Sic enim decet, vt qui ab Apostolica Sede ordinatus fuerit, omnibus in honore canonicæ institutionis, sicuti mos antiquitus fuit, partibus illis præcellat. Quantam enim fiduciam atque gloriationem in vestra præcelsa regali Potētia habemus,
C lingua vt reor humana fari non potest. Quatenus ipse iam fatus Petrus reuerentissimus & sanctissimus Frater & Coëpiscopus noster insinuare potest, quanta amoris feruentia cor nostrum in vestra triumphatissima Præcellentia die noctúque existit. Et dum tantam fiduciam de vestra à Deo protecta regali Excellentia gerentes habemus, nimis expectabiles sumus, sicut vobis poscentes direximus de Sauinensi territorio, vt ea, quæ mercede animæ vestræ, paritérque spiritalis filiæ nostræ atque commatris, necnon vestræ nobilissimæ prolis, beato Petro Apostolorum principi in integro concessistis adimplere per fidelissimos Missos vestros, qui & causam ex parte examinauerunt, sicut & antiquitus fuit, & contradere nobis iubeatis, vti ab ipso regni cœlorum clauigero, dignam retributionem hîc & in futuro recipere mereamini.

ENIMVERO prædictus Petrus reuerendissimus & sanctissimus Frater & Coëpiscopus noster obtulit nobis pseudopyctacium à Paulino, sicut fatus est, pro Theodosio quondam interpretatum, & à vestra Excellentia nobis directum. Habens insuper * à scriptione Breuiarium Chalcedonensis Concilij à quodam Verecundo Episcopo editum, quem in apocryphis reperientes falsidicus inuenietur. Sancta verò Catholica & Apostolica spiritalis mater vestra Romana Ecclesia non breuiter, sed totum sanctum & venerabile quartum Chalcedonense amplectens prorsus veneratur, & non audet relinquere sanctum & venerabile eius constitutum, & exsequi à quodam factum Breuiarium, nullam consonan- *f. adscriptum.

CAROLVS MAGNVS. tiam sanctæ institutionis habens. Nos quidem pro tanto amore, quem erga vestram à Deo institutam regalem potentiam habemus, direximus vobis ex eodem sancto & venerabili Concilio ante actionem eius exemplar Epistolæ sancti Leonis Pontificis, ad Clerum & Nobiles Constantinopolitanos, atque populum eiusdem ciuitatis directæ, post actum iniquum & peruersum in * Efesina vrbe secundum Concilium aduersus sanctum & venerabilem Flauianum eundem Constantinopolitanum Episcopum. Condemnans impiissimum Dioscorum atque prophanum Eutychem, adhortans atque commonens prædictum populum, vt in ea fide permaneat, in qua Christianissimum Principem eorum nouit permanere. Talis enim almus & venerabilis vir, atque in toto Orbe sanctus Leo Papa noster præcessor opinatissimus, prædicabilis fuit, vt si aliquid in fide aduersus Theodosium Imperatorem scandalizatum fuisset, nunquam post actum iniquum & latrociniosum secundo in Efeso factum, ipse præcipuus beatus Pater sanctus Leo hæreticos damnans, laudasset fidem Theodosij. Sed magis pariter cum ipsis, velut consentaneum eum damnasset. A

* Ephesin.

NOS quidem, sicut fati sumus, apocryfos Libros non sequimur, sed eos veneramur & amplectimur, quos sancta Catholica & Apostolica suscepit Ecclesia, in qua fundati vna cum filia nostra & spiritali commatre domna Regina, atque vestra triumphatissima subole per multorum annorum curricula Regno perfrui dignemini, & cum Sanctis omnibus præmia æterna in vita perpetua habere valeamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. B

De Episcopis vel Presbyteris, vt non militarem induerent armaturam, sed spiritalem, id est, ieiuniis & orationibus vacarent, seu de venalitate vel captiuatione hominum, vel aliis illicitis causis, quæ à prauis hominibus perpetrata erant, seu de visione Iohannis Monachi, quæ falsa vel inanis esse videbatur.

LXXVII.

Baron. ibid. Summ. 11.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa*. ORTHODOXÆ fidei plenissimos atque nectareos vestræ à Deo promotæ regalis Excellentiæ suscepimus affatus, quos reserantes vestram à Deo promotam salutem, ac in triumphis victorias, seu præcellentissimæ filiæ nostræ domnæ Reginæ, vestrorúmque præcellentissimorum filiorum, atque nostrorum vestrorúmque fidelium sospitatem, simúlque sinceritatem reperientes, magnas omnipotentis Dei clementiæ retulimus grates.

ILLVD autem, quod nobis vestra innotuit regalis Potentia per suum fidelissimum Missum, scilicet Garamannum gloriosum Ducem, pro Iohanne Monacho atque Presbytero, qui sicuti in vestris referebatur regalibus apicibus, de captiuatione hominum, & de aliis illicitis causis, quæ à prauis perpetrantur hominibus, vobis enuntiasset, vt, Deo propitio, per vestrum præcelsum regalem dispositum corrigerentur vel emendarentur, quemadmodum à nobis poposcit regalis Potentia, libenti eum suscepimus animo, solitè in omnibus vestris accommodantes votis. Talem prorsus scimus vestram regalem Excellentiam, quia in his nullius eget monitione, quia, Domino coopitulante, beatóque Apostolorum principe Petro pro ipso semper suffragante, veram prædicationem orthodoxæ fidei, quam ab eius suscepit Ecclesia, illæsam atque immobilem tenens, vltróque irreprehensibilem sine macula vibrans exultat, atque in omnibus penitus fulget, & non desinit emendare sæuos atque iniquos callidósque homines ab illicitis actibus. C

SED & captiuos in sua propria reuerti crebris fecit diebus. Fatus quippe est nobis præfatus Iohannes Monachus, quia dixisset vobis, vt omnis Episcopus spiritalia teneret arma, & non terrena, quatenus si ita est, quia militaria induunt arma, hortantes vestræ notescimus à Deo protectæ regali Excellentiæ, vt nullomodo sic fieri permittat, sed quoscumque in quolibet deferri cupit loco, tam Episcopi quàm Presbyteri orthodoxæ fidei galeam & salutis induti arma, orationibus vacare gnauiter studeant: vt cuncto populo ea, quæ pro salute animæ sunt, spiri-

A tale gerant officium. Ceteri verò Episcopi atque Presbyteri in eorum degentes Ecclesiis, canonicè vnusquisque per vestrum regale robustissimum præsidium suum valeant regere populum à Deo sibi commissum. CAROLVS MAGNVS.

PORRO de reuelatione eiusdem Iohannis Monachi, sicut eius referebat locutio, verè fantasma esse existimatur. Dicebant enim, quòd vidit primis in somnis cœlos apertos, & dexteram Dei, deinde vidit postmodum somnium aliud, turrem magnam, & descendentes Angelos; inter quos vidit speciem hominis alas habentis aquilæ, mortuique existentis; & aliam speciem hominis alas habentem columbinas, & dicentem: Quia hic est filius Dei. Absit enim à fidelium cordibus, vt fides Christianorum mortua esse prædicetur. Nos enim speciem aquilæ alas habentem, sicut à sanctis suscepimus Patribus, Iohannem Euangelistam testamur, qui secreta cœlestia hominibus prædicat: *In principio erat Verbum*, &c. In specie verò columbæ Spiritus sanctus visus est. Nam numquam legimus speciem hominis alas columbæ indutam. Quapropter nimis vestram laudantes firmissimam atque laudabilem fidem, in hoc cognouimus, quia vos fantasma ipsas reputastis visiones, in eo à nobis pro eo vestra poposcit regalis Potentia, vt nequaquam à nobis condemnaretur, anathematizaretur vel flagellaretur, neque aliquam aduersitatem ei faceremus: quatenus in his omnibus vestræ accommodantes regali petitioni, in quantum necesse fuit ipsum ammonuimus Monachum, atque in proprium suum locum illæsum absoluimus. Nam si vestrum illi non profuisset regale adminiculum, Ecclesiasticam illi disciplinam canonicè inferentes, sicuti Monacho Cyrillo, à nobis correcto & emendato, monachicam regulam illi demonstrare irreprehensibiliter habuissemus. Ob nimium verò amorem vestrum cum magna patientia atque benignitate susceptus commonitúsque, vltro citróque diuinis præceptis in pace absolutus est. Vestram regalem Excellentiam vna cum filia nostra præcellentissima domna Regina, vestráque præcelsa prole, multorum annorum curriculis Regni gubernacula perfrui diuina faciat clementia, vt in hoc mundo super omnes barbaras regnantes Nationes in æthereis arcibus sine fine cum Sanctis omnibus regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Ioan. I. B

Item Epistola ad Domnum CAROLVM *Regem directa, in qua continentur gratiarum actiones pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ, & de territorio Sauinense, qualiter Machinarius fidelissimus eiusdem præcelsi Regis, ipsum territorium cum integritate partibus sancti Petri contradere voluit. Sed propter iniquos atque peruersos homines minimè potuit.*

LXXVIII.

C DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa.* *Summ. II. Bar. & Cent.*

DIVINITVS præordinatam vestram à Deo protectam summam regalem Potentiam proculdubio credimus, quia super pristinos omnes ac fidelissimos orthodoxósque Reges atque Imperatores, erga sanctam Catholicam & Apostolicam spiritalem matrem vestram Romanam Ecclesiam veram dilectionem habentes, innumerabilia bona per vestra laboriosa certamina cotidiè offertis. Et pro hoc nempe certi facti estote, quia quantum caput totius mundi, eandem sanctam Ecclesiam, eiúsque Rectorem simúlque Pontificem amplectendo seu fouendo, honorabiliterque glorificando, diligitis, tantum vos beatus Petrus Apostolorum princeps inconcussos facit triumphos hîc & in futuro victores super omnes regnare Reges. Prorsus quippe confidimus, quia quantum per vos sancta Catholica & Apostolica spiritalis mater vestra Romana Ecclesia exaltata triumphat, tantum cœleste vos ambire atque hæreditare per intercessionem Apostolorum principis concedit in perpetuum regnum.

VENIENTE igitur hîc apud nos fidelissimo Maginario, denuntians nobis vestræ sospitates regalis Potentiæ, nimis pro hoc nuntio noster releuatus est animus. Repleti sumus omni lætitia & exultatione. Qualiter verò ei præcepit vestra à Deo promota triumphatissima Excellentia pro Sauinensi territorio, vt nobis sub

CAROLVS MAGNVS. integritate contraderet, sicut beato Petro clauigero regni cœlorum tribuistis, A
Minimè propter malignos ac peruersos homines potuit. Totam enim iustitiam, quam beatus Petrus Apostolus protector noster ex ipso territorio habet præsentaliter, iamfatus Maginarius Missus vester vidit, tam per donationes imperiales, quàm per ipsorum proteruorum Regum Langobardorum ipsum territorium cum mansis sibi pertinentibus enucleatiùs designantes. Si verò perfidus Desiderius dudum Rex, non sub integritate, sed tantummodò * masas nobis, quantum reperiri potuit, quas ex antiquitus sancta Romana Ecclesia tenuit, vt nullus ex illis partibus Langobardorrum ausus est resistere. Quanto magis vestræ à Deo protectæ regali potentiæ in omnibus obedientes existentes iussa vestra adimplere debuerant?

* mansos. Sed rectum videtur, massas, quo vocabulo vtitur etiam Anastasius Bibliothecarius.

Nos quidem neque Imperatoribus neque Regibus gratias agimus, nisi tantummodo vestræ triumphatissimæ Excellentiæ, quia nouiter eum beato Petro Apostolorum principi sub integritate condonastis. Pro hoc enim fidelissimos Missos nostros, vna cum monitionibus nostris, apto tẽpore vestræ regali Potentiæ dirigimus, vt liquida perscrutatione diuinitus inspiratus eas indagans iustitiæ beato Petro Apostolo eueniant ad effectum, vt præcelsum à Deo promotum regale vestrum culmen, atque memoria vestra in Ecclesia beati Petri nutritoris vestri, vsque in finem seculi inter Sanctos nominetur, sed sicut semper in eius sacratissima aula orantes pro vobis persistimus. Omnipotens, clemens, & misericors Deus, in cuius manu cor Excellentiæ vestræ regitur, vna cum excellentissima filia nostra & spiritali commatre domna Regina, seu domno PIPPINO excellentissimo Rege Langobardorum, & proprio spiritali filio nostro, ceteráque vestra nobilissima prole, corroboret cor & mentem vestram, & brachium suæ potentiæ vobis extendat, vt victores vos super omnes barbaras Nationes faciat. Quatenus omnes sub vestro brachio humiliati vestigia pedum vestrorum osculentur, vt ampliùs Ecclesia Dei per vestram à Deo institutam regalem Potentiam, * nimirum exaltata permaneat. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. B

* nimium.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continetur de Abbate venerabilis Monasterij sancti Vincentij, qui apud Domnum Regem insons accusatus fuerat, & inde ablatus, vt eum venusto vultu, ac vibrantissimo animo clementissimè susciperet, quia falsa crimina ei obiiciebantur.*

LXXIX.

Summ. 10. Bar. & Cent.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri,* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* DVM tanto ex puro cordis amore omnes generaliter agnoscunt, quod erga beatum Apostolorum principem Petrum, fautorémque vestrum, & nos crebrò fideliter vestra regalis Potentia prorsus gerit, conuenit nempe ex totis nostris præcordiis, quæ ad salutem pretiosissimæ animæ vestræ pertinent libenti suggerere animo. Proindè salutantes paternam dilectionem indicamus vestræ præcelsæ regali Potentiæ, quia cuncta congregatio venerabilis Monasterij sancti Christi Vincentij vnam concordiam pro hoc simul habentes poposcerunt à nobis, vt nostris apicibus pro Abbate ipsorum, qui insons apud vos accusatus, intercederemus: imò & per vestram præfulgidam iussionem exinde ablatus, vestris regalibus vestigiis præsentatus, eum vobis in omnibus commendaremus, eo quòd nullo modo vestræ regali Potentiæ infidelitatis reum quispiam ex accusatoribus suis facere aut comprobare valebit, eo quod omninò falsum ei crimen obiicitur. Et ideò pro amore beati Petri, regni cœlorum clauigeri, magnoperè petentes fiducialiter quæsumus, vt eum venusto vultu ac vibranti animo clementissimè recipere iubeatis. Iustum quippe est, quemadmodum tam magnam congregationem religiosis moribus suis regulariter atque nauiter regere valuit, à vestris præcelsis obtutibus sospitem absolui, & in pristinum statum clementissimis iussis vestris, nobis poscentibus restitui, quia valde idoneum ad commissum sibi officium seu vestræ fidelitatis, sicut ab omni eius congregatione didicimus, eum agnouimus. C

A DEVS omnipotens, in cuius manu omnia regna mundi reguntur, ipse per suffragia Apostolorum principis Petri, semper nos faciat de vestro regali culmine lætari. Et in hoc mundo vna cum præcellentissima subole vestra super omnes barbaras Nationes dominantes, longo æuo Regni gubernacula fruere valeatis, atque in æthereis arcibus cum Sanctis omnibus regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. CAROLVS MAGNVS.

Indicauerat CAROLVS *Rex* ADRIANO *per Itherium & Magenarium Abbates, Saxones quosdam in paganismum relapsos esse, déque iis, quid agendum esset, interrogauit. Respondit Adrianus Papa, post longam pœnitentiam illos ad consortium Ecclesiæ posse recipi.* Ex Baronio.

LXXX.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum;* ADRIANVS *Papa.* Summ. 9. apud Bar. & Cent.

VESTRÆ à Deo protectæ regalis Excellentiæ suscipientes Missos, scilicet Itherium & Magenarium religiosos Abbates, sciscitati sunt nos interrogantes de Saxonibus, qui Christiani fuerunt, & ad paganismum reuersi sunt, qualem pœnitentiam eis Sacerdotes * indicare debeant. Hoc prædecessorum nostrorum sanctorum Pontificum dudum decretum est, quòd qui resipiscentes, & ruinas suas cogitantes redire maluerint, sub longa pœnitentiæ satisfactione admittendi sunt, & iterum pœnitentiæ satisfactione purgentur quæ non tam temporis longitudine quàm cordis compunctione pensanda sunt. Et ideò, excellentissime & à Deo protecte fili, oportet Sacerdotes partibus illis pastoralem circumdare solertiam, atque Episcopalem induere vigilantiam, & in eorum arbitrio indicere pœnitentiam: considerantes piaculum tam voluntatis quámque extra voluntatem coacti ad suum reuertentes vomitum: & tunc canonica promere sententia, quatenus si veraciter reuersi in fide orthodoxa maluerint perseuerare, promissuros se omnem adimplere Episcopalem prædicationem, indiculum orthodoxæ fidei exarantes, secundum olitanam patrum traditionem, vnum confitentes baptismum, sub iusiurando pollicentes ædem Christianitatis seruaturos, in gremio suscipiantur orthodoxæ fidei Ecclesiæ, vt copiosa merces vobis adscribatur in cœlis. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

* indicere.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones seu benedictiones pro cruce, quam ei miserat, & de territorio Populoniensi seu Rosellensi, vt Domnus Rex suos idoneos Missos dirigeret, qui sub integritate ipsas ciuitates cum suburbana earum ei contradere debuissent.*

LXXXI.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* Summ. 8. apud Bar. & Cent.

PRÆCELLENTISSIMOS atque nitidissimos Deo dicatæ regalis præcelsæ scientiæ vestræ mellifluos suscepimus versos, quos reserantes atque singillatim relegentes, eorum robur cum nimio amplectimur amore, & proculdubio vestra credere dignetur regalis Potestas, quia omninò sicut per eos innotuistis, à nobis in omnibus perficietur. Testem enim inuoco Deum, cui seruio in spiritu meo, quòd sine intermissione die noctúque semper memoriam vestri facio in orationibus meis: obsecrans tam pro vestra in triumphis regali victoria, & perpetua stabilitate, quámque pro sanctæ memoriæ genitoribus vestris, simul coniuge vestra domna * Hiltibranda Regina filia & spiritali commatre nostra, & nempe eorum memoriale non derelinquetur in æternum.

* Hiltegarda.

CRVCEM, quam nobis misistis, in sanctam nostram Ecclesiam recondentes, vestra memoria in æternum in ea manebit. De sospitate enim nostra, quam vestra

CAROLVS MAGNVS. regalis cupit audire clementia, omnia erga nos, Deo fauente, prospera existunt, A quia & nos de vestra regali salute atque victoriis certò audire desideramus, quoniam vestra salus, nostra est, & hoc magnopere poscimus. Et sicut per anteriores nostras Syllabas vestram poposcimus regalem Potentiam, ita perficere dignetur, vti denuò eos Missos suos dirigere iubeat qui nobis contradere debeant fines Popolonienses seu Rosellenses, sicut ex antiquitus fuerunt. Nam ex parte nobis ex ipsis finibus non tradiderunt. Sed quæsumus, vt vestræ regalis oblationis donatio fine tenus maneat inconuulsa. Præsertim & partibus Ducatus Beneuentani idoneos dirigere dignetur Missos, qui nobis secundum vestram donationem ipsas ciuitates sub integritate tradere in omnibus valeant. Vt ex hoc potissimam remunerationem vna cum spiritali filia nostra domna Regina, vestráque præcellentissima prole ab ipso regni cœlorum clauigero beato Petro Apostolo suscipere mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones seu benedictiones pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ, & de Sacramentario exposito à sancto Gregorio immixtum, quatenus eum Domnus Rex poposcerat, per Ioannem Monachum, atque Abbatem ciuitatis Rauennatium miserat.* B

LXXXII.

Summ. 7. apud Bar. & Cent. DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.*

ITER peragratum annectens limina beatorum principum Apostolorum Petri ac Pauli reuerentissimus & sanctissimus Huchbertus Episcopus desiderij sua vota adimplens, obtulit nobis præfulgidos eximiósque vestros in triumphis regales affatus. Quos cum nimio cordis amore reserantes atque relegentes, reperimus in eis, vestram vibrantissimam ac mellifluam nobis destinatam salutem, sed nimirum, quod potiùs * molem desiderantes præstolabamur, de vestra præcelsa regali in triumphis victoria atque sospitate, imò & cunctorum vestrum fidelium prosperitate, paritérque & de profectu atque exaltatione spiritalis matris vestræ sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, in ipsis vestris regalibus mellifluísque speculantes apicibus. In his omnibus noster releuatus est animus, & Redemptori mundi retulimus grates, præcipuè satagentes in Confessione clauigeri regni cœlorum fautoris vestri beati Petri Apostolorum principis, non omittimus crebrò suppliciter diuinam pro vobis exorare clementiam. Tanta quippe erga vestram regalem clementiam vtimur, quia nobis siue in silentio, siue poscentibus, pro profectu atque exaltatione spiritalis matris vestræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ, non C intermittitis decertare, vt per vestra laboriosa certamina magis magísque permaneat irrefragabiliter & congruè exaltata, & dignum vestrum nomen adscriptum in libro vitæ cœlestis, & regalis memoria in seculum seculi hæreat.

* Videtur redundare.

DE Sacramentario verò à sancto prædecessore nostro Deifluo Gregorio Papa disposito, iampridem Paulus Grammaticus à nobis eum pro vobis petiit, & secundum sanctæ nostræ Ecclesiæ traditionem per Ioannem Monachum atque Abbatem ciuitatis Rauennatium vestræ regali emisimus Excellentiæ, quatenus optantes pro vestra regali inuictissima Excellentia, eundem Dei Apostolum vestrúmque protectorem poscentes quæsumus, vt semper vbique vos comitans, victores super omnes barbaras Nationes efficiat, & vnà cum domna spiritali filia nostra excellentissima Regina, vestræque prosapiæ nobilissima prole, longiori æuo in hoc regnantes mundo in vitam æternam, cum Sanctis omnibus regnare sine fine, eius interuentionibus, faciat. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

A *Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum* CAROLVM *Regem directæ, in qua continetur de Constantino & Paulo Ducibus ipsius Apostolici, qui apud præfatum Regem à peruersis hominibus gratis accusati fuerant, postulans vt vnum ex ipsis, scilicet Paulum, quem eius obtutibus præsentandum miserat, vt benignè eum suscipere dignaretur.* CAROLVS MAGNVS.

LXXXIII.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* VT reor, dici non potest, quantum erga vestram à Deo concessam in triumphis potentiam, atque regalem præcellentiam noster, ex intimo cordis existit amor, & ideo non desinimus nostros vestrósque fideles crebrò vestræ commendare amplæ regali clementiæ. Propterea venientes ad nostros Apostolicos obtutus, scilicet Constantinus & Paulus Duces & nostri vestríque, cum nimio mœrore cordis intimauerunt nobis, quòd auditum illis fuisset, se apud vestram regalem potentiam à peruersis hominibus gratis accusatos, & dum nimis eos fideles erga beati Petri Apostolorum principis vestri, nostríque seruitium, agnoscimus, idcirco vnum ex illis, B scilicet Paulum gloriosum Ducem, ad vestram triumphatissimam regalem potentiam gratuito absoluimus animo. Atque nimis petentes poscimus vestram à Deo institutam Præcellentiam, vt sicut vester amor nostrum complexus est auxilium, ita eum benignè suscipere iubeamini, & familiarem apud vestram regalem potentiam commendatum habere dignemini. *Summ. 6. Bar. & Cent.*

MEMINISSE enim credimus vestram regalem Excellentiam, qualiter in aula fautoris vestri beati Petri Apostoli præfatum Constantinum atque Romanum nobis commendare dignati estis, confirmantes procul dubio, vt nostri vestríque essent fideles. Quos nempe subditos cum omni humilitate fideliter seruientes vobis nobisque reperimus, nunquam in sua vacillantes fide, sed proni in vestro nostróque seruitio & amore semper manentes. Qui dum in omnibus eis vestras regales accommodaueritis aures, & ipsum præfatum Paulum gloriosum Ducem regali tuitione circumuallatum amplectemini, fructum boni operis per eum suscipientes bonitatis effectum ante beati Petri principis Apostolorum corpus, diuinam pro vobis, atque spiritali filia nostra, excellentissima domna Regina, vestráque nobilissima prole, exorare valeamus clementiam, vt longiori æuo in hoc mundo regni gubernaculo fruentes, in vitam æternam cum Sanctis omnibus sine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

C *Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum* CAROLVM *Regem directæ, in qua continetur de Veneciis vt de Rauenna seu Pentapoli expellerentur, nec non & de Garamanno Duce, qui possessiones Rauennatis Ecclesiæ violenter inuasisset vel exspoliasset.*

LXXXIV.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* AD aures clementissimæ regalis Excellentiæ vestræ intimantes innotescimus, quia dum vestra regalis in triumphis victoria præcipiendum emisit, vt à partibus Rauennæ seu Pentapoleos expellerentur Venetici ad negotiandum, nos ilico in partibus illis emisimus, vestram adimplentes regalem voluntatem, insuper & ad Archiepiscopum præceptum direximus, vt in quolibet territorio nostro, & iure sanctæ Rauennatis Ecclesiæ, ipsi Venetici præsidia atque possessiones haberent, omnino eos exinde expelleret & sic Ecclesiæ suæ iura manibus suis teneret. *Summ. 5. Bar. & Cent.*

QVID autem contigit de Garamanno Duce, qui subitò irruit super prædia & possessiones sanctæ Rauennatis Ecclesiæ in nostris territoriis sitas, & non solùm eas occupauit, sed & omnes fruges à prædicta abstulit Ecclesia, & de aliis piis locis? Nos quidem statim eum adhortari studuimus, vt si fidelis vester existeret, ipsas

CAROLVS MAGNVS. possessiones piorum locorum reddere prorsus non omitteret, quia & iuris Ecclesiæ Rauennatium siue talium locorum piorum esse videntur,& in nostris territoriis sitæ sint. Ille verò nullo modo recordatus est, neque ipsas possessiones addere voluit, sed illicitè eas detinere conatur. Quapropter poscentes vestram in triumphis regalem Potentiam, quæsumus, vt pro amore fautoris vestri, beati Petri Apostolorum principis, nostráque paterna dilectione, talia illi agere non sinatis, sed per vestram clementissimam regalem præceptionem eum exinde expellere omnino dignemini, vt & nostra territoria per vestram regalem tuitionem intacta permaneant, & quæcunque infra ipsa territoria esse noscuntur irrefragabiliter eorundem locorum possessione & iure fruamur, quemadmodum vestra in triumphis victoria, vna cum domna Regina, vestráque nobilissima prole, hîc & in futuro sine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. A

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continetur de Parochiis Episcoporum, & de eorum sacratione, & de honore Patriciatus Domini Regis, & alia capitula.*

LXXXV.

Summ. 4. Bar. & Cent. DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* QVANTO amoris annisu pro vestro à Deo promoto & ampliato Regno feruescimus, tantum eius præfulgida regali dulcedine & firma stabilitatis constantia permanemus. Quanta enim iocunditatis lætitia erga vestram triumphis regalem potentiam cor nostrum exultat, si sermonibus promere voluerimus, nulla, vt opinor, scripturæ propagata sufficere valebit series, neque vllus sermo explicare potest, qualiter de vestris immensis victoriis atque sospitate, crebrò præstolantes nuntios, die noctúque penitus diuinam pro vestra regali Præcellentia exoramus clementiam, quatenus regales nectareósque vestros, per fidelissimos Missos, suscipientes affatus, scilicet reuerendissimum & sanctissimum Berneradum Episcopum, nec non Radonem dilectissimum Protonotarium . estrum, atque Abbatem, reperimus * in eos vestris præcelsis memoriis, pariterque filiæ nostræ domnæ Reginæ, vestræque nobilissimi prole, simúlque omni populo vobis à Deo commisso, nostris meminerimus orationibus. Freta prorsus quippe existat vestra à Deo promota regalis Præcellentia, quia immensas pro vobis in Confessione beati Petri, fautoris vestri, iugiter totis viribus nostris Apostolicis suffragiis ingementes fundimus preces, vt vbique ipse princeps Apostolorum vos comitans, omnium aduersantium colla sub vestris prosternat pedibus. De nostra verò prosperitate quia promitis, gratissimam atque ineffabilem habete lætitiam, sanctæque spiritalis matris vestræ Romanæ Ecclesiæ status super vos redundat. Nam si aliter, quod absit, euenerit, sine vestra difficile est manere tristitia. Nempe in his certi sumus, quia amat anima amantem se, & dilectio compaginat nos, nec dirimere eam quispiam valebit, eo quòd in vestra prosperitate nostra existit lætitia, & nostram sospitatem vestram credimus esse in æuum iocunditatem: dum iniqui ac procaces, qui aduersus matrem vestram, sanctam Romanam Ecclesiam, peruersa moliebantur perpetrare, Domino cooperante, cœlorúmque clauigero suffragante, per vestra laboriosa certamina demoliti ad nihilum redacti sunt, in veritate comperimus, quia vt vestra regalis Potentia deprompsit, illæsa cum felicitatis gaudio permanens releuata exultat. Scriptum quippe est: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* B C

Matth. 24.

* *Ita quidē apographū, sed omnia videntur mendosa, legendáque,* reperimus in eis, vt vestræ præcelsæ memoriæ, pariterque, &c. vestræque nobilissimæ prolis, simúlque omnis populi vobis à Deo commissi.

DE cunctis verò, quæ per Legatos & Epistolas nostras vestra cognouit Excellentia, & ex parte per nostros respondit Missos, quibus ore fari prædixit, liquidius nobis omnia innotescentes, solito more benignè atque amabiliter eos audientes, accommodauimus aures, & singillatim reddidimus congruum aptúmque responsum. Reperimus quippe in ipsis regalibus apicibus vestris, nil pro deminutione sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac Apostolatus nostri, sed magis pro exaltatione & honore * mysteriique nostri seruanda rectitudine vestram illaborare Excellentiam, ac petere, vt nullatenus iniquo ori ad eius mendacium præberemus assensum, quia nec terrenarum facultatum ambitio, vel qualibet seductio hominum, vos aliquando

* ministeriique.

A ab iis, quæ beato Petro Apostolo polliciti estis, separare poterit, sed neque à nostra charitate vel firma dilectione: cùm proculdubio scimus, quòd vestra regalis potentia, quia non pro deminoratione, sed semper pro exaltatione spiritalis matris vestræ, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, decertauit, fama in omnem Gentem diuulgata sine tenus dedita, atque exaltata manebit. Potiùs autem nos quæsumus vestram regalem Excellentiam, vt nullatenus subdolo & homini mendaci, sicut fertis, præbeatis assensum, qui si talia aduersus nos mentiens inuentus fuerit, nostris Apostolicis obtutibus, vna cum Misso vestro dirigere dignemini: & si mendax apparuerit, secundum sua peruersa merita puniatur, sicut polliciti estis clauiculario regni cœlorum beato Petro. Itaque persistere dignemini, quia nostra promissio immutilata atque inconcussa sine quolibet manebit dolo.

ILLVD autem quod fertis in nostris apicibus reperisse, quòd diœceses Langobardorum Episcopi alter alterius inuadentes ac illiciter tenentes in pristino permanerent errore, omnino sicut vobis placabile est, secundum canonum instituta, emendare conamur, quia alterius arripere anhelantes parochias in periurij reatum incurrunt, Langobardorum Regum terminos, atque censuram seruantes, procul ab obseruatione canonum, in eorum transgressionem labentes, & iurgia atque discordias gignentes, in molem incidunt errorum. Idcirco Apostolica præuidimus auctoritate, vt, sicut canonicè in decretis eorum consistunt, & quando à nobis ordinantur, olitana consuetudo proclamatur, Clerus & plebs consistens Ecclesiæ ciuitatis illius, elegerunt sibi Episcopum illum, sic parochiam eiusdem ciuitatis præ manibus teneat. Et si in eorum decretis atque nostræ Apostolicæ ordinationis scriptis canonicè promitur atque statuitur, cur non in eiusdem ciuitatis territorio, vbi ordinatus est, habeat in integro parochiam suam? Sed qui terminos antiquorum patrum transgredientes suam conantur immoderationem atque imperitam adimplere voluntatem, iudicium sibi Canonum committunt.

B

DE filia verò Ermenaldi, quæ, veste mutata, iterum post tergum reuersa, illicitum sortita est matrimonium, nostris directa, vt perhibuistis, obtutibus canonicè iudicanda, prorsus minimè ad nos properauit. Nos omnium Ecclesiarum pastoralem curam habentes diuina prædicare præcepta, non sinimus de consecrationis vitio, quod in partibus Italiæ & Tusciæ per hæresin Simoniacam fit, attamen multis locis non sinitur, imò & Rauennatium Ecclesiæ ciuitatis, sicut Missi vestri, vt fertis, vobis retulerunt, assolet fieri. Vnde multæ pecuniæ per talem nefandam dationem alienatæ esse cernuntur, vt aurum & argentum iam non habentes, & iam ipsæ res Ecclesiarum per emphyteuses manu conscriptas existant alienatæ, & per nefandam dationem afflictæ, & depopulatæ esse cernuntur. Absit enim à nobis, vt super tales viros, veritate comperta, manus consecrationis imponeremus, sed nec ad audiendum aures inclinaremus, etiamsi quælibet nobis Potestas tales à Canonibus viros poposcisset consecrari, quia nunquam nos in qualibet electione nobis inuenimus, nec inuenire habemus, sed neque vestram Excellentiam optamus talem rem incumbere, sed qualis à clero & plebe cunctóque populo electus canonicè fuerit, & nihil sit, quod sacro obsit cordi, solita traditione illum ordinamus. Nos quippe cum subscriptione decreti à cuncto populo roborati electum suscipientes, & ne videatur viduata morari Ecclesia à proprio Rectore, sicut Canonum instituta censuerunt, nostris Apostolicis præsentatus, ipsum deducentes electum, enucleatius eum de singulis indagantes capitulis, singillatim orthodoxæ fidei, atque diuinorum voluminum, interrogamus an habeat peritiam, & postquam nobis fidelem responsionem edixerit, & à ceteris olitanis capitulis, quæ à Sacerdotibus cauenda sunt, mundum se esse perhibuerit, maximè hæresi Simoniaca, obtestantes sciscitamur: videlicet, aliquam promissionem cuiquam aut dationem fecerit, quia Simoniacum & contra Canones est. Et dum coram omnibus à nobis interrogatur: respondit: Absit. Et nos dicimus, Tu videris, & si conscij sunt; capiti eorum respiciat periculum. Vnde simili modo sub iusiurando in scriptis respondent, nunquam se aliquid accepturos de manus impositione. Quanta enim auctoritas beato Petro Apostolorum principi, eiúsque sacratissimæ sedi concessa est, cuiquam non ambigimus ignorari: vtpote quæ de omnibus Ecclesiis fas habeat iudicandi, neque cuiquam liceat, de eius iudicare iudicio, quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes beati Petri Apostoli ius habebit soluendi, per quos ad vnam Petri Sedem

C

CAROLVS MAGNVS.

vniuersalis Ecclesiæ cura confluit, & nihil vnquam à suo capite dissidet. A

INTEREA reperimus, in ipsis regalibus apicibus vestris exaratum, sicut præterito anno vobis direximus, pro hominibus Rauennatibus, Pentapolensibus, de quibus scripsimus, vt eos nobis dirigeretis, sicut Beneuentano Duci fecistis: &, vt fertis, de parte Apostolatus nostri nihil mali, sed magis quæ bona sunt retulerunt. Sed neque eis neque cuilibet homini, vllatenus in nostra aduersitate præberetis consensum, sed statim si tales reperissetis, & hominem & causam ad nostrum iudicium mitteretis, nos ab initio, & vsque in finem, talem erga vestram regalem Excellentiam habemus fiduciam, quòd pro nullo terreno homine, ab amore & charitate beati Petri Apostolorum principis, nostráque dilectione, vt polliciti estis, recedetis, quia & nos in ea, quam vobis polliciti sumus, fide, vsque in finem permanebimus. Ipsi verò Rauenniani & Pentapolenses, ceteríque homines, qui sine nostra absolutione ad nos veniunt, fastu superbiæ elati, nostra ad iustitias faciendas contemnunt mandata, & nullam ditionem, sicut à vobis beato Petro Apostolo, & nobis concessa est, tribuere dignantur. Tamen fidelissimi vestri præfati Missi viderunt ipsos Rauennianos, quos vobis præsentauerunt, qualiter nobis in superbia extiterunt, sed quæsumus vestram regalem potentiam, nullam nouitatem in holocaustum, quod beato Petro, sanctæ recordationis, genitor vester obtulit, & vestra Excellentia ampliùs confirmauit, imponere satagat, quia, vt fati estis, honor Patriciatus vestri à nobis inrefragabiliter conseruatur, etiam & plus ampliùs B honorificè honoratur, simili modo ipse Patriciatus beati Petri, fautoris vestri, tam à sanctæ recordationis Domno Pippino, magno Rege, genitore vestro, in scriptis in integro concessus, & à vobis amplius confirmatus, irrefragabili iure permaneat. Sicut enim vestra regalis Excellentia in suis tulit apicibus, minimè ei contrarium videretur, quicumque de Episcopis aut Comitibus, seu ceteris hominibus, partibus vestris, aut nostra iussione complendi, siue propria voluntate ad nos venire voluerint, sed nec non nostræ paternitati displicere rectum est, qualiscumque ex nostris aut pro salutationis causa, aut quærendi iustitiam, ad vos properauerit, nihil durius vobis exinde apparet. Sed sicut vestri homines sine vestra absolutione ad limina Apostolorum, neque ad nos coniungunt, ita & nostri homines, qui ad vos venire cupiunt, cum nostra absolutione & Epistola veniant: quia sicut nos semper vestros homines suscipientes commonemus, vt in vera fide atque puritate cordis, totis eorum viribus, in vestro maneant seruitio, ita & vos simili modo, quicumque ex nostris hominibus ad vos venerint, eos omninò obtestari atque commonere, vestram regalem prudentiam quæsumus, vt sicut genitor vester sanctæ recordationis Domnus Pippinus, magnus Rex, eos beato Petro, eiúsque Vicario concessit, & demùm Excellentia confirmauit, sic ammonere atque obtestari iubeamini, vt nullo modo audeant se in superbiam elationis efferre, quando ad vos properauerunt. Sed potiùs subiecti atque humiles in seruitio beati Petri & nostræ præceptionis maneant subiecti, & hortamini eos, quia omnino in seruitio & ditione beati C Petri Apostoli vsque in finem seculi permanebimus, qui si tales non reperti fuerunt, à vestra Excellentia simúlque à nobis maneant correpti.

ET hoc pariter poscimus vestram à Deo protectam regalem Potentiam, vt fidelissimos nostros Missos, simúlque vestros, pro amore Dei, & beati Petri Apostolorum principis, nostræque dilectionis, eos vltro citróque fouere atque commēdatos habere dignemini, quia nimis erga præsidiatorem & protectorem vestrum, beatum Petrum Apostolorum principem, & nos, fideles eos reperimns, & ideo petimus, vt amplius per vestrum regale adminiculum, nobis poscentibus, eleuati atque exaltati pro nostro amore, in vestro præfulgido regno existant, quia quantum caput totius mundi, sanctam Rom. Ecclesiam, eiúsque Rectorem simúlque Antistitem amplectens, honorabilis térque glorificanda vestra diuinitus præordinata summa excellentia diligit, tantum eam beatus Petrus Apostolorum princeps vna cum domna filia nostra, excellentissima Regina, vestráque nobilissima subole, & hic longiori æuo, regni gubernaculo perfrui, & in futuro inconcussa faciet soliditate victrice gaudere. Incalumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

CAROLVS MAGNVS.

A *Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum* CAROLVM *Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones, & de Rosellis & Populonio, & de ciuitatibus Beneuentanis, vel de insidiis Græcorum.*

LXXXVI.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spirituali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* NECTAREAS nimisque mellifluas regalis Excellentiæ vestræ suscepimus Syllabas, in quibus agnoscentes vestræ sinceritatis salutem, & spiritalis filiæ nostræ domnæ Reginæ, vestræque præcelsæ prolis, & quod in finibus vestris, Christo propitio, omnia prospera esse cernuntur, magnas omnipotenti Deo retulimus grates, qui nos de vestro regali triumpho crebro lætos efficit. Summ. Bar. & Cent.

DE Apostolicis verò Syllabis nostris, quas vobis emisimus, primùm quidem per Aruinum Comitem, postmodum verò per sororem & Bectonem directas, & in vestris regalibus apicibus reperimus nobis exinde grates referri, prorsus nobis vestra regalis Excellentia credere velit, quia nunquam voluimus, vt Grimualdus filius Arichis in Beneuentum remeasset, nisi propter inimicorum vestrorum atque nostrorum machinationes atque insidias, sed verum etiam, sicut vestra promisit nobis regalis Excellentia, pro exaltatione atque defensione sanctæ Dei Ecclesiæ, & pro vestro nostróque profectu. Quod vos, Domino opitulante, & beato Petro Apostolorum principe comitante, omnimodis illis creditis cum summa virtute agere, procul dubio in his credimus, qui opus, quod cœpistis, pro exaltatione spiritalis matris vestræ, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, finetenus perficietis, & magis magisque per vestra laboriosa certamina exaltata manebit, quia pro huiusmodi vestrum regale nomen in libro æternæ vitæ adscriptum est. B

ILLVD autem, quod nobis vestra intimauit Excellentia, vt quicquid de istis partibus compertum habuerimus, sub celeritate omnia vestræ regali Excellentiæ significare niteremur, emisit nobis Stephanus, Neapolitanus Episcopus, per suos apices * diaconia iuris sanctæ nostræ Ecclesiæ sibi concedi, in quibus embolum posuit, significans nobis, de nefando Adalgiso filio proterui Desiderij, & de insidiis Græcorum. Simili modo & Campulus Episcopus Caietanus per suas series ea ipsa nobis intimauit, quatenus pro nimio vestro amore idem embolum atque Epistolam infra posuimus. Sed taliter vestra Præcellentia commendare, atque disponere iubeat, vt exercitus à vobis demandati, vt nobis direxistis, præparati existant, & vbi nobis necesse fuerit celeriter occurrere satagant. * Diaconiam.

REPERIMVS etiam in ipsis vestris apicibus embolum de ciuitatibus in partibus Beneuentanis, quas beato Petro Apostolo & nobis deuotâ obtulistis mente. C De Rosellis, & de Populonio, Aruino Duci iussistis, qualiter cum ceteris fidelibus vestris Missis, ita omnia complere debeat, sicut Deo placeat, & beato Petro Apostolo. Et nos propterea in his pro vestra beneuola Excellentia non desinimus diuinam exorare clementiam. Sed quid Missis vestris contigit, vestra noluerunt adimplere de huiusmodi iussa, neque de Rosellis & Populonio, neque partibus Beneuentanis. Vnde Crescentem & Adrianum Duces, cum fidelissimis Missis vestris, in partibus Beneuentanis direximus, vestra regalia suscipientes vota. Sed nulla alia illis tradere voluerunt, nisi Episcopia, Monasteria, & curtes publicas, simul claues de ciuitatibus sine hominibus, & ipsi homines in eorum potestate introeuntes & exeuntes manent. Et quomodo nos sine hominibus ciuitates illas habere potuerimus, si habitatores earum aduersus eas machinarentur? Nos quippe in eorum libertate permanentes, sicut ceteras ciuitates in partibus Tusciæ donis vestris regere, & gubernare eos cupimus, omnem eorum habentes legem.

VNDE petimus vestram Excellentiam, vt nullus hominum sit, qui vestra sacra vota impedire valeat, & ne meliorem faciatis Grimualdum filium Aragisi, quàm fautorem vestrum beatum Petrum, clauigerum regni cœlorum: eo quòd ipse Grimualdus in Capua, præsentibus Missis vestris, laudabat se dicens: Quia Dominus « Rex præcepit, vt qui voluerit homo meus esse, tam magnus, quàm minor, sine du- « bio est tam meus, quàm vel cuius voluerit. Quæ, vt nostris euenit auribus, optima- «

CAROLVS MAGNVS. tes Græcorum, in Neapoli sedentes, insultantes fremebant dicentes, Deo gratias, A
quia eorum promissa ad nihilum sunt redacta, sed eorum cachinnos nos & subsannationes pro nihilo reputamus, quamuis ipsi Græci referebant, quia Missi Apostolici iam duabus vicibus sine effectu reuersi sunt. Ecce enim huiusmodi remittimus in seruitio beati Petri Apostoli, cum vestris fidelissimis Missis, nostros, qui vobis omnia liquidiùs suggerere debeant, & quæsumus vt taliter eos pro hac causa disponere iubeatis, vt fautor vester beatus Petrus Apostolus, secundum vestram sacram oblationem, suscipiat effectum, vt hìc & in futuro vna cum domna Regina vestrâque nobilissima prole, existat retributor. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ, & de honore pallij Sacerdotalis concessi Ermenberto Episcopo.*

LXXXVII.

Summ. 2. Bar. & Cent. DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa*. DIRECTVS à regali potentia vestra reuerentissimus & sanctissimus vir, scilicet Ermenbertus Episcopus, nostrisque adpræsentatus Apostolicis aspectibus, obtulit B
nobis præcelsæ Excellentiæ vestræ sagacissimos atque honorabiles regales affatus. Quos cum nimio amplectentes amore, regi Regum, in cuius potestate sunt omnia regna mundi, gratias egimus, qui nos de vestra inclyta sospitate lætos crebrò efficit: eo quòd per huius mundi regna cœlestia magis ambire atque hæreditare concedit, per beatum Petrum Apostolorum principem de sæuitia aduersariorum triumphantes.

REPERIMVS quippe in ipsis regalibus affatibus vestris, vt prælato Ermenberto Episcopo pallium sacerdotalibus infulis decoratum ex Apostolica auctoritate concederemus, quia ciuitas Metropolis in Aquitania videtur esse patria, quæ Bituricas nuncupatur, vbi nunc præfatus venerabilis vir præesse dinoscitur, curámque Pastoralem deuotus exercere videtur, quatenus ignorantes, si canonicè in Prouinciæ partibus illis iam ordinatus tàm à prædecessoribus nostris, quamque à nobis fuisset, enucleatiùs eum indagari curauimus, ne vsurpationis locus aliquis Sacerdotibus in alterius iure concedatur. Qui præfatus sanctissimus vir nobis confessus est, vt sub nullius Archiepiscopi iuris ditione esse videretur.

QVAPROPTER pro nimio vestro regali ex intimo cordis amore, prædicto Ermenberto à nostra Apostolica sacratissima Sede, atque auctoritate, Archiepiscopo constituto in Metropolitanam ciuitatem, quæ Bituricas cognominatur, sicut dudum mos exstitit, sub iure sanctæ recordationis * Ecclesiæ degenti, vsum pallij concessimus fruendi. Et ideo quæsumus, vt per vestrum præcelsum regale C
adminiculum ministerium sibi commissum dignè sibi valeat & canonicè dispensare, Sacerdotali moderamine suscipiente affectum, vt dum plebs sibi concessa ab insidiatoribus inconuulsa atque intacta permanserit, simúlque à vestro regali culmine tuta fuerit, ab ipso clauigero regni cœlorum, beato Petro Apostolo, dignam mereamini suscipere retributionem, vt vna cum excellentissima & spiritali filia domna Regina, vestrâque præcelsa subole, redemptor omnium Deus, longo ac prospero senio ampliùs exaltati Regni gubernaculo faciat perfrui, & vitam æternam pariter vobis tribuat possidendam. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

* *videtur aliquid deesse.*

Item

A *Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum* CAROLVM *Regem directa, in qua continetur de Arachiso Duce Beneuentano, qui postquam Rex Carolus à Capuana vrbe reuertisset, prædictus Arigisus, Deo sibi contrario, apud Imperatorem Missos suos direxerat, petens auxilium & honorem Patriciatus, cupiens fidem, quam pollicitus fuerat, irritam facere, promittens se tam in tonsura, quàm in vestibus vsu Græcorum perfrui.* CAROLVS MAGNVS.

LXXXVIII.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa*. NECTAREOS suauissimósque præcelsos regales apices vestros cum nimio cordis suscepimus amore, quos reserantes reperientésque vestram regalem sospitatem, simul & spiritalis filiæ nostræ domnæ Reginæ, vestræque nobilissimæ prolis salutis prosperitatem, magnas omnipotenti Deo retulimus grates, qui vobis per intercessiones beati Petri Apostoli, fautoris vestri, nobis velut immeritis, iugiter pro vobis exorantibus, indesinenter victorias vbique tribuit, & omnia circa vos salubriter disponit tam marcas quámque confinia. Magis quippe de subiectione Baiuariorum, sicut nempe prædiximus & optauimus, ita & præstolantes audiuimus, de B vestra præcelsa regali in triumphis victoria. *Bar. ibid. Summ. t.*

NEMPE quidem meminisse credimus, qualiter vobis per anteriores nostras Apostolicas emisimus Syllabas de Capuanis, qui ad nos venerunt per vestrum regale adminiculum, quatenus dum ipsas nostras vobis emisissemus Syllabas, post aliquantos dies, præfatos Capuanos in confessione protectoris vestri beati Petri Apostolorum principis iurare fecimus, in fide eiusdem Dei Apostoli, & nostra atque vestræ regalis Potentiæ. Et post actum sacramentum vnus ex ipsis Capuanis, Gregorius Presbyter, nobis petiit secreta loqui, asserens, quia nullo modo iam quippiam celare possum, tale vobis præbens sacramentum. Et dum à nobis enucleatiùs sciscitatus fuisset, retulit nobis dicens, quia dum Domnus Carolus Magnus Rex præterito anno à Capuana vrbe reuersus fuisset, Arichis Dux suus ad Imperatorem, Deo sibi contrario, emisit Missos, petens auxilium & honorem Patriciatus vna cum Ducatu Neapolitano, sub integritate, simul & suum cognatum Athalgisum cum manu valida in adiutorium sibi dirigi, promittens ei tam in tonsura, quam in vestibus vsu Græcorum perfrui, sub eiusdem Imperatoris ditione.

HÆC audiens autem Imperator, emisit illi suos legatos, scilicet Spatarios duos, in ditionem Siciliæ ad Patricium eum constituendum, ferentes secum vestes auro textas, simul & spatam, vel pectinem, & forcipes, sicut illi prædictus Arichisus indui & tonderi pollicitus fuerat, petentes Ramualdum eiusdem Arichisi filium in C obsidiatum. De Athalchio verò cognito, emisit ei dicens, quia nunc illum non dirigimus, quem apud illum nunc dirigimus, sed eum dirigimus cum exercitu in Teruisio, aut Rauenna. Qui venientes, Dei nutu, per suffragia Apostolorum malignantium consilia dissipata repererunt, eo quòd Arichisum Ducem, vel ipsius filium VValdonem, defunctum inuenerunt. Et dum ibidem Salerno Atto fidelissimus vester Missus fuisset, Beneuentani ipsos Græcos minimè recipere voluerunt, sed post reuersionem prædicti Attonis Diaconi, tunc eos terreno itinere à finibus Græcorum deferentes, Salerno receperunt, & cum Athalberga relicta Arichis, seu optimatibus Beneuentanis, tribus diebus persistentes conciliati sunt, suadentes ipsi Beneuentani prædictis Missis Græcorum dicentes: Quia nos ad Regem Carolum emisimus Missos nostros, petentes ab eo Grimaldum Ducem nostrum recipere. Insuper & per Attonem Diaconum, ipso nobis pollicente, rogam emisimus, vt penitus eum Ducem consequenter susciperemus. Sed propter hoc morari vos Neapoli conuenit, dum vsque ipsum Grimualdum recipere possimus Ducem: & quod genitor eius Arigisus minimè valuit adimplere, Grimualdus eius filius, dum culmen genitoris sui adeptus fuerit, prorsus imperialem voluntatem cum omni ditione, sicut cum suo constitit genitore, in omnibus adimpleat, pariter nobis promissa explentibus. Quapropter terreno itinere vsque Neapolim eos cum magno deduxerunt honore. Qui Neapolitani ipsos Græcos cum bandis & signis susci-

CAROLVS MAGNVS. pientes ibidem degentes prædictæ rei præstolantes aduentum, non desinunt cum Stephano Episcopo & Constantino ciuibus Neapolitanis aduersa perpetrantes tractare, mittentes ipsi Græci ad Imperatorem, de obitu Arichisi filiique eius denunciantes, & ab eo exspectant consilium, quid agere debeant. A

SED in his omnibus, excellentissime, & à Deo protecte fili, solertissima regalis Potentia vestra nitatur pertractare tam pro exaltatione spiritalis matris vestræ, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nostráque salute, quámque Domino protegente, beatóque Petro clauigero regni cœlorum præsidiante, pro vestri inuictissimi Regni in triumphis securitate.

PORRO & hoc sicuti per se Gregorius Presbyter Capuanus nobis innotuit de fidelissimis Missis vestris, scilicet Magenario religioso Abbate, seu Ioseph, & Liuderico Comite, atque Gotteranno * Hostiario, quia Beneuento reuersi Spoletum, ideo exinde fugerunt, eò quòd tale consilium Beneuentani cum Neapolitanis & Surrentinis atque Amalfitanis habuerunt, vt foris ciuitate Salernitana, iuxta mare, vestros Missos applicare facerent, & noctè repentino cursu super eos ruent Beneuentani, pariter cum Neapolitanis, illos interficerent, & postmodum proferrent, quia Neapolitani, quasi super ipsos Beneuentanos venientes, existimantes sese Beneuentanos, eos clam occiderent. Et præfati Missi vestri hæc cognoscentes coacti fugam arripuerunt, vestram conquerentes regalem illusionem, quod si ipsi Missi vestri * Salerno Neapolitani cum Amalfitanis & Surrentinis armati ibi absconsi fuerunt, vt irruerent cum Beneuentanis super ipsos Missos vestros, vt occiderent. Quod nempe certi facti sumus, omnia eorum nequam consilia ad nihilum rediguntur, eo quòd talem amplissimam fidem, atque ex intimo corde dilectionis amorem, erga beatum Petrum principem Apostolorum, & nos, vestram regalem Potentiam omnino habere agnoscimus, & idcirco omnia vobis, sicut ipsum Dei Apostolum die noctúque petimus, suggerentes subiiciuntur, & vestris præfulgidis regalibus plantis substernuntur. B

* Ostiario.

* locus corruptus.

DE nostra verò sospitate, vt inquirendam direxistis, Domino coopitulante, vestram omnino agnoscentes salutem, valentes pro vobis non desinimus fundere preces, vt in hoc mundo regni gubernacula multorum curriculo fruentes annorum, & in æthereis arcibus vna cum domna Regina, vestráque nobilissima subole, sine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continetur de Missis Offæ Regis Anglorum, qui simul cum Missis præfati Regis Caroli Roma properarent, & qualiter prædictus Papa ipsos Missos Anglorum honorabiliter suscepisset, quemadmodum ei prædictus Rex* CAROLVS *per suos legatos mandauerat, seu & de aliis capitulis.* C

LXXXIX.

Summ. 43. Bar. & Cent.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa*. SAGACISSIMOS nectareósque à vestra præcipua regali in triumphis Potentia directos suscepimus liquidos affatus. Quos cùm nimis solito reserantes amore, ea, quæ iugiter præstolabamur, agnosci priùs comperimus, scilicet de inclyta sospitate atque prosperitate vestra, simúlque spiritalis filiæ nostræ domnæ Reginæ, tam de præcellentissima vestra regali prole, quàm de cuncta eius fidelissima familiaritate. Sicut enim à vestra regali clementia fertur, quod magnum habet desiderium, vt frequenter per nostros Apostolicos apices, aut per Missum, qualiter erga nos esse decernitur, intimaremur, ita potiùs crebris nos assiduè sistimus desideriis inhianter audire, tam per vestram regalem exarationem, quàm per præcipuum vestrum Missum de vestra in triumphis victoria atque prosperitate, immo præfatæ domnæ Reginæ, simúlque vestræ nobilissimæ subolis, paritérque cunctorum fidelissimorum vestrorum subiectorum sinceritate atque incolumitate. Nempe quidem credere dignemini, quia nullo modo nostra Apostolica desinunt suffragia in confessione beati Petri, clauigeri regni cœlorũ, diuinam pro vobis exorare clemen-

A quia prorsus certiores sumus, quòd non desinit vestra præcelsissima regalis beneuolentia, pro exaltatione matris suæ, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, & nostra Apostolica paterna prosperitate, penitus summo annisu tractare, sicut olim sanctæ recordationis genitoris tui Domni Pippini almi Regis normam suscepit: quia sicut cœpit, fine tenus immutilatè perfecit; cuius adepti doctrinam celsior suffragiis Apostolorum, & nostris assiduis interuentionibus, vestra in omnibus existit regalis potentia. CAROLVS MAGNVS.

PORRO in ipsis regalibus apicibus vestris referebatur, quòd Offa Gentis Anglorum Rex vestræ direxisset regali Excellentiæ, significandum indiculum, vt aliqui æmuli vestri ac sui ad nostra Apostolica vestigia indicarent, quòd idem Offa Rex vobis suggereret, vt per suam videlicet adhortationem atque suasionem nos à Sede sancta dignitatis nostræ, quod absit, eiicere deberetis, & alium ibidem de Gente vestra institueretis rectorem. Quod valdè nefandissimum, ac contrarium in oculis vestris apparuit. Scriptum, & hoc omnino falsum esse à vestra Excellentia pro certissimo dinoscitur, quia nec ipse Offa hanc hortationem minimè vobis fecit, & nullatenus in corde aliter ascendit, nisi vt paternitas nostra per Dei misericordiam eius temporibus sanctam Dei Ecclesiam regere & gubernare valeat, ad profectum videlicet omnium Christianorum, in quibus nos omninò procul dubio de vestra regali Potentia confidentes existimus, quia erga nostram Apostolicam B paternitatem, eius beniuola atque inexpugnabilis orthodoxa fides, *feruens in Spiritu sancto: quia vt ignis ardens præcellens manebit, & nullo modo antiqui hostis versutia in qualibet hæresi concutere eam valebit contra Catholicam Apostolicámque orthodoxam fidem. Sed, sicut speculum sine macula, eiusdem orthodoxæ fidei, nostræque summæ Sedis verax & fulgens defensor vibrantissimè in æuum manebit. Præfatæ verò illuuies assertionis, quam fateris, vt dici nefas est, Offæ Regis, nos vsque hactenus talia minimè audiuimus, sed neque nunc audientes credidimus, quòd talia, si etiam, vt absit, paganus fuisset, perpetrare cogitasset, quanto magis à prædecessoribus suis Regibus, semper subiectis in obedientia atque fideli amore sanctis prædecessoribus nostris Pontificibus, & nobis existentibus, hæc inaudita versutia incredibilis à nobis existimatur?

* feruet.

ATTAMEN si Deus pro nobis, quis contra nos? *Dominus mihi adiutor est, non timebo quid faciat mihi homo.* Et iterum: *Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo? Omnis enim plantatio, quam pater cœlestis plantabit, nullus eradicare valebit, quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Nos quippe, vel immeriti, Sedem Apostolorum adepti vicem beati Petri principis Apostolorum suscipientes ac tenentes, atque cunctum populum Christianum nobis à Deo commissum regentes, non ab hominibus, neque per hominem electi sumus, sed per Iesum Christum Dominum nostrum vocati in C Euangelium eius prædestinati sumus, sicut vas electionis beatus Paulus Apostolus docuit, *Quos præsciuit & prædestinauit, quos prædestinauit hos & vocauit, quos vocauit hos & elegit, quos elegit hos & glorificauit.* Et iterum beatus Iacobus Apostolus instruit & docet: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis:* & idcirco voluit adamantem & silicem (esse) propheticum confirmantes sermonem, nihil metuentes non desinimus diuinum verbum Gentibus prædicare, sicut scriptum est: *Speculatorem dedi te domui Israel, & audiens de ore meo verbum, adnunciabis eis ex me.* Beati enim Petri clauigeri regni cœlorum præcepta censentes, prædicare non desinimus Regibus ac populis verbum veritatis atque vitæ, pro cuius amore, vna cum fidelissimis Missis vestris, vt nobis direxistis, prædicti Offæ Regis Missos libenti animo suscipientes, congruè hilari vultu super eos pro vestra inclita Excellentia respeximus, eorum explentes vota, quemadmodum gratias vestræ à Deo promotæ regali in triumphis Potentiæ referre valeant, quia solitè nos vestram satagimus adimplere, sicut & vos nostram voluntatem. Quibus vsque in finem perfectè obseruatis, diuina Maiestas vos huius mundi Regni gubernacula æuis & temporibus vna cum domna Regina vestrisque nobilissimis filiis faciat perfrui, & in perpetuum cum Sanctis omnibus triumphantes gaudere. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Psal. 117. Psal. 26. Matth. 15. Ioan. 1. Iacob. 1. Ezech. 33.

CAROLVS MAGNVS.

A

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Dominum CAROLVM, *in qua continetur de aduentu Adalchisi partibus Calabriæ, & vt Grimualdum in Beneuento Ducem non constitueret, & de ciuitatibus Beneuentanis, & Rosellis, & Populonio.*

X C.

Summ. 42. Bar. & Cent.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa*. VENIENTES ad nos fidelissimi Missi vestri, scilicet Roro Capellanus, seu Betto, post vestram optabilem regalem sospitatem adnunciatam, sciscitati sunt à nobis de nefandissimo Athalgiso, filio Desiderij Tyranni Regis, si ita fuisset, quòd, Deo sibi contrario, in partibus Italiæ venisset. Nos verò nuper, quod de ipso proteruo Athalgiso audiuimus, per fidelissimum Missum vestrum Aruinum Comitem vobis intimare non omisimus, quia pro vestra regali victoria, Deo auspice, retractantes, nullum neglectũ ex omni parte ponimus, vestræ præfulgidæ Excellentiæ indicantes, vt, Domino opitulante, atque B. Petro Apostolorum principe comitante, præcipua vestra regalis prouidentia prudentissimè suam nostrámque salutem procuret. Sic enim de iam dicto nequissimo Athalgiso nobis nunciatum est, quia in veritate, Deo sibi contrario, cum Missis Imperatoris, in partibus scilicet Calabriæ residet, iuxta confinium Ducatus Beneuentani, vt de eius inualido aduentu Campulus Episcopus ciuitatis Caietanæ per suas nobis significauit Syllabas. Similiter & de Pentapoli pro eiusdem Athalgisi arrogantia nobis in scriptis intimauerunt, quatenus ob nimium vestrum amorem infra alios misimus apices, tam Caietâ quámque Pentapoli series nobis destinatas. Nempe quidem scimus, quia ipse iniquus & perfidus Adalgisus pro nulla alia causa in istis declinauit partibus, nisi tantummodò pro vestra, nostráque contrarietate. Vnde oportet, vt firmissima vestra sacra partibus Beneuentanis emittere * vestra præcelsa regalis Excellentia nitatur, vt vndique per vestrum regale amminiculum imperturbati pariter maneamus.

B

** Videtur redundare.*

NOS verò hæc omnia considerantes, dilectissime, nimisque amantissime, atque à Deo protecte prærectissime fili, nobis sic aptum esse videtur, vt siue voluntatem vestram fecerint ipsi Beneuentani, non vllo modo expedit Grimualdum filium Arichisi Beneuentum dirigere. Verumtamen sicut vobis ab omnipotenti Deo nostro prudentissima sapientia concessa est, ita sagaciter pro huiusmodi re pertractare atque congruè disponere iubeatis vt ea, quæ vobis nobisque expedibilia fuerint, ad perfectum salubriter veniant, vt non in quolibet labore pariter eueniamus: sed si ipsi sæpiùs dicti Beneuentani minimè vestram regalem adimpleuerunt voluntatem, sicut vobis polliciti sunt, statim ibidem taliter exercitus emittere studeatis, vt ad profectum sanctæ nostræ Ecclesiæ, vestræque regalis perueniat Excellentiæ, & sic illis partibus disponatur, vt inimicus locum nocendi non inueniat, sed semper vestra in triumphis exultet in Domino regalis victoria.

C

ENIMVERO vna cum fidelissimis Missis vestris pertractantes considerantésque, vt si minimè ipsi Beneuentani adimplere voluerint regalem vestram voluntatem, ad Kalendas Maias vester robustissimus exercitus in confinio præparatus super ipsos irruere Beneuentanos inueniretur, & demùm pariter penetrantes, in his confirmari propter æstiui temporis ægritudinem non audebimus. Et iterum si super eos à Kalendis Maiis vsque in Septembrem mensem exercitus non venerint, dubium nobis esse videtur, vt fortè, Deo sibi contrario, prædictus nefandissimus Adalgisus, per insidias Græcorum non aliquam nobis vobisque conturbationem facere moliatur, quia iam dicti Missi Græcorum cum eo esse noscuntur, & alij in Neapoli residere videntur. Sed hæc existimãtes in vestro robustissimo atque à Deo protecto regali arbitrio emisimus pertractanda, vt qualiter vobis placuerit, disponere celeriter dignetur, nobis intimando per suos regales affatus suam nostráque securitatis salutẽ.

QVAPROPTER nimis poscentes, quæsumus vestram prærectissimam Excellentiam, vt nullo modo pro causa Grimualdi filij Arichisi credere plus cuiquam iubeatis, quàm nobis. Nam pro certo sciatis, quia si ipsum Grimualdum in Beneuentum miseritis, Italiam sine conturbatione habere minimè potestis, eo quòd Leo Episcopus secreta nobis sic fatus est, quia Adalberga relictã Arighis, tale habet

A consilium, vt dum ipse Grimualdus filius eius Beneuentanos fines introierit, ingeniosè cupit duas filias suas secum deferre, & quasi orationis causa sanctū Angelum in Garganum pergere, & deinde in Tarantum, vbi & thesauros suos reconditos habet, quia tantum octoginta millia distat à sancto Angelo vsque Tarantum. Sed in hoc minimè vestra à Deo promota Excellentia considerare debeat, quod pro nostra auiditate ipsas ciuitates adquirendum, quas beato Petro Apostolo & nobis condonastis, talia vobis insinuare studuimus. Sed pro magna securitate sanctæ Dei Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, atque vestræ præcelsæ regalis exaltationis victoria, ea quæ audiuimus, & agnoscere potuimus, vestris regalibus auribus insinuare nullo modo neglexímus. Vestra quoque regalis Excellentia qualiter ei placuerit, & aptum prospexerit, in omnibus his disponere prouideat. Quapropter magnopere poscentes vestram clementissimam regalem beneuolentiā, quæsumus, vt pro amore fautoris vestri beati Petri clauigeri regni cœlorum, nostráque in Christo spiritali paterna dilectione, clariter atque specialiter per vestros regales honorabiles apices Missis vestris dirigere dignemini, vt nullo modo ad vos remeare audeant, nisi priùs sub integritate ciuitates in partibus Beneuentanis, sicut eas per vestram sacram oblationem beato Petro Apostolo & nobis contulistis, in omnibus contradere valeant, & iustitias de Populonio & Rosellis nobis facere sub integri-
B tate studeant. Quia sunt alij ex Missis vestris, qui contemnere moliuntur & fœdare vestram sacram oblationem. Sed sicut in partibus Tusciæ ciuitates, id est, Suanam, Tuscanam, Biternum, & Balneum Regis, ceterásque ciuitates, cum finibus & territoriis eorū, beato Petro offerentes condonastis, ita in eo modo ciuitates in partibus Beneuentanis contradere nobis protinus faciatis: vt dum Missi vestri vestros susceperint regales firmissimos affatus, sine qualibet interposita dilatione nobis eas contradere sub integritate valeant, vt nullus sit, qui possit extinguere vestrum illibatum sacrificium, sed hoc lucri potissimum præmium adquirentes dignè mereamini vna cum spiritali nostra filia, domna Regina, vestráque nobilissima subole, in æthereis sine fine regnare arcibus. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continetur de Gente dudum perfida, scilicet Saxonum, qualiter Dominus ac Redemptor noster per præfati Regis laboriosa certamina ad Dei cultum suæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ rectitudinem fidei, seu ad sacrum baptismatis fontem vsque perduxisset, & de Letaniis, & de ieiuniis, & orationibus pro huiuscemodi re.*

XCI.

C DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa*. PRÆSTOLATOS nimisque nobis optabiles regales vestros suscepimus affatus, per fidelissimum vestrum latorem atque Missum, videlicet Andream religiosum Abbatē, quos reserantes reperimus in eis, de vestræ præcelsæ regalis Potentiæ & comparis subolisque vestræ, seu cūctorum præcipuorum vestrorum, nostrorúmque fidelium sospitate & incolumi ac sincerissima prosperitate, in quibus Redemptori mundi consuetas retulimus grates. Magis autem inibi de vestris à Deo præsidiatis regalibus triumphis competientes, qualiter sæuas aduersasque gentes, scilicet Saxonum, ad Dei cultum, & suæ sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ rectitudinem fidei perduxeritis, atque Domino auxiliante, & Petri Paulique Apostolorum principum interuentione suffragante, sub vestra eorum colla redacta sunt potestate ac ditione, eorúmque Optimates subiugantes diuina inspiratione, regali annisu vniuersam illam gentem Saxonum ad sacrum deduxistis baptismatis fontem. Summ. 44. Bar. & Cent.

VNDE nimis amplius diuinæ clementiæ retulimus laudes, quia nostris vestrisque temporibus Gentes paganorum in veram & magnam deductæ religionem, atque perfectam fidem, vestris regalibus substernuntur ditionibus. In hoc quippe freta vestra à Deo fundata existat potentia, quia si, vt pollicita est fautori suo beato Petro Apostolo, & nobis, puro corde atque libentissimo animo adimpleuerit, maximas ac robustiores illarum Gentium, suis præcipuis suffragiis vestris

CAROLVS MAGNVS.

substernet pedibus, vt, nemine eos persequente, vestris regalibus subiiciantur potentiis, & maximum fructum in die iudicij ante tribunal Christi de eorum animarum salute offerre mereamini dignissimum * vnus, & pro amore animarum lucra infinita mereamini adipisci in regno cœlesti. A

* munus.

ILLVD autem, quod vestra regalis intimauit Excellentia, vt in vno mense, vel in vna die, pro huiuscemodi operibus, scilicet stabilitatis vestræ victoria, laudes Deo gerentes caneremus, & vna vel duabus feriis Letanias perageremus, valdè hoc nobis delectabile existit, quatenus Apostolica exarantes censura decreuimus, in omnibus nostris partibus, quæ sub ditione spiritalis matris vestræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ existunt, ilico celebrari easdem vna nobiscum disponentes emisimus, Domino protegente, videlicet vicesima tertia die, & vicesima sexta, atque vicesima octaua huius aduenientis Iunij Mensis, quæ sunt in primis Vigiliæ beati Iohannis Baptistæ, & Natalis sanctorum Iohannis & Pauli, nec non & Vigiliæ beati Petri Apostoli, similiter & vestra regalis potentia in suis dirigat vniuersis finibus seu trãsmarinis partibus, vbi Christiana moratur gens similiter perficiendas triduanas Letanias. Et ideo tale protelatum emisimus spacium, propter tam longinquas Christianas Nationes vltra vestrum Regale morantes Regnum. Nos quippe non solùm vnam vel duas, vt nobis insinuastis, celebrandas letanias præuidimus, sed etiam pro vestra, vt soliti sumus, indesinenter orare Excellentia cupientes, decreuimus perficere, & redemptori mundi canere laudes: vt ipsæ Gentes, quæ per vestrum regale certamen ad Christianam perductæ sunt fidem, vsque in æuum per vestrum maneant adminiculum, & nostris vestrisque finibus omnes repelli faciat ægritudinis morbos, & procul eiiciat pestilentiam, vt nostris vestrisque diebus populus nobis à Deo commissus in magna degentes vbertatis affluentia, simúlque sincerissimæ sospitatis lætitia longiori æuo, vna cum domna Regina, vestráque nobilissima prole, mereamini Regni gubernacula perfrui, & in æthereis arcibus sine fine regnare, vt per vestra laboriosa certamina magis magisque spiritalis mater vestra, sancta Romana Ecclesia, maneat exaltata. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. B

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continetur de Missis Græcorum cum * Diucitin, id est, Dispositore Siciliæ, post reuersionem Attonis Diaconi, Missi Domni Regis à Beneuento cum relicta Arichisi Ducis conciliati sunt, qualiter Ducatum Beneuentanum à potestate prædicti Regis per insidias substrahere potuissent.*

* Διοικητὴς, administrator.

XCII.

Summ. 23. Bar. & Cent.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa*. MEMINIT vestra à Deo promota regalis Excellentia, qualiter ad nos emisit fidelissimos Missos, scilicet Attonem religiosum Diaconum, & Goteramnum magnificum Ostiarium, & post tergum eorum ad nos venerunt, videlicet, Maginarius religiosus Abbas, & religiosus Ioseph Diaconus: qui nobis fideliter intimauerunt ea, quæ illis iniuncta habuit vestra prærectissima regalis Potestas, vt secundum nostrum Apostolicum consilium, in partibus Beneuentanis ita peragerent. Qui in nostri præsentia residentes prænominati quatuor Missi, id est, Maginarius religiosus Abbas, Atto & Ioseph religiosi Diaconi, atque Goteramnus magnificus Ostiarius, dum adhuc minimè coniunxisset nostris Apostolicis obtutibus Luthericus, qui cum præfato Maginario seu Ioseph ad nos missus fuit: tale illis præbuimus consilium, vt nullo modo se alter ab altero separaret, sed præeuntes Atto & Gotteramnus in oppido Valuæ, ibidem expectarent tam Maginarium & Ioseph, quàm Liudericum, quem socij eius apud nos morantes exspectabant. Qui præcedentes, scilicet Atto cum Gotteramno, nullo modo nostris accommodauerunt consiliis, sed relinquentes penitus Maginarium seu Ioseph & Liudericum, abierunt singulariter Beneuentò. Vnde post tergum eorum euntes Maginarius cum Ioseph & Liuderico in Beneuento iam Attonem & Gotteramnum nullo modo inuenire valuerunt, eò quod in Salernum perrexerant ad Albergam relictam Arichis Ducis. C

A Vbi dum Maginarius cum sociis suis à fidelibus vestris audissent, sicut nobis ipsi intimauerunt, eo quòd infideliter agerent tam relicta prædicti Archisi Ducis, quámque ceteri Beneuentani, erga vestram regalem Excellentiam, atque nostrum Apostolatum, iniqua atque aduersa tractare non desinunt. Fugam arripientes Maginarius cum Ioseph & Liuderico, vna cum Gotteramno qui ad eos ad loquendum venerat à Salerno, introierunt in finibus Ducatus Spoletini in præfato oppido Valuæ, & ibidem morantur vsque ad vestrum regalem in triumphis dispositum. Atto verò audiens, vt fertur, fugiens intus in Ecclesiam Salerni præ timore, eiusdem Ecclesiæ altare tenuit. Ipsi autem Beneuentani suadentes, vt reor, & simulantes eum mitigauerunt, & vestrum Clericum fictè miserunt, se ipsos fideles in omnibus commendantes. CAROLVS MAGNVS.

ET ob nimium suauémque amorem, quem erga vestrum inuictissimum gerimus Regnum, nullomodo valemus prætermittere, liquidiùs de omni causa vobis insinuare. Venientes quippe ad nos de Capua, quam beato Petro Apostolorum principi, pro mercede animæ vestræ, atque sempiterna memoria, cum ceteris ciuitatibus obtulistis, videlicet Gregorius Presbyter, Saductus, Pergulfus, Audemundus, Haimo, Landemarus, VVarnefridus, Sigulfus, Audualdus, & Corbulus, intimauerunt nobis quòd dum Atto Diaconus ad vestram reuersus est Excellentiam, statim Missi Græcorum, duo Spatarij Imperatoris, cum * Diucitin, quod Latinè *Dispositor* Siciliæ dicitur, in Lucaniæ Acropoli descendentes, terreno itinere Salernum ad relictam Arigisi Ducis peragrantes tertio decimo Kalend. Februar. peruenerunt. Qui ibidem cum ipsis tres dies consiliantes Beneuentani, post tertium diem vsque Neapolim deduxerunt. Neapolitani verò cum magno obsequio cum signis & imaginibus eos suscipientes, Neapolim ingressi sunt, pariter & vsque hactenus cum ipsis Neapolitanis, atque Stephano Episcopo eiusdem Neapolitanæ Ecclesiæ pertractantes existunt. (* Diœcete.) B

SED vestra à Deo promota prærectissima regalis Excellentia, à Deo inspirata, taliter pertractare debet, vt suam & nostram in omnibus securitatem procuret, & nullius hominis inanes fabulas attendat. Neque muneribus suadere quispiam eam valeat, sed tantummodo pro exaltatione spiritalis matris suæ sanctæ nostræ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, suæque regalis Excellentiæ & nostræ decertare nitatur: quia vt arbitramur, ipsi Beneuentani istud tempus vernum transire patientur, vt æstiuo tempore, Deo illis contrario, vobis in periurij reatum incurrant. Sed vestra regalis Potentia sic illis in triumphis præire satagat, vt & illorum proteruiam proculdubio imminentem sub pedibus suis conculcet, & sua exaltatio in toto * profanetur mundo, tam de sua prudentissima regali victoria, quámque de sacratissima oblatione, quam in partibus ipsis Beneuentanis beato Petro, fautori suo, puro corde, ob nimium amorem atque sempiternam memoriam condonauit, vt dum ipse clauiger regni cœlorum beatus Petrus Apostolus, fautor & protector vester, in integro vestram susceperit sacram donationis oblationem, dignè valeamus in eius alma Confessione tam pro vobis, quámque spiritali filia nostra domna Regina, vestráque nobilissima subole, fundere preces, vt per multorum annorum curricula in hoc mundo Regni gubernacula fruentes in æthereis arcibus sine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. (* diffametur.) C

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directæ, in qua continetur de præda Persarum in finibus* Græcorum *facta, & de discordia quæ inter ipsos erat.*

XCIII.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum,* ADRIANVS *Papa.* (Summ. 34. Bar. & Cent.)

DVM nimis in nostro pectore momentis omnibus vester regnat amor, & multa nobis fiducia magnáque gloriatio apud præcellentissimam, atque à Deo promotam vestram regalem Potentiam existit, conuenit nempe nos pro vestri præcelsi à Deo protecti regalis culminis sollicitè cotidie inquirere salute, vt agnito, iuxta

CAROLVS MAGNVS. nostrum desiderium, omnia prospera esse apud vestram Excellentiam, summas sanctæ & indiuiduæ Trinitati & dignas referamus grates. In quibus ad aures vestræ regalis Potentiæ intimantes innotescimus de Constantinopolitanis partibus, quod in fines eius Gens Persarum inuadentes atq; deprædantes venerunt vsque in locum, qui dicitur *Moria*, à sexagesimo milliario eiusdem ciuitatis Constantinopolitanæ. Vnde & prædam magnam comprehendentes secum detulerunt, & sicut audiuimus atque fama fertur, Thius Regis Persarum Princeps, & Dux exercitui nefandissimo ipsorum existebat. Qui dum reuersus fuisset cum iniqua victoria, elatus in superbia mentitus est proprio nepoti suo, & ab eiusdem exercitu factus est Rex Persarum. Et infrà se tumultuantes pugnare adinuicem pro nepote & Thio dicuntur. A

NOS verò petentes diuinam clementiam, crebrò pro vobis die noctúque orare prorsus non desinimus, vt ad exaltationem sanctæ Dei spiritalis matris vestræ, Romanæ Ecclesiæ, & nostram perennem lætitiam, longiori æuo in triumphis & celebri nomine regnantes, vna cum excellentissima filia nostra & spiritali commatre domna Regina, vestráque præcellentissima prole, & sospites in præsenti vita, & in æterna beatitudine vos conseruare dignetur. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum CAROLVM *Regem directa, in qua continetur de Diœcesis vel Parochiis Episcoporum partibus Italiæ, atque Tusciæ, quas alterutrum inuadentes, & de veste Monachica, quam contra sanctos Canones relinquentes, iterum secularibus vestibus induebantur, & sibi illicitò matrimonio sociabant.* B

XCIV.

Summ. 27. Bar. & Cent.

DOMNO *excellentissimo filio nostróque spiritali compatri* CAROLO *Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*, ADRIANVS *Papa*. SI in rebus secularibus suum cuique ius, & proprius ordo seruandus est, quanto magis in Ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio, ne ibi discordia locum inueniat, vnde * pacis debent procedere? Quod hac veneratione seruabitur, si nihil potestati, sed totum æquitati tribuitur. Perlatum siquidem ad nos est, quòd Langobardorum Episcopi alter alterutrum inuadentes opponunt periculum, simúlque Ecclesiastica statuta enormiter deposcentes conantur inuadere, & aliorum partes illiciter detinentes, in pristino errore perseuerare moliuntur. Olim quippe eorum Gens in errore existens vestræ à Deo protectæ regali Potentiæ seruata est à talibus malignis & infidelibus actis emendari, vt vnde gloriosiores ceteris Regibus eminetis, inde omnipotenti Domino, qui dat salutem Regibus, perfectiùs placeatis, & fidem, quam Catholicè & Apostolicè per beatum Petrum Apostolorum principem, eiúsque Vicarium, orthodoxè venerantes colitis, adiutricem in omnibus habere mereamini. C

* Pax deberet procedere. Quod hac verè ratione.

QVAPROPTER poscentes vestram à Deo promotam regalem Excellentiam, quæsumus, vt eorum errores contemnentes, canonicè vnusquisque suam diœcesim sacerdotali moderamine tenere, atque disponere officio Ecclesiastico valeat: & sicut termini seculares pro territoriis existunt, atque in iudicio sub iure ciuitatis & ditionis actoribus disponuntur, ita eiusdem ciuitatis Ecclesiæ Episcopo diœcesis atque parochiæ non omittantur, vt dum vnusquisque Episcopus, per instituta sanctorum Canonum, atque prædecessorum nostrorum Pontificum sanctorum priuilegiorum & sanctionum iura receperint, in eorum parochia atque diœcesi, in omni sacerdotali officio ministrantes, dignè valeant pro vestra à Deo instituta regali in triumphis ampla victoria & præcellentia fundere preces.

PORRO & hoc vestræ suggerentes regali Excellentiæ innotescimus, errorem illum, qui in eadem Gente Langobardorum callidè regnare, in stupris & spurcitiis diaboli non desinit. Semel quippe Deo se vouentes, & veste fusca monachico habitu induentes, iterum retrorsum reuertentes, quod dici nefas est, seculares vestes circumferentes, illicitò copulari matrimonio perhibentur: quatenus pro

A hoc sæpiùs ammonuimus per Guntfridum, & aliis *Gasindis* vestris Epistolas dirigentes Raginaldo & Raginbaldo, vt tam detestabile stuprum deuitarent. Sed ipsi nolentes adquiescere, per eorum contumaciam filiam Ermenaldi Monachico habitu circumdatam suo nepoti nomine Nazario diabolica versutia copulauerunt, & nostris Apostolicis adhortationibus assensum tribuere noluerunt, & eorum adimplentes iniquam præsumptionem ministri diaboli effecti sunt, & plures in Italia eorum inuitari exemplo non desinunt. Prorsus nempe freti existimus, quia pro hoc canonicas dispositiones vestro à Deo protecto regali culmini incognitas non esse credimus, qualiter talia tetra connubia eorum vetantes gladij ancipitis sanctionibus feriunt. Et idcircò petimus, vt nostris vestrisque temporibus canonicè in omni Christiano populo nobis à Deo commisso tale illicitum scelus emendetur, vt per hoc vos ampliùs dignos cultores omnipotentis Domini demonstretis: quemadmodum ab omni errore Christiano populo eruto valeat cum Propheta clamare: *Domine saluum fac Regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.* Quia crebrò in virtute tua lætatur, & super salutare tuum exultat vehementer, & fidem sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ amplectens in æuo, sine errore astruens cum Sanctis omnibus permanebit, nósque in hoc ouantes, & gratias omnipotenti Domino referentes, eiúsque diuinam exorantes clementiam pro vobis, vt Regni gubernacula longiori æuo, vna cum domna Regina, atque præcellentissima subole fruentes, in æthereis arcibus sine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. B

CAROLVS MAGNVS. — Psal. 19.

Item exemplar Epistolæ ADRIANI *Papæ ad Egilam Episcopum in partibus * Spaniæ missæ, pro fide orthodoxa tenenda, & pro ieiunio* VI. *feria & Sabbato celebrando.*

* pro, Hispania.

XCV.

ADRIANVS *Episcopus seruus seruorum Dei dilectißimo* EGILÆ *Episcopo.* DVDVM præcipua gnaráque dilectio tua ad Sedem Apostolicam, quæ est caput totius Dei Ecclesiarum, directos affatus secundùm vibrantissimam fidem, quam erga beatum Petrum Apostolorum principem & nos ex intimo gerit corde, cum nimio amore suscepimus, ad ea, quæ eius poposcit solertia, ex diuino fonte oriri nitidiùs ac saluberrimè sanctæ nostræ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ * olitano ritu, orthodoxæ fidei exarantes, imò sanctorum Patrum venerandam institutionem sine macula speculantes, per earum tunc transuectores tuæ emisimus almitati. Et quoniam, vt fertur, nequaquam ipsi Apostolici ad te profecti sunt apices, nostris eos habentes Registris exaratos, infrà rescribentes per harum gerulos, scilicet Bellerefonsum seu Iohannem Clericum direximus denuò, sicut nobis per fidelissimum Missum suum, videlicet reuerentissimum & sanctissimum Petrum Ticinensis Ecclesiæ Episcopum, præcellentissimus ac præfulgidus filius & spiritalis compater noster domnus CAROLVS Rex Francorum & Langobardorum, ac Patricius Romanorum, pro tua insigni dilectione poscendum emisit, & per eius regale adminiculum tuis fauentes votis adimplere prorsus studuimus. Illos verò procaces ac hæreticos homines, qui tuam subuertere nituntur orthodoxam fidem, & vndique te coartantes angustias & varias tempestates seminant, Apostolico indutus præcepto, simúlque Apostolicis imbutus disciplinis, seu saluberrimis orthodoxæ fidei sanctorum Patrum repletus institutis, eos, qui tuas noluerint amplecti rectæ fidei prædicationes, post vnam & secundam admonitionem seu increpationem, tanquam Ethnicos & Publicanos deputans, habeto pro nihilo eorum infructuosas insidias. Propheta testante, qui ait: *Si autem adnuntiaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à via sua impia, ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.* Quatenus oportet te vas electionis beati Pauli Apostoli imitari, præcepta ac vestigia sequi: *Subtrahe te ab omni fratre ambulante inordinatè.* Et constans esto: *Quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Potius nempè si doctrinam sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ secutus fueris, non timebis mala, quia fortissimus auctor ac eius fundator beatus Petrus, clauiger regni cœlorum, tecum est vsque in finem, Domino pollicente: C

Baron. ibid. post Summ. 44. vt & Cent. — * vetusto. — Ezech. 3. — 2. Thess. 3. — Rom. 8.

CAROLVS MAGNVS.

Matth. vlt. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Nulla quippe A hebetudo, atque quælibet ambiguitas ascendat in suauissimam sacrámque mentem tuam, eò quòd, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam* Matth. 5. *ipsorum est regnum cælorum.* Et iterum: *Sancti per fidem vicerunt regna, &c.* Hebr. 11.

PORRO in ipsis referebatur apicibus tuis, qualiter vobis nimis intentio est de sexta feria & Sabbato, quòd istos duos dies dicimus ieiunio mancipandos. Nequaquam hæreticorum hominum ignauiam, atque impiam peruersámque amentiam, inanésque ac mendaces sequere fabulas, sed magis doctorum nostrorum sanctorum Patrum sicut nobis intimant, videlicet beati Syluestri, atque Innocentij Papæ, paritérque almi Hieronymi seu Isidori diuinos sermones annecte, & ex nostra Apostolica olitana regula, Sabbato ieiunare firmiter atque proculdubio tenens tua non desinat sanctitas. Si enim à regia non vis discedere via, prædictorum sanctorum Patrum censuram non deseras, & beati Augustini opuscula legere non prætermittas, vbi egregium prædicatorem atque doctorem suum sanctum Ambrosium meminit pro ieiunio Sabbati sanctam Catholicam & Apostolicam nostram Romanam nimis laudasse Ecclesiam, & quia gerente Spiritu sancto, nullis tentationibus superari tuam almitatem coniicimus, eas, quas superiùs polliciti sumus, liquida exarationis pagina instituemus series.

Meminerũt huius Epistolæ Bar. & Cent.

Item exemplar Epistolæ ADRIANI Papæ ad Egilam Episcopum, seu Iohannem Presbyterum, de eorum sacratione, vel constantia in partibus Spaniæ prædicandum, & de Paschali festiuitate, & de prædestinatione hominis, siue ad bonum, siue ad malum, & de coinquinatione eorum tam in escis, quámque in potu, seu & de diuersis erroribus, & de eorum Pseudosacerdotibus qui viuente viro sortiuntur vxores, & de libertate arbitrij, vel multis aliis capitulis in partibus illis contra fidem Catholicam ortis. B

XCVI.

ADRIANVS *Episcopus seruus seruorum Dei dilectissimo nobis* EGILÆ *Episcopo, seu Ioanni Presbytero.* AVDIENTES orthodoxam vestræ dilectionis in Christo constantiam, atque ita vos antiquæ fidei communionísque sinceris traditionibus inhærentes, vt mentem Christianæ deditam veritati nullatenus inficerent præuaricatorum vicina contagia, magnificauimus Dominum, charitatémque vestram indesinenter laudauimus, quatenus per earum latores, videlicet Saranum Diaconum, & Victorinum Clericum, suscipientes vestræ dilectionis affatus, enucleatiùs eos referantes, liquidò informati sumus. Et quoniam pro sedis Apostolicæ principatu, cuius sollicitudo delegata diuinitus cunctis debetur Ecclesiis, quàm laudabiliter fidei veritatem noueritis, & quàm sollicitè Dominico gregi deuotionem officij pastoralis impendatis, Frater noster VVulcharius Archiepiscopus prouinciæ Galliarum, cui & licentiam dedimus de vestris ordinationibus atque auctoritatem dirigere, vos pro orthodoxæ fidei sanctæque Catholicæ Ecclesiæ prædicatione, in partibus Spaniensis prouinciæ pro vobis nobis insinuauit, magnísque gaudiis triumphamus, cùm vbique terrarum Dominum Sabaoth semen puræ Confessionis reliquisse cognoscimus, quod non in petrosa deueniens æstu tentationis exaruit, nec viæ proximum cecidit, vagantibus inimicis expositum, nec in spinis irruit suffocandum, sed in bonam terram piæ deuotionis, vestra cœlesti satione dispersum in tricesimum & sexagesimum fructum centenariúmque proficit, perfectionem scilicet frumenti Dominici mystica locutione designans. C

QVAPROPTER exultantibus animis confidentiùs incitamus, vt ab omni pestis incursu pectora vestra sapienter intemerata seruetis, quoniam *qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit. Dominus propè est, nihil solliciti sitis.* Siquidem maior est qui in nobis est, quàm qui in hoc mundo, regnúmque Domini intra nos esse, Scriptura testante sit certum. Quamuis ergo magna locorum interualla nos diuidant, si in vnitate fidei nostræ perseuerauerits, vobiscum sumus. Tantùm, vt sit, auxiliante Domino, constantia perseuerans. Dicente Apostolo: *Vobis enim datum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro ipso patiamini.* Ad

Matth. 24. Philip. 4. Philip. 1.

A quam fortitudinem sanctarum mentium roborandam, dilectionem vestram iamfatus sanctissimus Archiepiscopus * nos illi licentiam cedentes, pro Apostolicæ fidei amore direxit, quibus meritò persistentes integritate ornari vsque ad coronam brauij, exoptare non dubitamini.

* ad.

FEREBATVR siquidem in ipsis vestris apicibus, quòd multi in partibus illis in insipientiam atque cordis dementiam deuoluti nostræ relationis atque admonitionis seriem, secundum venerandi Nicæni Concilij institutionem de Paschali festiuitate editam, contemnere audent. *Quod si * plenilunium quarto decimo scilicet die Lunæ, sanctum Pascha minimè sit celebratum, sed prætermisso eodem quinto decimo die in alio sequentis septimanæ Dominico, quod est vicesimo secundo Lunæ die, Paschalis festi gaudia pronunciantur celebranda.* Quod si interius mente perpenditur magni ac venerandi Nicæni Concilij trecentorum decem & octo sanctorum Patrum simul conuenientium promulgata Paschalium festiuitatum ratio, proculdubio omnis error, omnísque ambiguitas ab hæsitantium cordibus auferetur. Sed dum plerique propria commenta, vt acuti, perspicaces, & mundanæ scientiæ gnari, spiritalis verò eruditionis ignari, vendicare desudant, olitanam Patrum traditionem desidiosa ignauia prætereunt, & vera mendacio obumbrare initiant.

Locus corruptus. Quorundam in Hispaniis hac erat sententia, vt si plenilunium existeret die Sabbati, atque adeò 14. Luna Sabbati esset, Pascha nō celebraretur sequenti 15. die, licèt esset Dominica. Sed differretur in 22. diem. Hanc opinionē oppugnat Pontifex, eāque Synodo Nicænæ aduersari ostendit. Hæc tamen ex sequēti Epistola, vbi de eodē argumento iterum disseritur, corrigere licebit. Peccauit enim librarius omissione quorundam.

IN eodem quippe magno Nicæno Concilio decennouennali cyclo Patrum B confirmato sententia, ita inter cetera ibidem fertur promulgatum: quòd non ampliùs, quàm vsque ad vicesimam primam Lunæ diem, huius sacræ festiuitatis solemnia dilatentur. Quam Paschæ rationem & Antiochenum demum venerandum corroborans Concilium, inter reliqua, ita inibi, in primo scilicet capitulo, constat exaratum: *Omnes, qui ausi fuerint dissoluere definitionem sancti & magni Nicæni Concilij, congregati sub præsentia piissimi & venerandissimi Principis Constantini, de salutifera sancti Paschæ solemnitate, excommunicandos, & ab Ecclesia esse abiiciendos censemus.* Etsi tamen contentiosius aduersa ea, quæ benè sunt statuta, perstiterunt, atrocioribus portò summissuros interdictionibus censuerunt. Nam & beatissimus Dionysius in ea, quam de ratione Paschæ promit, Epistola, ita ait: *A duodecimo Kalendarum Aprilium die cunctorum Orientalium sententia, Aequinoctij cursus vernalis consequatur decreuerunt, maximè Aegyptiorum peritiam, qui, vt huius calculationis gnari doctique sunt, inquirendam specialiter adnotatur,* * in quo etiam, si Luna quarta decima celebrandum Pascha, sancta Synodus Nicæna sine ambiguitate firmauit.

** Hæc corrigi possunt ex sequenti Epistola.*

ATTENDITE, dilectissimi nobis, & illud, quod beatus Proterius Alexandrinæ Ecclesiæ Præsul prædecessori nostro beatissimo Leoni Papæ, ob piæ memoriæ Marciani Principis iussum direxit. Post plurima enim ita ait: *Olim quippe Dominus per Moysen significans dicit: mensis iste vobis initium mensium, primus erit in* C *mensibus anni, & facies Pascha Domino Deo tuo, quarta decima die mensis primi.* Et post pauca subiunxit dicens: *Si quando in die Dominico quarta decima Luna reperta, in sequenti septimana est dilatanda festiuitas, sicut & veteres Patres nostri fecerunt, quartas decimas Lunas occurrentes in aliam Dominicam transferentes.*

Exod. 12.

VNDE constat, dilectissimi, non ampliùs huius venerandæ festiuitatis solemnitatem differri, quàm vsque in vicesimam primam Lunæ diem, iure obseruantes hebdomadæ dierum numerum, dum Solaris cursus à Lunæ cursu omninò discordat. Quoniam in sex quidem diebus creator omnium Dominus æthereum firmamentum, omnémque eius ornatum, rutilantia æquoris, atque telluris gignentia, ac elementorum materiam, & cunctorum reptilium animantia patrauit, & postrema è limo hominem finxit feria, & in septimo die requieuit ab omni opere quod patrarat. His nempe septem diebus à quarto decimo Lunæ die, quod est plenilunium, si Dominica tamen occurrerit, quæ est prima & sancta dies, pro eo, quòd non oportet in ea ieiunare, intermissis, in alia Dominica, quæ est sancta & prima dies vicesima prima Luna, rationis ordo exigit à Christianis sanctum Pascha celebrandum. Nam si Sabbato quarta decima Luna advenerit, non est intermittenda subsequens Dominica, quinta decima videlicet Lunæ dies, venerantes eandem Dominicam, quæ est prima Sabbatorum dies, in qua lux, iubente Deo, in ipso mundi exordio prodiit, in qua & vera lux Saluator noster ab inferis carne resurrexit. Nam si octo dies à XIV. Lunæ die, quando ieiunium soluitur, intermittuntur, vt in XXII. die Lunæ Paschalis festiuitas dilatetur, ergo iam non septimana, id est

CAROLVS MAGNVS. hebdomada, sed ogdoada, vt stolidi quique & vecordes definiunt, dicenda atque obseruanda est. Intuendum quippe & illud ratio suadet, quod septem hebdomadæ, & non octo, intermittuntur à Paschali festiuitate vsque ad sanctam Pentecostem, in qua paraclytum Spiritum à Patre Redemptor noster Dei viui Filius, post gloriosam Resurrectionem suam, sanctis suis Apostolis misit. Pro quo regia gradimur via, & non declinabimus penitus per tortuosum, & dumis ac tribulis repletum callem. Pergant per eam hi, qui cupiunt noua figmenta, & scelerum monumenta componere, vt meritò spinæ & tribuli generentur eis. A

IAM quidem dudum decessores & prædecessores nostri sancti Pontifices, pro hac quæstione, simúlque hæresi, illis * compatribus monitorium atque adhortationem dirigentes, congruis Epistolis beati Cyrilli atque Theophili, necnon & aliorum sanctorum Patrum, quas denumerare longum est, promulgantes docuerunt, quas vestræ dilectioni gnaras esse dubium non est. Pro quo non silemus, charissimi, impensius commonere, vt à falsis Fratribus caueatis, & in eo modo quo sancta nostra Romana Ecclesia, caput omnium Ecclesiarum Dei, Paschalem celebrat solemnitatem, & vos proculdubio celebrare studeatis. Vt sicut pares nos Christianorum fidei religio efficit, æquales nimirum in festiuitatibus efficiat.

* compartibus.

INSINVAVIT dilectio vestra & hoc, quòd quidam pollicentes atque in errore perseuerantes prædicant, vt qui non ederit pecudum aut suillum sanguinem, & suffocatum, rudis est aut ineruditus. Nos quidem Apostolicis præceptis imbuti atque eruditi, confirmantes prædicamus, quòd si quis pecudum aut suillum sanguinem, vel suffocatum manducauerit, non solùm eruditionis totius alienus, sed ipsius quoque intelligentiæ communis prorsus extraneus, sub anathematis vinculo obligatus in laqueos incidat diaboli. B

Hæc omnia reperies quoque in Epistola sequenti.

ILLVD autem, quod alij ex ipsis dicunt, quòd prædestinatio ad vitam, siue ad mortem, in Dei sit potestate. Alij iterum dicunt, vt quid rogamus Deum, ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate quasi libertate arbitrij? Reuera enim nullam rationem reddere vel accipere valent, ignorantes beati Fulgentij Episcopi ad Eugippium Presbyterum contra Sermones cuiusdam Pelagiani opuscula directa, quibus infrà, multa idem Pater docens hæc verba subiungit: *Illi autem dum pro se gratiam solùm reprehensibiliter intromittunt, in se damnabiliter calcauerunt, qui alios ad vitam, alios ad mortem asserunt destinatos, aduerte, quibus se impietatis nexibus ligant. Si ad bonum prædestinatus sum, contra malum resistere necesse mihi non erit. Si verò ad malum natus, bonum mihi exercere nihil proderit. Ac sic in vtraque parte interclusò appetitu laudis & gloriæ, vnus securitate, alius desperatione torpescit: ac per hæc ociabitur omnis iustitiæ exercitatio, oratio cessabit, languebit operatio. Sed non ita est, quin potiùs incessanter oremus, quia ipse Dominus dicit: Sine intermissione orate, ne intretis in tentationem. Nihilominus contra omne peccatum non solùm oratione, sed etiam labore luctemur: quia ipse Dominus præsenti lectione testatus est, quia vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* C

HÆC *verba, quibus Auctor Sermonis illius veritatem prædestinationis nititur oppugnare, inconsideratè atque indiscretè prolata, Deo nos adiuuante, monstramus,* &c.

ET post cetera: *Opera ergo misericordiæ ac iustitiæ suæ præparauit Deus in æternitate incommutabilitatis suæ, & sicut futurorum operum suorum nunquam fuit ignarus, sic in eorumdem operum præparatione numquam improuidus. Præparauit ergo iustificandis hominibus merita. Præparauit iisdem glorificandis & præmia, malis verò non præparauit voluntates malas, aut opera mala, sed præparauit eis iusta & æterna supplicia. Hæc est æterna prædestinatio futurorum operum Dei, quam, sicut nobis Apostolica doctrina semper insinuari cognoscimus, sic etiam fiducialiter prædicamus. Beatus enim Paulus prædestinationem eorum, quos Dominus gratis saluat, & euidenter & frequenter insinuat. Ipse enim dicit de Deo. Nam quos præsciuit & prædestinauit, conformes fieri imaginis filij eius, vt sit ipse primogenitus in multis Fratribus.* Et pòst: *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Non vtique alios, sed quos prædestinauit, hos vocauit, hos iustificauit. Nihil incertum in Dei operibus nutat, quia nihil suæ prædestinationis euacuat. Prædestinationis igitur suæ opera vocatione Deus inchoat, glorificatione consummat. Non tamen in omnibus quos vocauit, sed quos secundum propositum vocat. Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui secundum propositum vocati sunt.*

Rom. 8.

ITEM

A ITEM post multa: *Teneatur ergo prædestinationis veritas à fidelibus cunctis, quia quisquis diuinum non credit in hac prædestinatione consilium, non perueniet ad gloriosum eiusdem prædestinationis effectum. Quisquis autem non est prædestinatus ad gloriam, inuenitur sine dubio præscitus ad pœnam, quæ ideo in Dei nomine præparatione prædestinata cognoscitur, vt per eam infidelitas atque iniquitas puniatur. Propter quod beatus Iudas Apostolus quosdam destinatos dicit in iudicium his verbis: Subintroierunt enim quidam homines, impij, qui olim præscripti & prædestinati erant in hoc iudicium Dei nostri. Vigilanter autem in doctrina Spiritus sancti, prædestinatos impios non dicit ad peccatum, sed ad iudicium, id est, non ad impietatem, sed ad punitionem. Non enim prædestinati sunt ad hoc, quod vitiosas impietates admittunt, sed ad illud, quod iudicio æquitatis diuinæ recipiunt. Ipsorum enim opus est quod impiè faciunt, Dei autem opus est quod iustè recipiunt.*

ITEM post cetera: *Proinde quod Auctor illius Sermonis subsequenter adiunxit dicens: Quin potius incessanter oremus, quia ipse Dominus dicit, Sine intermissione orate, ne intretis in tentationem.* Et post: *Nihilominus contra omne peccatum non solùm oratione, sed etiam labore luctemur.* Et iterum: *Sic laborantes vocat Dominus dicens. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Sed nos à Deo humiliter gratiam poscamus, quam collaborantem iugiter habeamus, per quam nos Deus & in labore custodiat, & ad mercedem peracto labore perducat.* Matth. 26. Matth. 11.

PORRÒ, dilectissimi, diuersa capitula, quæ nobis innotuistis, id est, quod multi dicentes Catholicos se, communem vitam gerentes cum Iudæis, & non baptizatis paganis, tam in escis quámque in potu, seu & diuersis erroribus, nihil pollui se inquiunt: & illud, quod inhibitum est, vt nulli liceat iugum ducere cum infidelibus, ipsi enim filias suas cum alio benedicant, & sic populo Gentili tradentur, & quod sine examinatione præfati Presbyteri vt præsint ordinantur. Et alius quoque immanis inualuit error & perniciosus, vt etiam, viuente viro, mulieres in connubio sibi sortiantur ipsi pseudosacerdotes, simúlque & de libertate arbitrij, & alia multa, sicut fati estis, quæ longum est dicere. Quid multis vobis hæresum singula scribam? quia olim tempus est quod Priscilliani dogmatis impleuerunt. Quapropter, dilectissimi, oportet vestram industriam sollertissimè vigilare, & sicut decet Domini Sacerdotes, nullos vos Canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libito licentiâ populis permissâ frangatur? Vnde constat, vt si quis de prædictis capitulis obnoxius reperietur, profectò is regulariter consortio fidelium Dei, vtpote corruptor Patrum traditionum, extorris efficiatur, & in æterna condemnatione inueniatur.

B

CAVENDVM ergo dilectioni vestræ est, magnáque diligentia prohibendum, ne per huiusmodi homines extincta dudum scandala suscitentur, & de exciso olim dogmate aliquid in prouincia eiusdem mali germen oriatur, quod non solùm in radicibus suis crescat, sed etiam sanctæ Ecclesiæ subolem veneno sui odoris inficiat. Qui correctos se videri volunt, ab omni suspicione se purgent, & obediendo vobis probent se esse nostros, quorum si quisquam salubribus præceptis satisfacere detractauerit, siue ille clericus, siue laicus, ab Ecclesiæ societate pellatur, ne perditor animæ suæ saluti insidietur alienæ, & sicut per nos, seu almum Archiepiscopum, in prædicatione orthodoxæ fidei directi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ ob amorem beati Petri principis Apostolorum concordes prædicate, vt sicut vnus est pastor noster Christus, Dei viui filius, omnes simul in vno eius efficiamur aggregati ouili, & quemadmodum vnius capitis sumus membra, vnum efficiamur corpus in Christo Iesu Domino nostro: promerentes eius, quam Sanctis suis contulit cultoribus, qui eius præcepta custodiunt, & ab initio mundi diuinæ eius placuerunt Maiestati, desiderabilem promissionem, quam ait: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum vobis præparatum ab origine mundi.* Matth. 25.

C

CAROLVS MAGNVS. *Item exemplar Epistolæ* ADRIANI *Papæ directæ omnibus Episcopis per vniuersam Spaniam commorantibus, maxime tamen Eliphando vel Ascarico cum eorum consentaneis, pro hæresi vel blasphemia, quòd filium Dei adoptiuum nominant, cum multis capitulis sanctorum Patrum eos reprehendens. Necnon & de Paschali festiuitate, seu & de sanguine pecudum, & suillo, & sanguine suffocato, quem in errore prædicantes dicunt. Vt qui ea non ederit, rudis & ineruditus est, quos sub anathematis vinculo obligatos, & ab Ecclesia extraneos dicit. Similiter & de prædestinatione Dei, quod si quis ad bonum prædestinatus esset, contra malum resistere, necesse illi non erat, si verò ad malum* notus, bonum illi exercere nihil proderit. Pro quo capitulo Apostolicis adhortationibus eos castigans, necnon & de hoc, quia communem vitam cum Iudæis, & non baptizatis paganis, tam in escis, quàm in potu, seu & in diuersis erroribus,* nihil pollui se inquiunt, necnon & de filiabus eorum, quas populo gentili tradunt, vel de sacrationibus eorum, seu & de mulieribus, quæ viuente viro sibi maritum sortiuntur, simúlque & de libertate arbitrij, vel aliis multis, quæ enumerare longum est, eos castigans cum sanctorum Patrum traditionibus.* A B

* *natus*, vel, *prædestinatus*.

* videtur deesse, *agūt*, vel, *ducunt*.

XCVII.

Meminerūt Epistolæ huius Baron. & Cent.

ADRIANVS *Papa Episcopus seruus seruorum Dei dilectissimis nobis omnibus orthodoxis Episcopis per vniuersam Spaniam commorantibus.* INSTITVTIO vniuersalis nascentis Ecclesiæ beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen eius & summa consistit, ex eius enim Ecclesiastica disciplina, per omnes Ecclesias, religionis iam crescente cultura fonte manauit. Nicænæ Synodi non aliud præcepta testantur, adeò vt non aliquid super eam ausa sit constituere, cùm videret nihil supra meritum suum posse conferri. Omnia denique huic nouerat Domini sermone concessa. Hanc ergo Ecclesiis toto Orbe diffusis velut caput suorum certum est esse membrorum, à qua si quis se abscidit, fit Christianæ religionis extorris, cùm in eadem non cœperit esse compage. Audiuimus quippe, quod quidam Episcoporum in partibus vestris degentes, Apostolicæ Sedis doctrinam contemnentes, contra orthodoxam fidei traditionem nouas introducere nituntur hæreses, prætermittentes vasis electionis beati Pauli Apostoli, sententiam quæ ait: *Si quis vobis euangelizauerit, præter quod euangelizatum habuistis, anathema sit.* (*Gal. 1.*) Quapropter exultantibus animis confidentiùs orthodoxam fidem vestram incitamus, vt ab omni pestis incursu pectora vestra sapienter intemerata seruetis, & rectæ fidei doctrinam, quam à sancta nostra Catholica & Apostolica Sede, olim prædecessores vestri à sanctis nostris prædecessoribus susceperunt, vsque in finem defendere atque obseruare nihilominus satagatis. *Quoniam qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* (*Matth. 10. & 24.*) C

QVAMVIS ergo magna locorum interualla nos diuidant, si in vnitate fidei nostræ perseueraueritis, vobiscum sumus, tantùm vt sit, auxiliante Domino, constantia perseuerans, dicente Apostolo: *Vobis enim datum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro ipso patiamini.* (*Philip. 1.*) Dudum verò, quod VVlcharius Archiepiscopus Galliarum suggessit nobis pro quodam Egila, vt eum Episcopum consecraret, valdè nimísque eum in fide Catholica & in moribus atque actibus laudans, vt consecratum vestris partibus emitteret ad prædicandum: nos verò prædicti VVlcharij Archiepiscopi petitioni credentes consuetam illi licentiam tribuimus, vt canonicè eum examinaret, quatenus si post discussionem, & veram examinationem, rectum & Catholicum eum inuenisset, Episcopum ordinaret, & nullam quamlibet alienam sedem ambiret vel vsurparet, sed solummodò animarum lucra Deo offerret: qui vna cum Iohanne Presbytero in partibus vestris veniens, quod peius est, vt eius fama in auribus nostris sonuit, non rectè ille Egila prædicat, sed errores quosdam Mingentij magistri sui sequens, extra Catholicam disciplinam, vt fertur, conatur docere, & alia plura capitula, quæ absque norma Ecclesiastica aliis suade-

A re videtur. Quod si ita est, vestra fidelissima dilectio, quæ normam & disciplinam sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ consequitur, nullomodo eorum insaniam credere vel sequi studeat. Quia proculdubio minimè nos credimus sanctæ Romanæ Ecclesiæ ignorare disciplinam, sed potiùs admonentes, ad veram & orthodoxam fidem eos reducere studeatis. Porrò & de partibus vestris peruenit ad nos lugubre capitulum, quòd quidam Episcopi ibidem degentes, videlicet Eliphandus, & Ascaricus, cum aliis eorum consentaneis, filium Dei adoptiuum confiteri non erubescunt, quòd nullus è qualibet hæresi antea talem blasphemiam ausus est oblatrare, nisi perfidus ille Nestorius, qui purum hominem Dei confessus est filium. Quapropter nullo modo eorum serpentinum venenum in qualibet parte vestram subripiat vel coinquinet dilectionem. Sed sanctorum principum Apostolorum Petri ac Pauli diuinam tenentes confessionem, atque eorum sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ sequentes traditionem, pariterque præcipuorum ac Catholicorum probabilium Patrum dogmata amplectentes, firmi & stabiles, atque immobiles & inconcussi, vna nobiscum in eorum luculenta traditione perseuerare irrefragabiliter, & incunctanter nitimini. In primis confessionem beati Petri principis Apostolorum atque clauigeri regni cœlorum tenentes, qui ait: *Tu es Christus filius Dei viui.* Deinde vas electionis beati Pauli Apostoli * subposterium fidei, qui inquit: *Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Etsi ipsi

B principes Apostolorum filium Dei viui & proprium confessi sunt, quomodo oblatrantes autumant hæretici, filium Dei adoptiuum dicere, quo solo audito, omnis Christianus gemens pauescit? Vnde beatus Athanasius Alexandrinus Episcopus, antiquus & egregiùs prædicator, de diuina Incarnatione Verbi consonante sancta prima Synodo, quæ in Nicæa, infra cetera ait: Si quis verò aduersus diuinam Scripturam dicet, alium dicens filium Dei, & alium, qui ex Maria hominem secundum gratiam, & si quis Domini nostri carnem de sursum dixit, & non ex Virgine Maria, aut immutatam Deitatem in carne, & confusam, aut alienatam, aut passibilem Domini Deitatem, aut inadoratam Domini Dei carnem, sicut hominis & Dei carnem, hunc anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia. Consentiente diuino Apostolo & dicente: *Si quis vobis euangelizauerit præter quod suscepistis, anathema sit.*

Sed & beatus Gregorius Nazianzenus, qui & Deiloquus, scribens ad Cledonium * infra cetera inquit: *Si quis duos introducit filios, vnum quidem qui ex Deo & patre, secundum verò qui ex matre, & non vnum & eundem, is adoptione excidat, quæ promissa est his, qui rectè credunt. Naturæ verò duæ, Deus & homo, vt & anima & corpus. Filij verò non duo, neque dij. Neque enim hic duo homines. Quamuis Paulus quod interius hominis & exterius appellauit. Si oportet continuò dicit alium & alium, ex quibus Saluator, siue non quod & ipsum inuisibilem visibili & sine tempore, quæ sub tempore, non alius*

C *& alius absit, vtrâque vnum verò.* Et infrà: *Si quis ex operibus perfectum, aut post baptisma, aut post ex mortuis resurrectionem adoptionem dignus est dicit, sicut quos pagani * præscriptos introducunt, anathema sit.*

Vnde præcipuus Amphilochius Iconij Episcopus in Sermone suo in sancta Epiphania nos docuit: *Nunc in Spiritu sancto propter adoptionis gratiam. Impossibile enim, te accipere auctoritatem adoptionis, & clamare, Abba Pater, nisi signante adoptionis spiritu.* Et post pauca: *Nisi ille passus fuisset serui forma, nullo modo tu gloriam adoptionis lucrareris.* Et post modicum: *Diligite imperiale donum, capite adoptionis dignitatem.* Sed & beatus Gregorius Nyssenus Episcopus super Matthæum * disponens, ita ait: *Si verò pacificus es, adoptionis gratia coronaris.* Quatenus & beatus Iohannes Constantinopolitanus Episcopus, qui & Chrysostomus ad Neophytos scribens instruit: *Benedictus Deus, iterum dicamus, qui facit mirabilia solus, qui facit vniuersa, & conuertit vniuersa. Ecce libertatis serenitate perfruuntur qui tenebantur ante captiui, & ciues Ecclesiæ sunt, qui fuerant in peregrinationis errore. Et iustitia in sorte versantur, qui fuerũt in confusione peccati. Non enim sunt tantum liberi, sed & sancti, non tantum sancti, sed & iusti. Non solùm iusti, sed & filij, nec solùm filij, sed hæredes: non solùm hæredes, sed & fratres Christi, nec tantùm fratres Christi, sed cohæredes, non tantùm cohæredes, sed & membra, non membra tantùm, sed & templum, nec tantùm templum, sed & organa spiritus. Benedictus Deus, qui facit mirabilia solus. Vides quot sunt baptismatis largitates, sed multis quidem videtur cœlestis gratia, in peccatorum remissione tantùm consistere, nos autem*

[Margin notes:] CAROLVS MAGNVS. — Matth. 16. — * Mend. locus, nisi subposterium, sit fundamentum, vel suppositum. — Rom. 8. — Gal. 1. — * f. intra, vel, inter. — S. Gregor. Naz. orat. 51. edit. nouæ Parisiensis. — 1. Cor. 15. — * ascriptitios. — * differens.

CAROLVS MAGNVS. *honores computauimus decem.* Hac de causa etiam infantulos baptizamus, ne sint coinquinati peccato, vt eis detur iustitiæ adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, vt eius membra sint omnes, vt spiritus inhabitatio fiant. A

ITEM idem ipse super Ioannem Euangelistam docuit: *Non enim inutilis fias erga beneficum, neque contrariis retribue, qui tibi fontem beatitudinis donauit. Vbi enim adoptionis dignitas, ibi malorum amputatio, & bonorum omnium datum.* Idem ipse Psalmis, factum est istud, & est hoc mirabile in oculis nostris, vt nos qui ante passionem Domini sine testamento eramus & lege, adoptaremur in filios Dei.

ECCE, dilectissimi nobis, qualiter sancti Patres Orientales docuerunt, inter dona charismatum adoptionem esse, & nobis omnibus qui in peccatis nati sumus, & iterum per baptismum renati à Domino nostro Iesu Christo filio Dei vnigenito concessam. Vnde & beatus Augustinus egregius doctor in Sermone de Natali Domini inquit: *Audite filij lucis adoptati in regnum Dei.* Et iterum in explanatione sancti Euangelij super Ioannem pro hoc manifestè docuit: *Quotquot autem receperunt eum. Quid eis præstitit? Magnam beneuolentiam, magnam misericordiam. Vnicus natus est, & noluit manere vnus. Multi homines cùm filios non habuerunt, peracta atate, adoptant sibi, & voluntate faciunt, quod natura non potuerunt. Hoc faciunt homines, si autem aliquis habeat filium vnicum, gaudet de illo magis, quia solus omnia possessurus est. Et non habebit, qui cum eo diuidat hæreditatem vt pauperior remaneat. Non sic Deus, vnicum eundem ipsum quem genuerat, & per quem cuncta creauerat, misit in hunc mundum, vt non esset vnus, sed fratres haberet adoptatos. Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo vnigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius. Ille enim venit vnigenitus soluere peccatum,* &c. Item in alio Sermone eiusdem Libri: *Nullomodo autem possunt dicere habere se charitatem, qui diuidunt vnitatem.* His dictis subsequentia videamus: *Perhibuit Iohannes testimonium, quia vidit. Quale testimonium perhibuit? Quia ipse est filius Dei. Oportebat ergo, vt ille baptizaret, qui est filius Dei vnicus, non adoptatus. Adoptati filij ministri sunt vnici, vnicus habet potestatem, adoptat in ministerium. Licèt baptizet minister, non pertinens ad numerum Fratrum, quia malè viuit & malè agit, quid nos consolatur? Hic est, qui baptizat,* &c. B

IDEM in alio Sermone: *Nos enim de Gentibus venimus. De Gentibus autem non veniremus, nisi Deus de lapidibus suscitaret filios Abrahæ. Facti sumus filij Abrahæ imitando fidem, non nascendo per carnem. Sicut enim illi degenerando exhæreditati, sic nos imitando adoptati.* Et infrà idem in alio Sermone: *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Adiecit,* Omnia dedit in manu eius. *Vt nosses & hic, qua distinctione dictum*
Ioan. 3. *sit:* Pater diligit filium. *Quare ergo Pater non diligit Ioannem? Et tamen non omnia dedit in manu eius. Pater non diligit Paulum? Et tamen non omnia dedit in manu eius. Pater diligit filium, sed quomodo Pater filium, non quomodo Dominus seruum. Quomodo vnicum, non quomodo adoptatum.*

PARITER beati Hilarij Pictauiensis Episcopi super Mattheum inquit expositio: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Pacificorum beatitudo, adoptionis est merces, vt filij Dei maneant. Parens enim omnium Deus vnus est. Neque enim aliter transire in nuncupationem familiæ eius licebit, nisi obliuione earum rerum adsumpta, quibus*
Serm. 5. *possumus offendi, fraterna inuicem charitatis pace viuamus.* Sed & beatus Leo egregius Papa atque præcipuus doctor ex Sermone sanctæ Epiphaniæ ita nos docuit: *Vnde quod illustres viri, vniuersarum Gentium personam gerentes, adorato Domino sunt adepti, hoc in populis suis per fidem, qua iustificat impios, totus mundus adsequitur, & hæreditatem Dei ante secula præparatam accipiunt adoptiui, & perdunt qui videbantur esse legitimi.* Et post cetera ex ipso Sermone: *Illa nobis currenda est via, quam ipse Dominus se esse testatus est. Qui nobis nullis operum meritis suffragantibus sacramento consuluit & exemplo, vt in adoptionem vocatos per illud proueheret ad salutem, per hoc imbueret ad laborem.* Item ex eiusdem beatissimi Leonis Pontificis Sermone de passione Domini: *Nos autem, dilectissimi, qui ab ignorantiæ tenebris liberati fidei lumen accepimus, & in noui Testamenti hæreditatem per electionem adoptionis intrauimus, festiuitate, quam Israël carnalis perdidit, gaudeamus.* Item alius Sermo eiusdem de Pentecoste: *Nos autem, dilectissimi, ad beatam hæreditatem & animæ & carnis per regenerationem sancti Spiritus adoptati, sacratissimum diei istius festum rationabili obsequio celebremus: confidentes cum beato Paulo Apostolo, quòd Dominus Iesus ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus, vt Euangelium Dei per omne humana vocis elo-* C

A *quium prædicaretur, & omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Iesus in gloria est Dei Patris.*

SI enim sanctorum omnium orthodoxorum Patrum, pro huiusmodi opuscula * vobis exarassemus, antea Chartæ & Scriptores deficerent, quam diuinus per eorum disputationes cessasset sermo. Sed in his omnibus vestra fidelissima credulitas ad fidem Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, eos, qui in errore positi sunt, redigentes, fructum animarum Deo offerre studete, vt nobis vobísque potissimum lucrum adcrescat. Paritérque & hoc peruenit ad nostras Apostolicas aures, quòd multi in partibus illis in insipientiam atque cordis dementiam deuoluti, prædecessorum nostrorum sanctorum Pontificum, & nostras relationum atque ammonitionum series, secundum venerandi Nicæni Concilij institutionem de Paschali festiuitate ita contemnere audent, quod si plenilunium quarto decimo scilicet Lunæ die Sabbato contigerit, alio Domino videlicet quinto decimo Lunæ die Pascha sanctum minimè celebratur, sed prætermisso eodem quinto decimo die, in alio sequentis septimanæ Dominico, qui est vicesimo secundo Lunæ die, Paschalis festi gaudia pronunciant celebranda. Quòd si interiùs mente perpenditur magni ac venerandi Nicæni Concilij trecentorum decem & octo sanctorum Patrum simul conuenientium promulgata Paschalium festiuitatum ratio, procul-
B dubio omnis error, omnísque ambiguitas ab hæsitantium cordibus auferetur. Sed dum plerique propria commenta, vt acuti, perspicaces, & mundanæ scientiæ gnari, spiritalis verò eruditionis ignari, vindicare desudant, olitanam Patrum traditionem desidiosa ignauia prætereunt, & vera mendaciis obumbrare inhiant. In eodem quippe magno Nicæno Concilio decennouennali cyclo Patrum confirmato sententia, ita inter cetera ibidem fertur promulgatum: quòd non ampliùs, quàm vsque ad vicesimam primam Lunæ diem huius sacræ festiuitatis solemnia dilatentur. Quam Paschæ rationem & Antiochenum demum venerandum corroborans Concilium, inter reliqua, ita inibi, in primo scilicet capitulo, constat exaratum: *Omnes, qui ausi fuerint dissoluere definitionem sancti & magni Nicæni Concilij, congregati sub præsentia piissimi & venerandissimi Principis Constantini, de salutifera sancti Paschæ solemnitate, excommunicandos, & ab Ecclesia esse abiiciendos censemus.* Etsi tamen * contentius aduersus ea, quæ benè sunt constituta, perstiterint, atrocioribus porrò submissuros interdictionibus censuerunt. Nam & beatissimus Dionysius in ea, quam de ratione Paschæ promit, Epistola, ait: *A duodecimo Kalendarum Aprilium die, cunctorum Orientalium sententia, æquinoctij cursus vernalis consequatur, decreuerunt, maximè Aegyptiorum peritiam, qui, vt huius calculationis gnari doctique sunt, inquirendam, specialiter adnotatur. In quo etiam si Luna quarta decima Sabbato contingat, sequenti die Dominico Luna quinta decima celebrandum Pascha sancta Synodus Nicæna sine ambiguitate firmauit.*

* ad.

* contentiosius.

C ATTENDITE, dilectissimi nobis, & illud, quod beatus Proterius Alexandrinæ Ecclesiæ Præsul, prædecessori nostro beatissimo Leoni Papæ, ob piæ memoriæ Marciani Principis iussum, direxit. Post plurima enim ita ait: *Olim quidem Dominus per Moysen significans dicit. Mensis iste vobis initium mensium primus erit in mensibus anni, & facies Pascha Domino Deo tuo quarta decima die mensis primi.* Et post pauca subiunxit, dicens: *Si quando in die Dominico quarta decima Luna reperta est, in sequenti septimana est dilatanda festiuitas. Sicut & veteres Patres nostri fecerunt, quartas decimas Lunas occurrentes in aliam Dominicam transferentes.* Vnde constat, dilectissimi, non ampliùs huius venerandæ festiuitatis solemnitatem extendi fas esse, quàm vsque in vicesimam primam Lunæ diem, ritè obseruantes hebdomadæ dierum numerum, dum Solaris cursus à Lunæ cursu omninò discordat: quoniam in sex quidem diebus creator omnium Dominus æthereum firmamentum, omnémque eius ornatum, rutilantia æquoris atque telluris gignentia, ac elementorum materiam, & cunctorum reptilium animantia patrauit, & postremum è limo hominem finxit agri, & in septimo die requieuit ab omni opere, quod patrarat. His nempe septem diebus à quarto decimo die Lunæ, quod est plenilunium, si Dominica tamen occurrerit, quæ est prima & sancta dies, pro eo quod non oportet in ea ieiunare, intermissis in alia Dominica, quæ est prima & sancta dies, vicesima prima Luna rationis ordo exigit sanctum Pascha à Christianis celebrandum. Nam si in Sabbato quarta decima Luna pro-

Exod. 12.

CAROLVS MAGNVS. uenerit, non est intermittenda subsequens Dominica, quinta decima videlicet Lunæ dies, venerantes eandem Dominicam, quæ est prima Sabbatorum dies, in qua lux, iubente Deo, in ipso mundi exordio prodiit, in qua & vera lux Saluator noster ab inferis carne resurrexit. Nam si octo dies à quarta decima Lunæ die, quando ieiunium soluitur, intermittuntur, vt in vicesimo secundo die Lunæ Paschalis festiuitas dilatetur, ergo iam non septima, id est hebdomada, sed ogdoada, vt stolidi quique & vecordes prophanizant, dicenda atque obseruanda est. Intuendum quippe & illud ratio suadet, quod septem hebdomadæ, & non octo intermittuntur à Paschali festiuitate vsque ad sanctam Pentecosten, in qua Paracletum Spiritum à Patre Redemptor noster Dei viui Filius post gloriosam Resurrectionem suam, sanctis suis Apostolis misit, pro quo regiam gradiemur viam, & non declinabimus penitus per tortuosum, & dumis ac tribulis repletum callem. Pergant per eum hi, qui cupiunt noua figmenta, & scelerum monumenta componere, vt meritò spinæ & tribuli generentur eis. Iam quidem dudum decessores & prædecessores nostri sancti Pontifices, pro hac quæstione, simúlque hæresi, illis partibus commonitorium atque adhortationem dirigentes, congrua capitula beati Cyrilli atque Theophili, necnon & aliorum sanctorum Patrum, quos dinumerare longum est, promulgantes docuerunt. Quod vestræ dilectioni gnarum esse dubium non est, pro quo non silemus, charissimi, impensiùs vos commonere, vt à falsis Fratribus caueatis, & eo modo quo sancta nostra Romana Ecclesia, caput omnium Ecclesiarum Dei, Paschalem celebrat solemnitatem: & rectè, si Dei tenet traditiones, & vos proculdubio celebrare studeatis, vt sicut pares nos Christianorum fidei Religio efficit, æquales nimirum in festiuitatibus efficiat. B

VERVM etiam & hoc de partibus vestris audiuimus, quòd quidam pollicentes atque in errore perseuerantes prædicant, vt qui non ederit pecudum aut suillum sanguinem & suffocatum, rudis est aut ineruditus. Nos quidem Apostolica præcepta imbuti atque eruditi confirmantes prædicamus. Quod si quis pecudum aut suillum sanguinem vel suffocatum manducauerit, non solùm totius est consolationis alienus, sed ipsius quoque intelligentiæ communis prorsus extraneus, vnde sub anathematis vinculo obligati in laqueos incidunt diaboli.

ILLVD autem quod alij ex ipsis dicunt, quod prædestinatio ad vitam, siue ad » mortem in Dei sit potestate, & non nostra. Isti dicunt, Vt quid conamur viuere, » quod in Dei est potestate? Alij iterum dicunt, Vt quid rogamus Deum ne vinca» mur tentatione, quod in nostra est potestate, quasi libertate arbitrij? Reuera enim nullam rationem reddere vel accipere valent, ignorantes beati Fulgentij Episcopi ad Eugypium Presbyterum contra Sermonem cuiusdam Pelagiani opuscula directa, quibus infrà multa idem Pater docens, hæc verba subiungit: *Illi autem dum pro se gratiam solùm reprehensibiliter intromittunt, in se damnabiliter calcauerunt, qui alios ad vitam, alios ad mortem asserunt destinatos. Aduerte, quibus impietatis se nexibus ligant. Si ad bonum prædestinatus sum, contra malum resistere necesse mihi non erit. Si verò ad malum natus, bonum mihi exercere nihil proderit. Ac sic in vtraque parte, intercluso appetitu laudis & gloriæ, vnus securitate, alius desperatione torpebit, ac per hoc ociabitur iustitiæ exercitatio, oratio cessabit, languebit operatio. Sed non ita est, quin potiùs incessanter oremus, quia ipse Dominus dicit: Sine intermissione orate, ne intretis in tentationem. Nihilominus contra omne peccatum, non solùm oratione, sed etiam labore luctemur, quia ipse Dominus præsenti lectione testatus est quia vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Hæc verba, quibus Auctor Sermonis illius veritatem prædestinationis nititur oppugnare, inconsideratè atque indiscretè prolata, Deo nos adiuuante, monstramus.* Et post cetera: *Opera ergo misericordiæ ac iustitiæ præparauit Deus in æternitate incommutabilitatis suæ, & sicut futurorum operum suorum, nunquam fuit ignarus, sic in eorumdem operum præparatione numquam improuidus. Præparauit ergo iustificandis hominibus merita, præparauit iisdem glorificandis & præmia. Malis verò non præparauit voluntates malas, aut opera mala, sed præparauit eis iusta & æterna supplicia. Hæc est æterna prædestinatio futurorum operum Dei, quam sicut nobis Apostolica doctrina semper insinuari cognoscimus, sic etiam fiducialiter prædicamus. Beatus enim Paulus prædestinationem eorum, quos Deus gratis saluat, & euidenter & frequenter insinuat. Ipse enim dicit de Deo: Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri* C Rom. 8.

A *imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Et post: *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos glorificauit. Nihil incertum in Dei operibus nutat, quia nihil suæ prædestinationis euacuat. Prædestinationis igitur suæ opera vocatione Deus inchoat, glorificatione consummat. Non tamen in omnibus quos vocat, sed quos secundum propositum vocat. Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt.*

ITEM & post multa: *Teneatur ergo prædestinationis veritas à fidelibus cunctis, quia quisquis diuinum non credit in hac prædestinatione consilium, non perueniet ad gloriosum eiusdem prædestinationis effectum. Quisquis autem non est prædestinatus ad gloriam, inuenitur sine dubio præscitus ad pœnam, quæ ideo in Dei præparatione prædestinata cognoscitur, vt per eam infidelitas atque iniquitas puniatur. Propter quod beatus Iudas Apostolus quosdam prædestinatos dicit in iudicium his verbis: Subintroierunt enim quidam homines impij, qui olim præscripti & prædestinati erant in hoc iudicium Dei nostri. Vigilanter autem in doctrina Spiritus sancti, prædestinatos impios non dicit ad peccatum, sed ad iudicium, id est, non ad impietatem, sed ad punitionem. Non enim prædestinati sunt ad hoc, quod vitiosius impietates admittunt, sed ad illud, quod iudicio æquitatis diuinæ recipiunt. Ipsorum enim opus est quod impiè faciunt, Dei autem opus est quod iustè recipiunt.*

ITEM post cetera: *Proinde quod Auctor illius Sermonis subsequenter adiunxit dicens: Quin potius incessanter oremus, quia ipse Dominus dicit, sine intermissione orate, ne* B *intretis in tentationem. Et post nihilominus,* Contra omne peccatum non solùm oratione, sed etiam labore luctemur. *Et iterum sic laborantes vocat Dominus dicens:* Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. *Sed nos à Deo humiliter gratiam poscamus, quam collaborantem iugiter habeamus, per quam nos Deus & in labore custodiat, & ad mercedem peracto labore perducat.* Matth. 11.

PORRO, dilectissimi, diuersa capitula, quæ ex illis audiuimus partibus, id est, quod multi dicentes se Catholicos esse, communem vitam gerentes cum Iudæis, & non baptizatis paganis, tam in escis quàmque in potu, & in diuersis erroribus nihil pollui se inquiunt: & illud, quod inhibitum est, vt nulli liceat iugum ducere cum infidelibus, ipsi enim filias suas cum alio benedicent, & sic populo Gentili tradentur, & quod sine examinatione præfati Presbyteri vt præsint ordinantur. Et alius quoque immanis inualuit error pernitiosus, vt etiam, viuente viro, mulieres sibi in connubio sortiantur ipsi pseudosacerdotes, simúlque & de libertate arbitrij, & alia multa, sicut de illis audiuimus partibus, quæ longum est dici. Quapropter, dilectissimi, oportet vestram industriam sollertissimè vigilare, & sicut decet Domini Sacerdotes, nulli vestrum liceat Canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regalis obuiare. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libito licentiâ populis permissâ frangatur? Vnde constat, vt si quis de prædictis capitulis obnoxius reperietur, post C vnam & secundam adhortationem, si noluerit se corrigere, profectò is regulariter à consortio fidelium Dei, vtpote corruptor patrum traditionum, extorris efficiatur, & in æterna condemnatione inueniatur. Cauendum ergo dilectioni vestræ est, magnáque diligentia prohibendum, ne per eiusmodi homines extincta dudum scandala suscitentur, & de exciso olim dogmate aliquod in prouincia eiusdem mali germen oriatur, quod non solùm in radicibus suis crescat, sed etiam sanctæ Ecclesiæ subolem veneno sui odoris inficiat. Qui correctos se videri volunt, ab omni suspicione se purgent, & obediendo vobis probent, se esse nostros, quorum si quisquam salubribus præceptis satisfacere detractauerit, siue ille clericus, siue sit laicus, ab Ecclesiæ societate pellatur, ne perditor animæ suæ saluti insidietur alienæ. Sed vos, dilectissimi, nostræ sanctæ Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ orthodoxam fidem amplectentes, prædicare nitimini, vt sicut vnus est pastor noster Christus, Dei viui filius, omnes simul in vno eius efficiamur aggregati ouili, & quemadmodum vnius capitis sumus membra, vnum efficiamur corpus in Christo Iesu Domino nostro: promerentes, quod sanctis suis contulit cultoribus, qui eius præcepta custodiunt, & ab initio mundi diuinæ eius placuerunt Maiestati, desiderabilem promissionem, quam ait: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum vobis præparatum ab origine mundi.* Matth. 25.

CAROLVS MAGNVS. Mortuo Paulo I. Pontifice, in sedem Apostolicā à factiosis intrusus fuit iste Pseudopapa Constantinus, qui mox ad Pipinū duas Epistolas dedit, quarum meminerūt quoque Baron. anno 767. N. 7. & Magdebur. Cent. 8. c.10.

Lege Bar. anno 767. Num.5.& seqq.& fumi isti statim dissipabuntur.

A

Item exemplar Epistolæ eiusdem Constantini Papæ Neophyti ad Domnum PIPPINVM Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones, & de obitu Domni Pauli Papæ, & postulat, vt in gratia Domni Pippini Regis permanere possit, sicuti Antecessores sui fuerunt.

XCVIII.

DOMNO *excellentissimo filio* PIPPINO *Regi Francorum & Patricio Romanorum* CONSTANTINVS *Papa*. OMNINO credimus, iam, præcurrentibus nuntiis, ad vestram excellentissimam, atque à Deo institutam regalem Potentiam peruenisse, quòd beatæ recordationis prædecessor noster domnus Paulus Papa de hac luce, Dei vocatione, subtracto, Vrbis vel subiacentium ei ciuitatum populus meam infelicitatem sibimet præesse Pastorem elegerunt. Et ecce cum nimio stupore mentis dico illud, quod nequaquam penitus optabam, nec mea exigebant merita tam sacrum Apostolatus culmen, magníque oneris pastoralis adeptus sum curam. Propterea, quia omnipotens Deus per manus ipsius principis Petri atque eius Vicarij ad exaltandam suam sanctam Ecclesiam, & redimendam hanc prouinciam, præ omnibus Regibus ac mundi potentibus, vtpote nouum Moysen, qui Israeliticum Dei nutu redemit populum, vestram Excellentiam in his diebus eligere ac suscitare iussit. Quod profectò, Deo annuente, vestro auxilio ac certamine perpetratum est. Idcirco obnoxiis deprecationibus, tanquam præsentaliter coram vestro mellifluo regali adsistens conspectu, flexo poplite deprecor Præcellentiam vestram, vt illud, quod beato Petro polliciti estis, simúlque & charitatem atque amicitiam, quam cum beatæ recordationis domno Stephano, summo Pontifice, vel eius germano, prædecessoribus nobis, habuistis, omnimodò recordare ac conseruare iubeatis, & multo amplius exaltationem sanctæ Dei Ecclesiæ, & spiritalis matris vestræ, atque orthodoxæ fidei defensionem, ac huius vobis commissæ prouinciæ perfectam liberationem procurare dignemini, quatenus repositam iam vobis in sidereis mansionibus mercedis cororonam, interueniente beato Petro Apostolorum principe, ab omnipotente Deo consequi mereamini. Nos enim nequaquam alibi, post Deum, nostram habemus spem, nisi in vestro à Deo corroborato brachio, pro quo & eundem Dominum Deum nostrum, cui occulta cordis manifestata sunt, proferimus testem, quod amplius, sicut ipsi prædecessores nostri Pontifices in vestra charitate, ac fida dilectione atque sincera amicitia firmi atque immutabiles satagimus fine tenus permanere, & per nullam temporum interruptionem à vestra nos charitate, atque à Deo protecti Regni vestri Francorum sincera amicitia * quomodo separabimus. Itaque Christianissime, & à Deo institute, magne victoriosissime, bone Rex & nostri Dei nutu defensor, interim, diuersis nobis imminentibus causis, nulla extitit possibilitas, donec Missi vestri, qui illuc ad vos directi sunt, reuertantur, alios duos dirigere Missos. Dum verò illi remeauerint confestim nostros Missos ad vestri præsentiam dirigemus. Tamen & huic vestro Misso hoc ipsum in ore posuimus, vestræ benignæ Excellentiæ suggerendum. Gesta quippe Sanctorum, de quibus misistis vobis dirigi, in quantum reperire valuimus, vobis transmisimus.

B

* quomodocumque.

C

DEVS autem omnipotens, in cuius manu cor Excellentiæ vestræ regitur, felicia vobis tribuens tempora, omnes aduersas Nationes vestris regalibus subiiciat vestigiis, & per multorum annorum metas Regni gubernacula vos cum excellentissima, & à Deo illustrata filia nostra, domna Regina, atque præcellentissimis Regibus, vestris natis, faciat possidere, & æternæ beatitudinis cum Sanctis & omnibus electis eius per infinita * annuat effici participes. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

* sæcula.

PIPPINVS.

A *Item exemplar Epistolæ Constantini Papæ Neophyti ad Domnum* PIPPINVM *Regem directa, in qua continetur, quod à populo Romano per violentiam electus, & in Sede Apostolatus intromissus fuit, postulans, vt in gratia Domni Regis Pippini permanere poßit, sicut antecessores sui fuerunt, & inde de Epistola Theodori Patriarchæ Ierosolymitani, & de aliis Epistolis Alexandrini & Antiocheni Patriarcharum, & in Embolo de Georgio, Marino, & Petro.*

XCIX.

DOMNO *excellentißimo filio* PIPPINO *Regi Francorum & Patricio Romanorum,* CONSTANTINVS *Papa.* DVM internæ mentis intuitu infra memetipsum vehementer considero, quanta mihi incœpti pastoralis officij debet insistere cura ad pascendas Dominicas rationales oues, valde fateor intolerabilem mœstitiam cordis mei arcano adhæsisse, quia proculdubio non meriti, sed oneris huiuscemodi prouectio omnibus curam animarum adsumentibus videtur esse * conferta sollicitudo, & qui nimis comprimor, & nullis operum meritis, neque virtutum profectibus me præstiturum perpendo, quid diuina misericordia inspirante cordis affectu operari iusserit, & ilico velut ex graui somno experrectus nimio stupore & B exstasi inuenio, à Deo in me rogatum, quod numquam optaui, quod numquam penitus cogitaui, nec in cor pusillitatis meæ quoquo modo ascendit. Ex improuisa enim violentia, manu à populorum innumerabili concordantium multitudine velut valida aura venti raptus, ad tam magnum & terribile Pontificatus culmen prouectus sum. Vnde sicut nauis æquoreis procellis fluctuatur, ita ego infelix & inutilis curarum tumultibus, & populorum proclamationibus, atque lacrymosis vlulatibus concutior. Etenim omnes omnino, à magno vsque ad paruum, proprios dolores ac violentias vociferantes, non cessant circumuallare me vndique cogitationum certamina, ob consolationem & iustitias impertiendas huic à vobis liberato populo.

* collata.

O quàm magna & metuenda existit Pastorum sollicitudo! & quomodo infelix possim onerum animarum exequi curam? Veruntamen, dum protinus iactaui cogitatum meum in Domino, & spei meæ fiduciam ad eius contuli misericordiam, méque, excellentissime & à Deo protecte victoriosissime Rex, in vestro solito auxilio & protectione commisi, paratum iam remedium inueni, & afflictus animus meus paulisper respirauit. Valde enim, post Deum, confortor in vestra regali potentia, & à Deo protecto regni vestri Francorum robustissimo brachio. Inter hæc itaque considero quanta sit Dei nostri omnipotentis misericordia, & confestim opima consolationis oportunitas mihi confertur. Ipse enim pro humani generis C salute de sinu patris descendens, verbum caro factum, de Virgine Maria domna nostra nasci dignatus est, non amittens Deitatem, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. Vnde non est dedignatus cum peccatoribus & publicanis loqui ac conuesci. Suscepit enim Publicanum & Euangelistam effecit, Mattheum dico, qui Euangelica verba mundo propagauit. O multitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Verè magnus Dominus & laudabilis nimis, & sapientiæ eius non est numerus, qui ponit humiles in sublimi, & mœrentes erigit sospitate. Pro quo, tanquam vnum ex publicanis me existimans, cum gemitu cordis, percusso pectore, deprecor ineffabilem misericordiam, vt tantum pastorale officium, quod mihi immerito contulit, me salubriter exequi, & lucra animarum eius diuinæ Maiestati offerre me annuat. Crebrò enim laudem ipsius Redemptoris nostri loquitur os meum, caro & lingua benedicit sanctum nomen eius, qui non merita existimat, sed miseretur quibus misereri vult.

PRÆMISSIS quidem iam vicibus nostris Apostolicis apicibus, * iussi sumus intimasse à Deo instituto regali vestro culmini, de recessu prædecessoris nostri, domni Pauli Papæ, & quomodo me indignum & inutilem diuina dignatio in Apostolatus ordinem prouehere iussit. Vnde ecce & nunc iteratis nostris Aposto-

* nisi.

PIPPINVS. licis affatibus, debitum honoris ac salutationis affectum, & visitationis conatum excellentissimæ Christianitati vestræ aptum duximus persoluere. Et quoniam omnipotens & longanimis Deus noster, verbum salutis per suum Apostolum beatum Petrum Excellentiæ vestræ mittens, fortissimum sanctæ suæ Ecclesiæ, & fidei orthodoxæ liberatorem ac defensorem te suscitauit, atque constituit, præcellentissime fili, & magne orthodoxe Rex: ideo licèt mutatis pastoribus, cura tamen huiuscemodi certaminis ac defensionis vobis incumbit, & ob hoc, tanquam præsentaliter, coram mellifluo regali vestro aspectu consistens deprecor, & per Deum omnipotentem, qui est iudex viuorum & mortuorum, ante cuius conspectum omnia elementa contremiscunt, & abyssi mouentur, qui omnia regna mundi suæ prouidentiæ nutu disponit, qui etiam te, excellentissime fili, ac benignissime Rex, tuósque amantissimos natos, ac meos spiritales filios, in Reges per manus beati Petri Apostolorum principis vngui præcepit, firmiter Excellentiam vestram coniuro, vt ea qua pro stabilitate regni vestri, & æternæ vitæ remuneratione beato Petro polliciti estis, pro exaltatione ac defensione sanctæ Dei Ecclesiæ, spiritalis matris vestræ, & sanctæ orthodoxæ fidei obseruare, & in omnibus adimplere iubeatis, & in ea charitate ac dilectione, in qua cum nostris prædecessoribus, domno Stephano ac Paulo beatissimis Pontificibus, permansistis, nobiscum permanere iubeatis, & in eadem amicitiæ connexione cum mea fragilitate persistere, non nostra, quæ mala sunt merita existimans, sed adimplens illud diuini oraculi præceptum: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem recipiet Prophetæ, & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem suscipiet iusti.* Et illud quod ipsa veritas Deus noster ait. *Qui me recipit, vos recipit, & qui me spernit, vos spernit.*

Matth. 10. Luc. 10.

CONSIDERA, bone Rex, quia potuerat Deus noster per angelum virtutis suæ, aut alio modo liberationem suæ Ecclesiæ & fidei orthodoxæ operari, sed non in alio nisi in tua Excellentia complacuit, quia tibi hoc bonum seruatum erat opus. Vnde apertè cunctis datur intelligi, quia omnia iam ante mundi constitutionem à Deo prædestinata sunt. An non erat prædestinatus Dauid? de quo secundum carnem Christus in mundo editus est? Pusillus enim inter fratres existens, ab ouibus patris ablatus, in Regem vnctus est. Et quia à Deo prædestinatus es defensor sanctæ Dei Ecclesiæ ac noster, adesto, exaudi preces nostras mitissime Rex, sic te exaudiat Dominus in quacunque die eum inuocaueris. Nos quidem, ita testis nobis Deus noster, cui occulta cordis manifesta sunt, vt plus etiam, quàm præfati nostri prædecessores Pontifices, in vestra à Deo protecti Regni vestri Francorum charitate & dilectione, atque sincera fidelitate, cum omni nostro populo firma constantia erimus permansuri, & peto coram Deo viuo, vt si forsitan quisquam, spiritu nequitiæ irreptus, contraria de nobis vestro regali culmini garrire attentauerit, nulla ei credulitas admittatur, quia, vt confidimus in Dei omnipotentis misericordia, pleniùs eritis de nostra puritate satisfacti.

VNDE ecce magnopere ad vestra à Deo directa vestigia direximus præsentes fidelissimos nostros Missos, scilicet Christophorum dilectum filium nostrum Presbyterum, atque Anastasium Notarium Regionarium spiritalis matris vestræ, sanctæ nostræ Ecclesiæ, qui vos de nostra fidelitate, quam erga vestram regalem potentiam gerimus, satisfacere debeant, quibus in ore posuimus hoc ipsum Christianitati vestræ nostra vice enarrandum. Quos petimus, ob reuerentiam vestri beati Petri, benignè à vobis & solitè suscipi, eisque in omnibus credere, & eum lætabundis nunciis de vestro benigno proposito & immensa prosperitate absoluere iubeatis.

ITAQVE innotescimus Excellentiæ vestræ, quod duodecima die præteriti Augusti mensis, quintæ Indictionis, coniuncti ad nos à sancta ciuitate quidam religiosus Presbyter Constantinus nomine, deferens Synodicam fidei Missam à Theodoro Hierosolymitano Patriarcha, ad nomen prædecessoris nostri domni Pauli Papæ, in quo & reliqui Patriarchæ, id est, Alexandrinus & Antiochenus, & plurimi Metropolitani Episcopi Orientalium partium, visi sunt concordasse, eámque cum magna lætitia suscipientes, atque amplectentes, in populo in ambone relegi fecimus. Cuius exemplar in Latino & Græco eloquio vestræ Excellentiæ direximus, vt agnoscatis, qualis feruor sanctarum imaginum Orientalibus in partibus cunctis Christianis imminet.

A His prælibatis, extensis palmis ad æthera, cum omnibus Dei cultoribus, & cuncto nostro populo redemptoris nostri diuinam exoramus clementiam, vt suæ extensionis dextera vos protegat, & Regni vestri à Deo confortati Francorum terminos dilatet, atque immensas de hostibus victorias vobis tribuat, cunctósque aduersarios regalibus vestris prosternat vestigiis, regníque gubernacula, longo ac prospero senio vobis, vna cum excellentissima filia nostra à Deo protecta Regina, & amantissimis natis perfrui concedat possidenda, & sicut temporale ac terrenum regnum, & cœlestia vobis regna cum omnibus Sanctis, qui ab initio mundi, diuinæ placuerunt maiestati, tribuat possidenda. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. CAROLVS MAGNVS.

Embolum.

ITAQVE hoc Excellentiam vestram petimus, vt iubeas, Christianissime ac mitissime Rex, inspiratus à Deo, ad nos absoluere reuertendum sanctissimum fratrem nostrum Georgium Episcopum, atque dilectos filios nostros Marinum & Petrum Presbyteros, qui ad vestram Præcellentiam à nostro prædecessore Domino Paulo Papa directi sunt, cotidie enim cum magno ploratu eorum parentes nos adeunt, B vt vestram à Deo institutam Excellentiam deprecari debeamus pro eorum absolutione, etiam non possumus eorum lacrymas sufferre. Per te enim, bone misericordissime Rex salui effecti sunt, & à manibus persequentis liberati consistunt. Vnde magna in cœlo vobis reposita est mercedis corona, quoniam scriptum est, *qui saluat, tanquam qui ædificat.* Propterea coram Deo viuo deprecamur, vt in hoc preces nostras exaudias, & ipsos absoluere iubeatis. Ipsis enim reuertentibus cum magna lætitia eos suscipiemus, & charos in nostris visceribus amplecti studebimus: Episcopatum enim & Ecclesias, quas tenere videbantur, inordinatæ vsque hactenus consistunt: pro quo iubeat Excellentia vestra disponere, quatenus præfati viri ad terram natiuitatis eorum reuertantur, quia adest tempus vt pariter cum suis parentibus, & vna nobiscum in Domino exultent, nósque merito pro vita & incolumitate vestra fundere valeamus preces.

 A

EPISTOLAE

SVMMORVM PONTIFICVM, NICOLAI I. ADRIANI II. IOANNIS VIII. ET ALIORVM,

De rebus ad Historiam Francorum præcipuè pertinentibus.

NICOLAI I.

Legatos ad Synodum mittit, ad quam præcipit, duos de CAROLI *Lotharij patrui Regno Episcopos accedere, sicuti de* LVDOVICI *& Caroli fratris eius Regno alios conuenire iusserat.* B

EPISTOLA I.

Edit.xvII. NICOLAVS *Episcopus seruus seruorum Dei*, LOTHARIO *Regi*, pro Synodo. REGALIS Excellentia vestra nuper Apostolatui nostro direxit, vt pro perficienda Synodo Missos è latere nostro dirigere dignaremur. Quod nos & ante Litterarum vestrarum preces, & post modū, facere desiderio ardenti cogitauimus. Sed quia multis Sanctarum Ecclesiarum Dei vtilitatibus hactenus fuimus occupati, tam celeriter (vt volebamus) eos destinare nequiuimus. Nunc autem Domino nostro Iesu Christo fauente, Legatos sanctæ nostræ, cui Deo auctore deseruimus, Ecclesiæ, duos reuerendissimos & sanctissimos Episcopos, Rhodoaldum sanctæ Portuensis Ecclesiæ, & Ioannem sanctæ Fundensis Ecclesiæ delitiosos nostros, quorum aduentu atque præsentia Dei Sacerdotum Synodus congregetur, trāsmittimus, sicut nostris vobis iam pridem direximus Litteris, quibus magnitudini vestræ intimatum est, binos Episcopos de Regno LVDOVICI Regis patrui vestri, & CAROLI Regis vestri fratris ad ipsam Synodum conuenire debere. C
Nunc autem volumus atque Litteris nostris directis iubemus, similiter duos de Regno CAROLI Regis gloriosi patrui vestri ibidem sine aliqua ambiguitate adesse. Quas sanè Litteras Nobilitati vestræ dirigentes, petimus vt eas Carolo Regi de præsenti per vestrum fidelem hominem transmittatis: quatenus & duo Regni eius Episcopi (vt diximus) ad prædictam Synodum, quæ auxiliante Domino congreganda est, cum nostris pariter Legatis valeant conuenire. Quos sanè Apostolatus nostri Legatos Excellentia vestra digno honore suscipiat, & familiaritatis eius locum concedat, vt Domino auxiliante, cùm ad nos fuerint reuersi, digna nobis de parte vestra nunciantes, maximas Deo gratias referre, & Apostolicæ vos benedictionis munere ditare possimus, congaudentes sanè in vestræ humilitatis deuotione fideli. Dextera vos supernæ Maiestatis illæsos conseruare per tempora longa dignetur.

Iubet duos de CAROLI *Regno Episcopos ad Synodum proficisci.*

II.

dit.II 1. NICOLAVS *Episcopus seruus seruorum Dei*, CAROLO *glorioso Regi*, pro Synodo. SEDES hæc sancta, atque præcipua, cui Dominici gregis, & sollicitudo, curáque

A curáque commissa, in omnibus mundi partibus rectitudinis suæ dispositione salubri cuncta ordinare, perficeréque diuino freta procurat auxilio, & quod singulari etiam auctoritate perficere valet, multorum sæpe Sacerdotum decernit diffinire consensu, & iustitiæ censura, ea scilicet emendando deliberare, quæ perperam atque enormiter fuerint alicubi commissa. Vnde vestræ Regali Deóque amabili excellentiæ notum esse volumus, quia ad futuram Synodum, quæ Metis ciuitate Regni LOTHARII Regis nepotis vestri pro THEVPERGA sorore VBERTI, & VVALDRADA congreganda est, duos de regno vestro Episcopos, quos prudentes atque veraces vos esse cognoscetis, conuenire iubemus, qui vna cum sanctæ Sedis nostræ Legatis, quos illuc (Domino auxiliante) nunc destinamus, & aliorum venerabilium Episcoporum cœtu, qui ad eandem Synodum conueniendi sunt, subtili cuncta indignatione *, rectáque valde inquisitione, secundum Deum & venerabiles sanctorum Patrum institutiones examinare, ac diffinire decertent. Nam & Ludouico glorioso Regi fratri vestro, simili modo litteras nostras direximus, duos regni sui Episcopos ad ipsam Synodum conuocantes, quatenus in omnibus quæ ibi statuenda sunt, rectitudo vigeat, iustitia polleat, & falsitate fugata, veritas splendeat, vt venerabili Sacerdotum Dei certamine Christi Ecclesia ab omnibus inconcussa consistat aduersis. Quos sanè in veniendo Episcopos ad
B iam dictam Synodum iussione nostra volumus occurrere. Dat. &c.

LVDOVICVS CAROLVS.

* legendum videtur indagine.

Commendat Legatos ad Synodum missos, ad quam duos de Caroli Regno Episcopos ire præcipit.

III.

NICOLAVS *Episcopus seruus seruorum Dei*, LVDOVICO *Imperatori*, pro Synodo. AVGVSTÆ serenitatis magnitudini vestræ Imperiali fulgenti decore his Apostolatus nostri litteris innotescimus, quia multis & quotidianis Ecclesiarum Dei sollicitudinibus & vtilitatibus, quibus nos vigilanter insistere decet, præpediti, Missos nostros pro perficienda Synodo, quam pro causa LOTHARII gloriosi Regis fratris vestri, nostra Apostolica fieri auctoritate decreuimus, tam celeriter vt inter nos statutum est, in Franciam destinare nequiuimus, & quam Ecclesiasticæ rectitudinis & vtilitatis zelo, quo nos semper feruere oportet accensi, legatos nunc (sicut diximus) nostros duos venerabiles Episcopos, Rhodoaldum videlicet sanctæ Portuens. Ecclesiæ, & Ioannem sanctæ Fundensis Ecclesiæ antistites deliciosos nostros illuc pro eiusdem rei quam scitis negotio canonicè diffiniendo direximus: quos Clementia vestra benignè suscipiat, eisque fidelem, atque prudentem tribuat hominem, qui eos vsque ad locum, quo à talibus suscipiantur ho-
C minibus, quorum comitatu ad prædictum Regem Lotharium fratrem vestrum illuc si valeant peruenire, securos & quietos, omnique suauitate deducat. Cognoscat præterea Clementia vestra, qui pro communi Ecclesiæ pace, atque consensu duos Episcopos de Regno Caroli Regis patrui vestri, ad ipsam Synodum, quæ Domino auxiliante in Metis ciuitate congreganda est, Sedis Apostolicæ missa vocatione conuenire præcipimus, qui vna cum Missorum nostrorum præsentia, & aliorum Sacerdotum Dei conuentu, quod diffinire oportet, iustè canonicéque decernant. Dat. &c.

Edit. xii.

Petit vt CAROLVS *Rex Balduino parcat, qui filiam eius rapuerat, & in vxorem acceperat.*

IV.

NICOLAVS *Episcopus seruus seruorum Dei* CAROLO *glorioso Regi maiori*, pro Balduino. BEATO ac precioso Christi Dei nostri cruore Ecclesia sancta redempta, & sacro ipsius Domini super solidam veræ fidei petram fundata eloquio, pietatis suæ viscera omnibus, non solùm quos ex aqua regenerauit, & spiritu, delinquentibus, verùm etiam quotquot sacri nec dum lauit vnda baptismatis, patet, atque gremio gratulatur fouere salubri. Vnde ab ipso institutionis eius exordio, ad

CAROLVS MAGNVS

eam omnes velut ad pium cariſſimæ genitricis gremium confugere digna deuotione procurauit, qui ſe in aliquo flagitij ſcelere iacere cognoſcunt, vt per ſpiritualem gratiam, quæ rite ignoſcit petentibus, à peccatorum nexibus abſoluantur. Et quoniam ad hanc ſanctam Romanam, cui Deo auctore deſeruimus Eccleſiam, quæ ob ſui priuilegij principatum, quo cæteras Dei Eccleſias orbe vniuerſo diffuſas excellit diuinitus, de diuerſis mundi partibus quotidie multis ſceleribus oppreſſi confugiunt, remiſſionem ſcilicet & venialem ſibi gratiam tribui ſupplici & ingēti cordis mœrore poſcentes: à qua verò ob inſigne dilectionis meritum, & debitæ compaſſionis gratiam recti libraminis auxilium cunctis fidā petentibus intentione tribuitur, atque largitur. Idcirco ad beatiſſima ſanctorum Apoſtolorum principum Petri & Pauli confugere limina, noſtrúmq; Pontificium BALDVINVS vaſſallus veſter ardenti animo accedere ſtuduit, qui veſtram ſe habere indignationem, eo quod Iudith filiam veſtram illum præ cæteris diligentem ſine veſtræ voluntatis conſenſu in coniugium elegerit, eámque volentem acceperit, ore proprio retulit. Quamobrem præſolatui noſtro preces multitudinis fudit, orans & petens obnixè, vt magnitudinis veſtræ per noſtram interuentionem adipiſci gratiam mereretur. Cuius nos crebris petitionibus, & miſericordiæ largitate commoti veſtram Regalem excellentiam his Apoſtolatus noſtri apicibus, præſentibúſque Legatis Rhodoaldo videlicet, & Ioanne reuerentiſſimis & ſanctiſſimis Epiſcopis deliciosis noſtris valde precamur, vt pro Ieſu Chriſti Domini noſtri amore & ſanctorum Apoſtolorum Petri ac Pauli, quorum auxilium ipſe Balduinus magis quàm Regum terræ fide deuota quæſiuit, noſtráque dilectione, quam vos luculenter habere cognoſcimus, iam dicto Balduino, quia & talem iam olim aliis eueniſſe Regibus ſcitur, indulgentiam pariter & plenariam gratiam largiatis, vt veſtræ amplitudinis fretus benignitate conſiſtat, maneátque inter cæteros vobis fideles ſecurus. Cui ſanè ideo veſtræ ſublimitatis gratiam vt tribuatis, depoſcimus, non ſolùm quia pio amore omnibus, qui aliquo fuerint ſceleris contagio maculati, huius Apoſtolicæ Sedis opem, atque miſericordiam & præſidium poſtulantibus, humilíque deuotione quærentibus, pro qualitate facti ſubuenire debemus: Verùm etiam metuentes ne propter iram indignationémque veſtram ipſe Balduinus impiis Normannis & inimicis Eccleſiæ ſe ſanctæ coniungat, & in populo Dei, quem prudenti conſilio, mentéque ſollicita ſaluum & incolumem regere & gubernare debetis, aliquod ingerat periculum, & ſcandali fomitem, quo fidelium cœtus depopuletur immittat, & ob hoc animæ veſtræ, quod abſit, contingat diſcrimen. Dextera vos ſupernæ protegat maieſtatis, & ab omnibus ſemper aduerſitatibus illæſos cuſtodire dignetur. Dat. &c.

Eiuſdem argumenti.

V.

Edit. xxi.

NICOLAVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, HERMENTRVDÆ *Reginæ*, pro Balduino. FIDELIVM vniuerſitas gentium ex variis mundi partibus, cuiuſquam ſint ordinis vel ætatis, ſi qua fortè criminis noxa, vel ſeniorum ſuorum formidine detinentur, ad hanc ſanctam omnium terrarum matrem Eccleſiam Romanam, vt ſalutare peraccipiant remedium, recurrunt, & ab ea non ſolùm animæ, ſed & corporis ſaluationem, vt omnibus pater, humili prece ſuſcipere precantur. Quibus, multis diuinitus fulta auctoritatibus, & ſanctorum Patrum roborata documentis, materno amore ſolamina ſubminiſtrat, & ſugenda vbera conſolationis compatiendo inferre minimè recuſat. Et quia hic Balduinus, qui cariſſimam filiam veſtram contra diuinarum legum ſanctiones rapuit, de his ſe eſſe recognouit, liminibus ſanctorum Apoſtolorum lacrymoſis, mœſtiſque precibus lugubriter ſe obtulit, & vt pro tanto crimine Apoſtolicam opem acciperet, noſtro Apoſtolatui nihilominus flendo ſe præſentare quæſiuit: cuius cùm lamentabilem, & tanto ſcelere plenam cognouiſſemus petitionem, ad mentem rediit, quod per prophetam Dominus dicit. *Miſericordiam volui, & non ſacrificium*, miſerti fuimus, & hos veſtræ in Chriſto dilectæ induſtriæ Apoſtolicæ ſolicitudinis apices fieri ſtatuimus, miſſóſque etiam Rhodoaldum & Ioannem reuerendiſſimos & ſanctiſſimos Epiſcopos delitioſos nobis pro eo veſtræ claritati direximus, per quos obno-

A xius deprecamur, vt prædictus Balduinus, quia apud vestram per Apostolorum interceſſiones deſiderat magnificentiam obtinere (pro Dei amore) gratiam percipere valeat, & de ſui affectione noſtri præſulatus, oraculis conſolationem reſumat: quatenus, vt qui ſe per infelicem culpam à norma æquitatis declinaſſe non ambigit, medelam Apoſtolorum agnoſcat, & apud veſtrum ſeniorem venialem (vobis iuuantibus) vigorem obtineat. Dextera vos ſupernæ protegat maieſtatis, & ab omnibus ſemper aduerſitatibus maculiſque cuſtodire dignetur. CAROLVS MAGNVS.

Vt ad Synodum Metis celebrandam vna cum Legatis accedant, ibique LOTHARIVM *Regem euocent, qui Sedis Apoſtolicæ non expectato iudicio,* THEVPERGAM *vxorem repudiauerat, minatur eum ſe excommunicaturum, niſi pœnitentiam & ſatisfactionem egerit.*

V I.

NICOLAVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus Archiepiſcopis per Galliam & Germaniam conſtitutis*; pro Synodo. INCOGNITVM vobis eſſe non credimus, qualiter pro duabus feminis LOTHARII Regis Eccleſiæ Dei facies illiciti connubij næuo aſperſit, vel qualiter vna repulſa, idem Rex, alteram ſibi ſceleratiſſimè copulauerit. Quarum prior THEVPERGA nomine pro ſui repudio acriter dolens peremiſſam legationem ſuper hoc negotio Sedis noſtræ expetiuit iudicium. Ex qua re vnius partis cauſam ſine alterius iudicare canonicè fore minimè duximus: ſtatuimus fraternitatem veſtram Meti collectam pariter cum Legatis noſtris eiuſdem Lotharij cauſam audire, & canonicè communi ſententia diffinire. Itaque iuxta ſtatutum noſtrum, cùm duos illos in partes fratres noſtros deſtinaremus Epiſcopos, accidit ad noſtram notitiam peruenire, quod Lotharius legitima, & prima repulſa muliere, ſecundam ſibi aſciuerit coniugem, neque Sedis noſtræ petitum ac promiſſum iudicium expectans, neque canonico iudicio vſpiam ſuccumbens. Qua ex re quid aliud datur intelligi, niſi quia vbi plurimorum iudicium præuenit, ibi ſuo iudicio præuaricatorem ſe iudicauit? Et ideo vniuerſaliter hanc fraternitati veſtræ Apoſtolicæ auctoritatis Epiſtolam deſtinauimus, vt Chriſtianæ religionis zelo accenſi pariter cum Miſſis noſtris Metim proficiſcamini: illucque Lotharium conuocantes audiatis, & in eum canonicum iudicium proferatis, quod ſi venire diſtulerit, & à præſentia ſe Synodali præſentibus legatis noſtris ſubduxerit, & ad pœnitentiam, ac ſatisfactionem repedare minimè curauerit, ita vt præſentialiter ad Synodum coram Miſſis noſtris ſatisfacturus, & à ſcelere receſſurus occurrat, illum de cætero excommunicatum reddemus, & quamdiu in hoc permanſerit, & totius Eccleſiæ conſortio faciemus extorrem. Edit. XXII. B

C *Vt cauſam Theupergæ iudicent, & Concilij acta ad ſe mittant.*

V I I.

NICOLAVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus reuerendiſſimis & ſanctiſſimis Archiepiſcopis confratribus noſtris, & Epiſcopis in Concilio reſidentibus, quod Metis celebratur.* REVERENTIÆ ſacerdotali tunc debitus honor impenditur, cùm eos in omnibus, quæ ab illis ſub æquitatis libramine geri debentur, trutinam miſericordiæ cum lance rectitudinis tenere conſpicimus, & tenendo nullius fauore retenti, aut quorumcumque terroribus permoti, vel etiam numeroſis pecuniis, aut honorũ amplitudinibus à tramite iuſtitiæ quoquo modo inclinati permutantur, ſed quantum eis ergà proximos in diſcutiendo curare conceditur, tantum his ſine perſonarum acceptione, ad ſui cuſtodiam pauor cum zelo rectitudinis procul dubio adhiberi debet, ne immemores illius Apoſtolicæ ſententiæ videantur, dicentis: Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Nam cùm inter multarum Eccleſiaſticarum rerum, quæ ad ſalutem & fidei ſoliditatem populi Dei pertinere videntur, noſter Apoſtolicus animus cauſas extẽderetur, de quarumdam fœminarum controuerſia THEVPERGÆ ſcilicet atque VVALDRADÆ admodum, ſicut quorundam referentium, quia paſtoralis nos cura ad audiendum commoueat, Edit. XXIII.

CAROLVS MAGNVS. relatio intentos reddidit. Et ne aliquo violentiæ morbo per desidiam grex fatigetur Dominicus, ad medelam recuperandæ sanitatis, ardore caritatis, feruentius inuitauit, prædicta quippe Theuperga multis vicibus Sedem Apostolicam lacrymosis litteris studuit appellare, in quibus affatu flebili puram se quo accusatur crimine inquit, atque insontem, ad quod negotium & iudicij discretionem, sicut iam vestrã fraternitatem nuper per Apostolicos apices commonere decreuimus, Apostolico vos hortamine adesse volumus, quatenus à Pontificij nostri latere venientibus Missis Synodicam illic celebrationem Apostolica fulti auctoritate cum fraternitate vestra præsidentibus adunare debeatis, & vna cum eis vigilantius sine dolositatis macula vel fomento inuidiæ, aut odij nutrimento, quæ possunt homines à via veritatis peruertere, & à calle rectitudinis, proh dolor, declinare, semper Deum præ oculis habentes, personas principum, & terrores, qui ad tempus insurgunt, & in tempore finiuntur, contemnentes; quid in his iustius, quidve veracius cum fatis Missis nostris inuenire valueritis, horum consensu diffinire & statuere procul dubio studeatis: cauentes hoc, quod per prophetam dicitur: Væ his qui dicunt bonum malum, & malum bonum, qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras, & dicunt dulce amarum & amarum dulce. Nam & Euangelica inter cætera, quæ nos ad bene viuendum instruit, sententia admonet dicens: nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Psalmista quoque ait: si verè vtique iustitiam loquimini, iusta iudicate filij hominum. Igitur cùm multa sint, quibus vestram fraternitatem non obliuionis aut ignorantiæ causa de vobis iudicantes, sed caritatis studium amplectentes commonere possimus: hæc ideo sufficere credimus, quia ad plura vos & Euangelicæ, atque Apostolicæ, Propheticæque lectionis dogmata in talibus memoria transcendere non dubitamus. Tantum est, vt cum æquitatis iustitia in præsẽti examinatione sine aliquo dolo, vel inuidiæ macula (sicut præfati sumus) quia Deo præsente adsistitis, proximorum causas, cùm iam dictis Missis nostris ita iustè & irreprehensibiliter cum Dei timore diffinire satagatis, vt illorum in omnibus, vestræque sanctitatis consensus, atque iudicium æquitate fulgere videatur. Nam si vos, vel illos in aliquam partem pro cuiuscumque fauore à Canonicis & sanctorũ Patrum institutionibus (quod non optamus) declinare perspexerimus, arguere non dubitamus. Si verò aliarum Ecclesiasticarum vtilitatum in eodem concilio res acciderint digno examine, pertractantes eas cum Dei timore diffinire satagite. Si autem aliqua in eo fuerit contentio orta, in qua diffinitiones ponere nequiueritis fortasse censurãm, nostro eam iudicio reseruare sancimus. Statuimus autem vt cuncta quæ in eodem concilio peracta fuerint, ac diffinita, nostro præsulatui gestorum serie incunctanter significetis, vt si ea iustitiæ pulchritudine, probabilique sanctione diffinita perspexerimus, Deo omnipotenti gratias referamus. Si verò iniustitiæ, quod nolumus, & contrarietatis fuerint acta intentione, ea renouare summopere iubeamus, Missos quidem nostri Pontificij (vt in prima Epistola vestræ dilectioni significauimus) pro quibusdam Ecclesiasticis vtilitatibus, quibus fuimus occupati, destinare nequiuimus. En Christo iuuante strenuitatis pollentes scientia, atque doctrina reuerendissimos nunc dirigere Missos decreuimus, Rhodoaldum scilicet, atque Ioannem Episcopos deliciosos & consiliarios nostros, qui prædictum cum vestra sanctitate Concilium, vt protulimus, studeant celebrare. Omnipotens Deus, qui vos sacri regiminis culmine perornauit, vestræ beatitudinis corda rectitudinis & iustitiæ claritate repleat, atque decoret, vt in omnibus vestris actibus æquitatis videamini plenitudine rutilare. Dat. IX. Calend. Decembris, Indict. II.

Marginal notes: Esa. 5. — Ioan. 7. — Psal. 57. — Section letters A, B, C.

Carolum ad pacem cum Imperatore seruandam adhortatur.

VIII.

Edit. XXV. NICOLAVS *Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio* CAROLO *glorioso Regi.* INITIVM locutionis meæ, quam ad vos nunc habeo, carissime, ecce cum Apostolo Paulo sumit exordium, & vox mea vox illius est, dicens: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Quo autem modo Christus formari melius in cordibus vestris poterit, quàm si euulsis ex præcordiis vestris odiorum & simultatum vepribus, pacem in visceribus vestris concipiatis, quæ Christus est, sicut per eundem Apostolum de eo dicitur: *Ipse est pax vestra, qui fecit vtra-*

Marginal notes: Gal. 4. — Ephes. 2.

A *que vnum*, & caritatem in inuicem obseruetis, quæ Deus est, veluti à Ioanne describitur: *Deus caritas est*. Nulli ergo dubium est, quod qui caritatem & pacem in se non habet, Christum Dominum Deum nostrum, qui per hæc vocabula designatur, è corde suo proiecerit, & quasi conformatum ex intimis vteri sui pepulerit. Quamobrem necesse est, vt sicut sancta Mater Ecclesia, cui mea humilitas per abundantiam diuinæ miserationis præest, vt habitaret Christus per fidem in cordibus vestris, olim vos per Euangelium genuit: ita quoque vt per ministerium Apostolatus mei, in præcordiis vestris pacem & dilectionem, id est formetur Christus, nunc vos iterum parturiens gignat, & vt in virum perfectum occurratis informet. Quomodo autem Christus in vobis formari potest, qui in scissis mentibus non habitat, qui totus est pax, totus iustitia, totus est veritas, vel in vobis quomodo formatur, qui licèt in pectore vestro per fidem sanam solidus & integer habitet, per discordiam tamen minus in vobis perfectus, & velut informis habetur? Concipite itaque filij pacem, parturite iustitiam, & alternam amplectimini caritatem. Audite quid dicat Apostolus: *Pacem sequimini cum omnibus*. Et rursus: *Quod*, inquit, *ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*. Vnde intimo mentis intuitu & summa est diligentia perpendendum: quoniam si tantus Apostolus cum omnibus hominibus pacem sequi, & cum omnibus pacem habere commonuit, quanto potiùs, quantóque B salubriùs cum his sequenda, cum illis habenda est pax, quibus consanguinitate propinquiores, & materia carnis proximiores, ac iuramento seruandæ vicariæ pacis connexi arctiùs esse ferimini? qua de re mihi nunc sermo est, & ad regium culmen vestrum, meum tendit eloquium: ad ea videlicet vos dirigens, per quæ non solùm terrena regna debito iure possidendo dies vestros in quiete maxima transeatis, verumetiam beatitudinis hæreditatem capescentes, filiorum quoque Dei vocabula sortiamini. Scriptum quippe est: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.*

1. Ioan. 4. Hebr. 12. Rom. 12. Matth. 5.

IGITVR memores, filij dilecti, estote, memores estote nominis Dei nostri, cuius mentionem coram nonnullis testibus facientes, terribili estis alternam pacem inuicem pacto polliciti, & pertimescentes tantum nomen in vanum accipere, reddite Domino iuramenta vestra. Fœdus, quod ad alterutrum pepigistis, inuiolabili maneat apud vos veritate repostum, & immaculatè vigeat vestra sublimitas insignia fidei cunctis circumquaque nationibus repræsentans: parcite gladio, & humanum fundere sanguinem formidolosiùs exhorrescite. Cesset ira, sedentur odia, sopiantur iurgia, & omnis ex vobis simultas radicitus extirpetur; vnusquisque vestrûm sua sit sorte contentus, & funiculo hæreditatis diuinitus sibi collato pacificè perfruatur. Aliena iura non inuadens, non subtrahens, non conturbans, liceat dilectissimo filio nostro, vestro autem nepoti à Deo conseruandum imperium suum cum regno proprij germani quieta possidere tranquillitate, & statui eius summa se caritate consulere, & gubernacula ditione debita moderari: ad salutem videlicet, ac defen- C sionẽ populi Christiani, & ad sanctæ matris suæ Romanæ scilicet insignis Ecclesiæ libertatem & sublimitatem. Non in vobis vanæ gloriæ typus, non supercilij fastus, non alterius vsurpandi terminos ambitio: sed iustitia, caritas & concordia regnet: ac summum pax inter vos teneat omninò fastigium. Sanè cùm pro concordia scribimus, cùm pacem prædicamus, de ea nos concordia, vel pace non opinemini agere, quam solet mundus diligere, ac reprobi adinuicem obseruare. Denique vt illi liberiùs, & audaciùs possint mala perpetrare quæ cupiunt, & plures, ac validiores, atque gestiunt reperire, vnanimitatem student, & pacem inter se irrefragabiliter, & imprætermissè tenere: quam Dominus sciens, & hanc à sua pace secernens, dilectoribus suis aiebat: *Pacem*, inquiens, *relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Quod qualiter accipiendum sit, sanctus Augustinus salubriter & luculenter exponit. Cætera verò quæ, ne modum excederemus epistolarem, huic paginæ inserenda non duximus, Arsenio reuerendissimo & sanctissimo Episcopo, apocrisario, & misso Apostolicæ sedis, & consiliario nostro defecatissimè prosequenda non indecenter (vt credimus) scriptis & dictis iniunximus: cui bene faciat gloria vestra in cunctis attendens, & in his, quæ sibi ex nostri Apostolatus auctoritate de pace sanctæ Ecclesiæ perhibuerit, non immeritò credula, vel in ambigua, fidem certam accõmodans: incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat, dilectissime fili.

Ioan. 14.

LVDOVICVS. CAROLVS. *Queritur Episcopos Romam ad Synodum missos non fuisse, ait se ad* LOTHARIVM *ne Romam veniret Litteras dedisse, significans illum posse Theupergam cum fideiussione recipere. Nunciat se misisse Arsenium, vt Lotharium ad obtemperandum impellat. Præcipit vt in Ecclesia Coloniensi consecretur Antistes, & tandem vt ipsi Sedis Apostolicæ præceptis obediant.* A

IX.

Edit. XXVII. NICOLAVS *Episcopus seruus seruorum Dei, dilectissimis filiis* LVDOVICO *&* CAROLO *gloriosissimis Regibus.* CREDIMVS ex Dei dono filij carissimi processisse, quòd vnanimes effecti vos de corpore puro, & conscientia bona & fide non ficta vixistis. Vnde fit vt vno animo, & vno ore perglorificetur Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, & ad sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, regníque vestri decus coniunctio vestra proficiat, & salutem. De Epistolis autem nostris, quas suscipientes Archiepiscopis & Episcopis regnorum vestrorum, immò & Lotharij Regni pariter Archiepiscopis & Episcopis secundùm tenorem illarum dixistis, merito durè tulimus, cùm tanta temporis angustia non immineret, vt saltem de vobiscum conuersantibus, binos mittere nequiuissetis præcipuè tu fili CAROLE Rex, qui Regnum tuum per maximum spatium longiùs quàm fratris tui Ludouici gloriosissimi dilecti nostri filij Regis, ab sancta Sede in Occidentalibus partibus secus mare Oceanum disparari fateris. Non enim credibile potest existere, vt adeò longiùs disparetur Regnum tuum, vt sicut suprà meminimus, saltem de vobiscum conuersantibus, vel binos vnius, aut duarum metropoleos legatos omnium vices agentes dirigere non valuisses: reprehensibile denique valde esse constat, quod subintulisti, dicendo maiorem partem omnium Episcoporum die noctúque cum aliis fidelibus tuis contra piratas maritimos inuolare, ob idque Episcopi impediantur venire: cùm militum Christi sit Christo seruire, militum verò sæculi, sæculo, sicut scriptum est: *Nemo militans Deo, implicat se negociis secularibus.* Quod si seculi milites seculari militiæ student, quid ad Episcopos & milites Christi, nisi vt vacent oration. Sperabamus te fili carissime in talia non prorumpere, qui, Deo gratias, clarus in cunctis haberis. Aditus autem veniendi ad tantum negocium antistitibus illis denegari non debuit: & si fortè denegare vellent, quoquo modo si monitis nostris parere delegissent, aditus illis, & transitus patefieret, si venissent collectis operariis, hoc vtique ne fieret, melius corrigeremus: quia illis inde, & nobis hinc Deus in Conuentu nostro medius tribuerat, vt & nostris & vestris deinceps aditus denegari non posset. Nam nec de nostris melius dicere possumus, nec peius de vestris, quia quid nobis impediat, longum est enarrare. Quod si intercapedine temporis ad clausas pro Deo aliquod tollerassent, lucrum pro tentationibus & laboribus à Domino magnum reciperent: Sed quia occasione transitus suffugiunt, nos licèt coacti adhuc hæc grauamina sustinebimus, vos tamen videbitis, sed intelligi datur eos monitis nostris non velle parere propter illud quod in Litteris vestris subditur. Dicunt post aliquanta, vt Episcopos de regnis vestris ad Synodum Romam mittendi necessitas non postulet. Vnde si vos fortasse aliter dicitis, nos illud dicimus, quod diuinitus reuelatur: quia cùm nouitatum mala multiplicari videamus, si ex diuersis prouinciis fratres in inuicem conuenissent iuxta priscum morem, & nos consensu illorum (reuelante Domino) quæ decernenda sunt, decerneremus, & ipsi necessitates suas referentes, & nos nostras exponentes, quæ decreta fuissent, meliùs in omnium notitiam facerent peruenire, qui semper Synodalem conuentum à nobis aggregari patiere, sicque fieret, vt secundùm qualitatem morbi medicina conficeretur, & ad sananda vulnera longè latéque effunderetur. Salomon quidem verbis nostris consensit, cùm dicat, saluus vbi multa consilia, an nescitis nonnullos ex nonnullis prouinciis Præsules ita fecisse? Quod faciliùs scire potestis, si vultis, licèt vos, si vultis minimè lateat. Denique tam prudentes támque præcipuos & præclaros, ac quos Deus in caritate vestra coniunxit, viros reprehendere nolumus, quin potiùs vt dilectissimos filios paterno amore excolimus, & vt in vnitate fidei permaneatis cunctipotentis

1. Tim. 2. (margin)

B, C (margin letters)

A clementiam exoramus. Quod si quis ex confratribus nostris Episcopis talia nobis misissent, habueramus, qualiter illos reprehendere & redarguere deberemus, excepto si regalem magnitudinem vestram sibi impedire dixissent, in nobis hoc pendere, & corrigi debere videretur. Ecce Episcopis Regnorum vestrorum impedimentum præparatur, ne veniant. Lotharij autem Episcopis, qui frater istius est, quod obsistit, nisi quia de vestris sumat occasionem, & sicut vestri, ita & illius negligentes appareant; nam inter cetera plurimùm nunc in causa eiusdem Lotharij, de quo subinferemus, profuerant, si venissent: quia auditis decretis & institutis, lucidiùs cuncta referrent, ita vt nubilum aliquid minimè remaneret. Fortasse etenim hæc illorum dilatio & absentia magis obfuit, in eius emendatione, quàm obstinatio: quia si absentia & dilatio non esset, obstinatio vtique iam saltem coacta cessaret. Sed his omissis, ad vestra consulta stilum nostrum reflectamus. LVDOVICVS. CAROLVS.

DICITIS enim vos præfatum commonuisse Lotharium, sicut in commonitorio nobis à vobis directo legere præualuissemus, & eundem sæpè vobis mandasse asseueratis, quòd Romam pergere velit, & per nostram dispositionem de causa sui coniugij facere. Sed his dictis opus non accommodatis, quia sæpiùs de directione commonitorij mentione facta, idem commonitorium abfuit, & nobis frustratis nequaquam comparauit. Quod si habuissemus certamen nostrum, super his cognosceremus: sed cùm illud defuerit, nescimus si labor vester fructuosus fuit. Ipse quidem Lotharius nobis vt vobis per Imperiales Legatos mandauit, quòd Romam vellet venire, cui interdiximus & omninò interdicimus, vt iter talis qualis nunc est non arripiat, eo quòd sancta Romana Ecclesia tales respuat & contemnat, & in hoc perseueret, quod latè in toto diffusum est Orbe. Nam verso diu lumine per apices vestros anhelantes præstolamur locum attingere, qui nos vel verbo aliquo opis annueret, quo possemus aliquam lætitiam præsumere: sed perscrutatis omnibus, ac ad calcem vsque relectis, post lectionem ipsa quæ inerat lætitia abscessit, & nos dolor continuus illicò possedit. quia in cunctis sumus frustrati, & quod non optabamus, derelicti. Verumtamen quoniam circa missam sancti Ioannis, de quo diximus, Lotharium dispositum habetis denuò commonere, non molestè tulimus: forsan omnipotens Deus cor eius ad sibi placita inclinare dignabitur, & de præuaricatore tandem faciet conuertendo dilectum. Si autem subdolè Theupergam, vt eam perdat velle repetere dicitur, si ipsa tales elegerit, per quos sibi securitas certissima fiat, ecce benè: Sin autem, idem Lotharius præbeat sacramentum, quo polliceatur eam digno matrimonio recipere, & vt vxorem legitimam decenter venerari & colere, ac deinceps incolumem conseruare.

B

DE Pœnitentia autem eius nostro iudicio reseruantes statuimus, vt si prædictæ Theupergæ captiosè aliqua crimina alia, postquam eam à se repulit, obiicere voluerit, hoc expurgetur Sacramento, si ita necessitas compulerit. Quod si innupta manere decreuerit & viro suo reconciliari noluerit, sancimus, vt cogatur in amplexus vxorios redire: quia vtrisque separandi non fuit voluntas. Nam si vtrique in diuortio consenserint, & Lotharius iam omninò copulam concubitus non repetierit, hoc fieri non prohibemus: quia Dominus de dimittenda vxore causam tantùm fornicationis excepit. Igitur si Lotharius quem hactenus conuerti præstolati sumus, & vindictam in eum ne sanguis effunderetur, & ne bella excitarentur, propalare distulimus, cornu extulerit, & nostris vtrisque monitis obedire neglexerit; de cetero talis habendus est, qualem illum per Epistolam nostram Rhodoaldo dudum Episcopo & Ioanni Episcopo missam, nos habere iam cognouistis. Sed filij dilectissimi, & singulariter à nobis diligendi, ecce Arsenium venerabilem Episcopum adhoc vobiscum pertractandum, & monitionibus corrigendum cum Apostolicis Epistolis illuc destinauimus. Quarum Exemplaria, ne authenticæ istorum, aut interceptæ, aut à quibus fortasse dehonestatæ, aut perditæ, aut etiam propter quod vobis dubietas credendi generaretur pro libitu aliter habitæ fuissent, magnitudini vestræ per hunc gerulum transmisimus.

C

TVNC si authenticas ita se habere repereritis, assensus vester eidem Arsenio præbeatur: sin autem, excepto Derothado & Albuino, illi vos credere non oportet: & quicquid illis in partibus actum fuerit, sub gestorum insinuatione nobis antequam illud per alios cognoscamus, optimè munitum, vt meliùs laborare possimus, dirigere petimus nequaquam omittire.

CAROLVS MAGNVS. SVNT & alia quamplurima quæ vobis nos mandare validè oportuerat: sed quia tam clarissimis & prudentissimis pauca sufficiunt, & hic gerulus nobis erat incognitus, atque hoc eum latebat, præter hæc scribere desumus. Porrò de Ecclesia Coloniensi, de qua nos consuluistis, decernimus, vt ibi consecretur Antistes. De Cameracensi verò, quod statutum habemus, volumus obseruari, videlicet, vt si ibi electio canonica fuerit, consecrari debeat in ea Episcopus. Ad extremum, quod silere non possumus, quinimò super dictis vestris obstupescimus; de Suessonica scilicet Ecclesia, de qua fili mi Carole, quod loquimini, per os alterius loquimini. Quia & iam per xxx. circiter annos ab infructuosa ficulnea, Rothaldo inutiliter occupatur: excepto solo nomine pastorali: dicitis vacasse solitudine: miramur cur tantus Rex suasoriis verbis cedit, & non magis nobis qualiter de Rothaldo obediat, procurat. Desine ergo fili, & deceptoria verba pelle à corde, incipéque nostris monitis parere, vt excellentissima gloria vestra cum exultatione fructificet, & cum gaudio manipulos colligat. Tamen qualiter de illo sublimitatem vestram oporteat facere, aliis Literis nostris liquidiùs cognoscere valebitis. Quibus cognitis, credimus, vt quod petimus, obtineamus, & quod decreuimus ratum coram oculis Dei, & coram vobis esse videatur. Apud nos namque idem Rothaldus fructuosa ficulnea manet, tamen post renouatum iudicium eius, si fructuosa est patenter declarabitur, habitis omnibus secundùm quod de illo statuimus. Hanc autem Epistolam ideò more solito scribi non fecimus, quia & Legatus vester sustinere non poterat, & ob festa Paschalia Scriniarios nostros, eo quòd debitis vacabant occupationibus, habere vt debuimus, non valuimus. Rogamus præterea, & expresè vos adiuramus, vt quæ superiùs exarata sunt, non simplicitate sermonis, sed ex quanta mœstitia & compunctione processisse, interiori oculo, non exteriori tantùm attendatis, & omnes necessitates nostras in his consideretis dolore patris mirabiliter moti vt filij charissimi. Diuina Maiestas ad exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ vos conseruet incolumes.

Balduinum se non absoluisse significat: hortatur vt ei parcat, Rothaldum ab exilio reuocet, Romam ad ipsius causam cognoscendam mittat, atque id ab Episcopis faciendum curet: quod nisi illi impleuerint, à Missarum celebratione remouet.

X.

Edit. xxx. NICOLAVS *Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio* CAROLO *glorioso Regi.* O QVAM vera est, fili charissime, illa sententia, quam Salomone attestante, de se Sapientia profert; cùm perhibet dicens: *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* (Prouerb. 8.) Quod nisi verum esset, numquam priuatarum Legum Apostolicæ Sedis decreta, tam facili potuissetis tangere mentis intuitu: nam cùm de quodam contra Deum se efferente dicatur, ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ, & vos è diuerso summa videamus humilitate præditos: quid nisi vestram regalem Excellentiam imitatione filium esse illius poterimus aduertere, qui ait: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde? Per Sapientiam ergo Reges regnant: quia sapientia Patris, iuxta Apostolum Christus est, qui est Rex Regum, eorum scilicet, qui omnes motus corporis, omnésque mentis illicitos appetitus competenti regere moderamine norunt, de quorum numero per diuinam gratiam vos etiam perspicimus & lætamur: & Deo omnipotenti gratias, ex quo regnatis, multiplices exhibemus. Interea nouerit dilectio vestra, Balduinum, vt nobis intimatum est, qui natam vestram sibi furto in vxorem contra fas sociauit, quem ideò venerandi Præsules Ecclesiam Domini in Regno vestro gubernantes, vinculis anathematis obligarunt, ad limina Apostolorum accessisse, & vt à vinculis solueretur, atque per nos gratiam inueniret, Sedem adiisse Apostolicam. Nos autem non solùm eum à vinculis minimè absoluimus, aut in communione nostra recepimus, sed potiùs tam præsumptuosam temeritatem detestati sumus, atque vestri pectoris naturalem affectum considerantes doluimus, vestræque mœstitiæ participes effecti vobis hodiéque compatimur. Verùm quoniam ad diuina sese præsidia contulit, amatorúmque vestrorum Petri ac Pauli Apostolorum princi-

A pum, sibimet expetiit affore subsidia: non potuimus omittere, quominus, vt gratiam vestram perciperet, apud piam Excellentiam vestram interueniremus. CAROLVS MAGNVS.

VERVM vestram in omnibus præ oculis habentes dilectionem, quamquam sciamus & filiam vestram si libet posse vos ei legaliter in vxorem dimittere, & pietatis vestræ clementer gratiam impertiri: non tamen iussa misimus, sed preces obtulimus. Sed quoniam dicit Apostolus: Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt, & ab eo prædicta pericula nouissima ecce iam imminent tempora, prouideat solers vestra sublimitas, ne ex hoc deterius adhuc fortè aliquod oriatur. Et ita vos cauta prouisione vndique temperate, vt mœror cordis vestri procul abigatur, & circa iamdictum Balduinum vsque in finem nequaquam inexorabiliter, vel inflexibiliter persistatis. Non quo vos hæc dicendo, terminos quos posuere patres nostri, transgredi cupiamus, quos per gratiam Dei immotos perseuerare semper optamus: sed quo gloriam vestram vltra quam dici possit diligentes, nullum velimus locum dare occasionem quærenti. Præcipuè cùm idem Balduinus diuinum postularit auxilium, & sanctorum Petri ac Pauli intercessorum vestrorum, quemadmodum prætulimus, vt gratiam plenam à vestra clementia consequeretur, legationem, atque interuentionem petierit. Non planè immemor, quod ante aliquot annos quidam, qui in huiusmodi noxam incurrerat, memoriam & Sedem adiisset, cœlestis clauigeri eiusdem Vicarij interuentu apud piæ memoriæ Imperatorem Lotharium non prodita coniuge, plenissimam indulgentiam simul & gratiam percepisset. Nulli præterea Regum graue videri debet (quod tamen cum pace vestra dixerimus) conseruo tuo debitum centum denariorum dimittere, qui fortasse à summo Regum, & Domino dominorum decem millia talentorum sibi laxari desiderat. Ephes. 5. 2. Tim. 3. B Matth. 18.

PORRO dilectio vestra nouerit misisse nos ad Hincmarum confratrem nostrum Rhemorum Episcopum, & ad ceteros Metropolitas atque Episcopos Regni vestri, vt venerabilem virum Rothaldum ab exilio reuocarent, Romámque ad ipsius causam in nostra præsentia examinandam dirigerent: dignum quippe est, vt quorum iudicio in exilium est deportatus, eorum sit communi studio beati Petri memoriæ, sedíque ipsius honorificè præsentatus. Ex illis autem præcepimus, vt duo, vel tres, aut certè quotquot voluerint, veniant, qui ita in cunctis reliquorum, qui occurrere non potuere, præsentiam proferant, vt quicquid agendum est, vel experiendum fuerit, refricata quæ gesta sunt, ipsorum omnium vice prorsus vtantur. Quod si postposito nostro iudicio, quæ auctoritate Apostolica promulgauimus, atque decreuimus, propè contempserint: Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum principum, quorum glorioso agone sancta hæc Romana Ecclesia, cui diuina dispensatione præsumus, est Domino consecrata, atque sanctorum Canonum, quorum contemptores propriis scriptis esse, se liquidò demonstrauere, necnon & nostræ mediocritatis auctoritate, à Missarum solemniis celebrandis, sint, quousque diffinitionibus nostris obediant, prorsus extorres: ita sanè si post lectum paginæ sibi à nobis missæ tenorem, infrà triginta dierum spatium, quæ de Rothaldo viro venerabili agenda sanximus, minimè consummare studuerint: scientes profectò, quoniam si post hanc in sanctarum regularum, & nostro contemptu fuerint diutiùs conuersati, ipsum quidem Rothaldum à nobis (Apostolicæ Sedis more) à damnationis vinculis fore soluendum: atque conuocato Episcoporum cœtu, foueam quam parauere, semet penitus incidendos. Quamobrem vestram nihilominus suauissimam pietatem monemus, & quantis possumus viribus exoramus, vel etiam tanquam deuoto filio præcipiendo fidenter mandamus, vt iamdictum Rothaldum vestro adiutum solatio ad nos vsque misericorditer dirigatis: quatenus iuxta decreta sanctorum Pontificum Romanæ Ecclesiæ, atque statuta sanctorum Canonum, nostro sit ipsius causa iudicio terminata. Nam, mihi credite, suprà modum in damnatione præfati viri & noster est animus læsus, & totius Ecclesiæ filiorum, ad quorum notitiam peruenit, vehementer offensus. Maximè quod ante & post damnationem suam Sedis Apostolicæ idem venerabilis vir appellauerit iudicium, nec impetrauerit, & per talem præsumptionem, summæ Sedis videantur priuilegia temere violari. C

QVÆ tamen priuilegia vsque ad mortem ope freti diuina, prædecessorum meorum vestigia sequendo, cassari taliter minimè patiemur. Sed & vos charissime, vt

CAROLVS MAGNVS. ea, quibus potestis cultibus veneremini, summoperè incitamus. Nam quomodo A putatis si oportunitas exegerit, vt vestro Regno, vestris iussibus, vestri Regni Ecclesiis, aliquod præstemus solatium, aut contra aduersarios protectionis clypeum conferamus, si quantum in Regni vestri partibus est, quoniam illa omninò scindi non possunt, ea vos aliquatenus minorari sinatis, quibus vsi patres vestri omne suarum dignitatum incrementum, omnémque gloriam perceperint. Priuilegia namque Romanæ Ecclesiæ, totius sunt Christi, (vt ita dicamus) remedia Ecclesiæ Catholicæ. Priuilegia inquam Petri arma sunt contra omnes impetus prauitatum, munimenta, atque documenta, Domini Sacerdotum, & omnium prorsus, qui in sublimitate consistunt, immò cunctorum, qui ab eisdem potestatibus, diuersis afficiuntur incommodis. Turbati enim estis, & multo mœrore affecti (sicut in scriptis vestræ dilectionis reperimus) eo quod forti vos inuectione conuenerimus, & duris increpationibus vestrám celsitudinem cumulauerimus. Qua de re vestra profectò non debuit vsquequaque tristari sublimitas, quoniam etsi nulla erat culpa, sicut astruere humiliter contenditis, vnde vestram oportuerit pietatem durius castigari: tamen discretus pater tunc aliquotiens studet dilectum filium diuersis terroribus, vel etiam flagellis competentibus erudire, quando nihil in eo quod reprehendat, penitus intuetur. Sic Dominus beatum Iob frustra se percussisse perhibet, cùm nihil omnino quod tantis verberibus puniri debuisset inuenit, sed tamen frustra non percutit, quia hæc quatenus per patientiam augeantur ei merita vt discretus pater exercet. Sic nimirum, sic & vos charissime fili vestram sublimitatem B tacita fortasse cogitatione frustra læsam à nobis quærimini. Scimus tamen nos, ex qua radice contra dilectionem vestram hæc virga processerit, quæ vtique non vt funditus interimeret, absit: sed quæ ad sempiterni regni gloriam fœlicius erudiret, scilicet quam paterna disciplina (vt apertius dicamus) & interni affectus ramo protulit, non quam malitia ex odij radice produxit. Percutieris ergo, immo pulsaris fili etiam vbi te cor tuum non reprehendit, vt cautior & sollicitior atque tutior in quibus delicturus eras, Deo auctore, valeas inueniri.

Iob. 2.

ITAQVE charissime cum vestræ Regiæ potestati ab Apostolica Sede interdum duriora fuerint missa, non molestè feratis, nec vos à nobis odio habitos esse putetis: quoniam aut manifestè iusta sunt nostræ correptionis iacula, aut certè occulta sunt, & aliquam habentia rationem: qua propter in vtroque vestræ salutis semper inuenire ne diffidatis antidotum. Nos quidem semper vos in visceribus dilectionis strictos habuimus, & pro vobis Dei omnipotentis misericordiam implorauimus. Sed postquam frater & Coepiscopus noster Odo pariter & primus fidelissimus noster, quem ad vestram gloriam miseramus, de vestra vestræque eminentissimæ, ac dilectissimæ coniugis deuotione erga Sedem Apostolicam, ac dilectione, quam circa Domini Sacerdotes habetis nobis tot retulere præconia, tanto arctius vos diligimus, tanto vestri pro statu regni, vt vestra, vestrorúmque salute Dominum Iesum Christum instantius deprecamur, tantóque de Romanorum vobis subacta rabie grates auctori exultantes rependimus, quanto hæc non ad tumorem elationis, nec ad humanæ cupiditatis ardorem profutura, sed ad exaltationem Ecclesiarum Dei & ad libertatem populi Christi, atque ad laudem ipsius credimus incunctanter proficere. Optamus excellentiam vestram in Christo nunc & semper beneualere. C

Refellit rationes à THEVPERGA *ad dirimendum matrimonium adductas, prohibétque ei ad vrbem accessum, nisi prius impetrata à* LOTHARIO *venia, &* VVALDRADA *eodem veniente, ad extremum illam confirmet vel ad mortem, si opus fuerit tolerandam.*

XI.

2 dist. XLVIII. NICOLAVS *Episcopus seruus seruorum Dei, dilectæ filiæ* THEVPERGÆ *gloriosissimæ Reginæ.* EPISTOLAM suggestionis tuæ præsulatui nostro deferentibus legatis tuis missam suscepimus, & quod nihil ipsa litteris quàm quod illi verbis indicauerint, euidenter agnouimus. Verùm in vtroque obstupefacti pariter & mirati sumus, atque tam repente stili & petitionis mutata verba conside-

A rantes, nihil tale te nobis intimasse quo quo tempore recoluimus. Sed quid nobis talia scribis & suggeris, cùm nos te nobis hæc & scripturam & suggessuram longè antè præscierimus? Verùm cùm ad relationem omnium penè insignium personarum, quæ in Gallicis & Germanicis regionibus consistunt, mentis inflectimus oculos, multum inter se distare conspicimus, quod ipsa nunc dumtaxat significas, & quod illi quotidie prope modum verbis & apicibus innuunt. Omnes enim te in remotam afflictionem, intolerabilem oppressionem, nimiámque violentiam pati testantur. Tu autem his contraria suggerens, nullo cogente, sponte, ac libenter à Regia dignitate exui te velle ac optare fateris, & cætera, quæ illi quidem aliter prosecuta esse dignosceris; ita vt omnium assertionibus legitimè à LOTHARIO Rege dimissa, iniquè deinde accusata, post hæc purgata, deinceps denuo repulsa; postremo decreto nostro iure recepta dicaris. Tu autem his omnibus contraria nunc effecta, & tuæ ipsius oblita professionis, nescio quæ friuola fatearis, quæ videlicet nolumus exaggerare, quia nolumus superuacuè laborare. Intelleximus inquam iumenta in stercore suo proposuisse putrescere, & cui non sufficit non solùm adulterium perpetrasse, & falsitatis præstigia, ac iniquitatis adinuentiones in funiculo vanitatis contraxisse; apposuit, vt etiam animas hominum periurij laqueis irretitas in extremum præcipitaret exitium: Sed quid mirum, si paucorum anima-
B bus per periurium acquisierit interitum, quando in sublimi positus per exemplum suæ mœchiæ tot hominum millia in perditionis chaos demerserint? Illud tamen quod Vvaldradæ perhibes testimonium, eam fuisse legitimam vxorem Lotharij; frustra conaris astruere, quando quidem tuo nullo prorsus hinc testimonio quis indigeat, cùm magis nos ita sentiamus, quod iustum est, & ita intelligamus, quod æquum existit, vt te etiam reprobata, etiam mortua, Lotharius nullis legibus, nullis sine sui discrimine regulis VVALDRADAM mœcham in vxorem vnquam permitteretur assumere. Vtrum ergo Vvaldrada legitima fuerit aliquando Lotharij coniux, Ecclesia Dei satisfactione tua non eget. Vnum tanto scito, quoniam nec nos, nec eadem sancta Ecclesia, Deo auctore, qui adulteros iudicabit, Lotharium si Vvaldradam quandocumque resumpserit, etiam te (vt prætulimus) decedente, dimittet omnibus modis impunitum. Illud verò quod dicis, Romam te velle venire, nobisque passiones, & quædam secreta tui pectoris reserare, fieri non conuenit, quoniam & securitas itineris, quam prætendis, nulla est, & quamdiu Vvaldrada in Lothario iuxta posita est, ab illo quoquam te discedere non permittimus. Dum enim tu discesseris, illa recipi procul dubio creditur, & in longinquitate tua ipsa confestim admittitur. Quod autem sterilis, vt asseris, permanere dignosceris, non hoc corporis infœcunditas, sed viri facit iniquitas, quamuis Deo fœcundante legamus quoniam sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est. Perhibes etiam quod matrimonium inter vos non diuinitus fuerit ordina- 1. Reg. 2.
C tum, & idcirco permanere non posset. Quoniam omnis plantatio, quam non plantauit pater cœlestis, eradicabitur. Sed recole, quòd Deus vineam plantauit, quam expectauit, iuxta Isaiam, vt faceret vuas, fecit autem labruscas, & quæ secundùm Ieremiam conuersa est in amaritudinē vitis alienæ. Deus ergo plantauit matrimonium vestrum, sed coniugis tui vitio conuersum est in amaritudinem, & dum expectatum est, vt faceret vuas, fecit, heu, labruscas, vel etiam spinas, sed hæc quidem ex innumeris Epistolæ tuæ sola commemorare libuit. Cæterùm quis ignorat hæc te multis pressuris subactam depromere, ac innumeris malis attritam proferre, cùm etiam vt prædiximus, omnes religiosi & clari Galliarum & Germaniæ viri hæc ita se habere frequenti relatione testentur, adeo vt hæc te nobis scripturam fore ante multum temporis agnouerimus. Sed his omissis hortamur te, ac vehementer admonemus, vt ipsa tibimet manum non inferas, nec mortis fomitem generes. Melius quippe ibi est, vt veritatem loquentem alius te occidat, quam tu te ipsam mendacium dicens interimas. Sta igitur intrepida, atque constans, & mortem quam quoquo modo semel experiri debes, præcipuè pro veritate sustinere ne paueas. Quoniam cùm Christus sit veritas, quisquis pro veritate moritur, pro Christo proculdubio moritur, pro qua videlicet & Ioannes occisus Baptista, Martyrium sumpsisse dignoscitur. Quod si ille proximi iustitiam loquens interficitur, quanto potius tu Dei iustitiam loquens, & de veritate tua testificans nullius mortis formidare debes exitium. Beati enim qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, non solùm alterius, sed suam.

CAROLVS MAGNVS.

Matth. 15.
Isa. 5.
Ierem. 2.
Matth. 5.

CAROLVS MAGNVS.

VERVM nos hanc confessionem tuam, quam non voluntas sed vis extorsit, nequaquam pro confessione recipimus, nec permittimus tantum vitium radices extendere, quod nisi euulsum intimè fuerit, ad multorum perniciem potest accrescere. Denique si hoc licet, omnes viri possunt, quas iure sortiti sunt fœminas, si has odio habuerint, diuersis afflictionibus macerare: quod legitimè non fuerint assumptæ fateri cogere: quin etiam, vt mortale crimen contra se dicant, illatis intollerabilibus pœnis compellere. Quis enim magis nocere valet, quàm ciuilis hostis, vel quis amplius lædere poterit, quàm vxorem maritus? Sed nos tales fraudes præcauere debemus: & ne proficiant, in ipso nouitatis earum principio detruncare: nec tamen putamus Lotharium virum videlicet tuum in tantam sui perniciem deuoluendum, vt vitæ tuæ insidiari quocumque modo consentiat: cùm non sibi vel regno suo minus, quàm tibi, si ad hoc tam immane piaculum dilapsus esset, acquireret omnino dispendium. Si quidem tu (quantum humanus intellectus sufficit inuenire) non solùm innoxia sæpe comprobata es: verùm etiam Ecclesiæ semper auxilium prouocasse dignosceris. Insuper & sancti Apostolorum principis præsidium, refugiúmque petisti: vnde Sedes Apostolica tuam causam cœpit discutere, & speciali, quicquid quæstionis emersisset, iudicio suo reseruare proposuit. Quamobrem quisquis contra te agit, non solùm Ecclesiam Dei grauiter lædit, verùm etiam Sedem Apostolicam, de cuius iudicio non licet retractare vehementer aduersus se commouere conuincitur. Sanè, si tu Romam venire disponis, & licentiam proficiscendi à coniuge tuo adipisci vis, nos econtra multo magis exhortamur, vt suadere modis omnibus eidem viro tuo procurat, quatenus priùs securitatem tibi certissimam tribuat, qua freta nusquam metuas, te per hominem aliquid incidere læsionis: quòd omninò non prouenire poterit, nisi Vualdrada priùs Romam mittatur, & de ea quod conueniens sit diffiniatur, & ita demum talis immunitatis certitudo subsequatur, & tu nec veniens, nec commorans, nec hinc rediens, aliquod patiaris incommodum. Quod si renuit ad repellendam à se sinistram suspicionem agere, cessa, & ne talibus fraudis insidiis acquiescas, omninò præcaue. Callidè quippe tam ille, quàm satellites eius te decipere moliuntur? & versutæ suæ tergiuersationis pedicis supplantare proculdubiò machinantur. Porrò si amore pudicitiæ, vt asseris, solutionem matrimonij quæris, hanc tibi nullo pacto noueris tribuendam, nisi vir tuus eandem pudicitiam non fictè sectatus extiterit. Denique (vt cum beato Gregorio Papa dicatur) si continentiam quam vir appetit, vxor non sequitur, aut quam vxor appetit, vir recusat, diuidi coniugium non licet. Quare scriptum est, Mulier sui corporis potestatem non habet, sed maritus. Optamus tuam gloriam in Christo nunc, & semper beneualere dilectissima filia. Dat. IX. Calend. Febr. Ind. XV.

Inuehitur in ipsos, quoniam LOTHARIO *non resistebant. Nunciat Vualdradam, quæ Romam, vt iussa fuerat, venire noluerat, excommunicatam esse. Iubet vt sibi significent, an Lotharius iuxta iusiurandum* THEVPERGAM *apud se habeat, vtque Epistolam hanc manifestent: nisi id fecerint, eos communione priuat.*

XLI.

Edit. XLIX.

NICOLAVS *Episcopus seruus seruorum Dei reuerendissimis & sanctissimis confratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis in Regno Lotharij Regis Ecclesiam Dei gubernantibus.* OPTAREMVS tandem aliquando securi de correctione Lotharij Regis effecti, ad alia Ecclesiasticarum dispositionum negotia stylum protendere; sed nec peccata consummata ipsius, quæ mortem generant, vtcumque permittunt; nec studium vestrum, quo finem tantum scelus accipiat ita vigilanter, ac Episcopaliter aduersus id saltem nobiscum decertando feruorem iustitiæ demonstrat: quapropter attonitum satis cor vestrum non solùm miramur, sed & deflemus, quis non enim lugeat tantam linguæ desidiam, atque remissas negligentiæ manus, quando inter tot pastorum custodias, nec lupi gregi non parcentis insidiæ præcauentur, nec Leonis aditus quærentis quem deuoret, excluditur? Certè cùm vnumquemque Christianum zelus Dei comedere debeat: multo magis vos eodem

A eodem zelo vti non oportuit, qui eiusdem sanctæ domus vtinam non ad maius periculum vestrum, eminentiorem gradum estis & ordinem consecuti. Sed his prælibatis, ecce tertio nunc vobis omni esse Vvaldradam filiæ nostræ Theupergæ Reginæ iniquissimam æmulam consortio Christianorum, & communione priuatam nostris Epistolis indicamus. DENIQVE postquam eminentia missi nostri (sicut ipsi nostis) Lotharius Vvaldrada repulsa Theupergæ Reginæ coniugi suæ obedientem se restituit, & præstiti sacramenti satisfactione certissima finem sceleri dedisse credi poterat; statutum est, vt tanto fieret ab eodem Rege Vvaldrada remotior, quanto antiqui hostis calliditas talibus non deesse conuincitur, statutum est etiam, vt ipsa mulier in Italia interim remota nostræ præstolaretur censore tenorem; & si hanc Romam venire necessarium duceremus, incunctanter occurreret: quatenus coram nobis consistens, aut se (si posset) innoxiam exhiberet, aut commissum confessa, misericordiam impetraret. At illa in Italiam quidem licèt coacta venit, Romam verò mentis obstinatione victa proficisci despexit. Immo tanquam irreprehensibilis conscientiæ retrò conuersa in prouinciam properandi gressum protendit: quo audito, intelleximus eam flagitium suum nulla velle correctione terminari, nec proprium vulnus vlla desiderare subsequente medela curari. Quapropter sententiam in eam excommunicationis vsque ad correctionem, & idoneam nostram, & totius Ecclesiæ satisfactionem protulimus. Nam quantum sit ipsa cun-
B ctis seueriùs punienda, in hoc certum est demonstrari; quod Rex quidem Lotharius adeò iniquitatem suam agnouit, vt etiam hanc & corrigeret: ipsa verò nec agnouit, nec confessa est, nec venenum suæ mentis deseruit. Verumtamen ab itinere cœpto reducta, nec percussa doluit, nec attrita voluit recipere disciplinam: quippe quæ nec reuersa est ad percutientem se, nec etiam duriora vulnera sensit. Meritò ergo ea inter mortuos reputata, quæ nimirum neque (vt viua) vocem prædicantium audit, neque in suis penetralibus occultata, immò iam fœtida iacens per confessiones foras egreditur; vobis eiusdem in iam fatam mœcham sententiæ prolatæ notionem duximus nostris litteris exaratam denuò destinandam, admonentes videlicet, vt saltem vos & subiectos vestros ab operibus eius mortuis obseruaretis, & (vt præceptum est) pollutum minimè tangeretis. Quamuis eadem litteras, vt relatione nonnullorum audiuimus, immò (vt lucri nullius effectu didicimus) recipere fraternitas vestra renuerit, nec in hoc pro quo missæ sunt, vel à nobis excitata vigilare, siue quamlibet operam dare curauerit; quæ si veritate minimè fulcirentur, profectò quantùm proficeret, aut non proficeret, Pontificio nostro solertia vestra iamdudum congruo retulisset. At verò cùm nil ex hoc nobis retulerit, patenter datur intelligi, nihil hinc studij (vt admonita fuerat) eam penitus habuisse, in quo liquidò patet quid ageretis nullis hortatibus nostris pulsati, qui nullum in Ecclesiasticis correctionibus laborem geritis, etiam à nobis toties incitati, sed saltem nunc, quam hactenus omisistis, incipite, ita vt vnusquisque ve-
C strûm veraciter dicere cùm Psalmista valeat: nunc cœpi & nouissimè cum Apostolo securus, & lætabundus fateri: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, & de cætero est reposita mihi corona iustitiæ.

Sap. 7. Esa. 52.

VERVM iam fortasse malitiæ sibi finem imponeret, nisi quidam vestrûm magis sua, quàm quæ Iesu Christi sunt, quærerent. Quidam sibi peritura, seu toxicata beneficia subtrahi metuunt pro iustitia, quidam loqui renuunt; fauere autem mœchis tota virtute contendunt, ac per hoc æternis beneficiis iusto iudice decernente priuantur. Quanquam meminisse nihilominus debeant nos penitus non latere, quantum ipsi fauorem mœchis præstiterint; nimirum qui surreptiones suas in profanis gestis nos dudum reperisse non nesciunt, quibus & si fortè Apostolicâ moderatione ignouimus, qualiter tamen his quibus pepercimus, fuerit ignotum, recolimus. Denique sic præterita dimisimus, vt futuris congruam adhiberemus cautelam, & sic se nossent illi prouisum iudicium euasuros, si se scirent in idem flagitium fauendo nunquam penitus incursuros. Nunc ergo quoniam minus se se cautè ab eo munierunt, in iudicium quod dilatum est inciderunt: quamuis & illis & his, qui mittere pro impetranda venia contempsere, valde prouidendum est, ne à communione nostra, ac per hoc Vniuersalis Ecclesiæ compage ruant, sicque demùm de gradibus suis minus in finem quam volunt exultent.

PRÆTEREA si quis (vt fama mentitur) æstimat nos Vvaldradæ in Galliam re-

CAROLVS MAGNVS.

meandi licentiam, vel si qui sunt ad quorum notitiam Epistolæ nostræ propter occultationem earum non peruenere, si scire non recusant, quæ super huiusmodi negotio nostra fuerit immota semper intentio; Christianum & Vvaldarium Comites interrogent, quos Romam licèt non vno eodémque tempore, tamen continuariò venientes, non solùm, vt Lotharius quatenus à prauitate tandem cessaret, iugiter admoneretur, hortati sumus; verùm etiam eis, quia Vvaldrada erat excommunicata, multipliciter intimauimus, pro eo scilicet, quia impœnitens, permanere proponens à nobis salutis suæ remedium, ad limina veniens Apostolorum (vt statutum fuerat) minimè postulauerit. In quo considerandum est, quia si idcircò potissimum per nos Vvaldrada mulctata est, quoniam cœptum salutiferum iter non perfecit, quomodo vt retrò rediret, nostram licentiam habere valuerit, ignoramus. Sed ad vos nunc nobis fratres carissimi sermo est, & ad vestræ beatitudinis reuerentiam noster stylus dirigitur, quatenus si à Deo zelus vester non accenditur, vt Phinees imitari videatur, videlicet, vt quod ille materiali, nos exerceatis gladio spirituali: saltem Natham, Heliam, cæterósque prophetas, qui delinquentes Reges salubriter corripuere æmulatione sacerdotali, seu pastorali solicitudine reuocari non renuatis. Nam etsi quando Helias infirmitate victus humana, furorem Principis fugit: sed & scelera eius redarguit & impauidus exprobrauit: Similiter & iste beatus Pastor Ecclesiæ Petrus, qui priùs quidem ab vnius mulierculæ voce fragilitate superatus, & ipse humana (quod est diuina gestum dispensatione) dum mori timuit, auctorem vitæ negauit, post acceptum sancti Spiritus donum; cuius partem & vobis inesse non immeritò credimus; adeò etiam post minas, post cædes, vires principum pressit; vt meritò in igneis linguis Spiritum sanctum accepisse probetur: Nimirum qui quos repleuit ardentes, fecit pariter & loquentes, nec non & flamma diuini zeli, atque suorum mirabilium verborum facibus corda principum mundi accendentes, & reuerà; quis infirmabatur, & illi non infirmabantur? quis scandalizabatur, & illi non vrebantur? Sed ne diutiùs immoremur, verbis non solùm iam nunc ipsius Apostolorum principis conuenire curamus, & quod ille presbyteros alloquens prosecutus est, ad vos multo magis pertinere colligite, & quale malum sit adulterium, vel quid vos maneat, si studiosi, vel si desides fueritis inuenti, vt sermone illius, qui nobis per beatum Clementem recitatur, attendite, ait enim: Et quid in omnibus peccatis adulterio grauius: secundum namque in pœnis obtinet locum, quoniam quidem primum habent illi qui aberrant à Deo, etiam si sobriè vixerint; propter quos vos presbyteri Ecclesiam excolite, & adornate sponsam Christi ad pudicitiam: sponsam autem dico omnem Ecclesiæ congregationem, quæ si pudica fuerit inuenta ab ipso sponso suo, ingentibus ab eo donis & muneribus honorabitur, & velut ministri sponsæ & amici sponsi ingenti gaudio & lætitia perfruemini. Si verò sponsa hæc reperta fuerit commaculata peccatis, ipsa quidem tanquam indigna trudetur regalibus thoris: vos autem pœnas dabitis, si fortè per vestram negligentiam & desidiam obrepserit contagio sæua peccati. Ecce audistis præmium studiosi, ecce audistis discrimen vestrum inertes. His itaque discursis, Sanctimoniam hortamur vestram, & per incomprehensibilem sanctam Trinitatem vos omnes pariter obsecramus, vt litteris vestris sine mora per legatos vestros idoneos directos nobis veraciter indicetis, si secundùm iuramentum præstitum coram misso nostro Lotharius cum Theuperga conuersetur, aut si ita illam tractat, quemadmodum Rex legitimè sibi coniunctam debet tractare Reginam, & qui sint illi, qui nullo pacto à nobis dissidentes, adulteris nullum consentiunt præstare fauorem: necnon & hanc Epistolam nostram ostendatis, & excommunicationis Vvaldradæ tenorem manifestum facere studeatis. Iam verò qui hæc vestrûm agere & intimare quæ diximus postposuerit, ipse se obnoxium & fautorem adulterorum palam ostendet, & hoc nobis erit signum, eum tanto consensisse facinori, si obedire huic instituto nostro neglexerit; ac per hoc tanquam conuentum à nobis admonitum ac salubri monimini satisfacere nolentem, sed per omnia nobis inobedientem nostra, seu totius Ecclesiæ hunc communione constituimus esse remotum. In promptu videlicet secundùm Apostolum habentes, omnem vlcisci inobedientiam. Sane cui personam dirigendi, nulla facultas suppeditat, saltem scripta eandem iudicantia mittere minimè paruipendat, à qua indulgentia Viridensem Antistitem non inconuenienter excipimus; quem omnino præcipimus

A non solùm litteris ad nos, verùm & personam de proprio clero mittere sine qualibet mora, vel excusatione prorsus idonea. Optamus sanctitatem vestram nunc & semper in Christo benè valere. Dat. VIII. Calendas Februarias, indictione XV. CAROLVS MAGNVS.

Acriter obiurgat LOTHARIVM *, quod* THEVPERGAM *variè vexasset, & iurare compulisset,* VVALDRADAM *eius legitimam esse uxorem; prohibet* THEVPERGAM *Romam venire, nisi priùs etiam* VVALDRADA *eodem veniat: tandem* LOTHARIVM *monet, vt hac reiecta* THEVPERGAM *vxorem suam recipiat, ne in anathematis sententiam ipse quoque incurrat.*

XIII.

AVDITO reuertente Misso nostro, correctionis tuæ vt ita dicamus, initio, gratias Deo egimus condignas, & vt tibi quoque grates competibiles referremus, animum præparauimus; Sed heu aduersa nuncia venientia, huius intentionis nostræ proposito celeriter obuiarunt. Quapropter compulsi sumus mutare vocem, & qui ad gratiarum actiones os aperire disposueramus, in luctus & increpationes ad hoc officium linguæ coacti dirigimus: siquidem epistolam nunc suggestionis Theupergæ gloriosæ Reginæ missam, deferentibus legatis eius suscepimus, quam nihil intimare reperimus litteris, nisi quod illi asserere videbantur verbis. Verùm in vtroque pariter obstupefacti & mirati sumus, atque tam repentè styli & petitionis mutatæ sensus perpendentes, nihil tale illam nobis intimasse quoquo tempore recoluimus: si quidem cùm ad relationem omnium penè, qui ex Gallicanis & Germanicis regionibus Romam orationis gratia veniunt, vel multorum illic degentium oculos mentis inflectimus, plurimum distare conspicimus, quod ipsa nunc dumtaxat significat, & quod hic omnes quotidie propemodum verbis & apicibus innuunt, quippe quam in remotam cuncti afflictionem, ac intolerabilem pressuram, nimiámque violentiam pati restantur: quamuis illa contra sponte & libenter à regia dignitate exui se velle ac optare fateatur, & copula, quæ illi quidem aliter prosequi cernitur; ita vt omnium affectionibus legaliter ad te admissa, iniquè deinde accusata, post hæc iudicio, quo tibi & omnibus subiectis tuis nec non & Episcopis placuit euidenter purificata, deinde secundo repulsa, postremo monitis & decreto nostro pariter, & hortatu filij nostri excellentis Augusti iure recepta dicatur. Ipsa autem his omnibus contraria nunc effecta, & suæ ipsius oblita professionis, nescimus quæ friuola fateatur; quæ videlicet nolumus exaggerare, quia nolumus superuacuè laborare. Didicimus tamen multorum relatu, ac multis iudiciis te admiratione eorum conuersum, de quibus Apostolorum princeps dicit: Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitionem Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi, his rursus impliciti superantur, facta sunt eis posteriora, deteriores prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ; quam post agnitionem retrorsum reuerti ab eo, quod illis traditum sancto mandato. Contigit enim illis illud veri prouerbij, Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. Didicimus inquam, te, qui prolixo tempore in scelere permanens Ecclesiæ Dei non modicum nocuisti, nocere adhuc, & qui in sordibus eras, sordescere adhuc, & certè in reuersione legati nostri te correptum audientes vltrà quàm dici valeat, exultauimus, & omnipotenti Deo gratias immensas retulimus, putantes videlicet de apprehensis à te honestis moribus, tandem aliquando flagrantiam in odorem suauitatis ad Dominum dirigi, nō fœtorem reiterata nequitiæ tuæ colluuione per mundum vltra dispergi: sed heu è contrario pro suaui odore fœtor, non in quo currendum sit, sed qui tota velocitate fugiendus existat. Ecce hac illac diffunditur: siquidem, vt opinamur, tibi non sufficit solum adulterium perpetrasse, nisi apponas, vt etiam animas hominum periurii laqueis irretitas in extremum demergas interitum. Sed quid mirum si paucorum animabus per periurium, exitium acquisisti, quando in tanta sublimitate positus per exemplum tuæ mœchię tot hominū millia in perditionis chaos pręcipitaueris; nā maiora facit crimina sublimitas dignitatū.

[Margin: B, C; Edit. 1. Regino l. 2. Chron.; 2. Pet. 2.; Prou. 26.; Apoc. 22.]

ILLVD autem quod prænominata Regina, quasi Vvaldradæ testimonium perhibet dicens eam fuisse tuam vxorem legitimam, aut inuita, aut frustra co-

CAROLVS MAGNVS. natur astruere, quandoquidem illius nullo prorsus hinc testimonio quis indigeat. Cùm magis nos ita sentiamus quod iustum, & ita intelligamus, quod æquum est, vt etiam Theuperga mortua, tu nullis legibus, nullis regulis vnquam Vvaldradam in vxorem possis aut permittaris assumere. Vtrum ergo Vvaldrada legitima tua fuerit aliquando coniux, Ecclesia Dei satisfactione Theupergæ non eget. Vnum tamen scimus, quoniam nec nos, nec eadem sancta Ecclesia, auctore Deo, qui adulteros iudicabit, si Vvaldradam quandocumque resumpseris, etiam Theuperga decedente, dimittet modis omnibus impunitum, illud verò quod dicit se Romam velle venire, nobisque passiones & quædam secreta sui pectoris reserare, fieri non conuenit: quoniam & securitas itineris quam prætendit, nulla est, & quamdiu Vvaldrada ita tibi iuxta posita est, diaboli versutia non abesse conuincitur: Dum enim Theuperga discedit, Vvaldrada incunctàter accedit: nimirum quia dum lex repellitur, præuaricatio cōfestim inducitur. Cæterùm, quis ignorat Theupergam hæc contra se multis pressuris subactam deponere, & innumerabilibus malis attritam, immo mortis periculum formidantem (quod solo Deo custode frequenter euasit) asserere? Cùm etiam, vt prædiximus, penè omnes religiosi clari viri Galliarum & Germaniæ, hæc ita se habere crebra relatione testentur. Adeo vt hæc eam quæ nunc scripsit nobis scripturam forte ante multum temporis præscierimus: Verùm nos talem confessionem eius quam non voluntas, sed vis extorsit, nequaquam pro confessione recipimus. Quamobrem quisquis contra Theupergam agit, non solùm Ecclesiam Dei grauiter lædit; verùm etiam sedem Apostolicam (cuius iudicium non licet retractare) vehementer aduersus se commouere conuincitur, quomodo illa ex vtraque parte prouocata, id est tam à te, quàm à Theuperga, cuius vestri negocij executrix & interpretrix effecta est. A B

IAM verò si eadē Theuperga Romam venire disponit, & licentiā à te coniuge videlicet suo proficiscendi adepta fuerit; securitas est ei prorsus certissima tribuēda, qua freta, nusquā metuat se per hominem aliquid incidere læsionis: quod omninò nō præterire poterit, nisi Vvaldrada Romā prius mittatur, & de ea quod conueniēs sit, diffiniatur: & ita demum talis immunitatis certitudo subsequatur, vt se prædicta Theuperga nec veniēs, nec cōmorans, nec rediens, aliquod patiatur incommodū. Quod si minimè pro repellenda à te sinistra suspicione promiseris agere, cessandū est, & ne talibus fraudis insidiis acquiescamus, omnimodis præcauendum. Túque summo studio præfatā Theupergā coniugem tuam tamquā propriam carnem fouere ac diligere procurato, & ne illam separari à te vllo pacto consentias, vigilanter attende. Vnde si vult à te discedere, corripe, immo corrige, eā à tali intentione per omnia satage reuocare. Iam verò, si amore pudicitiæ separationem quærit, & coniugalem connubij solutionem efflagitat, certum est, Apostolo prædicante, quoniā mulier sui corporis potestatem non habet sed vir; verùm si & ipse pudicitiam sectatus religionis obtentu, copulam dissoluere vis, tantùm ne simulatè fiat concedimus. Nam licèt scriptum sit, quod Deus iunxit homo non separet, Deus tamen & non homo separat, quando diuini amoris intuitu, ex consensu vtriusque coniugis matrimonia dissoluuntur. Si ergo hoc modo vis; nos grato permittimus animo, celerémque præbemus assensum. Aliter autem fieri vestram mutuam separationem prohibemus; siquidem scriptum legimus: Erunt duo in carne vna. Quod sanctus Gregorius exponit, dicens: Si igitur vir & vxor vna caro sunt, & religionis causa vir dimittit vxorem, vel mulier virum, in hoc mundo remanentem, vel fortasse ad illicita migrantem, quæ est ista conuersio, in qua vna eadémque caro, & ex parte transit ad continentiam, & ex parte remanet in pollutione? Si verò vtrisque conueniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare? quando certum est, quòd omnipotens Deus, qui minora concessit, maiora non prohibuit. C

1. Cor. 17. Math. 19. Genes. 2. S. Gregor. Ep. lib. 9. Ep. 39.

PORRO si sterilitas accusatur, cogita Saram nonagenariam, Annam quoque simul & Elizabeth, quam tamen sterilitatem fortasse non facit infecunditas, sed iniquitas. De aliis postremò vitiis audi quod celestis Bibliothecæ cultor dicat Hieronymus: graue, inquit, pondus vxorum est, si excepta causa fornicationis, eas dimittere non licet. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si vaga, si iurgatrix, si maledica, tenenda erit istiusmodi? volumus nolumus sustinenda est; cùm enim essemus liberi voluntate, nos subiecimus seruituti, & reuera (vt verbis vtamur Apostoli)

S. Hier. in Math. c. 19. 1. Cor. 7.

A Alligatus es vxori, noli quærere solutionem. Conglorioſiſſime Rex esto propria contentus vxore, & præter illius, alterius vnquam ne quæras consortium. Et certè quantum humanus inuenire potest intellectus, eadem crebrò memorata mulier non solum insons ſæpè comprobata est, verùm & Ecclesiæ auxilium, atque iudicium prouocasse dignoscitur, nisi & sancti Apostolorum Principis Petri præsidium experiuit. Vnde sedes Apostolica causam vestram per ipsam cœpit discutere, & quicquid quæstionis emersisset, speciali iudicio suo reseruare proposuit. Qua de re non putamus te in tantam tui perniciem deuoluendum, vt contra nostras diffinitiones, vel aduersus crebrò dictam fœminam beati Petri confugio prorsus innixam agere quocumque modo consentias, cùm tibi potiùs & regno tuo quàm Theupergæ, si ad hoc tam immane piaculum dilapsus fueris, acquiras omnino dispendium. Igitur consilium nostrum accipe, & monita nostra tanquam affectuosi patris amplectere, atque ab omni prauitate mentem, linguam, corpúsque refræna. Præcipuæ Vvaldradæ pellicis tuæ, & iam dudum à te repudiatæ communionem declinans, & eius consortium perpetuæ obliuioni contradens. Excommunicata est enim, & vsque ad præsentiam nostram ab omni Christianorum contubernio sequestrata, sicut iam totus nouit occidens, & iam iámque quoque per missos nostros minimè cum plagis cæteris oriens ignorabit. Quamobrem cauendum est, ne cum ea pari mucrone præcellaris sententiæ, ac pro vnius mulierculæ passione, &
B breuissimi temporis desiderio victus, & obligatus ad sulphureos fœtores, & ad perenne traharis exitium. Deterius quippe in populis prælati delinquunt, ac per hoc ipsi crudelius quàm cæteri puniuntur, sed (vt manifestius vera nos dicere scias) beatum Papam Gregorium audi, qui ait: Scire & enim prælati debent, quia si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Vnde necesse est, vt tanto se acutius à culpa custodiant, quanto per praua, quæ faciunt non soli moriuntur. Hæc autem nos tibi nunc scripsisse, & quasi inter nos & te verba nostra excessus tuos corripientia discurrisse sufficiat. Cæterum præcaue ne quando nobis secundùm Domini præceptum duos, aut tres testes adhibeamus: immo vero ne hoc Ecclesiæ sanctæ dicamus, & quod non optamus, de cætero fias cunctis sicut Ethnicus & publicanus.

Carolus Magnus.

Pastor. par. 3o5.

Matth. 20.

PORRO vestram excellentiam hortamur, vt hoc exemplar epistolæ ad Lotharium missæ, quousque illum nostris monitis obedire perfectè cognoueritis, apud vos nemine alio sciente retineatis. Si autem suæ obstinationi non cesserit, & quæ ei ad præsens dirigimus, perficere distulerit, vel si Theupergam Reginam debito honore non retinuerit, vestra ad omnium notitiam quę de eo statuimus, faciat venire sublimitas, & iuxta nostræ censuræ modum ad gloriam vestram transmissum, huc, illúcque dispergat.

C *Ostendit sibi gratiſſimum fuiſſe, quod clericos à Synodo Sueſſionenſi deiectos receperit, & priuilegia à ſede Apostolica* HINCMARO *conceſſa ei non ſuffragari. Agit gratias, pro* BALDVINO *in gratiam recepto, hortatur vt ſedem Apoſtolicam reuereatur, & Romagarium coercendum curet.*

XIV.

NICOLAVS *Episcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* CAROLO. Cùm talem se gloria vestra circa nos semper exhibeat, & frequentibus vel litteris vel legatis missis erga Pontificium nostrum deuota, visitationis cultum impendat, & decretis nostris obedientiæ sublimia colla gratanti facilitate summittat; non nisi beatum Petrum Apostolum dilectorem suum, cuius locum meritis oppido discrepantes obseruamus, in nobis honorare se debet pro certo cognoscere. Immo Deum in suo Apostolo venerari, qui & suis sanctis tantam gloriam tribuit, & nos sollicitudinis eorum hæredes ac successores esse constituit: sed & nos gratiarum actiones condignas promptæ deuotioni vestræ præferentes, multo magis eius omnipotētiæ; per quem & pro cuius nomine talia geruntur, laudes assiduè persoluere non cessamus. De cætero fili carissime grates piè benignitati vestræ rependimus; quoniam totum desiderium suum colligens in deiectorum clericorum recuperādo statu, studuit delere noxā, quam in depositione ipsorum consensum præbendo, contraxit, &

Edit. LII.

CAROLVS MAGNVS.

credimus quod p. superet merces alacritatis, quam nunc habuistis in receptione delictum, quod commiseratis in eorum dudum repulsione: quoniam istud Dei amore, illud hominis surreptione patratum est: verumtamen hortamur, & sicut dilectum filium admonemus, cauere vos, ne talibus de cætero conniuentiam facilé tribuatis, quoniam quod hodie committitur, vtrum ad emendationem peruenire quandoque valeat, ignoratur. Illud præterea commemorare libet, quod inter alia Epistolæ vestræ de fratre & Coepiscopo nostro Hincmaro textus enunciat, dicens videlicet, quod omnia consequenter cum reliquis consacerdotibus omnino explere accelerarет, nisi iuxta priuilegium decessoris nostri Domini Benedicti, & nostrorum summam nobis reseruandam cœpti de restitutione doceret negotij: quorum scilicet priuilegiorum tenorem nisi suatim frater Hincmarus partim celasset, & quædam, quæ illic habentur inserta, quadam astutia cognitioni communi negasset, neminem putamus priuilegia nostra à Sedis Apostolicæ institutis, vel ab obedientia, quam exegimus auertissent, non enim nos inobedientiam prædicamus, vel ne obtemperetur decretis Sedis Apostolicæ diffiniuimus, cùm potius eiusdem testantibus priuilegiis, saluo Romanæ Sedis in omnibus iussu, atque iudicio, Synodum, quam ille pro clericorum deiectione memoratorum collegerat, stabiliter esse manendam censuerimus: & ea conditione ipsius priuilegij tenorem affirmauerimus, si nunquam ille à Sedis Apostolicæ præceptionibus aliquo tempore discrepasset. frustra ergo priuilegia à Sede Apostolica concessa, ne sanctiones explere nostras accelerarет, asseuerat impedisse, cùm constet potius (vt ipsorum textus insinuat) quo magis ad obediendum nobis accelerarет, ea hunc multipliciter admonuisse, atque si rata, quæ sibi collata fuerant circa se sentire voluisset, ad obtemperandum institutis nostris se illa plenius ac abundantius incitasse. Gloriosissimæ præterea charitati vestræ denuo pro Balduino gratias agimus, denuo circa eum exhibitum tantum inclytæ vestræ deuotionis affectum laudamus, denuo quod deest oblatis pro eo petitionibus nostris, suppleri per pietatis vestræ munificentiam deprecamur. Iustum enim est, vt bonum quod diuinitatis respectu nobis interuenientibus cœpistis, vt obedientiæ, ac dapsilitatis vestræ, atque clementiæ merces perfecta sit, consummare beneuolentia satagatis. De cætero charissime vigil esto, & solerter intentus circa sanctam Ecclesiam Romanam, & erga Sedem Apostolicam, quemadmodum Dei cultores parentes vestros extitisse nonnulla scripta, & probabiles viri testantur: quoniam illi penitus vestri, dilectorúmque vestrorum penes Apostolorum confessiones nullomodo poterant obliuisci. De restitutis verò clericis quid decreuerimus, Epistola nostra fratri & Coepiscopo Hincmaro missa, recitata sapientiæ vestræ auribus poterit intimare. Optamus excellentiam vestram in Christo nunc & semper bene valere. Dat. viij. Idus Februarij, Indictione xv.

INTEREA nosse vos cupimus, quia quidam Raugerius in villa Materiola Patrimonio Lincreri, quem vestræ protectioni commisimus, innumera mala operetur, & homines qui ibidem sunt, prædis & variis afflictionibus opprimat, qua de re precamur, vt missis mox ad eandem villam strenuis ac fidelibus viris, prædictum Raugerium vestra gloria coerceri faciat, & ne quod vlterius ibi contrarietatis exerceat, funditus comprimatis.

Vt LOTHARIVM *moneant, vt debito amore* THEVPERGAM *prosequatur, ac pro Bosonis reuocanda vxore laborent.*

XV.

Edit. LIII.

NICOLAVS *Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio* LVDOVICO *glorioso Regi.* PRECAMVR amabilem dilectionem vestram, vt Regem Lotharium monere nullo pacto desistatis, vt debitam dilectionem Theupergæ Reginæ vxori suæ semper impendat: nec sibi blandiatur, quasi studeat eam cogere, vt aliquod sibi crimen impingat, & per hoc valeat illam à suo consortio sequestrare: quoniam hoc nec ipse legaliter agere præualet, nec nos talibus præstigiis, & tam fraudulentæ calliditati locum dare permittimus: sed etiam si abundante iniquitate, qualibet astutia, potius autem violentia tale quid machinari potuisset, Vualdradam

A ei mœcham, cuius in mundo desiderio ad ista intendit, anhelat, & peruenire dementer affectat, nullus coniugali fœdere permitteret sociari, nisi fortè quis omnium legum, nisi cunctarum regularum temerator & infractor inueniri valuisset. Agite igitur circa eum benignè, & quoniam filius germani vestri est, tanquam os vestrum, & carnem monere, increpare: immò verò etiam seuerius corripere, quin & quo quo modo corrigere studeatis, mentis scilicet eius salutem magis quàm corporis anhelantes. Postremo fili charissime, non vos latere credimus, quot & quantos labores pro refuga illa Bosonis vxore sæpè pertulimus; & quotiens eam ad Iustitiæ tramitem remearet, salubriter admonuerimus; & qualiter etiam non resipiscentem, sed in nequitia sua pertinaciter persistentem, gladio anathematis percusserimus, quæ nec percussa doluit, nec attrita voluit recipere disciplinam. Vir autem eius innocens videlicet, in eius absentia hinc inde labore non modico fatigatur, quomodo nec ipsi reconciliari absenti præualet, nec alterius, illa viuente, consortium ei coniugale conceditur. Qua de re, quoniam improbitatem & insolentiam eiusdem viri continuam patimur, volentis scilicet, ardenter ad secundum, immo illicitum conuolare connubium; obnixè dilectionem vestram deposcimus, vt pro reuocanda ea omne studium pro Dei amore sumatis: quin immo & eandem perditam, atque sæpe damnatam fæminam lucrari Domino valeatis, ita vt si monitis prouocata, viam suæ salutis non arripit, saltem pressuris per vestram industriam angustata resipiscat: & quæ ad Dominicam cœnam sponte intrare noluit, dum tantum intret, vel compellatur inuita. Nam fortè de huiusmodi Dominus per Prophetam dicit: Ecce ego sepiam viam tuam spinis & sepiam eam maceria; & semitas suas non inueniet, & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos; quæret, & non inueniet eos, & dicet: vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc: quod venerandum oraculum si tropicé disseratur, non paruam vtilitatem generat. Verùm nunc breuiter dicendum est, quoniam si eadem fœmina sicut nec debet, nullius communione frueretur, & non exquisitis voluptatibus potiretur, sed denique vias suas spinis septas pateretur, si in terrenis desideriis de impossibilitate lassaretur: iam Deum profecto ad mentem reduceret, & ad amorem viri proprij vel inuiti rediret. Si ergo peruicax illa & impœnitens anima, quæ diu est adultera, conata persistere: sic fortasse, si tamen necessitas ei per vos rerum interim titulatarum imponeretur, fidelis iam decerneret esse coniux, quæ & merito, ac veraciter deinde dicere posset. Reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc. Optamus gloriam vestram bene valere dilectissime fili. Dat. Non. Mart. Indict. xv.

B

Præcipit vt BOSONIS *vxorem ad proprium virum redire curet: si autem illa non paruerit, vnà cum fautoribus eam excommunicet.*

C

XVI.

NICOLAVS *Episcopus seruus seruorum Dei, reuerendissimo ac sanctissimo & confratri nostro Hincmaro Archiepiscopo, & omnibus Archiepiscopis seu Episcopis in regno Caroli constitutis.* CANONICA auctoritas hoc omni in loco prædicare non cessat, vt populus diuino cultui mancipatus irreprehensibilis existat. Quo enim mediante fieri melius poterit, quàm illorum sollicitudine, qui pastorum loco curam Dominici gregis susceperunt? Quapropter vestram commonemus fraternitatem, immo & sanctitatem, vt vestram diœcesim non sinatis pollui fornicariis. Ecce iam pridem direximus vobis de vxore Bosonis Comitis, quæ relicto viro fugit, vt eam reuocare fecissetis viro suo: sed quod occasione mergente minimè factum conspicimus, vnde forsan vos negligentes, nos iudicare possumus: quapropter præcipimus vobis auctoritate Apostolica fulti, quatenus eam faciatis reuerti ad proprium virum, concessa sibi negligentia, qua in eum deliquit: & si vobis inobediens contempserit repedare, corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, & Societate omnium fidelium citiùs tam illam, quàm cæteros qui eius facinori fauere videbuntur excommunicare festinetis: vt domus Dei talibus rectoribus dirigatur, qualis catholicus ordo delegisse cognoscitur. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere. Edit. LIV.

CAROLVS MAGNVS. A

Commendat diligentiam, quam adhibuit, vt LOTHARIVS *Sedi Apostolicæ obtemperet, dolet ipsum Lotharium, quamuis sæpè promittat, non obedire, eúmque in Coloniensi & Treuerensi Ecclesiis Episcopos canonicè eligi non permittere, Vvaldradam fouere, & Theupergam ærumnis multis afficere. Hortatur vt illum Romam venire prohibeat, nisi prius Sedis Apostolicæ mandata adimpleat. Ad extremum de redditibus, quos in eius regno habebat.*

XVII.

Edit. LV. NICOLAVS *Episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio* LVDOVICO *glorioso Regi*. SYLLABARVM vestrarum tenore pandistis, vos cum dilecto filio nostro Carolo glorioso Rege fratre videlicet vestro, ad commune colloquium venisse: cuique defuit Lotharius Rex, nepos scilicet vester, perhibetis vos ad eum jam dictum fratrem vestrum Carolum Regem, adiuncto sibi quodam ex Episcopis regni vestri misisse: quatenus (prout vobis per Epistolas nostras ad vos directas iniunximus) ab illis admoneretur, vt in omnibus Iussionibus nostris obediens existeret. Quod quia tam vtpote pij Principes iustitiam diligentes, quàm proximi salutem per caritatem quærentes, nostrisque nihilominus adhortationibus obsecundantes, B egistis; debitas gratias agimus: quantum tamen lucri efficacia vestra, vel nostra monita penes eundem Regem Lotharium impetrarint, fateor hactenus non elucet, sed dicitis eum tam absentem, quàm posteà præsentem, à vobis ipsam admonitionē benignè suscepisse. Deindéq; professum fuisse in omnibus se nostris præceptionibus pariturum, quod quamsæpè audiuimus, non tamen hinc effectum percepimus, satis ingemiscimus, & huius rei gratia vltra quàm dici possit affligimur: nimirum qui etiam pro sua ipsius salute quotidie laborantes apud ipsum nihil omninò proficimus, dum quod sermone dicit, facto non perficit, & præcipuè cùm verba eius, vt arborum folia sonare quidem possint, saturare verò, cùm sint sine fructu, non possint. Quamobrem dum quærimus cui huiusmodi vir valeat comparari, nullus menti conuenientius occurrit, quàm ille filius cui apud Matthæum pater dixisse legitur: *fili, vade hodie operare in vineam meam.* At ille respondens ait: *Eo, domine, & non iuit.* Vnde etiam meritò figuram Iudaici populi exprimit. Ipse quippe repromittebat Moysi dicens: *Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus.* Non tamen quæ verbis repromittebat, rerum effectibus adimplebat. Ita, proh dolor! & ipse nepos vester semper quidem nostra monita velle audire, semper adimplere cupere protestatur: non tamen quod ore, quod scriptis opportunè, importunè sæpissimè profitetur, operibus exercere vel factis exhibere contendit, & paternis monitis nostris non tanquam obediens filius paret, sed tanquam post tergum ingratus C repedauit: si quidem in quo aliquando apparuit Rex Lotharius nobis obediens? aut quid ab illo exegimus nisi salutem suam? nisi iurationem quam læsit Ecclesiæ? nisi Theupergæ Reginæ coniugis eius apud sanctum Petrum præsidium requirentis securitatem? nisi nostram etiam post hos labores aliquando requiem? Nam huic inter innumeras alias curas præcipuè laboramus, hinc omnimodam de vna Vvaldrada mœcha & excommunicata suspicionem adimendam sæpè decreuimus, hinc etiam vt noui Treuerensi & Coloniensi ecclesiis antistites darentur & iniunximus, videlicet qui nec per Theugualdi & Contharij dudū Episcoporum, nec per iam fatę Vvaldradæ fauorem proueherentur, sed canonicè à filiis, & de filiis iam nominatarum ecclesiarum electi ab his qui earumdem ecclesiarum antistites soliti sunt consecrare, regulariter ordinarentur: sed cùm hæc omnia nos opportuna esse ac necessaria prospicientes, ipsi Regi Lothario crebro mandassemus, quod nostræ institutionis executor effectus, vt hæc consummarentur annueret, immò vt sua prorsus executione perpetrarentur insisteret: aliquid horum effectum quemlibet accepisse, nos profecto nondum cognouimus, & tamen ille se nostra velle perficere in omnibus monita profitetur.

DENIQVE Vvaldradam ad nos non solùm non misit, sicut sæpiùs illum hortati sumus, verùm etiam Ticinum dum ad nos tendere crederetur iam profectam, in Gallias reducere procurauit: filiam verò nostram Theupergam Reginam, quæ

Math. 21. · Exod. 19.

A beati Petri se tegmine semper muniri poposcit, non solũ sicut Reginam secundum præstitũ iuramentum non tractat, verùm etiam nec pro timore, nec pro sancti Petri reuerentia, nec pro cõiugali fœdere, nec etiam pro eodem collato iuramento saltẽ in minimis quibusque negotiis suã hanc esse participem recognoscit. Quippe quã omni egestati, omni opprobrio, omni prorsus abiectione submittit. Porro de præmemoratis Ecclesiis ordinandis non solùm mandata nostra contemnit, sed & sacrorum canonum præcepta conculcat, dum videlicet viduatis Ecclesiis non compatitur, sed has tanto tempore sine rectore manere permittit. Ecce fili carissime quomodo Lotharius Rex instituta nostra custodit, ecce quomodo verum est, quod dicit nostra se velle in omnibus obseruare decreta: & adhuc ad nos se properare velle demonstrat, cùm id ne sine nostra licentia præsumeret, non ei sæpe districtiùs iniunxerimus & prohibuerimus: verùm quamobrem Lotharius Romam proficisci gestiat, miramur, si vestram latere potuit prudentiam. CAROLVS MAGNVS.

ITAQVE impleat priùs cuncta quæ præmisimus, totius occasionis vel sinistræ suspicionis fomitem à se procul abiiciat, immo verò à nostris mentibus amputet; & tunc si ei sit huc veniendum, à nobis est sollicitè prouidendum: siquidem etiam si cuncta, quæ nos ei suprà memorauimus, iniunxisse penitus adimpleta potuisset ostendere, nec sic ei contra interdictum nostrum iter Romam fuerat properandum; B quanto minùs nunc quando toties à nobis admonitus, nihil de eis consummasse cõuincitur? Igitur dilectio vestra illum nunc venire Romam quæso prohibeat: alioquin mihi credite, si contra propositum nostrum fortè præsumpserit, minimè eum qua cupit honestate vel hic suscipietur, vel hinc profecto regredietur. Nam sicut mulier Domino fide proximans tangit, turba verò licèt tangit, tamen comprimit se, proh dolor! isto in tempore quidam etsi tangere, etsi approximare videntur, Mar. 5. tactus tamen eorum, qui non ex fide pressuram gignit, & approximatio turbationẽ adducit; ergo necesse est, vt talem se in cunctis exhibeat Rex Lotharius, vt nos eum gratanti animo primitus suscipere delectemur, & ita demum venientem expansis brachiis amplectemur. Quod aliter fieri non poterit nisi Vvaldrada Romam, sicuti cœptum fuerat dirigatur, vt videlicet nos causam eius ad finem legitimũ perducamus, qui de ipsius præuaricatione semel initium iudicandi suscepimus, & nisi Reginam Theupergam secundùm tenorem iuramẽti ab ipso audiamus Rege Lothario coniuge suo tractari, videlicet, vt talem se in cunctis exhibeat Rex Lotharius, vt nos eum gratanti animo primitus suscipere delectemur, & ita demum venientẽ expansis brachiis amplectemur. Quod aliter fieri non poterit, nisi Vvaldrada Romam, sicuti cœptum fuerat dirigatur, vt videlicet nos causam eius ad finem legitimum perducamus, qui de ipsius præuaricatione semel initium iudicandi suscepimus, & nisi Reginam Theupergam secundùm tenorem iuramenti ab ipso audia- 1. Ioan. 3. mus Rege Lothario coniuge suo tractari videlicèt, vt talem se circa illam mente C demonstret & opere, qualem deligens Rex erga dilectam coniugem suam se debet demonstrare Reginam: & nisi de proprio clero & Agrippinensi Colonia atq; Treuerensi ecclesiis Episcopos ordinari permiserit, eos scilicet, qui nec de Vvaldradæ nec Guntharij nec Theugualdi fauore vel eligantur, vel etiam consecrentur. Hæc sunt charissime, quæ si Lotharius nepos vester callidè nõ perfecerit, hunc veraciter nos audire nolle proculdubio poterunt iudicare, atque si saluti eius vestra caritas consulit, eum magnopere suadeat incitare, & non eius foris perstrepentibus verbis facilè credat, sed operum facta secundùm perspicacissimam proprij affluentiã sensus consideret. Dicit enim Ioannes Apostolus: filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate. Nam si nosse libet excellentiæ vestræ quid sit vnde Lotharius iactat se nostram in omnibus adimplere voluntatem, nos euidenter aperiemus, videlicet, quia nobis immo Deo nostro obediens Theupergam coniugem suam recepit. Vvaldradam verò vtpote adulteram merito sequestrauit: nec ad illam post reuersionem Legati nostri accessit, sed prudentia gloriæ vestræ iam valet aduertere quid sit si ad eam non pedibus corporis, & tamen passibus mentis accedit, quid prodesse quod forinsecus ab illa sequestratus cernitur, qui tamen ei valde conglutinatus intrinsecus intelligitur, quid autẽ proficit dilectæ filiæ nostrę Theupergæ Reginæ, quia non ex toto ab illa videtur corpore prolõgatus dum tamen esse cum ea mente minimè probatur annexus? quid ei proficit cõiugalis fœderis, vel regiæ dignitatis nomine solo frui, quæ caret omnibus, quæ ad perfectæ dilectionis,

& consimilis ditionis pertinere videntur insignia? nam quis nisi æmula eius, Vvaldrada videlicet, quæ non solùm pro adulterio commisso, sed pro impœnitenti corde vinculis est excommunicationis innexa, Regni cum Lothario culmina possidet, gloria fruitur, iura tenet, & omnia suo disponit arbitrio? quæ licèt à colloquio eius seiuncta specie tenus videatur existere, per internuntios tamen, & diuersos satellites tantundem penes ipsum, vel etiam magis valet, quàm si legitima coniux habere quoquomodo potuisset: nam nemo apud Regium apicem est adiutus, nisi per illam; vix vsque quaque læsus, nisi propter illam, quisquam esse refertur: illa quippe penes eum gratiam poscentibus impetrare, ipsa sola quibus mauult beneficia papare consueuit. Iamuerò, si ita non est vt dicimus, id est, si vel Theuperga Regina tantam apud ipsum incommoditatem & dehonestatem non patitur, nec Vvaldrada mœcha gloria tanta non fruitur; quare nobis scribens vel aliis satis faciens, sicut iudicat de Vvaldrada, quod post missi nostri reuersionem non ad eam accesserit; ita non de coniuge sua Theuperga, quod eam secundùm datorum tenorem iuramentorum tracta, atque retineat, nisi quia non habet vnde glorietur? nec agit sic erga eam, vt nobis id veraciter referens gratiarū à nobis inde percipere valeat actiones? dum non solùm illa nulla munificentia ipso largiente potitur, verùm etiam omnibus opprobriis, & (vt prętulimus) egestate summa tabescit.

Dicite ergo illi vos carissime, & vestra sagaci conuentione suadere contendite, vt quando nobis mittit, ad Vvaldradam post reditum missi nostri contra interdictum nostrum se nullatenus accessisse; mittat etiam quod Theupergam vxorem suam iuxta præstita iuramenta benignè tractet, & secundùm regiam dignitatem retineat; ita dumtaxat vt quod mittit veritate fulciri, aliis etiam attestantibus, cognoscamus, mittat nihilominus nobis, quod in præfatis Ecclesiis ordine, quem suprà dictauimus, Episcopi sint regulariter ordinati, & tunc perhibenti se nostra velle iussa perficere credemus, & dignas Deo gratias referemus: Nam quamdiu Theupergam regio cultu, & coniugali dilectione non retinet, & Theugualdum vel Guntharium Ecclesias dudum sibi cum sacerdotio ablatas obtinere permisit occupatas, licèt Vvaldradam non videat, hi tamen gradus sunt, quamuis ad ima mergentes, per quos illum sensim ad ipsam tendere prudens quisque patenter agnoscit, dùm & illos fouet, quos ad, proh nefas! ductores habuisse claret, & eam affligit, quam debita correctione præmissa, (Christo iuuante) recepit. Accusatores autem habere Lotharium, non nisi illum, qui accusator fratrum in Apocalypsi Ioannis appellatur, & operam eius quæ & ipsa eiusdem antiqui hostis instinctu patrantur, profectò comperimus. Quæ verò Lotharius Rex vester nepos operatur, accusatore non indigent: manifesta quippe, Apostolo teste, sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, & reliqua. B

Optamvs gloriam vestram nunc & semper benè valere, dilectissime fili. Dato quarto Calendas Nouembris, indictione prima.

Statvit præterea nobiscum excellentiæ vestræ Legatus, vt mediante mense huius primæ Indictionis pro vnius anni redditibus rerum sancti Petri in regno vestro sitarum recipiendis, nostros missos direxissemus, cùm duorum annorum iam tempora præterierint, ex quo redditus ex illis debuerunt esse collecti, & nos ex iis nihil recepimus. Porro si (sicut permultos, & hunc eundem vestrum Legatum cognouimus) Arsenius idem aliquid collegit, licet nobis aliquid non detulerit, de præteritis annis collegit, non de futuris. Vnde rogamus gloriam vestram, vt pro mercedis vestræ cumulis collectis omnibus illis, per nostri culminis viros ad Apostolorum limina orationis gratia venientes, antequam de finibus regni vestri foras ea duci iubeatis, nobis significetis, vt his interim in tutissimo à prudentia vestra statuto loco reconditis, si à speciali filio nostro Augusto obtinere poterimus, vt cum ipsius homine nostrum illuc dirigamus & ea vt nobis sine aliquo dispendio deferantur recipiamus, gratiarum actiones Domino rependendæ sunt: sin autem missum nostrum (Deo opifice) destinabimus, qui aliter in regno vestro sint recondita ac custodita, cum vestro misso prouideat, & his nihilominus interim in vestro regno, bene saluatis aut nobis renunciet, aut certè quicquid prouiderimus, vel sanxerimus facere non omittat: aut si gloria vestra quæcumque illa fuerint infra territorium ditionis vestræ, videlicet vsque Bauoniam, aut Rauennam perduci fuerit, tantum vt secura sint, hoc multo ampliùs vtile, & gratum habebimus: quoniam, & nos deinde modo quo voluerimus, vsque Romam ea ferri iubebimus. C

A

Rogat det operam, vt Episcopi ob quædam Ecclesiastica negotia tractanda congregentur.

CAROLVS MAGNVS.

XVIII.

NICOLAVS *Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio* LVDOVICO *glorioso Regi.* COMPERIAT celsitudo vestra nos Metropolitanos præsules regni vestri ad quædam tractanda Ecclesiastica negotia, quorum gloriæ vestræ tenorem ostendi præcipimus, singulos cum suffraganeis suis pariter conuenire mandasse; cuius videlicet executionis summam fratri & Coepiscopo nostro Luitberto cõmisimus. Quapropter rogamus piam dilectionem vestram, vt tanto negotio auxiliari, quo facilius iidem fratres nostri conuenire valeant, suffragari dignetur: quatenus ipsis vero solatio potitis, præsens negotium ritè tractantibus, vos quoque præcautè pietatis studio præmium consequamini. Erit autem ei & aliud post modicum decreto vestro Synodicè ventilandum; sed ne duplicatus labor eius onerosus existat, interim in hoc operam dare illos oportet, vt videlicet ad alterum libentius, ac expeditius Deo iuuante pertingere possint. Edit. LVII.

B OPTAMVS gloriam vestram in Christo nunc & semper benè valere dilectissime fili. Dat. III. Calend. Nouembr. Indictione prima.

Monet, vt præteritorum criminum pœnitentiam agens, & futura præcauens, sacerdotum præceptis pareat: Sigonem Episcopum suæ Sedi, peruasore deiecto, restituat, & ad respondendum obiectis coram legatis in Synodo se sistat. Adonem verò, si in Aluernensi Ecclesia morabitur, aut Sigonem Episcopum impedierit, excommunicat.

XIX.

NICOLAVS *Episcopus seruus seruorum Dei*, STEPHANO *Comiti.* Quæ & quanta cõtra Canonicas & Ecclesiasticas regulas, immo contra naturalia iura pertinaciter egeris: Sedis Apostolicæ, quæ vbique ex ministerio sibi credito spiritualiter præsto est, cognitionem omnino non latet: & licet tanto sint odio à nostris mentibus repellenda, vt in te eorum auctoritatem meritò mittere in virga cogamur. Vt tamen adhuc & resipiscere à tantis malis sperantes, has nostri Apostolatus litteras tibi dirigimus, vt submissa pertinaciæ tuæ ceruice sanctorum sacerdotum præceptis pareas, de præteritis pœnitudinem geras, & à futuris te, ne perseuerando in talibus, in Diaboli laqueos sempiternos incidas, circumspectè ac solerter custodias. Cæterum quia (quod his nequius extat) contra omne quod Christianæ religioni conuenit, deiecto sanctissimo Sigone Aluernensi Episcopo in locum eius peruasorem Adonem clericum substituisti; præcipimus tibi auctoritate Dei omnipotentis beatorúmque Apostolorum Principum Petri ac Pauli, vt nullam passus moram sanctissimum Sigonem Episcopum, deiecto peruasore, Ecclesiæ suæ restituas, & in omni sacerdotij dignitate eum manere amodò dimittas. Nam quia nonnulla impudica, ac scelestissima de te inculcantur, Apostolica auctoritate sancimus, vt de his plenissimè satisfacturus in nostrorum Legatorum præsentia, qui constitutæ à nobis Synodo præesse debebũt, in loco præfixo occurrere studeas; quódque si neglexeris, & præsentiam tuam à Synodo examine defraudare tentaueris, scias te præsulatus nostri auctoritate à vini & carnium participatione omninò excommunicatum, quousque Romæ in nostra speciali præsentia, districtam positurus rationem assistas. Peruasor verò S. Aluernensis Ecclesiæ, si post hanc nostram diffinitionem illic remorari tentauerit, & aliquod impedimentum sanctissimo Sigoni Episcopo facere quacunque argumentatione præsumpserit, sciat se pari modo non tantùm à vini & carnium, verùm à corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi participatione penitus esse seiunctum, quamdiu nostris Iussionibus obstinatè in præsentiam Apostolicam venire distulerit. Edit. LVIII.

C

CAROLVS MAGNVS. *Laudat eam de obsequio & fide in Sedem Apostolicam, eique de muneribus missis gratias agit.* A

XX.

Edit. LIX. NICOLAVS *Episcopus seruus seruorum Dei*, HERMENTRVDÆ *gloriosæ Reginæ*. DEVOTIONEM tuam & fidem tuam, quam sublimitatem tuam circa beatorum Apostolorum reuerentiam habere perspicimus agnoscentes, dignas Domino Iesu Christo retulimus gratias. Nam & munerum vestrorum diuersis speciebus oblatis non tam censum quàm pium considerantes affectum, Reginæ Austri industriam tuam prætulimus: si quidem tanto coram nobis gratius, quàm prædictæ Reginæ vestra munera suscepta sunt, quanto illa mortali, tu verò filia carissima, immortali Regi, & Ecclesiæ ipsius Principibus, qui cum eo feliciter regnant, & vobis intercessionibus suis solatia conferunt, dona non tam corruptibilia, quàm semper mansura, & ante Deum iugiter florentia obtulistis, & reuera, si illius, quæ Luc. 21. duo tantùm minuta in Gazophylatium misit, tanto est munus coram Deo acceptum, quantum putas vestra fore grata, quæ plurima contulistis; immo quod est maius, temetipsam deuotione & fide Domino, eiúsque seruis totis affectibus exhibetis. Omnipotens Deus te incolumem custodiat dilectissima filia. B

Epistola 1. Nicolai Papæ I. ad CAROLVM *Regem Galliæ, qua monet eum diligenter procurare, vt* LOTHARIVS ENGELTRVDEM *vxorem adulteram Bosonis Comitis regno suo eiiciat, & ad virum suum redire compellat.*

I.

Edit. LX. NICOLAVS *Episcopus seruus seruorum Dei*, CAROLO *glorioso Regi, spiritali filio nostro*. VESTRAM regiam dignitatem condecet de pietatis fonte Iustitiæ discretionem haurire. Nemo itaque iustius operari debet, quàm cui commissa videtur legum ordinabilitas. Ecce etenim Regis Regibus * suadere solent. Sed conuenit, vt in his quæ ratio docet Iustitiæ, inuicem alternent: quæ * autem improbitas, vicaria vice se subtrahere non cessent. Vnde vestram exhortamur regiam magnitudinem, vti corrigatis Hlotarium Regem nepotem vestrum, ne tantum piaculum permittat manere in Regno suo: h. e. non consentiat fugitiuam vxorem Bosonis Comitis tam diu remanere, vt non reddatur viro suo, remissa quidem negligentia, quam ei fecit. Cæterum vos etiam monere volumus, vt si in vestro Regno contigerit deuenire; similiter peragatis. Quoniam iussimus omnibus Archiepiscopis seu Episcopis Regni vestri, vt eam, indulta sibi culpa, si noluerit reuerti ad supradictum virum suum, excommunicent à corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, & Societate omnium fidelium; quoniam condecet, vt in Regno vestro tantum malum non oriatur, & si ortum fuerit, citiùs extinguatur. Adeò vt omnes consentientes malo ipsius, supradicta excommunicatione * nodamus. Optamus excellentiam vestram in Christo benè valere. C

* fauere. * Locus subobscurus. * nectamus.

Commonitorium Nicolai Papæ Legatis supradictis datum.

II.

Edit. LXI. IDEM *Nicolaus Rodoaldo Portuensi & Ioanni* * *Ficolensi Episcopis in Commonitorio*. LOTHARIVS Rex profitetur Vualdradam se à patre accepisse, & sororem postmodum admisisse Huberti. Vbi primùm diligenti inuestigatione inquirite, & si eundem gloriosum Regem prædictam Vualdradam præmissis dotibus coram testibus secundùm legem & ritum, quo nuptiæ celebrari solent, per omnia inueneritis accepisse, & publica manifestatione eadem Vualdrada in matrimonium ipsius admissa est: restat vt perscrutemini, cur illa repudiata sit, vel filia Bosonis admissa. Sed quia idem gloriosus Rex metu Theupergam admisisse se dicit. Vos illud Euangelicum

* Fiodensi.

A gelicum recolite, quo Dominus: Nolite, inquit, timere eos qui corpus occidunt. Et iterùm ait: Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? In quibus Dominicis sententiis considerandum est, quod si occisores corporum timendi non sunt, contra iustitiam hominem impellentes, & lucrum totius mundi non prosit homini, anima perdita: quanto minùs metu vnius hominis, tantus Rex debuit contra diuinum præceptum in immane præcipitium mergi? In hoc certè se magis reprehensibilem ostendit, in quo amori mundi amorem Dei postposuit. Vbi nihil vobis aliud præcipimus, manifestatione sua eodem Rege conuicto, nisi vt secundùm canonicam auctoritatem, nostra vice freti, causam illius definiatis. Sin verò minimè probatum fuerit, Valdradam vxorem fuisse legitimam, neque nuptiis secundùm morem celebratis, per benedictionem scilicet sacerdotis filio nostro Lothario extitisse coniunctam: suggerite illi, vt non molestè ferat legitimam sibi, si ipsa innocens apparuerit, reconciliari vxorem; nec in hoc carnis voci obtemperet, sed potiùs diuinis præceptis obediens pudeat eum, imo pertimescat in luxuriæ stercore putrefieri, & voluntatem propriam sequendo, ante tribunal Christi districtam ponere rationem.

PRÆTEREA vos scire volo quia præfata Theutperga Apostolicam Sedem bis & ter appellauit, & se à præfato Rege glorioso questa est, iniustè fuisse deiectam, & vi coactam falsum contra se composuisse piaculum. Nam eo tempore ad Apo- B stolicam Sedem libellum appellationis suæ misit, in quo non quidem adhuc confessum, sed vt contra se falsum diceret crimen, cogi se se, innotuit. Insuper subiungens: quod si ampliùs compulsa fuero: scitote, non veritate, sed timore mortis & euadendi studio, (quia aliter non possum) quod voluerint, dicam: vos autem memores estote mei hæc vobis insinuantis. Vnde præcipimus vobis, vt cum eadem Theutperga ad condictam Synodum, sicut statuimus, aduenerit, causam eius diligenti examinatione tractetis & si ei obiicitur, quod illa crimen se aliquod admisisse confessa fuisset, & contra illa violentiam se pertulisse proclamauerit; vel si inimicos sibi iudices fuisse testata fuerit: tunc illud renouetis iudicium, secundùm æquitatis normam, vt iniustitiæ mole non opprimatur.

Per quem curari petit, vt HELLETRVDI *filiæ* LOTHARII *Imp. & viduæ relictæ* BERENGARII *Comitis restituantur illa bona, quæ* LOTHARIVS *Rex eidem abstulerat.*

III.

C HADRIANVS *Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio* CAROLO *glorioso Regi.* LITTERIS scilicet suis, de HELLETRVDE BERENGARII Comitis quondam relicta, nobis pernotuit Hlotarij videlicet Regis pressuris annihilatam eiusdémque præiudicia fore perpessam Apostolatui nostro hæc * atque alia suggessit, quo eidem Hlothario Apostolicis exinde mitteremus litteris monita, & vobis, dilectissime fili, fratrique vestro Hludouico excellentissimo Regi, nostram dirigeremus Epistolam, quatenus vobis succurrentibus atque fouentibus; ipsa proculdubio vidua ad perfectam de suis rebus perueniret iustitiam; quoniam non solùm prædia à genitore suo Hlothario Imperatore per testamentum largita sustulit, sed etiam proprietates eius à parentibus suis sibi, præfatæ Helletrudi, dimissas colludiosè surripuit, eisdémque sanctæ Dei Ecclesiæ infideles Nortmannos paganos beneficiali more sanè donauit. Nos verò iam dicto Hlotharij nepoti vestro Apostolicas litteras mittere nequiuimus: quia pro nefariis & incertis negotiis ab illo abolendis, planè vobis auditis, excommunicatum habemus.

Edit. LXII. Ex Cod. biblioth. S. Mariæ sup. Min.

* itaque.

SED excellentiæ vestræ ineffabili dilectione colendæ, poscendo, dilectissime fili, dirigimus, vt pro Reuerentia Apostolorum principum, ad quos quasi refugium faciens, rogauit ipsa scriptis iustitiam, & pro eo quod iure agnationis, siue maioris natu vos à talibus illam decet coercere illicitis, super his per vestrum Missum, aut Epistolam, tam ex nostra sanctione iubendo, quàm ex ve-

LVDOVICVS PIVS. stra parte rogando, seu legum auctoritate monendo, iam sæpe dicto regi mittere studetote. Et si vos fortè vnà cum fratre vestro Hludouico glorioso Rege coniuncti, eundem nepotem vestrum quæque pro causa sororis suæ, vt credimus, fueritis allocuti quæsumus affati, vt huius crebro fatæ viduæ Helletrudis causam tam de propriis, quàm de beneficiis, per testamentum à iam dicto Hlotario Augusto quondam concessis, nulla officiente occasionis ratione, vsque ad finem perducatis, vt cum Deo fauente, à priore næuo fuerit correctus, illius fœminæ causa hæc restituat, & vt ne adijciat iniquitatem super iniquitatem in regno suo, sed faciat iustitiam suam abundare, quoniam quidem Regum examina decet omnibus subuenire, præcipuè viduis, quarum iudex Christus est. Itaque huius instar epistolæ epistolam de hac causa nūc, ceu vobis, aut secus, Hludouico fratri vestro * imò direximus. Dolemus oppido, pro talibus, eminentissime Rex, prædia Christi fidelium quoquomodo tollentibus, & Christi Regis infidelibus beneficiali more donantibus. Interea rogamus, vt quicquid perfectionis consultu super his vestra perfecerit excellentia, scriptis per singula apostolatui nostro non dedignetur vestra intimare regalis magnitudo. Excellentiam vestram nunc & semper benè valere optamus in Christo. A

Epistola HADRIANI *Papæ II. ad* LOTHARIVM *Regem commonitoria.* B

I.

Edit. LXIII. Ex biblioth. Fabri. Bar. an. 867. Ioan. 21.

QVIA beato Petro Apostolorum Principi Dominus noster oues suas, totam videlicet Ecclesiam pretioso iam sanguine suo redemptam, post passionis vincula, post clauorum vulnera, & crucis ludibria, atque resurrectionis gloriam tertio commendat, dicens: pasce oues meas, pasce agnos meos: nos vice vtiq; Apostolatus illius, Domino in omnibus cooperante, fungentes in virga æquitatis & iustitiæ, in longanimitate benignæ humilitatis & patientiæ, gregem Domini pabulo spiritalis vitæ pascendum, & cura solerti custodiendum diuina suscepimus voluntate. Nos nostri Apostolatus septiformis Spiritus gratia, plenum pro regni tui stabilitate, felicitatéque perpetua, sempiterna nempe vera animæ salute, qua nunc & in æternum beatè securitérq; fruaris, ô inclyte Rex Lotharij, viribus indefessis aperientes, excellentiam tuam paterno monemus affectu, & iure Apostolico exhortamur, quatenus malorum hominum consiliis relictis, & mortiferis persuasionibus omnimodo spretis, aurem cordis tui cælesti sanè clauigero beato Petro in nobis loquenti aperias, omnique animositate, & inclyta mundi dilectione procul abiecta, ea quæ iustitiæ ac rectitudini maximè congruunt prædicantes, toto desiderio audias, euidentique proficias deuoto affectu, quia non auditores, sed factores legis Deus fore iustos approbat. Vnde Sedis Apostolicæ salubrem admonitionem, & correctionem, venerabili sinceráque mente suscipere stude. Duo igitur à te carnis deuicto illecebra dudum commissa videntur illicita, quæ ab antecessore nostro piæ memoriæ Papa Nicolao censura fuerant emendata canonica. C Vnum videlicet nefarium Theutpergæ legitimæ vxoris couiugis tuæ diuortium: alterum verò scelestissimum Vvaldradæ mœchæ concubitum, quod non solùm lex omnis diuina reprobat, condemnat, & fieri omnimodis vetat, sed etiam mundana prohibent iura: de quibus nos iterum rescribere nullatenus studeremus, nisi vos à iustitiæ tramite per incentiuum carnis proculdubio deuiasse, bonúmque coniunctionis legitimæ vinculum dissoluisse, & ad illicitum ac pristinum stuprum incongruis reuerti velle occasionibus agnosceremus. Theutperga itaque illustrissima Regina coniux vestra, sanctorum Apostolorum Petri & Pauli ad limina veniens, mentéque deuota orationis desiderium complens, nostram faciem contemplari causásque suæ necessitatis nobis ore proprio exponere quæsiuit. Quæ cùm à nobis pro amore Dei & vestro, & ab omni nostra Ecclesia honorificè sicut oportebat, suscepta fuisset: dixit se propter quondam corporis sui infirmitatem, & quia non legitimo vobis antea fuerat coniuncta connubio, à vestro velle separari consortio, & ob amorem Dei, sæculi dignitatem & gloriam abiicere, ac sub leui iugo Christi ceruicem cordis submittere. Quibus pro-

A fectò auditis, & Domino auxiliante diligenter consideratis, non modico fuimus turbati stupore; quod se pro talibus à vobis quæreret separare, cùm scriptum sit, dicente Domino: à Deo iungitur mulier viro, & iterum: quod Deus iunxit homo non separet? Et cùm ipsa, sicut dixit Apostolus, sui corporis non habeat potestatem, sed vos, cui Domini est voluntate legitimo matrimonio regalique thoro coniuncta, cui sanè, quamuis cum vestræ voluntatis consensu atque licentia, hoc supplici nimis prece deposceret, nostrum in tali voluntatis suæ desiderio, consensum nullo modo præbuimus. LVDOVICVS PIVS. *Gen. 2.*

LICENTIAM verò illi reuertendi ad magnitudinis vestræ consortium, iuráque matrimonij regalia illibata custodiendi præcepimus.

SVPER his autem, quibus se à vobis quærit disiungere, tam repentè sine multorum fratrum nostrorum consilio, & ingenti examine, finitiuam nunc proferre sententiam, aut consensus nostri immaturam dare licentiam iure distulimus. Deo autem nobis salutis opem vitámq; præbente, tam pro his, quàm etiã pro aliis Ecclesiasticis causis Synodum facientes, & talia subtili examine indagantes, vt secundùm Dominũ salui esse possitis, idonea satis intentione deliberabimus coram Deo saluatore nostro, atque finiemus. Propter quod Excellentiam tuam Apostolicis monemus alloquiis, & hortamur in Domino, ne aurem nobilitatis tuæ consiliis impiorum & veritati repugnantium verbis inclines; sed potiùs Dominicis & Apostolicis B præbens gratanter præceptis, tandem Theutpergam nobilissimam Reginam coniugem tuam dilectionis amore, in coniugale consortium lætus recipias, & pro amore Dei & sancti Petri & nostro simul, honore digno eam retinere sicuti corporis propitij membrum dilectum procures. Quod si ob itineris longitudinem & asperitatem, vel aliquam carnis incommoditatem, ad vos vsque ipsa peruenire distulerit, elegeritve in aliquo proprietatis suæ loco sibi vtili magis consistere, interim donec Synodus, vt prædiximus, fiat, salua & incolumis sub vestra regali tuitione atque defensione secura permaneat: habeátque in potestate sua ipsas Abbatias, quas ei dare ipse ore proprio promisisti, de quarum sumptibus atque redditibus necessaria possit habere stipendia, dignáque subsidia: sin verò quilibet vestrûm ei aliquam fuerit molitus contrarietatem inferre, aut periculosè præsumpserit nocere, sciat se à nobis perpetui anathematis vinculo esse proculdubio innodandum, & ab omni Christianorum consortio separandum. Te autem, si talibus consensum præbueris omnimodis excommunicandum.

ADRIANI *Papæ II. ad* VVALDRADAM, *quam de commissis peccatis pœnitentem, per intercessionem* LVDOVICI *Imperatoris absoluit.*

C II.

NEMO planè dubitat, nullum facinus esse, quod Ecclesia data sibi diuinitus potestate, ab eo desistentibus non possit absoluere, & pœnitentibus relaxare, cui dicitur: Quæcumque dimiseritis super terram, dimissa erunt & in cælis: & quæcumque solueritis super terram, soluta erunt & in cælis, in quibuscumque omnia sunt, quantacumque & qualiacumque sint, quod etiam in sententia tua rationabiliter obseruandum est, qua licèt fueris obligata, quia tamen sicut multorum, sed præcipuè dilectissimi filij nostri Hludouici clementissimi Augusti, cui fides in omnibus adhibenda est, relatione didicimus, à nexu quo tenebaris obstricta, resipuisse diceris, & ab obstinatione qua videbaris annexa discessisse narraris: pietatis tibi viscera noueris Apostolicæ Sedis aperta: & tam vinculis anathematis & excommunicationis exutam, quàm cunctorum Christianorum, Dei, & beatorum primorum Apostolorum auctoritate, societati redditam, atque communione te gaudere reductam, itaut deinceps Ecclesiam ingrediendi & orandi, conuiuandique, seu cum cæteris Christianis loquendi sit tibi auctore Deo data licentia, præfati dumtaxat Regis societati propter antiqui hostis versutias, nullo pacto penitus adhærendi. Quod tamen beneficium, quamquam hoc moderatio flagitasset Ecclesiastica, quod sicut incorrectis, inflexibilis, ita correctis semper debet esse flexibilis, instantiam precum & incomparabilem dilectionem desiderabilis & *Edit. LXIV. Ex bibl. Fab. Bar. anno 868. num. 4. Matth. 18.*

LVDOVICVS PIVS. spiritualis filij nostri iam memorati & iugiter memorandi Augusti, tam tibi celeriter impetrasse cognosce. Cuius scil. postulatio sicut nonnisi iusta creditur, ita quoquomodo postponenda non ducitur. A

Admonitio ad Vualdradam. VERVM tu sic de cætero stude munire, vt donum solutionis, quod in terra percipere cerneris in cælo Deo auctore, veraciter capere merearis: nam si te coram humanis oculis absoluendam exhibes, & coram Dei conspectibus obligata consistis, nec nodo cares, nec veniam impetras. Quinimo & pro simulatione potiori nexu ligaberis. Etenim diuino fertur oraculo, quia homo videt in faciem, Deus autem cor intuetur. *1. Reg. 17.* Ergo ne delecteris in infimis, sed superna cordis intuere semper obtutibus: *2. Cor. 4.* caduca sunt quæ cernuntur, quæ verò non videntur, æterna consistunt. Noli rogo pro terrenis cælestia, pro visibilibus gaudiis perdere gaudia, quæ quidem nec cogitari sufficiunt. Nullus tibi blandiatur. Qui enim te beatificant, ipsi te decipiunt. Denique quantiscumque velaminibus iustitia & veritas occultetur, quandoque tamen splendorem foras suæ claritatis emittet, nec poterit omnino diutiùs nubilo serenæ defensionis obduci. Quod faciente Deo, tam Sedis Apostolicæ studio, quàm rectissimi principis, charissimi videlicet filij nostri, cui numquam fortitudo quælibet aliquo modo placuit, sed ne placere quoquo modo poterit, solicitudine, radios suos vt solis candor extendet.

B

Epistola I. HADRIANI *Papæ II. ad Episcopos Galliæ de* VVALDRADÆ *pœnitentia & absolutione.*

I.

Edit. LXV. Ex. Nic. Fab. bibl. vt sup. HADRIANVS *Episcopus seruus seruorum Dei, reuerendissimis & sanctissimis confratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis, in Regno* HLVDOVICI *gloriosi Regis constitutis.* SICVT obstinatis & incorrigibilibus debetur vindicta, ita à conuersis atque correctis amouenda est vltio, & adhibenda curatio. Quapropter vos Vualdradæ, quæ multorum, vt refertur, attestatione, à pristinis & illicitis affectibus ad salutiferum correctionis iter conuersa est, remedia miserationis Apostolicæ Sedis exhibere consensisse, illámque vinculo excommunicationis, vel anathematis auctoritate Dei & Principum Apostolorum absoluisse cognoscite; itaut deinceps Domini Ecclesiam ingrediendi & orandi, conuiuandique, seu cum cæteris Christianis loquendi, sit ei auctore Deo, concessa licentia. Cui Vualdradæ videlicet competentia monita destinauimus, & quæ conueniebant, litteris inculcanda præuidimus, quarum scil. litterarum textum sibi vestra fraternitas exhiberi summopere postulet. Et quoniam ita conuenit, à vobis exigendum & agnoscendum decernimus: quatenus per hoc scire valeat vestra Sanctitas Apostolicæ Sedis austeritatis & mansuetudinis, remissionis & refrenationis indicia, & moderantissimæ discretionis prorsus insignia. Optamus sanctitatem vestram in Christo benè valere. Dat. Prid. Id. Febr. Indict. prima. C

Ad pacem hortatur LVDOVICVM *regem germaniæ.*

II.

Edit. LXVI. Ex. præd. Bib. Fab. HADRIANVS *Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio* HLVDOVICO *glorioso Regi.* INTER exordia diuinitus ordinati, licèt in indigno ministro, Pontificatus mei pacis studium præ cæteris virtutibus prædicandi, suadendique mihi necessitas non inconuenienter incumbit. Nimirum cùm etiam in ipsius Dominicæ Natiuitatis principio cælestis exercitus militiæ visæ sint, quæ clamarent, *Luc. 2.* Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Vbi profectò solerter intuendum est, quia sicut tunc pastores, qui super gregem suum præ cæteris vigilauerunt, tanti tripudij videre præ cæteris gaudia meruerunt: ita nos nũc proculdubio cælestium bonorum lætitiam adipisci merebimur, si super oues Dominicas solicitè vigilemus, ne videlicet has vel per insidias odij seu discordię vorax lupus inuadat, nec per cupiditatẽ auidus ille leo deglutiat, qui docẽte Apostolorũ

A principe, circuit quærens quem deuoret. Ideóque fili chariſſime, opportunè importunè ſuadeo, admoneo & inſtanter adhortor, vt pacis & dilectionis vinculum, quæ maior eſt omnibus virtutibus, & holocauſtomatibus, inſolubiliter ...... & in inuicem obſeruare gloria tua contendat, & inter ſubiectos medullitus cuſtodiri ſemper admoneat: in hoc enim Regni veſtri ſtatus poterit incolumis ..... manere, & vos neminem concutientes, à nullo concuti dignoſcamini.

PRÆTEREA nolumus ignorare celſitudinem tuam, dilectiſſimum & ſpiritualem filium noſtrum Hludouicum æquiſſimum, & à Deo protectum Imperatorem, non aduerſus ſanctæ religionis filios pugnare, ſicut contra fidei Chriſtianæ domeſticos, ſed aduerſus filios Belial, & aduerſus Chriſti nominis inimicos pro Eccleſiæ ſanctæ, & præcipuè noſtra ſecuritate, próque fidelium liberatione multorum, qui penè iam ſine tenus apud Samnium periclitabantur; ita vt etiam fines noſtros infeſtantes iam iámque Saracenos inuaderet egreſſus à ſummo ſublimitatis proprio ſolo, & à pacatiſſimæ quietis ſuæ fundamine, nec corpori parcit, nec æſtibus, nec algoribus, nec denique vllis euentibus cedit, ſed omnia incommoda, omnia diſcrimina pro Chriſti nomine tolerans, nihil eſt quod pro Chriſtianorum ereptione recuſet arripere: nihil eſt quod pro fidelium quiete ac pace declinet aſſumere. Denique non modicam Eccleſiæ ſanctæ quietem per eum diuina iam pietas operata eſt, non modicè Paganorum vires fortitudine ſuperna proſtratæ ſunt: ſiquidem B ſæpiùs eoſdem tanquam mures de cauernis ſuis egreſſos, ad ſua latibula terga vertere compulit, & brachia contra noſtros exerta potenti virtute reſoluit. Quin & nobis omnibus, qui longè ſumus & qui propè, magnæ ſecuritatis præſidium condonauit, dum ſcilicet nonnullos eorum proſtrauit, nonnullos etiam ab eorum ſuperſtitioſo ritu conuertens, Chriſti fidei & veræ religionis itinera ſectari perdocuit.

QVA de re ratum ducimus veſtram commonere magnopere celſitudinem, quo non veſtris moribus, non aliorum ſuggeſtionibus incitati, quidquam quæ illius ſunt concutere præſumatis. Non ſolùm aut quæ illius ſunt, verùm etiam quæ fratris ipſius, Hlotharij videlicet glorioſi Regis conſiſtunt, nullo commouere patiamini prorſus inſtinctu. Qui enim tangit ea quæ fratris eius ſunt, ille quæ ipſius ſunt, tangit; & qui illum liuore victus commouet, hunc procul dubio commouere dinoſcitur. Quamobrem ſuademus, & dilectionem veſtram his apicibus cohortamur, vt iniquis ſuaſionibus non cedatis, nec ſiniſtra machinantibus aures accommodetis. Sed vnuſquiſque veſtrûm ſuo iure contentus, quæ alterius ſunt vſurpare non tentet, nec inuadere quocumque modo nitatur, quod inuaſum non modicum poteſt inuaſori generare ſine dubitatione diſcrimen. Prouideat ergo prudentia veſtra, nec iam fato deſiderabiliſſimo filio noſtro ſemper Auguſto cauſam Dei exequenti & hæreditatem Domini vindicanti, ac ipſius bella prælianti C quodlibet offendiculum præparetur...... ſanctæ Dei Eccleſiæ quauis ex parte impediatur, vel profectus fidelium excludatur: ſed potiùs cautela veſtra paganorum acies paueant, & iacula veſtra, ſi qui ſine Deo ſunt, acuta reperiant. Quin penitus ſecundùm Apoſtolum non ſit vobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, id eſt, homines, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Alioquin manum Apoſtolicæ Sedis cum eodem piiſſimo principe fortiter eſſe cognoſcite, & arma noſtra illi munimina validiſſima, conferentia ſummo agoni, Deo nobis concertante, & beatorum principum Apoſtolorum interceſſione cooperante præparata ſine cunctatione prænoſcite. Optamus gloriam veſtram nunc & ſemper in Chriſto benè valere dilectiſſime fili. Dat. prid. Idus Febr. Indict. I.

Monet principes Galliæ vt fideles ſint LVDOVICO *Imperatori, cui ex legitima ſucceſſione defuncti* LOTHARII *regnum de iure competit.*

III.

HADRIANVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei omnibus Primatibus & glorioſis Comitibus, conſiſtẽtibus in regno Domini* HLOTHARII *quondã magni Imperatoris & genitoris Domini* HLVDOVICI *Imperatoris.* PERFECTÆ proculdubio chari- Edit. LXVII. Ex. Bib. Fab. Bar. an 868. n. 54.

LVDOVICVS PIVS. tatis est bonum; secundùm Apostolum, gaudere cum gaudentibus, & flere cum A flentibus: vnde quia Hlotharius quondam Rex vester diuina de hoc sæculo iussione migrauit, vos de obitu ipsius valde tristes effectos, & lugubri doloris ingentis amaritudine, vtpote viros fideles repletos esse cognoscimus; carnalique affectu eius nunc transitum flere. Noster non minus Apostolicus animus vobis compatiens & condolens, non solùm pro actione illius Regni atque salute, sed etiam pro præsenti consolatione vestra, pro pace, concordia & vnitate, quam vos ex toto corde sequi, & fideli omnino deuotione complecti, ceu Christi membra nullam habentia maculam, quæ instantem aut futuram mortis perniciem vobis possit inferre, incunctanter oportet, flebilibus Dominum precibus precati sumus, & quotidie suppliciter exoramus, vt & illi qui carnali obiit conditione, vitam perpetuam, & vobis misericordiæ largitate consolationis, pacis, & vnanimitatis affectum & desiderium inspirare, donaréque dignetur. Quoniam ipse est qui nos paterno amore virga iustitiæ corripit, ac purgationis mœrore affligit, & ipse nos in omni tribulatione nostra clementer consolari dignatur; vt possimus sustinere, nunquámque deficere.

QVAMOBREM filij charissimi Apostolicæ Sedis magisterio plurimum debentes, nos quippe supernam gratiam Apostolorum Principis fungimur vice, omniúmque Ecclesiarum Dei curam & solicitudinem nobis à Domino præ cæteris delegatam habentes, antequam antiquus noster aduersarius mentes vestras occultis & impiis nequitiæ suæ versutiis corrumpat, & morbo insanabili sauciet, armis præcincti diuinis occurrere, salubribúsque vos informare præceptis debemus: quibus humiliter obedientes, sicut omnes qui ab initio Deo placuerunt, salui esse B possitis, dicente Domino in Euangelio: si quis diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. *Ioan. 14.* Quapropter caritatem vestram, charissimi in Domino filij, Apostolica tuba monemus, & cælesti magisterio exoramus, vt pro regni stabilitate vos nunc in ea fide mentisque sinceritate generaliter omnes satagatis consistere circa dilectissimum ac spiritalem filium nostrum Dominum Ludouicum Imperatorem Augustum, quam circa diuinæ memoriæ quondam Hlotharium Imperatorem patrem illius mundo pectore conseruastis, vt nullus mortalium, cuiuscumque sit dignitatis & gloriæ, vos ab Apostolicæ Sedis præcepto monitúque salubri possit, modis aut argumentis quibuslibet reuocare, vel à via veritatis in obliquum deflectere, nec vllius præcepta magis quàm beati Petri Apostoli, per os nostrum prolata, vobisque vtiliora iucundis percipere auribus studeatis. Quoniam ipsi & paterno & hæreditario iure secundùm legem & rationem hoc Regnum debetur, & per paternæ hæreditatis successionem summopere pertinet: quippe cùm eum præfatus genitor illius quondam Imperator constituerit Imperatorem, Regnique totius hæredem præ cæteris sublimauerit natis, sicut Isaac quondam Iacob filio suo benedicens, Dominum illum Esau constituit; *Gen. 27.* ita & huic cæteris prælato totum omnino est à patre concessum Imperium. Quin ipse adhuc viuens, Imperiali voluit & C consensit vnà vobiscum ab Apostolica Sede diademate coronari, sceptróque potiri sine dubio Augustali permisit. Ideóque nobilitatem vestram monemus & obtestamur in Domino, vt nullatenus ab eodem vos spiritali filio nostro Augusto, quibuslibet promissionibus vel minis alicuius separare, diuidereque tentetis: sed illi quamdiu superna vixerit voluntate, in omnibus veluti proprio Seniori, proprio Imperatori iustóque hæredi Regni obedire, fidémque illæsam more solito conseruare: studióque sagaci semper attendite, vt Dei omnipotentis & S. Petri gratiam nostrámque plenariam habere mereamini benedictionem, & Apostolicæ communionis consortium.

NAM quem ex vobis contraria tentare nitentem, atque Apostolicæ Sedis monitis in contemptum beati Petri Apostoli cælestis Regni clauigeri spretis, ad aliam se partem conferre cognouerimus; veluti infidelem & Ecclesiasticæ paci & saluti contrarium à nostri Apostolatus communione non solùm alienum habebimus, sed etiam anathematis vinculo iure, meritóque alligare omninò curabimus: & nos secundùm Apostolicæ priuilegium dignitatis & potestatis, ipsum excellentissimum ac spiritualem filium nostrum Dominum Hludouicum Imperatorem Augustum, Regni huius prouinciæ, scilic. Galliæ totius Regem, Dominum & Impe-

A ratorem, ficuti iam olim à Deo præordinatum esse constat, & ab antecessoribus nostris Pontificibus statum multis videtur iudiciis, habemus, & quousque superent, eum habere studebimus. Quod sanè Regnum si Tyrannus aliquis contra diuinam & Apostolicam voluntatem inuadere præsumpserit, Apostolicæ sine mora sustinebit vltionis censuram. Optamus nobilitatem vestram vnanimi deuotione consistere, & in insolubili charitatis vinculo manere coniunctos. LVDOVICVS PIVS.

De virtutibus LVDOVICI *Imperatoris & Regno* LOTHARII, *ipsi tanquam proximo agnato debito.*

IV.

HADRIANVS *Episcopus seruus seruorum Dei, omnibus gloriosis Ducibus, Comitibus, & cæteris primoribus in Regno Caroli excellentissimi Regis constitutis.* OMNES quidem virtutes Christi cultoribus sectandæ sunt, sed nulla vtiliùs quàm pax cum dilectione mutua inter omnes, & maximè inter sublimiores personas custoditur & colitur. Quanto enim quis sublimior, tanto ad maiores suos quosque trahendum constat esse facilior. Ideóque his præsentibus opportunè ac importunè moneo, suadeo, & exhortor apicibus, quo pacis bonum in omnes, sed præcipuè inter sublimiores mundi principes ædificare & construere satagatis. In hoc enim dilecti filij mei Regis vestri Regnum totum poterit incolume permanere, si neminem ille concutiens, à nullo concutiatur. Non autem ignorare vos credo, qualiter desiderabilissimus & spiritalis filius meus Hludouicus piissimus & à Deo protectus Imperator, non vt quidam aduersus sanctæ religionis filios, non contra fidei Christianæ domesticos, sed aduersus filios Belial, aduersus Christi nominis inimicos, præcipuè pro nostra securitate, próque multorum liberatione fidelium, qui fine tenus apud Samnium, & circumquaque regiones iam iámque periclitabantur, ita ut etiam fines nostros infestatio propemodum Sarracenorum inuaderet, egressus à summo sublimitatis propriæ solio, & à pacatissimo requiei suæ fundamine, non corpori parcat, non æstibus, non algoribus, non denique vllis euentibus cedat: sed omnia incommoda, omnia discrimina pro Christi nomine tolerans, nihil est quod pro Christianorum exemptione recuset arripere; nihil est quod pro fidelium quiete ac pace declinet assumere. Edit. LXVIII Ex. Lib. Fab. Bar. an. 860. n. 9.

B

DENIQVE non modicam Ecclesiæ sanctæ quietem per eum diuina Pietas operata est; nec modicè Paganorum vires fortitudine superna prostratæ sunt: siquidem sæpiùs hostes tanquam mures cauernis suis egressos ad sua latibula terga vertere compulit, & brachia contra nostros exerta potenti virtute dissoluit. Quin & nobis omnibus qui longè fuimus, & qui propè, magnæ securitatis præsidia contulit, dum scilicet nonnullos eorum prostrauit, nonnullos etiam ab eorum superstitione conuertens, Christi fidei, & veræ religionis itinera sectari perdocuit. Qua de re ratum ducimus, vestram commonere dilectionem, quo præfato glorioso Regi vestro, & filiis eius suggerere satagat, & prudenti consilio suadere contendat, quatenus nec suis motibus, nec aliorum suasionibus impulsus, quidquam quæ tanti Principis, & tam Pij Augusti sunt, inuadere vel solicitare consentiat, eorum videlicet, quæ cùm sint in Regno gloriosæ memoriæ Hlotharij quondam Regis germani sui, ad se, suffragantibus cunctis legibus, non tam pro fraterna successione, quàm pro paterna dispositione hæreditario iure pertinere probantur. Qui enim concutit fines & solicitat homines, qui sub moderamine quondam iam nominati Regis erant illa quæ Dei sunt, & Ecclesiæ vtilitati conueniunt, concutit; & qui hunc auaritia victus commouet, magnum proculdubio Ecclesiæ dispergit augmentum.

C

INIQVVM præterea est quòd fratres sibi mutuo pro integra inter se ac nepotes suos custodienda parte Regnorum, quam singuli distincta sorte perceperant, iuramentis spoponderant, impia præuaricatione violetur, vt cuiusquam cupidinis fomite temeretur: cùm potiùs pio conueniat affectu fratrem fratri, ac patruos nepotibus, totius præsidium conferre iuuaminis, & secundùm promissam inuicem iuramento fidem, omnis auxilium præstare solatij, præcipuè iam fatum inclitum Regem vestrum, qui hunc nepotem suum magnum scilicet Augustum, de patris

LVDOVICVS PIVS. proprij dextera, cum omnibus quæ ad eum pertinere viderentur, ad fouendum A roborandúmque pro viribus veluti secundus pater accepisse dignoscitur. Iniquitas autem & instar sacrilegij est, vt qui se vltro pro salute fidelium & maximè pro S. R. E. matris suæ defensione tot periculis offert, à cœpto pietatis, alicuius factione stimulatus recedat opere, atque ad patriam coactus vindicandam præcedat hæreditatem. Verùm quisquis suo vitio tam sancto labori cupiditatis æstibus accensus, aliquod impedimentum præstiterit. Condignam profectò Apostolica Sede sanciente luet cum suis fautoribus vltionem. Vnde si quisquam vestrûm huius Diabolicæ ambitionis auctorem sectatus fuerit, vel ei quoquo modo in rapinis concupiscenti fauorem contulerit, anathematis vinculis innodabitur, ac pro hoc à Regno Domini separatus, cum impiorum omnium capite, quod est Diabolus, merito deputabitur.

ATTENDAT ergo Rex prudentissimus, vestris quoque probabilibus conciliis adhortetur, ne iniquorum suasionibus credat, nec sinistra machinantibus aures accommodet, sed proprio iure contentus, quæ sua non sunt vsurpare non tentet, nec inuadere quocumque modo nitatur, quod inuasum non modicum potest inuasori generare detrimentum. Ne itaque iam memorato dilectissimo filio meo Domino semper Augusto causam Dei exequenti, & hæreditatem Domini vindicanti, ac ipsius bella prælianti, quodlibet offendiculum præparet, quo sanctæ Dei Ecclesiæ quauis ex parte impediatur vtilitas, vel profectus fidelium excludatur, alioquin manum Apostolicæ Sedis cum eodem piissimo principe fortiter esse comperiat, & arma nostra illi munimina validissima conferentia, summo agonotheta B nobiscum certante, & BB. Principum Apostolorum intercessione cooperante & præparante, sine cunctatione prænoscat. Hos præterea missos Apostolicæ nostræ Sedis Paulum & Leonem venerabiles Episcopos, dilectos consiliarios nostros, quos pro pace & concordia sanctæ Dei Ecclesiæ illuc destinauimus, ob reuerentiam principum Apostolorum Petri & Pauli benignè suscipite, & ea quæ vobis pro vtilitate fidei atque religionis dixerint, percipientes, ad effectum perducere festinate. Optamus gloriam vestram in Christo benè valere. Dat. Non. Septem. Indict. 3.

Ad Episcopos Galliæ eiusdem argumenti.

V.

Edit. LXIX. HADRIANVS *Episcopus seruus seruorum Dei, reuerendissimis & sanctissimis fratribus & Episcopis nostris, in Regno* CAROLI *gloriosi Regis Ecclesiam Domini gubernantibus.* INTER exordia Pontificatus mei, pacis studium præ cæteris virtutibus prædicandi suadendique arripuisse memini. Quippe qui nouerim, quod in Dominicæ natiuitatis principio cælestis militiæ visus sit exercitus, qui clamauit; Luc. 2. Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Vbi profectò C * desst. vigilabant. solerter attendendum est, quia sicut tunc Pastores, qui supra gregem suum * præ cæteris gaudia meruerunt: ita nos qui pastores dicimur, tum cælestium bonorum lætitiã adipisci merebimur; si super oues Dominicas solicitè vigilemus: ne videlicet has, vel per insidias odij seu discordiæ vorax lupus inuadat, vel pro cupiditate auidus ille leo deglutiat, qui, vt Princeps Apostolorum scribit, rugiens circuit quærens quem deuoret. Ideóque fratres chari, nunc etiam idipsum repeto, idipsum opportunè vel importunè prorsus efflagito. Quamobrem vt pacis seu dilectionis vinculum, quæ maior est omnibus virtutibus & holocaustomatibus, vestra quoque sanctitas insolubiliter inter omnes, sed præcipuè inter sublimiores personas obseruari doceat, indesinenter adhortor: Quapropter illud à vobis exigo, vt soliciti existentes si quos senseritis velle filij nostri gloriosi Regis vestri Caroli fortassis animos ad inuadendum Regnum, quod defuncto quondam inclyto Rege Hlothario ad Dominum desiderantissimum filium nostrum piissimum Imperatorem rediit, iuréque hæreditario illi debetur, nequiter * ducitare: vos qui spiri- * suscitare. tuales estis, horum carnales voces, quin potiùs & ipsum excellentissimum Regem ac filios eius, tanquam veri Episcopi à tanto compescere piaculo studeatis. Quin imo ad fauorem & opem eius hunc inflammantes hortemini, vt qui sicut eum in

A fide sua tanquam alter pater suscepit, ita foueat, & hunc vt proprium genitum amplectatur. Ludovicus Pius.

Iniqvvm enim & instar sacrilegij est, vt qui se vltro pro salute fidelium, & maximè sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris scilicet omnium Dei Ecclesiarum defensione tot mortis casibus offert, alicuius factione stimulatus, à cœpto pietatis recedat opere, atque ad patriam vindicandam procedat hæreditatem. Non enim debet paternam hæreditatem illi dimittere, qui, Deo gratias, non ignorat Naboth Iezrahelitam pro sola paterna vinea etiam contra Regem Impium defendenda vsque ad mortem lapidum peruenisse. Verùm si & labor alicuius ambitione impediatur, quoniam paternum deseri patrimonium surripientibus non oportet, per quem quid tale contigerit, vna cum fautoribus & sectatoribus suis dignam paremq; animaduersionem exsoluet. At si quis vestrûm tam nefariæ temeritatis auctorem, vel tacendo fugerit, vel non resistendo consenserit: non iam Pastoris, sed mercenarij nomine se nouerit fore censendum: & quia iam non pertinebit ad eum de ouibus, non pertinebit consequenter de pastoralibus dignitatibus. *Laborans pro Ecclesia princeps iuuandus. 3. Reg. 21.*

Hos præterea Missos Apostolicæ nostræ Sedis Paulum & Leonem venerabiles Episcopos, dilectos consiliarios nostros, quos pro pace & concordia sanctæ Dei Ecclesiæ illuc destinauimus, ob reuerentiam Principum Apostolorum Petri & Pauli benignè suscipite: & ea quæ vobis pro vtilitatibus Christianæ fidei atque religionis dixerint, aure cordis percipientes, ad effectum ducere festinate. Optamus B sanctam fraternitatē vestram in Christo benè valere. Dat. Non. Septem. * Indict. 3. * Indict. 2.

Carolum Caluum de inuasione regni ad Lvdovicvm *Imperatorem iure hæreditario deuoluti reprehendit.*

VI.

Hadrianvs *Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio* Carolo *glorioso Regi.* Sacrorvm itaque dogmatum euidentissimis documentis & Apostolicis informamur exemplis, vt mitiùs agere debeamus cum mitibus, & seueriùs per iustitiam delinquentes corripiamus. Sed neque nos Deo placere possumus, si pastoris vicem suscipientes, non ouium pastoris, sed mercenarij latibula præstolamur: & veniente lupo fugimus, ne solatium conferamus: super quibus illud cauere debemus quod Dominus per Prophetam loquitur dicens: canes muti non valentes latrare. & rursum: Væ pastoribus, inquit, pascebant semetipsos, & reliqua. Quod si cunctis Pastoribus Dominici Gregis Dominus pro se desidiæ generaliter dicit, tanto magis nos illam sententiam formidare debemus, quanto præ omnibus & pro omnibus non solùm honoris, sed etiam oneris in humeris nostris C pondera quoque gestamus. An non pro te, Rex, rationem ponere coram Domino compellemur? sicut illud interim sileamus, quod Missos Apost. Sedis more regali recipere contempsisti: factum tuum non reprehendemus, & spiritali zelo redarguere desistemus, quando contra diuinam sanctorúmque Patrum auctoritatem, atque contra propriæ fidei sponsionem, qua iureiurando pollicitus es, ne aliena, & præcipuè fratrum tuorum Regna concupisceres aut inuaderes, Regnum quondam Hlotharij Imperatoris, quod spiritali filio nostro Domino Hludouico Augusto filio eius iuxta diuinas & humanas leges debetur, præsumpsisti inuadere, & in reatum periurij incidere non formidasti? numquid à mente excedit, quod vestra vestrorúmque iuramenta Sedi Apostolicæ destinata discussimus, roborauimus, & in archiuo nostro hodie illa recondita retinemus? quod si nec ista tibi sufficiunt, tunc ad maioris reprehensionis tuæ cumulum tuis te specialibus sententiis conuenimus. Et vt ad cor tuum redeas, ex oris tui professionibus decertamus. *Edit. LXIX. Isa. 56. Ezech. 34.*

Qvando igitur Hludouici fratris tui filij superatis viribus Regnum prodidisti; numquid non Epistolam, quam habemus præ manibus, Sedi Apostolicæ direxisti; in qua inter cætera confessus fuisti dicens: cum fratribus nostris post Fontanicum bellum in vnum conuenimus, & inter nos diuisione Regnorum facta, pacem fecimus, & iureiurando iurauimus, quod nemo vestrûm Regni alterius * meas inuaderet? nunc autem regno * meo iuramentis sumptis inuaso atq; sublato, misereatur noster Apostolatus, & ne nomen Christi blasphemetur in gen- * metas. * a me.

CAROLVS CALVVS. tibus, sine vindicante facinus * non relinquatur? Ecce qualiter aliena tibi concupiscere minimè competit. Ecce tibi ostensum est, quod iuramenta publicè facta contempta sunt; postremò ad fortioris tuæ reprehensionis iudicium aliquantis permonstratum est, quod & te impunitum dimittere non debemus. Qui quod alij facere precabaris, nunc in simile tibi opere facere iusto non oportet iudicio, & te de tuis actibus increpare, præcipuè, cùm apertiùs demonstrares, quod labiis tantùm & non corde deuotum sanctæ Romanæ Ecclesiæ (veluti in epistolis ad decessores nostros & nobis à te directis continetur) te iactitares existere filium, & nunc adeo deuotio fidei tuæ cassata est, vt iam quia conuenientibus responsis Missos nostros antè minimè dimisisti, nobísque rescribere callidè omisisti, Missos tuos vel Epistolas, quas remissurum iudicasti, hactenus ad contemptum Apostolicæ Sedis non direxisti. Quod si quis alius tale tibi dedit consilium, fidem circa te minimè veram seruauit. Si autem in hoc tuo tantùm consilio vsus es, minus Regalis excellentia quam debuit fecit. A

* num.

DE pacis verò & concordiæ vnitate, cuius nos inter piissimum Cæsarem & te mediatores esse debere suggesseras, libentissimè suscepimus & agere cœpimus. Sed illi contra hostes Christiani nominis dimicanti, pro liberatione populi Dei multis laboribus insistenti, & bella Domini præliando Sarracenorum multitudinem superanti vt pax fieret, cedere noluisti; quin potiùs non vt pacis amator, sed vt scandali concitator, etiam & tyrannidis manifestissimus executor, pacis tempus non es præstolatus; quia post quam hæc illi callidè mandare curasti, Domini Imperatoris Regnum magis inuasisti, solicitasti, ordinasti, & homines ipsius Regni ad tuam fidelitatem iurare fecisti. Cui talia facere pertimesceres, nisi ipse tantis laboribus ad perpetuam pacem sanctæ Ecclesiæ diu noctúque pro Christi amore fidenter hæreret. Qui à cœptis bonis, in quibus illi te solamina oportebat conferre magis quàm Christianum populum contra fidem debitam persequi, manum & opus non subtrahens, dubium non est, quod omnipotentem Dominum ad hæc peragenda sibi propitium facis, & de hostibus Christiani nominis triumphum cito percipis. B

SED his sincerè prolatis, quoniam, vt prædiximus, sicut omnium pondera in humeris nostris gestamus; ita omnium actus præuidere debemus, ne pro humanis fauoribus nos hæc dicere quis existimet. Si fortè acciderit, vt principes nostri, quibus à te peruasum regnum iure debetur, sibi illatas iniurias non vendicarent: nos vsque ad vestram emendationem, quia omnes saluare volumus, periuria illa atque inuasionum tyrannides impunitas nullo pacto dimitteremus, quia non ambitione, sed iustitia commouemur, & non terrarum spacia quærimus, sed ex debito, vitiis ac prauitatibus quibuscumque resistere vigilamus.

IGITVR vt interim pro paucis gloriam tuam conueniamus, monemus, & auctoritate Apostolica modis quibus possumus spiritaliter suademus, paternóque affectu præcipimus, vt iam tertiò monitus, te ab inuasione Regni spiritalis filij nostri Christianissimi Principis subtrahas & compescas, aliena non concupiscas; & quæ tibi non vis fieri illi non facias. Noli iustissimis competentibúsque tibi rebus iniustè captas tyrannicè sociare, ne & iustè possessas amittas, & iniustè peruasas, iusto Dei iudicio, te ambisse pœniteat. Nos etenim, quoniam saluum te consistere cupimus; & vt anima corporéque fœlici successu polleas, anhelamus: nisi saltem nunc nostris aliis sic salubribus parueris monitis, & vt priùs inobediens nostræ spiritali censuræ constiteris; nullo pacto, nullóque prætermittemus ingenio, quominùs Deo iuuante, nosmetipsi partes illas petamus, & quod nostri est ministerij, penitus peragamus. C

POSTREMO magnopere commonemus, vt hos Apostolatus nostri præcipuos Missos, Ioannem videlicet atque Petrum & Vuibbodum & Ioannem reuerendos Episcopos, necnon & Petrum religiosum presbyterum cardinis nostri, dilectúmque familiarem nostrum pro principum Apostolorum ab omnibus præferenda reuerentia & amore, benignè suscipias, & vt pote à tanta Sede digressos, honorificè receptos colas. Ipsis enim quæ pagina reticuit, tibi dicenda iniunximus; & ideo quiquid verbotenus exposuerint, sine scrupulo prorsus admitte, & vt efficaces ad nos reuerti valeant omnimodis vigila. Optamus gloriam tuam in Christo nunc & semper benè valere. Dat. 5. Cal. Iulij, Indict. 3.

A

Ad Proceres regni eiusdem argumenti.

VII.

HADRIANVS *Episcopus seruus seruorum Dei, omnibus optimatibus Regni* CAROLI *gloriosi Regis.* NVPER Apostolatus nostri Missis atque Epistolis reuerentiam vestram salutiferis exhortationibus, vt vobismet ipsis consuleretis monuimus, & iuxta quod vos oportuit paternitatis affectu non immeritò corripuimus. Sed tantùm Apostolica monita contempsistis, quantum nec nostris Epistolis respondistis, nec regem vestrum Carolum graue facinus incurrentem proculdubio docuistis, at non graue scelus incurrit, quando sicut multi vestri nouerunt, sui oblitus, iusiurandum quod olim cum fratribus suis pepigit, quo nemo illorum Regnum fratris alterius inuaderet, vel vsurparet; & vt euidentissimè patefactum est regnum quondam Hlotharij Imperatoris, quod iure diuino Imperatori Domino Hludouico filio eius semper Augusto debetur, spretis iuramentis inuasit, & periurij incidit crimen? vnde valde miramur, obstupescimus & dolemus, vt si vos fidem illi promisistis, quare vosmetipsos perditis, & non eum, modò suggerendo, modò illud aut illud opponendo, vt resipiscat circumuenitis: Quin potiùs vobis, consentiendo, & illi tam detestabilia faciendo (quod vestri non fecere parentes) gehennam paratis? præfatus si quidem Imperator terrena Regna non ambiens, pro liberatione populi Dei multis laboribus fatigatus, triumphales in Sarracenorum ceruices potiùs manus, quàm in eum Regnum suum tollentem extendit. Edit. LXXX. Ex eadem bib. Nic. Fab.

B

REDITE ergo ad vos dilectissimi, & vt olim inter Seniorem vestrum, fratrésque illius cum iuramentis habita sed modò corrupta reformentur, sine cessationibus laborate. Et si eum saluum consistere vultis, vt Regni iura ad se non pertinentia desistat inuadere, opportunè, importunè insistite. Aliena non concupiscat, aliena non rapiat, & quod sibi non vult fieri alteri prorsus non faciat. Reminiscatur Scripturæ dicentis, Non concupisces rem proximi tui. & rursum: Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, eadem vos facite illis. Non enim tantum regnum cuicumque augmentando, quàm iustitiam requirendo, ista persequimur. Et ne quis pro temporali, regnum perdat æternum, non indebitè contestamur. Quod si & nunc his salubribus nostris exhortationibus atque monitionibus, tam iam fatus Rex, quàm vos parere contempseritis, scitote, quia ducti paterno affectu, feruentissimóque zelo iustitiæ, statim Christo opifice, partes illas penetrabimus, & in contemptores dignam dabimus vltionem. Postremò magnopere commonemus, vt hos Apostolatus nostri præcipuos Missos, Ioannem videlicet, &c. ad finem vsque in præcedenti Epistola. Dat. 5. Iulij, indict. 3. Exod. 10. Mat. 7.

C

Ad LVDOVICVM *Regem Germaniæ.*

VIII.

HADRIANVS *Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio* HLVDOVICO *glorioso Regi.* SICVT sæpè per Missos & Epistolas vestras comperimus, de exaltatione Matris vestræ Romanæ Ecclesiæ iucundamini, & cum charissimo filio nostro Domino Hludouico Augusto omnem concordiam omnémque pacis dilectionem & fidei possidetis, & insolubiliter, quemadmodum idem serenissimus Imperator nobis innotuit, vos retinere multis coram positis profitemini. Vnde gloriosæ vestræ Serenitati nonnullas grates referimus, & vt in cœptis bonis perseueretis, Apostolicis affatibus, fili carissime incitamus: quoniam scriptum est, *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Sed & laudanda planè vestra constantia, quæ sui non immemor fidem promissam merito custodiuit: Et velut frater vester Carolus, alterius Regni iura Hlotharij quondam scilicet Imperatoris, quæ iuxta diuinas atque humanas leges eidem piissimo Imperatori filio eius debentur, nec inuasit, nec concupiuit. Pro quibus scilicet iniquissimis actibus, quos idem Carolus Deo contempto peregit, pro iuramentis quæ corrumpere non trepidauit, Edit. LXXXI. Ex præd. bib. Nic. Fab. Mat. 10.

CAROLVS CALVVS.

valde obstupescimus & miramur. Quia & illorum quos deuiare cognoscimus, tantum animarum pericula gemimus & dolemus quantum pro omnibus illis, qui nos suo gregi præesse dignatus est, rationes ponere proculdubio compellemur. A

VERVMTAMEN Missos nostri Apostolatus, cum eiusdem spiritalis filij nostri Augusti legatis tam ad vos quàm ad eundem Carolum, sicut nos nuper facere proposuimus, ecce direximus: quos benignè ac honorificè pro amore Apostolorum suscipientes, omnes vtilitates & opportuna in opere præsenti negotia cum eis tractetis: quatenus his peractis, sicut nos & sæpe dictus Augustus speramus, iidem Missi salui atque illæsi per vestrum adiutorium ad prædictum Regem, duce Deo, perueniant, & regredi valeant. Iam verò si idem Rex ab inuasione illa cessauerit & suæ tyrannidi cesserit, ecce bene. Sin autem, scitote, quia per nos illuc iter veniendo accelerabimus, & velut in contemptorem Dei, ac Apostolicarum monitionum vltionem debitam inferemus, ne nobis imputetur si ille impunitus remanserit: & si se à prauis actibus periurus se ac concupiscentiis, aliisque nefandis sceleribus non correxerit. Venturus iudex eum de manibus nostris requirat, & pro desidia meritò reprehendat. Miramur præterea gloriam vestram in præficiendo Episc. Agrippinæ Coloniæ, tam indiscretè præbuisse consensum: cùm euidentissimè scires, quod Apostolicæ Sedis iudicio atque consensu ibidem debuerit ordinari antistes, cuius censura nuper fuerat eadem Ecclesia suo priuata rectore. Et quidem quod post iudicium Sedis Apostolicæ factum est, durè suscepimus: sed quod tua super hoc deuotio, quam circa nos habere probaris, omnimodis * latuit, duriùs æstimamus. Præcipuè quia Guntharij dudum Archiepiscopi causam, antequam in locum illius substitueretur Episcopus, nos iterùm adituros, & vocem eius admissuros forè spopondimus. Præfatam quippè ordinationem nec confirmamus, nec ratam habere decernimus, quousque ille qui ordinatus est, nostræ exhibeatur præsentiæ, & vtraque pars coram nobis discussa conuentus synodalis perpendatur audientia. B

* tacuit.

POSTREMO magnopere commonemus, vt omnes Apostolatus nostri præcipuos Missos, Ioannem videlicet atque Petrum seu Vuibbodum & Ioannem reuerendos Episcopos, necnon & Petrum Religiosum presbyterum cardinis nostri, dilectúmque nostrum familiarem pro principum Apostolorum ab omnibus præferenda reuerentia & amore benignè suscipiatis: vtpote à tanta Sede digressos honorificè receptos colatis: ipsis enim quæ pagina reticuit vobis dicenda iniunximus. Et ideo quidquid verbotenus exposuerint, sine scrupulo prorsus admittite, & vt efficaces ad nos reuerti valeant, omnimodis vigilate. Optamus gloriam tuam in Christo nunc & semper benè valere. Dat. 5. Calend. Iulij Indict. 3.

Ad Episcopos Galliæ.

IX.

C

Edit. LXXII.

HADRIANVS *Episcopus seruus seruorum Dei omnibus reuerendissimis & sanctissimis confratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis in regno* HLVDOVICI *gloriosi Regis constitutis salutem.* GRATIAS agimus Deo omnipotenti pro vobis, quod, sicut fidelium relatione comperimus, inter Serenissimum Principem nostrum Dominum Hludouicum Augustum & gloriosum Regem æquiuocum eius & patruum, Seniorem scilicet vestrum, firma charitas & pax perpetua maneat; vtpote fidei custodes inuigilatis, & vt fœdera inter eos habita inconuulsa consistant, suadere curatis. Quocirca dilectissimi, nostris vos Apostolicis monitis exhortamur, vt in hoc semper perseueretis, & id ipsum ei suadere puro pectore studeatis. Tam est enim ille inuictus Augustus beneuolus, quantum erga omnes probatur esse piissimus. State ergo in fide, viriliter agite, Deo odibilium facta declinate, quia non decet vos fidem vestram corrumpere, sicut illos qui Carolo Regi seniori suo pro humano fauore consenserunt, vt regnum ipsius principis vestri peruaderet, & periurij noxam incurreret: pro quibus vos meritò collaudamus, & vt in cœptis perseueretis, paternitatis affectu præcipimus, quia qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

POSTREMO magnopere commonemus, vt hos Apostolatus nostri præcipuos Missos,

A Missos, videlicet Ioannem atque Petrum seu Vibbodum & Ioannem reuerendos Episcopos, nec non & Petrum Religiosum presbyterum cardinis nostri, dilectúmque nostrum familiarem pro principum Apostolorum ab omnibus præferenda reuerentia, & amore benignè suscipiatis, & vtpote à tanta Sede disgressos honorificè receptos colatis: ipsis enim quæ pagina reticuit, vobis dicenda iniunximus. Et ideò quicquid verbotenus exposuerint sine scrupulo prorsus admittite, & vt efficaces ad nos reuerti valeant, omnimodis vigilate. Optamus sanctitatem vestram benè valere. Dat. 5. Calend. Iulij, Indict. 3. CAROLVS CALVVS.

Ad Carolum Caluum.

X.

HADRIANVS *Episcopus seruus seruorum Dei*, CAROLO *Regi*. INTER cætera excessuum tuorum, quibus aliena vsurpando inuasisse crederis, illud quoque nihilominùs obiicitur, quod etiam bestiarum feritatem excedens, contra propria viscera, id est, contra Carolomannum genitum tuum sæuire minimè verearis; ita vt more struthionis, quod ex lib. beati Iob discimus, obdureris ad filium tuũ, quasi non sit tuus, eum videlicet nòn solùm paterna gratia & beneficiis priuãs, B verùm etiam regni finibus eliminans, atque quod impium est, vt excommunioni submittatur, affectans. Verùm quia idem Carolomannus Sedem Apostolicam legatis suis tanquam quibusdam pedum suorum passibus adiit, & per proprias litteras non appellat, quin potiùs interpellat: primò quidem ad huiuscemodi conatum tuum intentu, auctoritate Apostolica refrænamus, deinde verò ne aduersus Apostolum ad iracundiam prouoces filium tuum, salubriter exhortamur. Atque ideò & gratiam ei tuam, sicut conuenit, redde; & illum, vt reuera proprium filium paternis affectibus suscipe: nec non & pristinis beneficiis ac honoribus restituere satage, donec saltem Apostolatus nostri Missi ad te veniant, & saluo debito vtriusque vestrûm honore, quidquid de illo salubrius inuentum fuerit, competenti executione ac dispensatione ordinetur ac disponatur. Ergo ne adiicias peccatum super peccatum, sed & de pristinis inuasionis & auaritiæ prauitatibus deprecare, & correctionis ostensa perfectione, veniam Ecclesiasticam recipere totis medullis exopta, & ne finetenus pereas, vsquequaque decerta; quatenus per hoc finis prauitatum, finis animaduersionis efficiatur, & præstante Deo cum termino culpæ, terminus accedat & pœnæ. Dat. 3. Idus Iulij, Indict. 4. Edit. LXXXIII.

Ad Comites Galliæ.

C XI.

HADRIANVS *Episcopus seruus seruorum Dei, omnibus gloriosis Comitibus & cæteris fidelibus in Regno* CAROLI, *& in Regno quondam* HLOTHARII *Regum constitutis*. AVDITVI nostro sonuit, quod CAROLVS Rex etiam belluarum furorem transcendens, contra propria viscera, id est, contra CAROLOMANNVM filium suum sæuierit; hunc videlicet non modò paterna gratia & beneficiis priuans, verùm etiam Regni sui metis eliminans; quin etiam conetur aduersum illum exercitum congregare, & vos omnes aduersus eum totis nisibus destinare. Vnde quia per huiusmodi contentionem atque conflictum, sæpè sanguinis effusio contigit: prouidendum summopere ducimus, ne tale, proh nefas! nostro proueniat tempore, ac per hoc nomen Domini blasphemetur in gentibus. Ideóque pacem, & non bella volentes, nam Psalmista Domino dicit, dissipa gentes quæ bella volunt: ea quæ pacis sunt, inter genitorem & genitum si potestis, constituite: porrò si non potestis, saltem bellis cedite, prælia dissipate. Alioquin quisquis vestrûm contra Carolomannum castra mouerit, arma sustulerit, vel læsionis exercitia præparauerit, ac per id vt effundatur fidelium sanguis confluxerit: non solùm excommunicationis nexibus innodabitur, verùm etiam vinculis anathematis obligatus in gehenna cum diabolo deputabitur. Optamus vos in Christo benè valere. Dat. 3. Idus Iulij, Indict. 4. Edit. LXXXIV.

CAROLVS CALVVS.

A

Ad Episcopos Galliæ.

XII.

Edit. LXXXI HADRIANVS *Episcopus seruus seruorum Dei, omnibus reuerendissimis & sanctissimis confratribus nostris Archiepiscopis & in regno* CAROLI, *& in Regno quondam* HLOTHARII *Regum Ecclesiam Domini gubernantibus.* PRÆSVLATVS nostri auribus intimatum est, Carolum Regem Carolomannum filium suum gratia sua priuatum, post multa dira simul & dura crudeliter irrogata, beneficiis & ab ipsis quoque Regni sui metis eliminasse; quin imò vt vos etiam in eum excommunicationis spicula iaceretis, sanctimoniæ vestræ nihilominùs suasisse. In quo quid aliud intelligi datur, si rei se ita veritas habet, nisi quod vesti delictorum, quam multipliciter extendendo contexuit, adhuc istud quoque impietatis genus velit adiicere, & se se talibus iniquitatum captum funiculis & constrictum gestiat irretire? vnde nimirum valde dolemus, & ei affectu spiritali compatimur, & quamuis exteriorem circa illum pacem soluamus, interiorem tamen integram conseruamus: nam & ideò illum percutimus, vt sanemus. Flagella idcirco extrinsecus adhibemus, vt intrinsecus vulnera delictorum curemus: verbera namque corrigentis sunt, non pœnæ damnantis. Verùm quia idem Carolomannus nos Missis suis, quasi quorundam pedum suorum gressibus adiit, & per syllabas proprias Apostolicam Sedem appellat, quin potiùs interpellat: decernimus, nullam vos in eum excommunicationis iaculaturos omnino sententiam; quousque videlicet nos, qui sacerdotum Domini matura volumus esse iudicia, vniuersa quæ gesta sunt veraciter agnoscamus. Alioqui inualidam Apostolicæ pondere auctoritatis futuram, contráque reuerentiam vestram potiùs non immeritò sæuituram. B

SATIVS autem & sine dubitatione præstantius est, ne Carolus proprium filium spernat, ne domesticos seminis sui despiciat, ne iura propinquitatis solito more corrumpat, ne pacis & charitatis fœdera violet, ne caduca mansuris anteferat, ne temporalia æternis præponat.

PRÆTEREA præfatus Carolomannus insontem se circa patrem multipliciter asserit. Verum vt nos non astruendo, sed ratiocinando, quæ animaduertimus fateamur: quid mirum si Carolus præcepta Dei, præfixos metis suis terminos transferendo, aliena inuadendo, contemnens, ex suis reperit, qui eius voluptatibus contrairet, & de lumbis suis procederet, qui ipsius motibus resultaret, cùm non ignoremus, protoplastum contra Dominum se per inobedientiam erigentem & vetita contingentem non solùm exteriora quæque rebellantia cognouisse: verùm etiam in semetipso quæ sibi obsisterent inuenisse. Quod tamen non dicimus, quasi Carolomannum rebellem circa patrem fatentes, aut contumacem genitum erga genitorem fore docentes; sed quid sacro iustóque diuino iudicio fieri possit, considerantes, & vt Rex Carolus solerter attendat, salubriter admonentes. De quibus omnibus scitote nos ipsi Regi Carolo scripta nostra misisse, & exhortatoria Pontificatus nostri direxisse. Optamus fraternitatem vestram in Christo benè valere. Data tertio Idus Iulij. Indictione tertia. C

Epistola B. IOANNIS *Papæ VIII. ad* BOSONEM *Comitem. Agit gratias quod eius opera legati ad Imperatorem peruenerint, & illis iniuncta confecta sint, eúmque rogat, vt quamprimum auxilia sibi contra Sarracenos mittenda curet.*

I.

De Bosone Regin. l. 2. Chron. Aimon. l. 5. c. 24. 27. 32. & aliis in locis.

IOANNES *Episcopus* BOSONI *illustrissimo Comiti.* CARISSIMÆ tuæ nobilitati laudes Christo Domino referentes, gratias agimus, & hanc præconiis efferentes, in eodem Domino gratulamur, cuius gratia nostro fultus amore, missis Apostolicæ nostræ Sedis, facilem aditum perueniēdi ad Serenissimi Caroli semper Augusti

A spiritualis filij nostri præsentiam, non indebita tribuisti, & vt ea, quæ sibi à nobis dicenda iniuncta fuerant, aure suæ pietatis aduerteret, & ad congruentem effectum perduceret, suadere curasti. Quod cùm Deus omnipotens Imperatoriæ magnitudini, vt fieret inspirauerit; te tamen qui nostri studij cooperator effectus es, admodum conlaudamus, & vt diximus, gratias tuæ industriæ referentes, & pro his & pro aliis retribuere tibi vicissitudinem non omittemus. Nec non & quicquid honori tuo congruit, vel ad vtilitatem tuam crescere cognouerimus, incunctanter exequi procurabimus; & grato amore, adiuuante Domino, quousque perficiamus, elaborabimus. Tu verò, fili charissime, sicut cœpisti, ad infidelium nostrorũ, vel sanctæ Dei Ecclesiæ aduersantium tyrannidem funditus abolendam magis ac magis insiste; vt qui sanctam Romanam Ecclesiam in multis lædere non formidarunt, tali sententia, imò iudicio percellantur, vt deinceps quemadmodum es pollicitus, recuperationis locum numquam inueniant; Cæterum quia pro maxima necessitate huius nostræ regionis, quam Sarraceni penè totam populati sunt, audiuimus imperiale adiutorium vsque ad nos esse mittendum, gloriam nobilitatis tuæ nimium deprecamur, vt idem adiutorium, vel virorum exercitum, qui vtinam iam præsens adesset, nullomodo illis in partibus moram pati permittat .... veniendo eos exhorteris, vt vrgeas, viriliterque quousque veniant, pro Dei nostróque amore insistas: quia nisi citissimè venerint, & nobis opem contulerint, B peiora prioribus fieri formidamus; ac per hoc Domino Imper. peccatum & damnum oriri poterit, & quia Ecclesia Dei, vel oues pascuæ eius fortiter discerpuntur, ipsum nomen Christus, quod absit, ingentibus blasphemari. Data Calend. Septembr. Indictione decima. *Rom. 2.*

Dissensiones inter ipsum & Imperatorem scribit, se non posse sedare, nisi alteram prius audiat partem: interea monet, vt pacem cum omnibus, & præcipuè cum Imperatore seruet, & subiectos compescat.

II.

IOANNES *Episcopus dilecto filio* HLVDOVICO *glorioso Regi.* EPISTOLAS tuæ dilectionis, non quidem diuersas suscepimus, quas relegentes, ea in eis reperimus, quæ nisi nos charissimi filij nostri Serenissimi quoque Imperatoris Domini Caroli semper Augusti prior querela pulsaret, non solùm admitteremus, verùm etiam priusquam putares, inuestigaremus, atque discuteremus, rectique lance libraminis, quod & facturos nos, Deo iuuante, confidimus, pensaremus: sed quia vna pars sine altera facilè audiri non debet; interim deliberatiuè non scribimus: quin potiùs gloriam tuam monemus, & auctoritate Apostolica obtestamur, C vt pacem cum omnibus, & præcipuè cum eodem Imperatore conseruans; tibi subiectos compescas, & ab omnibus scandalis, vel factiosis conspirationibus vsque ad nostram discussionem (sicut pro te speramus) remoueas. Quia nos, qui Sacerdotum Domini matura volumus esse iudicia, nec illi, nec tibi contra iustitiam fauere studemus. Huius rei gratia (mediante sancti Spiritus gratia) per nostræ mediocritatis studium, quicquid illud est, volumus diffiniri; & quod adhuc suspendendum duximus iam digna deliberatione, iuuante Domino, dispensationis nostræ iudicio terminabimus. Data Calend. Septembr. Indictione 10.

Ostendit se paratum esse firmare pactum quod fecerit: rogátque sibi ad ipsum eunti hospitium parari.

III.

IOANNES *Episcopus dilecto filio* GVAIFERIO *glorioso Principi*. QVIA te non solùm legatorum nostrorũ inter relata fidelium circum Ecclesię nostrę Romanę regimen, cui Christo præsidemus auctore, deuotum cognouimus, tuúmq; strenuissimum generum Pulcari præfectum, verũ etiam tum pro liberatione totius patriæ, *De Guaiferio principe Salernitano. Leo Episc. Hostiensis l. 1. Chron. Cass. cap. 44.*

CAROLVS CALVVS. vt nobis à Christo cura commissa est, in vestras partes venissemus, pro certo fidelem reperimus: Ideóque pactum quod petisti, vt promiseramus pontificali vera assertione & dilecto filio nostro Carolo Imperatore Augusto, iure vobis firmandum, potestate, per reuertentes venerabiles legatos Ecclesiæ nostræ accepta iustè ac legaliter affuturum statuere sumus parati, simúlque mihi & nouo agmini comitatum volo præparetis; vt dixerim, ita hospitium, fidelésque nostros in cœpta corroborata fidelitate, ac infidelibus, prout potestis, frenum redargutionis imponite, nostrúmque aduentum, Deo duce sperate. A

Dolet, quod sibi deprecanti auxilium contra Sarracenos non tulerit: significat Vrbem magno in discrimine versari, cùm ad eam oppugnandam fama sit magnum exercitum venturum. Quare eum rogat, vt quantocyus opem ferat, legatos ab eo detineri miratur.

IV.

IOANNES *Episcopus Ioanni Bosoni Comiti.* SÆPE gloriam tuam missis, & literis hortati, ac deprecari studuimus, vt manum auxilij porrigens, contra nefandos Sarracenos hostiliter occurrere tandem satageret: sed, proh dolor! nihil hactenus præsidij adipisci meruimus, adeò vt nec responsum, sicut nec de alijs quibusque necessitatibus, à nobilitate tua recipere hucusque noscamur; quapropter nimis dolentes gementésque iterum iterúmque dilectionem tuam monemus, hortamur, & obsecramus, ne differas vltra, nec patiaris populum Domini ab illis diuinitus fulminandis Agarenis discerpi, qui operuerunt vniuersam superficiem terræ, sicut locustæ, itaut penè cunctis habitatoribus inde sublatis, & in prædam & gladium traditis, redacta sit in solitudinem, & in cubilia bestiarum, & (quod est adhuc ampliùs formidandum, atque cauendum) certa relatione didicerimus, stolum amplissimum in primo ad expugnandam vrbem venturum, id est, centum naues, ex quibus cum equis sunt quindecim grandes. Quod quàm ingens malum, & incomparabile sit, si intentè consideraueritis, aduertetis: perditio enim istius vrbis totius est mundi dispendium: imò & ipsius Christianæ religionis iactatura, & ideò (secundùm quod & spiritalis filius noster semper Augustus necessario tuæ commisit industriæ) omnium cæterarum rerum curis omissis, hoc vos conuenit toto considerare mentis intuitu, & ad auxilium nostrum non modicum exercitum quantocyùs destinare. Si enim vestrum diuinitus roboratum nobis non porrigitis validum & amplum confestim auxilium; scitote nihil ampliùs remanere, nisi vt nobis à vobis desperatis dimissis, vobis etiam ab hac sancta Ecclesia nulla spes vltra remaneat. Porrò si in præsenti necessitate nobis aptum & sufficiens præbueritis auxilium, & nihil differentes, populo Dei, beato Petro speciali prærogatiua commisso subuenire studueritis; scitote in omni opportunitate vestra tanto nos fore promptiores, quanto fuerimus redditi ab hoste securiores. Cæterum dilectionem tuam miramur legatos nostros retinuisse Leonem Episcopum carissimum nepotem nostrum Apocrisiarium, & Missum Apostolicæ Sedis, atque Petrum æquè Episcopum, qui cùm festinantes per vos ad diuinitus protectum Augustum mitterentur, à vobis & tunc detenti sunt, & modo nihilominus non meritò retinentur. Quod quia contra decus Apostolicæ Sedis, quod nunquam factum est, profectò non dimittemus, cùm hinc certi fuerimus, inultum. Cùm enim nos illos pro multiplicibus Ecclesiæ nostræ necessitatibus sub nimia festinatione miserimus; à vobis, quem hoc non latet, non impediri, sed ad id celerius agendum vestris, sicut credidimus, potiùs debuere fulciri subsidiis. Data vt suprà. B C

Imperatoris precibus, cùm Burdegalensis Prouincia à Paganis esset deuastata, Burdegalensem Episcopum in Bituricensi Ecclesia Cardinalem constituit, illi committens eius Ecclesiæ administrationem.

V.

IOANNES *Episcopus Carolo Imperatori.* PETITIONEM vestram, filiorum carissime, quã non obnegando, sed dispensando dudum distulimus; nunc nos ad votum nostrum ob id vel maximè, Christo præduce, perduxisse gaudemus: quod & vestram gloriam perseuerantem testificationem cognouimus, & prouincialium præsulum consentaneas probationes probauimus, & legatorum nostrorum subtilissimas disquisitiones aduertimus. Quocirca, licet nos multis canonicis testimoniis prouocati petitionẽ vestræ deuotionis implere magnopere moliremur, & solius Maiestatis vestræ testimonio super exterminio Burdegalensis Prouinciæ credere minimè cunctaremur: tamen pietatis vestræ testimonio, comprouincialium quoque præsulum literas conuenire, sicuti rebamur, nuper cognouimus, secundùm pietatis vestræ religiosissimum libitum, Burdegalensis Diœcesis Episcopum fratrem scilicet nostrum Frotharium in Bituricensem Ecclesiam Cardinalem fieri decernentes; Metropolitanæ dignitatis priuilegio iterato munire curauimus & studij vestri solertiam, quo semper idoneos Ecclesiæ viros quadam naturalis ingenij deligitis admirantes, congruas literas, his quorum interest, ex auctoritate Sedis nostræ direximus, atque magnanimitatem vestram, quam istius religiosi negotij circa nos incentricem cognouimus, eam nihilominùs executricem fore, nec immeritò delegamus. Quatenus propter Deum, cuius filij pretioso sanguine tota per mundum redempta consistit Ecclesia, sic istius necessariæ dispensationis instituta custodiat; vt à paternis Regulis constitutis antiquitus, in parte altera nunquam omnino discedat. Præthereà quod filiolitatis vestræ petit industria, vt quorum suggestionibus dudum vestra sit delata petitio, detegamus; omnino sciatis, quia nos licet indigni simus, tamen quoniam per consequentiam priorum nostrorum Pontificum matura cogimur esse iudicia, causam tantæ deliberationis ideò non facilè tunc deliberandam credimus; ne diffinisse quod Deus conuerterit, minùs ordinabiliter videremur. At postquam Deus omnipotens petitionem Serenitatis vestræ comprouincialium præsulum testimonio decorauit, immo testimonia præsuli pietatis vestræ suffragio confirmauit: Nos & religiosam petitionem vestram compleuimus, & suggestionibus fratrum Coepiscoporúmque nostrorum manus porreximus, & Ecclesiæ Dei tantis necessitatibus consulentes, de Thesauro Pontificalis pectoris ita vobis protulimus, vt à doctrinis deuiasse veteribus nullo modo videamur. Data vt suprà.

Laudat eùm de iudicio in EMMENVM *prolato, & hortatur, vt cum illo clementer agat.*

VI.

IOANNES *Episcopus Carolo Imperatori.* SVPER iudicio vestro in Emmenum prolato, ô rectissime Imperator, cum cælo tota terra lætatur. Scriptum est enim, *Lætabitur iustus cum viderit vindictam.* Cur autem dicimus, *lætatur cùm super* *Psalm.* 57.
iudicia Salomonis scriptum est: Quia audiuit omnis Israël iudicium, quod iudicasset 3. *Reg.* 3.
Rex, & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium, super quo videlicet iudicio sentiendum merito ducimus, quia lætati quidem benigni, tristati verò sunt omnino maligni. Ergo & hic ita datur intelligi: quia nimirum super iudicio vestro lætantur iusti, deterrentur iniusti. Nam & omnipotens Deus, cuius & vos iudicium æmulamini, terribilis peccatoribus, & blandus est iustis, quia igitur super Emmeno iam exhibuistis seueritatem iudicij, quæsumus exhibite de cætero pietatis insigne: imposuistis in humeros

CAROLVS CALVVS. eius onus austeritatis; adhibite iam nunc id remouentem digitum lenitatis. A
Ad Phil. 1. Mementote quia hunc vobis, cum Petro Paulus dilectis suis sicut Philemoni quondam Onesimum remittit, implorans, & obsecrans, quatenus eum vt sua viscera suscipiatis: quia etsi fortassis ad horam aliquando quidem vobis inutilis exemplum non bonum cæteris tribuens visus est; nunc autem & vobis & nobis & plurimis vtilis est, longanimitatis formam, & patientiæ cunctis ostendens. Rogamus ergo vt penes vos non sibi tam suus obsit excessus, quàm fidei & amoris erga vos habiti prosit affectus. Et quia noxam propriam, & pœnam indictam sibi confiteri non tenuit animaduersione remota quam metuit, patronos vestros, sanctos scilicet, primos Apostolos se proficuè adiisse & salutasse de reliquo sentiat, & de tanto sibi collato munere lætetur & gaudeat, vt ibi abundauit peccatum, superabundet secundùm Apostolum gratia. Data Pridie Calendas Nouembris, Indi-
Rom. 5. ctione decima.

Precatur Imperatorem, vt MADELGERO, *qui Romam veniam petitum venerat, homicidium perpetratum condonet, eúmque in gratiam recipiens, cum parentibus defuncti pacem inire iubeat.*

B

VII.

IOANNES *Episcopus ad Imperatorem, & Imperatricem.* DVM non minùs pro misericordiæ intuitu delinquentibus, vasallum vestrum qua accepta dumtaxat exhibito, quam iudicij seueritate in improbos exercenda, omnipotens Deus gloriam Serenitatis vestræ Imperiali voluerit sublimare decore; dignum profectò esse rati sumus pastorali cura fungentes, apud Maiestatis vestræ excellentiam pro multorum salute, vel vitæ indulgentia, & præcipuè illorum, qui Diabolico licèt instinctu nefanda comittentes, ad Apostolorum principum Petri ac Pauli fautorum vestrorum limina, diuina tamen pietate commoti, venire festinant, & misericordiam humili prece implorant, toto mentis annisu intercedere, atque pro viribus consolationis opem, inquantum fas est, petentibus impartiri clementer. Vnde pro huius viri, Madelgeri videlicet nomine, qui aduersario incitante quendam hominem Odelricum vocabulo peremit, salute, membrorum omnium integritate, & rerum suarum restitutione Maiestati vestræ, suggessimus filiorum charissime, vt pro amore Dei, & Domini nostri Iesu Christi, sanctorúmque Apostolorum, quorum limina præfatus Madelgerus adiit, nostræque paternitatis, quam sincerissimam erga nos habetis, dilectione precamur; quatenus gratiam vestram plenariam ei reddere non dedignemini: eóque cum vestræ serenitatis respectu acceptó, pro suis valeat excessibus pœnitentiam fructuosam accipere, qua commissi C
possit piaculi noxias sordes abluere, vt spiritus saluus sit in die Domini, de omni-
1. Cor. 5. bus vltricem dantis vindictam. Nam pro tanti itineris labore durissimo; quem veniendo perpessus est, sicut credimus, aliquantulum de peracto scelere indulgentiam meruit, eius vtique intercessionibus adiutus, cui dictum esse à Domino con-
Matth. 16. stat, *tibi dabo claues, regni cælorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Quod cùm ita sit, precamur etiam, vt eum cum parentibus eius, qui defunctus est, paciscere iubeatis, ne malus deinceps malum quo multorum animæ noceat, perpetretur. Data vt suprà.

Narrat calamitates à Sarracenis Ecclesiæ illatas, & Imperatorem precatur vt auxilium aduersus eos sibi mittat.

VIII.

IOANNES *Episcopus Carolo Imperatori.* QVANTA & qualia per impiam gentem patiamur Sarracenorum: quid dicam? quia scribere quilibet stylus non sufficit, cùm omnia ligna syluarum, si vertantur in linguas, enarrare non valeant. Quorum quia ex his quædam vestra iam didicit excellentia, prædisposuit exercitum

A suum ad hæc remouenda cum valida manu dirigere. Quo nos audito, mox eleuatis manibus Dominum collaudauimus, eiúsque clementiam pro Imperio vestro lætantes protinus exorauimus. Sed quantò fili charissime, lætati sumus in his, quæ dicta sunt nobis; tanto, heu tristati & amaricati, quia quæ dicta sunt, rerum non sunt effectibus consummata: reuersi quippè sunt, vt audiuimus & solis paginis gaudium, nobis autem non nisi tribulationem inenarrabilem reliquerunt: & ecce, proh dolor! inimicis crucis Christi gratulantibus, solus fidelium cœtus magna mœstitudine consumitur: Christianorum sanguis effunditur: deuotus Deo populus continua strage vastatur: nam qui euadit ignem vel gladium, præda efficitur, captiuus trahitur, & exul perpetuus constituitur. En ciuitates castra & villæ destitutæ habitatoribus perierunt: & Episcopi hac illácque dispersi, sola illis Apostolorum principum limina derelicta sunt in refugium; cùm Episcopia eorum in ferarum sint redacta cubilia, & ipsi vagi, & sine tectis inuenti, non iam eis liceat prædicare, sed mendicare. Ecce charissime peruenit gladius vsque ad animam: Ecce dies in qua clamamus. Beatæ steriles, quæ non genuerunt: Ecce illa periculosa tempora Pauli voce prædicta. Libet ergo cum Hieremia clamare: *quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lachrymarum, vt plagam tantam ac talem miseriam, tale ac tantum excidium patriæ?* Sed & in tristitia, quin potiùs in ruina Domina gentium, regina vrbium, mater Ecclesiarum, consolatio tristium, portus periclitantium. Ecce inquam reuera dies: tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ: Præterito quippè anno seminauimus, quid est? sed non recollegimus. Hoc verò anno quia non seminauimus, nec est recolligendi fiducia, quid de paganis dicimus, cùm Christiani nihil melius operentur? Quidam videlicet ex confinibus, & vicinis nostris, quos Marchiones solito nuncupatis: nam vt prophetice dicamus, *residuum locustæ comedit bruchus*, & quid Saracenis incredulis, qui sunt filiæ ancillæ, fortè relinquitur ab illis qui fidem liberè deberent existere filij? vsque ad terram depascimur: quid enim illi faciunt, & isti peiora non faciunt: illi terram occupant, isti cum Petro nihil ex ciuitatibus, vel ex rure dimittunt: illi occidunt gladio: isti ablatis omnibus fame trucidant: illi in captiuitatem ducuntur, isti sibi in seruitutem redigunt. Et cùm quæritur, quis aduersus hostes dimicet? inueniuntur nulli, cùm scilicet eorum oppressione retenti, ad mandatum nostrum occurrere nuli prorsus inueniantur. Sed cùm vndique angustati clamamus, non est qui audiat, non est qui adiuuet, non est qui saluum faciat, nisi tu fili carissime, & Imperator clementissime, qui post Deum factus es nobis in refugium & solatium & auxilium. Quocirca totis præcordiis, totisque commoti visceribus, cum Episcopis & presbyteris, ac proceribus, totisque plebis (nobis olim commissæ) reliquiis, deprecamur, iube tandem aperire aures, audire gemitum, & singultus nostrorum omnium; porrigere manum, & præstare opem patriæ periclitanti, ciuitati inter multas miserias & ærumnas iacenti, & huic ecclesiæ matri vestræ, à quâ non solùm regnandi, sed & in Dominum vnum & verum credendi exordium percepistis. Quæque in vltimo, spreto magno & bono fratre, vos more Dei gratuita voluntate, tanquam alterum Regem Dauid elegit, & prælegit, atque ad imperialia sceptra prouexit. Cogitate itaque Dei cultor semper Auguste à Propheta præmoniti: Si hæc humiliatur, ad cuius confugietis auxilium? vel vbi relinquetis gloriam vestram? Perpendite quia si hæc humiliatur, non solùm gloria imperij vestri periclitabitur, sed & ipsa profectò Christianæ religionis cultura maxima ex parte peribit: & idcircò talia scientes, nolite, obsecro, iam differre: nolite de die in diem induciis non profuturis abuti; cum Prouerbiatore clamo, & cum Salomone vociferor. *Ne dicatis amico vestro, vnde & reuertere, cras enim dabo tibi, & alias. Quod potest*, inquit, *manus tua facere instanter operare, & cætera.* Nescitis namque vt cum venia vestra dicam, quid superuentura pariat dies: Ita ergo fili Christianissime de hac Ecclesia; necnon & patria velociter & prudenter excogitate, & ordinate, vt saltem ipsæ paucissimæ reliquiæ saluæ sint, quæ remanserunt, quæque quotidiè cateruatim gladio, & præda dispereunt: Occurrite strenuè, subuenite celeriter, & manu consolationis vestræ ab oculis nostris tandem abstergite lachrymas, quatenus super illis, & præsentialiter Deo propitio gaudeatis, & in futuro frequenti, ac laudabili relicta fama superstite cum Christo perpetes in cœlestibus imperetis. Dat. 17. Kalend. Decemb. Indict. 16.

Margin: CAROLVS CALVVS. — Psal. 121. — Luc. 23. — Hieron. 9. — B — Ioel 1. — C — Isa. 10. — Prouerb. 3. — Eccl. 9.

CAROLVS CALVVS.

Laudat quòd legatos benignè exceperit, eiúsque religionem commendat. rogat vt Ecclesiæ hostes coërceat. addit quædam de STEPHANO *&* SERGIO *Ecclesiæ thesaurorum raptoribus.* A

IX.

IOANNES *Episcopus Carolo Imperatori.* INNVMERAS omnipotenti Deo grates, & laudes referimus, qui cor pietatis vestræ, quod in manu sua consistit, tanto S. Spiritus gratia replere dignatus est, quanto sollicitius vos sacras aures ad profectum Ecclesiæ nobis commissæ diuinitus inclinantes, & Apostolicæ Sedis legatos, leonem videlicet apocrisiarium & Missum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, seu Petrum venerabiles Episcopos nostrósque dilectos ea benignitate, qua soliti estis, & eò ampliùs suscepistis, & illa quæ vobis pro statu, ac exaltatione S. Dei Ecclesiæ suggesserunt, ad efficacem finem prouenire iussistis. Verè enim filiorum carissime cor vestrum in manu Dei est: quia eius consultu vniuersa disponitis, & sapienter imperium vobis collatum moderari studetis: quia ex vtero matris creuit vobiscum sapientia, & rectitudo fuit dilecta vestra amica: & quia præconiorum vestrorum humana lingua fari non sufficit multitudinem, ad illam quæ de infidelibus nostris, & vestris peracta sunt epistolariter habeamus: vestris quidem benignissime Imperator apprimè eruditis viris & Deum timentibus, Ansegiso scilicet reuerendo Archiepiscopo, & Adalgarion. Episcopo, communibus quoque fidelibus nostris, iuxta quod petieramus, pro honore atque vtilitate sanctæ matris vestræ Ecclesiæ Romanæ à vobis directis Romam peruenientibus, & quantùm vobis iustitia placeat, luce clariùs agnouimus, & de affectu filiorum, quem erga nos conseruatis, in Domino gratulati sumus: sed de infidelibus sanctæque Romanæ Ecclesia hostibus (quos pro multis sceleribus, ac prauitatibus suis ouile Christi non recipit) huc illúcque latitantibus & nefandissimos actus suos tegere molientibus, non vt oportuit, neque sicut vestri voluerunt legati, de illis potuit adimpleri. Nam, vt ita fateamur, à sibi similibus infidelibus vestris, & nostris, quibusdam scilicet Marchionibus, quos iidem vestri legati narrabunt occultatis & effugatis, nec ad se percutientes reuersi sunt, nec alios suæ malitiæ inquinamento contaminare desistunt: Proinde clementiam vestræ Celsitudinis imploramus; & per futurum Dei iudicium adiuramus, vt eósdem sanctæ Dei Ecclesiæ hostes, atque prædones, sacrilegos quoque siue tyrannos, ac per hoc à Christi collegio synodicè sequestratos, studiosiùs requiri iubeatis, & ad lugenda mala, quæ impræterмisè hactenus operati sunt (sicut iam decreuistis) exilio deputetis: quia si ipsi, qui tantùm Dei Ecclesiam macularunt impunè iam vestram sanctionem diffugerint; vel si, quod euenire non debet, in vestro imperio, quibuscumque (quod turpe est dicere) contra vestram voluntatem, eis fauorem præstantibus, tam absolutè discurrerint; totum idem vestrum imperium coinquinabunt, & omni Christianitati dispendium generabunt: quia cùm sint ipsi oues morbidæ, totum gregem contaminent: & erunt nouissima illorum peiora prioribus; ideóque maior morbus maiori medicina curandus est: ne si non debita, vel quali decet austeritate vulnera magnum fœtorem dantia radicitus resecata fuerint, totum corpus Ecclesiæ tabefiat: & nobis hæc sustinentibus, ministerium nostrum exercere non liceat. Non enim Stephanum & Sergium ad nos fraudulenter venientes recipere noluimus; sed eos ad vestram venire iussimus Maiestatem. Ceterùm fili carissime, thesauros Ecclesiæ nostræ ab eisdem nefandissimis raptos, ac fraudatos, ita sciatis ab ipsis etiam celatos, vt per eos, qui hîc de suis satellitibus remanserunt, inueniri non possint: illos verò, qui nouerunt, vbi eos reconderint, ne detegi possent, apud se callidè retinent; & nisi ipsi capti fuerint, vbi sunt occultati nos nostrósque penitus latet. Verumtamen quid, vel quantum ab vno, & quantum ab alio, quantúmque etiam in domibus eorum repertum sit, vestri iam dicti legati, & scripto & verbis vobis, si placet, edicant. Data 18. Kalend. Decembris, Indictione decima.

Margin notes: B (at "do Archiepiscopo"); Luc. 11. / C (at "totum idem vestrum imperium").

A

Scribit intellecturum esse Imperatorem ab Episcopo ADELGARIO, *cui pallium concedit, cur laudabile eius studium in causa Ecclesiæ ex voto non processerit.* De ANSEGISO & LAMBERTO *ita gestum, vt ipse præuiderat, significat; ipsúmque* ADELGARIVM *Episcopum vt fidelem mediatorem inter se & Imperatorem decreuisse.* CAROLVS CALVVS.

X.

IOANNES *Episcopus* CAROLO *Imperatori*. LAVDABILEM quidem intentionem, & pium studium vestrum pro causa Ecclesiæ nostræ, matris videlicet vestræ, fili carissime, viscerabiliter habitant, & benè dispositum cognoscentes; innumeras Deo gratias (qui totius boni auctor & moderator est, quique docet hominem iustitiam) gessimus: sed impediuit nos Satanas, & spes nostra frustrata est, cùm non ad votum nostrum, & commune propositum finis rei processerit. Qualiter autem vel quo faciente, ita causa prouenerit, Adelgarius sanctissimus Episcopus, quem nos vestri amoris causa, ipsiúsque morum probitate non immeritò moti, palliatum vos ecce remisimus, à Maiestate vestra interrogatus, vt per fidem, quam vobis se illæsam seruaturum pollicitus est, adiuratus, edicet; illud tamen nos interim ad memoriam vestram reducimus, quod nobis olim de Ansegiso & Lamberto specialiter quodam præsagio, futurorum tanquam prouidus, re vera prænunciastis. Est enim ita gestum, vt præuidistis, & nil vos ante latuit, quod postmodum intellectus nostri oculus non aspexit: non enim rectè cum eo (sicut Episcopum decuit) ambulauit, sed per versipelles anfractus incedens multùm à via rectitudinis deuiauit: quod cùm exhibitum ad lucem veritatis extiterit, penitus euasurum non credimus impunitum: cuius scilicet certam rei circumstantiam proculdubio deprehendere, si & prætulimus, idem almificus vir sub testificatione vobis promissæ fidei adiuratus, vos latere noluerit: sanè nosse vos volumus, quia cùm sæpè memoratum Antistitem adeò cognouissemus, vobis esse fidelem, & crederemus nullis muneribus, nullisque terroribus à suæ fidei erga vos habitæ sinceritate posse diuelli; adhæsit animæ nostræ salutis filius, & idcircò inter Pontificium nostrum, & imperium vestrum mediatorem, illum fore decreuimus, ita vt quasi vocis vtriusquè sit organum, referátque vestra nobis, & quæ nostra sunt, vobis annunciet, vt lapis angularis habitus in Christo Iesu, qui est pax nostra, &, fecit vtraque vnum. Data 16. Kalend. Decembris, Indictione decima.

De Adelgario Annon. lib. 5. c. 33

B

Eph. 2.

C

Rogat vt Romanæ Ecclesiæ suffragetur.

XI.

IOANNES RECHILDI *Augustæ*. QVANTO amore spiritualis filius noster piissimus Imperator erga hanc sanctam matrem suam Ecclesiam flagret; ex hoc manifestissimè claret, quod causam illius apud se specialiter exequendam & ordinandam in vestris propriè manibus collocauit. Cui enim congruentius, & præstantius eam, quam præ cæteris spiritualiter diligit, oro, committeret, quàm vobis, quæ ab eo sic diligi à Christo iubetur Ecclesia? Vnde magnopere gratulamur de vobis tot audientes præconia & confidimus in Domino, quia onera, quæ portamus, tam à Paganis, quàm à pessimis Christianis vestri studij humeris alleuiabitis, & eritis pro Ecclesia Christi, apud pium coniugem, more sanctæ illius Esther pro Israëlitica plebe apud maritum. Quia verò sæpè ad Christianissimum coniugem vestrum semper Augustum diuersis pro necessitatibus siue missos, siue apices mittimus; ex hoc iam obsecramus & petimus, vos estote pro nobis ostium, lingua, & manus, imò totum pro nobis sitis aduocatoris fungentes officiis, & omnia pro nobis in omnibus facite. Ita vt amici quidem, & fideles Ecclesiæ huius per vos apud apicem vestrum, locum apud vos inueniant aditum & salubre in necessitatibus suis omninò remedium, è contra verò inimici, & infideles per vos confundantur & excludantur: quia & nos pro vobis apud beatissimos Apostolorum princi-

De Rechilde Annonius lib. 5. c. 2. 4. & aliis in locis.

Esther. 9.

CAROLVS CALVVS. pes Petrum & Paulum amatores & protectores vestros, itaut paterno vos affectu A semper fauere studentes, & tanquam spiritualem filiam dilectionis nostræ finibus collocatam in Christo tractare, ac tegere perpetuo satagentes apud eos commendare, assiduis precibus studeamus, & vestri memoriam ad sacrosancta corpora ipsorum semper deponere satagamus. Lætamur autem & iocundamur in Domino, quia beatam vos, & felicem dicent omnes generationes: quia pio committente coniuge, tam salutiferum ministerium assumpsisti, per quod scilicet & in præsenti sæculo nomen bonum, quod est super diuitias multas, & cæleste acquiretis inter Angelos, & non finiendum Imperium. Dat. 16. Kalend. Decemb. Indictione decima.

Psalm. 22.

Nunciat propter imminentia pericula legatum ad eum mittere se non potuisse: tum multis exponit, Vrbem magno in discrimine versari, cùm Sarraceni, vastata Campania, excursiones longiores transmisso AMENE faciant: nonnulli præterea Christiani latrocinentur. Quare obnixè petit, vt promissa auxilia quantocyus mittat, duos præterea hac de causa legatos ad eum destinat.

XII.

IOANNES *Episcopus* CAROLO *Imperatori*. CVM nos in Ecclesiasticis curis instantia quotidiana constringeret, & hinc inde populi nobis commissi continuus B dolor, qui cuncta nostra interiora perculit, perturbaret; illud (vt ita dixerim) inter alia fleuimus, quod nuncusquam tam per terram, quàm & nauigio ad vos nostrum Missum dirigere summo desiderauimus studio, vt nobis vestram prosperitatem desiderantibus & anxiè sitientibus renunciarentur citissimè sanitates, sed omninò nequiuimus: hinc fateor fili carissime tanta per vtrumque iter impedimenta tenuimus, quantum & per Paganos, & per iniquos Christianos sine respectu diuini timoris generari mala, quæ ætas nostra non meminit, deploramus: tanta enim sunt, vt intra mœnia vrbis reliquiæ populi innumerata paupertate affectæ consistant, & omnibus forinsecus deuastatis ac in solitudinem redactis, nihil iam restet, nisi (quod Deus auertat) ipsius Vrbis excidium: sed & quantum nos Leo vener. Episcopus Apocrisarius & Missus S. Rom. Ecclesiæ, communis quoque fidelis à vestro seruitio rediens de hoc quod à nobis retulit post se vestrum exercitium contra Agarenos mittendum, lætificauerat, tantum hucusque eundem nobis expectantibus, quod consecuti non sumus, validior mœror, & ineffabilis angustia contristauit: quia tota Campania ab ipsis Deo odibilibus Sarracenis funditus deuastata, iam fluuium qui à Tiburtina vrbe Romam decurrit, furtim transeunt, & tam Sabinos, quam sibi adiacentia loca prædantur, sanctorum quoque basilicas & altaria destruxerunt, sacerdotes, & sanctimoniales, alios quidem captiuos duxerunt, alios autem variis mortibus necauerunt, & omnem Christi sanguine redemptum C populum in circuitu deleuerunt, & quid dicam? quid loquar? cùm peruenerit gladius vsque ad animam, & sanguis omnium de terra clamet ad Deum? Ergo præcellentissime Cæsarum iamiam nostræ calamitati succurrite, iam populi nostri miserias releuate, iam vestræ potentiæ manum porrigite: & hanc terrã cuius vobis necessitates ab ipso vestræ vocationis initio notas fecimus, liberate: ne si perdita fuerit, vestrum vilescat imperium, & totæ Christianitati nascatur dispendium. Reminiscimini igitur propter Deum, reminiscimini: quia multa spe & fiducia freti, diuinitus & humanitus ad imperij gubernacula promerenda pro vobis certamina sumpsimus, nullique labori pepercimus: ideóque vicem nobis rependite, vt spes & labor noster non sit inanis in Domino: quia cùm hæc fuerit semper apud vos summa nostræ petitionis, si ampliùs nobis auxilium vestrum subtraxeritis, in desperationem lapsi deficiemus, & forsitan ad aliud consilium resumptis aliquantulis viribus necessario transcēdemus. Non enim (sicut vos forsitan æstimatis) mediocre malum tota nostra ecclesia patitur, minimis status Reipublicæ damnis afficitur: sed alia Sarracenorum in cursibus, alia autem Christianorum ita sunt exterminata, & deuastata tyrannide, vt non nostra sint quæ nostra fuerunt: quin potiùs solo nomine omnibus illis vtamur; & vel ad defensionem patriæ, vel ad aliquam

A vtilitatem nostræ Ecclesiæ quorumlibet solatia nunquam inueniamus. Præcipuè autem multi, quos vestra non ignorat maiestas, non solùm nulla nobis solatia conferunt, verùm etiam quidquid residuum est à Paganis, imprætermissè subtrahunt, & omnem nostram dispositionem in territorio Romano suis violentiis calcant; adeò vt nec victualia, nec vlla quadrupedia in omnibus nostris remaneant, nec vllum qui nobis compatiatur, vel nostros singultus, aut gemitus doleat, oculi nostri aspiciant: sed quia tanto Imperatori pauca sufficiunt, & ex istis iam fili carissime, quæ nos præ gemitu, & afflictione cordis loqui non possumus, vniuersa alia cognoscetis, quasi humo prostrati vestram magnificentiam deprecamur; & per futurum iudicium adiurantes, cum tota nostra Ecclesia vestro diuinitus protecto imperio totis viribus suggerimus, votisque supplicibus preces multas effundimus, vt contritæ, & omni humano solatio destitutæ sanctæ matri vestræ Romanæ Ecclesiæ, defensionem, debitámque tuitionem, cunctis remotis occasionibus, cunctisque omissis dilationibus, omnimodis præbeatis: quia cùm iam iuxta præcipitiũ consistamus, nisi manu vestræ defensionis, & necessariis nobis sicut præmisimus, imò sæpiùs exorauimus, quantocyus opibus subuenire studueritis, spe viuendi per Christianos sublata, aut ipsis Paganis subiiciemur, aut (quod auertat diuina potentia) ab eorum multitudine victi, ad omnem Christianitatis interitum crudeli nece peribimus: ac per hoc & Christi nomen in mentibus blasphemabitur; & vestræ opinionis anteacta studia obliuioni trademus. B Huius rei gratia (sicut supra meminimus) opportunum adiutorium conferentes nobis vestrum exercitum ad hostilem expeditionem promptissimum destinate, aliósque Deum per omnia diligentes Missos, qui vitiorum flammas iustitiæ tramite vsi compescent, nimia celeritate dirigite: quatenus qui innumeris tribulationibus quatimur, ac æstuamus, & pro populi nobis commissi miseriis cruciamur, vestris consolationibus refecti lætemur, & per vos tranquillitate percepta, optatam libertatem, sicut decet per tam benignum Imperatorem, consequi mereamur. Postremò sublimitatem vestram deposcimus, vt latores præsentium, Petrum scilicet, atque Petrum ven. Episcopos Missos Apostolicæ sedis, nostrósque dilectos iuxta morem benignè ac pacificè suscipere non dedignemini: & ea quæ piis vestris auditibus pro vtilitate S. R. E. in conspectu vestro retulerint, ad congruum ac opportunum effectum peruenire, pro sacrosanctis Apostolis vestris intercessoribus apud Deum, celeriter studeatis. Data 4. Idus Februarij, Indictione decima.

CAROLVS CALVVS.

Aimonius lib 5. c. 35. hos Forum Sempron. & benè Galliæ Episcopos fuisse tradit.

Vt coniugem suum ad opem Ecclesiæ contra Sarracenos quamprimum ferendam hortetur.

XIII.

C IOANNES *Episcopus* RICHILDI *Augustæ*. MVLTO iam peracto tempore tam ad spiritualis filij nostri Augusti, quàm ad vestram inuisendam clementiam, Missos Apostolicæ sedis destinare desiderauimus: quatenus & de vtriusque sospitate lætiores efficeremur, & nobis commissæ sanctæ scilicet matris vestræ Romanæ Ecclesiæ calamitates, atque oppressiones, quas à Christianis, & ab iniquis Paganis sine cessatione patitur, ad memoriam reducentes, ab eodem Augusto consolationem, & optatam opem (sicut sperabamus) tandem aliquando consequi mereremur: sed omnium viarum aditibus à malis obsessis hominibus plus nos compulit dolor lachrymas fundere, quàm locus pateret ad vos nostros Missos dirigere: quia ex vno, sicut diximus, Christiani, ex alio pagani, ita nos crudeliter persequuntur, vt solis mœnibus vrbis relictis omnia in circuitu longè latéque consumpta habeant, & in solitudinem prorsus redacta: à quibus per tantum Imperatorem releuari iam credebamus, & recuperationem aliquam, vel medelam, adipisci summopere præstolabamur. Sed ecce pro peccatis nostris aliis negotiis implicatus, nobis hactenus distulit ferre præsidium: & quia iam sustinere non possumus, gloriam vestram multipliciter deprecamur, vt vice nostra fretæ sumatis in fœmineo sexu virile pectus: & pro amore sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quorum ita est deuastatum terminum, vt magis libeat flere, quàm dicere, tamdiu apud piissimum Imperatorem nostrum insistatis, quousque & contra Paganos opem præbeat &

CAROLVS CALVVS. Christianos compescere gaudeat. Quoniam ideò illum tanto diademate ab olim A quidem à nobis expectatum, ac præelectum decorare curauimus, vt S. R. E. recuperatio & securitas, quam adeptam dolebamus, per pium studium eius, quo semper fruebatur, rediret. Quapropter carissima filia per Deum vos adiuramus, opportunè, importunè insistite, vt antequam in ipsa Vrbe Romulea aliud periculum (quod Deus auertat) proueniat, manum suæ defensionis exhibeat, & hanc terram, quæ sui Imperij caput est, ad libertatem reducat: ne quando dicant gentes, vbi est Imperator illius? Quatenus & nobis spes euadendi viuendique remaneat, & priusquam hyems vel ver transeat, contra eosdem Paganos Romæ sint illius exercitus præparata subsidia: Alioquin omnino peribunt, aut coacti, vt solam vitam redimere valeamus, eis qui nobis dominantur, quomodocumque subiiciemur. Data 4. Idus Februar. Indictione decima.

Mittit Imperatori palmam; & malis, quibus à Sarracenis prauisque Christianis afficiebatur expositis, auxilia petit.

XIV.

IOANNES *Episcopus*, CAROLO *Imperatori*. INTER cætera quæ (vera crescente religione) ab olim ecclesiastica facta, vestræ pietati duximus intimanda,
1. Cor. 9. virentium vobis palmarum ecce brauium mittimus, quod Apostolus, non omnes, qui currunt, sed vnum propter vnitatem legitimè certantium accipere protestatur. B Quapropter fili carissime, quasi præsentes incuruatis genibus, & summisso capite deprecamur & obsecramus, vt ita legitimè celsitudo vestra in huius sæculi stadio, pro Christi Ecclesia currere, ita decertare contendat, vt non solùm brauio victrix vestra dextera adornetur, verùm etiam sacratissimum caput diademate gloriæ decoretur. Imò prouisibilibus his & corruptibilibus non tantùm palmam sed & coronam accipiat incorruptam; sed, heu, clementissime Imperator, ecce dum ad alia intenditis, mater vestra, sancta videlicet hæc Ecclesia, quæ vos spiritualiter genuit, periclitatur, & in nouissimum deuenit exitium: hinc inde non solùm tabernaculis hanc Idumęorum & Ismaëlitum, & Agarenis quotidiano gladio & captiuitate in interitum impellentibus, verùm etiam falsis filiis Sarræ, quos optimè nostis, in prædam & direptionem miserabiliter immittentibus: ita vt & illi sæpè vsque ad muros Vrbis quamuis clandestinis horis peruenerint: sed & Tiberinum fluuium, qui olim Albula dicebatur, iuxta Sabinorum confinia pertransierint: & isti, qui nobis vicini sunt, ex altera parte ita sæuiant & debacchentur, vt non hominem, non agrum, non iumentum, non pecus, non quicquam ex his, quæ S. Petri iuris existunt, dimittere patiantur: sed omnia, quæ oculo vident, manu diripiant; & mala, quæ cogitant, sine mora perficiant. Hæc sunt carissime de innumerabilibus, pauca, quæ mater vestra Romana, proh dolor! diebus vestris perfert Ecclesia: quasi non vos specialiter ex omnibus, & pro omnibus amauerit, C
3. Reg. 1. inuitauerit & extulerit: vel quasi nos non vos (auctore Deo) in Imperium coronauerimus & nobiscum in omnibus, quasi cum sapientissimo Salomone, vt quondam ille fidelis Sadoch sacerdos aduersus alterum ad omnia minimè steterimus: nec cuncta, quæ pro vobis debuerimus facere, fecerimus ad extremum quasi non hodiéque manui vestræ speciali voto, & prærogatiua plenam benedictione palmam, sicut & cernitis, destinemus, aduersus visibiles hostes, & inuisibiles triumphantem; optantes enim vos de cunctis aduersariis triumphare, nihil aptius vobis quàm ramos palmarum duximus offerendum: quos & pueri sternebant in via
Matt. 21. Domino Hierosolymam venienti, antiquum hostem triumphaturo, & mundum victuro. Sed dicuntur multæ vos impedire sollicitudines; hoc planè nec nos ignoramus, verùm vt cum Domino fateamur; & hæc oportuit facere, & illa non omittere: nam vobis qui in agone contenditis, vt ad brauium supernæ vocationis, & ad capescendam coronam incorruptam perueniatis, ab omnibus aliis abstinendum est & legitimè, vt prædiximus, decertandum. Quid autem magis legitimum, quàm vt præ omnibus, & ante omnia Romanæ curam habeatis Ecclesiæ, quæ cæterarum magistra est, & mater Ecclesiarum? quæ vestro in tempore, tantis ac tam immanibus succumbit sine cessatione periculis? Denique si hæc Ecclesia, quæ caput

A caput est, viget, cætera membra, quamuis languida recuperandi fiduciam non amittunt: quæ nimirum omni robore carent, si contingat solum caput fortè languere, quanto potius (quod auertat omnipotens) si contingat extingui? Vnde iterum, iterúmque totis singultibus, totisque imploramus præcordiis & per Christum Dei filium suppliciter adiuramus, qui vos ad tantum prouexit fastigium & imperium, vel nunc citatum extendite clementiæ brachium, & periclitanti patriæ; quin potius mundo, auxilij iam iámque porrigite dexteram. Ecce Petrus in commissis ouibus mergitur. Erigite ergo eas vos à fluctibus clementissime, sic vos ipse ab excessuum alluuionibus erigat; & vobis cælestis atria regni intercessionum suarum clauibus reseret, & vitæ æternæ pascua inuenienda inter Angelos sine termino tribuat, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, &c. Data Idibus Februarij, Indictione decima.

CAROLVS CRASSVS.

1. Cor. 2.

Monet vt bona ablata à monasterio Sanctimonialium restituenda curet: quod nisi intra sexaginta dies fecerit, & per legatum id sibi nunciauerit, vel causam cur non sint restituta, non reddiderit, eum excommunicat.

XV.

B IOANNES *Episcopus*, CAROLO * *glorioso Regi*. CVM generositatem tuam tanta claritas prosapiæ regalis extollat; miramur, & obstupescimus, quomodo hanc tam sinistrè longè, lateque discurrens rumor obnubulet, asserens & affirmans te Italiam ingressum ad monasterium accessisse ancillarum Dei apud Brixiā constitutum; indeque cùm illic ipse morateris, tyrannicè aurum ablatum, tam ipsius venerabilis monasterij, quàm dilectæ filiæ nostræ Angelbertæ Dei cultricis, quod sibi ad ipsius præcipuè cœnobij sustentationem proculdubio reseruauerat; vnde mœrore vehementer afficimur, dolentes gloriam tuam ad tam immane sacrilegij genus dilapsam & instar cuiusdam gentilis Regis vasa domus Dei ad vsus proprios inflexisse conatam. Atque ideò dilectionem tuam in Christi visceribus esse cupientes, monemus, & sacris conuenimus eloquiis, cum Psalmista fatentes: *Nolite sperare in iniquitate, & in rapinis nolite concupiscere*. Si qua ergo à prædicto pio loco, siue gloria tua sciente, siue nesciente ablata sunt, industria tua diligentissimè requirantur, & inuenta in eo sine mora sub omni integritate restituantur: ne (quod absit) si aliter egeris, & Deum contra te ad iracundiam prouoces, & decus tuæ regiæ nobilitatis offusces, atque nos ad hæc seueriùs secundùm ministerium nostrum punienda commoueas. Denique nisi post lectam hanc nostri Apostolatus Epistolam, intra sexaginta dierum spatium, thesaurum illum sine aliqua diminutione reddere proposueris; ita vt Missus tuus Romam in præsentiam
C nostram veniens, siue reddideris, quidve hic agendum delegeris, veram & idoneam exposuerit rationem, eousque sis extunc excommunicatus, quousque ab omni te rapinæ communione reddideris alienum: durioribus deinceps te sciens verberibus erudiendum, si his interim leuibus tactus resipiscere fortè contempseris. Amamus enim te amore paterno, & ab hac secunda idolorum seruitute volumus scire liberum & immunem. Etenim auaritia, secundùm Apostolum, est seruitus idolorum. Optamus, &c. Data sexta Kalend. Aprilis, Indict. 10.

* Hic Carolus Crassus nominatus est, postmodum Imperator creatus fuit filius Ludouici Germaniæ Regis, Pij nepos, Caroli magni pronepos, ad quē nonnulla infrà scribuntur Epistolæ. De quo Ado Viennensis in fi. Chronic. Regino lib. 2. Chron. Aimon. lib. 5. cap. 40. & alij.

Dan. 1.

Psalm. 61.

Galat. 5.

Consolatur eam ob mortem mariti, atque monet vt CAROLO Imperatori fidem seruet, seque eius intercessorem apud eundem Augustum futurum pollicetur.

XVI.

IOANNES *Episcopus dilectæ filiæ* ENGILBERGÆ *Christo dicatæ*. EGO nos, filia carissima, nec alio circa dilectionem vestram flagrare affectu noueris, quo fuimus, quo etiam olim persistere proposuimus: nescit enim dilectio vicissitudinum obumbrationem, nec defectum patitur, cùm secundùm Apostolum nunquam excidat. Huius rei gratia cōsolatoriis his & exhortatoriis prudentiā vestram litteris

Engilberga uxor fuit Ludouici secundi Imper. ad quam aliquot infrà scribuntur epist.

CAROLVS. CRASSVS *eiusdem meminit Aimonius l. 5. cap. 28.* commonemus, ne deficiatis in tribulationibus; scientes, docente Apostolo, quia A
tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò
spem: spes autem non confundit, omnia enim quæ videntur æterna. In his ergo
configi, in his debes totis radicibus inhærere carissima: vnde sapientia vestra san-
1. Cor. 13. ctos, qui patientiæ in mundo claritate quasi luminaria refulserunt, præ oculis ha-
Rom. 5. beat, & ita in offensis ad palmam supernæ vocationis gressibus tendat, quam videli-
2. Cor. 4. cet habituri sunt illi, qui oraculo Dominico imbuti, in patientia sua ponunt ani-
Luc. 21. mas suas. Nihil enim inimica mors, vel manus abstulit, quod vita, quæ Christus est, & ipsius prouida dextera in melius non transtulit, atque restituit. Abstulit mortalem illa maritum, sed ista se ipsam æternum contulit sponsum: vnde quæ terreni vocabimini vxor, patris cælestis iam regis multo præstantiùs dicemini coniux. Ademptum est corruptibile diadema, sed præparatur incorrupta corona. Remota sunt decoramenta, quæ veterascunt: sed reposita sunt nobis ornamenta, quæ non marcescunt, & quid plura? pro ærumnoso & phantastico regno, percipietis felix, & verum imperium: & reuera hæc est immutatio dexteræ ex-
Psalm. 76. celsi! Verùm cùm sapienti vobis & quæ nostis de paucis plura pensare pauca sufficiant; his ita prælibatis, dilectionem vestram meritò commonemus, vt spirituali filio nostro Carolo piissimo Imperatori, puræ fidei ac sinceræ deuotionis exhibens semper integritatem, omnes ad eius mansuetudinem attrahat, & salubribus monitis inuiolabilem ei fidem seruare demonstret. *Non enim est potestas*, vt Apostolus ait, *nisi à Deo: & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Nos autem, quia il- B
Rom. 13. lum diuinitus (vt credimus) acti semel elegimus, perpetuo tanquam filium carissimum omni conatu diligimus, ita vt ipsius amicos, inimicos nostros, amicos & inimicos existere teneamus: si qua verò sint vobis ab eius clementia impetranda, per vos credimus, cùm vobis libuerit indifficulter obtinere valebitis. Quod & vos libentissimè pro memoria priscæ benignitatis vestræ geremus, & idem pius Augustus pro Dei, sanctorúmque Apostolorum, sed & nostri dilectione, animo gratanti concedet. Optamus dilectionem vestram benè in Christo valere dilectissima filia. Data 6. Kalend. Aprilis, Indictione decima.

Nunciat se ADELARDVM *Episcopum Veronensem excommunicasse, quòd Nonantulanum monasterium inuasisset.*

XVII.

IOANNES *Episcop. ad Imperatorem.* SACRIS vestræ Imperialis clementiæ auribus gloriosissime Imperator Auguste, Adelardi Veronensis episcopi inobedientiam, & temerariam præsumptionem, quam non solùm in nostro contemptu, C
sed etiam in vestræ celsitudinis peregit iniuriam præsentibus referre apicibus iure curauimus; & meritò; nam superna vos Maiestas sanctæ suæ Ecclesiæ nobis commissæ patronum, inuictum defensorem, potentem, & strenuum adiutorem concessit, vt in omnibus ecclesiasticis vtilitatibus, vnde perpetuam habere gloriam mereamini, quasi vindicem Dei habeamus ministrum. Igitur cùm eundem Adelardum Episcopum venerabile Monasterium Nonantulæ situm, quod pro Dei, tantique loci reuerentia, nullus vnquam Episcoporum, vel iudicum in benefi-
Deest aliquid. cium quæsiuit, timorem diuinum paruipendendo, contra sacras prædecessorum nostrorum, nostrique priuilegij institutiones, quibus de propria semper congregatione Abbatem fieri iubetur, callidè petiisse, ac per hoc illicita præsumpsisse, omnimodis reperissemus; auctoritate Apostolica eum excommunicare studuimus, vt ea quæ ipse tenere canonicis eum correptionibus, prout nobis auctoritas Apostolica suffragatur, proculdubio arguemus, vt digno verbere castigatus, & canonico nexu ligatus obedientiam discat seruare, qui absolutus Ecclesiasticis, atque canonicis noluit obedire præceptis. Data 15. Kalend. Maij, Indict. 10.

A *Imperatoris auxilium contra Sarracenos implorat, qui deuastata Campania, omnia Romæ suburbana deprædabantur.*

XVIII.

IOANNES *Episcopus ad Imperatorem.* DIVINA ideò Maiestas excellentiam vestram præ cæteris elegit Romani Imperij altitudine sublimare, Augustalique voluit diademate coronare, vt Deo nostro clementer auxiliante, potentiæ vestræ brachio triumphali, Ecclesiam Christi voce supra petram veræ fidei fundatam, tueri semper, & ab immani, crudelique Paganorum infestatione, qui nos iam more latronum, vndique circundantes, omnia nostra igne, gladióque deuastant, pio mentis defenderetis intuitu. Sed quia vobis procul existentibus, tot dura & importabilia, pro quibus iam vestram Augustalem implorauimus Maiestatem, supra modum quotidiè patimur: quippe cùm tota iam depopulata Campania, nil habeamus, nilque nobis aut venerabilibus monasteriis cæterisque piis locis, neque Senatui Romano, vnde corporaliter sustentari possimus, remanserit; omnibus etiam Romæ suburbanis adeò deprædatis, vt nullus in ipsis iam habitator, vel cuiuslibet ætatis incola videatur consistere. Pro quibus sanè malis innumeris ingenti B mœrore afflicti, doloréque turbati nec somnum oculis, nec cibum ore capere possumus: sed pro requie laborem assiduum, & pro corporali dapium dulcedine, mentis amaritudinem patimur. Idcircò vestram Imperialem Maiestatem totius sapientiæ luce splendidè irradiatam, sancta Romana Ecclesia, quæ religioso vos vtero genuit, meo quidem sermone, sed suo venerabili suppliciter nimis precatur affectu, vt omni dilatione remota, omnique eius assumpta, nunc ad suam defensionem, & totius patriæ liberationem adiutor clemens, defensor potens, & saluator inuictus venire dignemini: quia nisi vestra desideratissima nobis affuerit præsentia, nullum defensionis auxilium, nullúmque necessariæ salutis remedium poterimus habere. Nos enim cum omni sedis Apostolicæ ordine sacro, cum religiosis, & Deum timentibus viris, pro vestræ gloriæ prosperitate, continuáque mentis & corporis salute omnipotentem Dominum, cuius est salus omnis & vita, totis deprecabimur nisibus, vt nec temporis feruor, nec loci natura insolita, nec molestia quælibet vestro insigni corpori nocitura contingat: quamobrem nihil horum, quæ sine Dei proculdubio non eueniunt nutu, dubitantes, quin potiùs in Domini miseratione totis viribus confidentes, non solùm corpoream incolumitatem, verùm etiam & perpetuam animæ vestræ merebimini adipisci salutem & gloriam. Dignetur igitur piissima serenitas vestra, clementissime Imperator Auguste, pro tantæ sedis liberatione, tantorúmque hominum Christi cruore redemptorum saluatione nostras & Ecclesiæ nostræ preces audire, singultus prospicere, & tanti gemitus lacrymas C incessanter effusas attendere: quatenus more solito, & solitæ pietatis viscere nobis compatientes opem consolationis citissimè petentibus tribuentes, prout opportunum est, nos adiuuare satagatis; quia post Deum vnica spes salutis, & liberationis nostræ fiducia vos proculdubio estis. Ideò per vosmetipsos properãtes congruum, opportunum nobis præbere auxilium non differatis; vt & Dominus, qui elegit vos caput orbis, & Dominum fecit, auxilium suum vobis de sancto mittere semper dignetur, amantissime fili. Data 8. Kalend. Iunij, Indictione decima.

Imperator Ecclesiam ab hostibus tueri debet.

Dolet de CAROLI *Imperatoris obitu, hortatur vt promissa pro Romanæ Ecclesiæ dignitate impleat. Legatos se missurum pollicetur, eius precibus* THEOTMARO *Archiepiscopo pallium mittit: quem Apostolicæ sedis redditus, quos apud Baioariam habet, Romam annuatim transmittere iubet.*

XIX.

CAROLOMANNO. Apicibus igitur, gloriose fili, vestræ dilectionis susceptis cum parte gratulationis, vestra incolumitate prosperitatisque successu, Caroli Imperatoris morte audita, nimio tristitiæ fateor mœrore, ex latere sumus attriti, sed subito vndam mentis nostræ cogitatione ad diuinum iudicium aliquatenus sustollentes, in illud Apostoli obstupefacti cogimur voce erum-

Carolomannus fuit Ludouici Germaniæ Regis filius, ac Ludouici Pij

CAROLOMANNVS. Imp. nepos ad quem aliquot infrà scribuntur Epistolæ, & de quo Ado in fi. Chron. Aimon. lib. 5. c. 28. Regino lib. 2. Chron. Rom. 11.

1. Reg. 2.

pere, dicentes: O profundum diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm A inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! quis eum cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? quod idcircò dicimus, quatenus sedula cordis meditatio humanæ fragilitatis, in hoc mari magno cursum vitæ instabilis intueri non desinat, atque ad ea gaudia quæ sunt fixa & immobilia nostra actio, gratia Christi duce, anhelare contenta bonis operibus nunquam desistat. De causa sanè vestri ad nos aduentus, vestráque sublimissima promissione, Romanæ Ecclesiæ supra omnes qui fuerunt ante vos, eiusdem exaltatione, cum hoc opere compleueretis, aderit ille vestri retributor, qui per controuersiam iuramenti confirmans modulos humanæ locutionis, ait, *Viuo ego* (dicit Dominus) *quia glorificantes me, glorificabo*. Dum à colloquio, vt dicitis, fratrum vestrorum fueritis reuersi, legatos ex latere nostro ad vos solemniter dirigemus, cúmque pagina capitulariter continente ea, quæ vos matri vestræ Romanæ Ecclesiæ, vestróque protectori B. Petro Apostolo perpetualiter debetis concedere. Quibus peractis demum rursus ordinabiliter & honorificè mittemus, qui vos cum tota decentia, vt pote tantum Regem ad limina Apostolorum ductare studeant, vnáque conuenientes de statu reipublicæ, totiúsque Christiani populi saluatione salubriter tractare, Deo opitulante, ac ordinare valeamus, inter quæ quæso, fili carissime, quotquot infideles nostros, nostræque vitæ insidiantes, quoquomodo, vel significatione poteritis cognoscere; nullum apud vos, vestrósque fideles valeant aliquatenus locum, vel aditum inuenire, ne immunda eorum præsentia aliqua consortij macula B regium culmen contagiet. Pallium verò, vestra petitione inclinati, Theomaro Archiepiscopo consuetudinaliter dirigentes; optamus vt hoc decore interiùs fulgeat in oculis interni iudicis, quo nitet exteriùs humanis obtutibus, cuique quæso committite ea, quæ apud Bagoariam Beatus Petrus Apostolus habet, vti nobis annualiter redditus eius Romam transmissa. Data mense Nouemb. Indict. 11.

Scribit se in Galliam velle proficisci, ideò sub excommunicationis pœna præcipit, ne se absente Romanæ Ecclesiæ territorio, vel Romæ aliquod damnum inferat.

XX.

NOBILI *viro* LAMBERTO *glorioso Comiti*. SAGACITATI, ac prudentiæ vestræ notum esse volumus, quia non solùm pro assiduis Paganorum infestationibus, quas ecce iam biennium nemine defensionis nobis præbente solatium, patimur; sed etiam pro innumeris, & supra modum grauibus oppressionibus, quæ nobis vnà cum Dominico grege diuinitus commisso in pace, quam Christus Deus noster se diligentes habere iubet, consistentibus, ab aduersariis illatæ sunt, & quotidie inferuntur, in gremio sedis Apostolicæ, quæ caput est orbis, & omnium mater fidelium, quietè ac securiter manere nobis minimè licet. Ideò Franciam per iter marinum proficisci, gloriosúmque Carolomannum Regem adire, atque optatam illius contemplari præsentiam cupimus, pro salute scilicet, ac C defensione terræ S. Petri, & totius Christianitatis suppliciter deprecãtes, quatenus Dei omnipotentis solatio, & regia virtute nobis (prout opportunum est) solati antè, possimus salubri prosperóque successu regere, atq; tueri territorium, & populum Domini precioso cruore redemptum; ne pro aliquo eorum per nostram desidiam, vel incuriam pereunte, districtam Domino cogamur reddere rationem. Ideò monemus, & his nostri Apostolatus litteris dilectionem vestram pio intuitu exhortamur, vt nobis abeuntibus Franciam pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ, & Reipublicæ stabilitate, nullam contrarietatem, vel inimicitiam exerceatis in toto territorio Principis Apostolorum, neque Vrbis Romæ, quæ est Ciuitas sacerdotalis, & regia per sacram B. Petri sedem aliquas aduersitates, vel insidias præparetis, neque faciatis, faceréque volentibus nullo modo consentiatis. Quia si per vos, aut per nobis subiectos homines eadem Vrbs Roma perturbationem aliquam, vel dehonestationem habuerit, vel aduersa quælibet sustinuerit, pro certo scitote, quia canonicis vos correptionibus cum victrici sancti Spiritus auctoritate omnimodis redarguemus, & ab Apostolicæ sedis communione meritò separabimus. Data mense Nouembr. Indictione vndecima.

A

Monet vt quantocyus ad Synodum in Gallia cum suffraganeis accedat. Queritur de perfidia LAMBERTI *Spoletani Comitis.*

XXI.

ANSPERTO *venerabili Archiepiscopo Mediolanensi.* PRO innumeris igitur & multiplicibus oppressionum angustiis totius sanctæ Ecclesiæ in orbe terrarum diffusæ Synodum vniuersalem, Christo opitulante, in Francia (quia in Italia, persecutione malorum crassante [* Petrum presbyterum cardinis nostri, quem ad Carolomannum Regem dirigimus, fraternitati vestræ plurimum commendamus] minimè potuimus) sumus celebraturi, ad quam, fraternitatem vestram quantocyus omni mora postposita occurrere admonemus, cum cunctis coepiscopis, ac suffraganeis vestris, exceptis his, quos sacri canones pro incommodis causis stare patiuntur. Quoniam in ea, Christo cooperante, omnium Ecclesiarum speramus erigi statum, atque vigorem. Hoc iterum iterúmque monemus, hortamur, expresséque mandamus, vt nulla vobis mora, nullúmque tempus præpediat, donec nobis vestrum aduentum in præsentia præbeatis; * id est Lamberti perfidi Spoletani Ducis Vvidonis filij, eiúsque complicis Adelberti Marchionis, velut meliùs patriæ proditoris, qui clandestina fraude pacificè venire se simulans, in dolo ad portam Vrbis custodes deputans, sacrámque ciuitatem tyrannus inuasit, nósque cum fidelibus nostris intra Ecclesiam B. Petri Apostolorum principis inauditò atque horrendè, coarctare inter cætera mala *. Dat. 4. Kal. Martis, Indict. 11.

Hæc verba non cohærent sequentibus.

B

** Vt causam communis hostis vnà mecum iudicetis.*

Hæc vel alia huiusmodi verba hic deesse videntur. De Lamberto & Adelberto, Anon. lib. 5. cap. 37.

** Videtur hic deesse conatus est.*

Vt in Romana Ecclesiæ fide perseueret: præsentium latorem commendat.

XXII.

DILECTISSIMÆ *filiæ* ANGELBERGÆ *Imperatrici Augustæ.* REMINISCENTES omnium bonorum vestrorum, quotidie Deo nostro gratiarum actiones referimus, qui vestrum animum tanta sollicitudine circa deuotionem ab exordio sanctæ Romanæ Ecclesiæ spirituali flammæ adustione percussit. Sed nunc filia mea carissima & in Christo deuota, quæso vires sollicita ingenij acutissimi, & in hoc inopportuno tempore solita bonitate concurre: quatenus cœptum bonum vsque ad consummationem operis perductum æterni retributoris præmia recipere valeatis. Latorem quoque præsentium Petrum cardinis nostri presbyterum, quæso in omnibus habeas commendatum, vestróque consilio prudentissimo iter illius solita pietate disponite: quatenus Deo duce, ad nos possit redire incolumis. Data vt suprà.

C

Rogat vt Imperatori nunciet quæ à LAMBERTO *Romæ perpetrata sint, détque operam, vt eum compescat.*

XXIII.

DILECTO *filio* BERINGARIO *glorioso Comiti Regia prosapia orto.* LECTIS nobilitatis vestræ litteris, quia sinceritatem, ac deuotionem more scilicet parentum vestrorum circa nos pro amore Iesu Christi Domini, & B. Petri Apostolorum principis reuerentia, vos habere ingentem reperimus; multa vestræ mellifluæ locutionis dulcedine sumus omnino repleti, ita vt cum Psalmista dicere possimus: *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua.* Huius namq; bonitatis decus eximium, ex moribus piæ memoriæ nobilissimi quondam genitoris vestri vos trahere indubitanter cognoscimus, qui dignum semper honorẽ, & piam reuerentiam antecessoribus nostris, sacris videlicet pontificibus exhibere, tota mentis alacritate studebat: & ideò pulchræ iuuentutis vestræ florem de radice iusta prodeuntẽ Dominus exercituum pietatis suæ gratia custodiet incolumem, faciétq; prosperè vigere in omnibus, & ad prosperum vsq; finem perducet. Quapropter, fili carissime, sæpè voluimus vestræ scribere dilectioni, non solùm nostrã vobis salutem innotescendo, sed & de vestra

Psalm. 118.

CAROLOMANNVS. prosperitate, atq; incolumitate audire cupiendo: sed nō solùm Paganorum crebris A vbiq; incursionibus, verùm etiam Christianorum insidiis circumdati nequiuimus. At nunc, quoniam Deo disponente, tempus euenit opportunum, excellentiæ vestrę, quę & qualia sumus nos cùm tota Ecclesia & ciuitate Romana perpessi à Lamberto Comite, veluti filio charissimo, & fideli amico referimus. Cùm itaque prædicto Lamberto multa quotidie bona fecissemus, dignúmque impendissemus honorem supra quàm antecessores nostri parentibus illius fecissent; ipse pro bonis mala retribuens, collecta populi multitudine omne territorium S. Petri inuasit, & quod defendere debet ab hostibus, tyrannicè dominatur inuasum: venitque Romam & quasi inimicus portam ciuitatis Romanæ violenter capiens, satellites suos per dies plurimos retinere fecit, ac sic tantam ciuitatem inuasam retinuit: ita sanè vt nobis apud B. Petrum consistentibus, nullam Vrbis Romæ potestatem à piis Imperatoribus B. Petro principi, Apostolorum, eiúsque Vicariis traditam habeamus. Sacras autem litanias Episcopos, & Sacerdotes, atque seruos Dei ex more celebrantes, & ad Ecclesiam S. Petri venire volentes, fustibus cædere, ac dispergere fecit, intulitque nobis contraria, quanta nulli præcessorum nostrorum vnquam facta fuerunt, existitque paratus nobis iterum maiora inferre, cuius rei causa, nescimus. Quamobrem quia nostrum ministerium est, pro totius Christianitatis salute Dominum assiduè deprecari, vt oues, quas Christus Deus noster nobis in B. Petro commendauit, iugibus votis, & precibus ad æternæ vitæ pascua B perducere valeamus; voluissemus debitam habere quietem: sed illo prauis cogitationibus, & actibus se non trahente, quin potiùs nos cum inimicis, & infidelibus nostris quos bis iam, & ter excommunicatos, & anathematizatos habemus, iuncto, rursum turbare volente: rogamus nobilitatem vestram, vt pro amore Dei & sancti Petri, ac nostro, hæc omnia, & Carolomanno glorioso Regi & spirituali filio nostro cognita faciatis: quatenus missis apicibus suis eum à tali præsumptione compescat, & quod tempore parentum illius sedes Apostolica non sustinuit, eius non patiatur diebus: & vestris similiter litteris eumdem admonete, corripitéque Lambertum, vt nullam de cætero contrarietatem nobis ingerere præsumat, eò quòd nec Deo, nec alicui Deum timenti, eius temeritatis placeat effectus. Si verò idem Lambertus nos persequi non omiserit, nos iam dicto Regi fideles amici esse quomodo possumus? quia eius se voluntate iactat talia agere: & ideò nos adiuuare (sicut suprà dictum est) procurate: nam nos ea, quæ vestræ fuerint placita voluntati, libentissimè perficere studebimus, eò quòd vos loco amantissimi filij quamdiu vixerimus, retinere, nostræque Ecclesiæ causas necessarias per vos perficere optamus. Præterea homines vestros, qui orationis causa pro suis delictis Dominum misericordem precaturi venere ad limina S. Petri, pro vestro ingenti amore benignè recepimus, nostrisque Apostolicis benedictionibus confirmauimus, ac per eos nostræ incolumitatis salutem, sicut petistis, cognitam fieri decreuimus; & petimus, vt citò nos vestris litteris lætificari non prætermittatis. Deus C omnipotens gloriam vestram longa per tempora illibatam custodiat carissime fili.

Vrbs Roma in potestate Romani Pontificis.

Dolet ANGELBERGAM *molestiis affici: & queritur de iniuriis quas* LAMBERTVS *Ecclesiæ Romanæ inflixit. Rogat vt conseruet beneuolentiam, quam erga ipsam habere solebat.*

XXIV.

DILECTÆ *ac spirituali filiæ* ANGELBERGÆ *Eximperatrici Deo dicatæ.* QVIA multum deuotione, & mentis alacritate, Dominum, & seniorem diuæ memoriæ Ludouicum quondam Christianissimum Imperatorem, spiritalem filium nostrum dileximus; nullatenus prætermittimus eius memoriam in sacris orationibus nostris apud Dominum quotidie facere; & quamdiu vixerimus, facturos esse scitote, vestrique memores dilectissima filia similiter sumus. Nam Deo teste vestram prosperitatem & salutem semper cupimus vigere incolumem & audire: & super tot ac tantis aduersitatibus, quas à filiis huius sæculi vos sustinuisse cognoscimus, ingenti vobis dolore compatimur & condolemus; quoniam quidem pa-

Orationes pro defunctis.

A terno vos diligentes affectu, mœrorem vestrum, nostrum putamus, & tranquillitatem vitæ vestræ, nostram esse gaudemus: quia & vos pro talibus nefandis, & inauditis malis, quæ nulla veterum scriptura decantat, nulla historia narrat B. Petri Apostolorum principis Vicarium à quolibet Imperatore vel Rege vnquam sustinuisse: nos his diebus à Lamberto Spoletano Comite pati audientes, simili esse mœrore afflictam incunctanter agnoscimus; vnde vestram hortamur dilectionem, vt circa nos pium mentis affectum conseruantes, ea quæ vtilitati nostræ congrua vel necessaria esse perspicitis, pro viribus agere non prætermittatis. Quia & nos, Deo propitio, secundùm datam nobis diuinitus potestatem vobis auxilium, & optatam in omnibus consolationem conferre auidè cupimus, & sub B. Petri Apostoli vos, si opus fuerit, tuitione protegere, & illæsam, ceu filiam carissimam conseruare studebimus; si ad ipsius Apostolorum principis limina vobis venire contigerit. Interim confortare in Domino, qui consolatur vos in omnibus, nec patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet cum tentatione prouentum vt possitis sustinere. De cætero autem ea quæ mandastis multis impedimentis occupati, quæ præfatus Comes cum multiplicibus insidiis nobis præparat, cupitque inferre quotidie, perficere nequiuimus: at Deo tranquillitatem, vitámque præbente, cuncta, quæ vestræ voluntati vtilia sunt, lubenti animo perficiemus, quibus vester honor, & gloriæ vigor incunctanter appareat integer: dexteraB Domini vos in omnibus illæsam conseruare dignetur. Datum vt suprà.

LVDOVICVS BALBVS.

1. Cor. 10.

Condolet LVDOVICO *de morte* CAROLI *Imperatoris eius patris: hortatur, vt pacem cum Christianis habeat, & Ecclesiæ inimicos exterminet, & præcipuè* LAMBERTVM *Spoletanum Comitem, in quem multis inuehitur, exponens mala, quæ in Vrbe Roma comiserat: in Galliam se profecturum significat, ibique Synodum celebraturum: auxilium denique implorat.*

XXV.

LVDOVICO *glorioso Regi filio diuæ memoriæ* CAROLI *II. Imperatoris Augusti.* QVANTO denique amore dilectionis pro tantorum bonorum virtutibus, & pro omnipotentis Dei quotidianis genitorem vestrum dilexerimus cultibus; horum Christo conscientiæ vestræ teste, absque lachrymarum effusione factorum reminisci nullatenus possumus; & quamquam gaudendum sit, quoniam eundem post felicis cursum operis, inter Angelorum cœtum Paradisi susceperint præmia vitæ perennis; flendum nihilominus conuenit, quod tantum adiutorem Ecclesiarum Domini diffusarum in orbe præsentia corporali, heu proh dolor! amiserimus. C Præsertim cùm hoc in tempore, S. R. E. mater omnium quæ meæ mediocritati commissa est Iesu æterni dispositione consilij, in quo, vt cum Apostolo, pace quorumcumque dixerim, fines sæculorum deuenerunt, in tot persecutionibus, atque aduersitatibus diu lacessita, domesticorum debacchatione fatigetur; vt cogar cum Propheta erumpens exclamare; *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me:* & rursus: *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Sed vos, fili carissime, hortor, ac moneo, paterno amoris affectu, eius imitari in Ecclesiarum exaltatione vestigia vitæ spiritalis, cuius floris decore natus regia dignitate existis. Primùm vt pacis vnitatem vinculúmque caritatis cum fratribus vestris (nimirum Hludouici Regis Baioariorum) filiis, cúmque fidelibus Christianis tenens, demum contra insanientis rabiem, atque tyrannos paterno prouocatus exemplo, virtute roboris Christi auctoritate in defensionem matris vestræ (qua & potum prædicationis in proauis & infulam Imperij accepistis) medullitus viriliterque effundere valeatis. Quia (quod dici sine lachrymarum imbre nullo modo potest) prodiit in hoc tempore apud nos ex massa peccati radix, ac fomes nequissimæ perditionis Lambertus Vvidonis quondam Spoletani ducis horrendus filius, fatemur membrum Antichristi * cui aduersatur, & extollitur derogando aduersus ortum regalis progeniei, & se turpis lucri cupidum clandestina machinatione, rapacitatis ardore, nunc huc, atque illuc tergiuersando cum mœcha sorore Rotilde, cumque complice suo infido Adelberto Marchione imò patriæ prædone, ad fas-

Hic Ludouicus Balbus dictus fuit Francorum Rex de quo Aimon. lib. 5. c. 36. Reg. c. 2. & alij.

1. Cor. 10.

Psalm. 68.

Psalm. 119.

* Cui *de eo vocabulo dubium est.*

LVDOVICVS BALBVS. cem, vt vera fama volitat, impudenter, quod Deus auertat, sustollere Romani A Imperij, & nunc vtpote abominatio desolationis, atque perditionis filius, caput scorpij, & aspidis surdæ destruit, dilapidans, pérque nequam suos disperdit prædones, omnem terminum S. Petri & Pauli protectorum vestrorum, vbi & pro qua re omnes penè nostri fideles in paupertatem ac necessitatem redacti videntur, sacramentisque, vt sibi conspicerent & ne ad nostram occurrant iussionem, omnis territorij sanctorum Apostolorum homines constringere non omisit. Nunc etiam Tarentum legatione directa Paganis, donáque transmittens, atque ab eis accipiens, suppliciter deprecatus est, vt sibi cùm significatum fuisset, Phalangæ Agarenæ, ad perniciem Christiani populi quantocyus deferant auxilia. Qualiter denique fraude nequitiæ, & per periurium in sinu Ecclesiæ nostræ nos deceperit, vrbémque sacram inuaserit, hîc ea ideò prætereundo silemus, quia in alio opusculo ad omnium Christianorum notitiam, quos idcirco anathematis vinculis innodauimus, nonnulla conscripta tenemus: pro qua re, Domine fili charissime, contra noua, & inaudita in Christianis mala, nouum iam fessus, & fatigatus, certaminis laborem, naualis scilicet periculum, fluctúsq; maris assumere iter de transmetandis periculis ad vos veniendo, pro Ecclesiarum sanctarum omnium liberatione, iuxta Apostolum, non faciens animam meam preciosiorem quàm me: & ecce, quantum ad mei ministerij regimen spectat, non recuso pro Christi Domini ouium B ope eius, liberatione, mori detrimentúmque sufferre. Vos quæso obnixè, vos fili charissime, lachrymas meas, arduúmque laborem aspicite: & ad defensionem sanctæ matris vestrûm animarum, fideliúmque vestrorum adhortatione continua præparate, & mecum vnanimiter lupis rapacibus, baculos redargutionis studete tenere: quatenus duce Vnigeniti gratia, post longa temporum spatia, cooperatores effecti nostri certaminis, de purpura terreni Imperij ad coronam venire valeatis perpetuam: & epistolas reliquas, quas confratribus vestris Carolomanno videlicet & Ludouico, atque Carolo iuniori dirigimus pro talium adhortatione, precamur gloriæ vestræ decentiam easdem illis sine mora destinare dignemini, omnibúsque reuerendis Archiepiscopis, & clero totius ordinis regni vestri, paterna peto adhortatione significari præcipite: quoniam Domino miserante, apud nos Synodum celebraturi simus cunctis populis Christianis pernecessariam; quæcumque nosse nos cupimus, sanè deinceps sumus acturi de negotiis Ecclesiasticis: te quoque carissime fili, auctoritati S. Spiritus Dei nostri, ad vicem genitoris vestri Domini Caroli perpetui Imperatoris Augusti à secretis constituo meum consiliarium, qui vt dici assolet, pars animæ meæ fuit. Et quæque agenda sunt coge, adunáque consilium: quia in fonte tui cordis primùm intingendus calamus, deinde manus nostra formabit caracteris apices. C

Pontifex Ludouicum regem suum consiliarium facit.

Hortatur ad seruandam pacem cum patruelibus: inuehitur in LAMBERTVM *Spoletanum ducem: rogat Episcopis significet, vt ad Synodum accedant.*

XXVI.

Prou. 10. HLVDOVICI *Baiouariorum Regis filio.* SCRIPTVM enim verò in Salomone legimus: *filius sapiens lætificat patrem, & est gaudium matris, quæ genuit eum:* quapropter quoniam te, Ludouico filio Caroli, Ludouico filio Ludouici Regis, æternitatis præscientiæ suæ consilio omnipotens Deus ex Regum, Imperatorúmque est dignatus producere prosapia, & tunc illum plenè lætificare contenditis, si vestræ matri, eiúsque immaculatæ sponsæ aduersus insidiantium ictus atque illius laceratores tota virtute concurritis, omni quoque nixu more parentum, proauorúmque vestrorum auxilij consolationem conferre, spreta personarum acceptione quorumlibet quantocyus festinatis, sancti Spiritus per Salomonem verbis testantibus; *frater & amicus in angustiis comprobatur:* & benè nobis filiatio adoptio-
Prou. 17. nis vestræ spiritualis fauere valebit; si pacis & vnanimitatis cum fratribus vestris, Christo opifice, concorditer tenere consultè satagitis vinculum: quia in vestra pace fatemur, totius Christiani populi salus consistit, qua demum necessitate, quáve fatigati angustia, relicta sede propria Apostolici culminis, compulsi sumus Franciam petere, vósque paterno affectu deposcere, quatenus vnà nobiscum po-

A siti de communi saluatione S. R. E. & reipublicæ statu tractaremus, in paucissimis nunc patefacimus: quia in alio opusculo, qualiter nefariè sit peractum, ad omnium Christianorum notitiam reseruatur conscriptum; quod luce clariùs aduertitis. Lambertus Spoletanus perfidus Dux Vvidonis quondam stirps, perditionis filius in quantam superbiam pro cupiditate, vt fama vera se habet, Romani Imperij eruperit, in nostris tribulationibus atque angustiis proculdubio cognoscetis ad liquidum. Romam si quidem clandestina fraude deuotum venire se simulans, à nobis velut filius pacis benignè susceptus, quid virulenti consilij corde gestiens in crastinum sequentis diei diluculum demonstrauit: nam deputatis custodibus, verùm etiam satellitibus ad portam Vrbis, quæ ad B. Petri Apostolorum principis euntibus pandit iter, nullum nostrorum fidelium ad vos egredi patiens, cibos deferentes coërcens, asserit Carolomannum Regem sibi talia horrenda facere præcepisse. Quod idcircò non possumus credere; quoniam ex vestra progenie nullus ceruicem superbè contra hanc extulit sedem: sed propter Deum suppliciter colla subsit. Nos fili carissime pro Domini Ecclesia, & eius ouibus animam ponere cupientes, ecce marinos fluctus, vndásque salis ad vos veniendo perdifficile iter assumpsimus, vobiscúmque simul positi Domino miserante, vniuersalem Synodum celebrare disponimus totius sanctæ Ecclesiæ, vobis obsecundantibus prouectum, & exaltationem loco per congruo satagemus peragere. Quod quæso regni vestri omnibus Archiepiscopis, Coepiscopisque nostris innotescere dignemini, eosdémque nobis adesse, continua maturitate accelerare monete. Data vt suprà. CAROLOMANNVS.

B

Eiusdem penè argumenti.

XXVII.

DILECTO *filio* CAROLOMANNO *glorioso Regi.* QVANTA deniq; exaltatione sponsionis vestræ sanctam Romanam Ecclesiam, videlicet matrem, omniúmque Christianorum, quæ vos & lacte suæ prædicationis ab vberibus, & ad imperialia à proauis sceptra sanguine Regum excellenter produxit, subleuare curetis, & epistolari textu, & internunciis nuper ad vos directis reminiscimur pleniter, fontémque vbertim cordis vestri solita pietate parentum vestrorum circa omnipotentis Dei famulatum miseratione abundanter reperimus: vestrum quoque ad prædictam matrem vestram, vti gloria culminis vestri spoponderit, tanto auidiùs, enixiúsque, quotidiana præstolatione aduentum expectauimus, quanto pro augmento mercedis vestræ nos, nostrámque Ecclesiam in tot aduersitatibus laborantem, super omnes Imperatores atque Reges, qui ante vos fuerunt, exaltare ac beatificare omnimodò promisistis. Sed heu proh dolor! fesso mihi paganorum persecutione, ac gladio, atque exactionis census viginti quinque millium in argento mancusorum annualiter, imò prædictæ vestræ matri additus ciuilis mucro angustiæ est, qui penè nos funditus peremisset, nisi subita miseratione illius solaremur auxilio, qui fidelibus polliciens inquit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi:* Exierunt quidam ex nobis, sed non fuerunt ex nobis, confitemur, neque ex nobis, qui tanta Romanam Ecclesiam dehonestatione, Vrbémque sacram, nos quoque fatigauerunt, atque oppresserunt, vt simile nec in Christianis Regibus factum reminisci nullo modo possit. Lambertum fateor, atque Adelbertum electos Marchiones, qui hostili manu, occultáque fraude qualiter nos affecere, culminis vestri gloriam latere nulla potuit ratione: quod ad omnium vestrûm notitiam in suo scriptum tenetur opusculo. Nobis enim verò ad vos inter cætera mala interclausere venire cupientibus, qua necessitate compulsi, nauale, animam præ manibus habentes, assumpsimus laboriosè periculum, & commodum duximus Franciam ire, vestrámque fraternam compagem in pacis & vnanimitatis vinculum consolidare: vestræ matris sæpè dictæ liberationem sanctæ Romanæ Ecclesiæ necessariò quærere. Vos siquidem illud, omnésque vestrorum regnorum Episcopos ad Synodum celebrandam venire hortamur. Data de ciuitate Genuensi, & directa gloriæ vestræ per Anspertum Mediolanensem confratrem & coepiscopum nostrum.

C

Math. 28.

* Præsentem latorem Petrum cardinis Ecclesiæ nostræ Presbyterum gloriæ ve-

* *Initium alterius epistolæ.*

CAROLVS SIMPLEX. strae plurimùm commendamus, eúmque ad nos quæsumus cum vestris Missis, atque opitulatione festinanter remittite * Sabbatinum Episcopum primùm, & postea per Anspertum Mediolanensem, de qua multum miramur, cur non iam à vobis responsum vel Missos accepimus, nos cùm foret possibile primùm, saltem per legatos vobiscum loqui tuperemus: deinde cum reliquis fratribus vestris: quod quia vestra infirmitate, quam nimiùm dolemus, est prætermissum: nunc apud Trecas, Christo opitulante, Synodum sumus celebraturi, loquemúrque cum Ludouico, & reliquis vestris fratribus, & post Calendas Augustas ad vos reuertemur: tantum locum nobis dicendo ad tempus mandate, quo nobis debeatis occurrere, & laborem pro vestra matre sancta Romana Ecclesia non recusare assumere; *quia si fueritis socij laboris, simul eritis & consolationis*: & in hoc quæso perficiendo non sit vlla dilatio. Data vt suprà. A

* Desunt aliqua.

2. Cor. 1.

Excusat se, quòd ad eum legatum non miserit, interclusa sibi via à LAMBERTO, *eiúsque fautoribus, qui Vrbem Romam tenebant obsessam.*

XXVIII.

CAROLO *glorioso Regi dilecto filio.* IGITVR gloriæ vestræ litterarum serie recepta, & lecta, vt de more antecessorum regum videlicet, & Imperatorum, B vestrorúmque duntaxat parentum erga Romanam Ecclesiam, cuius lac vestram prolem hactenus educauerit, in cunctis omnia vos desiderare, & assequi nouimus, paterno affectu gratias agimus, & qualiter scripsistis imò tenemus. Cæterum Pontificium nostrum vestra percunctari dilectio studuit, cur vobis non misimus ob quid taliter venissemus; & vobis & fratribus vestris gloriosis regibus, antequam ex Vrbe exiremus, mittere voluimus, sed officientibus Lamberto & Adelberto, fautoribúsque eorum anathematizatis mittere nequiuimus; nec mirum, si ipsi nobis viam sustulerint, cùm & ipsius beati Petri Apostolorum principis Ecclesiam, vestram denique matrem, & omnium Dei Ecclesiarum nutricem armis triginta diebus circumdatam tenere non formidauerint: ita vt nec ibi aliquam alicui lucernam illuminare, nec laudes Deo conferre liceret, præter postquam Vrbem exiuimus; fratribus vestris gloriosis Regibus mittere sategimus, vt vobis super talibus intimaremus: sed cùm vos magis iuxta audimus, ita mittere cogitauimus. Quo loco ab ipsis significatur pro pacis & vnitatis tranquillitatisque omnium Dei Ecclesiarum negocio, primò venimus, quo vos quatuor Reges vnum, legitimúmque velle, annuente Deo, nihilominus faciamus, vt Psalmista cecinit, *Ecce quàm bonum & quàm iucundum est habitare fratres in vnum*, & reliqua. Dehinc volumus, vt ita conuenti nostras oppressiones audire, compatiamini. Quapropter fili carissime, quoniam te valde illuxit. * Data vt suprà. C

Psalm. 132.

* deest aliquid.

Scribit in anniuersario die LVDOVICI *eius viri sacra pro eo se facturum, rogat vt in sui defensione perseueret, & Synodum Trecis se habiturum significat.*

XXIX.

DILECTÆ *filiæ* ANGELBERGÆ *Imperatrici diuæ memoriæ quondam Domini* LVDOVICI *piissimi Imperatoris coniugi.* QVIA intimasti Pontificio nostro anniuersalem magnæ recordationis Domini Ludouici Imperatoris fieri, & vt pro eo proprias orationes celebraremus rogastis; gaudemus, & impigrè suo pro merito modis omnibus faciemus. Cæterum rogamus, vt (ceu hactenus in nostris fuistis sollicita) haud secus & nunc, & perpetuo esse, prout credimus, non differatis: quatenus vestro labore, vestróque consulto citò ad propriam Sedem, vt congruit, cum gaudio per merita Apostolorum principum reuerti mereamur: porro vos scire cupimus, quia apud Trecas in Calendis Augusti vnà cum Rege Ludouico Imperatoris Caroli filio, & cum vniuersis Galliæ Episcopis Synodum vniuersalem celebrabimus: dehinc Carolomannum Regem, suósque germanos alloquemur, vt pari omnium consilio consolationem nostræ Ecclesiæ reperiamus.

A

Arelatem se venisse significat, ibique omnia prospera reperisse, hortatur vt Romanæ Ecclesiæ commodis prospiciat.

XXX.

DILECTISSIMÆ *filiæ Dominæ* ANGELBERGÆ *Imperatrici piæ memoriæ Domini* LVDOVICI *inuictissimi Imperatoris coniugi serenissimæ Augustæ.* CVM erga Romana Ecclesiæ priuilegia immensa velle, immenso & opere decus Imperij vestri decertare, & ad perfectum ducere semper adhaurimus, & amemus, Christo fauente, perpetuò magnitudinem tantæ vestræ deuotionis scire cupimus: Ecce Arelatem regni delitiarum vestrarum sani intrauimus, summo arbitre permittente, per intercessionem Apostolorum principum: illicque Bosonem principem generum vestrum communem, & filiam dominam Hermengardam alloquentes, omnia prospera, & iugiter desiderata inuenimus, & pro amore vestro, vestri nuper & piissimi coniugis, illos tanquam filios amplectentes, pro eorum consulto illorum cum honore cuncta faciemus: quoniam ceu per vos, haud secus per istos consolationem, & defensionem S. R. E. quærimus, eosdémque, permissu Dei, ad maiores, excelsioresque gradus modis omnibus, saluo nostro honore, promouere B nihilominùs desideramus. Quapropter monentes hortamur, vt tanto labori faueatis, eiúsque perfectionem, prisco vestro consilio perfruentes, certis litteris per singula vobis, & illis sine mora intimare minimè differatis. Cæterum rogamus, vt Ioanni Archiepiscopo Rauennati mittatis epistolas ex nostra parte consolatorias, incitantes, vt pro nobis orationes faciat, & contra Dei inimicos se præparare nequaquam formidet, & nostris fidelibus Romæ Legatos consolando transmittat, & vos, si fas est, aut mihi apud vos impetrandi facultas Leoni Episcopo misso & Apocrisiario nostro, & Petro, super ista, cæterisque fidelibus litteras vestras mittite confortantes ipsos, vt scitis & vultis.

Hermengarda siue Hermingardis filia Ludouici II. Imper. meminit Regino lib. 2. Chron. Aimon. lib. 5. c. 32.

Hortatur, vt cùm cognouerint de LVDOVICI *Regis aduentu, ad locum veniant, vbi celebrandum erit Concilium.*

XXXI.

PERIGNARVS ANSIGISI FROTHARIVS *Ioannes de Toronia.* ANSIGISI Archiepiscopi Senonensis canonica instituta seruantes oportet nos, quotiescumque Ecclesiæ ingerunt passiones, sacerdotum collegia aggregare, vt his simul conuenientibus salubre vniuersæ Ecclesiæ consilium & totius Christianitatis fidem eidem imponant, & equitatum omnium moderamine queat congruè dilimari. C Idcirco vestram hortamur sanctitatem, dum de Ludouici gloriosi Regis aduentu audieritis, quando ad nos venire conauerit in eo loco celebraturi Concilium incertè tenemus: sed vos audientes comperietis, mox vt præsentes susceperitis nostras Apostolicas litteras, omni mora reposita ad nos venire non differatis. Ita profectò de vestræ vnanimitatis & pacis concordia mentis iucunditas vberiùs multiplicetur, vt conuentus vniuersorum, & vestræ deuotionis concursus, nec solùm ad fauorem hominum, sed Ecclesiis ad laudem potissimum proficiant Creatoris. Optamus fraternitatem vestram in Christo benè valere. Dat. 4. Idus Iun. Ind. 11.

Hæc Epistola scripta est Perignario Ansigisi & Frothario. Illa verba quæ sunt in principio, redundare videntur.

MIRONEM & HVNCFRIDVM *multorum scelerum reos ad Synodum venire iubet.*

XXXII.

MIRONI & HVNCFRIDO *germano suo.* QVANTA ad Apostolatum nostrum relatione quorundam transgressionum vestrarum mala, atque peruersa fuerunt nunciata; hæc fateor lachrymabiliter nominamus, Apostolicáque auctoritate citissimè corrigenda iubemus, si sancti Spiritus potestate non vis tu, Miro, merito nequitiæ tuæ ab omni consortio Christianitatis separari, & inferni flam-

LVDOVICVS III. mis in perpetuum condemnari. Septimani terram vniuersalem redegisti in solitudinem: Ecclesias vt asserunt, ministris expoliasti. Castella ipsius terræ callidè ac fraudulenter inuasisti, qua compulsi necessitate, homines Bernardi gloriosi Marchionis, etiam multitudinem hominum tuæ rabiei occursando aliqua in eadem terra perperam egerunt, & velut Ieroboam filius Nabath, qui peccauit, & peccare fecit Israël, auctor omnium peccantium existas: ideóque ad vniuersalem Synodum nostram, quam, Deo auctore, in proximo sumus celebraturi, Lugdunum venire te occasione omni posita volumus, si funditus, vt prædictum est, non vis gladio diuino mulctari. Liudoinum quoque Vicecomitem audimus potestate (vti horrendè denuntio) vti sacerdotali in parochia Sigebodi Narbonensis Archiepiscopi, presbyterósque tuos in eius exteris subrogare Ecclesiis: quod concite tuæ vitæ consulentes, corrigere & emendare mandamus. Te verò Huncfridum ex diaconatus officio, & venerabili monachi cohabitu apostatam audimus & dolemus effectum: quapropter vel sera te pœnitentia per Domini misericordiam libera, & ad monasterium quanto citiùs confuge, vel si de tua confidis conscientia, ad Synodum nostram de illatis tibi, atque obiectis te purgandum occurre: ne si prætermiseris, anathematis vinculo, vt pote apostata, & rebellis alligeris. Data vt suprà. A

Conqueritur aditum ad eius sedem ipsi FROTHARIO *interclusum: iubet vt ad Synodum vnà cum suis Episcopis acceat, annuens se* LVDOVICO *Regi præstolari.* B

XXXIII.

FROTHARIO *venerabili Episcopo Biturgensi.* AVDITIS denique deploratione, atque angustia litteris tuæ fraternitatis, quæ vobis ab hominibus Bernardi Comitis sunt illata, recens dolor priori est augmentatus, & quod tibi sedis tuæ aditus clausus, mihimetipsi id reputo: hortamur interim dilectionem tuam patienter sufferre, & ad Trecas cum fratrum Coepiscoporúmque nostrorum collegio diœceseos tuæ ad Synodum Domino cooperante, celebrandam quantocyus properare. Ludouici Regis amantissimi filij nostri aduentum præstolamur quotidie inhiantérque desideramus. Optamus sanitatem tuam in Christo benè valere. Data vt suprà.

Monet vt FROTHARIO *aditum ad suam sedem patere faciat.*

XXXIV.

DILECTO *filio* BERNARDO *nobilissimo Marchionum.* QVIA tempore nonnullos diligimus specialius, idcircò in his, quæ nobilitatem vestram Deum offendere cognoscimus, vos paterno increpamus affectu; præsertim de causa Frotharij venerabilis Episcopi, cui, vt audimus, vestri homines iter ciuitatis suæ, ne ad sedem suam ingrederetur temerariè clauserunt. Episcoporum iudicium, fili carissime, suo tantummodo Dominus seruauit arbitrio, nec de Episcopis vult Deus laicos iudicare. Vnde monemus dilectionem tuæ caritatis, vt quicquid in hac causa prædicti Episcopi deliquistis, sub celeritate, & legaliter emendare studeatis: quia nos illud nisi pro digna emendatione multum remanere nullomodo patimur, officio ac ministerio sacerdotali. Optamus nobilitatem vestram benè valere. Data vt suprà. C

Vt LVDOVICVM *Regem adhortetur, vt ad Synodum veniat, quòd si impeditus fuerit, legatum mittat.*

XXXV.

VENERABILI *Archiepiscopo* LIVDBERTO *Moguntino.* ECCLESIASTICA exigente vtilitate, quoniam, Deo duce caussæ, ad Galliarum partes venire commodum duximus; quapropter fraternitatem vestram necessariò commonere studemus,

A studemus, vti secundùm cælitus sibi sapientiam datam, frequenti adhortatione suggeras Ludouico Regi, aliisque confratribus, vt ad nostræ mediocritatis colloquium, atque generalem Synodum, iuxta Christi voluntatem, apud Trecas congregatam, venire non omittat. Vel si aliqua necessitate prædictus Rex præpeditus fuerit, & vt non optamus, properare distulerit ad locum prædictum, quo cum Ludouico Rege locuturi sumus, nomine tenus destinet: quatenus sub cuncta celeritate Regum filiis congregatis, totius Christianitatis, Dei gratia Duce consulere communiter valeamus, * similiter Vuiliberto Archiepiscopo Agrippinæ, Vuittecherio venerabili Episcopo, & Bertulpho Archiepiscopo Treuirensi. Data vt sup.

CAROLOMANNVS, LVDOVICVS III.

* Deest vtilitati.

Agit gratias de fidelitate erga Romanam Ecclesiam, quædam apud CAROLOMANNVM *facienda iniungit.*

XXXVI.

DILECTO *filio* SVPPONI *glorioso Comiti.* PRIMVM quidem deuotioni vestræ magnas gratias agimus: quia priorem fidelitatem, quam circa S.R.E. habueras, in sequentibus quotidiano labore opere admonstrare non desinis. Nos quoque præ omnibus vos diligentes, vestris potiùs consiliis præ cunctis acquiescimus. B Tantùm vobiscum Anspertum & Vuibbodum Episcopos assumite: & apud Carolomannum Regem omnia nostra ordinabiliter ponite. Hoc tamen summopere cauete, ne aliqua fraudis astutia decipiamur: & quicquid ex hoc facitis, sub omni festinatione facere accelerate: mihi tempus & locum denunciate, quo occurrere debeatis animo vestro insidiat, duas mandamus Epistolas prædicto Regi, quarum vnam vos legite, vt cognoscatis quid continet, quam aut ipse deferas volumus, aut per idoneum hominem vestrum transmittas: quia nos in hac terra stare non possumus, nisi vsque in Calendas Augustas: quia postquam in terram hanc venimus, cum Hludouico Rege loqui debemus. Festina quantocyus, sicut solitus es, nostræ Ecclesiæ causam peragere, vt apud Dominum merces vestra copiosè accrescat. Data vt suprà.

Monet vt BOSONIS *filiabus hæreditatem restituat.*

XXXVII.

MACTEFREDO *illustri Comiti.* SVGGERENTIBVS videlicet filiabus Bosonis nuper Comitis, & Engeltrudis coniugis proximæ vestræ, audiuimus, vt allodes suos vos inuadentes tenere non formidetis. Super quo miramur, cùm tantæ sapientiæ vir hoc facere non erubescas. Nonne scitis quoniam in hæreditate suscipienda omnibus cognatis præferendi sint filij? C illa verò mœchans alicui, sine consensu viri, ex his aliquid dare nequiuit omnium legum auctoritate, vnde vos monemus, hortamur, Apostolicáque auctoritate iubemus, vt ipsas proprietates illis filiabus eorum reddere pro reuerentia principum Apostolorum, quibus per me petiere auxilium, minimè differas: quoniam si aliter feceris, scias te canonica feriendum censura. Data vt suprà.

Precatur vt quantocyus Romanæ Ecclesiæ defensionem suscipiat.

XXXVIII.

VOS carissime fili Hludouice gloriose Rex precor in defensionem, liberationem, atque exaltationem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut præcessores vestri fecerunt, & vobis sub obtestatione facere mandauerunt, sine procrastinatione, & vlla dilatione succurrite: quia ministri Dei estis, vindices in ira in his, qui malè agunt, & non sine causa gladium portatis, ne forte, quod absit, illa vos, aut regnum vestrum culpa contegat; quæ quosdam veteres Reges inimicis & infidelibus Dei quondam parcentes damnabiliter strinxit. Vel, si aliud placet, præsentialiter in isto loco date, per Deum & per B. Petrum vos coniuro, sine mora responsum. Data vt suprà.

LVDOVICVS III. *Iubet vt ipse cum quibusdam aliis ad Synodum accedat, in qua Biturigensis Episcopus de obiecto sibi infidelitatis crimine purgare se volebat.* A

XXXIX.

BERNARDO *Comiti*. RELATV videlicet hominis pontificio nostro nunciatum est, quod Frotharius venerabilis Episcopus ciuitatem Biturigam inimicis vestri senioris Domini Ludouici gloriosi Regis tradere maluerit. Ideò illuc ipse contendere studueras. Ecce enim idem iam dictus Episcopus nobis, nostro & filio præfato Regi gloriosissimo super hoc reclamare studuit, dicens se velle in omnibus tibi, & tuis de vniuersis obiectis contra tui, & sui senioris infidelitatem iustitiam facere. Quapropter hortantes mittimus, Apostolicáque auctoritate iubemus, vt ad hoc placidum, ad húncque conuentum præsentaliter venire satagas, adducens tecum Girardum Vicecomitem, Vmbertum, Anguuarnum, Ingelbertum, super quos ipse reclamat: quatenus nunc coram nobis, & coram sæpè dicto glorioso Rege, tam canonica censura, quámque humanæ legis sancitu, inter vos quid contra fas, & ius factum fuerit, nihilominùs finiatur. Data vt suprà.

Agit gratias de obseruantia erga Romanam Ecclesiam, miratur quod ad se legatos non miserit. Rogat vt ante colloquium, quod cum LVDOVICO *Rege habiturus est, aut ipse veniat, aut legatos mittat.* B

XL.

DILECTO *filio* CAROLO *glorioso Regi*. QVOD pro pace & vnitate sanctarũ Dei Ecclesiarum, omniúmq; Christianorum in priore Epistola, quam vestræ misimus dilectioni, significauimus, gloriæ nihilominus vestræ vberes gratiarum laudes rependimus: quia nos vestra Epistola valde lætificastis in hoc, quod dilectionem animi vestri circa Romanam Ecclesiam, sicut vestri parentes, ac proaui habuerunt, habere vbertim significatis; valde tamen miramur, cur ad nos legatos vestros non direxistis, sicut precati sumus. Quapropter quæso fili carissime, vt ad nos ad colloquium quod cum Ludouico Rege Caroli Imperatoris Regis filio apud Trecas habituri sumus, si possibilitas non obsistit, venire acceleretis: vel si aliquo obstaculo præpedimini, vt non optamus, strenuos legatos nobis dirigite, per quos gloriæ vestræ omnia secreta, quæ animo nostro resident, fidenter mandare valeamus, locum nobis simul nomine tenùs designate. Quo frui vestro colloquio, & germani vestri Ludouici gloriosi Regis valeamus. Quoniam de hac terra nullo modo regrediemur, priusquam, Deo auxiliante, per congrua & mutua vobiscum misceamus colloquia. Data vt suprà. C

Arguit, quòd vocatus ad se non venerit, sicut LVDOVICVS *Rex fecerat. Monet sub excommunicationis pœna, vt sui Regni finibus contentus, nullam* BOSONI *molestiam exhibeat.*

XLI.

DILECTO CAROLO *glorioso Regi*. SERVANS fidem Francorum Regibus, secundùm prædecessorum meorum Pontificum, multos & duros labores in mari, & in terra pertuli; ab Vrbe & Romana sede in Franciam veni, omnes vos legatorum tam viua voce, quàm epistolis studui conuocare, vt pactum quod aui, & patres vestri sanctæ Romanę Ecclesiæ iureiurandò promiserunt, adimplere contenderetis. Sed heu, proh dolor! cuncti venire per inobedientiam neglexistis, præter Hludouicum Regem diuæ memoriæ Caroli Imperatoris filium, cuius consilio, atque hortatu Bosonem gloriosum Principem, per adoptionis gratiam, filium meum effeci; vt ille in mundanis discursibus, nos liberè in his, quæ ad Deum pertinent, vacare valeamus. Quapropter contenti termino Regni vestri pacem & quietem habere studete: quia modò, & deinceps excommunicamus omnes, qui contra prædictum filium nostrum insurgere tentauerint. Data vt sup.

A BERNARDVM *hominem sceleratum & contumacem excommunicat.*

XLII.

BERNARDVM sacrilegum filium Bernardi, & Belihildis sactatum rerum Ecclesiasticarum peruasorem, Regiæq; à Deo ordinatę potestati contradictorem à proprio Archiepiscopo Frothario, cui & ciuitatem, & omnia quæ habuit, sustulit, tertiò vocatum, à nostra autem Apostolica auctoritate bis & à regia sublimitate semel reuocatum venire nolentem, & in pertinacia sua permanentem: qui etiam ab hominibus suis sacramentum damnabile, & damnandis blanditiis, & terroribus tyrannicè contra diuina, & humana iura extorsit, à corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi alienum decernimus, & ab omni Christianorum societate separamus, vsque dum ad condignam satisfactionem emendaturus accedat. Quod si nec hoc emendauerit, & ea quæ reus adeò communi iudicio suorum fidelium abstulit, violenter tenere, & fidelibus suis in hoc refragare tentauerit anathematis vinculo sancti Spiritus innodamus. Quicumque autem ei contra hanc excommunicationem, aut consueuerint aut consenserint, nos prohibere non possumus vt excommunicatis communicauerint, non pari excommunicationi subiaceant.

B VGONEM & EMMONEM, *nisi ad fidelitatem* LVDOVICI *Francorum Regis redierint, excommunicat.*

XLIII.

VGONEM LOTHARII Regis quondam filium non legitimum, sed naturalem adulterina copula genitum, qui post præstitum sacramentum dilecto filio Ludouico Regi Francorum mentitus esse videtur, & inquietare pacificum Regnum prædicti Regis, & Emmonem Bernardi Comitis germanum complicem in excessibus, nisi intra dies triginta ad prædictum seniorem suum redierint, & ab inquietudine regni resipuerint, omni Christiana communione priuamus. Postmodum si perseuerauerint, sciant se anathematis vinculis innodandos. Data vt sup.

Egentis meminit Aimon. lib. 5 c. 39. Regino lib. 2. Chron.

BOSONIS *obseruantiam erga se laudat, cui auxilium ad subigendos Ecclesiæ hostes mitti rogat.* EGILMARVM *Episcopum commendat. Alios autem Episcopos, qui venire iussi in sui auxilium non venerant, monet vt regia auctoritate compellat.*

XLIV.

DILECTISSIMO *filio* LVDOVICO *gloriosissimo Regi diuæ memoriæ* CAROLI *Imperatori filio.* QVANTO vos amore diligimus, quantúmque caritatis affectum erga vos tenemus, paucis explicare verbis minimè possumus; hoc tamen gloriam Excellentiæ vestræ scire cupimus, quod deuotionem, ardorémq; caritatis, sicut polliciti sumus, erga vos indeficientem perpetuò retinemus. Interea millenas serenitati vestræ de Bosone dilecto, & communi filio, ac fidele gratias referimus, qui tam prudenter communibus obtemperans iussis, parere in omnibus ita nobis studuit, vt etiam velut veræ Christianæ religionis cultor animæ & vitæ suæ non pepercerit, sed pro sanctæ Ecclesiæ & communi fideliter vltro se morti tradere non dubitauit, & vsque Ticinum annuente Deo, securiùs nos perduxit. Quapropter dilectissime fili, ac porfiretice Rex obsecramus excellentiæ vestræ culmen, vt si res exegerit (sicut nobis vestra dignata est repromittere sublimitas) ei adiutorium ad debellandos hostes nostros virorum bellatorum adminiculum præbeatis; quoniã dignum est, vt soli omnes adiutorium præbeant, qui solus pro cunctis desudare non cessat. Præsentem itaq; huius latorem Epistolæ Egilmarum venerabilem Episcopum Excellentiæ vestræ plurimùm cõmendamus: quatenus idem, suáque Ecclesia crescat augmẽto perfectionis, qui in omnibus opportunitatibus nostris nulli secundus extitit, & vobis fidelissimum in cunctis, quæ cognouerit, verissimè cõprobauimus. Inter hæc Episcopos quos Serenitas vestra in nostrũ iussit venire adiutorium, scias præter Agilmarum nullum venisse. Quapropter regalis cẽsura culminis vestri sua auctoritate compellat eos quantocyùs hostiliter *Romam venire, vt de cætero discant Apostolico culmini, & regali excellentiæ congruẽter prębere obedientiã.

C

* Synodaliter.

A

Eiusdem ferè argumenti.

XLV.

DILECTO *filio* BERENGARIO *glorioso Comiti, seu omnibus optimatibus Longobardorum Regni sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus.* QVANTA & qualia Romana Ecclesia, vestra videlicet mater, hactenus ab impiissimis Christianis passa est, & nostris litteris significantibus, & rumore populi narrante iam audistis, & vt certiùs sciatis iterum significamus. Ecce enim pro quibus, & pro omnium vestrûm salute animæ nostræ non parcentes, iam quia per terram pro prædictis persecutoribus ad vos viciniores, vt res expetierat venire nequiuimus; marinum iter accepimus, & in Franciam ibimus, quærentes tranquillitatem, atque auxilium, vbi nostri antecessores quæsiere Pontifices; misimus enim omnibus Regibus, id est Hludouico, domni Caroli Imperatoris filio, & Carolomanno, & Ludouico, & Carolo Ludouici Regis filiis, vt cum suis Episcopis ad nos venirent, & vnà nobiscum super his tractarent, ex quibus venit Hludouicus Rex, & tantis malis perdolens, nisi infirmus esset nobiscum veniret: iam quia pro infirmitate non potuit, dedit nobis hunc Bosonem Principem sibi ex omni parte coniunctum, qui me per inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ saluum ducerent. Ecce enim auxiliante Deo, Papiam venimus: quapropter monentes mittimus & Apostolica auctoritate hortantes iam tertio mandamus, vt præsentialiter ad nos carissimi, tamquam ad patrem venire debeatis, & vt alij veniant, aliter alterum incitet, & has litteras primo legens remittere aliis procuret, B quatenus venientes vna nobiscum de statu sanctarum Dei Ecclesiarum, & quiete reipublicæ & nostra vestrâque omnium salute Synodum celebrantes, tractemus, in quibus dilectissimi filij, ne vestra caritas tepeat, néve religiositas inobediat, sed compatiatur, vt oportet ac doleat. Quia scriptum est, qualiter lepidus sit iure vomendus, & qualiter per inobedientiam culpa, quæ non fuit, fit, & qualiter qui non compatitur, decreto Pontificali feritur. Data vt suprà.

Miratur, quod filiabus BOSONIS, *pro quibus alias rogauerat, hæreditatem iure debitam non restituerit. Iterúmque monet, vt ipsam hæreditatem integram eis restituat.*

XLVI.

HLVDOVICO *Regi glorioso gloriosi quondam Regis* LVDOVICI *filio.* IAM enim magnitudinẽ vestram fili carissime Apostolicis monuimus litteris, hortantes pro filiabus Bosonis dudum Comitis, & Ingeltrudis cõiugis, quibus iure hæreditas deferri omniũ legũ auctoritate cõceditur, proprietates reddere studeretis. Sed vt cernimus, inauditi remansimus, quod miramur, & mirantes dolemus, cùm vestra proles Apostolicis censuris semper obediat, & præ omnibus Regibus iudiciũ C faciat; vt Rex Dauid cecinit, *honor regis iudicium diligit.* Nonne legistis, quoniã iustus Dominus iustitiam diligit, & æquitatem videt vultus eius. Cæterum reclamationem filiarum iam dicti Bosonis, audiuimus vt ipsas, ipsius matrisque earum, proprietates, Ingeltrudis, alias vos teneatis, alias verò vestris tenere quibus ipsa post iudicium sibi illatum sine viri consensu dederit tenere; permittatis, quod nefas est, & contra omniũ legum prorsus auctoritatem. Quid enim vxor sine viri consensu agere potest? quãto magis hæc mœchans, quæ diuino gladio, cẽsente domno Papa Nicolao prędecessore nostro interiit? & humano pro parte facto stupro, puniri debuerat? Nonne Ioannes Papa Romanus & Iustinianus inclitus Imperator legem Romanam facientes, scripserunt ita? Capitali crimine damnatorum bona non ad lucrum præsidis, sed cognatis punitorum reddi oportet: & alibi. Omnibus gradibus cognatorum in hæreditate sumenda, præferendi sunt filij. Vnde liquido patet, gloriosissime Rex vt nec vos, nec cognati eorum, nisi ipsæ filiæ, quæ sunt, legitimæ, illos allodes habere debent; qui verò nati sunt post crimen illarum, spurij sunt, nec hæreditare debent, vt præfatus Papa, & Imperator scripserunt ita; spurios satis iniuriosos, satisque acerbos, ac nostris temporibus semper indignos esse diiudicamus. Quapropter vt rogauimus, iterúmque rogamus, & hortantes

Psalm. 10.

Nicolaus in Epistol. 64. Regin. lib. 2. Chron.

A monemus, vt harum reclamationes, harum & gemitus vestra regia dignitas hauriat. Et pro Apostolorum principum reuerentia, à quibus petiere auxilium, & pro nostro amore integriter ipsas proprietates, quas vos allodes dicitis, reddat, & vestros omni occasione remota reddere faciatis. Data vt suprà. LVDOVICVS III.

Miratur eum sibi (vt decebat) non occurrisse, certiorem reddit de his, quæ cum LVDOVICO *Rege egit: monet vt ad se veniat.*

XLVII.

DILECTO *filio* SVPPONI *illustri Comiti*. CVR fili carissime nobis iter tua dilectio clauserit, cúrque vt audistis nos in tuos honores venisse, obuiam non concurritis, miramur, cùm eam in omnibus nostris negotiis curam gessisse semper nouimus: & vbi nos propè fuisse audieras, tuis vniuersis postpositis seriis ad nos festinanter properaueras. Vnde cernimus quoniam istud non ex corde, sed pro fidelitate tui senioris taliter feceris, quod ideò parcimus; ecce enim, vt audistis, & nos etiam vobis iam litteris significauimus pro quibus in Galliæ partibus Synodum celebrauimus. Et Hludouicum gloriosum Regem affati fuimus, qui nobis hunc Bosonem Principem virum consultissimum, sibique ex omni parte B coniunctum dedit, vt nos saluos sine impedimento maledicti Lamberti in Vrbem mitteret: cum quo nos pacificè pro certo venimus. Cæterum monentes mittimus, & rogantes hortamur, quatenus vestro de more, relictis aliis omnibus curis, omnique occasione remota ad nos præsentaliter venias, incitans alios, quibus Apostolicas litteras mittimus, vt & ipsi similiter faciant: quoniam, scit Deus, non ob aliud vos alloqui cupimus, nisi vt sanctarum Dei Ecclesiarum statum, & Reipublicæ quietem vnà vobiscum consideremus; tamen ante alios venire satage, vt quidquid cum aliis fecerimus, tecum familiariter antea terminare queamus. Data vt suprà.

BERENGARII *caritatem erga Romanam Ecclesiam commendat, significat celebratam in Gallia Synodum, séque incolumem reuersum: monet vt ad se venire festinet.*

XLVIII.

DILECTO *filio* BERENGARIO *illustri Comiti*. RELATV nonnullorum audiuimus, maximè huius Vvidonis Comitis nostri consiliarij, vt vestra deuotio caritatem, quam erga nos, nostrámque Ecclesiam, vestram videlicet matrem, semper habueras, magis magísque adoleat, in quo gratias agimus, & vt proficias C hortamur. Ecce enim audistis pro quibus in Galliæ partibus Synodum celebrauimus. Et Hludouicum Regem gloriosum affati fuimus, qui nobis hunc Bosonem Principem virum consultissimum, sibique ex omni parte coniunctum dedit, vt nos (auxiliante Deo) saluos sine impedimento Lamberti maledicti, & à sancta Dei Ecclesia anathematizati, in Vrbem Romam mitteret, cum quo nos pacificè pro certo venimus. Cæterum monentes mittimus, & rogantes hortamur relictis aliis omnibus curis ad nos præsentaliter venire satagas. Quoniam (scit Deus) non ob aliud vos alloqui cupimus, nisi vt sanctarum Dei Ecclesiarum statum & quietem Reipublicæ cum honore vnà vobiscum tractemus. Data vt suprà.

Monet vt dissensionem inter ABBONEM, *& alios ortam sedet.*

XLIX.

HVGONI *Abbati nobili spectabili prosapia genito*. QVIA multum vos diligimus, ideóque congratulor, animæ vestræ prospicimus, commonere curamus * quoque quæ inter Abbonis Episcopi parentes, & Rotbertum, atque Roclinum * dissensionem. exorta est * regali potiùs, * quàm vindicta corrigatur; quoniam malum semel ne- * vt. cessitate patratum, non debet secundùm necessitudinem expiari ad delictum, sed * clementia. misericordiùs remitti ad veniam: agat vestra gloriosa nobilitas, vt decet tantæ naturæ decentiam. Data vt suprà.

LVDOVICVS III.

A

Monet vt quosdam facinorosos puniat.

L.

VGONI *glorioso Comiti.* REFERENTE videlicet hoc viro nomine, audiuimus quod vestri homines, maximè Conterius suos equos tollentes, suas mansiones prædassent. Quapropter hortantes monemus, vt pro Apostolorum reuerentia, & nostro amore quam petiit iustitiam, illi facere satagatis. Ita agat in hoc vestra nobilitas, vt acturam credimus, vt & ipsi malefactores nostri excommunicentur, quia nos tale nefas, vt non vlciscatur, demittere nequimus. Data vt suprà.

Vt fœdus cum BOSONE *ictum seruet.*

LI.

HVGONI THEODERICO, & BERNARDO *illustrissimis Regni Francorum.* FRETVS vestra ingenuissima nobilitate, atque obedientia, quam propter Deum nobis condignè debetis, & dilectissimum filium nostrum Bosonem vestrum vnanimem fratrem & amicissimum, vt insolubile vinculum caritatis, fœdúsque amicitiæ, quod coram Deo vicissim conligastis, moneo, hortor, nulla hominum malè loquentium lingua, nullo cuiuslibet fraudis ingenio, vel in modico quoquo modo possit auelli: sed Domino auxiliante, dilecti filij nostri Hludouici Regis * erga eum immobilem, & tranquillum semper seruetis, & omnia sua salua atque pacifica conseruate: quoniam pro his ab omnipotente Deo & B. Petro Apostolo futuræ vitæ mercedem, & à nobis & ab illo fidelissimas amicitiarum recipietis sine dubio retributiones. Data vt suprà. B

* Deest animum.

De incolumi eius prosperitate gratulatur: se tum eum, tum ANGELBERGAM *Imperatricem charos habere ostendit. Rogat vt* ADELBERTO *& illius coniugi* ROTILDÆ *bona, quæ in Prouincia possederant, retinere permittat.*

LII.

DILECTO *filio* BOSONI *glorioso Principi.* QVIA litteris nobilitatis vestræ relictis vos incolumes cum optata prosperitate vigere didicimus; plurimum sumus læti effecti: nam in vestræ dilectionis amore Apostolica semper cupimus benignitate manere deuoti, & ea, quæ vobis vtilia vel proficua esse videntur, alacri duntaxat mente perficere, nec pro aliquo homine vestram nobis dilectam amicitiam relinquamus: sed pio potius intuitu in omnibus conseruare illæsam. De parte autem spiritalis filiæ nostræ Angelbergæ Imperatricis carissimæ matris vestræ pro certo scitote, quoniam paterno eam affectu semper dileximus, & quamdiu (auxiliante Domino) vixerimus, diligere, nostróque Apostolico subsidio adiuuare, tuerique magnopere desideramus: necnon & quasi charissimam & spiritualem filiam gloriosiùs retinere. Porro de vestræ voluntatis actione, quam dicitis exhibere, nos sine dubio in vestra amicitia constantes habebitis. De parte quoque Adelberti gloriosi Marchionis, seu Rotildæ Comitissæ coniugis eius cognoscat nobilitas vestra, quod vobis in omnibus fideles, & deuotos amicos eos esse cognoscimus: ideò rogamus, vt eorum comitata in Prouincia posita, sicut iam tempore longo tenuerunt, ita deinceps pro nostro amore securiter habeant. Optamus gloriam vestram nunc & semper in Christo manere perpetuam. Datum vt suprà. C

Excommunicat eos, quia monialem à monasterio rapuerant.

LIII.

LIVDTEFRIDO *Comiti & coniugi suæ.* QVIA contra diuina, & legum præcepta temerariè agere non erubuistis, ita vt calcato Dei timore Garelindam

A sacro velamine tectam, & in monasterio Angelbergæ dilectæ filiæ nostræ Imperatricis Augustæ; sub professione regulari diutissimè conuersatam, quod Placentiæ situm est, abstrahere fraudulentissima suasione ausi fueritis tam diu te, tuámque coniugem auctoritate sancti Spiritus Domini nostri à corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi separamus, & à consortio christianitatis, donec prædictam fœminam Garelindam, loco vnde degannastis, restituatis. Quod si hoc neglexeritis, anathematis vos vinculis innodamus. Data vt suprà.

Vt in Vercellensi Ecclesia GOSPERTVS *Diaconus constituatur Episcopus.*

LIV.

DILECTO *ac spiritali filio* CAROLOMANNO *glorioso Regi.* MVLTORVM relatione didicimus, quòd Ecclesia Vercellensis nunc valde turbata, & quotidianis commota scandalis consistat, dum in duas partes populus pro Episcopi electione diuisus; alij vnum, alij verò alterum eligere, haberéque contendant, & cupiant; electúmque enormiter defendere vterque procuret. Sed quia iuxta nostri ministerij Apostolicum officium & sollicitudinem omnium Ecclesiarum Dei, B nobis in ipso Apostolorum Principe commissam, iuxta canonicam etiam sanctorum Patrum regulam dicentem: si diuisio clericorum, vel populi extiterit, & de futuri electione Pontificis contentio fuerit oborta, nullum ex his duobus in throno Episcopali esse aliquatenus consecrandum, sed alterius electionem fieri debere sacerdotis Ecclesiæ proprio destitutæ rectore, & ob id perturbatæ iura pacis ferentes subuenire debemus. Regiam excellentiam vestram rogamus, vt pro amore Dei & sancti Petri, ac nostræ paternitatis dilectione ipsum Vercellensem Episcopatum huic nobilissimo viro Gosperto videlicet venerabili Diacono, vobis benè cognito, communique fideli nostro ac vestro, quem pro Ecclesiasticis vtilitatibus in seruitium vestrum dreximus, placido de præsentia modo tribuatis. Quoniam verè cognoscimus hunc in omnibus tam ciuilibus, quàm etiam Ecclesiasticis causis strenuum atque vtilissimum fore, nobisque non mediocriter fidelissimum. Quapropter ad vestræ præsentis & futuræ gloriæ augmentum, hoc vos nobis concedere petimus, hanc primam nostri Pontificij iustam petitionem, vestra regalis alacriter perficiat magnitudo; vt vos & vestram libenti possimus perficere voluntatem. Carissime fili, quoniam sic veræ dilectionis vnanimitate, pióque amoris affectu videbimur manere coniuncti, si vos ea, quæ cupitis Apostolica duntaxat perfecerimus auctoritate, & vos item vestro regali iure nostri desiderij preces audire cum iucunditate proculdubio studueritis. Talem namque progenitores vestros C inuictissimos Imperatores Augustos circa decessores nostros, sanctos videlicet Romanæ sedis Antistites habuisse dilectionem, recolimus, vt quicquid ab alterutra parte petebatur, omni postposita occasione, mox efficaciter compleretur. Ita verò, & nostra nunc pontificalis à Deo conseruata Maiestas, & vestra regia magnitudo, sibimet debent placidè fauere vicissim. Data vt suprà.

Hortatur vt quamprimum contra infideles & Ecclesiæ oppressores auxilio veniat.

LV.

DILECTO *ac spiritali filio* CAROLO *glorioso Regi.* MIRAMVR, quia vos sæpius exhortantes, vt ad exaltionem sanctæ Dei Ecclesiæ, vestrúmque honorem, & totius terræ nostræ defensionem venires, vocauimus, & hactenus distulisti. Credere namque nobis potestis, quod nimia vndique tam paganorum quàm malorum Christianorum persecutione grauati, vndique concussi, talia quæ iam à longo tempore patimur, sufferre nequimus: & ideò iterum admonemus, vt toto conamine, sicut vobis mandauimus proculdubio attendatis. Nam pro certo scire debetis quoniam pro nullius hominis lucro, vel blandimento, siue terrore à vestro nos consortio, & vestræ amicitiæ fœdere separabimus: idcircò tantum vi-

CAROLO-MANNVS. riliter agere ea quæ nobis ac vobis proficua sunt, nullatenus dubitetis. Sed præstolando vestrum aduentum, diúque tardantem putauimus, ne fortè Carolomanni gloriosi Regis germani vestri prædicti, aliquo impedimento iam venire nequisſetis: vnde illi nostram Apostolicam direximus epistolam, admonentes, quia si hoc regnum ampliùs taliter occupatum ac inordinatum, & sine defensione tenuerit animæ suæ detrimentum omnimodis fiet; nullúmque vobis pro Ecclesiæ Dei defensione venientibus, impedimentum aliquod facere præsumat. Quapropter quod agendum est, vestra regalis excellentia agere nullo modo desinat: nam si per vos sancta Romana Ecclesia fuerit exaltata, atque defensa, vester honor, & gloria hic, & in futuro sine dubio coram Domino multiplicata manebit. Data vt suprà. A

Hortatur ad Ecclesiæ Romanæ defensionem, quæ à Sarracenis multis afficiebatur detrimentis. Rogat vt legatos benignè excipiat, & fidem illis adhibeat.

LVI.

DILECTISSIMO *ac spiritali filio* CAROLOMANNO *gloriosissimo Regi*. QVIA more prædecessorum nostrorum Pontificum Regiam excellentiam diuinitus exaltatam pio mentis affectu diligimus, ad honorem & exaltationem sanctæ Dei Ecclesiæ eam sitibundo pectore videre desideramus: quatenus vestræ magnitudinis triumphali certamine sedis Apostolicæ vigor, & honor, quem progenitorum vestrorum, gloriosissimorum videlicet Imperatorum tempore habuisse recolimus, vobis regnantibus maneat illibatus & integer, vt & vestræ regalis gloriæ decus vigeat indiminutum, & æternæ mercedis vobis munus superna gratia tribuatur. Nunc igitur pro tot, & tantis calamitatibus, ac necessitatibus, quas à paganis assiduè, atque à malis patimur christianis, licèt pro multitudine scribere valeamus, & vestram excellentiam ignorare non credimus, Pastorali solicitudine moti, ponentes animas nostras in manibus nostris, ingentes labores non solùm marini, sed itineris etiam terreni omnimodis sumpsimus. Testamur namque Deū, cui occulta omnium manifesta existunt, quod vestro desiderabili honore, nullius hominis, nisi vestrum præpotens adiutorium auida mente quærere voluimus: sed malorum hominum, quos ipsi scitis præpediti insidiis, hoc agere non valuimus. Quapropter dilectissime fili nostra Apostolica exhortatione monemus gloriam vestram, vt pro amore sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ defensionis laborem indubitanter assumere non prætermittatis: vnde vobis honor, & salus hic, & in æternum accrescat; & ideò petimus, vt pro Dei, & sanctorum Apostolorum Petri ac Pauli amore nostris Apostolicis monitis toto conamine attendatis: quatenus aut per vos, aut per saluberrimum consilium vestrum citiùs nobis subuenire omnimodo satagitis. Quoniam tanta istius terræ perditione vndique aggrauati, vndique concussi talia iam sufferre minimè valemus. Nam si, quod absit, per vos fortè remanserit, vt Ecclesia Dei in præsenti defensionem non habeat, & taliter turbata consistat, videte ne ante tribunal Christi, & coram Apostolorum principum præsentia vestræ animæ patiamini detrimentum, quia nos paterna vos admonitione hortantes, secundùm ministerij nostri officium ea, quæ Dei sunt, & saluti vestræ proficua agere incunctanter conuenimus. Misimus autem ad vos præsentes Missos nostros Ioannem & Paschalem venerabiles Episcopos dilectos fideles nostros, quos petimus vt pro nostro amore benignè recipiatis, & eis locum familiaritatis tribuatis, atque ea, quæ vobis de nostra parte dixerint, libentissimè attendatis. Data 7. die mensis Iunij, Indictione duodecima. B C

Vt in Vercellensi Ecclesia CONSPERTVS *creetur Episcopus.*

LVII.

DILECTO *ac spiritali filio* CAROLOMANNO *glorioso Regi*. MISIMVS cum his præsentibus Missis nostris hunc venerabilem Diaconum nomine Conspertum, vobis, vt credimus, notum, in seruitium magnitudinis vestræ: quem

A petimus, vt pro nostro amore benignè recipiatis; & quia nobis, ac vobis fidelis existit, rogamus excellentiam vestram, vt Episcopatum Vercellensis Ecclesiæ placido animo tribuatis. Quatenus Deo auxiliante, per nostram, ac vestram munificentiam Episcopali duntaxat honore potitus vobis omnibus existere deuotior, atque fidelior possit. Data 7. die mensis Iunij, Indictione duodecima.

Gratias agit de propensa voluntate erga Romanam Ecclesiam; hortatur vt ad eam à paganorum incursionibus defendendam veniat, eique tacitè imperium pollicetur.

LVIII.

DILECTO *ac spiritali filio* LVDOVICO *glorioso Regi.* VESTRÆ Regiæ serenitatis mellifluis relictis apicibus, quos per Astaldum insignem Comitem vestrum nobis mandastis, quantam deuotionem, ac sincerissimam voluntatem exaltandi, & defendendi Ecclesiam Dei, more videlicet parentum vestrorum gloriosissimorum Imperatorum habeatis, luce clarius nouimus: vnde valde gauisi existentes, maximas vestræ excellentiæ agimus gratias, quia nobis inter tot angustias, & persecutiones, quas à paganis assiduè supra modum patimur, vestræ inui-
B ctæ potentię auxilium defensionisque solatium pia duntaxat animi deuotione conferre omnimodis cupiatis. Ideò fili carissime nostræ Apostolicæ admonitioni aurem clementiæ vestræ, vt accommodetis obnixè precamur, vt citiùs nobis vestro potenti brachio subuenire studeatis: quatenus sanctam Dei Ecclesiam in magna nunc fluctuatione positam, ad portam salutis, & tranquillitatis efficaciter perducatis, & terram perditam per vos, Deo propitio, ad pristinam reuocetis incolumitatem, vt ex hoc & apud omnipotentem dominum dignam valeatis mercedem recipere, & in præsenti sæculo laudabile nomen omnimodo acquiratis. Quapropter scitote pro certo, quia nullus parentum vestrorum tantam gloriam, & exaltationem à præcessoribus nostris percepit, quantam nos vobis; si veneritis, totis multipliciter viribus desideramus impendere. Porro de hoc, quod mandastis, vt pro euentu regni Ludouici piæ memoriæ nepotis vestri præpediti existàtis, pro multo, quod circa vos videndi desiderium habemus, turbati manemus; sed vestra fisi benignitate petimus, vt omni cura remota pro amore Dei, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli nostræ petitionis solicitudinem pio rectore vestro alacriter assumatis: vt sicut sedes Apostolica, quæ caput est omnium Ecclesiarum Dei, vos magno desiderio, quasi vnicum & charissimum filium præstolatur, vestra speciali visione celeriter perfruatur; quoniam si, Deo fauente Romanum sumpseritis imperium, omnia vobis regna subiecta existent. Nam si pleniter sciretis
C quanta nos vndique mala, quæ pro multitudine scribere nequiuimus, opprimunt & affligunt, tantum in vestra cognoscimus sapientia, quod per vestram magnitudinem iam maneremus defensi. Deus te incolumem custodiat charissime fili. Data vt suprà.

Significat se modo absoluere nolle ANSPERTVM *Archiepiscopum, sed cùm in Synodo crimina, quæ obiiciebantur, diluerit, tunc eum excommunicatione absoluturum. Ait se prò* LVDOVICO *Imperatore in anniuersario eius die sacra facturum.*

LIX.

DILECTÆ *ac spiritali filiæ* ANGELBERGÆ *Imperatrici.* PIO affectu petitionis vestræ preces, quibus nos super absolutione excommunicationis Ansperti Mediolanensis Archiepiscopi precata es exaudire, secundùm collatam nobis ligandi, soluendique diuinitus potestatem, non prætermitteremus: & maximè propter annuam commemorationem diuæ memoriæ D. Ludouici, quondam Imperatoris Augusti, quæ in proximo celebranda est. Sed quia Synodali eum decreto pro suis negligentiis, & præsumptionibus, sicut ipsa benè cognoscis, excommunicauimus, absque eorumdem fratrum, & Coepiscoporum nostrorum, cum

IOANNES VIII. quibus in eum excommunicationis sententiam promulgauimus, consensu & voluntate nunc absoluere volumus, nec ab his, qui vel desiderio, vel negligentia Ecclesiasticam disciplinam contemnunt, & multa non præsumenda, præsumunt, canonicum paruipendatur iudicium. Porro cùm denominatam Synodum, quam, secundùm sacros canones, spiritu Dei conditos, quarto Idus Octobris, Domino annuente, celebraturi erimus, vel ipse venerit; vel è latere suo venerabiles Confratres, & Coepiscopos suos direxerit, qui nobis & sanctæ Synodo de his, quæ illi obiecta sunt, idoneo satisfaciant. Tunc post veram satisfactionem, ab omni eum excommunicationis nexu proculdubio absoluemus, & quasi fratrem, & comministrum, in nostræ communionis consortio incunctanter habebimus: nec ideò pro prædicta annua commemoratione ipsius Domini, & senioris vestri ne turbemini, quod modo vos pro absolutione præfati Archiepiscopi non audiuimus. Nam in eodem die, quo ipse de sæculo migrauit, pro animæ illius requie sempiterna, sacrificium erimus Domino oblaturi: etiam & pro anima Supponis fraterna moti compassione omnipotentem Dominum deprecamur, vt suorum absolutionem valeat percipere delictorum. A

Sacrificia & orationes pro defunctis.

Dolet eorum calamitates, significat se, vt ipsi petebant, ad BOSONEM *&* HVGONEM *scripsisse, vt eos ab aduersariis tuerentur, mittit exemplar testamenti, quo* GERARDVS *Comes vnà cum eius coniuge certa bona cuidam monasterio Ecclesiæ Romanæ legauerat.* B

LX.

SANCTÆ *congregationi summi Apostolorum Principis* PETRI *cœnobij nostri Pultariensis.* COGNOSCAT pro certo fraternitas vestra, nos relictis litteris vestris pro tantis aduersitatibus, quas ab iniquis quotidie sustinetis hominibus, valde tristes existere: quoniam sicut de vestra prosperitate gaudemus, ita quoque & de vestra tribulatione tristamur. Vnde volentes sanctam congregationem vestram, vtpote Dominicum gregem, in ipso Apostolorum Principe nobis commissum, saluum & quietum habere, direximus secundùm petitionem vestram, nostras Apostolicas litteras Bosoni glorioso Principi & Hugoni nobilissimo Abbati, petentes, quatenus pro Dei, sanctorúmque Apostolorum principum Petri, ac Pauli amore, nostráque dilectione, suæ defensionis auxilium vobis impendant, & contra Dei, atque omnes vestros aduersarios manum suæ potentiæ extendant, vt quietè, ac securiter degentes, debitas Domino laudes persoluere, ac pro nobis, & omni populo Christiano valeatis omnipotentem Dominum deprecari, & res sancti Monasterij tranquilla mente disponere, regere, ac secundùm Dominum dispensare possitis. Porro exemplar ipsius testamenti, per quod Gerardus bonæ memoriæ Comes vnà cùm Berta quondam coniuge sua, ipsas res Principibus Apostolorum Petro & Paulo tradidit, bulla nominis nostri munitum, Angesio Archiepiscopo, & Cohunrado Comiti, in cuius comitatu ipsæ res continentur, per præsentem nuntium vestrum direximus. Vos itaque videte si de his omnibus adiuti fueritis aut non, & nobis renunciate, vt quali consilio meliori potuerimus, vos libentissimè adiuuare curemus, fraternitatem vestram orantem pro nobis Dominus dignetur conseruare incolumem. C

Vt monasterium Pultariense tueatur.

LXI.

Hugonis meminit Aimon. lib. 5. cap. 39. Regin. lib. 2.

DILECTO *filio* HVGONI *nobilissimo Abbati.* QVANTA vos dilectione, quantóque nostræ paternitatis quasi vnicum filium dilexerimus affectu, ex eo quo vestram sublimem cognouimus sagacitatem & gloriam ipsi abundanter recolitis: quoniam & vestra nos Excellentia veluti patrem spiritalem in omnibus colere & honorare animo tranquillo curauit: quo videlicet mutuæ dilectionis fœdere illibato confisi, monasterium sancti Petri, quod appellatur Pultariense, & Ge-

A rardus quondam Comes de rebus suis perfecit, atque dotauit, & sancto Petro tradidit, petimus vt vestra in omnibus tuitione adiuuetur; quia fratres, qui nunc in eo consistunt, & sedulas Deo laudes persoluunt, orantes pro salute omnium in Christo credentium, ab inimicis vicinis perturbantur, omnisque illorum, immo nostra familia crudeliter assiduè vexatur, & opprimitur; ita sanè vt neque arare, neque cætera, quæ ad terræ culturam pertinent possit exercere. Quapropter & vestrum auxilium eidem sancto loco impendatis, & contra Dei, atque eius aduersarios manum vestræ potentiæ, pro amore Dei, & sanctorum Apostolorum Petri ac Pauli, nostráque dilectione extendatis: quatenus vestro potenti brachio freti, salui in omnibus, & securi consistant, vt & in præsenti dignas à nobis retributiones, & in futuro multiplicem à Domino valeatis mercedem cum Sanctis recipere.

Significat villam Vendoaram, nec BOSONI, *nec aliis se concessisse: monet vt eam suo nomine defendant, ac gubernent, de qua re* BOSONI *ait se scripsisse.* AREMBERTVM, *cui* BOSO *eam donauerat, excommunicat, si in illam inuaserit.*

LXII.

B VGONI *&* RADOLPHO *dilectis fidelibus nostris.* COGNOSCAT pro certo fidelitas vestra, quia nos ipsam villam nostram Vendoaram, quam dicitis esse inuasam à Bosone Comite, quasi nos eam cum illo commutassemus accipientes alteram ab eo, neque beneficiali more, neque alicuius commutationis tenore, neque alio quocumque modo cum eodem Bosone, vel alio quocumque homine dedimus, neque commutauimus. Ideò in fidelitate & seruitio sanctorum Apostolorum Petri ac Pauli deuota mente permanentes, ipsam villam sub nostro iure tenete, defendite, & cum Domini auxilio gubernate; nec alicui homini credatis nos aliquando præfatam villam quolibet modo daturos. Direximus verò pro vestro adiutorio, ac defensionis auxilio litteras nostras iam dicto Bosoni Comiti, vt pro amore Dei, & sancti Petri ac nostro, & suos homines inde remoueat, & ipsam villam nullatenus inuadere, nec inuasam retinere præsumat: quin potiùs suo vos brachio tueatur, & ab omnibus erga vos malè agentibus dignetur defendere; si gratiam Dei, & principis Apostolorum cupit habere. Arembertum autem vasallum eius, cui ipsam villam beneficio dederat omni Ecclesiastica communione per Isaac venerabilem Episcopum iussimus esse priuatum; si in eadem villa vlterius temerè intrare, aut aliquam ibi contrarietatem facere præsumpserit.

C *Vt Vendoaram villam, quam contra fidem occuparat, &* AREMBERTO *cuidam concesserat, liberam Ecclesiæ relinquat, & ab ea suos, & alienos remoueat: Monasterium quoque Pultariense tueatur.*

LXIII.

DILECTO *filio* BOSONI *glorioso Principi.* QVANTA vos dilectione, quantóque nostræ paternitatis dilexerimus affectu, ex eo, quo vestram sublimem cognouimus gloriam, ipsi abundanter recolitis: quoniam & vestra non Excellentia veluti patrem spiritalem in omnibus colere, & honorare animo tranquillo curauit; quo videlicet mutuæ dilectionis fœdere confisi, ea quæ sub iure sanctorum Apostolorum Principum Petri ac Pauli per totius Galliæ prouincias immobilia loca consistunt, cum hominibus, omnibúsque sibi pertinentibus, vt vestro potenti brachio defensa manerent rogauimus, vestróque auxilio secura consisterent: quod vos pro amore Dei, & S. Petri, nostróque honore, nobis libenter facere promisistis. Nunc autem, sicut audiuimus, villam nostram Vendoaram absque nostro consensu, & voluntate occupatis, & vni vestro vasallo, nomine Aremberto in beneficium dedistis: & si verum est, non benè, sicut vos decebat egistis. Ideò rogamus fili charissime celsitudinem tuam, vt propter amorem Domini, & sancti Petri cælestis regni clauigeri, ipsam villam nostris, qui ibidem residunt hominibus, sub

CAROLVS SIMPLEX. nostro iure, sicut nos eam ordinauimus, liceat habere securiter, omnésque vestros, A vel alienos homines ab eiusdem villæ habitatione, vel dominatu remoueatis; nec vestris diebus aliquam à quocumque homine contrarietatem patiamur. Simili etiam modo petimus, vt monasterium sancti Petri, quod vocatur Pultariense, & Gerardus quondam Comes de rebus suis perfecit, atque dotauit, & sancto Petro tradidit, petimus vt vestra in omnibus tuitione adiuuetur: quia fratres qui in eo consistunt & sedulas Deo laudes persoluunt orantes pro salute omnium in Christo credentium ab inimicis vicinis perturbantur; omnisque illorum immo nostra familia crudeliter assiduè vexatur & opprimitur. Ita sanè, vt neque arare, neque cætera, quæ ad terræ culturam pertinent, possit exercere. Quapropter & vestrum auxilium eidem sancto loco impendatis, & contra Dei, atque eius aduersarios manum vestræ potentiæ, pro amore Dei, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, nostráque dilectione extendatis: quatenus vestro potenti brachio freti, salui in omnibus, & securi consistant, vt & in præsenti dignas à nobis retributiones, & in futuro multiplicem à Domino valeatis mercedem recipere.

Scribit se litteris eum, vt ad Imperium promoueret, ad Vrbem aduocasse: Rauennam vsque ad eum processisse, sperasséque se auxilium ab eo aduersus Romanæ Ecclesiæ hostes recepturum: quæ spes ita eum frustrata est, vt nunquam hostes magis sæuierint, petit vt Ecclesiæ opem ferat & dum iter parat, legatos ad se mittat: suósque legatos commendat. B

LXIV.

DILECTO *ac spiritali filio* CAROLO *glorioso Regi.* QVOD benè vestra regalis cognoscit sublimitas, à longo iam tempore vos pro vtilitate, & exaltatione S. Sedis Apostolicæ matris vestræ ad culmen Imperij, Deo propitio, volentes perducere, auctoritatis nostræ litteris missis vocauimus, ac postmodum præ magnitudine amoris vestri, relicta nostra Ecclesia inter sæuas hostium non solùm Paganorum, sed etiam malorũ Christianorum manus, ad vos Rauennam peruenimus: quod nullus antecessorũ nostrorum gloriosissimis progenitoribus vestris aliquando fecisse recolitur, sperantes scilicet omnem honorem, pristinúmq; vigorem S.R.E. per vos ad augmentum perfectum perducere, atque inimicorum sanctæ Dei Ecclesię & nostrorum ferocem seueritatem omni modo comprimere, faciléque superare putabamus. Sed quia de his omnibus nihil apud magnitudinem vestram, vt volebamus, peregimus; reuertentes prioribus peiora reperimus. Nam inimici nostri maiori audacia eleuati, non solùm ea, quæ sancti Petri sunt, diripere, sed etiam homines nostros in sua potestate recolligere & retinere non dubitant. Quapropter fili carissime pro certo scitote, quia nos vestrum honorem & gloriam toto conamine desideramus perficere: & ideò vos ea, quæ vtilitati, & exaltationi sanctæ Sedis C Apostolicæ proficua sunt, pro intuitu, mentéque deuota debetis peragere. Vnde obnixè precamur, vt nobis dirigatis Luitubardum venerabilem Episcopum, Manigoldum filium Adalberti, & Adelbertum protopincernam vestrum, qui antequam vos in has partes veniendi iter sumatis, nos & sanctam matrem vestram Romanam Ecclesiam certificent, & ad vestrum honorem & gloriam placabiles, & lætos efficiant: quatenus Deo auxiliante, vobis venientibus Romam, vnum de pactis, & priuilegia sanctæ Romanæ Ecclesiæ, more parentum vestrorum, renouare & confirmare studeatis: & petimus, vt de hoc, quod pro honore Dei, & sanctæ Ecclesiæ, seu vestro nos facere monemus, aliquid inimicis nostris non credatis, neque his, qui magis ea, quæ sua sunt, quàm vestram gloriam quærunt, eo quod honor, & exaltatio S.R.E. vestra protectio est in omnibus, vestráque contra omnes inimicos defensio. Hos autem Missos nostros, Marinum videlicet, venerabilem Episcopum, & Arcarium sedis nostræ, atque Petrum æquè Episcopum Senogalliensem vobis direximus, quos, vt benignè recipiatis, rogamus, & ea, quæ vobis verbotenus dixerint, quasi nobis credere non dubitetis. Data vt suprà.

Imperator à Romano Pontifice eligitur.

Dolet

A *Dolet se non posse cum eo colloqui.* ARNVLPHVM *legatum ad eum mittit, petens ne Romanam Ecclesiam ab hostibus lædi patiatur, ideóque eius legatum cum* ARNVLPHO *ad se mitti iubet.*

LXV.

DILECTO *ac spiritali filio* CAROLO *glorioso Regi.* AVDIVIMVS quod debeatis nunc alpes transire, atque eum carissimo fratre vestro communi eloquio frui: vnde valde turbati existimus, eo quòd secundùm commune placitum, sperabamus nos vobiscum simul conuenire, & magnum, ac proficuum opus exaltationis S. R. E. matris vestræ, vestrique honoris & totius terræ S. Petri salutis peragere. Idcircò direximus vobis hunc charissimum nepotem nostrum Farulfum deliciosum consiliarium nostrum, per quem vestræ regali suggerimus magnificentiæ, vt nullo modo prætermittatis ita ordinare, atque disponere terram sancti Petri; quatenus salua, & defensa non solùm à Paganis, sed etiam à malis Christianis, quos ipsi proculdubio scitis, permaneat: donec Deo auxiliante, reuertentes ad gremium sanctæ matris vestræ Romanæ Ecclesiæ veniatis; quia si hoc prætermiseritis, tanta vndique aduersa vix ferre valemus. Quapropter vestra regalis magnitudo præuideat, ne vestris diebus eadem Ecclesia aliquam minuitatem patiatur, B sed per vos magis augmentetur; quoniam ipsius augmentum vester est honor: ideò petimus, vt cum præsente iam dicto nepote nostro idoneum è latere vestro nobis dirigatis legatum, qui ad salutem, & iustitiam terræ nobiscum interim pariter, & promptissimè in omnibus, prout opus fuerit desudet, vt & nos omnem vestrum honorem libentissimè valeamus perficere: cui ea, quæ vobis dixerit, quasi nobismetipsis credere non dedignemini. Quamobrem rogamus, vt libenti animo hoc facere, & secundùm promissum vestrum adimplere omnimodis satagatis: nam certos vos esse volumus, quia vestrum honorem, & gloriam tota mente desideramus perficere.

Significat ANSPERTVM *dudum Archiepiscopum Mediolanensem in Romana Synodo priuatum, ac* IOSEPHVM, *quem ille in Vercellensi Ecclesia Episcopum ordinauerat depositum, rogat vt* CONSPERTVM *in Vercellensi Ecclesia Episcopum à se consecratum tueatur.*

LXVI.

DILECTO *ac spiritali filio* CAROLO *glorioso Regi.* REGIÆ magnitudini vestræ notum esse volumus, fili carissime, quia Anspertum Mediolanensem C Archiepiscopum, in prima quidem Synodo in Ecclesia beati Petri Apostoli habita pro suis euidentissimis negligentiis, & præsumptionibus, vnà cum Reuerendissimo Episcoporum cœtu regulariter excommunicauimus, sed mentem suam in superbiam erigens, non solùm pro perpetratis veniam humiliter non quæsiuit: verùm etiam ante audientiam, & nostram Apostolicam absolutionem sacrum præsumpsit ministerium celebrare, atque contra sacros canones contráque regiam, & nostram Apostolicam voluntatem Episcopum in Vercellensi Ecclesia enormiter consecrare præsumpsit. Pro quibus videlicet tantæ temeritatis præsumptionibus, & ipsum Anspertum dudum Archiepiscopum in ea, quæ nuper acta est Synodo, omni Episcopali honore priuauimus, & eum, quem illicitè ordinauit Episcopum, decreuimus Synodali iudicio depositum: intuitu tamen misericordiæ in pristinum, quo erat antea gradum reuerti. Porro nos, secundùm voluntatem, & petitionem dilecti filij nostri Carolomanni gloriosi Regis hunc Conspertum Reuerendissimum, de quo iam olim vobis per vestrum fidelem Missum innotuimus in eadem Vercellensi Ecclesia, consentientibus omnibus comprouincialibus Episcopis Antistitem consecrauimus, quem petimus obnixè, vt pro amore Dei & sancti Petri, ac nostro, vestræ potentiæ brachio tueamini, & pro vt ei opus fuerit, dignum semper in omnibus præbeatis solatium. Regalem excellentiam vestram Dominus conseruet incolumem charissime fili. Data vt suprà.

CAROLVS SIMPLEX. *Monet, vt res* ANGELBERGÆ *restituat, sin minus, denunciat illi excommunicationem, nisi intra duos menses ad reddendam de his rationem Romam veniat.* A

LXVII.

NOTINGO *Nouariensi Episcopo.* AVDIVIMVS te res spiritalis filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ iniustè tenere, quas volumus, & Apostolica auctoritate præcipimus, vt continuo reddere studeas, & quod tibi retinere debere nulla lege cōceditur, sub omni celeritate dimittas, vt ei, cui pertinere videtur, his perfrui modis omnibus liceat. Nam si continuò præfatas res non reddideris, monemus, & Apostolica auctoritate præcipimus, vt intra spatium duorum mensium Romam ad reddendam pro his rationem occurras, & coram nobis congruam satisfactionem exhibeas: alioquin tamdiu excommunicatus existas, quamdiu huic nostræ commonitioni obtemperans, hæc quæ statuimus, adimplere procures. Data 14. Kalend. Nouemb. Indictione decima tertia.

Rogat vt bonorum ANGELBERGÆ *Imperatricis curam sustineat.* B

LXVIII.

NOBILISSIMIS *viris ac dilectis filiis* EGIFREDO, SVPPONI, ERIPALDO, BERARDO, BONIFACII *filio*, *&* COTEPHREDO *gloriosis Comitibus.* SCIENTES profectò ea, quæ sagacitati vestræ committimus, vos pro amore Dei, & sanctorum Principum reuerentia, nostráque dilectione, pio mentis affectu perficere: ideo pro parte dilectissimæ, ac spiritalis filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ his Apostolatus nostri litteris gloriam vestram magnopere deprecamur, vt omnium rerum eius vbicúmque consistentium, curam, & solicitudinem maximam habeatis: quatenus vestro prudenti consilio, ingentique solatio eius omnia salua, & indiminuta, secura, & defensa consistant; ita sanè, vt nulli easdem res inuadere ac deprædare sinatis. Quia & nos eum, qui facere, vel fauere facienti præsumpserit, spiritali proculdubio gladio feriemus: quatenus ex hoc, & nos secundùm collatum nobis diuinitus Apostolicum ministerium, dignas atque multiplices nobilitati vestræ gratias habeamus: benedicentes vobis omni benedictione spiritali in Christo Iesu Domino nostro, & vestræ fidei laudabilis rumor per ora fidelium semper vbique resonet ad augmentum vestræ perpetuæ remunerationis. Data vt suprà.

LIVTFREDVM *Comitem, quia monialem, quæ è monasterio effugerat, suscepit, & bona* ANGELBERGÆ *Imperatricis diripuit, excommunicat, nisi statuto tempore satisfecerit, monet ne quisquam cum eo communicet.* C

LXIX.

REVERENDISSIMO ANTONIO *Episcopo Brixiensi, & nobilissimo viro, dilectóque filio* BERENGARIO *glorioso Comiti.* QVIA dilectus, ac spiritalis filius noster Carolomannus gloriosus Rex suis Regalibus litteris, & Missorum nostrorum verbo, nostro præsulatui pio mentis affectu commisit vt nos curam huius Italici regni haberemus, tam pro diuinitus nobis commissa pastorali sollicitudine omnium Christi ouium, quàm etiam pro præfati Regis vice cura concessa, illa quæ contra Deum & iura legis alicubi cognoscimus præsumptione commissa, omni volumus conamine compescere, & vnam ouem morbidam gladio percutere, spiritali, vt ad salutem quoquomodo anima vulnerata perueniat, antequam totus grex vnius contagione maculetur. Audientes igitur veracitérque scientes Liutfredum Comitem suscepisse quandam sanctimonialem nomine Gerlindam de Placentino monasterio fuga lapsam, & post nostram super hac caussa admonitionem, salubrémque prohibitionem, eam detinuisse, atque cum propria vxore suisque illi pariter communicasse, nobilitati vestræ paterna dumtaxat dile-

A ctione mandamus, vt & tam pro eadem sanctimoniali, * quam facultatibus dilectæ filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ, cui debitam omninò debuit fidem conseruare, latenter recepit: & hactenus contra nostrum ei reddere distulit interdictum, quámque etiam, quia cortes ipsius sub nostra Apostolica tuitione, ac defensione perenniter susceptas, deprædari temerè præsumpsit: nos eum à communione fidelium sequestramus; ita scilicet, vt si infra Italicum regnum consistit, intra dies triginta habeat omnia sub vera satisfactione reddita, quæ violenter abstulit. Et si extra regnum Italicum esse videtur, infra dies sexaginta, ac deinde, si hæc omnia paruipendens in sua pertinacia manere, nihilque studuerit emendare, anathematis vinculo sit innodatus, donec ad nostram Apostolicam præsentiam venerit, & pro illicitis his omnibus veram coram nobis satisfactionem facere studuerit: idcirco volumus, vt nullatenus ei communicetis, si nostro Apostolico vultis, vt dilecti filij, consortio frui. Data vt suprà.

* Deest aliquid.

Rogat Regem, vt HIERONYMVM *Lausonensem Episcopatum pacificè retinere permittat, necnon vt* THEODERICO *Archiepiscopo res eius Ecclesiæ à quodam* HVBONE *ablatas reddi iubeat.*

B

LXX.

DILECTO *ac spiritali filio* CAROLO *glorioso Regi*. MAGNITVDINEM vestram ingenti nobis amore dilectam nosse volumus; quia Hieronymus sanctæ Lausonensis Ecclesiæ Episcopus, apud B. Petrum Apostolorum Principẽ, nostrúmque Pontificium veniens, humilitatis deuotione petiit quatenus Lausonensem Ecclesiam, quam iam olim regendam susceperat, ei deinceps nobis fauentibus habere liceret. Nos autem eius precibus moti, iuxta quod omnium Ecclesiarum Dei curam habemus commissam, & quia nostra exhortatione, illum vobis fidelem in omnibus, propriúmque (sicut cæteri Regni vestri Episcopi existunt) esse cupientes agnouimus, his Apostolatus nostri litteris excellentiæ vestræ suggerimus, vt eum pro amore Dei, & sancti Petri, & nostro, & benignè recipiatis, & iam dictum Episcopatum Lausonensem sibi diuinitus concessum, nostráque Apostolica etiam auctoritate commissum sub omni integritate recipere, haberéque securiter permittatis; ne amplius eadem Ecclesia contra statuta pattum, sine proprio rectore consistat. Nam regulariter illum electum, & proprio Archiepiscopo caussa infirmitatis præbente consensum, & Episcopos consecratores illius litteris, quas nobis ostendit, rogante, consecratum fuisse iam dictæ Ecclesiæ Episcopum, incunctanter agnoscimus. Et idcirco volumus, & rogamus, vt absque temporis
C protelatione, vel aliqua contradictione, suum, vt diximus, Episcopatum habeat, teneat, atque cum Dei reuerentia disponat: quoniam nos in alterius hominis electione vel consecratione, isto viuente, consentire nullo modo patiemur, eo quod præcipua sanctorum Patrum auctoritas iubeat, duos simul in vna ciuitate non debere esse Episcopos. Quamobrem, charissime fili, hortamur nihilominus, & obsecramus regiam gloriam vestram, vt, Deo auxiliante, ipsa Ecclesia proprio nunc recepto pastore, sub vestræ clementiæ tutamine pacifica iam, & quieta consistat, vt eius precibus adiuti, post hoc regnum terrenum vobis concessum, sempiternum percipere mereamini. Præterea, & Theodericus sanctæ Chrysopolitanæ sedis Archiepiscopus, multas nostris Apostolicis auribus super Hubonem fidelem vestrum querelas direxit, eo quòd res Ecclesiæ illius inuaserit, pro quo etiam precamur, vt easdem res Ecclesiasticas iam dicto Archiepiscopo sub integritate reddere faciatis pro amore Dei & nostro: & nulla deinceps ei permittatis aduersa vel contraria inferre. Data 20. die mensis Iunij, Indictione 13.

CAROLVS SIMPLEX. A

Commendat eius erga Romanam Ecclesiam obseruantiam: rogat vt legatum sibi auxilio mittat.

LXXI.

DILECTO *ac spirituali filio* CAROLO *glorioso Regi.* MVLTIPLICES regiæ magnitudini vestræ his nostris Apostolicis litteris gratias agimus pro vestra tam ingenti cura, & sollicitudine, quam circa sanctam Romanam Ecclesiam matrem vestram habetis, atque pro vestræ deuotionis sinceritate, qua nos puræ mentis affectu more parentum vestrorum diligitis, & in omnibus adiuuare alacriter cupitis. Et quia pro exaltatione, atque vtilitate sedis Apostolicæ totiúsque terræ sancti Petri defensione, vos prompta mente desudare velle cognoscimus: in quo scilicet vestri desiderij affectu piissimo, & diuinam circa regiam gloriam vestram habebitis adiutricem, & placabilem Maiestatem, & dignam non solùm in hoc sæculo, sed etiam in cælesti postmodum regione retributionem proculdubio recipietis. Quid verò mandastis, vt Marchiones vestri, qui circa nos existunt, ad defensionem necessariam peragendum nobiscum pariter decertare debuissent; hoc autem sine vestræ Maiestatis præsentia, vel sine idonei optimatis vestri nullo modo, sicut oportet, proderit nobis; eo quod ipsi Marchiones homines de ciuitatibus, & propriis finibus nostris, cum quibus territorium sancti Petri poteramus satis defendere, in suo assiduo seruitio habent, & nonnullos eorum potentia sua defendunt, & ita impediunt, vt nostrum seruitium secundùm voluntatem nostram minimè perficere valeant. Vnde precamur excellentiam vestram, vt pro amore Dei, & principis Apostolorum honore, talem nobis de præsenti Missum dirigatis, cum quo per vestræ auctoritatis potentiam, ea quæ sanctæ Dei Ecclesiæ & nobis pertinent incunctanter valeamus perficere: quatenus eosdem homines nostros, qui nobis sublati sunt, omnimodis recipiamus, vt omnis honor & vigor sanctæ Ecclesiæ vestris diebus in omnibus integer adcrescat, & indiminutus permaneat, quoniam ipsius honor, & exaltatio vestra hic & in æternum est salus & gloria. Nam & nos ea, quæ vestræ gloriæ proficua sunt, libentissimè perficere cupimus, & nostris assiduis precibus vos Domino commendare, Apostolorum suffragantibus meritis semper satagimus. Hæc itaque pro vtilitate sanctæ Ecclesiæ modo fieri petimus, vt cùm vestrum gloriosum aduentum fauente Domino conspexerimus, optata & ingenti pariter lætitia exultare valeamus. Data die 23. mense Iunij, Indictione decima tertia. B

Gratulatur de eius erga Romanam Ecclesiam obseruantia, cuius eum defensorem elegit. Monet ne aduersariis fidem habeat, laudat quod ditionem sancti PETRI *ab hostili incursu defendi iusserit.* BOSONI *tanquam tyranno auxilium se non datorum affirmat, optat eius aduentum, & rogat vt legatos mittat.* C

LXXII.

DILECTO *ac spirituali filio* CAROLO *glorioso Regi.* REGIÆ magnitudinis vestræ receptis apicibus, ac diligenter perlectis, quia more Christianissimorum Principum parentum vestrorum admonitionis & exhortationis nostræ doctrina repleri vos velle cognoscimus, nostróque consultu, ea quæ pro sanctæ matris vestræ Romanæ Ecclesiæ, & totius Christianitatis defensione salubria ac vtilia esse videntur, animo libenti cupiatis perficere; valde gratulamur, & immensas Domino gratias referimus, & optamus, vt cuncta circa vos semper prospera, diuina fauente gratia, existant. Ea etenim, quæ de vestris caussis, & euentibus vestris nobis litteris non retulistis, fideli relatione communis fidelis, & reuerendissimi Episcopi Vvibbodi luculenter didicimus; eique omnem familiaritatis aditum pio affectu præbentes, vestræ voluntatis arcana cognouimus, per quem, & nos celsitudini vestræ aliqua verbotenus

A intimanda reximus. De oppressionibus autem Græcorum (sicut vobis à quibusdam æmulis nostris nunciatum est) nos aliquid nullo modo scimus; si vera certissimè sciremus, dilectioni vestræ cum omni deuotione celeriter nunciassemus: quoniam Dei omnipotentis proculdubio inspiratione & voluntate, vos præ omnibus eligere, & inclytum in omnibus negotiis sanctæ sedis Apostolicæ, nostrisque profectibus patronum, & defensorem habere omnino curauimus: & ideò, vitam comitem longa per tempora optamus possidere. Quapropter inimicis nostris, quos nobis aduersarios, & zizaniorum seminatores esse cognoscitis, aurem clementiæ vestræ nullatenus accommodetis. Nam inimicus semper contraria loquitur: tamen benè vos fecisse laudamus, quod omnibus Episcopis, & Comitibus, qui circa nos consistunt, auctoritate vestra mandastis, atque iussistis, vt terminum S. Petri ab hostili nempe incursu, nostro pariter instructi mandato, defendere debeant. Valde necessarium est, vt non solùm à malis Christianis, verùm etiam, & à Sarracenis vbique diffusis, vbique & vndique nos sine intermissione deprædantibus, & more furum nostra diripientibus tueri procurent. Pro qua videlicet necessitate, quam supra modum patimur, ipsius Vvibbodi Episcopi hortatu, in quandam cortem nostram exiuimus, & vna cum Vvidone Comitis Lamberti filio loqui voluimus huius rei caussa: sed ipse adesse prætermisit, sicut iam dictus fidelis noster ac vester vobis poterit enarrare. De Bosone quoque certos vos esse volumus, quia neque aliquem familiaritatis locum, aut receptionis nostræ auxilium apud nos habebit neque poterit inuenire: eo quod vos, vt prælibauimus, amicum & adiutorem quæsiuimus, & loco charissimi filij retinere toto mentis conamine volumus. Nam nihil nobis de parte ipsius pertinere videtur, qui talem tyrannidem præsumpsit committere. De vestro quoque aduentu, quem Deo fauente adesse mandastis, valde sumus gauisi effecti, & pro tantis calamitatibus, quibus circundati, & oppressi existimus, optamus & vehementer rogamus vestram specialem citissimè, Deo propitio, contemplari præsentiam. Ioannem verò reuerendissimum Episcopum Tritiensem penes nos hac vice retinuimus, vt si aliquid noui nobis euenerit, & necesse fuerit per eum vestris mandare fidelibus, ac per ordinem quæ opportuna fuerint, significare possimus. Pro iustitiis autem faciendis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vt idoneos, & fideles virosè latere vestro nobis depræsenti dirigatis, obnixè deposcimus, qui nobis pariter cum Missis nostris proficiscentibus, de omnibus iustitiam plenissimam faciat, & vestra regali auctoritate malè agentes corrigant, & emendent: præterea, sicut vestro proprio nobis ore fili charissime promisistis, vt in hoc duntaxat opere vestram voluntatem, vestræque mentis affectum circa nos purissimum fore luce clarius agnoscamus, vt & nos vestrum desiderium pio semper valeamus affectu perficere. Data vt suprà.

CAROLVS SIMPLEX. Aimon. lib. 5. cap. 39. & 40. Regin. lib. 2.

B

C *Gratias agit de eius erga sedem Apostolicam obseruantia, suam erga eum beneuolentiam testatur; aduentum eius pro Ecclesiæ necessitatibus expectat, monétque vt aliquem legatum mittat. Queritur de* GEORGIO *quodam excommunicato, qui ipsius Imperatoris auctoritate fultus bona Romanæ Ecclesiæ inuaserit, rogat vt promissa auxilia mittat.*

LXXIII.

EXCELLENTISSIMO *& dilecto filio* CAROLO *glorioso Regi.* RELEGENTES regalis excellentiæ vestræ litteras, deuotionẽ vestram quam circa sanctam Ecclesiam matrem vestram, & circa nostrum Pontificium habetis, luce clarius nouimus; vnde multiplices gloriæ vestræ gratias referimus. Nã & nos vos semper quasi dilectum & spiritalẽ filium retinemus, & pio mentis affectu desideramus amplecti; & pro augenda gloria vestra assiduè solliciti incunctanter existimus. Quod autẽ nobis mandastis, vt vestrũ optatum præstolaremur aduentum, pro eorũ aduersitatibus emendãdis, qui nobis cõtraria inferre, & qui à nostra ditione homines nostros subtrahere præsumunt; nos quidẽ vestrum aduentũ toto desiderio pro tantis Ecclesiæ Dei necessitatibus, quæ ad augmentum gloriæ vestræ sunt emendãdæ, omnimodo

CAROLVS SIMPLEX. optamus inspicere. Sed sicut vobis nostris iampridē Apostolicis litteris suggessimus, A vt vestrū idoneum Missum nobis direxissetis, cū quo aliquid de Ecclesiasticis vtilitatibus potuissemus perficere, pro qua causa non eū miseritis, miramur. Quamobrē petimus, vt eumdem Missum, antequam veniatis nobis dirigere non omittatis: vt cùm Deo auxiliante, veneritis, nobis simul conuenientibus, vera inter nos dilectio, vtpote inter spiritalem patrem & charissimum filium possit existere. Præterea postquam Georgius, excommunicatus & anathematizatus cum homine Vvidonis est, à vobis reuersus, assiduo sumus mærore turbati; eo quod audácter veniens quasi vestra fultus auctoritate, in proprietates olim suas, quæ ad ius S. R. E. (Carolo diuæ memoriæ Imperatore patruo vestro concedente, non legaliter peruenerunt, & nunc vsque iuri nostro defendebamus & tenebamus) temerè pariter cum aliis introiuit: & nostros, qui in circuitu homines existunt, affligere & deprædari non cessat. Vnde obnixè rogamus vestram magnitudinem, vt sicut nobis ore proprio promisistis & per Epistolam vestram, atque legatos nostros, Luitvvardo venerabili sanctæ Vercellensis Ecclesiæ Episcopo mediatore existente, mandastis præsentialiter nobis adimplere satagatis: quia nos ea, quæ vobis promisimus, omnimodis adimplebimus, aut eosdem infideles nostros procul à nobis expellatis, vt nulla nobis aduersa vel contraria valeant aliquatenus moliri, quousque Deo propitio, vos veneritis. Quarto idus Septembris, Indictione decima quarta. B

Lætatur de eius incolumitate. Deúmque orat, vt omnia ei prosperè eueniant, nunciat Sarracenos à Græcis victos, séque à Sarracenis, & aliis etiam valde premi: quare petit, vt sibi quàm citissimè auxilio veniat.

LXXIV.

CAROLO *glorioso Regi.* SVSCEPTIS gloriæ vestræ spiritalis atque desiderabilis fili, nobis directis apicibus, atque relectis: quia vos, Deo gratias sanitate vigere cognouimus, ineffabili & vltra quam dici possit iocunditate refecti, in Domino gratulati sumus: & vt magis, ac magis vobis Dominus Deus noster prosperitatem tribuat, triumphum de aduersantibus concedat & felicia tempora ad regnum pacificè, atque iustissimè disponendum multiplicet, continuis votis eundem Dominum deprecamur. Quia nihil omnino fili charissime nobis dulcius, nihilque amabilius, quàm vt vos semper ad defensionem, & exaltationem sanctæ matris vestræ Romanæ Ecclesiæ cognoscamus esse promptissimos; & eis qui eam diuersis modis impugnant, libera correctionis, ac disciplinæ sententia contraire. Nos autem licèt in innumeris infirmitatibus, atque angustiis constituti, Deo gra- C tias, vtcumque valemus: sed tunc potiùs nostra sanitas erit, si vos omni prosperitate, vt diximus, pollere cognouerimus; & ad nobis conferendum solatium festinanter occurrere, vt alterna visione loquamur, non pati moras aduertimus. Cæterum, quod dicitis, vt Liutuuardum venerabilem Episcopum communem fidelem nostrum ad nos præmittatis, valde in Domino gratulamur: & cùm eum pro communi vtilitate semper desudare cognouerimus, magnum nobis gaudium in aduentu illius nascetur, eo quod in ipsius præsentia vestram intuebimur excellentiam. Postremò fili charissime, quod sciscitamini de Græcis, atque Hismaëlitis, & cæteris quibusque exteris nationibus, vel conciuibus, qualiter res agatur; breuissimè respondemus. Sed vt hæc omnia ex intimo corde, atque dolenter aduertatis, omni mentis conamine exhortamur: tamen Deo sint grates & laudes, quia Græcorū nauigia in mari Hismaëlitarum victoriosissimè strauerunt phalanges, & eos, prout Dominus voluit, debellati sunt. Sed nos tamen tam ipsi iam dicti Hismaëlitæ, quàm alij conciues nostri impugnant, ac persequuntur, vt extra muros Vrbis nullatenus, vel qui labore manuum suarum viuere valeant, vel qui, vt ita dixerim Christianitatem suam, sicut decet, obseruent, egredi liberè possint: ac per hoc, immo pro his omnibus, si citissimè, & omnibus occasionibus, omnibúsque excusationibus postpositis, & contemptis, ad omnem nobis, & huic regioni valde afflictæ conferendum solatium non veneritis, proculdubio scire potestis quia ad peccatum vestrum, & damnum omnium hæc terra peribit. Vnde pro Deo festinan-

A tes iter ad nos veniendi assumite, & vt bella Domini vice illius præliemini, ad beatorum Apostolorum limina Deo præduce, pro Christianorum omnium auxilio properate. Data quarta Kalend. Nouemb. Indictione decima quarta.

Rogat vt vnà cum CAROLO *Imperatore de reuocanda ab exilio & Romam remittenda* ANGELBERGA *consentiat: vbi eam ita se custoditurum pollicetur, vt nihil mali contra Imperatorem moliri possit: & si quid moliatur, Imperatori se eam redditurum promittit.*

LXXV.

LVDOVICO & CAROLOMANNO *Regibus*, & HVGONI *Abbati*. NOSSE volumus vestram dilectionem, quia spiritalem filium nostrum Carolum Serenissimum Imperatorem Romæ nobiscum degentem rogauimus, vt spiritalem filiam nostram Angelbergam Deo deuotam, quæ se sancto Petro Apostolo & nobis, cum suis omnibus commendauerat, quam etiam coniunx illius diuæ memoriæ Ludouicus Augustus adhuc viuens nostræ tuitioni specialiter submiserat, ab exulatu reduceret; & apud nos etiam Romam, vbi nulla iam de illa sinistra suspicio oriri B posset, pro amore Dei, & Christi clauigeri ipsius beati Petri Apostoli, simúlque nostro dirigeret. Quod ille libenter se facturum promittens, quantum comperimus, vestrum super hoc præstolatur assensum: & quidem nos de communi dilectione & pace, siue concordia vestra gaudemus, & Deo pro hoc innumeras grates referimus: sed tantùm de ipsius spiritalis filiæ nostræ recuperatione & reditu vos deprecamur, quantum si ipsa ad nos reducta fuerit, vt nihil penitus iam, vel contra eundem Imperatorem, vel contra nos agere possit, nostris nos attestationibus certissimos reddimus. Idcirco iuncta vestra deuotio cum eiusdem Augusti obedientia absque omni protelatione iam dictam Deo deuotam fœminam, quam ad limina Apostolorum, à quorum confessione altarium nostro semper tuendam præsidio suscepimus pro amore Dei, & nostro remittere, quantum in vobis est, non omittatis. Quia si hic apud nos rediens habitauerit, tanta custodia circunspecta, nobis credite, erit, vt nec Bosoni, nec alij homini ad perturbationem Imperij, siue Regni quodlibet adiutorium, vel auxilium verbis, aut scriptis præbere quoquo modo valeat. Veruntamen vnum est, quod vobis veraciter, & vnde occasionem vos ad nos contemnendum non possitis assumere: hoc ecce proponimus scilicet, si eandem Angelbergam, vel in modico contra Imperialem, aut nostram voluntatem aduersi quippiam moliri, aut velle manifestis cognouerimus indiciis: præsentialiter illam reddere, ac remittere imperialibus satagemus obtutibus: quatenus, quæ disciplinam fortè recipere, quod nec optamus, distulerit, non solùm C mundana vestra iudicia non euadat; verum etiam, nec nostram miserationem quæ delinquentibus parcere consueuit, inueniat. Ideóque charissime fili, estote in hoc nostri cooperatores & adiutores, & audiat nos continuo excellentia magnitudinis vestræ, vt & vos à Domino exaudiri mereamini; & per felicia tempora Regni gubernacula moderantes, cum Christo regnum, quod finis nullus angustat, intercedentibus beatis Apostolis, capescere valeatis. Data quarta Idus Martij, Indictione decima quarta.

Ludouicus & Carolomannus filij fuerunt Ludouici Balbi Francorum Regis, de quibus Aimon. lib. 5. cap. 40. & Regino lib. 2. Chron.

Nunciat Imperatori se iis malis à Sarracenis affici, vt amplius sustinere non possit, rogat eundem, vt sibi subsidio exercitum maturè mittat, eique palmam cum benedictione mittit.

LXXVI.

CAROLO *Imperatori*. MVLTARVM oppressionum nostrarum fili charissime, vobis obliuisci non conuenit, & calamitatum nostrarum, quas sancta mater vestra Romana Ecclesia patitur, oportet vos reminisci, & tunc demum ad aliquam consolationem nostram manum vestræ pietatis porrigere, & auxilium nobis præbere quantocyus debetis: scitis namque, quæ, quanta, & qualia, præcipuè à paganis mala, quantásque etiam miserias patimur: & in nobis commissis, quantum quotidie affligamur, & vos estis experti, & nos partim vestræ clementiæ paulò an-

Carolus eius nominis tertius Crassus dictus. cuius suprà & in Epistola 41. facta est mentio.

CAROLVS CRASSVS. tè significauimus. Et cùm quotidie hęc eadem mala non minui, sed magis ac magis A crescere ac dilatari cernamus, dolor & gemitus, ac sine fine tristitia imminet, ac per hoc libet magis mori, quàm proh dolor! iam talia tolerari. Proinde spiritalis fili, sempérq; Auguste, gloriam vestrã summopere deprecamur, vt pro amore Dei omnipotentis & reuerentia principum Apostolorum Petri ac Pauli * hostilem exercitum, quem istas in partes venturum esse dixistis, moram perpeti non sinatis, sed cum omni velocitate, ad auxilium nostrum, quæsumus, dirigatis: vt Domino adiuuante, ad respirationem nostram Agarenos expugnet, & nobis quantulamcunque de ipsis paganis tranquillitatem valeat ferre. Sed & è latere vestro, qui eidem exercitui præesse possit, tam strenuum, támque idoneum Missum modis omnibus tribuatis, qui & ductor exercitus vestri existat; & quam defensionem, vel adiutorium nobis faciant, ipse præuideat, & quidquid vestra vice est peragendum, potestatiuè perficiat: alioquin non solùm ex hoc maxima negligentia erit, & omnis vestra vtilitas deperiet, sed etiam nouissima nostra erunt peiora prioribus; & vos quantum ex hoc habeatis peccatum, dici non potest. Ideóque propter Deum succurrite nobis, succurrite, vt non dicant in circuitu nationes, vbi est Imperator eorum? Præterea honorificentiæ vestræ cum benedictione Apostolica palmam, per quam signum datur victoriæ; Ecce ex more direximus, exoptantes, omnipotentémque Deum deprecantes, vt hanc cum lætitia nos in die tantæ solemnitatis gestare faciat, atque permittat, & ad omnium nostrum vtilitatem profectum, aures præcordiorum vestrorum diuinitus inclinare dignetur. Data quarta Kalendas Aprilis, Indictione decima quarta. B

* vestrum.

Arguit eum, quod alterius legitimam vxorem raptori tradi consenserit, & Romanæ Ecclesiæ ausus fuerit aduersari: has ob causas illum à conferendis sacris ordinibus suspendit, donec à Synodo, ad quam eum iubet venire, eius causa cognoscatur.

LXXVII.

ROMANO *Archiepiscopo Rauennati, Missa per* DELTONEM *venerabilem Episcopum.* INTER cætera quæ de te audiuimus veniens Deus dedit Dux retulit nobis, quòd vxorem illius de qua legaliter definitum est, ad te callidè venire fecisses, & alteri viro raptori, in stupro vtrique tradidisses: quod nimirum tanti flagitij scelus te, iuxta tuum ministerium, omnimodis prohibere, ac funditus resecare oportebat: tu autem consensum illicitè præbuisti. Cognoscimus etiam multis indiciis, quod ausu temerario contra sanctam & dominam tuam Romanam Ecclesiam recalcitrare, & contra tuæ iuratoriæ sponsionis tenorem luculentissimè C agere nullatenus dubitasti. Vnde auctoritate Dei & B. Petri, nostráque tibi præcipimus, & præsenti statuto iubemus, vt nullam omnino sacerdotalem ordinationem pro talibus, quibus es irretitus ciriminibus, facere quoquomodo præsumas, donec 8. Kalend. Octob. futuræ quintæ decimæ Indictionis, ad Synodum, quam Deo fauente, pro Ecclesiasticis videlicet vtilitatibus, secundùm sanctorum Patrum statuta celebraturi erimus, omni postposita occasione venire procures: quatenus Synodali decreto ea, quæ de te dicimus, examinata, canonicum finem percipiant. Data vt suprà.

Gratulatur de eius incolumitate, gaudet ipsum aduenturum esse statim in Italiam, hortatur vt maturè Romanæ Ecclesiæ auxilio veniat, & GVIDONEM *prædatorem ab Ecclesiæ finibus eiici iubeat.*

LXXVIII.

CAROLO *Imperatori.* COGNOSCENTES de vestra incolumitate, quod oppido videbamus, Deo gratias egimus, & vt magis ac magis prosperitatibus, & innumeris gaudiis fulciamini, maiestatem diuinam supplicibus votis omnimodo flagitauimus, scientes & multis experimentis discentes quod vos eadem vultis, eadem quippe desideratis, quoniam si nostra mediocritas viguerit & valuerit, illa

A vos facturos hortabitur, vnde & sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ defensio augmentabitur; & vobis copiosa merces in cælo in perpetuum reponetur. Quod autem dicitis, vt postpositis cæteris curis, iter vestrum in Italiam recto itinere ordinatum habeatis, grato animo suscepimus, & vt vtinam non solùm Papiæ, verùm etiam propiùs essetis, necessitas maxima deposcit. Ideóque quod cœpistis cum Dei adiutorio, velociter vestra sublimitas perficere studeat, & ad defensionem, imò securitatem sanctæ matris vestræ Romanæ Ecclesiæ, sicut dixistis, cæteris curis postpositis, mente & brachio potenter occurrat: quia quantis affligatur, & conculcetur angustiis, iam dicere non valemus, cæterum de Vvidone Rabia, inuasore scilicet & rapaci, vestra gloria subueniat, & eum de finibus nostris, vt aliquantulum populus noster releuari valeat, eiicere modis omnibus iubeatis. Data III. Idus Nouembris.

Præcipit vt OPTANDO *Episcopo à se consecrato obediant.*

LXXIX.

CLERO *& populo Geneuensi.* DILECTISSIMI filij nostri Caroli Imperatoris, principúmque ipsius relatu, vestram Ecclesiam viduatam cognoscentes
B pastore, & propter dissensionem Bosonis, cui sociatus eiusdem sedis videtur Metropolitanus, ordinationem electi vestri Optandi differre, auctoritate & potestate Apostolica, secundùm deprecationem eiusdem serenissimi Imperatoris, filij scilicet nostri spiritalis Caroli, atque optimatum eius, præcognita vestra omnium in eodem Optando electione, & qualiter idem serenissimus Imperator eidem Ecclesiæ electionem perenniter de proprio clero donauerat, diutiùs ipsa Ecclesia ne viduata maneret pastore, consecrauimus eum sancti Spiritus gratia, & ad regendum vos pastoraliter instructum direximus, quem deuotè & vnanimiter suscipientes obedientes ei, vt pote proprio patri spiritali sitis in omnibus, saluo deinceps eiusdem loci priuilegio antiquo propriæ Metropolis, sancimus, vt quicumque huic nostræ auctoritati, & Apostolicæ deliberationi contra stare, aut non obedire, vel, quod absit, electionem ipsius Ecclesiæ aliquando peruertere, aut infringere, quam, Deo propitio, iustè est assecuta, tentauerit; gladio vtique canonicæ disciplinæ nouerit se feriendum, atque omnipotentis Dei vindictam non euasurum, si digna celeriter non fuerit satisfactione sanatus. Confirmamus denique nostri Apostolatus auctoritate omnes res eiusdem Ecclesiæ pacificè ac quietè perpetualiter possidere. Et quicumque easdem inuadere ac dissipare ausus fuerit, postquam à proprio Episcopo canonico admonitus fuerit, si secundum diuinas, & humanas leges non emendauerit, sub anathemate sit damnatus.

C

Hortatur det operam, vt CAROLVS *Imperator* ANGELBERGAM *Romam venire patiatur, quam se ita custoditurum promittit, vt nihil contra ipsum* CAROLVM *cum* BOSONE *moliri possit; & si quid tentauerit se eandem remissurum pollicetur.*

LXXX.

OMNIBVS *Reuerendissimis, & sanctissimis Archiepiscopis, & Episcopis huius Italici*, omnibus gloriosis Comitibus filij nostri Imperatoris.* SI ea quæ saluti, & vtilitati proximorum necessaria sunt, secundùm sollicitudinem & curam gregis Dominici nobis ad benè regendum commissi, diuinæ pietatis memores agere studemus; omnipotentem Deum in his quibus & ipsi ex humana infirmitate quotidie indigemus, habebimus omnino propitium, & in bonis omnibus proculdubio adiutorem. Igitur sanctitatem vestram nosse volumus, quoniam Missis & Apostolatus nostri litteris, dilecti ac spiritalis filij nostri Caroli gloriosissimi Imperatoris clementiam obnixè rogamus vt Angelbergam filiam nostram, quam diuæ memoriæ Ludouicus Rex pater Imperatoris, & Ludouicus Imperator vir eius vobis Veronæ commendauerunt, ac postmodum ipsa se sancto Petro tradidit, & de ipsius altaris confessione tuendam recepimus, de loco in quo nunc esse constat, pro amore

* regni.

CAROLVS CRASSVS. Iesu Christi Domini nostri, & pro sanctorum Apostolorum Petri ac Pauli reuerentia, nostráque paterna dilectione præsentialiter reduci, & ad nos eam dirigere iubeat. Vnde vos fratres & comministros nostros pio mentis conuenimus, atque hortamur affectu: quatenus in huius fœminæ reuersione vel salute nobiscum cooperari, pariterque desudare studeatis; vt vestro consilio, vestróque instanti hortatu, ipse Augustus nostræ petitionis affectum more parentum suorum libenti perficiat voluntate. Nam sicut illud regnum; in quo nunc illa sub custodia manet, eius est; ita & istud: & sicut ibi custoditur, ne aliquod solatium, vel consilium dare, facereque possit Bosoni: ita nos eam in tali loco habitare faciemus, quò nihil aduersi moliri, nihilque valeat machinari contrarium ad huius regni, & Imperij perturbationem: & si contra eius, ac nostram voluntatem aliquatenus eam agere, aut velle cognouerimus, illicò ad imperialem remittemus præsentiam, nec nostro erit amplius adiuta consilio. Quod nimirum, vt nobis sine omni dubitatione credatur, vnum ex his legatis nostris venerabilibus Episcopis, quos pro ea Imperatori direximus, satisfaciendo, repromittere iussimus, ita nos esse incunctanter facturos. Neq; enim, sicut cum Coepiscopis, & primatibus eius promissum est, nullum temporale adiutorium & consilium iam fato se fore præbiturum Bosoni: & quod sicut prædiximus, diligentissimè custodita, non poterit de his omnibus quicquam agere. Idcirco per Dominum vos adiuramus, vt toto conamine in hoc opere nobiscum pro amore Dei desudare, eique manum porrigere procuretis, vt & nos in vestris proficuis vtilitatibus & necessitatibus esse prompti possimus: & cui manum porrigere volueritis, nobiscum omnimodis porrigamus, dignásque vestræ Deo dilectæ sanctitati pro vestro labore, atque deuotione gratias habere valeamus.

Gratulatur de eius obseruantia erga Romanam Ecclesiam. Lætatur ipsum Rauennam venire velle, vt de Ecclesiæ & Imperij statu agat. Rogat vt ante diem quem præstituerat accedat.

LXXXI.

AD *Imperatorem.* RECEPTIS serenitatis vestræ litteris, atque perlectis; ac sicut nobis per Ioannem Venticinensem Episcopum verbotenus mandastis, quia cognouimus, vos honorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ, & salutem terræ ipsius toto conamine velle perficere, exultantes sumus animo gauisi. Porro sicut mandastis, vt die Purificationis B. Mariæ semper Virginis, Rauennatæ, venientes simul coniuncti fuissemus pro ad considerandum, cum Dei auxilio, & peragendum profectum sanctæ Dei Ecclesiæ, & statum Imperij vestri. Nos autem & hoc libenti animo recipientes, volumus quarto die ante iam dictam festiuitatem nos ibi adesse, quia & vos desideratissimè cupimus nobiscum simul coniungi, & vestram petitionem libenter adimplere, si, Domino annuente, sanitas corporis diuinitus concessa fuerit. Et quoniam, sicut audiuimus, vos laborem, atque certamen pro Ecclesiarum Dei statu, & Imperij vestri incolumitate, atque communi Christianorum salute, pio affectu cupitis perficere; his Apostolatus nostri litteris admonemus, & exhortamur vt magis ac magis in hoc vestra Imperialis solicitudo proficiat, hoc gloriam vestram obsecramus, & magnitudinem vestram, vt cùm in has partes venire cœperitis, Supponem gloriosum Comitem, & communem fidelem vobiscum venire iubeatis.

Gratias agit de eorum erga sedem Apostolicam obseruantia, suúmque illis auxilium pollicetur.

LXXXII.

DILECTISSIMIS *filiis* HLVDOVICO & CAROLOMANNO *gloriosissimis Regibus.* AVDITA per venerabilem Episcopum deuotione vestra, quam circa sanctam Romanam Ecclesiam habere, totóque conamine exercere cupitis, maximas Deo & vobis gratias agimus. Vnde à nostra parte vos certos exi-

A ſtere volumus: quia ſicut Dominus Carolus diuæ memoriæ Imperator auus veſter, ac poſtmodum genitor veſter Hludouicus Rex ſub protectione Romanæ Eccleſiæ noſtráque Apoſtolica tuitione vos commendauerunt, ita noſtrum Apoſtolicum affectum circa vos in omnibus oſtendere; vóſque adiuuare ac protegere paterna dilectione, atque amore ſemper parati exiſtimus. Præterea de his, quæ per iam dictum Coepiſcopum verbotenus mandaſtis; ita vobis per eum dictis reſpondendo direximus: nam ea quæ noſtro conſilio reperimus, & vobis innoteſcendo mandauimus, ad veſtrum honorem proficua eſſe omnino credite.

LVDOVICVS ET CAROLOMANNVS.

Gratias agit, quod LVDOVICVM, *&* CAROLOMANNVM *Reges ab eorum parentibus ſibi commendatos protegant, hortatur vt in eo perſiſtant, ſuámque opem pollicetur.*

LXXXIII.

VGONI *eximio Abbati ſeu* BERNALDO *Guitoni, & aliis inuiglorioſis Comitibus.* AVDIENTES bonam famam de vobis, quod protectores, defenſores, atque fideles Hludouico, & Carolomanno excellentiſſimis Regibus, qui nobis à progenitoribus ſuis commiſſi ſunt, in omnibus exiſtitis, gratias referimus maximas;
B quapropter his Apoſtolicis noſtris litteris magnificentiam veſtram exhortamur, vt more fidelium parentum veſtrorum magis ac magis circa eos veſtram ſinceriſſimam deuotionem oſtendatis. Quoniam & nos Deo propitio in eorum adiutorio vobiſcum pariter in omnibus prompti exiſtimus, vt dignam exinde vos non ſolùm à Deo & à nobis, verùm etiam, & ab illis retributionem percipere mereamini.

Queritur multa bona Eccleſiæ Romanæ à VVIDONE *quodam Marchione erepta: rogat vt Eccleſiam defendat, & ipſemet adiutor veniat.*

LXXXIV.

AD *Imperatorem* CAROLVM. CVM & ante ſuſceptum Imperium, & poſt auguſtale ſceptrum, per humilitatis veſtræ miniſterium vobis diuinitus attributum, nos quidem multotiens pro innumeris neceſſitatibus, & multiplicibus oppreſſionibus, quas ſancta Mater veſtra Romana Eccleſia quotidie patitur, ingenti mœrore afflicti reclamaſſemus: nullum vſque adhuc optatæ conſolationis valuimus promereri auxilium vel defenſionis ſolatium: quia de omnibus immobilibus rebus territorij ſancti Petri, quas nobis Rauennæ conſiſtentibus, in præſentia ſerenitatis veſtræ, vterque Vvido Marchio pro reinueſtitione reddidit, nec
C vnum recepimus locum; ſed ipſi & homines eorum contra ius, & æquitatem omnia retinere præſumunt: nam nobis in Pentapoli, hoc eſt in Vrbe Fauo conſiſtentibus, Adelardus Reuerendiſſimus Epiſcopus, & delitioſus veſter, communiſque fidelis ſecundùm veſtræ delegationis iuſſum aduenit, & ibi præfati Vvidonis & ſatellitum eius, qui noſtra violenter tulerunt, ac retinuerunt, præſentiam præſtolati ſumus: quatenus vel inde omnis emendationis, & iuſtitiæ cœpto initio, per cæteras vrbes, de omnibus iuxta clementiæ veſtræ decretum, recipiendo coram legato veſtro iuſtitias, pariter proficiſceremur: ſed illo ſemper fugiendo iudicium, & veſtræ iuſſionis piiſſimam ſanctionem callidè declinando, non veniente, quia nobis ſine profectu aliquo per ipſas ciuitates, quæ illorum grauamine opprimuntur, proficiſci euidenter extitit manifeſtum; direximus cum eodem Adelardo venerabili Epiſcopo Miſſo veſtro, Valpertum reuerendiſſimum Epiſcopum, & fidelem conſiliarium noſtrum, qui vice noſtra recepiſſet conſolationem iuſtitia nobis in veſtra præſentia reddita, & legitimam de aliis omnibus emendationem, qui videlicet profecti nullum iuſtitiæ fructum recipientes, ad nos reuerſi ſunt. Nos autem omnem excuſationis eorum defenſionem penitus auferre volentes, decreuimus eos iterum mittere, vt ſaltem poſtmodum reciperemus iuſtitiam, qui cùm ad prædictum Vvidonem rurſum abiiſſent, nihilq; emēdationis, nihilq; redditionis ab eo, vel ſequacibus eius, ſicut promiſſum fuerat, recipere potuerūt. Sed vt antea ſine aliquo ad nos effectu reuerſus eſt, & veſter ad nos abſque iuſtitiæ contemplatione-

LVDOVICVS ET CAROLOMANNVS.

omnimodò rediit. quamuis ingenti & fideli deuotione ipse confrater noster Adelardus ad iustitiam exigendam multimodis decertasset. Nunc igitur pro certo scientes, nullam nos de tantis malis posse habere iustitiam & emendationem per quemlibet celsitudinis vestræ legatum, nisi per vestram Imperialem præsentiam, rogamus obnixè, atque omnipotentem Dominum adiuramus, vt ad defendendam & liberandam de manibus malefactorum, qui eam atrociter deuorant, Ecclesiam B. Petri Apostolorum Principis nobis commissam, quæ vos diuino nutu adiutores, ac defensores in omnibus elegit habere, ipsi (Deo auxiliante) venire libenter dignemini: quatenus Dei & vestro solatio freta, quæ sua sunt valeat securiter retinere cum pristinæ dignitatis decore, ad laudem, & perpetuam animæ vestræ mercedem.

Queritur nullam sibi contra Sarracenorum excursiones opem ferri, rogat vt ab Imperatore celeriter postulet auxilium, legatum suum commendat, petit det operam, vt ANGELBERGA *ab exilio reuocetur, & Romam mittatur.*

LXXXV.

RICCARDI *Augustæ seu* LIVTVVARDO *Vercellensi Episcopo à paribus.* TANTA cordis angustia, tantúsque dolor & gemitus hinc & inde cum inriguis lachrymarum riuulis nostram ætatem quatiunt & conquassant, tantúsque etiam luctus pro desolatione terræ istius, quam iam funditus à Christiani nominis inimicis, & Deo odibilibus Sarracenis deprædatam cernimus, nos afficit, & intima nostra dissoluit, vt & somnus ab oculis, & à gustu cibus effugiat. Etiam cum Hieremia decantare compellar. *Quis dabit capiti meo aquam? aut oculis meis fontem lachrymarum?* & reliqua. Si quidem expectauimus lucem, & ecce tenebras; quæsiuimus adiutorium, & muros vrbis egredi non audemus. Nam ante vestrum Romam aduentum qualiscumque nobis erat tranquillitas: modò verò intolerabilis, & importabilis persecutionis erat tempestas: quia neque spiritalis filius noster Augustus, neque alicuius alterius gentis homo nobis confert auxilium; & nisi diuinitas summa subueniat, aut in desperationem aliquam lapsi (quia non solùm duplum, sicut Dominus dicit, sed etiam triplum & quadruplum exercitum contra nos venire conspicimus) ea quæ pacis sunt, postulabimus. Aut certè non solùm iugo illorum coacti subdemur, sed etiam ab eis capti impiè iugulabimur. Quia sicut scitis, sæpissimè reclamauimus, & neque ipse Augustus, vt prætulimus qualemcumque defensionem nobis exhibuit, neque homines ciuitatum nostrarum, qui contra Deum, & contra omne priuilegium nostrum ab alienigenis, ac nostri non fuerint, detinentur, ad seruitium sanctæ Romanæ Ecclesiæ faciendum, sicut solitum erat, ab eorumdem alienigenarum iugo subtraxit. His ergo carissima filia, clamoribus, ac vlulatibus nostris auditis, quia sapientibus loquimur, continuò propter Deum, & propter sanctos eius Apostolos, iam dicto spiritali filio nostro Augusto flexo poplite suggere, vt omnibus omninò necessitatibus, aut omissis, aut certè suspensis, sanctæ Matris suæ calamitati subueniat, & conculcationem imò perditionem illius aduertens, antequam pereamus, citissimum conferat adiutorium, aut congruum sine mora donet consilium: quia vita nostra nobis non prodest, & in extremo positi, etiam si non optaremus, iam mors se palam præbet videndam præsenti quoque Petro venerabili Episcopo valde nobis credulo, & dilectissimo familiari nostro summam beneuolentiam quæsumus exhibe, & ei vtpote à tanta sede directo, familiaritatis locum apud dominum Augustum congruentissimum tribue, atque vt nobismetipsis illi credulitatem penitùs adhibens, ea, quæ verbis retulerit, studio tuo operibus impleantur. Sed & hoc deprecamur, vt pro eo, quod apud Ticinum eodem Episcopo ea, quæ nos illi commiseramus, ipsi Augusto necessaria exponente, animus illius contra hunc est turbatus, tua instantia quicquid illud fuerit omninò aboleatur. Et ad hunc eundem Episcopum piè tractandum imperialis animus placabilis in cunctis reddatur: quoniam non hæc contumaciter, aut contra Augustalem dignitatem protulerat; sed zelo Dei ductus, ad nos inefficax redire nolebat. Postremo Christi cultrix, & Deo amabilis filia molestè accipimus, cur multotiens deprecantes spiritali filiæ nostræ Angelbergæ

A bergæ nullam per vos potuimus conferre medelam; vt dissoluto exilio ad sanctum Petrum Apostolum eam reducere faceremus. Vnde etiam nunc summopere deprecamur, vt pro amore Dei, & nostro, sancta sedes Apostolica de hoc honoretur. Et sicut iam dictus Augustus nobiscum pariter repromisit, à captiuitate, qua frustrà tenetur, salua & incolumis reducatur. Quia postquam nobis, quibus fuerat commendata & defensioni sancti Petri Apostoli protectoris tui commissa, reddita fuerit, nullam de ea sinistram quis habere poterit, crede nobis, suspicionem. LVDOVICVS ET CAROLOMANVS.

Hortatur vt ad se cum LVDOVICO *Rege veniat. Monet vt & à quorundam anathematizatorum se communione separet.*

LXXXVI.

HVGONI *strenuo, nobili regali prosapia edito, atque excellentissimo Abbati.* QVANTO vos carissime fili amore diligimus, celeberrima fama vestri boni operis circumquaque accensi, explicare verbis nullatenus possumus: quapropter, vt nostro desiderio præsentiæ vestræ capiamus effectum, maturè volumus hortemini Ludouicum Regem filium nostrum, vósque cum eo ad nos concitè properare: quatenus Christo cooperante, exaltationem totius Christianitatis communiter operemur, sic agat vestra dilectio, vt tristitiam, quam animo de vestra absentia nuper Papia intulistis, lenire moderatissimè valeatis. Inter hæc ab omni te consortio Formosi B anathematizati optamus fili charissime separare, Ioannis Archiepiscopi Rodonensis, Adelardi Turonensis, Froteri Bituricensis. Data vt suprà.

Vt CAROLVM *regem in Rom. Ecclesiæ dilectione, & defensione confirmet, ac moneat, vt suis respondeat epistolis.*

LXXXVII.

EMBOLIM. Iam quod te charissime fili vestræ deuotionis, tantæque fidelitatis erga vestræ matris Romanæ Ecclesiæ Pontificum esse videmus, tamquam vtero natum monentes rogamus, flagitantes hortamur, vt pro amore Apostolorum principum, quasi vestro proprio consulto, nec repræsentaliter Carolomanno glorioso Regi mittatis: consilium dantes, vt antiquos honorans amicos fauens, charitate ad parentum consilium redeat, & de epistolis quas ille ex maritimo itinere remisimus, respondeat & Romanam Ecclesiam, quæ vobis vtrisque omnibus decus regale, & Imperiale intulit, venerando diligat, mittens præsentaliter ipsis anathematizatis Lamberto & Adelberto. Data vt suprà.

Mandat vt ad montem Cinisem obuiam sibi veniens, Imperatricem ANGELBERGAM, *& Præsules, Mediolanensem & Parmensem idem facere moneat, vt simul quæ ad vtilitatem Ecclesiæ pertinent tractare valeant.*

C LXXXVIII.

DILECTISSIMO *filio* SVPPONI *glorioso Comiti.* QVIA nos in quibus (Deo dispensante) fines sæculorum deuenerunt, pro sanctarum Dei Ecclesiarum statu variis motibus ducimur, diuersisque fluctuum procellis impellimur, sed tamen non destituimur propter eum, qui nos confortat Christum Iesum, seruata prædecessorum nostrorum fide proli Francorum, ad Gallias properantes; idcirco venimus, vt pacis, atque vnitatis vinculo Regum corda connecteremus. Sed completum videmus, quod in Euangelio legimus. *Quoniam abundauit iniquitas, refrigescit caritas multorum.* Quapropter vestræ dilectioni fidentissimæ, & probatæ fidei mandamus, vt nobis cum officio decentiæ vestræ, ad montē Cinisem obuiã quãtocyùs veniatis, vt pariter conuenientes, quæ ad vtilitatem congruunt (Domino permittente tractare valeamus. Simúlq; hoc precamini dilectam filiam nostram Angelbergam Imperatricem; atque Anspertum Archiepiscopũ Mediolanensem, Vvubbodúmque Parmensem Episcopũ, aliósque fideles atque amicos. Dat. vt sup. 1. Cor. 10. 1. Cor. 4. 1. Thim. 1.

FINIS.

INDEX
RERVM AC VERBORVM
QVÆ IN TOMO III. CONTINENTVR.

A

B

C

D

G

H

Lotha-

I

K

L

P

FINIS.